HISTORIÆ FRANCORVM SCRIPTORES COÆTANEI,

AB IPSIVS GENTIS ORIGINE,

AD NOSTRA VS

HISTORIÆ FRANCORVM SCRIPTORES COÆTANEI,

AB IPSIVS GENTIS ORIGINE, AD PIPINVM VSQVE REGEM.

Quorum plurimi nunc primùm ex variis Codicibus MSS. in lucem prodeunt: alij verò auctiores & emendatiores.

CVM EPISTOLIS REGVM, REGINARVM, PONTIFICVM, Ducum, Comitum, Abbatum, & aliis veteribus Rerum Francicarum Monumentis.

OPERA AC STVDIO ANDREÆ DV CHESNE GEOGRAPHI REGII.

TOMVS I.



LVTETIÆ PARISIOR

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY Typographi R

M. DC XXXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIAN

LVDOVICO XIII
REGI
CHRISTIANISSIMO.

SI obscura & minima quæque oblata Tuæ Maiestati, REX INVICTISSIME, certissimum ab ea splendorem & incrementum accipiunt; quæ nunc eidem offero Volumina, primitiæ sunt tanti tamque grauis Operis, vt, si modò lux Tui Nominis eis affulserit, nullum vsquam in Francorum Imperio maius aut illu-

strius extitisse, profiteri non dubitem. Continet quippe hoc omnes propemodum FRANCICÆ HISTORIÆ SCRIPTORES, *qui ab ipsius florentissimæ Monarchiæ primordiis Maiorum Tuorum res per vniuersum Orbem præclarè gestas memoriæ consignarunt. Quos ex variis Regni Tui Bibliothecis diligenter collectos, ac* XXIV. *in Tomos distributos, tanquam iure mancipii Tuos, & ad præcellentissimæ Coronæ Tuæ decus spectantes, Tibi Domino decreui restituere. Inter hos autem, qui Maiestati Tuæ primi se sistunt, antiquiores Auos Tuos, Chlodoueos, Childebertos, Chlotarios, Dagobertos, Theodoricos, Pippinos, Carolos, Ludouicos celebrant. Quorum alii Francorum Imperium in Galliis po-*

tenter constituerunt, alii constitutum illud sapienter ac strenuè rexerunt, alii fines eius cum Religione Christiana longè latéque propagarunt. Sed in prioribus illis Regibus quis Te præstantior enituit? qui de claris progenitus fulsisti præclarior, atque Patribus inuictis fortior, nouos Generi Tuo honores addidisti. Quæcumque enim in iis Virtutes laudatæ fuerunt, in Te vno collectas omnes cernimus ac miramur.

CERTE, REX AVGVSTISSIME, Chlodouei Fides, Childeberti Pietas & Iustitia, Prosperitas Dagoberti, Theodorici Prudentia, Fortitudo ac Sapientia Caroli Magni, ceteræ denique Regum aliorum eximiæ dotes sic in Te concurrunt, vt inter Magnos

illos Principes, qui Francicum ante Te Imperium tenuerunt, iure Maximus habearis. Quamprimùm enim Tibi Regale Sceptrum obtigit, ita transcendere Te Prudentiâ ætatem agnouimus, *quod de* THEODORICO *Rege Gregorius Magnus Papa scripsit*, vt euidenter apparuerit pro Gentis Francorum felicitate Tibi Potestatis Regiæ gubernacula supernæ gratiæ fauore fuisse commissa. *Tu* CHLODOVEVM MAGNVM *Principem bellicosissimum imitando superasti, qui Gregorio nostro Turonensi Episcopo referente*, Catholicam Fidem confessus, hæreticos adiutorio eius oppressit, Regnúmque suum per totas Gallias dilatauit. *DAGOBERTVS MAGNVS vltrò Tibi palmam cedit*,

qui consilio primùm Arnulfi Episcopi Metensis, tum Audoeni Rothomagensis Pontificis, usus, tantâ Prosperitate Regale culmen rexit, vt à cunctis Gentibus immensi honoris laudem haberet. *Siue vt alibi de illo dicitur,* Amator Dei ac Sanctorum, Ecclesiarum & Monasteriorum fautor ac fundator, propriique Regni fortissimus defensor atque propagator, Sceptra Francorum tam strenuè moderatus est: vt cunctis hostibus suis fuerit potentior, & cunctis Regibus, qui ante ipsum regnauerant, felicior. *Postremò ad Maiestatem Tuam propriè pertinet, quæ ab Aarone Persarum Rege de* C*AROLO* M*AGNO egregia quondam audita vox est. Qui omnium Antecessorum*

Gesta Dagoberti R. Tom. I.

Auctor Vitæ S. VVandregisili, Tom. I.

Scriptor Vitæ S. Audoeni.

ma-
s San-
lensis
.11. de
tis Ca-
Ma-
, quæ
m. II.
um Hi-
icorum
entur.

suorum Sapientiſsimus *iudicatus*, ex rebus minimis etiam Fortiſsimus *ab illo Principe deprehensus est extitisse. Cùm enim venaticos Canes, quos ipsi Carolus dono miserat, leonem insequi conspexisset, in hæc verba prorupisse legitur:* Nunc agnoſco quàm ſunt vera quæ audiui de fratre meo Carolo, qui ſcilicet aſsiduitate venandi, & infatigabili ſtudio corpus & animum exercendi, cuncta quæ ſub cœlo ſunt conſuetudinem habet edomandi.

Hæc omnia, CHRISTIANISSIME REX, *tam magno Tibi cumulo conueniunt, vt non solùm omnibus omnium ætatum Regibus, qui Monarchiam hanc feliciter gubernarunt, longè superior emineas: sed nec habeant*

exteri quod singularibus Maiestatis Tuæ prærogatiuis præferendum sit, nedum exæquandum. Quantò enim ceteros homines Regia dignitas antecedit, *ut de Te adhuc usurpare liceat, quod summus Pontifex Gregorius ad* CHILDEBERTUM MAGNUM *olim rescripsit*, tantò ceterarum Gentium Regna Regni Tui profectò culmen excellit. Esse autem Regem, quia sunt & alij, non mirum est. Sed esse *Pium ac Iustum*, quod alij *non magnoperè curant*, hoc satis est. Sicut enim magnæ lampadis splendor in tetræ noctis obscuritate luminis sui claritate fulgescit, ita *Pietatis ac Iustitiæ Tuæ* claritas inter aliorum Regum *Virtutes* rutilat ac coruscat. Quicquid autem Reges

Greg. Magnus Epist. VI Lib. V. quæ extat Tomo I. horũ Scriptorũ.

ſe ceteri gloriantur habere, habes: ſed ipſi in hac re vehementiùs à te ſuperantur, quoniam hoc principale bonum non habent, quod Tu *pleniſsimè poſsides.*

QVÆ cùm ita ſint, REX POTENTISSIME, dubitandum certè non eſt, quin hos antiquæ FRANCORVM Tuorum HISTORIÆ Conditores præcipuos gratiſsimo vultu Maieſtas Tua ſuſcipiat: in quibus quot ſtrenuiſsimorum Principum facta miraberis, tot Tuarum recognoſces argumenta Virtutum. In hoc Caroli Magni Imp. exemplum ſequutus, qui, vt eius Vitæ Scriptores prodiderunt, Hiſtoriis & præcedentium Regum Geſtis ſummoperè delectabatur. Imò faciliùs id ſe impetraturos confidunt, quòd

qui

qui eos postremi sequentur, Te velut IVSTISSIMVM ACTIS, ORBIS CHRISTIANI CAPVT, AMOREM AC DECVS POPVLORVM, EVROPÆ VENERANDVM APICEM, PATREM OPTIMVM, HEROEM AVGVSTVM, *æternitati consecrabunt.*

Poëta Saxonicus Lib. I. Annal. de Carolo M. Tom. II.

ANDREAS DV CHESNE.

IN EDITIONEM HISTORICORVM FRANCIÆ, PRÆFATIO.

REDDITI sunt non ita pridem singulis penè Europæ Populis peculiares Rerum suarum Scriptores, quos insimul collectos, ac ordine nonnullo digestos, vel ipsi, vel eorum vicini ediderunt. Habent enim iam aliquot ab annis Germani, habent Angli, Hispani, Poloni, Hungari, Bataui, plurima de Principum suorum memorabilibus factis Volumina. Sola FRANCORVM Gens, etsi gestorum gloriâ, non minùs quàm nomine, ceteris illustrior, præcipuis tamen HISTORIÆ SVÆ AVCTORIBVS hactenus caruit, qui variis in locis omninò delitescentes, aut in puluere neglecti, cum tineis & blattis diutissimè colluctati sunt. Tandémque post multa annorum curricula vix vnus aut alter de paucis duntaxat edendis cogitare cœperunt. Certè vir doctrinâ ac probitate insignis Petrus Pithœus Annalium & Historiæ Francorum ab anno Christi DCCVIII. ad annum DCCCCXC. Scriptores coætaneos XII. primus in lucem edidit Parisiis anno M.D.LXXXVIII. Postea Scriptores alij XI. ab anno DCCCC. ad annum M.CC.LXXXV. extrema Stirpis Carolinæ, & Capetiorum Regum res gestas vsque ad Philippum S. Ludouici filium explicantes, ex eiusdem Bibliotheca Francofurti anno M.D.XCVI. prodierunt. Cuius exemplo Marquardus quoque Freherus Comitis Palatini Consiliarius, Gregorij Turonensis Episcopi, ac Aimoini Monachi Floriacensis Historias, quæ pluries iam seorsim editæ fuerant, cum aliis quibusdam veteribus, in quibus Merouingorum seu Carolingorum Regum acta continentur, in vnum veluti Corpus redegit anno M.DC.XIII. Sed quid illi inter tot támque multos Auctores, quos de FRANCORVM REBVS cùm secularibus, tum Ecclesiasticis, per integra XII. secula, aut ampliùs, id est ab ipsius Gentis origine ad nostra vsque tempora, scripsisse compertum est?

HÆC ego cùm attentè considerarem, nec paruum inde dispendium FRANCICI IMPERII dignitati creari animaduerterem, omnes eiusmodi Scriptores, potissimùm Latinos, viginti abhinc annis diligenter cœpi conquirere, conquisitósque publici iuris facere apud me constitui. Sed priusquàm tantæ molis Editionem adgrederer, operæpretium esse

visum fuit, meum de illa suscipieda consilium palam proponere. Quamuis enim magnum illorum numerum magno labore ac sumptu iam comparassem, attamen mihi certum erat plurimos adhuc in Bibliothecis vel publicis vel priuatis adseruari, quorum accessu Corpus hoc ingens multis partibus perfectius & commendabilius reddi posset, si benignè communicarentur. Itaque Seriem illorum, quos hactenus colligere licuerat, oculis omnium primò subieci, vt Ecclesiarum Præsules, Abbates Monasteriorum, & Priuati quique, Operi tam vtili, ac tam diu desiderato, suos, quos recondebant, vetustos Codices deesse non paterentur: quorum ope vel typis iam excusi Historici emendari, vel in membranis adhuc existentes describi possent. Et ne quid prætermitteretur, Epistolas etiam ac Diplomata Regum, Pontificum, Ducum, Comitum, Abbatum, & alia id genus prisca Monumenta, quæ ad MONARCHIÆ FRANCORVM HISTORIAM illustrandam quoquo modo spectant, addere me velle significaui. Cui meo Instituto eruditi quique ac patriæ studiosi Viri fauentes, non solùm quæcumque habuerunt Exemplaria perhumanissimè mihi subministrarunt, sed ad hoc etiam me tandem consiliis suis ac monitis impulerunt; vt non expectatis diutiùs quæ à quibusdam adhuc infeliciter detenta, publico bono non minori noxâ quàm pertinaciâ inuidentur, huic immensæ Molitioni manum vltrà non differrem apponere.

IPSORVM igitur hortatu ad hoc Opus animum adiiciens, vniuersum laboriosissimis curis ac vigiliis adornaui, & in Tomos XXIV. pro temporum atque rerum ordine distribui. Quorum primis X. Auctores coætaneos comprehendi, qui de Regum Franciæ gestis sinceri aliquid scriptis mandarunt. In sequentes IV. illos reieci, qui generalem Francorum Historiam ab ipsius Gentis initio ad suum quisque seculum texuêre. Reliquis verò X. complexus sum eos, qui præclariorum Regni Ducum aut Comitum facinora, necnon insignium Ecclesiarum ac Monasteriorum acta fideliter scripserunt. Ac ne diutiùs Studiosiorum desideria frustrarer, prima duo Volumina, Deo cœptis adspirante, in lucem præmittere placuit. Quem conatum si vel Francici nominis gloriæ, vel Regiæ dignitatis decori aliqua ex parte respondisse videro, ad alia quoque propediem edenda sedulò me accingere non grauabor. In his porrò quid studij aut diligentiæ contulerim, quorúmve operâ ac beneficio fuerim adiutus, aut quibus ex locis prodierint Codices, qui huic potissimùm Editioni inseruierunt, pluribus præfari supersedeo. Hoc enim cuiusque Scriptoris initio præfixæ admonitiones, & vtrique Tomo additi generales Indices, satis supérque declarant.

FRANCORVM REGES MEROVINGI, QVORVM RES GESTÆ TOMO I. CONTINENTVR.

PHARAMVNDVS in Francia regnare incipit circa annum CCCCXX.

Merouеus, seu Merouecus.

CLOIO, qui & CLODIO, Cleno. siue CHLOGIO & CHLVDIONVS, Rex Francorum.

- Chlodebaldus, cuius posteritas habetur pag. 793.
- N.. alter filius Clodionis ab Aëtio Duce Rom. adoptatus.

MEROVEVS exclusis Clodionis propinqui sui liberis post bellum Catalaunicũ regnat: à quo & sequentes Reges MEROVINGI dicti.

CHILDERICVS I. Merouei Regis filius.

ɩ. CHLODOVEVS I. qui & LODOVEVS, LODOINVS, ac LVDVIN, cognomento MAGNVS. Christianam fidem vnà cum Francis amplectitur, suadente CHROTILDE vxore. Post eius mortem quatuor filij Regnum diuidunt, & diuersis in locis regnant.

- Albofledis.
- Landehildis, seu Lanthildis.

BVRGVNDIÆ REGES.

GVNDEVCHVS, seu GVNDIVICVS, & GVNDEVEVS, Rex Burgundionum in Gallia. CARETENE vxor Lugduni sepulta in Ecclesia S. Michaëlis, quam construxerat. Obiit anno DVI. Messala Consule.

- Hilpericus à fratre Gundobado peremptus.
  - CHROTILDIS, vxor Chlodouei I. Regis Francorum.
  - Chrona, quæ & Mucuruna.
- Gundobadus Rex Burgundionum.
  - SIGISMVNDVS Rex Burgũdiæ. Vxor prima Ostrogotha filia Theodorici Italiæ Regis.
    - SIGERICVS à patre interfectus.
    - N. vxor Theodorici I. Regis Metensis.
  - Godomarus
- Godegisilus.
- Godomarus.

Filii Chlodovei I.:

1. THEODERICVS I. Metis in Austrasia.
   - 34. THEODEBERTVS I.
     - 48. THEODEBALDVS absque liberis.
     - Berthoara.
- CHILDEBERTVS Parisiis.
  - Chrotberga, & Chrotesindis.
- CHLODEMIRVS seu CHLODOMERES Aurelianis.
  - Theodobaldus, cũ fr. Gũthario à patruis occisus
  - Gunthaharius.
  - Chlodoaldus, sanctus
- CHLOTARIVS I. Suessione. Hic fratribus suis superstes, totius Regni monarchiam adeptus est, quam quatuor eius filij inter se iterum diuiserunt.
- Ingomer siue Ingomirus primogenitus, ante patrẽ mortuus.
- Chrotildis vxor Amalarici R. Hispaniæ.

Filii Chlotarii I.:

62. CHARIBERTVS sedem accipit Parisiis.
   - Bertha seu Edilberga vxor Ethelberti Cantij Regis.
   - Berthefledis, & Chrodieldis, Sanctimoniales.
- GVNTCHRAMNVS regnat in Burgundia.
  - Chlotarius obiit puer.
  - Chlodomeris.
  - Chlotildis.
  - Gundobaldus ex concubina.
- CHILPERICVS Suessione.
- SIGEBERTVS in Austrasia.
- Chramnus.
- Guntharius.
- Childericus.
- Chlotsinda vxor Alboëni Langobardorum Regis.
- *Blithildis ANSBERTI Senatoris coniux.
  - Arnoaldus dux in Austrasia.
    - S. Arnulphus Dux, postea Episc. Metẽs.

Filii Chilperici:

584. CHLOTARIVS II. Sigeberto iuniore mortuo integram Monarchiam adeptus est anno DCXIV.
- Theodobertus.
- Merouеus.
- Chlodoueus.
- Samson.
- Chlodobertus.
- Dagobertus.
- Theodoricus.
- Rigunthis Recaredo Regi Hispaniæ desponsata.
- Childesindis, siue Basina, Sanctimonialis.

Filii Sigeberti:

- CHILDEBERTVS in Austrasia, & post Gũtchramnũ in Burgundia.
  - THEODERICVS in Burgundia.
    - SIGEBERTVS II. Rex Austrasiæ, ex concubina genitus. Sine liberis mortuus est.
    - Childebertus.
    - Corbus.
    - Merouеus.
  - THEODEBERTVS II. in Austrasia.
    - Filij duo à Brunichilde interfecti.
    - Filia vna.
  - Theudelana.
- Ingũdis vxor Hermenigildi F. Luuiheldi R. Hisp.
- Chlodosinda vxor Recaredi Hisp. R.

Filii Chlotarii II.:

628. DAGOBERTVS I. dictus MAGNVS, primùm in Austrasia regnare iussus anno DCXXII. viuente patre. Post fratris mortem solus Regnum tenuit.
   - *
- HARIBERTVS siue CHARIBERTVS Rex in Aquitania.
  - Chilpericus puer mortuus.

Filii S. Arnulphi:

- Ansigisus, siue Anchises Dux, gener Pipini I. Maioris Domus.
- Clodulphus Episcopus Met.
- VValchisus.
  - S. VVãdregisilus Abbas.

628. DAGOBERTVS I. Rex Francorum.

644. CHLODOVEVS II. Rex Neustriæ & Burgundiæ.

SIGEBERTVS III. Rex Austrasiæ.

DAGOBERTVS, à Grimoaldo in Scotiam relegatus.

660. CHLOTARIVS III. sine liberis.

667. CHILDERICVS II. in Austrasia primū, deinde etiam in Neustria regnat.

THEODORICVS I. Rex solus post Childericū fratrē.

CHLODOVEVS Chlotarij filius à quibusdam confictus, in partibus Austrasiæ Rex contra Theodoricum leuatur.

690. CHLODOVEVS III. obiit sine liberis.

694. CHILDEBERTVS II. cognomento IVSTVS.

711. DAGOBERTVS II.

720. THEODORICVS II. post quē fuit interregnum an. VII

CHILPERICVS ante Regnum sibi delatum DANIEL dictus.

CHLOTARIVS contra Chilpericum Rex à Carolo Martello leuatus.

742. CHILDERICVS III. siue HILDERICVS Merouingicæ Stirpis Rex vltimus, depositus ac in

752. Monasterium coniectus anno DCCLII.

CARLOMANNVS Dux.

PIPPINVS I. Dux & Maior Domus in Austrasia sub Dagoberto & Sigeberto.

N.... Pippini soror.

Amalberga vxor VVitgeri Comitis.

Embertus Episc. Cameracensis.

Remildis & Pharahildis, Sanctæ.

Gudila, virgo.

GRIMOALDVS Maior Domus.

CHILDEBERTVS Dagoberto expulso, regnat in Austrasia, sed pauco tempore.

Begga vxor ANSEGISI Ducis.

PIPPINVS II. dictus Iunior, Dux & Maior Domus an. XXVII

Gertrudis Niuellensis Cœnobij Mater.

CAROLVS MARTELLVS Maior Domus ab anno DCCXV. ad annum vsque DCCXXXV. sub Dagoberto II. & Theodorico II. Regibus. Inde sine Rege vsque ad annum DCCXLI. quo mortuus est. Ex Alpaïde secunda Pippini coniuge natus.

Childebrandus Comes, Caroli Martelli germanus.

Nibelungus Comes.

Drogo siue Drocus Campaniæ Dux, ex Plectrude prima vxore.

Grimoaldus Maior Dom⁹

Theudoaldus ex cōcubina genitus, maior Domus post patrem.

PIPPINVS III. Maior Domus seu Princeps Francorum in Neustria, postea Rex consecratus anno DCCLII.

Carlomannus Princeps in Austrasia, pòst Monachus.

Drogo.

Gripho Dux Austrasiorum.

SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, & patentibus eius Litteris cautum, ne quis in Regno ipsius, aliisve locis eius ditioni subiectis, intra viginti proximos annos à die impressionis primæ inchoandos & numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione curet Librum, qui inscribitur, *Historiæ Francorum Scriptores coætanei*, &c. *Operâ ac studio* ANDREÆ DV CHESNE *Geographi Regij*, præter Sebastianum Cramoisy Typographum Regium ordinarium, atque Bibliopolam Iuratum, Ciuémque Parisiensem, aut illos quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus eius subditis, eumdem Librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere ac instigare, sine consensu dicti Sebastiani Cramoisy, sub pœna confiscationis librorum, aliisve pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum Lutetiæ vltimo die Iulij 1635.

Sic signatum, De mandato Regis, VICTON.

Prima editio perfecta fuit 15. die Martij 1636.

INDEX EORVM QVÆ IN TOMO I. HISTORIAE FRANCICAE CONTINENTVR.

NOTITIÆ AC DESCRIPTIONES ANTIQVÆ GALLIARVM.

DE GALLIIS, ET DE FRANCORVM VETERVM in eas aduentu ac origine.

SCRIPTORES COÆTANEI.

Ab Aduentu Francorum in Gallias, vsque ad PIPPINI *Regis tempora.*

APPENDIX I. AD TOMVM I.

APPENDIX II. AD TOMVM I.

Continens Epistolas, quæ ad Historiam primæ Stirpis Regiæ pertinent.

Othfridus, qui sub Ludouico Germaniæ Rege floruit:

FRANCI nec Historias suorum antecessorum, vt multæ Gentes ceteræ, commendare, nec eorum propria gesta vel fidem ornare dignitatis amore consueuerunt.

Guillelmus Brito Philippi Augusti Franc. Regis Capellanus, Lib. VI. Philippidos.

— Vera referri
Facta volunt scripto, nec amant tam lucida ficto,
Vt magis eniteant, depingi gesta colore.
HISTORIÆ *verax vera stylus est adhibendus,*
Quæ mendicatis lucere nitoribus odit,
Cui satis est propria radio lucescere lucis.

Michaël Hospitalius Galliarum Cancellarius Lib. I. Sermonum, Epist. III. ad Franciscum Turnonium Cardinalem.

Nec minus oblector FRANCORVM *annalia Regum*
Scripta legens, vllo sine fuco prorsus & arte,
Quàm quæ magnificè Græcis conscripta leguntur
HISTORIIS, *ægrè speciem retinentia veri.*

NOTITIAE VETERES PROVINCIARVM ET CIVITATVM GALLIÆ,

QVÆ POSTMODVM FRANCIA DICTA EST.

NOTITIA DIGNITATVM IMPERII, TAM CIVILIVM, QVAM MILITARIVM, PER GALLIAS,

Antequam eas Franci, Burgundiones, & Gothi occuparent.

Ex Notitia Imperij Occidentis, vltra Arcadij Honoriique tempora.

PRÆFECTVS Prætorio Galliarũ.
Magister Equitum per Gallias.
Vicarius septẽ Prouinciarũ.

Comes rei militaris I.

Tractus Argentoratensis.

Duces V.

Prouinciæ Sequanicæ.
Tractus Armoricani, & Neruicani.
Belgicæ secundæ.
Germaniæ primæ.
Mogontiacensis.

Consulares VI.

Viennensis.
Lugdunensis primæ.
Germaniæ primæ.
Germaniæ secundæ.
Belgicæ primæ.
Belgicæ secundæ.

Præsides XI.

Alpium Maritimarum.
Alpium Pœninarum & Graiarum.
Maximæ Sequanorum.
Aquitaniæ primæ.
Aquitaniæ secundæ.
Nouempopulanæ.
Narbonensis primæ.
Narbonensis secundæ.
Lugdunensis secundæ.
Lugdunensis tertiæ.
Lugdunensis Senonicæ.

SVB DISPOSITIONE VIRI ILLVSTRIS PRÆFECTI PRÆTORIO GALLIARVM.

Prouinciæ Galliarum XVII.

Viennensis.
Lugdunensis prima.

Germania prima.
Germania secunda.
Belgica prima.
Belgica secunda.
Alpes Maritimæ.
Alpes Penninæ, & Graiæ.
Maxima Sequanorum.
Aquitania prima.
Aquitania secunda.
Nouem Populi.
Narbonensis prima.
Narbonensis secunda.
Lugdunensis secunda.
Lugdunensis tertia.
Lugdunensis Senonia.

INTRA GALLIAS CVM VIRO ILLVSTRI MAGISTRO EQVITVM GALLIARVM.

Mattiaci iuniores.
Leones seniores.
Brachati iuniores.
Salij seniores.
Gratianenses.
Bructerij.
Ampsiuarij.
Valentinianenses.
Bataui.
Bataui iuniores.
Britones.
Atecotti Honoriani seniores.
Sagittarij Neruij Gallicani.
Iouij iuniores Gallicani.
Mattiaci iuniores Gallicani.
Ascarij Honoriani seniores.
Armigeri Defensores seniores.
Lancearij Honoriani Gallicani.
Lancearij Sabarienses.
Menapij seniores.
Secundani.
Britones.
Vrsarienses.
Præsidienses.
Germaniacenses.
Cortoriacenses.
Honoriani felices Gallicani.
Marienses.
Abricanteni.
Defensores seniores.
Mauri Sismiaci.
Prima Flauia.
Superuentores iuniores.
Balistarij.
Defensores iuniores.
Garronenses.
Anderenidiani.
Acincenses.
Cornacenses.
Septimani iuniores.
Cursarienses iuniores.
Musmagenses.
Romanenses.
Insidiatores.
Tricesiniani.
Abulci.
Exploratores.

Intra easdem Gallias cum Comite & Magistro Equitum Galliarum.

Equites Bataui seniores.
Equites Cornuti seniores.
Equites Bataui iuniores.
Equites Brachati iuniores.
Equites Honoriani seniores.
Equites Honoriani iuniores.
Equites Armigeri seniores.
Equites Octauo-Dalmatæ.
Equites Dalmatæ Passerentiacenses.
Equites Primi Gallicani.
Equites Mauri alites.
Equites Constantiaci feroces.

SVB DISPOSITIONE VIRI ILLVSTRIS MAGISTRI OFFICIORVM IMPERII.

Fabricæ in Galliis VIII.

Argentoratensis Armorum omnium.
Matisconensis Sagittaria.
Augustodunensis Loricaria.
Suessionensis Scutaria, Balistaria, & Clibanaria.
Remensis Spataria.
Triberorum Scutaria.
Triberorum Balistaria.
Ambianensis Spataria & Scutaria.

SVB DISPOSITIONE VIRI ILLVSTRIS COMITIS SACRARVM LARGITIONVM IMPERII.

Præpositi Thesaurorum in Galliis.

Præpositus Thesaurorum per Gallias Lugdunenses.
Præpositus Thesaurorum Arelatens.
Præpositus Thesaurorum Nemausens.
Præpositus Thesaurorum Triberorũ.

Procuratores Monetæ.

Procurator Monetæ Lugdunensis.
Procurator Monetæ Arelatensis.
Procurator Monetæ Triberorum.

Procuratores Gyneciorum.

Procurator Gynecij Arelatensis Prouinciæ Viennensis.
Procurator Gynecij Lugdunensis.
Procurator Gynecij Remensis Belgicæ secundæ.
Procurator Gynecij Tornacensis Belgicæ secundæ.

Procurator Gynecij Triberorum Belgicæ primæ.
Procurator Gynecij Augustoduni trāslati Metis.

Procurator Linificij.

Procurator Linificij Biennensis Galliarum.

Procuratores Baphiorum.

Procurator Baphij Telonensis Galliarum.
Procurator Baphij Narbonensis.

Præpositi Brambaricariorum siue Argentariorum.

Præpositus Brambaricariorum siue Argentariorum Arelatensium.
Præpositus Brambaricariorum siue Argentariorum Remensium.
Præpositus Brambaricariorum siue Argentariorum Triberorum.

SVB DISPOSITIONE SPECTABILIS VIRI VICARII SEPTEM PROVINCIARVM.

Prouinciæ Galliarum Consulares.

VIENNENSIS.
Lugdunensis.
Germaniæ primæ.
Germaniæ secundæ.
Belgicæ primæ.
Belgicæ secundæ.

Præsides.

Alpium Maritimarum.
Alpium Penninarum & Graiarum.
Maximæ Sequanorum.
Aquitanicæ primæ.
Aquitanicæ secundæ.
Nouem Populorum.
Narbonensis primæ.
Narbonensis secundæ.
Lugdunensis secundæ.
Lugdunensis tertiæ.
Lugdunensis Senoniæ.

SVB DISPOSITIONE VIRI SPECTABILIS COMITIS ARGENTORATENSIS.

Tractus Argentoratensis.

SVB DISPOSITIONE VIRI SPECTABILIS DVCIS PROVINCIÆ SEQVANICÆ.

Milites Latauienses Olinone.

SVB DISPOSITIONE VIRI SPECTABILIS DVCIS TRACTVS ARMORICANI ET NERVICANI.

Tribunus cohortis primæ nouæ Armoricæ, Grannona in littore Saxonico.
Præfectus militum Carronensium, Blabia.
Præfectus militum Maurorum Venetorum, Venetis.
Præfectus militum Maurorum Osismiacorum, Osismiis.
Præfectus militum Superuentorum, Mannatias.
Præfectus militum Martensiū, Aleto.
Præfectus militum primæ Flauię, Constantia.
Præfectus militum Vrsariensium, Rothomago.
Præfectus militum Dalmatarū, Abrincatis.
Præfectus militum Grannonensium, Grannono.
Extenditur tamen Tractus Armoricani & Neruicani limitis per Prouincias quinque. Per Aquitanicam primam & secundam, Senoniam, secundam Lugdunensem, & tertiam.

SVB DISPOSITIONE VIRI SPECTABILIS DVCIS BELGICÆ SECVNDÆ.

Equites Dalmatæ Marcis in littore Saxonico.
Præfectus classis Sambricæ in loco Quartensi, siue Hornensi.
Tribunus militum Neruiorum portu Æpatiaci.

SVB DISPOSITIONE VIRI SPECTABILIS DVCIS GERMANIÆ PRIMÆ.

SVB DISPOSITIONE VIRI SPECTABILIS DVCIS MOGVNTIACENSIS.

Præfectus militum Pacensinm, Saletione.
Præfectus militum Menapiorum, Tabernis.
Præfectus militum Anderecianorum, Vico Iulio.
Præfectus militum Vindicum, Nemetes.
Præfectus militum Martensium, Altaripa.
Præfectus militum secundæ Flauiæ, VVangiones.
Præfectus militum Armigerorum, Mogontiaco.
Præfectus militum Bingensium, Bingio.
Præfectus militum Balistariorum, Bodobriga.
Præfectus militum Defensorum, Confluentibus.
Præfectus militum Acicensium, Antonaco.

NOTITIA PRÆPOSITVRÆ MAGISTRI MILITVM PRÆSENTALIVM.

In Prouincia Gallia Ripensi *.

* al. Riparensi.

Pręfectus classis fluminis Rodani, Viennæ, siue Arelati.

Præfectus classis Braccariorum, Ebruduni Sabaudiæ.

Præfectus militum Muscalariorum, Massiliæ Græcorum.

Tribunus cohortis primæ Flauiæ, Sabaudiæ Calarone.

In Prouincia Nouempopulana.

Tribunus cohortis Nouempopulanæ, Lapurdo.

In Prouincia Lugdunensi prima.

Præfectus classis Araricæ, Caballoduno.

In Prouincia Lugdunensi Senonia.

Præfectus classis Anderecianorum, Parisiis.

Præfectus Lætorum Teutonicianorũ, Carnunto Senoniæ Lugdunensis.

In Prouincia Lugdunensi secunda & tertia.

Præfectus Lætorum Batauorum, & Gentilium Sueuorum, Baiocas, & Constantiæ Lugdunensis secundæ.

Præfectus Lætorum Gentilium Sueuorum, Cenomannos Lugdunensis tertiæ.

Præfectus Lætorum FRANCORVM, Redonas Lugdunensis tertiæ.

In Prouincia Belgica prima & secunda.

Pręfectus Lætorum Lingonensium per diuersa dispersorum Belgicæ primæ.

Præfectus Lætorum Actorum, Epuso Belgicæ primæ.

Præfectus Lætorum Neruiorum, Fanomantis * Belgicæ secundæ.

* Fanomartis.

Præfectus Lætorum Batauorum Nemetacensium, Attrebatis Belgicæ secundæ.

Præfectus Lætorum Batauorum Contraginensium, Nouiomago Belgicæ secundæ.

Præfectus Lætorum Gentilium, Remos & Siluanectas Belgicæ secundæ.

Præfectus Lætorum Lagensium, prope Tungros Germaniæ secundæ.

In Prouincia Aquitania prima & secunda.

Præfectus Lætorum Gentilium Sueuorum, Aruernos Aquitaniæ primæ.

Præfectus Sarmatarum & Taifalorum Gentilum, Pictauis.

In Gallia.

Præfectus Sarmatarum Gentilium à Chora Parisios vsque.

Præfectus Sarmatarum Gentilium inter Remos & Ambianos Prouinciæ Belgicæ secundæ.

Præfectus Sarmatarum Gentilium, per tractum Segaulonorum.

Præfectus Sarmatarum Gentilium, Lingonas.

Præfectus Sarmatarum Gentilium, Augustodunum.

NOTITIA PROVINCIARVM, ET CIVITATVM GALLIÆ.

Honorij Augusti, vt videtur, temporibus condita, cùm Gallias & Septem Prouincias distingui mos erat.

Ex Tomo I. Conciliorum Galliæ Iacobi Sirmondi.

IN PROVINCIIS GALLICANIS QVÆ CIVITATES SINT.

Prouincia Lugdunensis prima, numero III.

METROPOLIS ciuitas Lugdunensium.

Ciuitas Æduorum.

Ciuitas Lingonum.

Castrum Cabilonense.

Castrum Matisconense.

Prouincia Lugdunensis secunda, numero VII.

Metropolis ciuitas Rotomagensium.

Ciuitas Baiocassium.

Ciuitas Abrincatum.

Ciuitas Ebroicorum.
Ciuitas Sagiorum.
Ciuitas Lexouiorum.
Ciuitas Constantia.

Prouincia Lugdunensis tertia, numero IX.

Metropolis ciuitas Turonorum.
Ciuitas Cenomannorum.
Ciuitas Redonum.
Ciuitas Andicauorum.
Ciuitas Namnetum.
Ciuitas Coriosopitum.
Ciuitas Venetum.
Ciuitas Ossismorum.
Ciuitas Diablintum.

Prouincia Lugdunensis Senonia, num. VII.

Metropolis ciuitas Senonum.
Ciuitas Carnotum.
Ciuitas Autisiodorum.
Ciuitas Tricassium.
Ciuitas Aurelianorum.
Ciuitas Parisiorum.
Ciuitas Melduorum.

Prouincia Belgica prima, numero IV.

Metropolis ciuitas Treuerorum.
Ciuitas Mediomatricorum Mettis.
Ciuitas Leucorum Tullo.
Ciuitas Verodunensium.

Prouincia Belgica secunda, numero XII.

Metropolis ciuitas Remorum.
Ciuitas Suessionum.
Ciuitas Catuellaunorum.
Ciuitas Veromanduorum.
Ciuitas Atrabatum.
Ciuitas Camaracensium.
Ciuitas Turnacensium.
Ciuitas Siluanectum.
Ciuitas Bellouacorum.
Ciuitas Ambianensium.
Ciuitas Morinum.
Ciuitas Bononensium.

Prouincia Germania prima, numero IV.

Metropolis ciuitas Moguntiacensium.
Ciuitas Argentoratensium.
Ciuitas Nemetum.
Ciuitas Vangionum.

Prouincia Germania secunda, numero II.

Metropolis ciuitas Agrippinensium.
Ciuitas Tungrorum.

Prouincia Maxima Sequanorum, num. IV.

Metropolis ciuitas Vesonciensium.
Ciuitas Equestrium Noiodunus.
Ciuitas Eluitiorum Auenticus.
Ciuitas Basiliensium.
Castrum Vindonissense.
Castrum Ebredunense.
Castrum Rauracense.
Portus Abucini.

Prouincia Alpium Graiarum, & Penninarum, numero II.

Ciuitas Centronum Darantasia.
Ciuitas Valensium Octodoro.

ITEM IN PROVINCIIS SEPTEM.

Prouincia Viennensis, numero XIII.

Metropolis ciuitas Viennensium.
Ciuitas Genauensium.
Ciuitas Gratianopolitana.
Ciuitas Albensium.
Ciuitas Deensium.
Ciuitas Valentinorum.
Ciuitas Tricastinorum.
Ciuitas Vasiensium.
Ciuitas Arausicorum.
Ciuitas Cabellicorum.
Ciuitas Auennicorum.
Ciuitas Arelatensium.
Ciuitas Massiliensium.

Prouincia Aquitanica prima, numero VIII.

Metropolis ciuitas Biturigum.
Ciuitas Aruernorum.
Ciuitas Rutenorum.
Ciuitas Albiensium.
Ciuitas Cadurcorum.
Ciuitas Lemouicum.
Ciuitas Gabalum.
Ciuitas Vellauorum.

Prouincia Aquitanica secunda, numero VI.

Metropolis ciuitas Burdigalensium.
Ciuitas Agennensium.
Ciuitas Ecolismensium.
Ciuitas Santonum.
Ciuitas Pictauorum.
Ciuitas Petrocoriorum.

Prouincia Nouempopulana, numero XII.

Metropolis ciuitas Elusatium.
Ciuitas Aquensium.
Ciuitas Lactoratium.
Ciuitas Conuenarum.
Ciuitas Consorannorum.
Ciuitas Boatium.
Ciuitas Benarnensium.
Ciuitas Aturensium.
Ciuitas Vasatica.
Ciuitas Turba, vbi castrum Bigorra.
Ciuitas Elloronensium.
Ciuitas Ausciorum.

Prouincia Narbonensis prima, numero VI.

Metropolis ciuitas Narbonensium.
Ciuitas Tolosatium.
Ciuitas Beterrensium.
Ciuitas Nemausensium.
Ciuitas Luteuensium.
Castrum Vceciense.

Prouincia Narbonensis secunda, num. VII.

Metropolis ciuitas Aquensium.
Ciuitas Aptensium.

Ciuitas Reiensium.
Ciuitas Foroiuliensium.
Ciuitas Vappincensium.
Ciuitas Segesteriorum.
Ciuitas Antipolitana.

Prouincia Alpium maritimarum, numero VIII.

Metropolis ciuitas Ebrodunensium.
Ciuitas Diniensium.
Ciuitas Rigomagensium.
Ciuitas Solliniensium.
Ciuitas Sanitiensium.
Ciuitas Glannatina.
Ciuitas Cemelenensium.
Ciuitas Vinciensium.

In Prouinciis XVII. *Ciuitates* CXV.

CAPITVLATIO DE NOMINIBVS REGIONVM GALLIÆ.

Ex duobus peruetustis Codd. Mss. qui asseruantur in Bibliotheca Viri illustris Francisci Thuani Iacobi Augusti filij.

GALLIARVM PROVINCIÆ NVMERO XVII.

LVGDVNENSIS prima, in qua est Lugdunum.
Lugdunensis secunda, in qua est Rotomacum [a].
Lugdunensis tertia, in qua est Thoronis [b].
Lugdunensis quarta, in qua est Senonas.
Belgica prima, in qua est Treueris.
Belgica secunda, in qua est Remus.
Germania prima, in qua est Mogontiaco.
Germania secunda, in qua est Ciuitas Agripinensium.
Maxima Sequanorum, in qua est Vuesontium [c], quæ vocata est olim Crisopolis, id est Aurea Ciuitas.
Alpes Graiarum & Penninarum, in qua est Centronium, id est Tarantasia: & Verusager, quod est Valensium [d], seu Octodorum.
Prouincia Vienensis [e], in qua est Viena.
Narbonensis prima, in qua est Narbona.
Narbonensis secunda, in qua est Aquis.
Aquitania prima, in qua est Beturicas.
Aquitania secunda, in qua est Burdegala.
Nouempopulana, in qua est Helosa [f].
Alpes Maritimæ, in qua est Eberdunum [g].

[a] Rotomago.
[b] Toronus.
[c] Vesuncio
[d] Vellensium, quod est Octodoro.
[e] Vianiasis
[f] Elosa
[g] Ebridunum

ITEM NOMINA PROVINCIARVM, VEL CIVITATVM.

In Prouincia Lugdunensi prima Ciuitates numero IV.

Ciuitas Lugdunensium metropolis.
Ciuitas Eduorum.
Ciuitas Lingonum.
Castrum Cauilonensium [h].
Castrum Matisconense [i].

In Prouincia Lugdunensi II. *Ciuitates* VII.

Ciuitas Rodomagensium [l] metropolis.
Ciuitas Baiogas [m].
Ciuitas Abrincatarum.
Ciuitas Euaticorum Ebroicas.
Ciuitas Salarum Saius.
Ciuitas Lexouiorum.
Ciuitas Constantinorum.

In Prouincia Lugdunensi III. *Ciuitates* VIII.

Ciuitas Toronorum metropolis.
Ciuitas Celemannorum [n].
Ciuitas Redonum.
Ciuitas Andegauorum.
Ciuitas Namnedum [o].
Ciuitas Corisolitum [p].
Ciuitas Venitum.
Ciuitas Ossisnorum.
Ciuitas Deablitorum [q], Deablitum.

In Prouincia Lugdunensi IV. *Ciuitates* VII.

Ciuitas Senonum metropolis.
Ciuitas Carnotum.

[h] Caualoninse, Cabillonense.
[i] *In quibusdam Codd. deest.*
[l] Rotomaginsium.
[m] Baiocassium.
[n] Cenomanorum.
[o] Nammetum.
[p] Corisuletum.
[q] Diablintorum.

Ciuitas Autisiodorensium [a].
Ciuitas Trecasium [b].
Ciuitas Aurilianorum.
Ciuitas Parisiorum.
Ciuitas Meldorum.

In Prouincia Belgica prima, Ciuitates IV.

Ciuitas Treuerorum metropolis.
Ciuitas Mediomatricorum, Mettis.
Ciuitas Leucorum, Tullo.
Ciuitas Veredunensium.

In Prouincia Belgica II. *sunt Ciuitates* XII.

Ciuitas Remorum metropolis.
Ciuitas Sessionum.
Ciuitas Catalaonorum [c].
Ciuitas Verummandorum [d].
Ciuitas Atrauatum.
Ciuitas Camaracensium.
Ciuitas Turnacensium.
Ciuitas Siluanectum.
Ciuitas Belloacorum.
Ciuitas Ambianensium.
Ciuitas Morenum [e], Tarauuanna, Pontium.
Ciuitas Bononiensium.

In Prouincia Germanica prima Ciuitates IV.

Ciuitas Magontiacensium metropolis Magontia.
Ciuitas Argentoratensiũ Strateburgo.
Ciuitas Nemetum Spira.
Ciuitas Vuangionum Vuarmatia.

In Prouincia Germanica II. *Ciuitates* II.

Ciuitas Agripinensium metropolis Colonia.
Ciuitas Tungrorum, id est Tungris.

In Prouincia Maxima Sequanorum Ciuitates IX.

Ciuitas Vuisontiensium metropolis.
Ciuitas Equestrium Niuidunum.
Ciuitas Eliuitiorum Auenticum.
Ciuitas Basiliensium Basilia.
Castrum Vendonense [f].
Ebridunense castro [g].
Castrum Argentorate [h].
Ciuitas Rauracensis.
Portus Vbicini [i].

In Prouincia Alpium Graiarum & Penninarum Ciuitates IV.

Ciuitas Centronium, id est Tarantasia metropolis.
Ciuitas Verusager, id est Valensium, seu Octodorum castrum, Cana-venusta.
Ciuitas Augustana, id est Argentaria [l].
Ciuitas Seutium [m] Morienna.

a Autisiodorensium
b Tricassiũ
c Catalaunorum.
d Veromandorum
e Moreniũ
f Ciuitas Vindonissa
g Ciuitas Ebridunẽsis
h Ciuitas Argentariensis.
i Abucini
l Hæ duæ in vno Cod. desunt.
m Sentium

In Prouincia Vienensium Ciuitates XIII.

Ciuitas Vienensium metropolis.
Ciuitas Geneuensium, idem & Palustria.
Ciuitas Gracinopolitana.
Ciuitas Albensium.
Ciuitas Detensium [n].
Ciuitas Valentinorum.
Ciuitas Tricastinorum.
Ciuitas Vasionensium.
Ciuitas Aurasicorum.
Ciuitas Carpentoratensium.
Ciuitas Cauallicorum.
Ciuitas Auennicorum.
Ciuitas Arelatensium.
Ciuitas Massiliensium.

In Prouincia Narbonensi prima Ciuitates VIII.

Ciuitas Narbonensium metropolis.
Ciuitas Tolosanensium.
Ciuitas Betterensium [o].
Ciuitas Nemausensium.
Ciuitas Aquatensium.
Luteua castro [p].
Ciuitas Vcensis [q].
Ciuitas Magalonensis [r].

In Prouincia Narbonensi II. *Ciuitates* VII.

Ciuitas Aquensium metropolis.
Ciuitas Aptensium.
Ciuitas Regensium Regius.
Ciuitas Foroiulensium.
Ciuitas Vapencensium [s].
Ciuitas Sigesteriorum [t].
Ciuitas Antepolitana.

In Prouincia Aquitanica prima Ciuitates VIII.

Ciuitas Betoricorum metropolis.
Ciuitas Aruernorum.
Ciuitas Rutinorum.
Ciuitas Albiensium.
Ciuitas Caturuorum.
Ciuitas Lemodicum.
Ciuitas Gaualum.
Ciuitas Bellauorum [u].

In Prouincia Aquitanica II. *Ciuitates* VI.

Ciuitas Burdegalensium metropolis.
Ciuitas Agennensium.
Ciuitas Aquelinensium [x], Aquilisina.
Ciuitas Sanctonum.
Ciuitas Pectauorum.
Ciuitas Petrorecorum [y].

In Prouincia Nouempopulana Ciuitates XII.

Ciuitas Elosasium metropolis.
Ciuitas Ausciorum.
Ciuitas Aquensium.

n Deiansium
o Biterensiũ
p Ciuitas Luruchensium, Luteua.
q Castrum Vceeinse.
r Deest in vno Cod.
s Vapicensium
t Segestariorum
u Euallorũ, Vellauorũ
x Aquilenensium Aquilisina.
y Petricoriorum

Ciuitas Lactoratium.
Ciuitas Conuenarum.
Ciuitas Consorannorum.
a Bouis Ciuitas Boasium, quod est Boius [a] in Burdigalensi.
Ciuitas Benarnensium Benarnus.
b Gurbabetoras, Turba Biora Ciuitas Adtorensium Vico Iuli.
Ciuitas Vasatica.
c Loronensium Helaronna. Ciuitas Elocarensium Gurba [b] Beorra.
Ciuitas Lurunensium [c] Elarona.

In Prouincia Alpium Maritimarum Ciuitates VIII.

d Ebridunensium Ciuitas Hebredunensiũ [d] metropolis.
Ciuitas Diniensium, Dinia.
Ciuitas Rigomagensium.
e Solinicensium Ciuitas Salinensium [e].
f Sanicicensium Ciuitas Sabsiensium [f] Sanesio.
Ciuitas Glanatena.
Ciuitas Celenensium.
g Vinciensium Vintio Ciuitas Vensiensium [g] Ventio.

NOMINA REGIONVM ET CIVITATVM GALLIÆ.

Ex aliis Codd. Mss. eiusdem Bibliothecæ Thuanæ, quorum variæ lectiones marginibus adscriptæ sunt.

NOMINA PROVINCIARVM.

Galliarum Prouinciæ sunt numero X. & VII.

Viennensis.
Narbonensis prima.
Narbonensis secunda.
Aquitania prima.
Aquitania secunda.
Nouempopulana.
Alpes Maritimæ.
Belgica prima, in qua est Treueris.
Belgica secunda, in qua est transitus ad Britanniam.
Germania prima super Rhenum.
Germania secunda, vt suprà.
Lugdunensis prima super Rhodanum.
Lugdunensis secunda super Oceanum.
Lugdunensis tertia, vt suprà.
Lugdunensis quarta, quæ & Senonia.
Maxima Sequanorum.
a Graiæ Alpes Gratæ [a].

NOMINA CIVITATVM PROVINCIARVM GALLIÆ.

PROVINCIA LVGDVNENSIS PRIMA.

Prouincia Lugdunensis prima habet Ciuitates IV.

Metropolis ciuitas Lugdunensium.
Ciuitas Eduorum.
Ciuitas Lingonum.
b Castrum Cabilonēse Ciuitas [b] Cabilonensis.
Castrum Matisconense.

PROVINCIA LVGDVNENSIS SECVNDA.

Prouincia Lugdunensium secunda habet Ciuitates numerò VII.

Metropolis ciuitas Rothomagensium.
Ciuitas Baiocassium.

Ciuitas Abrincatum.
Ciuitas Euaticorum, id est Ebroicum.
Ciuitas Salarum, id est Saiorum.
Ciuitas Lixouiorum [c].
Ciuitas Constancia.

[c] Luxouiorũ, Lixoiorum.

PROVINCIA LVGDVNENSIS TERTIA.

Prouincia Lugdunensium tertia habet Ciuitates numero IX.

Metropolis Ciuitas Turonorum [d].
Ciuitas Cenomannorum.
Ciuitas Redonum.
Ciuitas Andegauorum.
Ciuitas Namnetum.
Ciuitas Corisopitum [a].
Ciuitas Ciantium, id est Venetum.
Ciuitas Oxismorum [b].
Ciuitas Diablinthum [c], id est Carifes, quæ alio nomine Aliud, vel Adala nuncupatur.

[d] Toronorum
[a] Coriosopitum.
[b] Ossimorũ Oscismorũ
[c] Diablentum.

LVGDVNENSIS QVARTA.

Prouincia Lugdunensium quarta habet Ciuitates numero VIII.

Metropolis Ciuitas Senonum.
Ciuitas Carnotum.
Ciuitas Autisiodorum *.
Ciuitas Trecassium.
Ciuitas Aurelianorum.
Ciuitas Parisiorum.
Ciuitas Meldorum.
Ciuitas Neuernensium.

In alia Not. sic.

* Ciuitas Autisiodorum.
Ciuitas Neuernus.
Ciuitas Autricum *.
Ciuitas Tricassinorum.
Ciuitas Aurilianorum.
Ciuitas Parisiorum.
Ciuitas Melduorum.

* Audricũ *In alia ciuitas hac habetur loco Neuernis.*

BELGICA PRIMA.

Prouincia Belgica prima habet Ciuitates numero IV.

Metropolis Ciuitas Treuerorum.
Ciuitas Mediomatricorum, id est Mettis.
Ciuitas Leucorum, id est Tullum [d].
Ciuitas Veredunensium [e].

[d] Tullo
[e] Verudunensium, Verodonensium.

BELGICA SECVNDA.

Prouincia Belgica secunda habet ciuitates numero XII.

Metropolis ciuitas Remorum.
Ciuitas Suessionum [f].
Ciuitas Cathalaunorum [g].
Ciuitas Veromandorum.
Ciuitas Atrebatum [h].
Ciuitas Cameracensium [i].
Ciuitas Turnacensium.
Ciuitas Siluanectensium [l].
Ciuitas Beluagorum [m].
Ciuitas Ambianensium.
Ciuitas Morinorum, id est Ponticum.
Ciuitas Bononiensium [n].

[f] Sessionũ
[g] Catellaunorum. Catuellorum, Cadellaunorum.
[h] Atrauatrum, Atrabatrũ, Atrauatũ, Atrauitum, Atrabatũ.
[i] Camaracensium.
[l] Siluanectum.
[m] Bellouacorum, Beluacensium.
[n] Boniensium

GERMANIA PRIMA.

Prouincia Germania prima habet Ciuitates numero IV.

Metropolis Ciuitas Maguntiacensium [o], id est Maguntia.

[o] Magonciacensium

Strateburgo, Stratburg. b Guarmatia.

Ciuitas Argentoratensium, id est Strazeburg[a].
Ciuitas Nemetum, id est Spira.
Ciuitas VVangionum, id est VVarmatia[b].

GERMANIA SECVNDA.

Prouincia Germania secunda habet Ciuitates numero II.

Metropolis ciuitas Agrippinensium, id est Colonia.
Ciuitas Tungrorum, id est Tungris.

GERMANIA TERTIA*, MAXIMA SEQVANORVM.

* Sic in vno Cod.

* *Prouincia Maxima Sequanorum habet Ciuitates numero X.*

Metropolis ciuitas Bisuntium[c].
Ciuitas Equestrium, id est Niuedunus[d].
Ciuitas Auiticorum[e], id est Auenticum[f].
Ciuitas Niuedunum[g].
Ciuitas Basiliensium, id est Basilia[h].
Castrum Vindonense[i].
Castrum Ebredunense[l].
Castrum Argentariense[m].
Castrum Rauracense.
Portus Bucini[n].

In alia Notitia sic:

* *Prouincia Maxima Sequanorum habet Ciuitates numero VIII.*

Metropolis ciuitas Visontiensium.
Ciuitas Equestrium, Nouidunus.
Ciuitas Eluitiorum, hoc est Auenticus.
Ciuitas Basiliensium.
Castrum Vindonisense.
Castrum Ebrodunense.
Castrum Argentariense.
Portus Abucini.

c Vesoncionicum, Visontinũ. d Neuidunus, Niuodunum, Neuidonũ. e Eluitiorum, Eluetiorum, Heluitiorum. f Auendicum, Auenticus, Auentias. g Niuidunum. h Basilea. i Vindoniense, Vindonissinse, Vindonissense, Vindosnense. l Obrodunése, Ebrudunense, Ebrodunense. m Argentaricense. n Abucina, Abuccina.

ALPES GRAIÆ.

Prouincia Alpium Graiarum & Penninarum habet Ciuitates numero II.

Metropolis ciuitas Centronum[o], id est Tharantasia.
Ciuitas Vallensium, id est Octodorus[p].

o Centronium, Darantasia. p Vinctadoro.

VIENNENSIS.

Prouincia Viennensis habet Ciuitates numero XIV.

Metropolis ciuitas Viennensium.
Ciuitas Genauensium.
Ciuitas Gratianopolitana[q].
Ciuitas Albensium, nunc Viuarium[r].
Ciuitas Diensium[s].
Ciuitas Valentianorum.
Ciuitas Tricastrinorum.
Ciuitas Vasionensium.
Ciuitas Arausicorum.
Ciuitas Cabellicorum[t].
Ciuitas Auennicorum.
Ciuitas Arelatensium.
Ciuitas Carpentoratensium, nunc Vinclausa[u].
Ciuitas Massiliensium[x].

In altera vt sequitur.

Metropolis ciuitas Vienensium.
Ciuitas Genauensium.
Ciuitas Gratianopolitanorum.
Ciuitas Albensium Viuaria.
Ciuitas Diensium Dibiunum.
Ciuitas Valentinorum.
Ciuitas Trecastinorum.
Ciuitas Vasiensium.
Ciuitas Arausicorum.
Ciuitas Decensium.
Ciuitas Cauellicorum.
Ciuitas Auennicorum.
Ciuitas Carpentoratensium.
Ciuitas Arelatensium.
Ciuitas Massiliensium.

q Grannapolitana. r Viuaria, Viuario. s Detensiũ. t Cabellicũ. u Vinclausca. x Massiliũ.

AQVITANIA PRIMA.

Prouincia Aquitanica prima habet Ciuitates numero VIII.

Metropolis ciuitas Biturigum[a].
Ciuitas Aruernorum.
Ciuitas Rutenorum[b].

a Bitoricũ. b Rotanorum, Rotenorum.

Ciuitas Albigensium [a].
Ciuitas Cadurcorum [b].
Ciuitas Lemouicum.
Ciuitas Gabalum.
Ciuitas Vallauorum [c], id est Buatum.

AQVITANIA SECVNDA.

Prouincia Aquitanica secunda habet Ciuitates numero VII.

Metropolis Ciuitas Burdegalensium.
Ciuitas Aginnensium [d].
Ciuitas Engolismensium [e].
Ciuitas Sanctonum.
Ciuitas Pictauorum [f].
Ciuitas Petrogoricorum [g].

NOVEMPOPVLANA.

Prouincia Nouempopulana habet Ciuitates numero XII.

Metropolis Ciuitas Ausciorum.
Ciuitas Aquensium [h].
Ciuitas Lactoratium, id est Lictora.
Ciuitas Conuenarum, id est Communica.
Ciuitas Consuranorum [i], id est Consurana.
Ciuitas Boatium [l], id est Bouis.
Ciuitas Beranensium [m], id est Benarnus.
Ciuitas Aturensium [n].
Ciuitas Vasatica.
Ciuitas Tussa [o], vbi est castrum Bogorra.
Ciuitas Elloronensium [p], id est Elinia.
Ciuitas Elosaticum [q].

NARBONENSIS PRIMA.

Prouincia Narbonensium prima habet Ciuitates numero VIII.

Metropolis Ciuitas Narbonensium.
Ciuitas Tolosatium [r], id est Tolosa.
Ciuitas Beterrensium [s].
Ciuitas Agathensium.
Ciuitas Nemausensium.
Ciuitas Magalonensium.
Ciuitas Lucteuensium [t], id est Lucteua castrum.
Castrum Vceticense [u], id est Astituecense.

NARBONENSIS SECVNDA.

Prouincia Narbonensium secunda habet Ciuitates numero VII.

Metropolis Ciuitas Aquensium [x].
Ciuitas Aptensium.
Ciuitas Regiensium [y], id est Reius.
Ciuitas Foroiuliensium.
Ciuitas Vapincensium [z].
Ciuitas Segesteriorum.
Ciuitas Antipolitana [a].

ALPES MARITIMÆ.

Prouincia Alpium Maritimarum habet Ciuitates numero VIII.

Metropolis Ciuitas Ebredunensium [b].

a Albiensium, Albiginensium.
b Catorcorum, Cadorcorum.
c Vellauorum, id est Puatum.
d Agennensium.
e Ecolismensium.
f Pectauorum, Pictauensium.
g Petrocorium, Petragoricũ, Petrocoriorum, Petrogoriorum.
h Aquinsiũ.
i Consorannorũ,
l Bohatiũ, id est Bois, Boius,
m Baranensium, Benarnensium,
n Aurenensium.
o Turba vbi castrum Bogorrum, Bigora.
p Ellonorensium, Ellenorensium, Ellorensium.
q Elazaticum, Elozatium.
r Tolosacensium.
ſ Biterrensium, Beterrensium.
t Lutauensium,
u Vticense, Vcecicense, Ciuitas Vceciensium, Vcensiensium,
x Aquinsium.
y Regensiũ, Reiensium,
z Vappingensium, Vapecensium, Vappenecensiũ.
a Antepolitana.
b Ebrodunensium.

Ciuitas Diniensium [a], id est Dina.
Ciuitas Rigomagensium.
Ciuitas Solinienſium [b].
Ciuitas Sanicienſium [c], id eſt Saneſio.
Ciuitas Glannateua [d].
Ciuitas Celemenſium [e].
Ciuitas Vinſicienſium [f], id eſt Ventio.

a Diennenſium. b Sollinenſium. c Sanitianenſium. d Glannatina, Glannatica. e Cemelenenſium, Cemelenſium. f Venſienſium, Viſienſium, Vinſienſiū,

Expliciunt nomina Ciuitatum Regionum Galliæ.

NOMINA PROVINCIARVM, VEL CIVITATVM REGIONIS GALLIÆ.

Ex Cod. viri clariſſimi Philiberti du Sault Senatoris Burdegalenſis.

IN GALLIA SVNT PROVINCIÆ NVMERO XVII.

VIENNENSIS.
Narbonenſis prima.
Narbonenſis ſecunda.
Aquitania prima.
Aquitania ſecunda.
Nouempopulana.
Alpes Maritimæ.
Belgica prima, in qua eſt Treueris.
Belgica ſecunda, in qua eſt tranſitus ad Britanniam.
Germania prima ſuper Renum.
Germania ſecunda vt ſuprà.
Lugdunenſis prima.
Lugdunenſis ſecunda ſuper Oceanum.
Lugdunenſis tertia vt ſuprà.
Lugdunenſis quarta, quæ & Senonia dicitur.
Maxima Sequanorum.
Alpes Graiæ.

NOMINA CIVITATVM CXXV.* quæ in Prouinciis ſolius Galliæ.

* Error eſt in numero.

In Prouincia Viennenſi Ciuitates ſunt XIV.

Ciuitas metropolis Viennenſium.
Ciuitas Genauenſium.
Ciuitas Gratianopolitana.
Ciuitas Albenſium Viuaria.
Ciuitas Dicienſium.
Ciuitas Valentinorum.
Ciuitas Vegaſinorum.
Ciuitas Vaſenſium.
Ciuitas Arauſicorum.
Ciuitas Cabellicorum.
Ciuitas Auennicorum.
Ciuitas Arelatenſium.
Duæ deſunt ex XIV. *nempe*, Carpentoratenſium, *&* Maſſilienſium.

In Prouincia Narbonenſi prima Ciuitates ſunt VIII.

Ciuitas metropolis Narbonenſium.
Ciuitas Tholoſatium, id eſt Tholoſa.
Ciuitas Biturnenſium.
Ciuitas Agatenſium.
Ciuitas Nemauſenſium.
Ciuitas Magalonenſium.
Ciuitas Leoteuenſium, hoc eſt Leoteua caſtrum.
Caſtrum Vzetenſe, id eſt Aſtituenſium. Ciuitas metropolis*.

* Sic eſt in Cod.

In Prouincia Narbonenſi ſecunda Ciuitates ſunt VII.

Ciuitas metropolis Aquenſium.
Ciuitas Aptenſium.
Ciuitas Regiuenſium, id eſt Reio.
Ciuitas Foroiulienſis.
Ciuitas Vappencenſium.
Ciuitas Sageſtinorum *.
Ciuitas Antipolitana.

* Segeſteriorum.

In Prouincia prima Aquitanica Ciuitates ſunt VIII.

Ciuitas metropolis Bituricum.
Ciuitas Aruernorum.
Ciuitas Rodenorum.
Ciuitas Albienſium.
Ciuitas Cadurcorum.
Ciuitas Lemouicum.
Ciuitas Gauallum.
Ciuitas Vellauorum.

In

In Prouincia Aquitanica secunda Ciuitates sunt VI.
Ciuitas metropolis Burdegalensium.
Ciuitas Agenensium.
Ciuitas Engolismensium, id est Aqualisinensium.
Ciuitas Sanctonum.
Ciuitas Pictauorum.
Ciuitas Petragorum.

In Prouincia Nouempopulana Ciuitates sunt XII.
Ciuitas metropolis Ausciorum.
Ciuitas Aquensium.
Ciuitas Lactoricum.
Ciuitas Conuenarum.
Ciuitas Conseranorum.
Ciuitas Boëtum, hoc est Bouis.
Ciuitas Beranensium, id est Benardus.
Ciuitas Aturensium.
Ciuitas Vasatica.
Ciuitas Tursa, vbi castrum Begorra.
Ciuitas Elloronensium.
Ciuitas Elosaticum.

In Prouincia Alpium Maritimarum Ciuitates sunt VIII.
Ciuitas metropolis Ebrodunensium.
Ciuitas Dienensium, id est Dina.
Ciuitas Rigomagensium.
Ciuitas Solinensium.
Ciuitas Sanitiensium, id est Sanitio.
Ciuitas Glamnateua.
Ciuitas Cemelenensium.
Ciuitas Valiciensium, id est Ventia.

In Prouincia Belgica prima Ciuitates sunt IV.
Ciuitas metropolis Treuerorum.
Ciuitas Mediomatricum, id est Metas.
Ciuitas Leucorum, id est Tullo.
Ciuitas Verudonensium.

In Prouincia Belgica secunda Ciuitates sunt XII.
Ciuitas metropolis Remorum.
Ciuitas Suessionum.
Ciuitas Catalaunorum.
Ciuitas Veromandorum.
Ciuitas Atreuatum.
Ciuitas Camaracensium.
Ciuitas Turnacensium.
Ciuitas Siluenectum.
Ciuitas Bellouagorum.
Ciuitas Ambienensium.
Ciuitas Morinum, id est Ponticum.
Ciuitas Bononiensium.

In Prouincia Germania prima Ciuitates sunt IV.
Ciuitas metropolis Magonciacensium, id est Magantia.
Ciuitas Argentora, id est Strateburgo.
Ciuitas Nemetum, id est Spira.
Ciuitas Vangionum, id est Garmatia.

In Prouincia Germania II. *Ciuit. sunt* II.
Ciuitas metropolis Agripinensium, id est Colonia.
Ciuitas Tungrorum, id est Tungris.

In Prouincia Lugdun. I. *Ciuit. sunt* IV.
Ciuitas metropolis Lugdunensium.
Ciuitas Eduorum.
Ciuitas Lingonum.
Castrum Cauallonense.
Castrum Matisconense.

In Prouincia Lugdun. II. *Ciuit. sunt* VII.
Ciuitas metropolis Rothomagensium.
Ciuitas Baiocasium.
Ciuitas Abrincatum.
Ciuitas Ebroicorum.
Ciuitas Salarum, id est Saiorum.
Ciuitas Luxouiorum.
Ciuitas Constantia.

In Prouincia Lugdunensi III. *Ciuitates sunt* IX.
Ciuitas metropolis Turonorum.
Ciuitas Cenomanorum.
Ciuitas Redonum.
Ciuitas Andegauorum.
Ciuitas Nannetum.
Ciuitas Corisopitum.
Ciuitas Ciantium, id est Venetum.
Ciuitas Ocismorum.
Ciuitas Diaplintum.

In Prouincia Lugdunensi quarta, quæ & Senonia vocatur, Ciuitates sunt VII.
Ciuitas metropolis Senonum.
Ciuitas Carnotum.
Ciuitas Autisiodorensium *.
Ciuitas Altricum.
Ciuitas Tricasium.
Ciuitas Aurelianorum.
Ciuitas Parisiorum.
Ciuitas Melduorum.

* *leg. vid.* Ciuitas Autissiodorensium Altricum, vt Ciuitates numero VII. respondeant.

In Prouincia Maxima Sequanorum Ciuitates sunt X.
Ciuitas metropolis Besanciacum.
Ciuitas Equestrium, id est Nouionus.
Ciuitas Ellutiorum, id est Auenticus.
Ciuitas Nouiduni.
Ciuitas Basiliensium, id est Basilea.
Castrum Vindonense.
Castrum Ebrodunense.
Castrum Argentunense.
Pontus Abbucina.

In Prouincia Alpium Graiarum Ciuitates sunt II.
Ciuitas metropolis Centronum, id est Tarentasia.
Ciuitas Valensium, id est Octodorum.

Finiunt nomina Ciuitatum Prouinciarum Galliæ.

NOMINA PROVINCIARVM ET CIVITATVM GALLIÆ.

Ex veteri Membrana, quæ extat in Bibliotheca Viri clariss. Alexandri Petauij Senatoris Parisiensis, Pauli filij.

GALLIARVM PROVINCIÆ NVMERO XVII.

VIENNENSIS.
Narbonensis prima.
Narbonensis secunda.
Aquitanica prima.
Aquitanica secunda.
Nouempopulana.
Alpes Maritimæ.
Bellica* prima, in qua est Treueris.
Bellica secunda Remis, in qua est transitus ad Brittanniam.
Germania prima super Renum.
Germania secunda, vt suprà.
Lugdunensis prima super Rhodanum.
Lugdunensis secunda super Oceanum.
Lugdunensis tertia.
Senonia.
Maxima Sequanorum.
Alpes Gratæ*.

* Belgica

* Graiæ.

NOMINA CIVITATVM PROVINCIARVM GALLIÆ.

Prouincia Lugdunensis prima habet Ciuitates numero IV.

Metropolis Ciuitas Lugdunensium.
Ciuitas Eduorum.
Ciuitas Lingonum.
Castrum Caballonense.
Castrum Maticense.

Prouincia Lugdunensis secunda habet Ciuitates VII.

Metropolis Ciuitas Rotomagensium.
Ciuitas Baiocasium.
Ciuitas Abrincatum.
Ciuitas Ebroicorum.
Ciuitas Salarum, id est Saiorum.
Ciuitas Lixouiorum.
Ciuitas Constantia.

Prouincia Lugdunensis tertia habet Ciuitates IX.

Metropolis Ciuitas Turonorum.
Ciuitas Cenomannorum.
Ciuitas Redonum.
Ciuitas Andegauorum.
Ciuitas Namnetum.
Ciuitas Corisopitum.
Ciuitas Cianctium, id est Venetum.
Ciuitas Ossimorum.
Cuitas Diablintum, id est Carifes.

Prouincia Lugdunensis quarta habet Ciuitates VII.

Metropolis Ciuitas Senonum.
Ciuitas Carnotum.
Ciuitas Autisiodorum.
Ciuitas Tricassium.
Ciuitas Aurelianorum.
Ciuitas Parisiorum.
Ciuitas Meldorum.

Prouincia Belgica prima habet Ciuitates numero IV.

Metropolis Ciuitas Treuerorum.
Ciuitas Mediomatricorũ, id est Mettis.
Ciuitas Leucorum, id est Tullum.
Ciuitas Verdunensium.

Prouincia Belgica secunda habet Ciuitates numero XII.

Metropolis Ciuitas Remorum.
Ciuitas Suessionum.
Ciuitas Catalaunorum.
Ciuitas Veromandorum, quæ nunc Nouiomagus.
Ciuitas Atrobatum.
Ciuitas Camaracensium.
Ciuitas Turnacensium.
Ciuitas Siluanectum.
Ciuitas Bellouacorum.
Ciuitas Ambianensium.
Ciuitas Morinum, id est Ponticum.
Ciuitas Bononensium.

Prouincia Germanica prima habet Ciuitates numero XVI.

Metropolis Ciuitas Mogonciacensium.
Ciuitas Argentina, id est Strazburgis.
Ciuitas Nemetum, id est Spira.
Ciuitas Vangionum, id est VVarmacia.
Ciuitas Aluerstetensis.
Ciuitas Spragensis.
Ciuitas Badebrunnensis.
Ciuitas Egestetensis.
Ciuitas Vuirzhiburgensis.
Ciuitas Constantiensis.
Ciuitas Curiensis.
Ciuitas VVerdunensis.
Ciuitas Babenbergensis.
Ciuitas Antiqua.
Ciuitas Augustensis, id est Ciesburc.

Ciuitas Heldinensis.

Prouincia Germanica secunda habet Ciuitates numero VI.

Metropolis Ciuitas Agripinienfium, id est Colonia.
Ciuitas Tungrorum, quę nunc Leodiũ.
Ciuitas Treiectum, id est Vztricht.
Ciuitas Nundensis [a].
Ciuitas Mimigardeuordensis.
Ciuitas Osenbrugensis.

[a] Mindensis.

Prouincia Maxima Sequanorum habet Ciuitates numero X [b].

[b] IX.

Metropolis Ciuitas Vesontiensium.
Ciuitas Lausanna, quæ priùs Auenticus, & vocata est Ciuitas Eluitiorum.
Ciuitas Basiliensium, id est Basilea.
Ciuitas Belicensium, quæ antea castrum Argentariense vocabatur.
Ciuitas Equestrium, id est Niuidunus.
Castrum Vindonense.
Castrum Ebrodunense iuxta Vrbem [c] super lacum.
Castrum Rauracense.
Portus Bucini.

[c] Orbam

Prouincia Alpium Gratiarum & Penninarum habet Ciuitates numero IV.

Metropolis Ciuitas Centronium, id est Darentasia.
Ciuitas Valensium, id est Octodorus.
Ciuitas Augusta Prætoria.
Ciuitas Morienna, à Gundranno Rege Burgundionum constructa.

Regionis Galliæ Prouincia Viennensis habet Ciuitates numero XIV.

Metropolis Ciuitas Viennensium.
Ciuitas Gennauensium, quæ nunc Geneua, à Gundebado Rege Burgundionum restaurata.
Ciuitas Gratianopolitana, à Gratiano constructa.
Ciuitas Albensium Viuarium.
Ciuitas Detensium, vel Diensium.
Ciuitas Valentinorum, Valentina à Valente constructa.
Ciuitas Tricastinorum.
Ciuitas Vasionensium.
Ciuitas Arausicorum.
Ciuitas Caballicorum.
Ciuitas Auennicorum.
Ciuitas Arelatensium, quæ nunc Metropolis dicitur.
Ciuitas Carpentoratensium, nunc Vinclausca.
Ciuitas Massiliensium.

Prouincia Aquitanica prima habet Ciuitates numero VIII.

Metropolis Ciuitas Bituricum.
Ciuitas Aruernorum.
Ciuitas Rotenorum.
Ciuitas Albigensium.
Ciuitas Cadorcorum.
Ciuitas Lemouicum.
Ciuitas Gabalum.
Ciuitas Vellauorum, quę nunc Podium dicitur.

Prouincia Aquitanica secunda habet Ciuitates numero VI.

Metropolis Ciuitas Burdegalensium.
Ciuitas Agennensium.
Ciuitas Engolismensium.
Ciuitas Santonum.
Ciuitas Pictauorum.
Ciuitas Petrogoriorum.

Prouincia Nouempopulana habet Ciuitates numero XII.

Metropolis Ciuitas Ausciorum.
Ciuitas Aquensium.
Ciuitas Lactoratium.
Ciuitas Conuenarum.
Ciuitas Consuranorum.
Ciuitas Boatium, quod est Bouis.
Ciuitas Beranensium, id est Benarniis.
Ciuitas Aturensium.
Ciuitas Vesatica.
Ciuitas Tusaubica [d], Trubogorra.
Ciuitas Elleronensium.
Ciuitas Elosaticum.

[d] Tursa, castrum Bigorra.

Prouincia Narbonensis prima habet Ciuitates numero VIII.

Metropolis Ciuitas Narbonensium.
Ciuitas Tolosa.
Ciuitas Betrenensium.
Ciuitas Agatensium.
Ciuitas Nemausa.
Ciuitas Magolonensium.
Ciuitas Luteua castrum.
Castrum Vceciense.

Prouincia Narbonensis secunda habet Ciuitates numero VII.

Metropolis Ciuitas Aquensis.
Ciuitas Abtensis.
Ciuitas Reiensis.
Ciuitas Foroiulensis.
Ciuitas Vappensis.
Ciuitas Segesteriorum.
Ciuitas Antipolitana.

Prouincia Alpium Maritimarum habet Ciuitates numero VIII.

Metropolis Ciuitas Ebredunensium.
Ciuitas Diniensium, id est Dina.
Ciuitas Rigomagensium.
Ciuitas Solliniensium.
Ciuitas Saniciensium, id est Sanesio.
Ciuitas Glanatena.
Ciuitas Cemelenensium.
Ciuitas Vinsiciensium, id est Ventio.

A

GALLIÆ SITVS.

EX LIBRO III. HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ, quæ breuiter est ab Hugone de Sancta Maria Monacho Sancti Benedicti Floriacensis Monasterij deflorata anno ab Incarnatione Domini MCIX.

Extat Historia hæc Ms. in Bibliotheca Alex. Petauij Sen. Parif.

De Belgica Galliæ Prouincia.

VNIVERSA GALLIA non tam ampla quàm inclita, Prouinciis tribus terminabatur antiquitus. Quarum vna Belgica, alia Aquitania, alia verò Lugdunensis nominabatur. Porro BELGICA Prouincia habet ab Oriente limitem fluminis Rheni, & Germaniam: ab Euro verò habet Alpes Apenninas, & à Meridie Prouinciam Narbonensem, & ab Occasu Prouinciam Lugdunensem, & à Circio Occeanum Britannicum. Vrbes eius inclitæ & famosæ, Colonia Agrippinensis, Tungris, Treueris, Mettis quæ & Mediomatricum, Remis, Laudunis, & pagus Heluetiorum, quem nunc Alamanni incolunt. Fluunt per eandem Prouinciam Scaldus, Matrona, & Mosa, & Ausona, quæ vltimos Remorum fines præterfluit. Silua etiam habetur in ea, quæ dicitur Ardenna: quæ à ripis Rheni fluminis vsque in Treucrorum fines extenditur. B

De Aquitania.

AQVITANIA verò à Varumna flumine ad Pyreneos montes extenditur, & obliquo Ligeris cursu, qui eam ex parte terminat, penè in orbem cingitur. Continentur in ea vrbes egregiæ, Narbona, Auernus quæ Clarusmons dicitur, Biturix, Cadurx, Tholosa, Ruhtenus, Lemouis, Petragorica, Pictauis, Burdegala, Santona, & Engolisma. Meat per Aquitaniam Dordonia, quæ in Varumnam immergitur. Silua habetur in ea Lecenna, Biturigibus & Auernis confinis.

De Lugdunensi Prouincia.

LVGDVNENSIS autem Prouincia oritur à Monte Iurano, qui est inter Sequanos & Heluetios, & à lacu Lemanno, & flumine Rhodano: & extenditur ad Occeanum Britannicum, dilatatúrque ad Ligeris alueum, qui eam ab Aquitania separat & diuidit. Vrbes in ea multæ & opulentæ, Lugdunum, Cabilonus, Edua quæ & Augustudunus, Senonis, Autisiodorus, Niuedunus quæ & Niuernis, Meldis, Trecas, Parisius, Carnotum, Gennabus quæ & Aurelianis, Rothomagus, Ebroas, Oximus id est Sagiensis, Cenomannis, Lixouium, Nannetis, Andus quæ & Andegauis, Abrincatina, Redonis, Venetus. Quarum Augustidunus & Senonis maioris antiquitus auctoritatis fuére. Nam Augustidunus amicitiam Romani populi amplectendo nobilis euasit. Senones verò Romam quondam obsidione cinxerunt. Fluunt per Lugdunensem Prouinciam Rodanus, & Araris, qui & Sagomna vocatur, & Sequana quæ Occeano Britannico immergitur. Siluæ in ea Perticus, & Langolaria. C

Quid sit Austria siue Neustria.

HAS tres Galliæ Prouincias dum FRANCI occupauissent, illam regionem quæ Septentrionem versus inter Mosam & Rhenum porrigitur, AVSTRIAM: illam autem quæ à Mosa vsque ad Ligerim protenditur, NEVSTRIAM vocitauerunt. Quædam tamen pars Galliæ, quam BVRGVNDIONES intra Lugdunensem occupauére Prouinciam, nunc BVRGVNDIA vocitatur. Aquitania verò nomen adhuc antiquũ retinet. Dicta Aquitania, quòd præ cæteris Galliæ Prouinciis fontibus & torrentibus scaturiat. Et hæc modò tantũ compendiosè de situ Galliç dixisse sufficiat.

Burgundia.

REstat tamen, vt NARBONENSEM Prouinciam, quæ pars Galliarum est, describamus. Narbonensis Prouincia habet ab Oriente Alpes Gotthicas, & ab Occidente Hispaniam, & à Circio Aquitaniam, & à Septentrione Lugdunensem Prouinciam, & ab Aquilone Belgicam Galliam, & à Meridie Insulas Baleares: à fronte verò, qua Rhodanus in mare defluit, Insulas Cicladas.

A

DIVISIO GALLIAE.

Ex Chronico Roberti Monachi Sancti Mariani Autißiodorensis, quod desinit in anno MCCX.

GALLIA à candore populi nuncupata est. γάλα enim Græcè, lac dicitur. Montes enim & rigor cœli ab ea parte Solis ardorem excludunt, quo fit vt candor corporum non coloretur. Hanc ab Oriente Alpium iuga tuentur, ab Occasu Oceanus includit, à Meridie prærupta Pyrenei, à Septentrione Rheni fluenta atque Germania. Cuius initium Belgica, finis Aquitania est. Regio gleba vberi ac pabulosa, & ad vsum animantium apta. Fluminibus quoque & fontibus rigua, perfusa duobus magnis fluuiis, Rheno & Rhodano. Porro Belgica à ciuitate Belgis, quæ & Treueris dicitur. Aquitania verò ab aquis obliquis fluuij Ligeris, qui eam ex parte terminat, appellatur.

SCIENDVM sanè vniuersam Galliam in quatuor Prouincias à veteribus fuisse diuisam, hoc est Belgicam, Lugdunensem, Narbonensem, Aquitanicam.

BELGICA Prouincia habet ab Oriente limitem fluminis Rheni & Germaniam,
B ab Euro Alpes Apenninas, à Meridie Prouinciam Narbonensem, ab Occasu Lugdunensem, à Circio Oceanum Britannicum. Fluunt per eam Scaldus, Matrona, Mosa, & Axona, quæ vltimos Remorum fines præterfluit. Silua etiam habetur in ea quæ dicitur Ardenna, quæ à ripis Rheni vsque in Treuerorum fines extenditur.

LVGDVNENSIS Prouincia ducta per longum, & per angustum inflexa, Aquitanicam Prouinciam semicingit. Hæc ab Oriente habet Belgicam, à Meridie partem Prouinciæ Narbonensis qua Arelas ciuitas sita est. vbi & mari Gallico Rodani flumen excipitur. Fluunt per eam Rodanus & Araris, qui & Sagunna vocatur, & Secana qui Oceano Britannico immergitur. Porro hæc Prouincia oritur à monte Iurano, qui est inter Sequanos & Heluetios, & à Lacu Lemanno, & flumine Rodano, extenditúrque ad Oceanum Britannicum, & ad Ligeris alueum dilatatur, qui eam ab Aquitania separat & diuidit.

NARBONENSIS Prouincia habet ab Orientis parte Alpes Gotticas, ab Occidente Hispaniam, à Circio Aquitaniam, à Septentrione Prouinciam Lugdunensem, ab Aquilone Galliam Belgicam, à Meridie mare Gallicum, quod est inter Sardiniam & Insulas Baleares.

AQVITANICA Prouincia obliquo cursu Ligeris fluminis, qui ex plurima parte terminus eius est, in orbem cingitur, & à Varumna flumine ad Pyreneos mon-
C tes extenditur. Hæc à Circio Oceanum, qui Aquitanicus Sinus dicitur, ab Occasu Hispanias habet, à Septentrione & Oriente Lugdunensem, ab Euro & Meridie Narbonensem Prouinciam contingit. Hæc quidem secundum antiquos.

Verùm secundum modernos vniuersa Gallia in X. & VIII. Prouincias est dispertita. Hæ sunt autem, Senonensis, Belgica prima vbi est Treueris, Belgica secunda vbi est Remis, Lugdunensis, Turonensis, Rothomagensis, Bituricensis, Burdegalensis, Viennensis, Maxima Sequanorum vbi est Vesuncio, Alpes Graiæ vbi est Darentasia, Arelatensis, Narbonensis, Alpes Maritimæ vbi est Ebredunum, Aquensis, Nouempopulana vbi est Auscia, Maguntina, Coloniensis. Hæc sunt autem nomina ciuitatum quæ in Prouinciis continentur.

Senonensis Prouincia.

Metropolis ciuitas Senonis, ciuitas Carnotum, ciuitas Parisius, ciuitas Aurelianis, ciuitas Meldis, ciuitas Trecas, ciuitas Autissiodorum, ciuitas Niuedunum quæ & Niuernis.

Remensis Prouincia.

Metropolis ciuitas Remis, ciuitas Suessionis, ciuitas Cathalaunis, ciuitas Veremandorum, quæ & Nouiomum, ciuitas Attrabatum, ciuitas Cameracum, ciuitas Tornacum, ciuitas Siluanectis, ciuitas Beluacus, ciuitas Ambianis, ciuitas Morinum quæ & Tharuanis, ciuitas Bolonia.

Treuerensis Prouincia.

Metropolis ciuitas Treueris, ciuitas Mediomatricum quæ & Metis, ciuitas Leucorum quæ & Tullo, ciuitas Veredunum.

Lugdunensis Prouincia.

Metropolis ciuitas Lugdunum, ciuitas Ædua quæ & Augustudunum, ciuitas Lingonis, ciuitas Cabilonis, ciuitas Matisconum.

Turonensis Prouincia.

Metropolis ciuitas Turonis, ciuitas Cenomannis, ciuitas Redonum, ciuitas Andus quæ & Andegauis, ciuitas Namnetum, ciuitas Corisopitum, ciuitas Ciantum, id est Venetum, ciuitas Oximus, id est Sagiensis[a], ciuitas Diablintum, id est Adala.

a *leg.* Leonensis.

Rothomagensis Prouincia.

Metropolis ciuitas Rothomagus, ciuitas Baiocas, ciuitas Abrincatum, ciuitas Ebroas[b], ciuitas Salarum, id est Saiarum, ciuitas Lixouium, ciuitas Constancia.

b *al.* Ebroicarum,

Bituricensis Prouincia.

Metropolis ciuitas Bituricas, ciuitas Aruernis quæ & Clarus-mons, ciuitas Rothenus, ciuitas Albigensis, ciuitas Caturcium, ciuitas Lemouicas, ciuitas Gabalum[c], ciuitas Vallauorum[d].

c Gabalonum,
d Vallaunorum.

Burdegalensis Prouincia.

Metropolis ciuitas Burdegala, ciuitas Agennum, ciuitas Engolisma, ciuitas Sanctonas, ciuitas Pictauis[e], ciuitas Petragoricas[f].

e Pictauii,
f Petragoricorum.

Viennensis Prouincia.

Metropolis ciuitas Vienna, ciuitas Gennaua, ciuitas Gratianopolis, ciuitas Albensis quæ & Viuarium, ciuitas Dia, ciuitas Valentia, ciuitas Carpentoracum[g], ciuitas Tricastinum, ciuitas sancti Iohannis.

g Carpentoracte,

Maxima Sequanorum Prouincia.

Metropolis ciuitas Vesuncio, ciuitas Losanna, ciuitas Basilea, ciuitas Belisma[h].

h Belisama.

Alpes Graiæ.

Metropolis ciuitas Darentasia, ciuitas Augusta, ciuitas Sedunum, quæ & Octodorum.

Arelatensis Prouincia.

Metropolis ciuitas Arelas, ciuitas Segesterium[i], ciuitas Aurasica, ciuitas Auennum, ciuitas Abtensis, ciuitas Regensis, ciuitas Grassa. Nunc verò sic diuiditur Arelatensis Prouincia. Metropolis Arelas, Auinionum, Aurasica, Tricastrum, Vasionum, Carpentoracum, Cauellicum, Massilia, Tolonum.

i Segusterum,

Narbonensis Prouincia.

Metropolis ciuitas Narbona, ciuitas Tholosa, ciuitas Nemansus, ciuitas Magalona, ciuitas Bitherrensis, ciuitas Luteuensis, ciuitas Agatensis, ciuitas Vziensis, ciuitas Carcassonensium, ciuitas Elenensium.

Alpes Maritimæ.

Metropolis ciuitas Ebredunum[l], ciuitas Vapingum, ciuitas Dina, ciuitas Nicea, ciuitas Sanesio, ciuitas Glandis, ciuitas Antipolis, ciuitas Vencio.

l Eberodunum,

Aquensis Prouincia.

Metropolis ciuitas Aquensis, ciuitas Massilia.

Nouempopulana Prouincia.

Metropolis ciuitas Auscia, ciuitas Lactoracium[m], ciuitas Conuenarum, ciuitas Cusurahorum, ciuitas Boatium[n], id est Tarbiensium, ciuitas Benarnensium, ciuitas Adurensium, ciuitas Vasatica, ciuitas Aquis, ciuitas Thussa, ciuitas Elosaticum, ciuitas Elloronensium.

m Lectoratum,
n Boiatum,

Moguntina Prouincia.

Metropolis ciuitas Moguncia, ciuitas Nemetum, id est Spira, ciuitas Vangionum, id est VVormacia, ciuitas Argentinum, id est Straburch.

Coloniensis Prouincia.

Metropolis ciuitas Agrippina quæ & Colonia, ciuitas Tungris quæ & Leodium.

Has Ciuitates continent supradictæ Prouinciæ intra Gallias comprehensæ.

A

DESCRIPTIO GALLIARVM.

EX LIBRO MS. DE OTIIS IMPERIALIBVS,

Quem illustris Geruasius Tisleberiensis, Marescallus Regni Arelatensis, scripsit ad OTHONEM IV. Romanorum Imperatorem, post annum MCCX.

DISTINCTIONE II.

De Partibus Europæ Occidentalibus.

NVNC EVROPÆ partes, quas Alpes, & flumen Rheni, & mare hoc nostrum, & Occidentalis Oceanus terminant, explicemus. In his GALLIA priùs occurrit, à candore sic dicta. *Galla* enim Græcè, Latinè *lac* sonat. Hinc est illud Hieronymi in vita beati Hilarionis: *Candidatus Constantij Imperatoris rutilus comâ, & candore corporis indicans Prouinciam, ab infantia possessus à dæmone. Inter Saxones quippe & Alemannos gens eius non tam lata quàm valida, apud Historicos Germania, nunc verò* FRANCIA *vocatur.* Sed & Galli dicuntur Sacerdotes Matris Deûm ob hoc, quia mos est eis apud Frigiam castrari, qui omnia turpissima agunt. Gallos Cæsar castrauit, cùm eos vicisset, in eorum scilicet opprobrium. Porro GALLI confinibus suis candidiores sunt. Secundum enim diuersitates aëris, Romanos graues, Græcos leues, Afros versipelles, Gallos naturâ feroces, Anglos ingenio potentiores, Theutonicos robustiores videmus. quod natura climatum facit.

B

GALLIA nunc CELTICA dicitur, à qua Celtiberi à Gallis, qui priùs CELTICI dicebantur, & ab Ibero Hispaniæ fluuio vbi consederunt; quorum ex nomine Regio Celtiberia vocatur, includens AQVITANIAM & GASCONIAM: Nunc GERMANIA, quæ includit LOTHARINGIAM, & ALEMANIAM: Nunc GALLIA BELGICA, à ciuitate Belgis * in confinio Burgundiæ sita super flumen Soanam, habens à Circio Lingonis vrbem, quæ tertia pars Galliarum dicitur. Hæc habet ab Oriente limitem fluminis Rheni & Germaniam, ab Euro Alpes Penninas, à Meridie Prouinciam Narbonensem, à Circio Oceanum Britannicum, à Septentrione Insulam Britannicam. Sed & Senones Galli pro parte Burgundiones dicuntur, qui antiquitus SENONES dicebantur. His cum Duce Brenno fratre Helini Regis maioris Britanniæ restitit Manlius Consul, voce anseris excitatus, cùm Romam captam incendere vellent.

C

Porrò antiquitas tres esse GALLIAS docuit: TOGATAM, id est LONGOBARDIAM, ad instar Romanorum: COMATAM, id est BVRGVNDIAM & FRANCIAM: BRACHATAM, id est THEVTONIAM, à longis braccis. Enimuerò nomen LONGOBARDORVM sic cœpisse legimus. Gens enim Longobardorum, priusquàm hoc nomen assumeret, exeuntes de Scannauia Oceani insula, de qua Burgundiones sunt egressi, quæ est inter Oceanum & Danubium, cum vxoribus & liberis Danubium transmearunt. Cúmque transeuntibus Huni parassent bellum, Longobardi mulieribus suis comam capitis ad maxillas mentósque ligarunt; quò potiùs habitum virorum simulantes, plurimam hostium multitudinem simularent, comis ad maxillas barbam facientibus. Fertur desuper vox dixisse, Hi sunt Longobardi. Ad hoc Longobardi clamant; Qui instituisti nomen, concede victoriam. Quo dicto Hunos superant, partémque Pannoniæ inuadunt. Nec post multum tempus Narcys Patricius minis Iustini Imperatoris eiúsque Augustæ Sophiæ perterritus, eo quòd ipsa ei apparatum muliebrem ex auro factum, quia eunuchus erat, cum quo filaret, direxerat: dicens, vt pensa lanaria regeret, non populum. At ille respondit: Filum filabo, cuius finem Iustinus vel Augusta non perficiet. Tunc Longobardos à Pannoniis inuitans cum Alboëno Rege, Italiam introduxit.

Porro Gallia, quam diximus Belgicam, particulares habet regiones, Neustriam seu Normanniam, Boloniam, Flandriam, Andegauiam, Turoniam, Bituricam, Britanniam Armoricam, Pictauiam, Narbonensem Prouinciam. In harum medio Francia est, &c. A

Distinctio Galliarum.

Svnt ergo in Gallia Belgica Belgici fortissima omnium Gallorum gens, quibus perpetua penè cum Germanis pugna est & altercatio, à quibus Reno tantùm fluuio dirimuntur. Sunt & Belliuagi, & Suessiones. Sunt & Neruij, quorum indomita feritas prædicatur, itavt nunquam vsque ad tempus Iulij Cæsaris mercatores ad se admiserint vina ceteráve venalia deferre, quibus inducta iocunditas torporem virtutis afferret. Sunt & Atrebates, & Ambiani. Sunt Morini, & Menapi. Sunt Caleti & Velocasses, Veromandi, & Atuatici, Condruses, Eburones Cerosi, ac Ceranni.

Sequitur Gallia Lvgdvnensis, quæ & Comata, à comis longis nuncupatur. Hæc ducta per longum, & per angustum inflexa, Aquitanicam Prouinciam semicingit, & habet ab Oriente Galliam Belgicam, à Meridie partem Prouinciæ Narbonensis quæ Subalpina nominatur, & mari Mediterraneo Rodanóque terminatur.

Ad hoc Narbonensis Prouincia pars Galliarum habet ab Oriente Alpes Cutias, inter quas & mare ac Rodanum sunt hæ Prouinciæ. Arelatensis, quæ caput est Regni. Vianensis, quæ Cancellariâ Regni gaudet. Tarentasiensis, Ebredunensis, & Aquensis, & pro aliqua sui parte Lugdunensis ac Bisuntina. Habet Narbonensis Prouincia ab Occidente Hispaniam, à Circio Aquitaniam, à Septentrione Lugdunensem, ab Aquilone Galliam Belgicam, à Meridie Gallicum mare quod est inter Sardiniam & Insulas Baleares, habens in fronte qua Rodanus fluuius exit in mare Sticadas Insulas, quas vulgò Camargas nominant, quasi caras marchias. In modum enim Insulæ Rodano per tria ostia diuiso clauduntur, terra fertili, salinis in excessu bonitatis, piscationibus stagnorum, marium, ac fluuialibus, venationibus, cyrogrillis, & aucupationibus & pascuis incomparabiles, &c. B

Est & in capite ad ripam Rodani ciuitas Arelas caput Regni Burgundiæ, dicta quasi Aralata Deorum, &c. Illic enim quotannis solebant omnes Regni illius cum adiunctis Prouinciis paganitatis ludibrio tenti in Calendis Madialibus conuenire, & in omnium conspectu sacrificium tristis amnestiæ suscipere in loco suburbij qui Rochecta dicitur: vbi duabus immensæ celsitudinis columnis ara superposita, trium iuuenum illo die sanguis innoxius pro salute populi populo superspargebatur, quos velut sues de communi emptos per totum anni circulum ad nefandam victimam pascebant, &c. Sanè Narbonensis Prouincia Togata dicebatur, à longitudine vestium sic dicta. Quamuis tempore mores hominum mutantur, nunc inter omnes homines Narbonensis Prouinciæ viri & mulieres more Hispanorum ac Gasconum artiùs vestiuntur, ita quòd insuta potiùs quàm induta corpora videantur, sicut in Libro facetiarum, quem ad Imperium excellentissimi Regis iunioris Angliæ Henrici auunculi vestri & Domini mei, latiùs dixi, Imperator & Domine serenissime. C

Ad hoc Aqvitanica Prouincia ab aquis Rodano & Ligere dicta, vel ab equis quibus abundant, aut potentiùs inuehuntur, quasi Equitannia, obliquo cursu Ligeris fluminis, qui ex plurima parte terminus eius est, in orbem agitur. Hæc à Circio Oceanum, qui Aquitanicus Sinus dicitur, ab Occasu Hispanias habet. A Septentrione & Aquilone Lugdunensem, ab Euro & Meridie Narbonensem contingit Prouinciam.

De Provinciis et Vrbibvs Galliarvm.

Nvnc singulares Galliarvm vrbes enumeremus: Galliam in Franciam, Burgundiam, & Gasconiam more Romanæ Ecclesiæ distinguentes.

FRANCIA.

Francia ergo vii. habet Metropoles cum suis Suffraganeis.

i. Lvgdvnensis, cuius titulus est nummismatis, Prima sedes Galliarvm, hos habet Suffraganeos.
Eduensem.
Matisconensem.
Cabilonensem.
Lingonensem.

ii. Remensis hos habet Suffraganeos.
Suessionensem.
Catalaunensem.
Cameracensem.
Tornacensem.
Morinensem.
Atrebatensem.
Ambianensem.
Nouiomensem.
Siluanectensem.
Beluacensem.
Laudunensem.

iii. Senonensis Franciæ Archiepiscopus hos habet Suffraganeos.
Parisiensem.
Carnotensem.
Aurelianensem.
Niuernensem.
Autissiodorensem.
Trecensem.
Meldensem.

iv. Tvronensis hos habet Suffraganeos.
Cenomanensem.
Redonensem.
Andegauensem.
Nannetensem.
Corisopitensem.
Venetensem.
Maclouiensem.
Briocensem.
Tregorensem.
Leonensem.
Dolensem.

v. Rothomagensis hos habet Suffraganeos.
Baiocensem.
Abricensem.
Ebroicensem.
Sagiensem.
Lixouiensem.
Constantiensem.

vi. Bitvricensis hos habet Suffraganeos.
Claromontensem.
Ruthenensem.
Caturcensem.
Limouicensem.
Mimatensem.
Albigensem.
Aniciensem, qui est domini Papæ.

Bvrdegalensis hos habet Suffraganeos. vii.
Pictauensem.
Xantonensem.
Engolismensem.
Petragoricensem.
Agennensem.

GASCONIA.

Gasconia duas habet Metropoles.

Avxitanvs hos habet Suffraganeos. i.
Aquensem.
Lectorensem.
Episcopatum Conuenarum.
Consuranensem.
Bigornensem.
Adurensem vel Taruiensem.
Olorensem.
Lascurensem.
Basatensem.
Baionensem.

Narbonensis Gasconiæ Archiepiscopus hos habet Suffraganeos. ii.
Carcasonensem.
Biterrensem.
Agathensem.
Lodouensem.
Tolosanum.
Magalonensem.
Nemausensem.
Vticensem.
Elnensem.

BVRGVNDIA.

Bvrgvndia sex habet Metropoles.

Bisvntinvs hos habet Suffraganeos. i.
Basiliensem.
Lausanensem.
Belicensem.

Viennensis Burgundiæ Archiepiscopus & Regni Cancellarius, cuius nummismatis inscriptio est, Maxima sedes Galliarvm, quæ & ipsa carcer dicitur olim fuisse Imperij, vnde Poncium Pilatum à Tyberio damnatum in carcere tenuit, hos habet Suffraganeos. ii.
Valentinum.
Viuariensem.
Diensem.
Gratianopolitanum *.
Maurianensem.
Gebennensem.

* al. Granopolitanum.

Distat autem Gebennensis ciuitas xiv. millibus à capite Lemanni lacus, quē in-

fluit Rodanus, & est inter Alpium iuga situs. De quo in vita Thebæorum legitur: Maximianus Imperator circa Octodorum itinere fessus se tenebat. Legio verò in Agaunensibus angustiis substiterat, quas vulgus Sanctum Mauricium de Chablais nominat. Porro Solodorum, vbi quidam de legione eadem passi sunt, castrum est super Arulam fluuium non longè à Rheno.

III. TARENTASIENSIS hos habet Suffraganeos.
Sedunensem.
Augustensem.

IV. EBREDVNENSIS hos habet Suffraganeos.
Digniensem.
Niciensem.
Antipolitanum.
Glanderensem.
Senetensem.
Venciensem.

AQVENSIS Burgundiæ Archiepiscopus hos habet Suffraganeos. V.
Aptensem.
Regensem.
Foroiuliensem.
Vapincensem.
Cistaricensem.

ARELATENSIS Burgundiæ Archiepiscopus, & caput Regni, hos habet Suffraganeos. VI.
Massiliensem.
Auinionensem.
Aurasicensem.
Vasionensem.
Cauellicensem.
Tricastrinensem.
Carpentoracensem.
Tolonensem.

DESCRIPTIO GALLIARVM.

Ex Chronico Ms. Bernardi Guidonis Ordinis Prædicatorum, Episcopi Luteuensis, qui floruit anno MCCCXX.

GALLIA secundum Hysidorum à candore populi nuncupata est. Galla enim Græcè lac dicitur. Montes enim & rigor cœli ab ea parte Solis ardorem excludunt. quo fit, vt candor corporum non coloretur. Hanc ab Oriente Alpium iuga tuentur, ab Occasu Oceanus includit. A Meridie prærupta Pyrenei, à Septentrione Reni fluenta atque Germania. Cuius initium Belgica, finis Aquitania est. Regio est gleba vberi atque pabulosa, & ad vsum animantium apta: fluminibus quoque & fontibus irrigua, perfusa à duobus magnis Reno & Rodano fluuiis. Belgis autem ciuitas est Galliæ, à qua BELGICA Prouincia dicta est. CISALPINA, quia citra vel circa Alpes. Transalpina trans Alpes contra Septentrionem. REATINA verò, quòd sit iuxta Renum. AQVITANIA autem ex obliquis aquis Ligeris fluminis appellata est, qui ex plurima parte terminus eius est, eámque penè in orbem cingit. Hæc Hysidorus Ethimologiarum Libro xiv. cap. v. * GALLIÆ verò tres ab Historiographis describuntur, quarum vna Gallia Belgica, altera verò Celtica, tertia autem Aquitania nuncupatur.

* al. I.

GALLIA BELGICA habet ab Oriente limitem fluminis Rheni, & Germaniam. Ab Euro verò habet Alpes Apenninas, & à Meridie Prouinciam Narbonensem, & ab Occasu Prouinciam Lugdunensem, & à Circio mare Britannicum. Quicquid enim à Rheno est vsque ad Ligerim Belgico nomini cessit.

IN Gallia Belgica sunt istæ Prouinciæ, Lugdunenses quatuor. Et primæ Prouinciæ Lugdunensium caput est Lugdunum super Ararim fluuium, qui nunc Sagona communiter nuncupatur. Secundæ verò Prouinciæ caput est Senonis super Yonam. Tertiæ verò Prouinciæ est caput Rothomagus super Secanam. Quartæ verò Prouinciæ caput est Turonis super Ligerim. Quæ quatuor Prouinciæ propriis nominibus distinguntur. Nam prima Lugdunensis, secunda Senoniensis, tertia verò Neustria, quarta autem Armorica est. In eadem quoque Gallia Belgica sunt aliæ duæ Prouinciæ, quæ Belgicæ nominantur, videlicet Treuerensis, & Remensis. Item sunt aliæ duæ in Germania, quas Iulius Cæsar sic nominauit, transferens populos de Germania magna, quæ trans Renum est, vt eadem loca inhabitarent. Quarum altera inferior Maguncia, superior verò Agripina, id est Colonia, nominatur. Has octo Prouincias Gallia Belgica tenet.

A GALLIA verò CELTICA eſt, quicquid ab ortu Rodani eodem flumine, vel aquis illic meantibus, vſque in Mediterraneum mare, vel ſi quæ aliæ aquæ ſunt, quæ eodem mari recipiuntur. Sunt itaque in Celtica Gallia iſtæ Prouinciæ. Veſuncium, quæ nunc Biſuncium dicitur, quæ Maxima Sequanorum appellatur. Tarantaſia infra Alpes. Viennenſis ſupra Rodanum. Arelatenſis, quæ & ſecunda Narbonenſis dicitur. Et Narbonenſis prima, quæ etiam Septimania nominatur. Aquenſis Prouincia, & Ebredunenſis. Iſtæ VII. Prouinciæ Celticis addicuntur*. *al. adiciuntur.

AQVITANIA verò tertia pars eſt Galliarum quæ Ligeri flumine ex maxima parte ſui à Septentrione & Oriente circumdatur, & habet tres Prouincias. Quarum prima Bituricenſis, ſecunda Burdegalenſis, tertia verò Nouempopulana appellatur, quæ nunc AVXITANA*, in Vaſconia nominatur. Quam Auxitanam Titus Liuius in XXI. Libro ab vrbe condita, Aquitaniam ſubiectam Pyreneis appellat, quoniam ab eodem monte ab Hiſpania ſeiungitur. Aquitania etiam, exceptis ciuitatibus prædictarum Prouinciarum, habet Turoniam & Tholoſam. Quicquid enim eſt inter Ligerim & Garonam, & Pireneos montes, qui Galliam Hiſpaniámque diſterminant, & vſque Oceanum mare, totum eſt Aquitania, & in partes eius cedit. Vnde Aquitania ſecundum quoſdam dicitur, quia Ligeri & Garona fluminibus, & mari ferè circundatur. Secundum antiquos etiam & Iſidorum Narbonenſis Archiepiſcopus Primati Bituricenſi ſuberat, vt habetur in Decreto, IX. can. q. III. cap. conqueſtus. Sed Karolus Ducatum ponens Narbonæ, B terram vltra Garonam vſque ad Rodanum ei adiunxit. & hæc eſt Prouincia Narbonenſis. Cuius pars Septimania dicitur, à quodam forſitan monte iuxta maris ſtagnum ſito SEPTIMANIA dicta, quæ ab incolis Podium cete, prope ciuitatem Agathenſem vulgariter appellatur. * al. Auxitona.

SVNT itaque decem & octo Prouinciæ Galliarum.

SVNT autem maiora flumina in Gallia, Renus terminus eiuſdem, & Moſa quæ in eundem influit, Secana, & Ligeris, & Garona, quæ in Oceanum, & Rodanus qui in Mediterraneum mare excurrunt. Gallos Lugdunenſes ab Aquitanis Rodanus & Ligeris, à Belgis verò Matrona & Secana fluuij diuidunt.

HAS omnes Prouincias dum FRANCI tranſito Reno occupaſſent, in duas partes diuidentes, illam regionem quæ verſus Septentrionem tendit, & inter Moſam ac Renum eſt, AVSTRIAM vocauerunt. Illam verò, quam Moſa & Ligeris pertingit, ſeu quæ à Moſa vſque ad Ligerim protenditur, NEVSTRIAM, quaſi nouam Auſtriam appellarunt. Pars tamen Galliæ, quam Burgundiones occupauerunt, BVRGVNDIÆ nomen retinuit. Aquitania quoque auitum & antiquum nomen ſuum non eſt dignata mutare. Dicta eſt etiam Aquitania, quòd præ ceteris Galliæ Prouinciis fontibus & torrentibus ſcaturiat.

SCIENDVM eſt etiam, & in hoc loco ſubſcribendum, ex eo quòd de Galliis hîc ſcribitur incidenter, quòd Liguriam, & Emiliam, atque Flaminiam, Prouincias Italiæ, & partem Venetiæ, veteres Hiſtoriographi appellauerunt GALLIAM CISALPINAM. Tradunt ſiquidem antiquæ Hiſtoriæ, quòd ab antiquo C tempore BRENNVS, qui apud vrbem regnabat Senonenſem, cum trecentis milibus Gallorum ad Italiam venit, & eam vſque Senogalliam ciuitatem ſuper mare Adriaticum ſitam occupauit. Et ibi ab inuicem ſeparati ſunt Galli. quorum centum milia Delphos adeuntes Græcorum gladiis perierunt: alia verò centum milia intra Græciam remanentes, primum Gallo-Græci à candore corporis, poſtea autem Galatæ ſunt appellati. Hi ergo ſunt Galathæ, quibus ſcribit Apoſtolus Paulus. Alia verò centum milia in Italia remanſerunt, Ticinúmque, Mediolanum, Pergamum, & Brixiam conſtruentes, Ciſalpinæ Galliæ nomen dederunt. Vnde Gallia Tranſalpina, quæ vltra Alpes habetur, & Gallia Ciſalpina quæ infra Alpes eſt, vocitatur.

LIGVRIA autem eſt Prouincia, in qua ſunt Ciuitates, Mediolanum, Cremona, & Papia, quæ olim vocata eſt Ticinus à flumine Ticino.

EMILIA eſt Prouincia, quæ Pado flumine irrigatur, in qua ſunt Ciuitates, Placentia, Parma, Regium, Mutina, Bononia, & Imola.

FLAMINEA Prouincia eſt Romaniola, in qua ſunt Ciuitates, Rauenna, Ferraria, Adria, Comachium, Cernia, Ariminum, Seſena, Forumpopuli, Forliuium, & Fauentia. HÆC de deſcriptione & diſtinctione Galliarum dicta ſufficiant.

EX NOTITIA VETERI MS.

In Italia Prouinciæ numero XVII.

CAMPANIA, in qua est Capua.
Tuscia & Vmbria, in qua est Roma & Nutia.
Æmilia.
Flamminia, in qua est Rauenna.
Picœnum.
Liguria, in qua est Mediolanum.
Venetia cum Histria, in qua est Aquileia. ipsa est Forum-Iuli.
Cotcia. Alpes Cocicæ *.
Samnium.
Apulia, & Calabria, in qua est Tarētus.
Brutia & Lucania.
Retia prima.
Retia secunda.
Sicilia.
Sardinia.
Corsica.

In Prouincia Liguriensi Ciuitates nu. XX.
Ciuitas Mediolanensium metropolis.
Ciuitas Vigintimiliensium.
Ciuitas Albingensium.
Ciuitas Vuadis.
Ciuitas Genua.
Ciuitas Tartona.
Ciuitas Eboreia.
Ciuitas Taurinis.
Ciuitas Alba.
Ciuitas Astensis.
Ciuitas Aquis.
Ciuitas Vercellis.
Ciuitas Noueria.
Ciuitas Cremona.
Ciuitas Bergamo.
Ciuitas Lauda.
Ciuitas Regio.
Ciuitas Parma.
Ciuitas Brixa.
Ciuitas Curia.

NOTITIA EPISCOPATVVM GALLIÆ.

Ex Cod. Ms. Historiæ Francorum Monasterij S. Dionysij, quæ desinit in morte Regis Philippi III.

TREVERENSIS Metropolis habet III. Suffraganeos.
Metensem.
Tullensem.
Verdunensem.

BVRGVNDIA HABET VI. METROPOLES.
Tarentasiensem.
Bisuntinensem.
Ebredunensem.
Aquenensem *. (* Aquensem.)
Arelatensem.
Viennensem.

Tarentasiensis habet II. *Suffraganeos.*
Sedunensem.
Augustensem.

Bisuntinensis habet III. *Suffraganeos.*
Basiliensem.
Lausanensem.
Belicensem.

Ebredunensis habet VI. *Suffraganeos.*
Dignensem.
Nitiensem.
Antipolitanum.
Glandetensem.
Senecensem.
Ventiensem.

*Aquenensis * habet* V. *Suffraganeos.* (* Aquensis)
Aptensem.
Regensem.
Foroiuliensem.
Vapicensem.
Sistericensem.

Arelatensis habet VII. *Suffraganeos.*
Massiliensem.
Auiniensem.
Aurasicensem.
Vasionensem.
Cabellicensem.

Trisca-

Triſcatinenſem.
Carpentorenſem.

Viennenſis habet VI. *Suffraganeos.*

Valentinenſem.
Viuarienſem.
Dienſem.
Gratiopoliſitanum.
Maurianenſem.
Gebenenſem.

FRANCIA HABET VII. METROPOLES.

Lugdunenſem.
Senonenſem.
Remenſem.
Rothomagenſem.
Turonenſem.
Bituricenſem.
Burdegalenſem.

Lugdunenſis habet IV. *Suffraganeos.*

Maſciconenſem.
Cabilonenſem.
Lingonenſem.
Eduenſem.

Senonenſis habet VII. *Suffraganeos.*

Pariſienſem.
Carnotenſem.
Aurelianenſem.
Niuernenſem.
Autiſiodorenſem.
Trecenſem.
Meldenſem.

Remenſis habet XI. *Suffraganeos.*

Sueſſionenſem.
Cathalaunenſem.
Cameracenſem.
Tornacenſem.
Morinenſem, aliàs Teroanenſem.
Atrabatenſem.
Ambianenſem.
Nouiomenſem.
Siluanectenſem.
Beluacenſem.
Laudunenſem.

Rothomagenſis habet VI. *Suffraganeos.*

Baiocenſem.
Abricenſem.
Ebroicenſem.
Sagienſem.
Lexouienſem.
Conſtantienſem.

Turonenſis habet XI. *Suffraganeos.*

Cenomanenſem.
Redonenſem.
Andegauenſem.
Nannetenſem.
Coriſopitenſem.
Venetenſem.
Maclouienſem.
Briocenſem.
Tregorenſem.
Leonenſem.
Dolenſem.

Bituricenſis habet VI. *Suffraganeos.*

Claromontenſem.
Ruthenenſem.
Caturcenſem.
Lemouicenſem.
Mimatenſem.
Albigenſem.
Anicienſem, ſiue Podienſem, qui eſt domini Papæ.

Burdegalenſis habet V. *Suffraganeos.*

Pictauenſem.
Xantonenſem.
Engoliſmenſem.
Petragorenſem.
Agennenſem.

GASCONIA HABET II. METROPOLES.

Auxitanenſem.
Narbonenſem.

Auxitanenſis habet VIII. *Suffraganeos.*

Aquenſem.
Lectorenſem.
Couenarum.
Conſuranenſem.
Bigorrienſem.
Olerenſem.
Baſatenſem.
Baionenſem.

Narbonenſis habet IX. *Suffraganeos.*

Carcaſſonenſem.
Bitterenſem.
Agatenſem.
Loteuenſem.
Toloſanenſem.
Magalonenſem.
Nemauſenſem.
Vticenſem.
Elnenſem.

NOTITIA ALIA EPISCOPATVVM GALLIÆ.

Scripta paulò post annum MCCCXXII.

Ex membrana veteri, quæ est in Bibl. domini Alex. Petauij.

IN ALAMANNIA SEV GERMANIA.

ARCHIEPISCOPVS Treuerensis hos habet Suffraganeos.

Metensem.
Tullensem.
Virdunensem.

IN BVRGVNDIA, id est IN SABAVDIA.

Archiepiscopus Tarentasiensis hos habet Suffraganeos.

Sedunensem.
Augustensem.

Archiepiscopus Bisuntinus hos habet Suffraganeos.

Basiliensem.
Lausanensem.
Bellicensem.

IN PROVINCIA PROVINCIÆ.

Archiepiscopus Ebredunensis hos habet Suffraganeos.

Dignensem.
Niciensem.
Gracensem.
Senecensem.
Venciensem.
Glandacensem.

Archiepiscopus Arelatensis hos habet Suffraganeos.

Massiliensem.
Tholonensem.
Cauallicensem.
Vasionensem.
Carpentoratensem.
Auinionensem.
Aurasicensem.
Tricastinum.

Archiepiscopus Viennensis hos habet Suffraganeos.

Valentinensem. } coniunctos.
Diensem. }
Viuariensem.
Granopolitanum.
Maurianensem.
Gebennensem.

Archiepiscopus Aquensis hos habet Suffraganeos.

Aptensem.
Foroiuliensem.
Regensem.
Vapincensem.
Cistaricensem.

IN FRANCIA.

Archiepiscopus Lugdunensis hos habet Suffraganeos.

Eduensem.
Matisconensem.
Lingonensem.
Cabilonensem.

Archiepiscopus Senonensis hos habet suffraganeos.

Parisiensem.
Carnotensem.
Aurelianensem.
Niuernensem.
Autisiodorensem.
Trecensem.
Meldensem.

Archiepiscopus Remensis hos habet Suffraganeos.

Suessionensem.
Cathalaunensem.
Cameracensem.
Tornacensem.
Morinensem.
Atrebatensem.

Ambianensem.
Nouiomensem.
Siluanectensem.
Laudunensem.
Beluacensem.

IN NORMANNIA.

Archiepiscopus Rothomagensis hos habet Suffraganeos.

Baiocensem.
Sagiensem.
Abrincensem.
Ebroicensem.
Lexouiensem.
Constanciensem.

Archiepiscopus Turonensis hos habet Suffraganeos.

Cenomanensem.
Redonensem.
Andegauensem.
Nannetensem.
Corisopitensem.
Venetensem.
Maclouiensem.
Briocensem.
Trecorensem.
Leonensem.
Dolensem.

IN AQVITANIA.

Archiepiscopus Bituricensis hos habet Suffraganeos.

Claromontensem.
Ruthenensem.
Caturcensem.
Lemouicensem.
Mimatensem.
Albiensem.
Aniciensem exemptum.
* Sancti Flori, Vabrensem. Tutellensem. } nouiter creatos.

* R. centiere manu.

Archiepiscopus Burdegalensis hos habet Suffraganeos.

Pictauensem.
Xanctonensem.
Engolismensem.
Petragoricensem.
Sarlatensem. Malleacensem. Lucionensem. } nouiter creatos.

IN VASCONIA.

Agennensem.
Condomiensem, nouum.

Archiepiscopus Auxitanus hos habet Suffraganeos.

Aquensem.
Lectorensem.
Conuenarum.
Conseranensem.
Tauruiensem, al. Bigoriensem.
Adurensem.
Olorensem.
Vasatensem.
Baionensem.
Lascurensem.

IN GOTIA SOLA.

Archiepiscopus Narbonensis hos habet Suffraganeos.

Carcasensem.
Elnensem.
Bitarrensem.
Agatensem.
Lodouensem.
Magalonensem.
Nemausensem.
Vticensem.
Sancti Poncij Thomeriarũ. Electensem. } nouos.

Archiepiscopus Tholosanus hos habet Suffraganeos.

Apamiarum.
Mirapicensem. Sancti Pabuli. Montisalbani. Riuensem. Lomberiensem. } creatos nouiter per Papam Iohannem.

 A

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI
IVL. CÆS. FIL.
NOTITIA GALLIÆ.

ANTE tempora Augusti, qui de Imperij Romani Prouinciis scripserunt, in diuisione Galliarum nunquam Prouinciam Narbonensem comprehendunt, quæ intra Alpeis, Iurassum montem, Cebennas, Tarnim fluuium, Garumnam, Pyrenæorum initium, & mare Massilioticum continebatur. Itaque quum apud illos Scriptores Galliarum mentio occurrit, excipe semper Narbonensem, si res gestæ ante Imperium Augusti memorantur. Et quidem vnus omnium Romanorum C. Cæsar, vt Gallias arbitrio armorum subegit, ita etiam suo B illas diuisit in Belgas à Rheno ad Sequanam: hinc ad Garumnam in Celtas: quod reliquum est, intra Garumnam, Pyrenæos, & mare Oceanum, in Aquitanos. Sed hæc tertia pars cum alterutra priorum comparata adeo exigua visa est, vt alia diuisio instituenda fuerit. Itaque Augustus non solùm illam diuisionem castigauit, sed etiam in noua Galliarum diuisione instituenda, etiam Prouinciam Narbonensem complexus est: quicquid intra Alpes, mare Mediterraneum, & Oceanum & Rhenum continetur, vno Galliarum nomine comprehendens. Et quicquid intra illos fines situm est, in decem & septem Prouincias partitus est, Belgicam primam, Belgicam secundam, Germaniam primam, Germaniam secundam, Lugdunenses quatuor, Maximam Sequanorum, Viennensem, Alpeis Graias, & Pœninas, Alpeis Maritimas, Primam Aquitaniam, Secundam Aquitaniam, Nouempopuloniam. Postea Constantinus Magnus institutis quatuor Præfectis Prætorio, duobus in Oriente, totidem in Occidente, alterum Occidentis in vrbe Roma, alterum in vrbe Treuerensi collocauit, qui Præfectus Prætorio Galliarum vocatus fuit. Et quia per occupationes Imperij in illis vrbibus perpetuo hærere illis non licebat, Vicarij aliquot eis attributi sunt, qui eadem potestate Prouinciis Ius redderent. Præfecto igitur Prætorio Galliarum tres Vicarij dati. Primo sedes data Treueris. Secundo Lugduni. Tertio Viennæ. Ita- C que vt horum Vicariorum magna erat auctoritas; ita vrbium quoque, in quibus sedem habebant maxima claritas. Treuerensi Vicario parebant primæ & secundæ Germania & Belgica, & tota Britannia Insula. Lugdunensi quatuor Lugdunenses, cum maxima Sequanorum. Viennensi, primæ & secundæ Narbonensis & Aquitania, Alpeis Graiæ & Pœninæ, Alpes Maritimæ, Nouempopulonia. Totum hoc quod vnius Vicarij Iurisdictioni subiacet, Latini quomodo designarunt non memini: sed Græci ἐξαρχίαν, διοίκησιν, πατριὰν vocant. Regnorum vices multa in hac diuisione immutarunt, sed status Ecclesiasticus, tam in Oriente quàm in Occidente eius integra vestigia hactenus retinuit. Nam ciuitates quæ Prouinciis nomina fecerunt Μητροπόλεις vocant, & si in eis sedes fuerit Vicarij, quem ἔξαρχον dicebant, eas non solùm μητροπόλεις, sed & ἐξαρχίας & Πατριαρχίας nominant: & Præsules earum ἐξάρχους καὶ πατριάρχας, reliquos μητροπολίτας καὶ ἀρχιεπισκόπους, qui sub se ἐπισκόπους tantùm habent: nam οἱ ἔξαρχοι sub se præter ἐπισκόπους, etiam μητροπολίτας habent: μητροπολίται verò tantùm ἐπισκόπους. In Ecclesia Latina Archiepiscoporum & nomen & ius manet, & Iurisdictio canonica in suos Episcopos suffraganeos. Sed ἐξαρχιῶν nulla vestigia exstant: nisi fortè quædam vmbra eius fuerit, quòd Metropolita siue Archiepiscopus Viennensis Primatem Primatum sese appellat. Eo enim ostendit sub se Primates habuisse, qui sub eo essent, Narbonensem Primatem Prouinciæ, Bituricensem

A Primatem Aquitaniæ. Aliter quo modo, & quo iure, Primas Primatum diceretur, nisi ratione Diœceseos Vicarij Viennensis Præfecti Prætorio, qui septem Prouincias sub se habebat, in quibus prima Narbonensis, & prima Aquitania? Quod verò Lugdunensis Primatem se vocari gaudeat, nuperum est, & illi ex beneficio Romani Pontificis indultum: neque tamen adeo nouum est. Nam Guilielmus Brito in sua Philippeide ita canit.

Et Lugdunensis, quo Gallia tota solebat,
Vt fama est, Primate regi.

At Primas Primatum antea dici iure non potuit, quia nullam Primam Prouinciam sub se habebat. Viennensis Primas quidem Primatum vocari vult, sed caussam tam ille, quàm omnis Ecclesia ignorat. Quapropter diuisio Galliarum per Diœceses Ecclesiasticas & Episcopatus, vt omnium antiquissima, ita certissima nobis sequenda erat, neque vlla melior erat quærenda, si integræ illæ ἐξαρχίαι adhuc finibus Regni Francorum continerentur, vt olim sub Carolo Magno, & eius filio & nepotibus. Sed quia ex illo amplissimo Imperio multæ Prouinciæ detractæ sunt, alia nobis tributio instituenda. Galliæ igitur siue Franciæ imperium octo Tribunalibus temperatur, quæ ius reddunt Prouinciis suis, à quibus prouocatio non est, quorúmque & maiestas augustissima est, & auctoritas sacrosancta. *Parlamenta* Galli idiomate suo vocant. Non possumus meliorem nostræ partitionis rationem inire, quàm si in octo hæc Parlamenta omne Francorum Regnū diuidam, B & in ea Prouincias suas. Per Prouincias autem, non vt hodie à Regibus instituuntur, quia quot Reges, tot mutationes Prouinciarum & nomina, aut regimina eorum oriuntur. Sed per Diœceses Ecclesiasticas & Episcopatus procedet diuisio nostra: quia hoc modo non discedemus à prisca Romani imperij Notitia. Quòd si quidam noui Episcopi instituti sunt, aut Metropolitæ, hoc non nocet veteri Romanæ dispositioni: modò constet vnde illi Episcopatus abscissi sint. Nam certum est, quum Episcopatus noui instituuntur, veteres minui tantum, quantum ex illis abscissum in nouam Diœcesim confertur. Vetustissimum igitur Tribunal Parisiense est, idque primò vnicum in Regno fuit, & reliqua ad eius exemplum posterioribus temporibus instituta.

SVB PARISIENSI PARLAMENTO Diœceses sunt xxx. in his

Archiepiscopatus v. Episcopatus xxv.

Metropoles siue Archiepiscopatus v.

I. Remensis, Dux & primus Par Franciæ. Secunda Belgica, olim Durocortorum Remorum: vulgo *Reims*.

C II. Senonensis, Agendicum Senonum; Quarta Lugdunensis. *Sens*.

III. Bituricensis. Primas Aquitaniæ. Auaricum Biturigum Cuborum. Prima Aquitania. *Bourges*. in Decreto Gratiani vocatur *Patriarcha*; & aliquando legimus hunc titulum ipsos Bituricenses Præsules vsurpare. Sed Foro-Iuliensis Episcopus ipse quoque vocatur *Patriarcha*, in vetustissimis Annalibus Franciæ, *Paulinus Patriarcha Foroiuliensis obiit*.

IV. Turonensis. Tertia Lugdunensis. *Tours*. Cæsarodunum Turonum. In Ptolemæo malè excusum est Τυρύπιοι pro Τυρόνιοι.

V. Lugdunensis. Lugdunum Segusianorum. Prima Lugdunensis. *Lion*. Hodie Primatus Cleri Gallicani.

Episcopatus xxv.

Episcopatus VIII. *Suffraganei Remensi Metropolitæ, siue Archiepiscopo.*

I. Laudunensis, Dux & Par Franciæ, olim Laudunum Clauatum: vulgo *Laon*.

II. Catalaunensis Comes & Par Franciæ, *Chaalon*.

III. Suessionensis, olim Augusta Suessonum. *Suessons*.

IV. Morinensis. Teroana Morinorum. Retinet nomen quanquam deleta à Carolo V. Eius Episcopalis sedes Bononiam translata, vbi est Nauale veteribus *Gessoriacus* dictum.

v. Ambianensis. Samarobrina Ambianorum. *Amiens*. A
vi. Nouiomagensis. Comes & Par Franciæ. *Noion*. Nouiomagus Vadicassium, Ptolemæo.
vii. Siluanectensis. *Senlis*. Siluanectum.
viii. Belouacensis. Cæsaromagus Belouacorum. Comes & Par Franciæ. *Beauuais*.

Episcopatus vii. *sub Metropoli Senonensi.*

ix. Parisiensis. Lutetia Parisiorum. *Paris*. Caput totius Francorum Regni.
x. Carnutensis. Aictricum Carnutum. *Chartres*.
xi. Aurelianensis. Genabum Aurelianorum. *Orleans*. Inepte vocant *Aureliam*. Temporibus C. Cæsaris hæc vrbs Carnutibus accensebatur, & Aictrico parebat.
xii. Niuernensis. Nouiodunum Niuernensium. *Neuers*.
xiii. Autissiodorensis. Autissiodorum. *Aufserre*.
xiv. Tricassensis. Augustobona Tricassium. *Troyes en Champagne*. vulgo Ecclesiastico *Tresses*, corrupte, vt Nouiomus pro Nouiomagus.
xv. Meldensis. Latinum Medorum. *Meaux*.

Episcopatus iv. *sub Metropoli Burdigalensi.*

xvi. Pictauiensis. Augustoritum Pictonum. *Poitiers*.
xvii. Maleacensis. Nouus Episcopatus ex Monasterio delibatus ex Diocesi Pictauiensi. *Maillezés*. B
xviii. Luxonensis. *Lusson*. Nouus Episcopatus ex Monasterio, detractus ex Pictauiensi.
xix. Enculismensis. *Engoulesme*. Ausonio *Eculisma*.

Episcopatus ii. *sub Metropoli Turonensi.*

xx. Andegauensis. *Angers*. Iuliomagus Andicauorum. in Ptolemæo excusum est ὧν διχαύων pro Ανδικαύων.
xxi. Cenomanensis. *Le Mans*. Vindicum Aureliorum Cenomanorum.

Episcopatus ii. *sub Metropoli Bituricensi.*

xxii. Claromontensis. *Clermont*. Augusto-Nemetum Aluernorum. Sidonio eius vrbis Episcopo dicitur tantum *Aluernum*.
xxiii. Sancti Flori. *Sainct Flour*. Nouus Episcopatus delibatus ex Claromontensi.

Episcopatus ii. *sub Metropoli Lugdunensi.*

xxiv. Lingonensis. *Langres*. Dux & Par Franciæ. Andomatunum Lingonum.
xxv. Matisconensis. *Mascon*. Matisco Eduorum. Cæsar in extremo Commentario. C

TRIBVNAL TOLOSANVM AMPLISSIMVM, institutum à Rege Carolo VII. habet sub se Dioceses xxxi. in his

Archiepiscopatus iii. Episcopatus xxxix.

Metropoles siue Archiepiscopatus iii.

i. Narbonensis. *Narbone*. Narbo Martius. Prima Narbonensis, secunda Viennensis.
ii. Auscensis. *Auch*. Augusta Auscorum. Nouempopuli. Ciuitas Nouempopulonia. Inepte vulgo Ecclesiastico *Auxitanus Archiepiscopus*, pro *Ausciorum* aut *Auscorum*.
iii. Tolosanus. *Tolose*. Noua Metropolis detracta Metropoli Narbonensi; Nouempopuli, quibus nominata est, sunt hi: Conuenæ, Consaranni, Bigerrones, Lactoratenses, Vasates, Oloronenses, Lascarienses, Tarbelli, Atirenses. Nam Lapurdenses comprehenduntur sub Tarbellis.

A

Episcopatus XXVIII.

Episcopatus IX. *sub Metropoli Narbonensi.*

I. Nemausensis. Nemausus Volcarum Arecomicorum. *Nismes.*
II. Vcetiensis. *Vsets.* Vcetensium ciuitas.
III. Luteuensis. Luteua. *Lodeue.*
IV. Sancti Pontij Tomeriarum. *Sainct Pons de Tomiers.*
V. Aletensis. *Alet.* pro quo in Decreto & Decretalibus aliquando perperam editum est, *Arelatensis.* ciuitas Aletensium.
VI. Magalonensis. *Mompelier.* ab insula Magalone, vbi prius fuit sedes Episcopalis, in Volcis Arecomicis.
VII. Bitierensis. *Besiers.* Bitieræ, aut Biteræ Septimanorum in Arecomicis. Ptolemæo Βαιτέραι.
VIII. Agathensis. *Agde.* Ἀγαθὴ τύχη. à Massiliensibus Græcis condita in Volcis Arecomicis.
IX. Carcassonensis. *Carcassone.* Carcasso Volcarum Tectosagum.

Episcopatus VII. *sub Metropoli Bituricensi.*

B X. Mimatensis. *Mende.* Vicus Mimates Gabalorum, vel Gabalitanorum, *Mende de Giuauldan.* Nam syllabam GA, primam in vocibus, Galli mutant in GI. Gabalitanum, *Giuauldan.* Gabalum, *Gibet.* Garumna, *Gironde.* quam etiam *Gerunnam* vocat Guil. Brito in sua Philippeide.

Quum post retrofluum pelago crescente Gerunnam.

XI. Castrensis. *Castres.* Nouus Episcopatus.
XII. Albigensis, *Alby.* ciuitas Albigensium.
XIII. Aniciensis. *Le Puy en Velay,* ciuitas Velaunorum.
XIV. Rutenensis. *Rodés.* Segodunum Rutenorum.
XV. Vabrensis. *Vabres.* Nouus Episcopatus ex Monasterio, abscissus à Rutenensi.
XVI. Cadurcensis. *Caors.* Diuona Cadurcorum.

Episcopatus VII. *noui sub Metropoli noua Tolosa, ex Monasteriis, detracti de diuersis, partim singuli de singulis, partim singuli de pluribus.*

XVII. Apamiensis. *Pamiés.*
XVIII. Mirapicensis. *Mirepoix.*
XIX. Sancti Papuli. *Sainct Papol.*
XX. Montalbanensis. *Montaulban. Sainct Theodard de Montaulban.*
XXI. Vaurensis. *La Vaur.*
C XXII. Riuensis. *Rieus.* Riui. Riuense Monasterium.
XXIII. Lombariensis. *Lombés.* Lombariense Monasterium.

Episcopatus IV. *sub Metropoli Auscorum.*

XXIV. Conuenensis, *Sainct Bertrand de Comenge.* Lugdunum Conuenarum, olim ab exercitu Gunthranni Regis dirutum, & ex eius ruinis Sancti Bertrandi Fanum in valle Capraria constructum.
XXV. Consarannensis, *Sainct Legier de Conserans.* Ciuitas Consarannorum.
XXVI. Tarbensis. *Tarbe.* Tarba Bigerronum. in Notitia Prouinciarum Galliæ malè editum *Turba.*
XXVII. Lactoratensis. *Laictoure.*

Episcopatus vnicus sub Metropoli Viennensi.

XXVIII. Viuariensis. Castrum Viuario Albensium, vel Eluensium. *Viuiers.* Apud Cæsarem hactenus omnes interpretati sunt, *Albigenses.* At Albigenses sunt in Aquitania ad flumen Tarnim. Albienses vel Eluienses ad Rhodanum. in Notitia Prouinciarum Galliæ sub Prouincia Viennensi prima: *Ciuitas Albensium, hoc est Belisio.* Ridiculum est. Nam scripti libri habent. *Ciuitas Albensium, nunc Viuario.* Cæsar profecturus in Gallias per Albenses transiuit in finibus Prouin-

ciæ Romanorum. Atqui, vt diximus, Albigenses non erant in Prouincia Romana. Apud Plinium, *Alba Heluiorum* est, quæ hodie *Aubenas* vocatur in Viuariensi Diœcesi. Ptolemæo Ἀλβαύγουστα Ἐλυικῶν, vocat *Helicocios*, quos Latini, *Heluios*. Aubenas autem est nomen pluralis numeri, Albanates, vt à Tolosa Tolosates, à Nola Nolates, in veteri Inscriptione. A

GRATIANOPOLITANVM TRIBVNAL à Carolo VII. institutum septennio postquam Tolosanum institutum, vulgò Parlamentum Delphinatus. habet Diœceses VII. in his

Archiepiscopatus II. Episcopatus V.

Metropoles siue Archiepiscopatus II.

I. Viennensis. *Vienne*. Vienna Allobrogum. Prima Viennensis.
II. Ebrodunensis. *Ambrun*. Ebrodunum Alpium Maritimarum. Quarta Viennensis. Ebrodunum Caturigum. Aliud est Ebrodunum in finibus Heluetiorum, *Iuerdun*.

Episcopatus V. B

Episcopatus III. *sub Metropoli Viennensi.*

I. Valentinus. *Valence*. Valentia Segalaunorum, non autem Cauarum, vt est apud Plinium.
II. Diensis. *Die*. Augusta Dia Vocontiorum in vet. inscriptione. Hæ duæ Diœceses ab vno Episcopo reguntur. & tamen separatæ sunt, neque altera alterius iura vsurpat. In aliis Codd. dicitur DEA non DIA. & in Notitia Prouinciarum ex vestigiis priscæ lectionis videmur odorari *Ciuitas Deensium*, vbi hodie vitiosè excusum. *Ciuitas Athensium*. Et omnino *Deensium* legendum, vt diximus; quia alioquin hæc ciuitas desideraretur.
III. Gratianopolitanus. *Grainople*: à Gratiano Imperatore ita dicta, quum antea Cularo vocaretur, vt in duabus egregiis Inscriptionibus legimus. In epist. Planci ad Ciceronem, quæ incipit, *Nunquam mehercule*, in fine, ita editum vulgò. *Octauo Eidus Iunias Ciuarone in finibus Allobrogum*. vbi legendum *Cularone*. in Notitia Imperij ita excusum est. *In Prouincia Gallia Riparensi, Tribunus cohortis primæ Flauiæ Sapaudiæ Calarone*. vbi legendum quoque *Cularonæ* aut *Cularone*. Gratianopolis igitur est sedes amplissimi Senatus Delphinatensis ad flumen Isaram sita, cuius fluminis non semel meminit Plancus ad Ciceronem. Territorium illius vrbis, vel potiùs ager suburbicarius vocatur *Graisiuouldan* à vulgo Delphinatium, voce corrupta ex Gratianopolitano. C

Episcopatus vnus sub noua Metropoli Arelatensi.

IV. Tricastinensis. *Sainct Antony de Tricastin*. Augusta Tricastinorum, aliam ciuitatem ponit Ptolemæus, *Iuliomagum Tricastinorum*.

Episcopatus vnus sub Metropoli Aquensi.

V. Vapincensis, *Gap*. Vapingum. Territorium dicitur *Gapençois*.

TRIBVNAL BVRDIGALENSE INSTITVTVM primò à Carolo VII. annis IV. post Tolosanum. Quum autem per populares factionis Anglicæ rebellassent Burdigalenses, armis iterum à Carolo Burdigala recepta mutilati sunt priuilegiis suis, & Tribunali, & à decuria Senatus Parisiensis tamdiu recti sunt, donec Ludouicus XI. iterum Tribunal restituit. Hinc factum, vt Senatus Burdigalensis, qui antea tempore Gratia-

A nopolitanum antecedebat, nunc posterior fit. Est quartus in ordine supremorum Senatuum Galliæ. Habet sub se

Archiepiscopatus I. Episcopatus XI.

Metropolis vel Archiepiscopatus I.

I. Burdigalensis. *Bourdeaux*. Burdigala Biturigum Viuiscorum. Secunda Aquitania.

Episcopatus IV. *sub Metropoli Auscorum.*

I. Baionensis. *Baionne*. Baiona Lapurdensium in Tarbellis. Nam totus ille tractus syrtium, quas *Landas* vocant, dicitur *Lapurdum*, Sidonio. Hodie *Labord.*

II. Aquensis. *Aqs*. Aquæ Tarbellicæ, Aquæ Tarbellorum.

III. Vasatensis. *Basats*. Vasconicè B. pro V. Cossio Vasatum.

IV. Adurensis *Aire*. Atyrensium ciuitas, vel Aturensium, à flumine Atyro vel Aturo, vide lectiones Ausonianas.

Episcopatus V. *sub Metropoli Burdigalensi.*

V. Xantonensis, *Saintonge*. Mediolanum Xantonum, vel Santonum.

VI. Petrocoriensis. *Perigueux*. Vesuna Petrocoriorum. Etiam hodie vetus opidum illius ciuitatis vocatur Vesuna: & turris vetustissimæ structuræ.

B

VII. Sarlatensis. *Sarlat*. Nouus Episcopatus, detractus Petrocoriensi.

VIII. Aginnensis. *Agen*. Aginnum Nitiobrigum. in Plinio malè excusum *Antobroges, Tarneg amne discreti à Tolosanis*. Legendum enim, *Nitiobriges Tarne amne*. Vide lectiones Ausonianas. In libro Hieronymi de claris Scriptoribus dicitur *Agennum*, vt vulgo, sed Ptolemæo & Ausonio *Aginnum*, per *i*.

IX. Condomiensis, *Condom*. Nouus Episcopatus in pago Aginnensi vltra Garumnam, ex Monasterio, delibatus de Aginnensi.

Episcopatus II. *sub Metropoli Bituricensi.*

X. Lemouicensis. *Limoges*. Ratiastum Lemouicum.

XI. Tutelensis, *Tulle*. Nouus Episcopatus ex Monasterio, deminutus de Lemouicensi.

TRIBVNAL AQVENSE INSTITVTVM à Ludouico XII. sub eo sunt Diœceses XIII. in his

Archiepiscopatus II. Episcopatus XI.

Metropoles siue Archiepiscopatus III.

C

I. Aquensis *Aix*. Aquæ Sextiæ Saliorum. Secunda Narbonensis. Tertia Viennensis. Sedes Parlamenti.

II. Arelatensis, *Arles*. Arelate Saliorum. Arelate Sextanorum. Noua Metropolis, neque mihi constat, quando instituta. Nam ante trecentos annos erat sub Viennensi.

Episcopatus XI.

Episcopatus V. *sub Metropoli Ebredunensi.*

I. Diniensis. *Dine*. Dinia Sentiorum, aut Ebroduntiorum.

II. Grassensis. *Grasse.*

III. Glandatensis. *Glandeue*. Glannate.

IV. Sanitiensis. *Senas*. Sanitium Vesdiantiorum in Alpibus Maritimis.

V. Ventiensis. *Sainct Paul de Vences*. Ventium Nerusiorum in Alpibus Maritimis.

Episcopatus IV. *sub Metropoli Aquensi.*

VI. Aptensis. *Apt*. Apta Iulia Vulgiensium. malè *Athensium* in Notitia Prouinc. pro *Aptensium*.

VII. Reienſis. *Riés.* Malè apud Sidonium & alios *Regienſis*. Ciuitas Reienſium.

VIII. Foroiulienſis, *Feriuls*, Forum Iulium, Octauanorum Colonia, Pacenſis, Claſſica.

IX. Ceſteronenſis. *Ciſteron.* Ciſtero. Excuſum tamen *Ceſſero*, in Notitia Prouinciarum. Segeſtoriorum Ciuitas.

Epiſcopatus II. *ſub noua Metropoli Arelatenſi.*

X. Maſſilia, *Marſeille.* vrbs Græcorum Phocæenſium.

XI. Telonenſis, *Tolon.* Telonum.

TRIBVNAL DIVIONENSE INSTITVTVM à Ludouico XII. ſub eo duo Epiſcopatus. *Diuio Caſtrum* vocatur in Martyrologiis vetuſtiſſimis.

Epiſcopatus II. *ſub Metropoli Lugdunenſi.*

I. Auguſtodunenſis. *Auſtun.* Auguſtodunum Eduorum.

II. Cabillonenſis, *Challon ſur Saone.* ita ſcribi debet Gallicè, non *Chaallon.* Nam hoc eſt Catalaunum. Caballinum, vel Caballionum Eduorum.

TRIBVNAL ROTOMAGENSE INSTITVTVM à Ludouico XII. ſub quo Diœceſes VII. quarum Archiepiſcopatus I. Epiſcopatus VI. B

Metropolis ſiue Archiepiſcopatus I.

I. Rotomagenſis. *Roüen.* Rotomagus Venellocaſſium. Secunda Lugdunenſis. Sedes ampliſſimi Senatus Normanniæ.

Epiſcopatus VI. *ſub Metropoli Rotomagenſi.*

I. Abrincantenſis. *Aurenches.* Ingena Abrincantorum.

II. Ebroicenſis. *Eureux.* Mediolanum Aulercorum Eburouicum.

III. Baiocenſis, *Baieux.* Baiocaſſes.

IV. Saienſis, *Sais.* Saiorum ciuitas.

V. Conſtantienſis, *Contances.* Conſtantia.

VI. Lexouienſis, *Liſieus.*

TRIBVNAL REDONENSE IN BRITONIBVS Aremoricis inſtitutum ab Henrico II. memoria noſtra, ſub eo ſunt Diœceſes IX. omnes Epiſcopatus ſub Metropoli Turonenſi: C

I. Briocenſis, *Sainct Brieu.*

II. Machlouienſis, *Sainct Malo.*

III. Leonenſis, *Sainct Paul de Leon.*

IV. Nannetenſis, *Nantes.* Condiuienum Nannetum.

V. Venetenſis, *Vannes.* Veneti ſatis noti Commentariis C. Cæſaris.

VI. Tricorienſis, *Triguier. Landtriguier.*

VII. Curoſopitenſis. *Cornouaille.*

VIII. Dolenſis. *Dol.* Hic Epiſcopatus habet Ius Pallij, & ideo locum habet inter Archiepiſcopos.

IX. Rhedonenſis. *Renes.* Condate Redonum. Sedes Parlamenti Britanniæ Aremoricæ.

Atque hi quidem ſunt VIII. ampliſſimi Senatus Franciæ. Sed accreuit ditioni Regis Franciæ Senatus ſupremus Benearnenſis, Chriſtianiſſimo Henrico Rego

A Nauarræ capessente sceptrum Regni Franciæ iure successorio. Tamen Benearnensis Principatus semper separatus fuit à ditione Francorum, & eodem iure fuit, quo Regnum, quod est optimo maximo iure, id est nulli ditioni subditum.

BENEARNENSE TRIBVNAL AB HENRICO Rege Nauarræ Christianissimi Henrici IV. auo materno institutum in Castro Palo. sub eo sunt Diœceses II. Vterque Episcopatus, sub Metropoli Auscorum.

I. Lascariensis. *Lescar.* ciuitas Lascariensium.
II. Oloronensis. *Olcron.* Oloronensis ciuitas.

TRIBVNAL MEDIOMATRICIS VRBIS, habet Diœceses III. Omnes sub Metropoli Treuerensi.

I. Mettensis. *Mets.* Diuiodunum Mediomatricum. Olim sedes Regni Lotaringiæ. Luitprandus. *Metensem vrbem, quæ potentissima in Regno Lotarij claret.* Regnum Lotarij: Lotar-riick. Lotaringiam vocant.
B
II. Tullensis, *Toul.* Tullum Leucorum.
III. Virdunensis. *Verdun.* Verodunum. in veteribus Conciliis Gallicanis aliquando Episcopus *Veronensis*, perperam legitur, pro *Verodunensis.* Alij Verdunum scribunt.

Igitur hodie sub ditione Christianissimi Francorum Regis sunt Diœceses CXVI. in quibus CII. Episcopatus. XIV. Archiepiscopatus. Quia igitur nulli fines Prouinciarum certi sunt, Regibus pro arbitrio omnia mutantibus, ideo nobis hæc tributio omnium expeditissima visa est, quam iure sequuti sumus.

Præter Diœceses CXVI. quæ hodie sub ditione sunt Regis Francorum, aliæ V. sunt intra fines imperij Gallicani, & tamen sunt extra ditionem Francorum: quatuor nempe in Comitatu Venitiæ, id est Auenionensi: & vna extra Comitatum.

COMITATVS AVENIONENSIS SIVE Venitiæ Diœceses habet IV. sub ditione Pontificis Romani. in quibus

C

Archiepiscopatus I. Episcopatus III.

Metropolis siue Archiepiscopatus I.

I. Auenio. Metropolis noua, *Auignon.* Auenio Cauarum. Pontifices Romani instituerunt hanc Metropolim, quum antea suffragaretur Viennæ, vt & tres reliquæ ciuitates.

Episcopatus III. *sub Metropoli Auenionensi.*

I. Carpentoractensis. *Carpentras.* Carpentoracte Meminorum.
II. Cabillionensis. *Cauaillon du Contat.* Cabillio Cauarum, Colonia.
III. Vasionensis. *Vaison.* Vasio Vocontiorum.

Extra Comitatum Auenionensem Episcopatus est.

Arausionensis, *Orange*, *Aurange* indigenis, vulgo ineptè Aurasio & Auraica: Arausio Cauarum. Hic Principatus habet hodie proprium Dynastam seu Principem ex gente illustrissima Nassavvia.

Quia verò initio huius Diatribæ mentionem fecimus quas in XVII. Prouincias Augustum tribuisse monuimus, non possumus sine piaculo ipsas Prouincias

transire, partim vt eam diuisionem proponeremus, partim vt Notitiam earum A
Prouinciarum, quæ mirificè deprauata circunfertur, ex veteribus Codicibus emendatam posteritati daremus. Scito quicquid discrepat ab excusis, id à scripta lectione esse.

NOTITIA PROVINCIARVM GALLIÆ.

PROVINCIA LVGDVNENSIS PRIMA.

METROPOLIS. Ciuitas Lugdunensium, *l'Archeueschè de Lion.*
Ciuitas Eduorum, hoc est Augustodunum, *l'Eueschè d'Austun.*
Ciuitas Lingonum, *l'Eueschè de Langres.*
Castrum Matisconense, *l'Eueschè de Mascon.*
Castrum Caballionense, *l'Eueschè de Challon sur Saosne.*

PROVINCIA LVGDVNENSIS SECVNDA.

Metropolis. Ciuitas Rotomagensium, *l'Archeueschè de Roüen.* B
Ciuitas Baiocassium, *l'Eueschè de Bayeux.*
Ciuitas Abrincantorum, *l'Eueschè d'Auranches.*
Ciuitas Ebroicorum, *l'Eueschè d'Eureux.*
Ciuitas Saiorum, *l'Eueschè de Ses, ou Sais.*
Ciuitas Lexouiorum, *l'Eueschè de Lisieus.*
Ciuitas Constantiensium, *l'Eueschè de Contances.*

PROVINCIA LVGDVNENSIS TERTIA.

Metropolis Ciuitas Turonorum, *l'Archeueschè de Tours.*
Ciuitas Cennomannorum, *l'Eueschè du Mans.*
Ciuitas Redonum, *l'Eueschè de Renes.*
Ciuitas Andegauorum, *l'Eueschè d'Angiers.*
Ciuitas Nannetum, *l'Eueschè de Nantes.*
Ciuitas Curosopitorum, *l'Eueschè de Cornouaille.*
Ciuitas Ciantium, id est Venetorum, *l'Eueschè de Vennes, ou Vannes.*
Ciuitas Osismiorum.
Ciuitas Diablintum, id est Carifes.

PROVINCIA LVGDVNENSIS QVARTA. C

Metropolis. Ciuitas Senonum, *l'Archeueschè de Sens.*
Ciuitas Carnotum, *l'Eueschè de Chartres.*
Ciuitas Autisiodorum, *l'Eueschè d'Auxerre.*
Ciuitas Trecassium, *l'Eueschè de Trois.*
Ciuitas Aurelianorum, *l'Eueschè d'Orleans.*
Ciuitas Parisiorum, *l'Eueschè de Paris.*
Ciuitas Meldorum, *l'Eueschè de Meaux.*

PROVINCIA LVGDVNENSIS QVINTA.

Metropolis. Ciuitas Crispolinorum, id est Vesuntio, *l'Archeueschè de Besançon.*
Ciuitas Equestrium, id est Neuidunum, *la ville de Nion, entre Geneue & Lausanne.*
Ciuitas Eluicorum, id est Auenticum, *Auanches.*
Ciuitas Basiliensium.
Castrum Viridunense.
Castrum Ebrodunense.
Castrum Argentariense.
Castrum Rauricense.
Portus Abucina.

PRO-

A

PROVINCIA BELGICA PRIMA.

Metropolis. Ciuitas Treuerorum, *l'Archeuesché de Treues.*
Ciuitas Mediomatricum, hoc est Metis, *l'Euesché de Mets.*
Ciuitas Leucorum, id est Tullo, *l'Euesché de Toul.*
Ciuitas Verdonensium, *l'Euesché de Verdun.*

PROVINCIA BELGICA SECVNDA.

Metropolis. Ciuitas Remorum, *L'Archeuesché de Reims.*
Ciuitas Suessonum, *l'Euesché de Soissons.*
Ciuitas Catalaunorum, *l'Euesché de Chaallon.*
Ciuitas Veromanduorum, *La ville de Sainct Quentin en Vermandois.*
Ciuitas Atrebatum, *l'Euesché d'Arras.*
Ciuitas Cameracensium, *l'Euesché de Cambray.*
Ciuitas Tornacensium, *l'Euesché de Tournay.*
Ciuitas Siluanectum, *l'Euesché de Senlis.*
Ciuitas Bellouacorum, *l'Euesché de Beauuais.*
Ciuitas Ambianensium, *l'Euesché d'Amiens.*
Ciuitas Morinorum, id est Ponticum, *l'Euesché de Terouane.*
B Ciuitas Bononiensium, *la ville de Bouloigne sur mer.*

PROVINCIA GERMANIA PRIMA,

Metropolis. Ciuitas Magontiacensium.
Ciuitas Argentoratensium. Stratiburgo.
Ciuitas Nemetum, id est Spira.
Ciuitas Vvangionum, id est Vvarmacia.

PROVINCIA GERMANIA SECVNDA.

Metropolis. Ciuitas Agripinensium, hoc est Colonia.
Ciuitas Tungrorum, *la ville de Tungres.*

PROVINCIA VIENNENSIS PRIMA.

Metropolis. Ciuitas Viennensium, *l'Archeuesché de Vienne.*
Ciuitas Geneuensium, *l'Euesché de Geneue.*
Ciuitas Gratianopolitanorum, *l'Euesché de Grainople.*
Ciuitas Albensium, nunc Viuario, *l'Euesché de Viuiers.*
Ciuitas Deensium, *l'Euesché de Die.*
Ciuitas Valentinorum, *l'Euesché de Valence.*
C Ciuitas Tricastinorum, *l'Euesché de Sainct Antoni de Tricastin.*
Ciuitas Vasionensium, *l'Euesché de Vaison.*
Ciuitas Arausicorum, *l'Euesché d'Aurange.*
Ciuitas Carpentoractensium, nunc Vindausica, *l'Euesché de Carpentras.*
Ciuitas Caballicorum, *l'Euesché de Cabaillon.*
Ciuitas Auennicorum, *l'Archeuesché d'Auignon.*
Ciuitas Arelatensium, *l'Archeuesché d'Arles.*

PROVINCIA VIENNENSIS SECVNDA.

Metropolis. Ciuitas Narbonensium, *l'Archeuesché de Narbonne.*
Ciuitas Tolosatium, *l'Archeuesché de Tolose.*
Ciuitas Agathensium, *l'Euesché d'Agde.*
Ciuitas Aletensium, *l'Euesché d'Alet.*
Ciuitas Beteriensium, *l'Euesché de Beziers.*
Ciuitas Magalonensium, *l'Euesché de Magalone, ou Mompelier.*
Ciuitas Nemausensium, *l'Euesché de Nismes.*
Castrum Luteua, *l'Euesché de Lodeue.*
Castrum Vcetiense, *l'Euesché d'Vsets.*

PROVINCIA VIENNENSIS TERTIA.

A

Metropolis. Ciuitas Aquensium, *l'Archeuesché d'Aix.*
Ciuitas Reiensium, id est Reius, *l'Euesché de Riés.*
Ciuitas Aptensium, *l'Euesché d'Apt.*
Ciuitas Foroiuliensium, *l'Euesché de Ferieuls.*
Ciuitas Vapincensium, *l'Euesché de Gap.*
Ciuitas Segestoriorum, *l'Euesché de Sisteron.*
Ciuitas Antipolitana, *La ville d'Antibe, ou Antibol.*

PROVINCIA VIENNENSIS QVARTA,

In Alpibus Maritimis.

Metropolis. Ciuitas Ebrodunensium, *l'Archeuesché d'Ambrun.*
Ciuitas Diniensium, *l'Euesché de Dine.*
Ciuitas Rigomagensium.
Ciuitas Sollinienſium.
Ciuitas Saniciensium, id est Sanici, *l'Euesché de Senas.*
Ciuitas Glannatena, *l'Euesché de Glandeués.*
Ciuitas Cemelenensium.
Ciuitas Venciensium, *l'Euesché de Sainct Paul de Vences.*

B

PROVINCIA VIENNENSIS QVINTA,

Alpium Graiarum Peninarum.

Metropolis. Ciuitas Centronum, id est Tarantesia, *l'Archeuesché de Tarantaise.*
Ciuitas Vallensium, id est Octodurum, *Sainct Mauris.*

PROVINCIA AQVITANIA PRIMA,

Sexta Viennensis.

Metropolis. Ciuitas Bituricum vel Betorigorum, *l'Archeuesché de Bourges.*
Ciuitas Aruernorum, *l'Euesché de Clermont en Auuergne.*
Ciuitas Rutenorum, *l'Euesché de Rodés, ou Rodais.*
Ciuitas Albigensium, *l'Euesché d'Albi.*
Ciuitas Cadurcorum, *l'Euesché de Caors.*
Ciuitas Lemouicum, *l'Euesché de Limoges.*
Ciuitas Gabalorum, *le Pais de Giuauldan.*
Ciuitas Velaunorum, *le Pais de Velay.*

C

PROVINCIA AQVITANIA SECVNDA,

Septima Viennensis.

Metropolis. Ciuitas Burdegalensium, *l'Archeuesché de Bourdeaux.*
Ciuitas Agennensium, *l'Euesché d'Agen.*
Ciuitas Ecolismensium, *l'Euesché d'Engoulesme.*
Ciuitas Sanctonum, *l'Euesché de Sainctes.*
Ciuitas Pictauorum vel Pectauorum, *l'Euesché de Poitiers.*
Ciuitas Petrogoriorum, *l'Euesché de Perigueux.*

PROVINCIA AQVITANIA TERTIA.

NOVEMPOPVLANA.

Octaua Viennensis.

Metropolis. Ciuitas Ausciorum, *l'Archeuesché d'Auch.*
Ciuitas Aquensium, *l'Euesché d'Aqs.*

A Ciuitas Lacturatium, vel Lastoracium, *l'Eueſché de Laictoure.*
Ciuitas Conuenas, *l'Eueſché de Cominges.*
Ciuitas Consarannorum, vel Consorannorum, *l'Eueſché de Couſerans.*
Ciuitas Boatum, id est Boius, *le Pais de Buchs.*
Ciuitas Benearnensium, id est Benearnus, *le Pais de Bearn.*
Ciuitas Aturensium, *l'Eueſché d'Aire.*
Ciuitas Vasatica, *l'Eueſché de Baſats.*
Ciuitas Tarba, vel castrum Begorra, *l'Eueſché de Tarbe de Bigorre.*
Ciuitas Eloronensium, *l'Eueſché d'Oleron en Bearn.*
Ciuitas Elusatium, *la Ville & Pais d'Euſe en Gaſcogne.*

Hæ sunt XVII. Prouinciæ in quas Augustus Cæsar Gallias diuisit, & in quibus Constantinus Magnus alia officia & magistratus constituit. Prouincia aliquando dicitur Diœcesis: Episcopatus autem, qui in ea continentur, aliquando etiam dicuntur Parochiæ. in Proclamatione Caroli Calui, *Tullenſis Parochia* pro Episcopatu, aut vrbe ipsa Episcopali, positum est.

B QVAEDAM LOCA IN C. IVLII CÆSARIS COMMENTARIIS DISCVSSA.

MVLTA sunt in Commentariis Belli Gallici apud C. Cæsarem, quæ nondum explorata sunt, multa etiam quæ malè ad veteres appellationes relata, quæ nos castiganda suscepimus. Obscuritatem enim peperit duplex appellatio locorum apud veteres, vt Scaldis & Tabuda idem est. Phrudis & Sumina, *La riuiere de Somme*, Obrinca & Mosella; Araris & Sagona, Bratuspantium & Cæsaromagus, *La ville de Beauuais.* Bononia maritima & Gessoriacus. Item nomina Populorum pro ipsa vrbe, vt Parisij pro Lutetia, Turones pro Cæsaroduno, Aureliani pro Genabo, & alia similia. Nos pauca, sed magis necessaria in Cæsare delibabimus.

ATVATICI. Atuaticum est vrbs Tungrorum, quæ hodie *Tungres* dicitur. quum à Barbaris vastata esset, Episcopatus translatus fuit in Traiectum Mosæ, vulgo *Maſtrict*: sed & illa quoque vrbe à Normannis incensa, Episcopatus in vicum Sancti Lamberti traductus, qui hodie Leodium dicitur, id est Hominium, quia esset de hominio & feudo Episcopi Tungrensis. In Conciliis Gallicanis C *Epiſcopus Traiectenſis* pro Tungrorum Episcopo legitur. Caue intelligas Traiectum Rheni, vulgò *Vtrect.* BEKKESELENVS, quo nullus mortalium magis abusus est & ingenio & otio suo, multùm sudat, vt persuadeat Atuaticos Cæsaris esse Antuerpiam. Hoc verum fuerit, si quidem Antuerpia eadem cum Tungrorum vrbe esse potest. Sed nugas Bekkeselenicas missas faciamus. Antuerpiæ vetustiorem mentionem non inuenio, quàm in Annalibus vetustis Franciæ editis à Pithœo nostro, in quibus sub annum Christi IↃ CCCXXXV. legimus, *Normanni Aduuerpiam ciuitatem incendunt.*

AGENDICVM, *la ville de Sens*, non autem *Prouins*, vt stulti.

AVARICVM. Stulti putant esse opidum Bituricensis Diœceseos nomine *Viarons.* Sed hæc iam confutata sunt, & nemo est hodie paulò humanior, qui ignoret Auaricum Cæsaris esse vrbem Metropolim Biturigum, quæ *Bourges* dicitur.

AVSCI, *Auch*, vt suprà diximus. Nam imperitè faciunt, qui Auxitanos vocant.

BELLOCASSI. apud Cæsarem malè pro Baiocassij, qui & Baiocasses, *Baieux.*

BIGERRONES. in Notitia Prouinciarum, ciuitas Bigerronum vocatur *Tarba*, vt hodie, sed malè excusum est *Turſa* & *Turba*. Marlianus insanit, qui ait ibi

hanc Tursam esse, & Castrum Bigorram, vbi est Episcopatus Biterensis Prouinciæ Narbonensis. quæ sententia non est sobrij capitis. A

BITVRIGES. Duplices sunt, cognomentis distincti. Bituriges Cubi, quorum Metropolis Auaricum primæ Aquitaniæ. Bituriges Vibisci aut Viuisci, quorum Metropolis Burdegala, secunda Aquitania. Vtraque ciuitas Libera sub Romanis.

BRATVSPANTIVM. Ciuitas Bellouacorum, sub Cæsaribus Romanis transnominata Cæsaromagus, *Beauuais*.

CABILLONVM. Vide in Tribunali Diuionensi suprà.

CADVRCI. eorum Ciuitas Diuona, *Caors en Quercy*.

CALETES. *Le Bailliage de Caux en Normandie.*

CANTABRI. *Le Pais des Basques.*

CADVACI. Lege *Atuaci*. Vide suprà, Atuatici.

CATVRIGES. Sunt Alpes maritimæ, Metropolis Ebrodunum, *les Alpes d'Ambrun*.

CENTRONES. *Les Alpes de Tarentaise.* Graiæ Peninæ Alpes.

CVRIOSOLITÆ. in Notitia Prouinciarum, & in libro fisci Romani Curiosolitæ, *Cornouaille*.

EBVRONICES. *L'Euesché d'Eureux en Normandie.*

ELAVER. *Allier*, ingens fluuius qui Ligeri excipitur.

ELVSATES. ita legendum, non *Flussates*. vide lectiones Ausonianas cap. VII. lib. II. *La Ville d'Euse en Gascogne*. Hinc oriundus erat Rusticus ille præpotens insidiator Imperij Romani, in quem exstant duo στηλιτευτικὰ Poëmata Claudiani. In priore ita legimus, B

Inuadit muros Elusæ, notissima dudum,
Tecta petens. -----

Quod e, media syllaba corripiatur pronuntiatio Vasconica id ostendit, quæ *Elusa* tanquam *Elsa* effert. Nam l, ante consonantem, non solùm Vascones in v semper conuertunt, sed & Franci & maior pars Teutonismi inferioris. Qui *Flussates* legebant, dicebant esse Comitatum de Fuxio, & hoc stupore suo persuaserunt illustri viro nomen *de Foix* in *Flussatem* recudere, quo nihil absurdius. Nam aliud est *Franciscus de Flussa*, aliud *Franciscus Flussas*, nam *de Flussa* esset verum cognomen familiæ, sed *Flussas* esset nomen nationis. Itaque *Franciscus Flussas* esset natione *Flussæ*, non de familia de Flussa. Sed Flussa non est *Foix*. Nam id esset *Foxium*, aut aliud quiduis potiùs quàm *Flussa*.

GABALI. *Le Pais de Giuauldan*. Marlianus dicit quondam fuisse Prouinciæ Bituricensis, nunc verò Prouinciæ Arelatensis. Certè & nunc quoque est Prouinciæ Bituricensis. Sed inter Gabalos & Prouinciam Arelatensem longa procul longis via diuidit inuia terris, & ridicula sunt hæc.

GARVMNA. retinet nomen semper. Sed integrum à capite ad Blauiam castrum, vbi lingua Francica incipit. nam tunc pro *Garonne* dicitur *Geronde*, & *Gironde*. vide supra in Tribunali Tolosano, in ciuitate Mimatensi. Excipit nauigeros fluuios Tarnim, Olitem, siue Oldum, *Ooldt*, aut cum articulo *l'ooldt*: Duranium Ausonio, *Dordoniam* apud Greg. Turonensem, *la Dordogne*, vnum ex præcipuis non solùm Aquitaniæ, sed & totius Galliæ fluminibus. C

GEBENNA. Scribendum *Cebenna* per C. *Les Cebenes & Ceuenes.*

GENABVM. Qui negant Aurelianensium vrbem esse, habent opposita veri vestigia apud Cæsarem, & multa alia argumenta. Nam quo nomine vocandi sunt, qui *Gian* esse putant?

GENEVA. media corripi debet, vt in Elusa: quia non solùm Helueticus Germanismus ostendit, qui *Genff* vocat; sed etiam docent ipsi rustici suburbicarij, & reliqui Sabaudi, qui *Zeneuam*, accentu in prima enuntiant. Sed Gallorum proprium est, mediam correptam producere, vt in *publique*, *facile*, quæ Latinè corripitur.

GERGOVIA. Supersunt quædam vestigia cum veteri appellatione. aliquot stadiis ab vrbe Claromontensi Aruernorum abest.

HELVII. diximus supra esse *Le Pais de Viuarais*. vbi Alba Heluiorum sine dubio *Aubenas*, id est Albanates. Cæsar trans Rhodanum dicit esse, & extra Prouinciam Romanam, proximos Aluernis & Cebennis montibus.

A ITIVS. est Promontorium prope Bononiam Maritimam. Nauale autem dicitur Gessoriacus, & delirant qui aliud volunt esse à Nauali Bononiensi. Nam multa aduersus eorum pertinaciam obiici possunt. At qui Itium opidum *Calés* esse putant, nullo negotio refelluntur à Ptolemæo, qui priùs ponit Itium, deinde Gessoriacum, à quo opidum *Calés* distat plusquàm viginti millibus passuum, hoc est leucis Belgicis VII.

LEMOVICES. *Les Païs & Seneschaussée de Limosin*, vrbs eorum Ratiastum. Sed Commentario VIII. vbi vulgo editum est *ad opidum Lemouicum contendit*. Legendum *Lemonum*. cuius opidi mentio in Itinerario Antonini, & apud Ptolemæum.

LEXOVII. *L'Eueſché & Païs de Lisieux en Normandie.*

LIGERIS. eius caput est in pago Velauno, & vulgo dicitur *La font de Leire*, hoc est fons Ligeris. Excipit ingenteis & nauigiorum patientes fluuios non paucos, in quibus Elauerim æmulum ipsi, neque magnitudine cedentem, & magis pisculentum. Carum vel Carem, vt habet Fortunatus, vulgo *Le Cher*. Item Vigennam, *La Viane*, *La Vignane*, & alios præterea.

LVTETIA. Græcis λευκοτεκία, λευτεκία.

MATISCO. *L'Eueſché de Mascon.*

MATRONA. *Marne*, ingens flumen, neque minus ipso Sequana.

MEDIOMATRICES. posterioribus temporibus vrbs Mediomatricum vocata est Metæ, & vulgo nomen retinet, quum antea Diuiodunum ei nomen esset.

B MELODVNVM. hoc nomen perperam excusum est apud Cæsarem bis, pro quo veteres omnes scripti Codices habent *Metiosedum*. Verum quidem est Melodunum & Metiosedum vnum idémque opidum esse, sed Melodunum posterius est. Hodie *Melun* in Insula Sequanæ instar Lutetiæ Parisiorum. Aliud Melodunum, vel vt alibi reperio Meliodunum, in agro Bituricensi, vulgo *Meun*. Alij pro *Metiosedum* legunt *Iosedum*, & *Corbeil* interpretantur, quibus bonam mentem precamur.

MENAPII. Strabo cum Morinis continuat in maritimis Belgij, & Cæsar quoque indicat ibi esse. Denique Ptolemæus collocat ad ostia Mosæ. Non sunt igitur Gueldrij, neque qui sapiunt hoc concedent. Sed pars hodiernæ Hollandiæ & Brabantiæ maritimæ (vel potiùs secundum Strabonem ora Flandriæ maritima) sunt veri Menapij, & Menapiscus pagus dicitur in Capitulariis Caroli Magni pro Flandriæ Comitatu. Nunquam persuaderi nobis potuit Menapios esse Gueldrios.

MORINI. eorum vrbs Teroana diruta à Carolo V.

NANTVATES. Caue credas esse Monasterium hoc nomine in Sabaudia, vt quidam non sana capita volunt. Sunt ij in quibus pagus Octodurus est, id est sanctus Mauritius, cuius rei fidem faciunt monumenta Passionis legionis Thebæorum, in quibus Octoduri mentio est. Octodurum autem à Cæsare in Veragris proximè Nantuatibus collocatur. Quidam legunt *Antuates*, sed qui Nantuates ad Arionium lacum constituunt, & Constantienses esse dicunt, non minùs desipiunt quàm qui Monasterium illud Benedictinorum interpretantur.

C

NITIOBRIGES. *Le Païs & Seneschaussée d'Agenois*. Eorum Ciuitas Aginnum Ausonio, Ptolemæo: Agennum Hieronymo, Greg. Turonensi, aliis. Si vis ridere lege quæ hactenus omnes de his delirarunt, quorum alij *Mompelier* esse dicunt, qui locus VI. dierum itinere distat à Nitiobrigibus. Alij *Engoulesme* somniant. Alij iubent pro *Aginno* legendum esse *Agesinates*. Et quò non processit audax inscitia?

NANNETES. *Nantes*. Vide in Tribunali Aremorico.

NERVII. quemadmodum certo nobis constat non esse Tornacenses, quod vulgo persuasum est, ita quinam sint, & quo nomine hodie appellentur, haud temerè affirmarim.

NOVIODVNVM. ad Ligerim, *Neuers*. Nouiodunum Niuernensium, vt in quadam Notitia Prouinciarum Galliæ legimus, quæ penes Iurisconsultum magnum Cuiacium erat, & iam multis coniecturis nobis exploratum antea erat. Nouiodunum istud Eduis proximum ciuitatem Niuernensium: in cuius opidi inuestigatione multi multa nugati sunt. Alia duo opida hoc nomine memorat Cæsar,

sed nobis ignota. Nam nugatoribus iurantibus non credimus. Quartum præterea est, quod Ciuitas Equestrium dicitur, & nomen retinet ad Lemannum lacum; dicitur enim *Nion*. Nam longè falluntur qui Geneuam Equestrium ciuitatem esse credunt, quia quædam vetus inscriptio Geneuensis, vt aiunt, eius mentionem fecerit. Hoc modo quot nominibus Roma vocanda esset, in qua tot monumenta & saxa hodie extant, quæ tot vrbium mentionem faciunt? Denique Prouincia Sequanorum, in qua Ciuitas Equestrium est, est in sinistra ripa Lemanni, Geneua in dextra, in Prouincia Viennensi, & quod caput est, *Nouiodunum Ciuitas Equestrium*, dicitur in Manuscripta Prouinciarum Notitia: quamquam ibi positum est *Neuiduno*, quomodo in vltimis illis obsolescentis Latinitatis temporibus, omnia in peius ac retro ferebantur, & vt Imperij, ita Latini sermonis ruina sequebatur. A

PETROCORII. *Le Païs de Perigord.* eorum Ciuitas diuisa est in duo opida, vetus & nouum. Vetus adhuc dicitur Vesuna veteri appellatione. vide VI. Librum de Emendatione Temporum.

PICTONES. *Le Païs de Poictou.* sunt hodie in tres Episcopatus tributi: Pictauiensem, Maliacensem, & Luxoniensem. Pictauiorum ciuitas olim Augustoritum dicta.

RODANVS. in vniuersum Gallis dicitur *le Rosne.* sed indigenis *lo Ros.* Excipit Isaram, Druentiam, Drunam, & Ararim non minorem eo antequam in illum exoneretur.

RVTENI. *Les Pais & Seneschaussée de Rodais.* eorum vrbs Sedunum Rutenorum. B

SABIS. *La Sambre du Pais bas.*

SQVALDIS. *L'Escault.*

SEGVSIANI. *Les Pais & Seneschaussée de Lionnois.* Nam Lugdunum est in Segusianis, vt illud alterum in Conuenis ad Garumnam. Sed & totus pagus Forensis, qui hodie *le Pais de Forés* dicitur, continetur in Segusianis. Et vetus inscriptio exstat in opido *Furs*, in qua mentio est *Fori Segusianorum.* Nam à Foro, Forenses dicti, & ipsum opidum *Furs.*

SEQVANI. *Le Pais de Besançon & Franche-Comté*, est Prouincia quæ dicta Maxima Sequanorum.

SVESSONES. alij Suessiones. *Souessons.*

TARBELLI. *Le Pais de Labord.* Vrbs Aquæ Tarbellicæ. *Aqs*, Vide Ausonianas Lectiones. Aturus qui vulgo *L'Ador* vocatur, alluit illam vrbem, vnde Lucano dicitur *Tarbellicus Aturus.*

VELAVNI. *Le Pays de Velay. pagus Velucinus* in veteribus Martyrologiis Episcopatus Aniciensis, *le Puy en Velay.* Id est Podium in Velauno, quia vrbs est in editissimo loco, qui lingua Gallorum *Puy*, id est Podium dicitur.

VELOCASSES. Perperam edi putamus pro Baiocassibus, *les Pais, Bailliage & Eueſché de Bayeux en Normandie.*

VEROMANDVI. Eorum ciuitas Augusta Veromanduorum. *Sainct Quentin de Vermandois.* in vita Sancti Quintini diserte dicitur *Augusta Vermanduorum.* C

VESVNTIO. aliis scribitur *Bisuntio. Besançon*, Maxima Sequanorum.

VIENNA. *Vienne en Dauphiné.* Vienna Allobrogum.

VOCATES. suspicamur esse *Boates, Buchs.* Quod omnino certum est. siti sunt in finibus Lapurdensium post Medulos in Nouempopulania.

VOCONTII. *Le Pais de Die à Vaison.*

VOLCÆ. duplices sunt Volcæ: Arecomici, in quibus Nemausus, Vcetenses, Magalonenses, Bitierræ: Volcæ Tectosages, in quibus Carcasso, & Tolosa. In Cæsare editum est *Volgæ*, vt & in quibusdam aliis Scriptoribus.

VXELLODVNVM. nomen retinet *Vssoldun*, & *lo Puech d'Vssoldun*, id est Podium Vxelloduni, quia est in editissimo & valde prærupto loco situm. Locus est in finibus Cadurcorum, vt Cæsar quoque notat, prope opidum Martellum. Flumen, cuius nomen tacuit Cæsar, est Dordonia: horrendum aspectu præcipitium, quale describitur à Cæsare. Multæ sunt ibi reliquiæ vetustatis venerandæ. Quotidie ab arantibus Numismata Romana effodiuntur. Vix reperias rusticum, qui de loco interrogatus, non statim respondeat, Castrum Vxellodunum illud à Cæsare magnis operibus expugnatum fuisse. Præterea ostendunt Fontem, cuius vsum obsessis intercluserant Romani. Si vspiam Scriptores huius æui in

A notandis veterum locorum appellationibus hariolati sunt, hic verò vnus est locus, in quo melius fuisset illos tacuisse. Et quid opus eorum somnia referre?

Hæc pauxilla de appellationibus locorum & gentium in Cæsare delibauimus. Nam quæcunque omisimus adeo inexplorata sunt, vt tantum abest, ea verè retulerint, qui de illis scripserunt, vt mihi constet nullam spem esse ad eorum indagationem penetrandi. Quare in medio ea relinquimus, vt ingenuè fateamur, nos ea nescire, quæ tam saluo pudore facere possumus, quàm impudenter multi se ea scire professi sunt: in quo exemplo temeritatis primas tenet Bekkeselenus, cum suo Teutonismo, ex quo Hebraismum etiam propagatum esse iurat ἄλις δρυός.

Vasconia propriè est quidquid continetur intra Garumnam, Pyrenæos montes, & Oceanum, quæ Iulio Cæsari in Commentar. belli ciuilis dicitur Aquitania. Dicta est Vasconia à Vasconibus ferocissimis Pyrenæorum populis, quos deuictos primùm à Pipino, deinde à Ludouico Caroli Magni filio (qui postea dictus fuit Pius) Rege Aquitaniæ in plana Nouempopulaniæ deductos, postea nomen huic regioni dedisse certum est. Nam fuerunt pars Cantabrorum, quos etiam hodiéque Hispani *Vascuença* vocant. Itaque quum prius hæc regio à Cæsare *Aquitania*, postea à Nouempopulis *Nouempopulania* dicta, ea tandem à Vasconibus deuictis, & in eam à Pyrenæorum saltibus demissis, Vasconia vocata fuit. Est autem
B tertia pars veteris Aquitaniæ. Nam Aquitania ab Augusto triplex instituta fuit; Prima, cuius caput & Metropolis Bituriges Cubi, *Bourges*. Secunda Aquitania Bituriges Vibisci, cuius caput & Metropolis Burdegala. Tertia Aquitania tota Trans-Garumnana, cuius Metropolis Augusta Auscorum, vulgo *Auchs*. quæ Prouincia, vt diximus, ab Augusti temporibus ad Pipinum vocata fuit Nouempopulania, à Pipino ad hunc vsque diem Vasconia.

Gvienna deprauatum quidem nomen est ex Aquitania, vt res ipsa loquitur: sed ex quo tempore Reges Angliæ per affinitatem Francorum Regum fuerunt domini Guiennæ angustioribus finibus determinata est, quàm olim. Nam Aruerni, &c. seclusi fuerunt extra fines Guiennæ; quos incipiebant à Confluentibus Viennæ & Crosæ fluminum ad Oceanum, Pyrenæos, Tarnim flumen, & montes Aruernorum. Itaque quum Eduardus III. nomine Aquitaniæ homagium faceret Regi Franciæ, has Præfecturas siue Seneschallias nominatim comprehendit. Citra Garumnam, Pictonium amplissimam regionem, Xantonium, Encolismenses, Lemouicium, Petrocorium, Aginnenses, Cadurcium, & Rutenenses. Vltra Garumnam totam Nouempopulaniam, præter Benearnum quod absoluti semper fuit imperij. Itaque omnium illorum tractuum nomine Rex Angliæ, aut Primogenitus Angliæ (*Princeps de Galles dictus*) faciebat homagium Regi Franciæ: Comites autem Armaniacus, Bigorrensis, Fuxensis & alij faciebant
C ipsi Anglo homagium, non Regi Franciæ. Hæc latissima, amplissima, & prædiues regio nomine Guiennæ censebatur, vsque ad Regnum Ludouici XI. qui cùm fratri attribuisset Ducatum Aquitaniæ, & ipsi promisisset quinque Seneschallias, ex vna Burdigalensi Seneschallia fecit tres: Burdigalensem, quæ vnam tantùm Diœcesim complectitur, Burdegalam ipsam. Vasatensem, in qua duæ Diœceses, nempe Adurensis & ipsa Vasatensis. Tertiam Lapurdensem, in qua itidem duæ Diœceses, Aquæ Tarbellicæ & Lapurdensium Ciuitas siue Baiona. Quartam Seneschalliam Xantonium addidit. Ab eo tempore Aquitania cœpit vocari totum illud, quod illas tantùm quatuor Seneschallias continet. Sed Regum est mutare terminos Prouinciarum, non memoriam rerum. Nam hactenus Nitiobriges (*ceux d'Agenois*) & omnes reliquæ Seneschalliæ vocant se Aquitanos vel Guiennenses, atque adeo Seneschallus Burdigalensis vocatur *magnus Seneschallus*, non quidem, quòd hodie talis sit (est enim minimus omnium) sed quia Burdigalensis Seneschallia quinque Diœcesibus finiebatur. Et quia eo nomine *Magnus*, vt re vera erat, vocaretur, hodie ditione imminuta, nomen integrum retinuit. Quin etiam quidquid ad Burdigalam solam pertinet, id non Burdigalense hodie vocatur, sed Aquitanum vel Guiennense. & Curia minor Burdigalæ, à qua prouocatio est ad Parlamentum, Curia Guiennæ, & Iudices Guiennæ vocantur, non Burdigalæ. Hæc igitur Guienna, quæ hodie quatuor Seneschalliis censetur, vocari

iure meritò poteſt Aquitania ſiue Guienna Ludouici XI. Quod dixi de Pictonio, A quod in Feudo Aquitaniæ ſiue Guiennæ comprehendit Eduardus III. ſcito ſæpe excluſum fuiſſe ex Aquitania, & ſub Ludouico IX. (is eſt Sanctus Ludouicus) ſæpe reſtitutum finibus Aquitaniæ. Certè hodie non parua pars Pictonij dicunt ſeſe Guiennenſes, vt olim erant reuera.

AGINNENSIS Seneſchallia continet duos Epiſcopatus, nempe citra Garumnam Aginnum Nitiobrigum, *Agen*: vltra Garumnam, Condomium. hoc peculiari nomine dicitur Vaſconia. Quemadmodum enim Africa dicitur tota illa magna continens, quæ patet à Nilo ad Gades, & tamen in ea erat Prouincia quæ peculiariter dicebatur Africa, in qua Carthago: Ita Vaſconia quidem dicitur ampliſſima illa regio quæ olim vocata fuit Nouempopulania, ſed peculiariter Vaſconia quoque dicitur, in ea Epiſcopatus Condomienſis. Itaque Seneſchallus Aginnenſis vocat ſe Seneſchallum Aginnenſium & Vaſconiæ, id eſt Condomij. Quæ appellatio vetus eſt. Nam temporibus Pipini, pagus Aginnenſis citra Garumnam, & vltra Garumnam dicebatur. Itaque ſub Pipino in vetuſtiſſimis Annalibus refertur, pluiſſe frumento in *Pago Aginnenſe vltra Garumnam*. Id eſt in ea regione, quæ propriè Vaſconia dicitur, in qua Condomium.

Ducatus ALLEBRETI compoſitus ex mutilatione Seneſchalliarum Aginnenſis, Armaniacenſis, & adeo, vt de eo dicere liceat, quod de Conſtantinopoli Hieronymus dixit, commoditate omnium ciuitatum conſtructam fuiſſe, ita B nuditate proximarum Seneſchalliarum compoſitus eſt, tam vltra quàm citra Garumnam. Caput Ducatus eſt Neracum. Totus Ducatus eſt ſub Parlamento Burdigalenſi.

ARVERNIVM. Diuiditur in montanum & planum. Planum dicitur Alimania, quod nomen iam obtinebat tempore Gregorij Turonenſis, quæ regio optima eſt & fertiliſſima, ciuitatibus ampliſſimis, vicis, villis, prætoriis magnificis, exculta. Duo Epiſcopatus ſunt in Aruernio, in Plano quidem Auguſtonemetum Aruernorum, *Clermont en Auuergne*, non longè à Gergouia Cæſaris. in Montano, eſt Epiſcopatus Sanctus Florus. totum Aruernium eſt ſub Parlamento Pariſienſi.

CONVENARVM Comitatus, *Le Comté de Cominges*, vnum tantum Epiſcopatum continet, Sanctum Bertramum. eſt in Vaſconia ſub Parlamento Toloſano, vt ſuprà diximus in Epiſcopatibus.

Pagus VELLAVNENSIS vnum Epiſcopatum habet, Anicienſem, *Le Puy en Vellay*. eſt pars Languedokij, ideo ſubeſt Toloſano Parlamento.

A

NOTITIA EPISCOPATVVM GALLIAE QVA FRANCIA EST.

Ad Antistites & Clerum Regni Lutetiæ congregatos anno MDCV.

Papirij Massoni operâ.

A Prima totius Galliæ diuisione ordiri facillimum erit, cupienti distinctè omnes eius Prouincias, & regiones tradere. Nec minimam ex ea re vtilitatem percipient curiosi, atque auidi rerum antiquarum inuestigatores, suauésque rosas ex spinis, quibus interdum obruuntur, maturè colligent. Igitur Iulius Cæsar Libro I. Commentariorum de Bello Gallico: *Gallia*, inquit, *est omnis diuisa in partes tres, quarum vnam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtæ, nostra* B *Galli appellantur. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, à Belgis Matrona & Sequana diuidit.* Octauius Iulio successit Augusti cognomine notior. Is in Belgicam, Aquitanicam, Lugdunensem, & Narbonensem, Prouincias, eam diuisit, vt optimus scriptor Strabo Geographiæ Libro IV. refert, séque Augusti temporibus vixisse ait. Hanc verò diuisionem Paulus Orosius Ptolomeo recentior sequitur: *Gallia in quatuor diuisa Prouincias, Aquitaniam, Lugdunensem, Belgicam, & Narbonensem.* Is ad beatissimum Augustinum, (sic enim eum vocat) Libros Historiarum scripsit Honorij Cæsaris temporibus, & rem dilucidè explicat in hunc modum. *Alpes à Gallico mari per Ligusticum sinum exurgentes, primùm Narbonensium fines, deinde Galliam, Rhetiámque secludunt, donec in sinu Liburnico defigantur. Gallia Belgica habet ab Oriente flumen Rhenum & Germaniam, ab Euro Alpes Pœnninas, à Meridie Prouinciam Narbonensem, ab Occasu Prouinciam Lugdunensem, à Circio Oceanum Britannicum, à Septentrione Britanniam insulam. Gallia Lugdunensis ducta per longum, & per angustum inflexa, Aquitanicam Prouinciam semicingit. Hæc ab Oriente habet Belgicam, à Meridie partem Prouinciæ Narbonensis, qua Arelatum ciuitas sita est, & mari Gallico Rhodani flumen accipitur. Narbonensis Prouincia pars Galliarum, habet ab Oriente Alpes Cottias, ab Occidente Hispaniam, à Circio Aquitaniam, à Septentrione Galliam Lugdunensem, ab Aquilone Belgicam Galliam, à Meridie mare Gallicum quod est inter Sardiniam & insulas Baleares: habens in fronte, qua Rhodánus fluuius in mare exit, insulas Sthæcadas. Aquitanica Prouincia obliquo cursu Ligeris fluminis, qui ex plurima parte terminus eius est, in* C *orbem agitur. Hæc à Circio habet Oceanum, qui Aquitanicus sinus dicitur, ab occasu Hispanias, à Septentrione & Oriente Lugdunensem, ab Euro & Meridie Narbonensem Prouinciam contingit.*

Ceterùm Festi Rufi, & Ammiani Marcellini, aliorúmque veterum testimonio vti necesse est eum, qui velit diuisionem Prouinciarum Galliæ totius penitus nosse. Rufi quidem in Breuiario ad Valentinianum primum verba sunt: *Caius Cæsar cum decem legionibus, quæ tercena millia militum Italorum habuerunt, per annos octo ab Alpibus ad Rhenum vsque Gallias subegit, cum barbaris trans Rhenum positis conflixit, in Britanniam transiuit, decem annis Gallias & Britannias tributarias fecit. Sunt Galliæ cum Aquitania & Britannia Prouinciæ decem & octo, Alpes maritimæ, Prouincia Viennensis, Narbonensis, Nouempopulana, Aquitaniæ duæ, Alpes Graiæ, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenses duæ. In Britannia, Maxima Cæsariensis, Britannia prima, Britannia secunda.* Ammianus autem etsi Græcus, & miles, optimus tamen Scriptor, à Nerua Cæsare ad Valentis, cui Valentinianus successit, interitum Latinè scripsit, idémque vltimis verbis Libri XXI. ingenuè prædicat: apud quem Lib. XV. hæc verba reperio. *Regebantur Galliæ omnes iam indè, vt crebritate bellorum vrgenti cessere Iulio Dictatori, potestate in partes diuisa quatuor. quarum Narbonensis vna Viennensem in se continebat, & Lugdunensem, altera Aquita-*

nis praerat vniuersis. Superiorem & inferiorem Germaniam, Belgicásque duas duæ iurisdictiones iisdem rexere temporibus. At nunc numerantur Prouinciæ per omnem ambitum Galliarum, secunda Germania ab Occidentali exordiens cardine, Agripinâ & Tungris munita ciuitatibus ampliùs & copiosis. Dein prima Germania, vbi præter alia municipia Magontiacus est, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus barbaricis cladibus nota. Post has Belgica prima Mediomatricos prætendit & Treuiros, domicilium Principum clarum. Huic adnexa est secunda Belgica, qua Ambiani sunt, vrbs inter alias eminens, & Catalauni, & Remi. Apud Sequanos Vesontios vidimus, & Rauracos aliis potiores oppidis multis. Lugdunensem primam Lugdunus ornat, & Cabillones, & Senones, & Bituriges, & mœnium Augustoduni magnitudo vetusta. Secundam enim Lugdunensem Rothomagi & Turini Mediolanum ostendunt, & Tricastini. Alpes Graiæ & Penninæ, exceptis obscurioribus, habent & Auenticum desertam quidem ciuitatem, sed non ignobilem quondam, vt ædificia semiruta nunc quoque demonstrant (in finibus Bernensium prope Paterniacum, hodie *VVandich.*) *Hæ Prouinciæ vrbésque sunt splendidæ Galliarum. In Aquitania, quæ Piræneos montes & eam partem spectat Oceani, quæ pertinet ad Hispanos, prima Prouincia est Aquitanica, amplitudine ciuitatum admodum culta: omissis aliis multis, Burdegala, & Aruerni excellunt, & Santones, & Pictaui. Nouem Populos Ausci commendant, & Vasatæ. In Narbonensi Elusa est, Narbona, & Tolosa, quæ principatum vrbium tenent. Viennensis ciuitatum exultat decore multarum, quibus potiores sunt Vienna ipsa, Arelate, & Valentia: quibus Massilia iungitur, cuius societate & viribus in discriminibus arduis fultam aliquoties legimus Romam. His prope Saluuij sunt, & Nicea, & Antipolis, insulæque Stœchades.* At Hieronymus Constantij Regis imperium ætatem infantiæ suæ fuisse dicit in libro de locis Hebraicis. At videtur diuisionem à Festo & Ammiano traditam attigisse Epistola ad Aggeruchiam de inundatione barbararum gentium in Gallia, cùm ait: *Maguntiacus nobilis quondam ciuitas capta atque subuersa est, & in Ecclesia multa millia hominum trucidata. Vangiones longa obsidione deleti. Remorum vrbs præpotens, Ambiani, Attrebates, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemetes, Argentoratus, translati in Germaniam. Aquitaniæ, Nouémque Populorum, Lugdunensis & Narbonensis Prouinciæ præter paucas vrbes populata sunt cuncta.* Saluianus, & Sidonius aliquot ex his Prouinciis nominant. ille quidem his verbis: *Excitata est in perniciem nostram ac dedecus gens ignauissima Vandalorum. Ac primùm de solo patrio effusa est in Germaniam primam nomine Barbaram, ditione Romanam.* Sidonius autem vixit sub Theodosio minore & Valentiniano tertio: isque Epistola V. Lib. VII. de vrbibus Aquitaniæ primæ solum oppidum Aruernum Romanis reliquum partibus bella fecisse ait. Et Lib. IX. Epistola VII. *Quidam,* inquit, *ab Aruernis Belgicam petens Remos aduenerat.* Idem Epistola ad Lucantium Lib. IV. *Volusianus,* ait, *fortè pergens in prædia Baiocassina, totam Prouinciam Lugdunensem secundam peragrarat.* Iterum in carminibus:

Francus (ait) *Germanum primum, Belgúmque secundum*
Sternebat.------

Gregorius Turonensis de Eruarige Rege Gottorum loquens Lib. II. déque eius sæuitia in Episcopos & templa Aquitaniæ: *Maximè tunc,* inquit, *Nouempopulanæ, geminæque Aquitaniæ vrbes ab hac tempestate depopulatæ sunt.* Ita enim legendum puto, non *geminæ Germaniæ.* Rex enim Gottorum tunc vexare Germanias non poterat disiunctissimas à Gottis, & Septimania Visigottorum sede. Ex constitutione Honorij & Theodosij ad Agricolam Præfectum Galliarum, Viennenses duas, Narbonenses duas, Aquitanias totidem, & Nouempopulaniam fuisse scimus. Liber Notitiæ Imperij quatuor Lugdunenses facit, tertiam Senoniam vocans, duas Viennenses, Nouempopulaniam: duas Germanias: Narbonenses duas. Nouempopulaniam Petrus Cluniacensis grauis scriptor Vasconiam dici suis temporibus scriptum reliquit.

His quidem Galliarum diuisionibus in Episcopatuum nominibus recensendis veteres Synodi vsæ sunt, Romani quoque Pontifices easdem recepere. Cùm enim à Constantino Cæsare Donatistæ Africani petiissent, vt de Gallia sibi ipsis iudices dari præciperet, dati sunt Maternus ex Agripina ciuitate, Rethicius ab Augustoduno, Marinus Arelatensis. Cúmque consedissent Milciades Episcopus vrbis Romæ, & hi tres Gallicani Episcopi, atque alij quindecim ex Italia, Constantino tertiùm & Licinio tertiùm Consulibus, sententia contra Donatum lata

A est. Ille appellandum ab Episcopis credidit. Tandem Eunomij & Olimpij Episcoporum auctoritate in Africa iudicatum est, sententiam decem & nouem Episcoporum iamdudum dictam dissolui non posse. Hæc Optatus Mileuitanus Libro primo de tribus Gallicanis Episcopis ex totidem Galliæ ciuitatibus electis eleganter tradit. Et Augustinus Libro primo contra Iulianum, recitans quandam illius sententiam de baptismo, ita præfatur, Rethicium ab Augustoduno Episcopum magnæ fuisse auctoritatis in Ecclesia, tempore Episcopatus, sicut gesta illa Ecclesiastica nobis indicant, quando in vrbe Roma Milciade Apostolicæ Sedis Episcopo considente, cum aliis iudex interfuit, Donatúmque damnauit, & Cecilianum Episcopum Ecclesiæ Carthaginensis absoluit. Postea eodem Cæsare habita est Nicena in Bithinia admodum celebris Episcoporum Synodus. quódque memorabile sit, Nicasius Diniensis Episcopus è Prouincia Galliarum solus adfuit, solúsque subscripsit. Sed hoc moneo, Prouinciæ Galliarum nomine, intelligi Galliam totam debere, non Prouinciam Alpinam, in qua sita est Dinia. Tertiò sub eodem Constantino Synodus Arelatensis in Gallia habita est. ea extat. Episcopi, qui interfuere triginta tres, initio nominantur, sed sine adiectione Episcopatuum quibus præerant. In his Marinus, Rethicius, Ambetausus, Maternus, inter ceteros Episcopi adfuere. De Rethicio scribit Hieronymus ad Dextrum Præfectum Prætorio. De Ambitauso in vitis Rhemensium Episcoporum Frodoardus. Marini autem fit mentio in Concilio Arelatensi secundo, Canone B XVIII. ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodum congregandam (ad quam vrbem ex omnibus mundi partibus præcipuè Gallicanis sub sancti Martini tempore, legimus celebratum fuisse Concilium, atque conuentum) si quis commonitus infirmitatis causa defuerit, personam vice sua dirigat. Cùm de magna Synodo loquitur, illo nomine non Nicenam, sed Arelatensem primam designat, quæ magna quoque proculdubio fuit, videlicet sexcentorum Episcoporum, si testimonio Adonis Viennensium Episcopi accedere velimus. Et cùm in eadem, Canone XXVIII. meminerit Concilij Vasionensis, & quod dicit contineatur Canone IV. primæ Vasionensis, necessariò efficitur, id Concilium prius fuisse congregatum. Nec sanè video qua ratione ex his tenebris erumpere possim, eámque difficultatem discutere: mihique perinde faciendum est, ac venatori, qui tamdiu fugientem feram insequitur, donec eam ab se capi non posse senserit. Interfuere autem ex diuersis Prouinciis plures Episcopi Arelatensi primæ, quorum nomina sequuntur, sumpta ex ipsius Synodi verbis: *Dilectissimo Papæ Siluestro, Marinus, Agrætius, Natalis, Theodorus, Proterius, Vocius, Verus, Probatius, Cecilianus, Faustinus, Surgentius, Gregorius, Rheticius, Ambitausus, Termatius, Merocles, Pardus, Adelfius, Hibernius, Fortunatus, Aristasius, Lampadius, Vitalis, Maternus, Liberius, Gregorius, Crescens, Auitianus, Dafnus, Orientalis, Quintasius, Victor, Epictetus in Domino salutem.* In subscriptionibus secundæ, vt omittam eos Episcopos qui Galli non erant, hæ Prouinciæ numerantur: Viennensis, sub qua ciuitates Vienna, C Vasio, Arausium, Carpentoracte: Prouincia Galliarum, & sub ea ciuitates Remorum, Rothomagus, Augustodunum, Nouiodunum, Treuirorum, & Agrippina: & Aquitania prima, in qua Gabali: secunda, vbi Burdigala: prima Narbonensis, & in ea ciuitates Biterrensis & Tolosa, & quinque Prouinciarum Episcopi singularum ciuitatum eidem Concilio subscripsere. Quod si illa interpositio Canone XVIII. huius secundi Concilij vera est, & si verum amamus, post mortem Marini Arelatensis conuocatam Synodum dicamus necesse est: aut si interpositionem huiusmodi vt minimè necessariam reiicimus, subscriptio vera erit, nisi obstiterit tempus quo Vasionensis habita est, cuius initio hæc verba occurrunt: *Constitutiones sanctæ Synodi habitæ in ciuitate Vasionensi apud Vrbicum Ecclesiæ Catholicæ, temporibus Theodosij Iunioris Consulis, sub die Iduum Nouembris.* Et alia dubitatio oritur ex verbo, *Iunioris,* an Theodosius in actis & instrumentis publicis se minorem dixerit? Certè in collatione Carthagini habita cum Donatistis, cui Augustinus Hypponensis interfuit, Marcialis exceptor recitans mandatum Marcellino viro clarissimo datum, his verbis vtitur: *Cæsares, Flauius, Honorius, & Theodosius, pij, felices, ac triumphatores Augusti, Flauio Marcellino suo salutem.* Nec sanè verisimile est, aut Marinum, aut alios qui cum Marino subscripsere primæ Arelatensi, tantum & tamdiu viuere potuisse per rerum naturam, vt Theodo-

sium Iuniorem videre potuerint. Sed error vetus eorum, qui Concilia coëgerunt, A posteritati perniciosus admodum fuit, dum Synodos alias aliis miscuerunt, tenebras pro luce relinquentes. Sequitur Concilium Valentinum, in quo hæc verba reperio: *Dilectissimis Fratribus per Gallias, & quinque Prouincias constitutis Episcopis, Fœgalius & ceteri* XV. omnes Episcopi dicuntur, non adiecta Episcopatuum Sede. Deinde eadem Synodus subiicit Epistolam, quam scribit dilectissimis fratribus Clero & Plebi Ecclesiæ Foroiuliensis, de persona sanctissimi Accepti, qui ad honorem sacerdotij ab illis poscebatur, & quem in Synodo sedisse aiunt. Sed illa verba: *Fratribus dilectissimis per Gallias & quinque Prouincias constitutis*, quibus Synodus quoque Taurinensis vtitur, si quæritis quid sibi velint, Episcopis quidem Galliæ absentibus scribunt, & Episcopis Hispanicæ finitimæ regionis in quinque Prouincias diuisæ. Nam licèt ex subscriptionibus secundæ Arelatensis quinque tantùm in Gallia Prouincias tunc fuisse docuerimus, de Galliæ Prouinciis intelligi certè non possunt, cùm Synodus ita loquatur, *Dilectissimis Fratribus per Gallias constitutis*. Perinde enim est, ac si dicerent, per Gallias diuisas in quinque Prouincias. Postea Concilium Aquileiæ habitum est, & Ambrosius Episcopus Mediolanensis, Philastrius Brixianus, quem cum Ambrosio Mediolani Augustinus se vidisse ait Epistolâ ad Quoduult-Deum, quique elegantem de hæresibus Librum scripsit, ex libro Hilarij Pictonum Episcopi ad Constantium Augustum. *Quis non videt, quis non intelligit, post quadringentos ferè annos postquam Dei vnigenitus filius humano generi pereunti subuenire dignatus est?* Illis verbis qua ætate vixerit indicans. Ex eiusdem libro de Synodo fidei Catholicæ contra Arrianos & præuaricatores Arrianis acquiescentes. *Dominis & beatissimis Fratribus, & Coepiscopis Prouinciæ Germaniæ primæ, & Germaniæ secundæ, & primæ Belgicæ & secundæ, & Lugdunensis primæ, & Lugdunensis secundæ, & primæ Aquitanicæ, & Prouinciæ Nouempopulaniæ, & ex Narbonensi plebibus & clericis Tholosanis & Prouinciarum Britanniæ Episcopis, Hilarius Christi seruus Christo in Deo & Domino nostro æternam salutem.* THEODORVS *Episcopus Octodorensis, Domninus Gratianopolitanus, Constantinus Episcopus Arelatensis, Proculus Episcopus Narbonensis.* Ineptè enim ab ineptiori librario, Massiliensis scriptum est primæ. Verba autem Concilij hæc sunt: *Concilium, quod conuenit Aquileiæ, dilectissimis Fratribus Episcopis Prouinciæ Viennensis & Narbonensis primæ, ac secundæ. Agimus gratias sanctæ vnanimitati vestræ, quòd in dominis & fratribus nostris Constantio & Proculo omnium nobis vestrûm præsentiam contulistis.* Denique in Synodo habita apud Taurinatum ciuitatem in eiusdem vrbis Ecclesia, & Proculi Narbonensis ciuitatis Episcopi, & secundæ Narbonensis Prouinciæ mentio fit. Quia autem secundam dicit, subponit primam. In qua Synodo, de venerabili memoria Ambrosij scilicet iam defuncti, deque Romanæ Ecclesiæ Sacerdote mentionem fieri manifestum est, licèt particula (vel) pro (&) ab imperito librario posita lectoribus tenebras iniiciat. In Reiensi autem Concilio, cui Hilarius Arelatensis & Maximus Reiensis Episcopi subscripsere, Capite III. nominatur Prouincia Alpina Maritima, & Eberodunensis Ecclesia. Sidonius Apollinaris C Theodosij Iunioris temporibus vtrumque magnopere laudat, eodem decimum septimum & Festo Consulibus, cùm apud Reiensem Ecclesiam sancta Synodus conuenisset, & remedium quæreret Eberodunensi Ecclesiæ, quia biennium Pastore caruisset, & à duobus temerè conuenientibus absque trium Episcoporum præsentia, absque Metropolitani auctoritate creato & ordinato, res tota à Patribus improbata est. Itaque Alpina Prouincia maximè illa Synodo innotuit. Romani quoque Pontifices earundem Prouinciarum meminere, vt Zozimus successor Innocentij primi, Viennensis & Narbonensis secundæ. Hincmarus Epistola ad Remensis Prouinciæ Episcopos de Zozimo loquens sic ait: *Constitutio Theodosij & Honorij Imperatorum temporibus, Pontificatu Papæ Zozimi, per septem Prouincias, (scilicet Viennensem, Lugdunensem, Narbonensem primam & secundam, & Alpinam & Nouempopulanam, & secundam Aquitanicam) emanauit, vt de his Prouinciis honorati vel possessores iudices & Episcopi præfatarum Prouinciarum ab Idib. Augusti quibuscumque mediis diebus in Idus Septembris in vrbe Arelatensi, quæ & Constantina vocatur, ad Concilium Forense vel Ecclesiasticum conuenirent. Ita vt de Nouempopulana, & secunda Aquitania, quæ Prouinciæ longiùs constitutæ sunt, si eorum iudices & Metropolitanos occupatio certa retineret, Legatos suos iuxta consuetudinem mitterent, sicut in edicto*

edicto præfatorum Imperatorum, & in Epistolis Apostolicæ Sedis Pontificum inuenitur. Leo primus Epistola LXXXIX. scribit in hunc modum. *Dilectissimis fratribus per Viennensem Prouinciam constitutis, Leo Romæ Episcopus salutem.* & Viennensis Prouinciæ mentionem facit, qua quidem Hilarium Arelatensem ob Celidonium Episcopum iniustè sacerdotio deiectum perstringit, & Proiectum in suo sacerdotio permanere debere decernit: eundémque Hilarium grauiter reprehendit, quòd cum militaris manus per Prouincias sequeretur, & armatis præsumptione suffultis inuadendas per tumultum famularetur Ecclesias. Et xc. Epistola de Rauennio successore Hilarij sic loquitur: *Prouectionem dilectionis tuæ, quæ summi sacerdotij adepta est dignitatem, ita nobis placere cognosce, vt non solùm tibi de honoris augmento, sed etiam Arelatensi Ecclesiæ, cui te Dominus præposuit, gaudeamus. Ad omnium enim fidelium decus atque vtilitatem redundat cùm talis habeatur Antistes, cuius plurimi & adiuuentur præsidio, & incitentur exemplo.* Isidorus Hispalensis Episcopus, quem Epistolas Romanæ Sedis Pontificum à Clemente vsque ad Gregorium Hincmarus collegisse ait, in annotatione Prouinciarum Gallicanarum, Lugdunensem Prouinciam non in quatuor solùm, sed in quinque diuidit, Lugdunensem quintam addens, Metropolim Sequanorum. eius esse dicit ciuitatem Vesuntionum, quam Cæsar libro 1. ait esse oppidum maximum Sequanorum. Idem Auctor Belgicas duas Prouincias, Germanicas duas: Viennenses quinque, quarum quartam ponit in Alpibus Maritimis, quintam in Graiis & Pæninis:
B Aquitanias tres: Nouempopulaniam scilicet tertiam Aquitaniæ partem constituens. Ioannes verò octauus Siseboldum primæ Narbonensis Prouinciæ Episcopum narrat fuisse. Robertus ad annum millesimum centesimum octogesimum, qui Historicus Aledrandro III. vixit, Turonensique Concilio interfuit, *Lugdunensis*, inquit, *sedes habet Primatum super tres Archiepiscopatus: Prima Lugdunensis, id est, Lugdunum super Rhodanum, secunda super Sequanam, scilicet Rotomagensis, tertia super Ligerim, quarta, id est Senonis, super Icauniam.* Quamobrem cùm legimus in Synodo secunda Cabilonensi, imperante serenissimo atque inclyto Augusto Carolo, conuenisse Episcopos & Abbates totius Galliæ Lugdunensis, id ita accipere debemus, vt de prima tantùm Lugdunensi dictum videatur. De Hormisda idem Hincmarus Epistola ad Diocœsis Rhemensis Episcopos sic ait: *Vices suas Remigio Durocortori Rhemorum antiquæ metropolis Episcopo commisit, quæ præcedentibus temporibus habuit sub se has ciuitates, videlicet Suessionum, Catalaunorum, Tornacensium, Siluanectensium, Bellovacorum, Ambianensium, Morinorum, id est, Ponticum,* (siue Pontiuensium vt nunc loquimur) *Boloniensium, & Laudunum Clauatum, in quo castro in sua parochia idem S. Remigius Africanorum Canonum & Apostolica fultus auctoritate constituit Episcopum.* In Synodo Rhemensi aduersus Arnulphum, Gerbertus qui summus Pontifex tandem fuit, Syluestri nomine illustris, *Anno*, inquit, *ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi* DCCCCXCI. *decimo quinto Calen. Iuly, collecti sunt in Basilica Domni Basoli Confessoris* (vulgò *S. Basle*,
C quod Monasterium abest ab vrbe Durocortoro nouem passuum millibus,) *Rhemorum Diocesani: Guido Suessionensis vrbis Episcopus, Adalbero Laudunensis, Herueus Bellouacensis, Gontesmanus Ambianensis, Odo Syluanectensis. Ex Prouincia Bituricensi, quæ Aquitanorum esse putatur, Daimbertus Archiepiscopus. Ex Prouincia Lugdunensi prima, Galterus Episcopus Augustodunensis, Bruno Lingonensis, Milo Matiscensis. Ex Prouincia Senonensium, quæ est prima Sequanorum Metropolis, Rhemensique Prouinciæ contigua, Seguinus Archiepiscopus, Arnulphus Aurelianensis, Herbertus Autissiodorensis.* Verùm suprà ostendimus in tertia Lugdunensi Senonas fuisse, nec vllum reperiri Auctorem, qui Senoniam dicat primam esse Sequanorum, præter Gerbertum, quem deceptum necesse est dicere, ne turbato Prouinciarum ordine recessisse ab antiquis videamur. Gregorius verò VII. sequutus vestigia maiorum sic ait: *Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Gebuino Lugdunensi Archiepiscopo. Confirmamus Primatum super quatuor Prouinciis Lugdunensi primæ tuæ & per eam tibi tuisque successoribus. Prouincias autem illas quas vobis confirmamus dicimus, Lugdunensem, Rothomagensem, Turonensem, & Senonensem, vt hæ videlicet Prouinciæ condignam obedientiam Lugdunensi Ecclesiæ exhibeant, & honorem, quem Romani Pontifices addendum esse scriptis propriis præfixerunt, humiliter & deuotè persoluant: salua in omnibus Apostolicæ Sedis reuerentia & auctoritate. Datum Romæ* XII. *Cal. Maias Indi-*

ctione II. Petrus Cluniacensium Abbas, *Dominis*, ait, *& Patribus magistris Ecclesiæ* A
Dei, Arelatensi, Ebredunensi, Archiepiscopis, Diensi, Vapincensi Episcopis, frater Petrus
humilis Cluniacensium Abbas salutem & obsequium. Et paulò infrà subiicit: *Migra-*
uit, sicut audiui, ad loca satis vobis contigua (Petrus de Bruis) *& à Septimania vestra,*
vobis persequentibus, expulsus, in Prouincia Nouempopulana, quæ vulgo Vasconia vocatur,
& in partibus ei adiacentibus sibi foueas præparauit. Idem Scriptor: *Præclaris & in Chri-*
sti corpore plurimùm honorandis Dei sacerdotibus, Guilielmo Ebredunensi, Vlrico Diensi,
Guilielmo VVapincensi, frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas salutem. Quoniam in-
ter omnes totius Prouinciæ Septimaniæ, seu Alpium Maritimarum Episcopos, religione, scien-
tia, eruditione, ac pastorali solicitudine diuina dispositio specialiter per vos Pontificale ca-
cumen exornat, insedit animo reuerentiam vestram & singulari præ cæteris semper affectu
excolere, & motus animi mei vobis familiariùs aperire. Glaber cap. IV. lib. III. *Quan-*
do Galli & Itali Templa cathedralia nouare receperunt millesimo tertio iam fere immi-
nente anno, contigit in vniuerso penè terrarum Orbe, præcipuè tamen in Italia & in Galliis,
innouari Ecclesiarum Basilicas, licèt pleraque decenter locatæ minimè indiguissent: æmula-
batur tamen quæque gens Christicolarum aduersus alteram decentiore frui. Erat enim in-
star ac si mundus ipse excutiendo semet reiecta vetustate passim candidam Ecclesiarum ve-
stem indueret. Tunc denique Episcopalium sedium Ecclesias penè vniuersas, ac cætera quæ-
que diuersorum Sanctorum Monasteria, seu minora villarum Oratoria, in meliora quique
permutauere fideles. Bonifacius autem VIII. Romanus Pontifex, primus Apamia-
rum Episcopatum in Gallia instituit, deinde Ioannes XXII. in Monasteriis di- B
uersorum ordinum, diuitibus quidem & opimis, sed extra viciniam tunc penè
ignotis, Episcopos creauit: spreta Anacleti (si modò illius est) Epistola, in qua hæc
sunt verba: *Episcopi non in castellis aut modicis ciuitatibus debent constitui, sed Presbyteri*
per castella, & modicas ciuitates, atque villas ab Episcopis ordinari, & poni singuli tantùm
per singulos titulos suos: & Episcopi non ab vno, sed à pluribus debent ordinari, & vt di-
ctum est, non ad modicam ciuitatem, ne vilescat nomen Episcopi, sed ad honoratam vrbem ti-
tulandus & denominandus est. Verùm non omnes Galliæ Episcopatus complecti, aut
enumerare mihi in animo est, sed eos tantùm qui Christianissimo Francorum Re-
gi Henrico IV. hodie parent, & Francici Regni nomine censentur. Galliæ enim
fines olim latè patebant à Rheno ad Pyreneos, à Massilia vltimisque Prouinciæ
oppidis, ad extremos hominum Morinos, ipsúmque Oceanum.

DE METROPOLI, CIVITATE, VRBE, OPPIDO, ET ECCLESIA.

ID verò imprimis obseruandum est, Μητρόπολιν ante Christum à Strabone, qui
Augusto & Tyberio Cęsare floruit, vsurpatam pro præcipua vrbe cuiusque Re-
gionis. Sic enim appellat Viennam ad Rhodanum sitam Metropolim Allobro-
gum, & Durocortorum Remorum, & Nemosum Arecomicorum lib. IV. Geogra-
phiæ. Quam vocem Christiani postea retinuerunt. Et quidem Ciuitatis nomine
non oppida cuiusque Regionis olim significata, sed gens ipsa potiùs, vt apud Cæ- C
sarem, cùm loquitur de Ciuitate Heluetiorum, Æduorum, vel similibus. Prima
Synodus Arelatensis in oppido Arelate habita dicitur. In Arelatensi secunda, etsi
Ciuitatis nomine in subscriptionibus Episcopi vtuntur, tamen Augustodunum Ci-
uitatem vocant, ipsámque Arelatem vrbem. Canone XVIII. in Arelatensi tertio
hæc verba reperies: *Cùm ad dedicationem S. Mariæ in Arelatensi Ciuitate Episcopi con-*
uenissent. Synodus prima Vasionensis sub Theodosio Iuniore habita dicitur in Ciui-
tate Vasionensi, secunda tamen in Vasionensi vico, Arelatensis quarta in Arela-
tensium vrbe, inque Basilica sancti Stephani Martyris primi. Arausiensis prima in
Arausica Ciuitate, Cabilonensis secunda in Cabilonensi vrbe. In Aurelianensi
Concilio secundo sub Childeberto Francorum Rege habito in vrbe Aurelianen-
si, Leo Episcopum Aurelianensis Ecclesiæ se vocat, & quamplurimi alij Episcopi
nominibus suarum Ecclesiarum vtuntur. In Aruernensi Synodo sub Theodeber-
to Rege Honoratus in Christi nomine Bituricæ Episcopum se dicit. In Agaunen-
si, alij se Ecclesiarum suarum Episcopos vocant. In Aurelianensi Concilio IV. Epi-
scopos Ecclesiarum suarum se subscribunt, & in tertio eodem modo Ecclesię quis-
que suæ se Episcopum appellat. Denique in Suessionensi: *Apud Suessionis ciuita-*
tem Synodum vel Concilium facere decreuimus. Vbi Ciuitatis nomine vrbem vel op-
pidum intellige.

A

DE METROPOLITANIS ET ARCHIEPISCOPIS.

A Metropoli Metropolitani dicti sunt Episcopi qui Prouinciæ præerant,& aliquot sub se Episcopatus habebant, qui postea Archiepiscopi dicti sunt. Anno Christi DXCIII. Etherius Arelatensis & Flauius Remorum Archiepiscopi nominantur, in priuilegio quod Gregorius primus Monasterio Sancti Medardi Suessionum concessit. Caroli Magni ætate eodem nomine vocabantur, vt in Synodo Arelatensi quarta anno XLVI. Imperij eiusdem Caroli, Ioannes Arelatensis & Nebridius Narbonensis sedis Archiepiscopi appellantur: & in Rhemensi eodem Cæsare habita DCCCXIII. Vulfarius eiusdem sedis. Metropolitani quoque vox postea in vsu fuit, vt in Synodo Parisiensi Ludouico Magni filio Cæsare, DCCCXXIX. Legi enim in præfatione illius hæc verba: *Statuimus atque decreuimus cum consultu Sacerdotum, cæterorúmque fidelium nostrorum, huius rei gratiâ, ob placandum scilicet contra nos nobisque subiectos Domini furorem, conuentus eorundem Episcoporum in quatuor Imperij nostri locis congruentissimis fieri. Primo scilicet in Moguntinensi vrbe, vbi conueniant Metropolitani, Antgarius, Adubaldus, Hetto, Beruuinus, cum Suffraganeis suis. Secundo quoque in Parisiorum vrbe, vbi futurus Antistes Senonicus, & Ebbo, Ragnoardus, & Landranus Metropolitani, cum Suffraganeis suis conueniant. Tertio verò apud Lugdunum, vbi Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agericus cum Suffraganeis suis similiter conueniant. Quartò etiam apud Tholosanam vrbem, quò simul conueniant Notho, Bartholomæus, Adalelmus, Aguiulfus, cum Suffraganeis suis.* Metropolitani tamen se Episcopos simpliciter, non Archiepiscopos, nuncupabant. Agobardus Lugdunensis Metropolitanus in publica Ludouici Pij coram amplissimo conuentu Episcoporum & Procerum pœnitentia: *In nomine*, inquit, *Dei ac Domini nostri Iesu Christi, anno Incarnationis eius* DCCCXXXIII. *Ego Agobardus Lugdunensis Ecclesiæ indignus Episcopus, interfui venerabili Conuentui.* Et in libello de Iudaicis Superstitionibus, *Alcimus Auitus Viennensis Episcopus quàm eximius Doctor ortodoxus exstiterit, nouit penè tota nunc Ecclesia Christi. Sanctus Apollinaris Episcopus Ecclesiæ Valentinæ, quantus fuerit & sit, non solùm gesta de eo scripta, sed & crebra eius miracula vsque hodie sublimiter testantur. Sanctus Gregorius Lingonicæ Ecclesiæ, quanta sanctitate & virtute fuerit, vita eius scripta, & finis vitæ, atque honor ei ab Ecclesia delatus, vsque hodie testes sunt. Viuentiolus Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus, cuius doctrinæ fuerit, non solùm ipsa, sed & aliorum de eo scripta testantur.* Et paulò post, *Sanctus Cæsarius Ecclesiæ Arelatensis Episcopus, cuius meriti & doctrinæ fuerit, multa & præclara monumenta designant. Priscus Lugdunensis Episcopus, Artemius Senonicæ, Remedius Bituricæ, & sanctus Gregorius Heduorum Episcopus, cum ceteris pluribus, statutis Ecclesiasticis reuerentiam definiunt. Sanctus Lupus Lugdunensis, cum aliis viginti quatuor Episcopis vel Vicariis Episcoporum similiter in nomine Domini nostri Iesu Christi congregati pro causa corporis eius quod est Ecclesia, inter multa hæc etiam statuit.* Igitur non solùm Metropolitani Episcopi, sed aliarum quoque sedium Episcopalium Antistites ab Agobardo nominantur. Hunc quoque locum de Metropolitanis & Primatibus adiicere placet ex capite v. Hincmari post Ebbonem Remorum Metropolitani: *Metropolitani*, ait, *qui & Primates in sacris Canonibus appellantur, quique in loco defunctorum Archiepiscoporum & Metropolitanorum ab Episcopis cuiusque Prouinciæ sine interrogatione alterius Primatis præualeant ordinari, & ex antiqua consuetudine & lege à Sede Apostolica solicitudo & prælatio omnium Ecclesiarum in Primatu est Sancti Petri collata. Pallij solent genio insigniri, & in loco decedentium Episcoporum sine consultu vel licentia Primatis alterius in sua Prouincia quique possunt Episcopos ordinare, & suo iure debent modis omnibus secundum eosdem sacros Nicænos Canones conseruari, qui inuiolabiliter decreuerunt vt in sancta Alexandrina Ecclesia, quia & vrbis Romæ parilis mos est, & apud Antiochiam ceterásque Prouincias, sine priuilegio seruentur.* hæc quidem Hincmarus de Metropolitanis & Primatibus ait Epistola ad Rhemensis Diocœsis Episcopos. Aliud esse Ecclesiam, aliud Templum, & quàm differant, ex Isidoro Pelusiota ad Theodosium Epistola CCXLVII. lib. III. admodum facile est intelligere. *Discat Eusebius Pelusiotarum Antistes, quid sit Ecclesia. Est enim absurdissimum ac perquàm graue, ipsum ne hoc qui-*

dem cognitum habentem in hac opinione versari, vt Episcopum se esse existimet. Nam quòd sanctorum cœtus, ex recta fide, atque optima viuendi ratione collectus, Ecclesia sit, inter eos constat, qui sapientiam degustarunt. Quòd autem ille hoc ignorans veram Ecclesiam euertat, dum multis offendiculi causam præbet, Templum autem extruat: atque illam quidem ornatu spoliet, probos viros expellens, hoc autem magnificis marmoribus exornet, hoc quoque nemini obscurum est. Quòd si ille certò cognoscat, aliud Ecclesiam, aliud Templum esse (nam ea ex immaculatis animis constat: hoc autem ex lapidibus & lignis exædificatur) sic existima, eum finem facturum esse illam euertendi, hoc impensiùs, quàm necesse sit, exornandi. Neque enim parietum, sed animarum causâ cœlestis Rex huc venit. Quòd si se ignorare fingat quod dico, etiamsi vel tardissimis quàm maximè clarum ac conspicuum sit, exemplis hoc declarare conabor. Vt enim aliud est sacrificium, aliud altare, aliud thymiamatis locus, aliud thymiama, aliud ferum, aliud senatus (illud enim locum in quem coeunt significat: hic autem viros eos qui consilium ineunt, ad quos & periculum & salus pertinet) eodem modo de Templo & Ecclesia statuendum est. Quòd si ne sic quidem se intellexisse dicat, illud ex me discat, quòd Apostolorum tempore cùm Ecclesia & spiritualibus gratiis abundaret, & vitæ splendore afflueret, nulla Templa erant: at nostra tempestate Templa plus quàm par sit exornata sunt: Ecclesia autem, ne quid grauiùs dicam, comicis cauillis incessitur. Ego verò, si mihi optio daretur, temporibus illis fuisse mallem, in quibus Templa quidem non perinde ornata erant, Ecclesia autem diuinis ac cœlestibus gratiis vndique cincta & redimita erat; quàm his nostris, in quibus Templa quidem omnis generis marmoribus exhonestata sunt, Ecclesia autem spiritualibus illis gratiis nuda & vacua est.

ENVMERATIO SIVE ADNOTATIO METROPOLEON ET Prouinciarum totius Regni Franciæ, in qua ordinem sequemur ab Isidoro Hispalensi traditum, quòd vetustiorem Gallici generis Auctorem non habeamus.

PRIMA Lugdunensis à Lugduno Colonia Romana dicta est, quæ vrbs vna cum Vienna, ceteris Galliæ præstare dicitur ab Eusebio Cæsariensi libro IV. eique subsunt Episcopatus Burgundiæ Æduorum, quos ordine prosequemur, vbi primùm de Archiepiscopo Lugdunensi pauca demonstrauerimus. Diuus Cyprianus Carthaginiensis Epistola XIII. lib. III. ad Stephanum Papam Romanum, *Faustinus*, inquit, *collega noster Lugduni consistens, semel atque iterum mihi scripsit, significans ea quæ vtique scio, tam ab eo quàm ceteris Coepiscopis nostris in Prouincia constitutis, quòd Marcianus Arelate consistens Nouatiano se coniunxerit.* Et paulò post, *Quapropter facere te oportet plenissimas litteras ad Coepiscopos nostros in Galliis constitutos.* Ex quibus Cypriani verbis primùm videmus, Faustinum eius collegam, id est Coepiscopum fuisse, deinde Lugduni in Galliis consedisse, tertio Martiani Arelatensis cum Nouatiano coniunctionem in Prouincia factam. quod nomen hic propriè accipitur pro regione iuxta mare Gallicum Rhodanúmque sita à Romanis olim impositum, quódque adhuc retinet. Prouincia enim appellatur. Cùm autem Stephanum Romanum Pontificem monet, vt plenissimas literas faciat ad Episcopos in Galliis constitutos, plurali numero Gallias ab eo dici, nos Galliam, quòd partes Galliæ iuxta Augusti Cæsaris diuisionem Gallias appellet, siue Galliæ Prouincias. Notandum quoque est Epistolam à Cypriano scriptam, qui Valeriano & Galieno Cæsaribus viuebat, à quibus gladio percuti iussus est. Sed ante hos Septimio Cæsare imperante scribit Florens Tertullianus, in Gallia fuisse maximam multitudinem Christianorum, & Irenæum Aurelij Veri temporibus Lugduni Episcopum fuisse narrat Eusebius libro V. Igitur Episcopi in Gallia constituti fuêre, quàmprimum post mortem Domini, Christianæ pietatis & Religionis nomen auditum est, præconésque Euangelij semina salutifera spargere potuerunt.

PROVINCIA LVGDVNENSIS PRIMA.

LVGDVNVM igitur, quam vrbem Arar fluuius interluit, Rhodanus alluit, Archiepiscopalem habet, sub qua sunt Episcopatus cis Ararim in Burgundia siti.

A

Nomina Episcopatuum in Burgundia cis Ararim.

BOVRGONGNE.

Autun. Ædui, & Augustodunum Hieronymo.
Langres. Lingonensis. In Vogeso monte positus est, vulgo *Vauge.*
Mascon. Matisconensis. Matisco ad Ararim Cæsari.
Chalon. Cabilonensis. Cabilinum Iulio Cæsari ad Ararim, & Sidonio oppidum & municipium Epistola xxv. lib. iv. ex Cabilonensi Concilio secundo. *Auxiliante Domino nostro Iesu Christo, & imperante serenissimo atque inclito Augusto Carolo, conueniunt Episcopi & Abbates totius Galliæ Lugdunensis in vrbem Cabilonum.* Abaelardus scientissimus Auctor Lugdunensis primæ Sedis Galliarum meminit in Libello Calamitatum suarum.

Horum primus à Lugdunensi est Æduensis, qui vacantem regit, fructúsque suos facit, & vicissim Lugdunensis in demortui Æduensis iura succedit.

SECVNDA LVGDVNENSIS, *vulgo Normandie.*

B IN secunda Lugdunensi, quæ Normania hodie dicitur, & septem Episcopatus habet suis finibus inclusos, Rothomagensi Archiepiscopo obsequuntur sedenti in ea vrbe ad Sequanam posita.

Bayeux. Baiocensis. Baiocasses Cæsari & Ausonio, nunc Baiocæ.
Auranches. Abrincensis. Abrincantui Cæsari, nunc Abrincæ.
Eureux. Ebroicensis. Eburouices Cæsari, nunc Ebroicæ ad Itonem fluuium, qui Ebroicas alluit.
Sees. Saiensis. Sesuuij Cæsari, nunc Saium. quod oppidum ab Olenæ noti amnis fonte parum abest, per idque fluit inter diui Martini Monasterium & Episcopalem Ecclesiam.
Lizieux. Lexouiensis. Lexouij Cæsari, nunc Lexouium.
Coutances. Constantiensis. Constantia castra, ab Cæsare Constantino dicta.

Horum primus à Rothomagensi est Baiocassinus, secundus Abrincantuus. Rothomagus autem vrbs præclara ad Sequanam, Paulini Epistola ad Victricium nota erat Theodosij Magni temporibus.

TERTIA LVGDVNENSIS.

IN Lugdunensi tertia, Turonensi Archiepiscopo sedenti ad Ligerim, vbi Turonus vrbs Turonorum sita est, Cæsarodunum à Ptolomeo dicta, sunt tredecim C Episcopatus. Quorum nouem Britanniâ minori seu Armorica continentur, Oceano semicincta. Primus enim & tertius extra eam sunt. Prosper in Chronico: *Martinus,* ait, *Episcopus Turonorum Galliæ Ciuitatis multis clarus habetur.* Cathedralis tamen Ecclesia S. Mauritij nomen habet, vnde legimus: *Alexander Papa tertius Concilium congregauit Turoni in Ecclesia S. Mauritij* xii. *Kal. Iunij.* etsi illa passim S. Gatiani Templum dicitur.

Le Mans. Cenomanensis. Ad Sartam modicum amnem.
Angers. Andegauensis. Andes Cæsari, Tacito Andegaui, quos Meduana fluuius interluit.
Rennes. Redonensis. Redones Cæsari Vigelania interluuntur, nunc Vicenonia amne.
Nantes. Nannetensis. Nannetes Cæsari ad Ligerim.
Vannes. Venetensis. Veneti Cæsari, magnæ auctoritatis Ciuitas.
Cornoaille. Corisopitensis. Corisopitum oppidi nomen Curiosolitarum.
Leon. Leonensis. Leonium oppidum Cæsari Osissimiorum.
Triguet. Trecorensis. Trecora oppidum in minori Britannia circa annum Domini DC. tempore Sigeberti Regis, filij Clodouei, & Albini Andegauensis Epi-

ſcopi, Sedes Epiſcopalis erat in Ciuitate Leſobienſi ad mare, quæ poſtea circa annum Domini DCC. deleta eſt à Danis & Saxonibus, & Ciuitas æquata ſolo: vbi hodie in loco maioris Eccleſiæ ædificata eſt Capella miræ deuotionis ſub honore beatæ Virginis & Sancti Thuduani. Tranſlata autem eſt ad peninſulam Trecor dictam, à qua Trecora vrbs nominata eſt, diſtátque quinque leucis. In quinqua peninſula tunc deſerta præfatus S. Thuduanus Monaſterium ædificauerat quaginta Monachorum ſub honore S. Andreæ. quó in loco Sedes Epiſcopatus poſtea poſita fuit. A

S. Brieu. Briocenſis. S. Brioci oppidum appellatur à nomine Apoſtoli ſui, verùm Templum dicatum eſt beato Stephano Martyri. Oppidum ipſum inter duos amnes, Ptolomeo celebres, quorum vnus Tritius dicitur, alter Argennus, vulgo *le Triew* & *Arguennon*.

S. Malo. Maclouienſis. Mari penè vndique cinctum.

Dol. Dolenſis. A Dolo oppido & Monaſterio in minori Britannia, de quo Vſuardus ad v. Kal. Auguſti. *In Britannia minori Dolo Monaſterio S. Sampſonis Epiſcopi & Confeſſoris.*

QVARTA LVGDVNENSIS,

Sens.

LVGDVNENSIS quarta, quæ à Sidonio Senonia dicitur, ſita eſt ad Icaunam flumen in Sequanam influens. *Hugoni Reuerendo Lugdunenſium Archiepiſcopo humilis Iuo Carnotenſium Epiſcopus in Chriſti eſſe viſceribus*, Epiſtola XVIII. *Audiui domnum Vrbanum Apoſtolum Legationem Apoſtolicam tuæ credidiſſe charitati, qua laudabiliter functus es tempore prædeceſſoris ſui bonæ memoriæ Papæ Gregorij.* Et Epiſtola CXXVI. *Hugoni primæ ſedis Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Sedis Apoſtolicæ Vicario.* Et Epiſtola CCXXXVIII. *Ioanni primæ Lugdunenſis ſedis Archiepiſcopo.* Epiſtola CCXXXIX. cuius titulus eſt, *Ioannes primæ Lugdunenſis ſedis Archiepiſcopus, Iuoni Carnotenſi Epiſcopo.* Epiſtola XVIII. Iuonis ad Richerium Archiepiſcopum Senonenſem ſic habet. *De veteri querela, quam habet aduerſus Senonenſem Eccleſia Lugdunenſis, Apoſtolica manu roborata, vel ſcripta autentica, quæ Primatum Lugdunenſis Eccleſiæ, quem aliquando ex catalogis Ciuitatum coniicimus extitiſſe, ab Eccleſia veſtra remoueant, & libertatem quam deſideramus eidem Eccleſiæ defendant, ea confratribus noſtris oſtendatis, & eadem paruitati meæ tranſmittatis, quibus tanquam firmis ſuſtentaculis innitamur, & libertatem matris noſtræ pro poſſe noſtro tueamur. Quæ ſi modò ad manum non habetis, non eſt conſilium meum vt contra torrentem brachia dirigatis: immò Apoſtolicis ſanctionibus interim adquieſcatis abſque præiudicio priuilegiorum vel autenticarum ſcripturarum, ſi quando reperiri poterunt, quæ hanc ſubiectionem ab Eccleſia veſtra remoueant, & eiuſdem Eccleſiæ libertatem defendant. Qui meliùs ſentiunt, meliùs conſulant.* Cùm prima Lugdunenſis Prouincia, Lugdunenſis Prouincia ſit nihilominus ſecunda; tertia, quarta Lugdunenſis Prouincia eſt. Cùm ergo primæ ſedis Lugdunenſis Præſul pro ſuis aut illorum neceſſitatibus ſecundæ vel tertiæ Prouinciæ Præſules vocat, non ad alienam Prouinciam trahit, ſed rationabili & iuſto ordine ſeruato inferiora membra ad caput reuocat, vt vel ei aduerſitate condoleant, vel proſperitate congaudeant. Sub Senonenſi autem Archiepiſcopo ſunt ſeptem Epiſcopatus. B C

Chartres. Carnotenſis. Carnutes Cæſari ad Auduram.

Auxerre. Altiſſiodorenſis. Autricus ad Icaunam. Proſper Aquitanus Germani Epiſcopi Autiſſiodorenſis meminit, & Conſtantius Ciuis Lugdunenſis Autrici, atque Vſuardus Altiſſiodori mentionem facit.

Troye. Tricaſſinorum. Tricaſſes & Tricaſſini, nunc Trecæ, & Auguſtobona Ptolomæo, quæ interluitur Sequana. Trecas Campaniæ vrbem nunc dicimus. Sidonius, *Lugdunum nuper*, inquit, *à Tricaſſibus venit.* Epiſtola XII. lib. VII. Lupum Tricaſſinorum & Tricaſſinæ Ciuitatis Epiſcopum appellat.

Orleans. Aurelianenſis. Aurelia Vrbs Carnutum ad Ligerim, vbi Genabus fuit, & Sidonius in Epiſtolis Aurelianenſem vrbem primus dixit.

Paris. Pariſiorum. Lutetia Pariſiorum Cæſari, Sequana nunc interluitur.

Meaux. Meldorum. Meldi Matronâ interluuntur.

A *Neuers*. Niuernensis. Niuerniæ à Niueris in Ligerim ostio, vbi Nouiodunum Æduorum fuit.

PROPTER celebritatem nominis & Lutetiæ famam separatim aliquid de Dionysio dicere operæprecium est. Primus Episcopus Parisiorum fuit beatissimus Dionysius, de quo & sociis Vsuardus ait: *Apud Parisium natalis sanctorum Dionysij Episcopi, Rustici Presbyteri, & Eleutherij Diaconi. Qui beatus Episcopus à Pontifice Romano in Gallias prædicandi gratia directus, ad præfatam vrbem deuenit, vbi per aliquot annos commissum sibi solerter & ardenter opus prosequens, tandem à Præfecto Fescennino vna cum sociis gladio animaduersus, martyrium compleuit.* Sed & in Epistola Alexandri II. Pontificis Romani Dionysium eundem quoque martyrem dici, & de Monasterio eius (quod ad ripas Sequanæ est) multa præclara narrari video. *Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, charissimo fratri Geruasio Rhemensi Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Deuotioni tuæ notum fieri volumus, quòd Abbas Monasterij S. Dionysij martyris apud nostram audientiam super Episcopo Parisiacensi semel & secundo fuerit questus, videlicet quòd ipse contra ius priuilegiorum à sanctis & Apostolicis viris salubriter eidem Monasterio multotiens concessum, contráque Francorum Regum & Episcoporum ipsius patriæ constitutiones, subripere, sibique vendicare iamdicti Monasterij potestatem attentauerit. Ad quæ nimirum dirimenda ad Sedem Apostolicam vtrumque venire inuitauimus, vt ibi congregatis Ecclesiarum Iudicibus huius causam litigij canonicè determinaremus. His igitur in sancto Concilio repræsentatis, post longam* B *discussionem, post varias vtriusque partis oppositiones, claruit iustitiam præfato Monasterio fauere, nec tot aut tantorum Pontificum auctoritati horrendo anathemate aliquem posse obuiare. Vnde consilio totius sancti Conuentus, quæ à sanctis prædecessoribus nostris sanctè sunt instituta firmauimus, atque corroborauimus. Rogando itaque fraternitatem tuam admonemus, si inuitatus fueris ab Abbate vel à fratribus eiusdem Monasterij, chrisma, & oleum, & cætera quæ eis Episcopali officio videntur necessaria, tribuas, ac tuos Suffraganeos tribuere præcipias.* Aimoinus Petragoricus in vita Abbonis Floriacensium Abbatis cap. IX. *Roberto*, ait, *& Hugone Regibus, Concilium aggregatum est in Monasterio S. Dionysij, vbi Seguinus Senonum Archiepiscopus Primatum Galliæ in ea Synodo sibi vsurpauit.*

QVINTA LVGDVNENSIS,

Besançon.

IN Prouincia Maxima Sequanorum, vt Isidoro videtur, est Vesontio, vrbs vetustioribus, & Ausonio nota, súbque eius Archiepiscopatu inter ceteros censetur.

Bellay. Bellicensis, à Bellicio vrbe. Qui nunc paret Christianissimo Regi, habétque Templum Episcopale diuo Ioanni Baptistæ dicatum, conditúmque à Ro-C dulpho Ignauo Rege Iurensi.

BELGICA PRIMA.

EA est Metropolis Treuirorum ad Mosellam flumen eleganter ab Ausonio descriptum. Vrbem Belgarum in Treuiris Augustam, Mela ait opulentissimam fuisse. Saluianus Treuiros Gallorum vrbem opulentissimam quoque fuisse prædicat, in Libris de Prouidentia & iudicio Dei. Beda quoque cap. XXI. lib. I. ait, Seuerum discipulum beatissimi Patris Lupi Tricassinorum Episcopi, ordinatum Episcopum Treuirorum gentis primæ Germaniæ, & Germanum Episcopum Altissiodorensem in Britanniam nauigasse, id est in Angliam. Epistola est apud Iuonem CCXII. sic inscripta: *Brunoni Dei gratia primæ sedis Belgicorum soli Archiepiscopo.* Subest Electori Imperatoris Germanici. Sub qua Metropoli sunt tres Episcopatus Imperio Regis Christianissimi obsequentes.

Mets. Metensis. Mediomatrices per quos Mosella fluit.
Toul. Tullensis. Tullus Leucorum.
Verdun. Virdunensis. Vereduna vrbs Fortunato, quam Mosa intersecat, quò Virdunum dicitur.

BELGICA SECVNDA. A

Champagne & Picardie.

IN Belgica secunda sub Rhemensi Archiepiscopo, qui sedet Durocortori ad Vidulam amnem, de quibus Gregorius Turonensis: *Quidam apud Belgicæ secundæ Prouincias, id est suburbio Remensis vrbis.* cap. XXIII. in vita Iuliani Martyris. Epistolâ ad Gerardum Abbatem Aureliacensem Gerbertus, qui summus Pontifex postea fuit, beatum Remigium appellat Francorum Apostolum. Episcopatus hi sunt.

Soissons. Suessionensis. Suessiones Cæsari ad Axonam.

Chalons. Catalaunensis. Catalaunum interluitur Matrona. Vsuardus Catalauni, aliique Auctores meminere. *Ne Ciuitati vel Ecclesiæ Catalaunorum suum deneget honorem, meminisse vos decet quòd in antiquis inscriptionibus Belgicæ secundæ ipsa Ciuitas à Rhemensi & tertium locum habuit.* Hæc quidem Fulbertus Iuone antiquior. Sequitur dedicatio Ecclesiæ Catalaunensis. *Anno incarnati Verbi* MCXLVIII. *consecrata est hæc Ecclesia in honore sanctæ Trinitatis, & S. Mariæ, & S. Prothomartyris Stephani, & Ioannis Baptistæ, & Valerij & Vincentij Martyrum, & Chrisantij & Dariæ. Dedicatio autem facta est à Domino Papa Eugenio solemniter cum sex aliis Episcopis, Alberico Ostiensi, Vuaro Tusculano, Theobaldo Parisiensi, Bernardo Autissiodorensi, Hugone Niuernensi, & Bartholomeo huius sedis venerabili Episcopo, qui eandem dedicationem honorificè fieri procurauit. Actum publicè* VII. *Kal. Nouembr.* B

Laon. Laudunensis. Laudunum in Clauato edito monte situm.

Senlis. Siluanectensis. Siluanectum à vicina silua dictum, ad tertium Kal. Aprilis Vsuardus ait, *Apud castrum Siluanectis depositio S. Reguli Episcopi & Confessoris.*

Beauuais. Bellouacensis. Bellouaci Cæsari, nunc Beluacus, quam vrbem Thara amnis interluit, deducto riuo intra vrbem.

Amiens. Ambianensis. Ambianum Somona alluit, deducto in eam riuo, qui in decem alueolos diuiditur.

Noyon. Nouiodunum. Nouiodunum Belgarum Cæsari, nunc Nouiomus prope Esiam amnem, non Isaram qui in Rhodanum fluit. Vsuardus in Martyrologio, *Ciuitate Nouiomo S. Eligij Confessoris.* Hunc Eligium Homeliæ quas conscripsit magnoperè commendant.

Bologne. Boloniensis. Vrbs ad Oceanum nota Ammiano Marcellino historico.

QVORVM Episcopatuum Remensis, Suessionensis, Catalaunensis, Campaniâ continentur, regione à planicie camporum sic dicta: Ambianensis, Nouiomensis, Bellouacensis, Siluanectensis, Picardiâ, cui à longis armis nomen esse puto, iuxta illud Lucani, C

Longis quæ leues Axones in armis.

Nam Poëta Suessiones intelligit, quorum vrbem Axona alluit. Populos enim qui Axonam incolunt sic appellat, puta Suessiones & alios. Superiorum autem Episcoporum primus à Remensi est Suessionum Episcopus. vnde in templo Geruasij & Protasij in ea vrbe vncialibus litteris adhuc legitur.

Vrbs debet verè hæc post Remos prima sedere.

Attrebatensis autem Episcopatus, Cameracensis, & Tornacensis, beatæ Mariæ Templis ornati, nunc parent Hispano Regi. Ex Taruanensi verò siue Morinensi, diruta superiore ætate Taruana vrbe celebri, tres Episcopatus instituti sunt, S. Audomari, Yprensis, & Boloniensis, qui solus Christianissimo Regi obsequitur.

AQVITANIA PRIMA.

IN Aquitania prima sub Bituricensi Archiepiscopo, sedenti apud Auaricum Biturigum, qui Cubi appellantur, vrbem ouali figura ad flumen Euram, vnde Auaricum dicitur, vulgò *Auron*, qui vrbem illam alluit ac ponte iungitur, quatuor aut quinque arcus è lapide continente ad portam Avroniam iuxta murum, & amnis ipse plebeia voce *Vurette* appellatur: ac visitur inscriptio in fronte Ca-

A thedralis Ecclesiæ vncialibus literis incisa in hunc modum, PATRIARCHALIS ECCLESIA S. STEPHANI: hi Episcopatus numerantur.

Clairmont. Aruernensis siue Claromontensis. Municipium Aruernum non procul à veteri Gergouia Epistola I. lib. II. Sidonij, & v. lib. VII. de Vrbibus Aquitanicæ primæ. *Solum*, inquit, *oppidum Aruernum Romanis reliquum partibus, bella fecit.* Oppidum quoque nominatur, & Ciuitas, Epistola II. lib. II. Quam vrbem Claromontem iam vocabant Lupi Ferrariensis temporibus sub Carolo Caluo, etsi Vsuardus sub eodem Cæsare Aruernum etiam vocat. Robertus Montis Monachus libro de bello Hierosolimitano: *Anno*, inquit, *Dominicæ Incarnationis* MXCV. *magnum inter fines Galliæ Concilium celebratum est, in Aruernia scilicet, & in Ciuitate quæ Clarusmons appellatur: cui Papa Vrbanus II. cum Episcopis & Cardinalibus præfuit.*

Rhodés. Ruthenensis. Rutheni Cæsari, in conspectu Auerionis fluuij.

Alby. Albiensis. Albia ad auriferum Tarnem. Quæ regio croco excellenti & glasto abundat.

Cahors. Cadurcensis. Cadurcum, quam Oltus penè circumfluens peninsulam efficit.

Limoges. Lemouicensis. Lemouices Cæsari, ad Vigennam flumen (vulgo *la Vignana*) Sulpitio Seuero cognitā. In Concilio Lemouicensi habito anno MXXXII. B reperio sanctam Lemouic. Ecclesiam esse primam omnium Ecclesiarum Galliæ. Ei Concilio interfuere, Aymo Archiepiscopus Bituricensis, Iordanus Lemouicensis, Stephanus Auiciensis, Ranco Aruernensis, Ragamundus Mimatensis, Æmilius Albiensis, Deusdedit Cadurcensis, Isembertus Pictauiensis, Arnaldus Petragoricensis, Roo Engolismensis.

Mende. Mimatensis. Gabalorum, quam vrbem Oltus, qui & Olda dicitur, præterfluit.

Le Peu, vulgo *le Puy.* Auiciensis. Vellaunorum, ab Auicio colle dictus, non Anicio. Rigordus enim in vita Philippi Augusti: *Ciuitas Auicium*, ait, *vulgo nunc Podium dicitur*, éstque in valle collium sita, velut in fundo pari, quo Mimate, in radicibus montis posita.

EPISCOPATVS A IOANNE VICESIMO SECVNDO instituti in Aquitania prima.

Castres. Castrensis. Castrum Albiensium, interluitur Acuto amne, qui fluit inter oppidum & Godonis villam.

Vabres. Vabrincensis. Vabrincum Ruthenorum oppidum.

Tulles. Tutelensis. Tutelæ modico amne Correzia alluuntur, immo verò interluuntur, si suburbana ædificia & ternarium numerum pontium attendas, & Correzia in Vezeram labitur. Tutelas autem alio nomine dictas scio. appellari enim C Tullum in vita Martialis admodum vetusta.

S. Flour. S. Flori. Indiciacus, oppidum in edito monte situm, quem Planum vocant, vt in vita Flori continetur, cuius radices subluit Adia flumen.

QVORVM Episcopatuum Aruernensis primus est. Vnde illud Sidonij Epistola IX. lib. VII. *In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Simplicius est, quem Prouinciæ nostræ Metropolitanum, Ciuitati vestræ summum Sacerdotem fieri debere pronuncio.* Vbi Ciuitatis nomine vrbs Biturigum accipienda est, quas nunc Biturigas vocant. Itaque Sidonius Apollinaris eadem Epistola, *Priùs noueram Bituriges quàm Biturigas.* Castrensis verò, Vabrincensis, Tutelensis, S. Flori, ab eodem Ioanne instituti sunt, & distracti à vicinis Episcopatibus. Castrum enim Albiensis Dioeceseos erat, & in eo Monasterium Ordinis S. Benedicti, dependens à Cœnobio S. Victoris Massiliensis, cuius Templum eidem Benedicto dicatum erat, sed à Segregibus dirutum fuit. In Episcopatum verò mutata est ab Ioanne XXII. anno MCCCXVIII. & secularis facta à Paulo III. anno MDXXXV. Francisci I. temporibus, & Iacobi Turnonij Episcopi. Vabrincum quoque Ruthenæ Dioeceseos, ex Monasterio Benedicti, condito à Comitibus Tholosanis, ac dependente ab eodem S. Victore, idem Ioannes Episcopatum fecit, & Gregorius XIII. Mo-

nachos solitam vestem exuere permisit. S. Flori, à Claromontensi Episcopatu distractus est. Tutelensis à Lemouicensi. A

AQVITANIA SECVNDA, VVLGO GVYENNE, QVASI AQVIENNA ab aquis dicta, quod fluminibus abundet.

SVB Burdigalensi Archiepiscopo, qui sedet Burdigalæ Biturigum Viuiscorum, ad Oceanum & Garumnam flumen: éstque Burdigala ab Ausonio, qui magis scire potuit, verissimè descripta.

Agen. Aginnensis. Nitiobrigum Cæsari ad Garumnam flumen.

Angolesme. Eccolismensis. Eccolisma in monte sita, cuius radices subluit Carantonus flumen Ausonio cognitum, à Lupo Ferrariensi in Senonibus Abbati, & Vsuardo, Engolisma dicitur. In ea euersæ sunt à Segregibus fornices chori, & magnum campanile è lapide quadrato contextum, cuius acumen prææltum erat.

Saintes. Santonensis. Santones Cæsari, ad Carantonum siti. In Ecclesia Santonensi ab iisdem Segregibus quid non euersum est? solum campanile admirandæ structuræ iudicio omnium artificum integrum permansit.

Poictiers. Pictauiensis. Pictones Cæsari, Pictauium Hieronymo, Augustoritum Ptolomeo, ad Clanum amnem.

Perigueux. Petracoricensis. Petracorij Vesuna vrbe clari, vt adhuc Romana inscriptio ostendit, flumine Ella siue Isla. Ex lib. VII. Iosephi Scaligeri de emendatione temporum hunc insignem locum annotare placet. *Neque caussas scimus periodi cuiusdam Paschalis, quam in Petracoriis vidimus vna cum cl. v. P. Pithœo nostro* 1583. *Augusta Vesunnæ Petrocoriorum vetustissimum splendorem testantur adhuc eximiæ priscorum monimentorum reliquiæ, inscriptiones, amphitheatrum, Turris admirandi operis, quæ sola retinet nomen Vesunnæ. Tam claræ vrbi multum quidem nocuit tempus, sed longè magis superiorum bellorum ciuilium licentiâ deformata fuit. Nam & Episcopium, quod peramplissimum erat, & Basilica Stephani, euersa sunt. In ea Basilica, in dextro latere altaris maioris insculptæ erant Dominicæ Paschales literæ meliore, quàm vt longè infra tempora Iustiniani descriptæ videantur. Titulus ita conceptus est.* Hoc est Pascha sine termino, & nume .·. *cùm finierit à capite reincipe, Marcius* XXIV. AP. XII. AP. IV. AP. XXIV. .·. IV. MP. XXXI. AP. XX. *& ita deinceps. In fine autem*, MR. XXVII. AP. XVI. MP. XXXI. AP. XX. *& mediocriter docto paret initium esse à cyclo Paschali Dionysiano* XVI. *solari* XXIV. Stephani Martyris Basilicam apud Petracorios dirutam atque euersam extra muros vrbis, loco, cui ciuitatis nomen impositum erat, narratum est. B

EPISCOPATVS NOVI AB IOANNE ROMANO PONTIFICE creati in Aquitania secunda. C

Condom. Condomiensis dictus à Condomo oppido & Monasterio S. Petri Ordinis Benedictini, diuiso Episcopatu Aginnensi in duos. & Condomium Balisa amne alluitur. Distat à Burdigala viginti leucarum spatio, & ab Ausciis sex. Iulius autem secundus Canonicos secularisauit.

Maillezais. Malleacensis. Malleacum Monasterium S. Benedicti Pictauiensis diocesis, in Episcopatum erexit, Monachis in religioso vestitu relictis. Ecclesia cathedralis omnino disiecta est à Segregibus, ac diuina officia in Refectorio hodie fiunt.

Luçon. Lucionensis. Lucionum Monasterium erat Virgini dicatum, Ordinis S. Benedicti. nunc pro Monachis sunt Canonici, Episcopatu à Pictauiensi distracto.

Sarlat. Sarlatensis. Sarlatum Petragoricæ dioceseos olim oppidum ab Ioanne XXII. Episcopatus dignitatem consequitur erectam in Monasterio S. Sacerdotis natione Burdegalensis & Lemouicensium Episcopi numero tricesimi, qui apud Sarlatum in Monasterio quiescit.

A

AQVITANIA TERTIA, VT ISIDORVS VOCAT, SIVE Nouempopulana Prouincia à nouem Populis siue Ciuitatibus hîc numeratis, ea nunc Vasconia dicitur, vulgo Guascogne.

SVB Auscensi Archiepiscopo sunt sequentes Episcopatus. Aquitanorum clarissimos esse Auscos, Celtarum Æduos, Belgarum Treueris Augustam, in Æduis Augustodunum, in Auscis Elusaberrim Mela esse ait. hæc Elusa à Claudiano dicitur, illo semiuersu,

Murósque inuadit Elusæ.

vulgo *Eaulse*, quæ nunc Auscensi Archiepiscopo tanquam ad oppidulum redacta, cum parochiis quas olim habebat subiicitur. qua de re infra loquemur. Abest id oppidum ab Auscis septem tantùm leucis, sed Vasconicis, id est grandioribus. Prioratus verò eiusdem loci est Ordinis S. Benedicti. totidem etiam leucis distat à Lomberiensi Episcopatu. Calendis autem Maij, apud Auscium Ciuitatem Sancti Orientij, qui virtutibus ornatus sancto fine quieuisse scribitur, vt ait Vsuardus in Martyrologio. Ille autem Prioratus S. Orientij locupletissimus est, hodie Ordinis Cluniacensis.

NOMINA EPISCOPATVVM.

B

Aqs. Aquensis. Aquæ Augustæ ad Atturum flumen, calentes quidem, & ornatæ marmoribus, sed morbis penè inutiles.

Letoure. Lectorensis. Lectorates & Lactoratenses in publica & Romana Inscriptione in eadem vrbe appellantur. ad Ægircium quoque positi sunt.

Cominges. Conuenarum. Conuenæ S. Bertrandi oppidũ ad Garumnam flumen & radices Pyreneorum. Ex ruinis enim Conuenarum id oppidum constitutum est in valle Capraria. Salatus flumen modicum lapsum è Pyreneo, videri potest, cum ponte lapideo, in quo hæc inscriptio est. SACRVM MINERVÆ FATIDICÆ. In Pyreneis montibus prædones à Pompeio coacti sunt in vnum locum, cui Conuenarum nomen, Petrarcha de remedio vtriusque fortunæ. Et Conuenarum Hieronymus aduersus Vigilantium: & Geographi veteres Historicique meminere Lugduni Conuenarum.

Conserans. Consuaranensis. Vrbs S. Licerij, ab Austro perflante Austria etiam dicta, & suburbanis ædificiis carens, sub qua in planicie Salatus visitur. Licerium autem corruptè vocant *S. Licar*, alij *S. Lezé*.

Aire. Adurensis. Aduræ ad Aturrum flumen.

Basas. Vasatenses. Cossio Vasatum municipium, de quo Ausonius:

Cossio Vasatum municipale genus.

C Sidonius, *Ciuitas Vasatum non cæspiti imposita, sed pulueri*. Et Paulinus de Ausonio,

Consul arenosas non dedignare Vasatas.

Tarbe. Tarbiensis. Bigerrionum regionis (quos Ausonius pellitos Bigerras appellat) quæ Tarbella etiam Vibio Sequestro dicitur. Eam vrbem Aturrus præterfluit, deducto riuo, à quo Tarbia ipsa interluitur. At mihi videtur, vt opinor, apud Tibullum, cùm ait, *Tarbella Pyrene*, idcirco ita dici, quòd montes illi non longè absint à Tarbellis. In Bigerrionibus autem siue Tarbellis sunt Vicani Aquẽses, quorum aquæ salubres Tarbellicæ appellantur, & balnea illa Bagnerias Gallica voce hodie vocamus, tribúsque tantùm leucis ab vrbe Tarbiensi, (quæ Diocesis caput est) distare compertum est. In suburbano D. Martini Sacello Bagneriarum oppidi, visitur basis è candido marmore, quæ Vicanorum Aquensium nomen Bagneriis tribuit, vti habet inscriptio Romanis literis olim incisa. Frustràque & ineptè Aquas Augustas Tarbellicarum nomine censeri perspicuum est.

Oleron. Eloronensis. Ad Gauum, siue (vt Vascones vocant) Gaberum amnem Bearnensium regionis.

Lescart. Lascuriensis. Bearnensium regionis oppidum Lascurra.

Bayonne. Baionensis. Baiona ad Aturrũ, siue Atyrum, de quo amne Lucanus ait.

——Et ripas Atyri, qua limite curuo
Molliter admissum claudit Tarbellicus æquor.

Verùm propinquos Oceano Tarbellicos, cùm sint satis remoti disiunctique ab eo, non video quàm verè dici à Lucano potuerint. Nam Elusa, Aduræ, & Aquæ Augustæ propiùs accedunt: & hæ quidem vnius diei itinere ab Oceano & Baiona distant. Itaque Ausonij Vasatensis versum probo, qui regionem nosse melius suam potuit, quàm Lucanus alienam, & procul à se disiunctam. Versus Ausonij sic habet: A

------per saxa rotantia latè,
In mare purpureum Tarbellicus ibit Aturrus.

qui per Tarbellos è Pyrenæo delapsus fluit, pérque Adurensium & Aquensium agros, antequam in Oceanum labatur.

Inter Aquensem, Adurensem, & Lectorensem, de primo loco inter collegas inanis contentio est, quia ad Aquensem pertinet, si Isidorum sequi volumus.

NARBONENSIS PRIMA, SIVE VIENNENSIS SECVNDA Isidoro, quem hactenus quidem sequuti sumus, nunc mutato ordine Prouinciarum non sequemur.

NARBONNE.

SVNT Archiepiscopi duo in Volcis Arecomicis & Tectosagibus, videlicet Narbonensis, & Tholosanus. Quæ regio à Visigothis, id est, Occidentalibus Gothis, Gothia dicta est, vulgo Landgothia, siue terra Gothorum. Hæc enim dictio *Land* ceu tellus indicat, Gallica voce admodum corrupta, *Languedoc* pro *Landgoth*. Thorismodum Regem Gothiæ ferocissimum Sidonius appellat Epistola XII. ad Ferreolum lib. VII. Cui quidem Narbonensi subsunt Episcopatus. B

Beziers. Byterensis. Biterræ distant à Narbone leucis quatuor, ad Obrim sitæ, & à Septimanis dicuntur Septimanorum. Vnde apud Sidonium, Epistola I. lib. II. *Gothi Septimaniam suam fastidiunt*. Vsuardus ad XI. Calend. Aprilis, *Apud Septimaniam*, inquit, *Ciuitate Biterris depositio S. Aphrodisij Episcopi & Confessoris. Hic à beato Paulo Narbonensi Episcopo eidem vrbi ordinatus Antistes fidei documenta prætulit, virtutúmque meritis ornatus quieuit in pace.*

Agde. Agathensis. Agatha Araurari alluitur: & Concilio ibi habito Alarici Visigothorum Regis temporibus gloriatur.

Carcassone. Carcassonensis. Carcassonem Atax interluit, si superiorem partem altiorémque consideres: sin minus alluit.

Nismes. Nemausensis. Nemausus Arecomicorum, Melæ & veteribus esse dicitur.

De Narbone Martio hîc dicendum. Colonia est populi Romani dicta Atacinorum. Ea describitur ab Ausonio, & à Sidonio ad Consentium Narbonensem: Atáxque fluuius & alluit, & riuo in eam deducto interluit. Sed & Decimanorum Colonia vocatur, vt Mela & ceteri Geographi tradidere. In lapide sculptum est, COLONIA IVLIA PATERNA, NARBO MARTIVS. C

EPISCOPAPVS IN NARBONENSI PRIMA INSTITVTI, id est in Viennensi secunda, vt Isidorus ait.

Lodeue. Lodeuensis. Luteua castrum Isidoro dicitur.

S. Pons de Tomieres. S. Pontij Tomeriarum. Apud Tomerias fons ex antro oritur, scaturiens tanta aquarum copiâ, vt statim molas frumentarias agitet. Is riuus in Obrim fluit, ac salares gignit, nutritque & purpureos.

Alect. Alectensis. Allecta alluitur Atace.

Maguelone. Magalonensis. Magalona insula maris Mediterranei, in qua erat Monasterium Ordinis Canonicorum S. Augustini, celebrisque est apud Sugerium historicum, & Hildebertum in Epistolis. Idem Sugerius, *Paschalis*, inquit, *cùm applicuisset Magalonam arctam in pelago insulam*. Huius Templum adhuc integrum est, quia ab iniuria inimicorum Religionis se egregiè defendit, neque ei

nocere,

A nocere, aut eam expugnare potuerunt. A Monte-Pessulo præclara Volcarum vrbe distat vna leuca, & Magalonenses patronum Templi sui agnoscunt diuum Petrum. Verùm omnes ferè Canonici Montem-Pessulum incolunt, relicto vno è suis qui Magalonę habitat. Montis-Pessuli autem plurima Templa ab Hugonotis sunt euersa. Franciscus primus assensus est translationi Magalonensis Episcopatus in Montem-Pessulanum anno MDXXXVI. Antea enim Monspessulani Magalonensi Episcopo subiacebant, vt patet ex Capitulo *abolendæ*, *de sepulturis*, vt Chopinus Iureconsultus lib. II. de sacra Politia 4. n. 25. testatur. Et Rebuffus, qui Volca fuit, *Hæc mutatio*, inquit, *de Ecclesia Magalonensi ad Montem-Pessulanum, & fortè ea causa & frequenti, scilicet quando locus periculosus est: quia ibi sunt prædones*. Hæc Rebuffus in praxi beneficiorum, titulo *de translat. Episco. lib.* II.

Vzés. Vceticensis. Vcetica Gregorio Turonensi.

Horum autem Episcopatuum, Lodeuensis in Monasterio Ordinis Canonicorum beati Augustini, sub patrocinio S. Fulcranni Episcopi & Confessoris Luteuani, institutus est à Ioanne Pontifice Romano. Alectensis ab eodem, in Monasterio Ordinis S. Benedicti, etsi primùm Limosij designatus erat, diuiso Episcopatu Narbonensi. Magalonensis translatus est Montem-Pessulum præclaram Volcarum vrbem, ex qua tamen Episcopi quàm primùm mortui sunt Magalonam sepeliendi deportantur. Elnensis quoque suberat Narbonensi, nunc iuris Hispa-B nici in Comitatu Roscilionis, translata sede Perpennianum.

IN EADEM NARBONENSI PRIMA, VBI VOLCAE TECTOSAGES.

SVB Archiepiscopo Tholosano, Tholosæ sedenti ad Garumnam flumen, quæ vrbs ab Ausonio eleganter describitur, quæque Ciuitas olim Metropolis fuerat, vt ex inscriptionibus Aurelianesis primi Concilij apparet, sunt hi Episcopatus.

Pasmiez. Apamiensis. Apamiæ ad Aurigeram octo leucis Vasconicis à Tholosa.

Mirepoix. Mirapicensis. Mirapincum Lertius amnis alluit, decurrens in Garumnam.

Montauban. Montis-Albani. Oppidum Montis-Albani ad Tarnem, salubrem tabidis locum.

La Vaur. Vaurensis. Vaurum Lauracensis agri alluitur Acuto amne, ager verò glasto ad inficiendum excellenti abundat, vulgo *Lauraguet*. distátque à Tholosa quinque leucis.

Rieux. Riuensis. Riuenæ à riuo dictæ nomine Riza, qui oppidum penè circũfluit.

Lombés. Lomberiensis. Lomberia octo leucis Vasconicis distat à Tholosa trans Garumnam, éstque Monasterium.

S. Papoul. S. Papuli Martyris Monasterium Lauracensium distans nouem leucis C à Tholosa cis Garumnam, vna à Castronouo Arri oppido eiusdem Diocesis.

Quorum Episcopatuum primus Apamiensis à Bonifacio VIII. (cuius cadauer adhuc integrum detecto nuper sepulchro, in Templo S. Petri Romæ repertum dicitur) institutus est, in Monasterio sancti Antonini ad Aurigeram, vbi Canonici regulares collocati erant. Idque anno M. CC. XCVI. Nangius, & Bernardus Guido accidisse memorant. Mons-Albanus (vulgo *Montalban*) erat Cadurcensis Dioceseos, reliqui Tholosanæ, & Tholosa ipsa suffraganea Ecclesiæ Narbonensis, ac propter nimias opes Clemens V. cogitabat eam minuere. quod à Ioanne XXII. tandem præstitum est. Ipse enim in Dioceśi Tholosana Episcopatus sex instituit, qua de re agitur libro IV. Extrauagantium communium eiusdem Ioannis, titulo de præbendis & dignitatibus, capite quinto, cuius prima verba sunt. *Saluator noster*, necnon capitibus sexto, septimo, & nono eiusdem tituli. Vaurensis autem in regione Lauracensium ex Monasterio Canonicorum diui Augustini, dicato S. Alano Episcopo & Confessori, ab eodem Ioanne creatus est Episcopatus. Lomberiensis verò Epistola VIII. lib. IV. familiarium à Petrarcha describitur, vbi agit de morte Iacobi Columnæ ciuis quidem Romani, sed Lomberiensis Episcopi. *Qui procul à patria genitus, & sub illo gloriosissimo (Stephani) patris exilio productus in lucem, primos vagitus edidit in terra longinqua, spectatæque indolis puer tenerioris vitæ annos, vel*

sine te, vel si tecum egit, eâ tamen erat amborum ætas quæ nec veri iudicij capax est, & solidi A
amoris fundamenta non recipit. Et paulò post, *Sola virtutis admiratione facillimè dispensante ad Episcopatum est prouectus, factus Episcopus commissi muneris exactissimam curam habens, te quam primum relicto, ad sedem propriam maturauit, nec eum tanta rerum locorúmque mutatio exterruit. Inter Romanas opes ac delitias enutritus, ad Pyreneos saltus serenissima fronte & æquissimo animo transiuit, ita vt aduentu eius non tam sua, quàm locorum facies mutata, nec tam ipse in Vasconiam, quàm Vasconia omnis in Italiam transisse videretur.* Deinde, *Anno,* inquit, *Romæ, vbi septennium exegerat, vix peracto, in suo Episcopatu iuuenis admodum, ab huius vitæ tempestatibus, ad quietis portum & ad feliciora regna translatus est.* Mox subiicit, *Illud dicam vtrumque consulto diuinam statuisse prouidentiam, primùm scilicet vt duabus longè licèt imparibus vrbibus, ab eo dum vixit singulariter exornatis, ambæ quidem defunctum viriliter partirentur, & Roma sui ciuis perpetuam & immortalem famam, Lomberiensis Ecclesia veneranda Pontificis ossa seruaret: nullum celebrem titulum omnibus seculis habitura, si tamen id illum proprium ac perpetuum permiseris. Audio enim te de transferendis reliquiis cogitare, quod suadere nec dissuadere propositum est, ne illum aut Vrbi in qua Ciuis, aut Ecclesiæ in qua Canonicus sum, inuidisse videar.* Ille ipse Petrarcha loquens de Episcopo Lomberiensi Iacobo, *Reliquiæ,* inquit, *eius, quod nesciebam, nec suspicabar quidem, Romam anno demum tertio reportatæ sunt,* Epistola ad Ioannem Andream Bononiensem lib. v. de rebus familiaribus. Nam quod suprà diximus ad Ioannem fratrem demortui perscripsit. Vltimus Episcopatus est sancti Papuli, quem in Lauracensium finibus cis Garumnam situm esse demõstrauimus. B

NARBONENSIS SECVNDA, ID EST, VT ISIDORVS narrat, Viennensis.

AQVENSI siue Aquarum Sextiarum Archiepiscopo subsunt.

Apt. Aptensis. Ab Apta Iulia dictus, & vrbs quidem illa Romani operis, muris adhuc cincta est, abéstque ab Aquensi itinere vnius diei, id est, nouem leucis.

Riez. Reiensis. Sidonio celebris, & vetustioribus. Abest ab Aquis Sextiis duodecim leucis Prouincialibus. De qua Sidonius ad Faustum Epistola III. lib. IX. *In vrbe quoque, cuius sacra super inspicis.*

Freius. Foro-Iuliensis. Forum-Iulium tangit Alpes Maritimas, inquit Mela, & Strabo. Et quamuis Cathedrale Templum Virgini sit dicatum, tamen titulus Episcopi est diui Andreæ, omnésque Bullæ Pontificum id illi tribuunt.

Gap. Vapincensis. Vapincum oppidum Gregorio Turonensi.

Sisteron. Sistaricensis. Sistaricum vrbs ad Druentiam rapidissimum flumen.

IN VIENNENSI PRIMA.

VIENNENSIS prima, quæ decimo sexto lapide à Lugduno, vt Seneca tradit in ludo Claudij Cæsaris, sita est ad Rhodanum flumen, hodie quinque leucis, vt metimur itinerum longitudinem, & quam Ausonius describit, Pomponiúsque post Liuium & Cæsarem Allobrogum esse dicit, Episcopatus sequentes comprehendit. C

Valence. Valentinensis. Valentia Segalaunorum, vt Iustino videtur, apposita est Rhodano. nobilissima Ciuitas Galliarum dicitur à Prospero Tyrone in Chronico, & à Bonifacio primo.

Die. Diensis. Deæ Fortunæ oppidum, cuius Cathedrale Templum Virgini dicatum est.

Viuiers. Viuariensis. Viuarium à Viuario vrbe ad Rhodanum sita dicitur, vbi Albensis Episcopatus Sidonio celebris Epistola ad Patientem. Heluij Cæsari & Straboni noti sunt, qua de re infra dicemus. Vsuardus, *In Galliis, territorio Viuariensi, beati Andeoli Subdiaconi* meminit, *quem misit ab Oriente S. Polycarpus vnà cum aliis ad prædicandum verbum Dei.* Idque annotauit idem Vsuardus ad diẽ Kal. Maij.

Grenoble. Gratianopolitanus. Gratianopolis ad Isaram in libris de Ciuitate Dei ab Augustino nominatur, quod nomen in Concilio Aquileiensi illustre est, & in Epistolis Sidonij.

S. Iean de Maurienne. Maurianensis. Maurienna Sabaudiæ oppidum à Mauris dictum, vt Frodoardus ait.

A Geneuensis quidem Allobrogum, à ciuibus occupata Geneua, in præiudicium Episcopi, translatus est discessione Catholicorum Anicium Sabaudiæ, & Maurianensis in eadem regione ad Ducem ipsius Sabaudiæ pertinet.

VIENNENSIS SECVNDA.

ARLES.

SVB Arelatensi Episcopo ad Rhodanum, quæ vrbs siue oppidum (nam Prosper Aquitanus in Chronico sic appellat) & ante eum Sulpitius lib. II. sacræ Historiæ, Arelatem & Biterras oppida Galliarum, in iisque Concilia Episcoporum Galliæ habita dicunt: ab Ausonio quoque descriptum est, eámque vrbem veteres Geographi Arelatem, & Constantinam vocant: sunt hi Episcopatus.

Marseille. Massiliensis. Massilia Phocensium Colonia, Iustino, Melæ, Cæsarique Iulio celebris, & à Cicerone laudata.

Sainct Paul. Tricastinensis. Tricastini etiam à Poëta memorantur hoc versu,

Iamque Tricastinis incedit finibus agmen.

& villa seu vicus Sancti Pauli Episcopi, tamen primi Tricastinorum, abest à Rhodano pontéque Sancti Spiritus duabus tantùm leucis, siue octo millibus passuum, éstque in Prouincia Delphinatium, nec alibi quærenda est. Villa autem in Francia idem est quod Ciuitas. Nos autem dicimus villas ædificiis siue muris vel fossis, quæ villæ seu vici nullam habent iurisdictionem de iure communi, sed subsunt B alienæ Ciuitati, vt Codice *de Episcopis & Clericis. L. Nulla. §. Filius. de Naturalibus liberis. lege secunda, digestis ad municipalem, L. prima. §. qui ex viro.* Bartolus ad constitutionem Henrici Cæsaris.

Tolon. Tolonensis. Telo Martius Ciuis Romanus hanc maritimam Coloniam deduxisse dicitur, quam postea Tolumnus Gothus instaurauit sub Theodorico Italiæ Rege. Cur enim id mihi suspicari non liceat? Denique Tolonensis portus aduersus vim ventorum singulare triremibus remedium est. Tolossensis in veteri quoque inscriptione apud Aquas Sextias appellatur.

Aurange. Arausiensis. Arausiensis ab Arausio vrbe. Qui paret Arausiensium Principi, Christianissimi Regis finibus inclusus. Ad VI. Cal. Iunias Vsuardus ait, *In Galliis Ciuitate Arausica S. Eutropij Episcopi, cuius vitam Verus Episcopus conscripsit.*

IN EADEM VIENNENSI SECVNDA.

AVIGNON.

AVENIO sita ad Rhodanum, Prouinciisque huius Regni inclusa, est Romani Pontificis. Eam Cauarum Mela esse ait in Comitatu Venesino, vt Petrarcha refert, cuius Archiepiscopo subsunt.

Carpentras. Carpentoractensis. Carpentoracte, vbi Petrarcha Grammaticam se didicisse refert, vt iuris studium apud Montem-Pessulum Volcarum.

C *Vaison.* Vasionensis. Vasio Vocontiorum Melæ, Sidonio oppidum Vasionense Epist. IV. lib. VII. cuius Episcopum Quinidium Vsuardus XV. Cal. Mart. fuisse dicit.

Cauaillon. Caballicum. Non procul à Druentiæ ripa, Clausa Valle, & Sorgiæ fonte. Sed Cabellicum veteres dixere. Petrarcha autem Epistola ad Ioannem Bocatium libro V. Senilium, *Orauit*, inquit, *Philippus, vt librum vitæ solitariæ olim dum Cauallicensis Ecclesiæ Præsul esset, in rure suo scriptum, & ei inscriptum aliquando sibi mitterem.* Hæc Philippo Pathæ Hierosolymorum Patriarchæ scribit. Ad quem in Præfatione libri I. de Vita solitaria, *Contigit*, inquit, *vt duo mihi libelli, totidem continuos per annos in diebus Quadragesimæ, & sacro tempori, & loco illo tuo, & statui meo ex parte conuenientes occurrerent: de solitaria alter vita, alter de voto religioso. Primùm tibi inscripsi, illorum tunc locorum Præsuli, quod eisdem ortus de finibus, vnde origo tibi esset, ac dignitas, nulli alteri tam debitus videretur, neque ex illo vnquam fuit hora, qua, non dicam me iudicij mei pœniteret, sed vel tenuis hæsitatio, vt fit, nouæ cuiuspiam deliberationis ambiguitate suspenderet.* Et cap. II. lib. II. *Eam quoque sortitus es patriam, quam licèt Episcopatus tuus Ciuitatis appellatione nobilitet, ea tamen præter vetustatem & nomen de Ciuitate nihil habet, non luxum, non frequentiam, non tumultum, singula ad eam vitam de qua loquor aptissima. Cuius ego, si ritè computo, anni circiter quinquaginta ante Domini aduentum Iulio Cæsare Britanniam oppugnante, in autenticis scriptis inter antiquas iam tunc vrbes*

memoriam inuenio. Et paulò pòst, *Adest tibi,* inquit, *tuus Sorgia rex fontium, ad cuius tibi murmur hæc scribo. Adest liberrimum gratissimúmque perfugium Clausæ Vallis (sic enim vocant incolæ) sic vocari voluit natura, quando illam circundatis collibus abdidit, extra omne iter, omnémque concursum, viderique ipsi ab incolis permisit.* Deinde addit quod sequitur, de Verano patrono Cabellicensi. *Scis quòd Veranus tuus & Christi Confessor eximius, qui Sedem tuam nunc solito duriorem nescio quotus ante te tenuit, quærens locum pacis, hîc demum substitit, pulsóque hinc dracone terribili, sanctam ac solitariam vitam his vixit in locis.* Ac paucis interpositis, *Hic equidem,* inquit, *habitauit ille dum vixit, priusquam ad statum curæ Pontificalis inuictum spectata virtus attolleret. Hic velut in terra hostili, sed à se perdomita, ac pacata, ac cultui hominum acquisita Christo, cuius auspiciis signóque vicerat, trophæum erexit titulo Virginis genitricis insigne, Templum exiguum, sed decorum, & validum. Hunc ipse montem peruium fecit, & hanc montanam prædurámque silicem perforauit, suis, vt aiunt, manibus opus feruoris atque otij ingentis. Hac ripa cellam habuit, Christo diues atque hortulo contentus, & flumine. Postremo procul hinc moriens, huc referri atque sepeliri voluit.* Hactenus Petrarcha. Extat Dialogus Salonij & Verani fratrum, quo eruditè explicantur Parabolæ Salomonis. & Leonis primi legitur Epistola ad Ceretium, Salonium, & Veranium, Episcopos Galliæ. A

VIENNENSIS QVARTA.
EMBRVN.

IN Prouincia Alpium Coctiarum & Maritimarum, sub Eberodunensi Archiepiscopo, cuius Ciuitas Eberodunum veteribus Geographis appellatur, & Reiensi Concilio est celebris, hi sunt Episcopi. B

Digne. Diniensis. Qui primum inter Collegas Episcopos locum tenet. Diniam verò sitam sex leucis à Reiensi vrbe, quæque Doninum Episcopum habuit, in Italia celebrem, fuisse Metropolim ex subscriptionibus primæ Synodi apud Aureliam habitæ, certum & perspicuum est.

Grasse. Grassensis. Grassa in aspera & Alpina regione tribus leucis distat ab Antipoli. Antipolis tangit Alpes, Maritimas scilicet, inquit Mela, & ab ea sedes Grassam translata est propter maris viciniam, & pyratarum quotidianas incursiones.

Vence. Venciensis. Robertus Cenalis huius loci Episcopus in Geographia sua sic ait: *Venciensis, quæ Vencesina dicitur, & Vencesium, cui Ecclesiæ aliquando præfuimus, Lambertum Episcopum patronum agnoscit, errántque qui oppidum S. Pauli Venciensium Cathedralem vrbem putant.* Id verò esse in Prouincia vulgare prouerbium ostendit,

Sainct Paul de Vence Est en Prouence.

Vencia autem, Grassa, & Forum Iulium, beatæ Virginis nomen habent.

Glandesue. Glandeuensis. Glandeua in Alpibus Maritimis sita est, éstque Palatiũ & Templum Glandeuensis Episcopi in valle situm, duobus milibus passuum ab oppido regio, cui nomen Interualles, vulgo *Entreuaulx.* Idque patrum memoria ad nobilem familiam Glandeuensium Procerum pertinebat. Verùm incolæ, vt se Regi subiicerent, ab iis pecuniâ se redemerunt. C

Senez. Senetensis. Saniciensium Ciuitas Isidoro, in iisdem Alpibus Maritimis, prope Castellanam sedem regiæ Iurisdictionis sita est, duabus leucis ab ea distans, & diuum Augustinum pro patrono habens.

Nice. Niciensis. Nicea tangit Alpes, inquit Pomponius Mela. Ceterùm Niciensis paret Duci Sabaudiæ, Templóque diuæ Reparatæ est insignis.

TEMPLA ARCHIEPISCOPORVM QVINDECIM, quibus Sanctis sint dicata.

LVGDVNENSE quidem Virgini Mariæ & diuo Stephano Christianorum Martyri primo, dicatum est. In Calendario Ecclesiæ illius lego hæc verba: *Vt plebem S. Stephani conseruare digneris, te rogamus audi nos.* Sunt in domo S. Stephani Canonici numero quinquaginta duo, vt ex veteri libello mihi constitit. Beati autem Stephani se Canonicos solemni Religione profitentur. Itaque patronus eorum est Stephanus & Ioannes Baptista. Rothomagense beatissimæ Virgini Mariæ. Turonense diuo Mauritio Martyri, nec non Gatiano Episcopo. Senonense Stephano. Remense eidem Virgini. Bituricense Stephano. Burdigalense Andreæ Apostolo.

A Aufcience Mariæ Virgini. Narbonenfe Iufto Martyri & Paftori. Tholofanum Stephano. Aquarum Sextiarum feu Aquenfis S. Saluatori transfigurato, cuius feftum diem celebrant VI. Augufti. Viennenfe Mauritio. Arelatenfe Trophimo. Auenionenfe Mariæ de Donis dictæ. Ebredunenfe eidem.

DE TEMPLIS CATHEDRALIBVS EPISCOPORVM.

MATISCONENSIS Epifcopij Templum eft dicatum Vincentio Cæfarauguftano. Cabilonenfis eidem. Lingonenfis Ioanni Euangeliftæ & Mamanti. In Libro de tranflatione reliquiarum S. Mamantis in Gallias cap. II. hæc referuntur, *Fidelis narrat antiquitas, quòd Ecclefia Lingonenfis à principio fui in honore beati Ioannis Euangeliftæ fundata fuit. Sed Dominus, qui Apoftolum fuum per Euangelicæ prædicationis gratiam ita videbat fublimatum, quòd in omnem terram fonus eius exiuerat, & in fines orbis terræ verba eius cognita fuerant, non derogauit quidem Apoftolo: fed Martyris fui Mamantis gloriam fic voluit reuelare, vt non tantùm in Græcia notus effet, immò etiam in Burgundia celeberrimus haberetur.* & infrà: *Epifcopus Lingonenfis proftratus ante reliquias titulum fuæ Ecclefiæ deuotè S. Martyri obtulit.* Sed hunc Martyrem Mammertum ipfi Lingones pro Mamante appellarunt, atque appellant. Auguftoduni Æduorum Lazaro. Lazaro quidem, fed & Nazario. Vidi enim monetam argenteam fic infcriptam: *Moneta S. Nazarij.* & ex alia parte, *Aedua Ciuitas.* Baio-
B cenfis, Ebroicenfis, Lexouienfis, Conftantienfis, Mariæ. Abrincenfis Andreæ Apoftolo. Saienfis Geruafio & Prothafio. Cenomanenfis Iuliano, qui primus illius vrbis Epifcopus fuit. Andegauenfis Mauritio. Briocenfis Stephano Martyri. Maclouienfis Vincentio. Dolenfis Samfoni. Rhedonenfis, Nannetenfis, Venetenfis, Petro Apoftolo. Corifopitenfis Corentino. Leonenfis Paulo. Trecorenfis Tudguallo. Parifienfis & Carnotenfis Virgini. Aurelianenfis S. Cruci. Niuernenfis Cyro. Autiffiodorenfis & Meldenfis, Stephano. Trecenfis Petro. Metenfis in Belgica prima etiam Stephano. Tullenfis Leucorum eidem. Verdunenfis Mariæ. In Belgica fecunda Laudunenfis, Ambianenfis, Nouiomenfis, Bolonienfis, eidem Virgini. Sueffionenfis Geruafio & Prothafio. Catalaunenfis Stephano. Bellouacenfis Petro. Claromontenfis, ficut Ruthenenfis, Vabrincenfis, Auicienfis, Virgini. Lemouicenfis, & Cadurcenfis, Stephano. Mimatenfis Priuato Martyri. Eius Templum à Segregibus dirutum, excepto campanili admirandi operis, Adamus adhuc fuperftes refici curauit, longiúfque reddidit quàm erat, abfoluto opere intra quinquennium. In eius inftauratione fumptus tricies mille aureorum factus eft, & pictura Templi totius feruatis dimenfionibus Chriftianiffimo Regi oblata, quam hilari vultu, pióque accepit. Albienfis verò Ceciliæ virgini dicatū, cuius ædes magnificentiffima eft, cuius Monachis Paulus III. veftitum Monafticum ademit. Caftrenfis Benedicto. Tutelenfis Martino. S. Flori
C Templum eidem. Cuius Monafterium Vrbanus II. profectus ab Aruerno oppido Aureliacum, in itinere confecraffe dicitur. In Aquitania fecunda, Pictauenfis, Santonenfis, Engolifmenfis, Condomenfis, Petro. Petracoricenfis Stephano extra vrbem, vulgo *la Citat.* Tametfi Ecclefia euerfa nunc intra ipfam vrbem in Templo diui Fronti fimul concinunt Canonici Cathedralis & Collegialis Ecclefiæ feffione difiuncti: in altera enim chori parte, quæ dextera eft, fedent Canonici S. Stephani, aliam S. Fronti occupant. Vfuardus ad VIII. Cal. Nou. *Petracorica ciuitate S. Frontonis, qui Romæ à beato Petro ordinatus, cum Georgio Presbytero, quem per Apoft. baculum in itinere focium de morte recepit; ad prædictam ciuitatem veniens magnam gentis illius multitudinem ad Chriftum conuertit, & multis miraculis clarus, in pace quieuit.* Aginnenfis Nitiobrigum Stephano. Malleacenfis Regimero. Lucionenfis Mariæ, Sarlatenfis Sacerdoti Lemouicum quondam Epifcopo. Sarlatum autem oppidum eft in Petracoriorum finibus fitum. Aquenfis fiue Aquarum Auguftarum ad Aturrum flumen, facræ Virgini. Lectorenfis iifdem Geruafio & Prothafio. Conuenarum Bertrando. Tarbienfis Bigerrionum Mariæ dicatum eft. quod Templum Catholicorum odio Segreges faluo tholo & fornicibus incenderunt. In eo feruiebant Canonici Ordinis S. Auguftini, qui veftitum tandem mutauere. fed pietate Epifcopi & Cleri illæ ruinæ fartæ funt. Confuaranenfis autem Licerium patronum agnofcit in oppido eiufdem nominis. Eloronenfis Mariæ,

cuius Templum extra vrbem situm est. Vasatensis Ioanni Baptistæ. & Vasatum A
ædem sacram, à Segregibus dirutam, anno MDLXXX. mense Nouembri, Arnaldus Episcopus è familia Burdegalensi gentis Pontaciorum, instaurauit, supremis tabulis duodecies mille aureos in numerato ad id opus perficiendum relinquens. Adurensis, Lascariensis, Virgini Mariæ, Canonicorum, vt vocant, regularium. Biterensis, & Carcassonensis, Nazario. Agathensis Andreæ Apostolo, vt ex Synodo in eadem vrbe habita, & ex Gregorio Turonensi scire potuimus. Lodeuensis Fulcrano. Tomeriarum sancto Pontio. Tomeriæ autem dictæ sunt ἀπὸ τῦ τομᾶσθαι, ab exscindendis marmoribus, quorum ibi magna est copia, & fodinæ excellentes visuntur. Nemausensis Virgini. Vceticensis Theodorito Presbytero & Martyri Antiocheno. Montispessuli, Petro Apostolo. tantúmque abest Magalona insula maris Mediterranei ab eo oppido, quantum Lutetia à D. Dionysij Monasterio, id est quinque passuum millibus. At Magalonense Templum erat Canonicorum olim Ordinis S. Augustini, nunc vt vocant, simplicium, D. Petro dicatum. Magalona autem translata est Montempessulum à Paulo III. anno MDXXXVI. propter viciniam, & prædonum iniurias. Est verò opulentissimum (vt Petrarcha ait) oppidum Volcarum. Templum autem Petri, quod in eo superiore ætate visebatur, solo æquatum est à Segregibus, & plurima vrbis illius aut suburbana Templa, nec quicquam superest, præter campanile diui Petri, quod in aëre, vt ita dicam, adhuc pendere conspicitur. At Canonici in exiguo loco adhuc seruiunt Deo, & in ruinis tam præclari Templi consistunt. Apamiensis verò Mariæ, Canonicorum regularium Augustini in foro vrbis visitur. Mirapincensis Mauritio. Montis-Albani Martino. Vaurensis Alano. Riuensis, & Lombariensis, Mariæ. Sancti Papuli Templum eidem dicatum est. Apta Iulia Annæ beatissimæ, post inuentas eius reliquias: ante verò, Virgini Mariæ eius filiæ. Reiensis Maximo, in qua vrbe Reicorum adhuc colitur eius memoria vt sancti viri, & Albani Templum in summa vrbis parte nuper euersum est. Faustus quidem Maximo successit, vt ad Vrbicum successorem eius Dinanius scribit. Extat vita Maximi Episcopi Reiensis ex Abbate Lyrinensi eleganter ab eodem Fausto perscripta. Foroiuliensis, Vapincensis, Sistaricensis, Mariæ Maiori appellatæ. Massiliensis eidem Maiori etiam dictæ. Tricastinensis Paulo. Carpentoractensis Suffredo. Vasionensis Mariæ. Cauallicensis Verano. Tolonensis Stephano. Valentinensis Apollinari. Diensis Mariæ. Viuariensis Vincentio. Nam Sedes Albensis Viuarium translata est, à quo Viuarienses dicti sunt, qui veteribus Heluij fuere. Sidonius quidem meminit Albensis vrbis, Epist. XII. lib. VI. quam Heluiis attribuit. Ea Gallicè olim dicebatur *Albs*, & à Viuario parum distat. Nunc euersa est, desertáque, calamitatem illam inferente Croco Alemanorum Rege. Diniensis, Virgini & Donino, inquam, non Domnino, Martyri, qui apud Iuliam via Claudia Martyr sub Maximiano fuit. Qui cùm vellet persecutionis rabiem declinare, protinus insequutus, & nihilominus gladio transuerberatus gloriosè occubuit, quantum relatum reperimus apud Vsuardum. Grassensis, eidem Virgini Mariæ. C
Ab Antipoli Episcopatus Grassam translatus est, vnde in Itinerario Gregorij XI. nauigantis è Prouincia in Italiam legimus hæc verba, *Defert cœnam Antipolis: mutat nomen tua Diocesis, Grassa Prouinciæ nuncupata.* quæ ab Antipoli abest aliquot millibus passuum. Idque accidit propter quotidianas incursiones prædonum maris Mediterranei, & cædem Episcopi Antipolitani. Vinciensis autem Templum Lamberto, Glandeuensis Iusto dicatum est. Sanniciensis Augustino. Bellicensis Ioanni Baptistæ. Quo in numero Sanctorum Sanctarúmque, Virginis Mariæ nomen, Petri Apostoli, & Stephani Martyris maioribus nostris acceptissimum fuisse necesse est. Nam illis maximam partem Templorum Cathedralium dicatam videmus. Virginis enim nomen tricies & quater, Petri nouem, Stephani tredecim, Ioannis Euangelistæ, Mauritij, Geruasij & Prothasij, Vincentij, Trophimi, Nazarij, Martini, Iusti, Augustini bis, ter, aut quater. Ceterorum Sanctorum, Sanctarúmque, semel tantùm, Saluatoris Iesu semel, quem malo salua ratione recti sermonis dicere Seruatorem generis humani. Nomen quoque Crucis semel impositum inuenio. Quantum autem ad afflictas Ecclesias attinet, siue vrbanas siue campestres, aut Episcopi, aut Clerus, aut plebs pro sua quisque pietate, aut pro virili, iis prouiderunt singulari beneficio Dei.

A

DE EPISCOPATIBVS ALBIENSI, ALECTENSI, MACLOVIENSI, *Tutelensi, Elusano, & aliis.*

BONIFACIVS octauus anno III. Pontificatus sui, scilicet XXIX. Decembris an. MCCXCVII. Canonicos regulares S. Augustini, qui Albiæ ad Tarnem clarum amnem, in Templo & Monasterio Ceciliæ virginis, vt Deo seruirent collocati à maioribus fuerant, Bonifacius, inquam (verbis enim eius vtar) secularizauit, propter eorum ignorantiam, inquit, corruptósque mores. Quod quidem Templum Sedes Episcopi Albiensis adhuc est, videlicet Alfonsi Delbenij pij eruditique viri. Alecta oppidum Episcopale, quod à Carcassone non multùm distat, id est octo leucis longioribus more Volcarum. Tertio Ciuili bello à Segregibus interceptum est, ab eis omnia Templa & Monasteria intus diruta, omniáque ædificia Catholicorum, vnica tamen domo excepta, quæ Vesiæ Senatoris Tolosani erat. Idem oppidum postea interceptum ab iisdem Catholicis, Gubernatore primùm occiso, talionis vice vsi sunt, omnium Segregum domibus atque ædificiis ad vnum euersis. Vceticensis, cuius Templum Theodorito Antiocheno dicatum diximus, dirutum ab iisdem Segregibus, & domus Canonicorum S. Augustini penitus euersæ. Ceterùm propediem spes est eas ruinas instauratum iri, partim Episcopi, partim Canonicorum & Cleri sumptibus. De Aletta B autem oppido Armoricæ seu Britanniæ minoris attigisse proderit. Locum hunc Roberti historici ad annum millesimum centesimum octogesimum primum, *Obiit vir venerabilis Albertus Alettensis*, quam moderni S. Maclouium vocant, quæque olim Aleta dicebatur, Britonicè *Quid Alet*, aberátque à Maclouij peninsula mille passibus, & si quid excurrit. Visuntur ruinæ murorum, visitur portus, & Solidorum castrum. Ab Aletta igitur Episcopatus Maclouium peninsulam, quam facit Oceanus, translatus in Monasterium Canonicorum regularium S. Augustini, quorum patronus erat, éstque hodie Vincentius Cæsar-Augustanus, & Ioannes XXII. Canonicis illis permisit vestem mutare, & Canonicos tantùm appellari. In Aurelianensi vrbe ad Ligerim, quam à Sidonio Valentiniani III. temporibus nominatam primùm video, nec ante eum à quoquam antiquiori scriptore, Templum ingens & magnificum S. Cruci à maioribus dicatum est, cuius tholum & fornices magna ex parte Segreges diruerunt. Nunc ea ædes sacra reficitur, instauratúrque partim Regia liberalitate, partim populorum concursu atque eleemosynis. Id verò oppidum Iulij Cæsaris ætate maiores nostri Genabum vocabant, qui tamen non erat is locus, quem Giemum in ripa Ligeris positum vocant, etsi suburbanum eius agrum veterem Genabiam incolæ adhuc appellant. Vsuardus quidem & ceteri Scriptores Ecclesiastici, multò post Isidorum Aurelianos dixere. In Tutelarum oppido, quod in finibus Lemouicum, Monasterium erat tempore Lemouicensis Synodi habitæ anno MXXXI. Quo in loco C Episcopatus tandem institutus est ab eodem Ioanne XXII. vt suprà demonstrauimus.

Supersunt igitur aliquot Episcopatus aliò translati, vt Veromandensis, cuius Episcopus subscripsit Synodo sub Honorato Bituricensi habitæ Theodoberto Rege. Multi suspicantur in Monasterio Veromanduorum fuisse, cui *Vermant*, antiqua voce corrupta, nomen fuerit: non procul oppido Veromanduorum, quod à Martyrio Quintini appellatur, Augustáque Veromanduorum dicitur. Sed antiquæ Synodo, quam ignorantia & inertia mortalium vsque ad hoc tempus, Epaunensem pro Agaunensi appellari passa est, interfuêre, Auitus Episcopus Viennensis, & Viuentiolus Lugdunensis, Sigismundi Burgundiorum Regis temporibus. Constantinus autem Ecclesiæ Octodorensis Episcopus inter ceteros quasi medius subscribit. Verùm Ecclesia illa Octodorensis Veragrorum, sub qua erat Agaunum Monasterium sumptu Regis conditum, & cuius Agaunensis Ecclesiæ in præfatione Synodi fit mentio, translata est Sedunum. Veragri autem Vallenses hodie dicuntur. Vsuardus ad x. Kal. Octob. *In Galliis ciuitate Seduno, loco Agauno, natalis SS. Martyrum Thebeorum, Mauritij, Exuperij, Candidi, Victoris, Innocentij & Vitalis, cum sociis eorum sex millibus sexcentis sexaginta sex: qui sub Maximiano passi pro Christo gloriosissimè coronati sunt.* Nunc regionem illam, in qua

est Agaunum, Chablasios vocamus. Veniendum igitur ad Aspasium Episcopum Elosensem vel Elusensem, qui Aurelianensi Concilio secundo, quarto, & quinto, subscripsit. Verùm ille Episcopatus desiit, qui tamen Isidori ætate adhuc erat, fortè ob insignem aliquam calamitatem, in quam incidisse potuit Elusa, nunc oppidum in Vasconia situm: quod tamen Archiepiscopus Ausciorum regit, adhúcque in eo ædes Episcopales habet, quæ arcis & propugnaculi locum adhuc tenent. Sulpitius Seuerus libro II. sacræ Historiæ, plebis Elusanæ meminit his verbis, *Instantius, Saluianus, & Priscilianus, Romam profecti, vt apud Damasum vrbis ea tempestate Episcopum obiecta purgarent. Sed iter eis præter interiorem Aquitaniam fuit, vbi tum ab imperitis magnificè suscepti, sparsere perfidiæ semina, maximéque plebem Elusanam sanè tum bonam & religioni studentem, prauis prædicationibus peruertêre, à Burdigala per Delphinum repulsi.* Et Paulinus in Nouempopulana Elusam sitam indicat. Cùm enim Barcinone ad Seuerum scriberet, *Iter quantum sit & puer vnanimitatis tuæ renunciabit, qui ad nos de Elusione octaua vt asseruit luce peruenit. Tam breuis enim & facilis via est, vt nec in Pyreneo quidem ardua sit, qui Narbonensi ad Hispanias agger, nomen magis quàm iugum horrendus interiacet.* Denique vt finem faciam, Prior Elisonis Ordinis S. Benedicti hodie quoque dicitur, & hoc oppidulum abest ab Auscorum vrbe septem leucis longioribus, quia Vasconicis. His quoque Luperculus passus est sub Decio, scilicet in Ciuitate Elusatum ad Gelisam flumen, hodie *S. Loperca*, inque vita Martyrum Aquitanorum ita traditum legi, *Elsa Vaspinæa vulgò* Euse *dicitur.* A B

DE EPISCOPORVM ELECTIONE IN GALLIA.

EPISCOPI Galliæ ante Regnum Francorum, suffragiis eligi solebant. Id docere exemplis facilè erit, ex duabus Sidonij Epistolis, vna libro IV. continetur, éstque XXV. altera libro VII. Epistola IX. quæ ad Theodosij Iunioris & Valentiniani III. Imperium referendæ sunt. Condito autem Regno, quanta mutatio acciderit, malo ex libris Gregorij Turonensis intelligi, quàm ex oratione mea. Pipinus verò & Carolus Magnus, & ceteri eorum nepotes ac pronepotes, quantum obsequij detulerint Romanis Pontificibus, sciri potest ex Annalibus eorum. Tandem sub Regibus tertij generis, cùm electio diu fuisset, Francisci I. & Leonis X. pactionibus extincta est: iure nominandi Episcopos & Abbates, Regibus in posterum permisso.

DE EPISCOPIS QVI ALIQVID PRAECLARI SCRIPSERVNT.

VETERES Galliæ Episcopi aut illustres martyrio fuêre, aut sanctimoniâ. De quibus Vsuardus in Martyrologio, & alij non leues Auctores multa tradidêre. Irenæus Lugdunensis Episcopus aduersus Hæreses scripsit. Dionysius Parisiorum, quem aiunt Atheniensem fuisse, plurima eáque præclara. Æneas Parisiorum quoque Episcopus, de erroribus Græcorum Librum edidit iussu & rogatu Nicolai primi Romani Pontificis. hunc codicem in membranis scriptum, semel atque iterum legi. Petrus Lombardus Theologorum Magister, cuius libros Sententiarum absque vlla distinctione ex Bibliotheca Monasterij Brolij Benedicti, Clareuallensium Ordinis, iuxta Auduram flumen, Diocesis Eburouicum siue Ebroicarum, adhuc habeo. Mauritius, Odo, & Guillermus eiusdem vrbis Episcopi etiam scripsere. Theodulphus & Ionas Aurelianorum Antistites, Hilarius Pictauiensis, multa pro Religione Christiana passus temporibus Constantij Cæsaris, volumina aliquot edidit, quæ à præclaris Ecclesiæ luminibus citantur. Fortunatus eodem honore Pictauij functus etiam scripsit, vt & Gilbertus Poretanus grauis Philosophus. Freculfus & Arnulphus Lexouiorum Præsules, Reticius & Modoinus Augustoduni Æduorum, Phebadius Aginnensis, quem Fœdarium ciues sui nunc corruptè vocant. Claudianus Mamercus, Auitus, & Ado, Viennenses. Gregorius Turonensis. Eucherius, Viuentiolus, & Agobardus Lugdunenses. Eius opera cùm octingentis annis latuissent nuper edidi, membranæque veteres domi meæ summa fide adhuc seruantur *. Hilarius, Cæsariúsque, Arelatenses, ex Lyrinensibus Monachis. Remigius, Hincmarus, & Ger- C

* Nunc nt in Bibl. [illegible]gia.

A bertus, Remenses Episcopi. Fulbertus, Yuo, & Ioannes Sarisberiensis, Carnotenses. Maximus, & Faustus, Reiorum. Eligius Nouiodunensis, siue Nouiomensis. Hildebertus Præsul Cenomanensis, postea Turonensis Archiepiscopus. Marbodus Redonensis, Guilielmus Durandus Mimatensis Gabalorum. Sidonius Aruerni municipij Antistes. Petrus Bellapertica Autissiodorensis. Ægidius Columna Bituricensis. Qui omnes admiranda ingeniorum suorum monimenta posteritati reliquerunt, summa totius Galliæ gloriâ.

DE OBSERVATIONE CANONVM ANTIQVORVM ET Gallicanorum ab Episcopis Galliæ.

EX capite XXIII. diuinarum lectionum Marci Aurelij Cassiodori, laudes quas Dionysio tribuit, nec immeritò, paucis complecti licet. *Fuit*, inquit, *nostris temporibus, & Dionysius Monachus, Scytha natione, sed moribus omnino Romanus, in vtraque lingua* (Græca & Latina) *doctissimus, qui mecum Dialecticam legit, & in exemplo gloriosi magisterij plures annos vitam suam, Domino præstante, transegit.* Et paucis interpositis, *Qui petitus*, inquit, *à Stephano Episcopo Solonitano, ex Græcis exemplaribus Canones Ecclesiasticos, moribus suis, vt erat planus, atque disertus, magna eloquentiæ luce composuit, quos hodie vsu celeberrimos Ecclesia Romana complectitur.* B *Hos etiam oportet vos assiduè legere, ne videamini tam salutares Ecclesiasticas regulas culpabiliter ignorare.* Legi in antiquo Codice in membranis accuratè perscripto, hos canones, atque Epistolam illis præfixam, quæ sic habet.

EPISTOLA DIONYSII EXIGVI, QVAM PRAEFIXIT suæ Canonum collectioni.

DOMINO MIHI VENERANDO PATRI STEPHANO Episcopo, Dionysius exiguus in Domino salutem.

QVAMVIS *charissimus Pater noster Laurentius, assidua & familiari cohortatione, paruitatem nostram regulas Ecclesiasticas de Græco transferre pepulerit, confusione credo priscæ translationis offensus, nihilominus tamen ingestum laborem tuæ beatitudinis consideratione suscepi: cui Christus omnipotens Deus, solita populis pietate prospiciens, summi Sacerdotij contulit dignitatem. Et inter plurima virtutis ornamenta, quibus Ecclesiam Domini morum sanctitate condecoras, etiam sacratissima iura Pontificalibus per Dei gratiam digesta conuentibus, intemerata conseruans, perfecto regimine Clerum Plebémque moderaris. Nullatenus nostri sæculi more contentus, quo pronius desideramus recta nosse quàm facere: sed diuino iunctus auxilio, quæ fieri præcipis antè perficias, vt efficacissimo fidelibus prosit exemplo. Magna est siquidem iubentis auctoritas, eadem primitus* C *sua complentis, quibus inconuulsa Ecclesiastici ordinis disciplina, inuiolabilis permanens ad capessendum perenne præmium, Christianis omnibus præstat accessum, per quem stantes Præsules paternis muniantur regulis, & obedientes populi spiritualibus imbuantur exemplis. Principio itaque Canones, qui dicuntur Apostolorum, de Græco transtulimus, quibus quia plurimi consensum non præbuere facilem, hoc ipsum vestram ignorare noluimus sanctitatem: quamuis postea quædam constituta Pontificum ex ipsis Canonibus adsumpta esse videantur. Deinde regulas Nicenæ Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, siue quæ ante eam, siue quæ postmodum facta sunt, vsque ad Synodum* CL. *Pontificum, qui apud Constantinopolim conuenerunt, sub ordine numerorum, id est à primo capite, vsque ad centesimum sexagesimum quintum, sicut habetur in Græca auctoritate, digessimus. Tum sancti Calchedonensis Concilij decreta subeuntes, in his Græcorum Canonum finem esse declaramus. Ne quid prætèrea notitiæ vestræ credar velle subtrahere, statuta quoque Sardicensis Concilij atque Africani, quæ Latinè sunt edita, suis à nobis numeris cernuntur esse distincta. Vniuersarum verò definitionum titulos post hanc definitionem strictiùs ordinantes, ea quæ in singulis sparsim sunt promulgata Conciliis, sub vno aspectu locauimus, vt ad inquisitionem cuiusque rei compendium aliquod attulisse videamur.*

Ormisda Romanus Pontifex, qui Cassiodori ætate vixit, Canone vicesimo nono, si quis Diaconus, distinctione quinquagesima, de Canonibus Gallicanis loquitur, id est de antiquis Canonibus. Galli enim Episcopi obseruantissimi illo-

rum erant, vt Gregorius Turonensis Libro v. in causa Prætextati Rhotomagensis Episcopi perspicuè ostendit. Qui cùm in Synodo Lutetiæ habita in Basilica Petri Apostoli à Chilperico Rege accusaretur furti, Episcopúmque in furtis deprehensum ab Episcopali officio auelli debere Canonum auctoritate statutum diceret: idémque in Regiam regressus è Synodo, mitteret ad eam Librum Canonum, in quo erat quaternio nouus adnexus, habens Canones quasi Apostolicos continentes hæc: *Episcopus in homicidio, adulterio, & periurio deprehensus, à sacerdotio diuellatur*: Regi nihilominus neque Bertichranus Burdigalensis, neque Gregorius Turonum, neque alij qui aderant Episcopi fidem habere voluerunt, quia falso Canone vteretur, obseruantissimi antiquorum Canonum. Adrianus primus Codicem Canonum, quem, vt ipse ait, mandato eius quispiam fecerat, ad Carolum, quem Magnum vocat, etsi nondum Cæsarem, sed tantùm Regem, misit, veteri illum Codici subrogare cupiens. Agobardus sub Ludouico & Lothario propugnator Canonum Gallicanorum acerrimus fuit, vt ex Libris eius duo loci ostendunt. Corpus quidem Canonum superest, Moguntiæ excusum anno MDXXV. in quo sunt Canones Apostolorum, Nicæni, Conciliorúmque, & præter ea recitantur decreta Pontificum à Siricio ad Gregorium secundum. Sed de his plura dicere supersedeo, propter breuitatem operis à nobis inchoati. A

DE SYNODIS ET CONCILIIS IN GALLIA HABITIS.

B

GALLICANAS Synodos & Concilia, quæ adhuc publicata fuere, in Tomis Conciliorum facile est reperire. De ceteris nunc aliquid dicemus. Apud Suessionem anno DCCXLIV. Childerico Rege, Pipino Duce & Principe Francorum. Alia etiam in Siluanectensi Episcopatu, eodem Pipino Rege, in Palatio apud Vermerias, quas nunc Verberias, vulgò *Verberie*, vocamus. Item alia anno Christi DCCCXXIV. quæ ex membranis Mitiacensis Cœnobij siue S. Maximini prope Aureliam, quas egomet, & multi alij integras vidêre, Francofurti ad Mœnum excusa primùm fuit. Alia quoque Synodus habita est apud diuorum Medardi & Sebastiani Monasterium prope Suessionum vrbem, Calendis Maij, anno DCCCLIII. præsente Carolo Caluo Rege. Cui interfuere Hincmarus Remorum, Vvenilo Senonum, Amalaricus Turonum. vbi idem Hincmarus, Remorum Episcopus appellatur. Alia Synodus sub Herardo Turonensium Pontifice habita est, cui ipse subscribit anno DCCCLVIII. quas tres Synodos Prouinciales in vetustis membranis scriptas vidi. Viennæ à Paschali & Ioanne Apostolicæ Sedis Legatis, in Basilica vrbis ipsius, sancti Saluatoris nomine consecrata, iussu domni Formosi Synodus habita est anno DCCCXCII. Indictione decima: quam quidem manuscriptam habeo. Ædes verò Saluatoris admodum exigua adhuc superest. Anno verò DCCCCIX. Synodus Prouincialis habita est in pago, siue regione Suessonica, loco Trosleio, Heruei Archiepiscopi Rhemensis temporibus. Ei enim subscripsit. Et Remis sub Seulpho Remensi quoque Antistite, alia anno DCCCCXXIV. qua inter cetera, ij qui bello inter Robertum & Carolum Simplicem interfuerant, pœnitentiam agere, & pane & aqua vesci iubentur. Pictauis sub Isemberto primo, Lemouicibus anno MXXXI. & quindecim ante Biturigibus. & Lemouicensem quidem nondum excusam in Bibliotheca habeo. Concilium Burdegalæ celebratum, à domno Amato venerando Olorensium Episcopo domini Papæ Gregorij VII. Vicario, assidente cum eo Collega suo Hugone Diensium venerabili Episcopo, tempore Gosselini Archiepiscopi Burdegalensis, anno Domini MLXXIX. Anno proximè sequenti magnus Conuentus Episcoporum factus est in Santonica Ciuitate, prædicto Amato Legato præsidente. Vrbanus II. tuba belli sacri apud Claromontem Aruernorum Concilio præfuit anno MXCVI. Cuius acta diligenter quæsita nec in ea vrbe, nec alibi reperire potui. A Bertrando secundo Archiepiscopo & comprouincialibus suis fuit celebratum Concilium Engolismæ, domno Rotgerio S. R. E. Subdiacono præsidente circa annum MCLX. cuius meminit Hildebertus in Epistolis. Turonis sub Alexandro III. Synodus habita est, eius Canones Guilielmus Nebrigensis historiæ suæ inserit. Synodi prouinciales celebratæ Senonibus sub Petro & Galtero Archiepiscopis fuisse narrantur, idque intra annum MCXCIX. & MCCXLI. Sub Galtero C

A Pictauiensi Episcopo, qui Brugensis vulgò dicitur, MCCCIV. apud Roffiacum in sua Diocesi. Ab Arnaldo eiusdem vrbis Episcopo, MCCCXXVI. A Petro Episcopo Macloüiensi MCCCL. Ab Helia Burdegal. Archiepiscopo anno MCCCLXI. Ab Aymerico Pictauiensi Episcopo, MCCCLXVII. & sub Iterio eiusdem Ciuitatis Episcopo MCCCXCVI. A Roberto Maclouiensi etiam Episcopo anno MCCCCIV. A Ioanne eiusdem vrbis Episcopo anno MCCCCLVII. Supersunt denique quatuor Synodi iampridem excusæ, quarum propter circunstantias mentionem fieri debere iudico. Prima anno DCCCXLV. Carolo Caluo Pio Rege succrescente, habita est Metis in suburbio Ciuitatis, in Ecclesia S. Arnulphi (nostris temporibus euersa) Arnulpho Rege, ab Archiepiscopo venerabili Ratbodo Treuirensi, & à Roberto prædictæ Ecclesiæ Præsule, Didone Virdunensi, & Arnoldo Tullensi Episcopis. Secunda Meldis sub Carolo iuniore eodem anno. Tertia DCCCLV. anno, apud vrbem Valentiam, in domo Basilicæ S. Ioannis adiacente, vbi trium Prouinciarum Episcopi, Lugdunensium, Viennensium, Arelatensium, numero quatuordecim erant: quibus præfuere Episcopi Metropolitani, Remigius Lugdunensis, Egilmarus Viennensis, & Rolandus Arelatensis, sub Lotario Augusto. Postremo, quia id publicè interest, subiiciam Concilium apud Theodonis-villam, cui interfuêre triginta duo Episcopi, Aistolphus Moguntinensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis: Hadebaldus Coloniensis, Ebbo Remensis pari comitatu, cum vicariis reliquorum Episcoporum, Galliæ, & Germaniæ, ob nimiam presumptionem quorumdam Tyrannorum, in Sacerdotes domini bacchan-B tium, & propter factum quod in Vasconia recens acciderat, de Ioanne inhonestè & inauditè mordritato, (vt verbo Patrum vtar) Decretúmque est vt communi consensu, & humili deuotione supplices auribus Principis (Ludouici Pij) dicerent, si suæ pietati placeat, vt causa Christi iuxta Synodalia determinetur pleniter statuta: hæc enim eorum verba sunt. Ioannes ille, cuius sedis in Nouempopulana Episcopus fuerit, nondum mihi cognitum est. Sed hoc subiicio rarò in Gallia euenisse, vt Episcopus aliquis cæderetur. Proculum Arelatensem à centurione cæsum, Prosper Aquitanus in Chronico commemorat. Laudunenses populati manu Antistitem suum irati interemerunt, & ciuilibus bellis Petracorii suum quoque dolo malo, & scelere quorumdam impiorum occisum amisêre. Et non ita pridem Massilienses suum luxere, priuati cuiusdam odio in Ecclesiæ suæ fundo trucidatum. Similes casus horruit Gallia, vt iam diximus, vtque adhuc fecit semper execrabitur, vt maximè funestos, & à pietate maiorum suorum, insitáque erga Deum Religione, alienissimos.

A

HISTORIA CALAMITATVM GALLIÆ,

QVAS SVB ALIQVOT PRINCIPIBVS CHRISTIANIS INVITA PERTVLIT,

A Constantino Cæsare vsque ad Maiorianum, qui vicit in Atrebatibus CLODIONEM Regem Francorum, PHARAMVNDI successorem. B

Opus Papirij Massoni, sed posthumum, & variis adhuc in locis imperfectum: recens ex apographo Ioannis Baptistæ Massoni fratris ipsius euulgatum.

CALAMITATES totius GALLIÆ, quas sub aliquot Cæsaribus Christianis inuita pertulit, breuiter perstringendas existimaui: vt è quantis miseriis in quantum otium penè momento temporis traducta fuerit, vnusquisque oculis intueri, & cogitatione complecti possit, mirarique Cœlitum occulta consilia & voluntates, pro arbitrio populis tranquillitatem, aut bella largientium. A CONSTANTINO igitur filióque eius ordiar, ne si longiùs excurrero, res
» in immensum abitura videatur. Iulius Firmicus grauis scriptor in fine libri primi
» Matheseos ad Mauortium Lollianum: Dominus, inquit, & Augustus noster, ac
» totius orbis Imperator, pius, felix, ac prouidus Princeps, Constantinus scilicet
» maximus, diui Constantij filius, augustæ ac venerandæ memoriæ Principis, ad li-
» berandum Orbem à tyrannicis immoderationibus, & ad comprimenda domesti- C
» ca mala, fauore propitiæ maiestatis electus est: vt per ipsum seruitutis squallore
» deterso, securæ nobis libertatis munera redderentur: vtque captiuitatis iuga, fa-
» tigatis iam & oppressis ceruicibus, poneremus. Quem pro nostra semper liberta-
» te pugnantem, incertissima inter casus humanos nunquam belli fortuna dece-
» pit. Apud Tharsum genitus, à primo ætatis gradu Imperij gubernacula reti-
» nens, quæ prosperis nactus fuerat auspiciis, Romanum Orbem ad perennis feli-
» citatis augmentum, salubri gubernationis moderatione sustentat. Sol igitur opti-
» me, maxime, qui mediam cœli possides partem, mens mundi, atque temperies,
» dux omnium princépsque. Vos etiam fidi Solis comites, Mercuri & Venus,
» Constantinum maximum Principem, & eius inuictissimos liberos, dominos &
» Cæsares nostros, consensu vestræ moderationis, & Dei summi obsequente iudi-
» cio, perpetuáque eis imperia decernente, facite etiam nostris posteris, & poste-
» rorum nostrorum posteris, infinitis seculorum continuationibus imperare: vt
» omni malorum acerbitate depulsa, humanum genus quietæ felicitatis munera
» consequatur. Hæc Firmicus de Constantino tradit. Hieronymus verò vicinas
Regum miserias, & sui temporis calamitates breuiter flere se dicit Epistolâ ad
» Heliodorum. Constantius, ait, Arrianæ fautor hæreseos, dum contra inimicum
» paratur & concitus fertur ad pugnam, in Mopsi viculo moriens, magno dolore
hosti

A hosti reliquit Imperium. Iulianus proditor animæ suæ, & Christiani iugulator exercitus, Christum sensit in Media, quem primùm in Gallia denegarat; dúmque Romanos propagare vult fines, perdidit propagatos. Iouinianus gustatis tantùm Imperialibus bonis fœtore prunarum suffocatus interiit: ostendens omnibus quid sit humana potentia. Valentinianus vastato genitali solo, & inultam patriam derelinquens, vomitu sanguinis extinctus est. Huius germanus Valens, Gothico bello victus in Thracia, eundem locum & mortis habuit & sepulchri. Et Valentiniano quidem Rufus Festus Breuiarium scripsit, quo complexus est res gestas Constantij patris, Constantiníque Cæsaris & Iuliani. Hieronymi verò verba post Valentis casum huiusmodi sunt. *Gratianus ab exercitu suo proditus, & ab obuiis vrbibus non receptus, ludibrio hosti fuit; cruentatæque manus vestigia parietes tui, Lugdune, testantur.* Idem Hieronymus de Gratiano ait in Chronico à se scripto, ad annum CCCLXII. *Gratianus, qui nunc Imperator est, nascitur.* Rursus ad annum CCC. LXX. *Gratianus Valentiniani filius Ambianis Imperator factus.* Idem aliquot annorum historiam attingens in Valentis, qui Valentiniano primo successerat, funesta nece atque exitio desinit. Sed Prosper Aquitanus historiam sequutus, ad annum CCC. LXXXVII. In Britannia, inquit, per seditionem militum Maximus Clemens imperator est factus: quo mox ad Gallias transfretante Gratianus Parisiis Merobaudis Magistri Militum proditione superatus, effugiens Lugduni captus atque occisus est. Hæc de Gratiano dicta sufficiant. Postea Hieronymus, eadem Epistolâ ad

B Heliodorum, ait: Adolescens Valentinianus (secundus) & penè puer, post fugam, post exilia, post recuperatum multo sanguine Imperium, haud procul ab Vrbe fraternæ mortis conscia (Viennæ Allobrogum) necatus est; & cadauer exanime suspendio infamatum. Quid loquar de Procopio, Maximo, Eugenio; qui vtique, dum rerum potirentur, terrori gentibus erant? Omnes capti steterunt ante ora victorum, &, quod potentissimis quondam miserrimum est, prius ignominia seruitutis, quàm hostili mucrone confossi sunt. Dicat aliquis; Regum talis conditio est: feriuntque summos fulgura montes. Ad priuatas veniam dignitates, nec de his loquar qui biennium excedunt: atque vt ceteros prætermittam, sufficit nobis trium nuper Consularium diuersos exitus scribere. Abundantius egens Pityunte exulat. Ruffini caput pilo Constantinopolim gestatum est; & abscissa manus dextera ad dedecus insatiabilis auaritiæ ostiatim stipem mendicauit. Timasius præcipitatus repentè de altissimo dignitatis gradu, euasisse se putat quod Assæ viuit inglorius. Non calamitates miserorum, sed fragilem humanæ conditionis narro statum. Horret animus temporum nostrorum ruinas persequi. Viginti & eo amplius anni sunt, quòd inter Constantinopolim & Alpes Iulias quotidie Romanus sanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessalonicam, Achaiam, Epiros, Dalmatiam, cunctásque Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt. Quot matronæ, quot virgines Dei, & ingenua nobiliáque corpo-

C ra, his belluis fuere ludibrio? Capti Episcopi, interfecti Presbyteri, & diuersorum officia Clericorum; subuersæ Ecclesiæ, ad altaria Christi stabulati equi, Martyrum effossæ reliquiæ. Vbique luctus, vbique gemitus, & plurima mortis imago. Romanus orbis ruit, & tamen ceruix nostra erecta non flectitur. Quid putas nunc animi habere Corinthios, Athenienses, Lacedæmonios, Arcadas, cunctámque Græciam, quibus imperant Barbari? Et certè paucas vrbes nominaui, in quibus olim fuere Regna non modica. Immunis ab his malis videbatur Oriens, & tantum nunciis consternatus. Ecce tibi anno præterito ex vltimis Caucasi rupibus immissi in nos non iam Arabiæ, sed Septentrionis lupi, tantas breui Prouincias percurrerunt. Quot Monasteria capta, quantæ fluuiorum aquæ humano cruore mutatæ sunt? Obsessa Antiochia, & vrbes reliquæ, quas Halis, Cydnus, Orontes, Eufratésque præterfluunt. Tracti greges captiuorũ, Arabia, Phœnice, Palæstina, Ægyptus timore captiuæ. Etsi autem non proponebat Hieronymus historiam scribere, sed nostri, vti ait, id est sui tẽporis breuiter flere miserias; tamen & illud præclarè quod adiicit, ad hæc meritò explicanda & Thucydides & Sallustius muti sint. Constantini verò vitam quatuor elegantibus libris Eusebius Cæsariensis complexus est, ne fortè Zosimo lectores plenissimam fidem adhibeant. Narratione enim illius viri fallerentur; vt falli necesse est eos, qui apud Iulianum in Cæsaribus Constantini

patrui vitam legerint. Mendaces enim potiùs falsæ religionis studium quàm pecunia facit. Constantij quoque temporibus vixit Hilarius Pictauiensium vrbis in Gallia Episcopus, idémque Arrianæ sectæ acerrimus hostis, qui Constantio ipsi restitit, editis libellis aduersus improbatas Arrij vesanásque sententias, vt non immeritò Rhodanus eloquentiæ dictus ab Hieronymo fuerit. A

IVLIVS Firmicus de errore profanarum religionum scripsit ad Constantium & » Constantem Augustos, eósque alloquens: Licèt, inquit, adhuc in quibusdam re» gionibus idololatriæ morientia palpitent membra, tamen in eo res est, vt è Chri» stianis omnibus terris pestiferum hoc malum funditus amputetur. Et paulò infrà: » Vos nunc, Constanti & Constans, sacratissimi Imperatores, & venerandæ fidei ve» stræ imploranda virtus est, quę supra homines erigitur, & à terrena fragilitate se» paratur, cœlestiúmque se rerum societate coniungit, quæ in omnibus actibus suis, » prout potest, Dei summi sequitur voluntatem. Modicum tantum superest, vt legi» bus vestris funditus prostratus diabolus iaceat, vt extinctæ idololatriæ pereat fu» nesta contagio. Veneni huius virus euanuit, & per dies singulos substantia profanæ » cupiditatis expirat. Erigite vexillum fidei, vobis hoc diuinitas reseruauit, cuius fa» uore eminentes prostratores estis omnium hostium vestrorum; quorum opera » Romanum infirmabatur Imperium. Signum venerandæ legis erigite, sancite, pro» mulgate quod prosit. Sit faustum felixque Reip. quod tot aceruis cæsorum ho» stium prostrauistis exercitum. Felices vos quoque gloriæ ac voluntatis suæ Deus » fecit esse participes. Idololatriæ excidium, & profanarum ædium ruinas propitius » Christus populo vestris manibus reseruauit. Et alio loco: Tollite, tollite securi, B » sacratissimi Imperatores, ornamenta Templorum. Deos istos aut monet & ignis, » aut metallorum coquat flamma. Donaria vniuersa ad vtilitatem vestram domi» niúmque transferte. Hyeme (quod nec factum est aliquando, nec fiet) tumentes, » ac sæuientes vndas calcastis Oceani sub remis vestris. Incogniti iam nobis penè » maris vnda contremuit, & insperatam Imperatoris faciem Britannus expauit.

NIHIL autem in GRATIANO & VALENTINIANO puero reperies, cuius interpretem Zosimum non habeas, siue Procopium, siue Maximum patriâ Hispanum, siue Eugenium, siue Rufinum, siue Abundantium, siue Thimasium excutere voles. De Maximo quidem locupletissimum aliunde testimonium habemus Sulpitij Se» ueri politissimi scriptoris, cuius hæc sunt verba in Dialogis: Maximus Imperator » Rempublicam gubernabat, vir omni vitæ merito prædicandus, si ei vel diadema » non legitimè tumultuante milite impositum repudiare, vel armis ciuilibus absti» nere licuisset. Sed magnum Imperium nec sine periculo renui, nec sine armis po» tuit detineri. Et in vita Martini à se perscripta: Martinus Maximo longè antè » prædixit futurum, vt si in Italiam pergeret, quò ire cupiebat, bellum Valen» tiniano Imperatori inferens, sciret se primò quidem impetu futurum esse vi» ctorem, sed paruo pòst tempore periturum. Quod quidem ita vidimus. Nam » primo aduentu Valentinianus in fugam versus est. Deinde post annum ferè re» sumptis viribus captum inter Aquileiæ muros Maximum interfecit. Eiusdem C » quoque Auctoris hæc verba sunt: Imperatorem Maximum ferocis ingenij vi» rum, & bellorum ciuilium victoria elatum fuisse, & à conuiuio eius Martinum » frequenter abstinuisse, dicentem se mensæ eius participem esse non posse, qui » duos Imperatores, vnum Regno, alterum vita expulisset. Idem non spontè sum» psisse se Imperium affirmabat, sed impositam sibi à militibus diuino nutu ne» cessitatem Regni armis defendisse, & non alienam ab eo Dei voluntatem vide» ri, penes quem tam incredibili euentu victoria fuisset, nullúmque ex aduersariis » nisi in acie occubuisse. Hic proferendum ex Beda Orosium Victorémque insignes historicos sequuto manifestissimum testimonium cap. IX. lib. I. Ecclesiasticæ » Historiæ gentis Anglorum: Anno ab Incarnatione Domini trecentesimo septua» gesimo septimo Gratianus quadragesimus ab Augusto post mortem Valentis sex » annis Imperium tenuit: quamuis iamdudum antea cum patruo Valente, & cum » Valentiniano fratre regnaret. Qui cùm afflictum & penè collapsum Reipubl. sta» tum videret, Theodosium Hispanum virum restituendæ Reipubl. necessitate » apud Sirmium purpuram induit, Orientisque & Thraciæ simul præfecit Impe» rio. Qua tempestate Maximus vir quidem strenuus & probus, atque Augu» sto dignus, nisi contra sacramenti fidem per tyrannidem emersisset in Bri-

A tannia, inuitus propemodum ab exercitu creatus Imperator, in Galliam transiit, « vbi Gratianum Augustum subita incursione perterritum, atque in Italiam transire meditantem, dolis circumuentum interfecit, fratrémque eius Valentinianum Augustum Italia expulit. Valentinianus in Orientem refugiens, à Theodosio paterna pietate susceptus, mox etiam Imperio restitutus est. clauso videlicet intra muros Aquileiæ, & capto atque occiso ab eis Maximo tyranno.

Ad Gratianum & Valentinianum Iuniorem redeo. Ille quidem Decium Ausonium præceptorem suum multis iam dignitatibus functum Consulem renunciauit. Extatque supputatio ab vrbe condita in Consulatum suum, quam ipse Poëmatibus suis inseruit.

Annis vndecies centum coniunge quaternos,
Vndecies vnúmque super trieterida necte,
Hæc erit æternæ series ab origine Romæ.

De eodem ad Proculum.

Vrbis ab æternæ deductam Rege Quirino
Annorum seriem quam Procule accipies:
Mille annos, centúmque, & bis fluxisse nouenos
Consulis Ausonij nomen ad vsque leges.
Fors erit vt lustrum quum se cumulauerit istis,
Confectam Proculus signet Olympiadem.

B Consul igitur ab eo factus, vt alia omittam, amplissimam illi gratiarum actionem egit Plinij Panegyrico ad Traianum non multo inferiorem. Gratiani ab auo deductum nomen perpetua gratè agendi benignitate etiam meruisse tradit. De parente quoque eius sic loquitur: Tu Valentiniano genitus, cuius alta bonitas, præsens comitas, temperata seueritas fuit. Omnium autem retro Cæsarum res gestas breuissimè perstringit Ruffus Festus V. C. edito ad Valentinianum Breuiario. At Decius Ausonius, de quo dicere cœperamus, erat Iulij Ausonij arte medici filius, qui vxorem vnicam habuit, cum qua triginta sex annos sine vlla animi læsione vixit, obiitque nonagenarius omnibus & membris & sensibus integer; tàm secundæ apud Aquitanos famæ, vt ab illo cum aliquo septem sapientum contenderetur. Scitúmque eius in ore omnium versabatur: Beatum esse non qui habet quæ cupit, sed qui non cupit quæ non habet. Ac de eo iactabant Aquitani: Quemadmodum Ausonius neminem sibi proposuit imitandum, ita Ausonium nemo nunc potest imitari. Reliquit libros de re Medicina, quibus Vindicianus plurimùm se adiutum fuisse testatur. Eloquentiæ non ita studuit, cùm hoc sæpiùs diceret, satius esse si moribus antiquorum prudentum viueremus, quàm si eorum tantùm linguâ & arte loqueremur. Habuit quoque Ausonius filius magnam cum Paulino amicitiam. quod Epistolæ satis ostendunt. Denique Gratianus è Cularone vico Allobrogum in descensu Alpium sito ad Isaram flumen Gratianopolim fecit, vrbem claram, & apud Sidonium Apollinarem Epistola vltima libri III. celebrem,

C his verbis ad Placidum: Quamquam te tua tenet Gratianopolis, tamen hospitum veterum fido relatu, quòd meas nugas siue confectas opere prosaico, seu stylo Poëtarum cantilenosas, plus voluminum lectione dignere repositorum. Gaudeo hoc ipso, quòd recognoui chartulis occupari nostris otium tuum. At Ambrosius de obitu Valentiniani Iunioris funebrem orationem texuit, vnde hæc pauca exscripsimus: Dudum hoc voti habuit, vt cùm in Italiam venisset, initiaretur, & proximè baptizari se à me velle significauit. Quid de amore Prouincialium loquar, vel quo eos ipse complectebatur, vel qui ab iis consultori suo rependebatur, quibus nihil vnquam indici passus est? Præterita, inquit, non queunt soluere, noua poterunt sustinere? Ac Templa Deorum aperiri, & sacrificari vetuit. Cuius rei meminit & Ambrosius eodem loco. Et apud Ausonium legitur carmen eius hac verborum formula sub Valentiniani Iunioris signo.

Quod leo tam tenui patitur sub arundine letum,
Non vires ferri, sed ferientis agunt.

NVLLIVS autem Cæsaris vita apud Sextum Victorem melius quàm THEODOSII Magni scripta est, qui cùm annum ageret quinquagesimum apud Mediolanum excessit, Rempublicam Arcadio & Honorio filiis relinquens. Extat elegans Synesij oratio ad Arcadium de Regno, in qua patris eius Theodosij

» virtutes atque ornamenta prosequitur. Reuoca, inquit, in memoriam patrem, A
» & videbis Principatum ipsi mercedem virtutis datum. Fatum verò virtutis causa non est, sed cum virtutis operibus iam quidam etiam fortunam attraxerunt. Inter hos tu Rex numerandus venias, vt ne frustra hic philosophia loquatur; sit tibi Regnum hac ratione præclarum quòd virtutem exercuit, & produxit indigentem materia quæ propriæ magnitudini sufficeret, & non consentaneam vitæ proposito quod Regno inferius esset. Exercenda est igitur anima, vt regio modo se habeat, & respondendum pro fortuna, vt ne temeritatis accusata damnetur. Nam non similibus exordiis & tibi & patri vita processit. Huic enim militia Regnum procurauit, te verò Regnum ad militiam exercet; & debes virtutem fortunæ. Ille bona laboribus parauit, tu verò ipsa absque labore per hereditatem assecutus es. Opus itaque est laboribus ad conseruationem, & hoc est quod rursum dico difficile, & quod infinitis oculis indiget: ne quod fortuna facere solet, in itinere reflectat, quemadmodum improbi vitæ comites. His enim instabilitatem eius sapientes assimilant. Videsne vt ne patri quidem, (etsi is manifestè ob præclarè ab se gesta Imperator est proclamatus) senectutem laboris expertem inuidia reliquerit, proinde neque Deus incoronatum dimiserit? Sed contra duos tyrannos profectus, & ambobus prostratis de secundo triumphans, vitam finiuit: homini quidem nulli, sed naturæ concedens, aduersus quam neque arma robur habent, neque mens satis industria est. Sepulchrique munimentum habuit virtutem, relicto vobis Regno sine contentione, B quod vobis virtus, & per virtutem Deus ipse conseruet. Hic est Theodosius, cuius extat apud Ausonium Poëtam elegans Epistola in hunc modum: Theodosius Augustus Ausonio parenti salutem. Amor meus, qui in te est, & admiratio ingenij, atque eruditionis tuæ, quæ multo maxima sunt, fecit, parens iucundissime, vt morem Principibus aliis solitum sequestrarem; familiarémque sermonem autographum ad te transmitterem, postulans pro iure non quidem regio, sed illius priuatæ inter nos caritatis, ne fraudari me scriptorum tuorum lectione patiaris. Quæ olim mihi cognita, & iam per tempus oblata, rursum desidero, non solùm vt quæ sunt nota recolam, sed ea quæ fama celebri adiecta memorantur, accipiam. Quæ tu de promptuario scriniorum tuorum, qui me amas, libens impertiare, secutus exempla auctorum optimorum, quibus par esse meruisti: qui Octauiano Augusto rerum potienti certatim sua opera tradebant, nullo fine in eius honorem multa condentes. Qui illos, haud sciam, an æqualiter ac ego te, admiratus sit: certè non amplius diligebat. Vale parens.

Sed Beda iterum nos ad se vocat. Is libro 1. cap. 10. Ecclesiasticæ Historiæ gentis Anglorum: Anno, inquit, ab Incarnatione Domini trecentesimo nonagesimo quarto Arcadius filius Theodosij cum fratre Honorio quadragesimus tertius ab Augusto Regnum suscipiens, tenuit annos tredecim. Cuius temporibus Pelagius Brito contra auxilium gratiæ supernæ venena suæ perfidiæ C longè latéque dispersit, vtens cooperatore Iuliano de Campania, quem dudum amissi Episcopatus intemperans cupido exagitabat. Quibus sanctus Augustinus, sicut & ceteri Patres orthodoxi, multis sententiarum Catholicarum milibus responderunt. Nec eorum tantùm clementiam corrigere volebant, sed quod grauius est, correpta eorum vesania, magis augescere contradicendo, quàm fauendo veritati, voluit emendari. Quod pulchrè versibus heroicis Prosper Rhetor insinuat, cùm ait:

Contra Augustinum narratur serpere quidam
Scriptor, quem dudum liuor adurit edax.
Quis caput obscuris contectum vtcumque cauernis
Tollere humo miserum propulit anguiculum?
Aut hunc fruge sua æquorei pauere Britanni,
Aut huic Campano gramine corda tument.

Anno eiusdem Arcadii & Honorii secundo, Martinus Episcopus Turonum decessit, qui armatam militiam in adolescentia sequutus, inter scholares alas sub Constantio, deinde sub Iuliano Cæsare militauit: sexdecimque annis post Synodum Treueris habitam à Maximo Cæsare contra Priscillianos obiit. Vitam

A huius summi & probitate admirabilis viri scripsit Sulpitius Seuerus, sacræ Histo-
riæ ad sua fermè tempora auctor egregius, nec Biturigarum Episcopus Senato-
rij generis, vt plerisque per errorem visum est, sed Prumiliacensis in Aquita-
nia Presbyter, Paulini familiaris, quo digniorem Salustio Tacitóque æmulum
ne inter Romanos quidem superioris ætatis Scriptores vllum video. Paulini fami-
liarem diximus, quia quatuordecim ad eum Epistolas misit familiaritatis & amici-
tiæ testes. Beda quoque cap. II. eiusdem libri: Anno, ait, ab Incarnatione Domini
quadringentesimo septimo, tenente Imperium Honorio Augusto filio Theodosij
senioris, loco ab Augusto quadragesimo quarto, ante biennium Romanæ irruptio-
nis, quæ per Alaricum Regem Gothorum facta est, cùm gentes Alanorum, Sueuo-
rum, VVandalorum, multæque cum his aliæ protritis FRANCIS, transito Rheno,
totas per Gallias sæuirēt, apud Britannias Gratianus municeps Tyrannus creatur
& occiditur. Huius loco Constantinus ex infima militia, propter solam spem no-
minis sine merito virtutis eligitur, qui continuò vt inuasit Imperium in Gallias
transiit, vbi sæpè à Barbaris incertis fœderibus illusus, detrimento magis reipu-
blicæ fuit. Vnde mox iubente Honorio Constantius Comes in Galliam cum exer-
citu profectus, Constantinum Imperatorem apud Arelatem Ciuitatem clausit,
cepit, & occidit. Constantémq; filium eius, quem ex Monacho Cæsarem fecerat,
Gerontius Comes suus apud Viennā interfecit. De Constantino Tyranno loqui-
tur Olympiodorus, qui scripsit historiam Honorij & Theodosij, quæ adhuc in scri-
B niis & armariis Bibliothecarum delitescit, τὰς Βρεττανίας ἐάσας περαιοῦται ἅμα τοῖς
αὐτοῦ ἐπὶ Βονωνίαν πόλιν οὕτω καλουμένην παραθαλασσίαν, καὶ πρώτην ἐν τοῖς Γαλατῶν ὅροις κει-
μένην. Hæc quidem de Constantino Olympiodorus. At Sidonius Apollinaris de
Constantino & de superioribus Tyrannis verè elegantérque loquitur Epistola IX.
lib. V. in hunc modum: Sidonius Aquilino suo salutem. In meo ære duco, vir om-
nium virtutum capacissime, si dignum tu quoque putas, vt quantas habemus
amicitiarum causas, tantas habeamus ipsi amicitias. Auitum est quod reposco;
testes mihi in præsentiarum aui nostri super hoc negotio Apollinaris & Rusticus
aduocabuntur, quos laudabili familiaritate coniunxerat literarum, dignitatum,
periculorum, conscientiarum similitudo: cùm in Constantino inconstantiam, in
Iouino facilitatem, in Gerontio perfidiam; singula in singulis, omnia in Dar-
dano crimina simul execrarentur. Ætatéque media, patres nostri sub vno con-
tubernio, vix dum à pueritia, in totam adolescentiam euecti, Principi Ho-
norio Tribuni Notariique militauere, tanta caritate peregrinantes, vt in-
ter eos minima fuerit causa concordiæ, quòd filij amicorum commemoraban-
tur. In Principatu Valentiniani Imperatoris vnus Galliarum præfuit parti, al-
ter soliditati. Sed ita se quodam modo tituli amborum compensatione fraterna
ponderauerunt, vt prior fuerit fascium tempore qui erat posterior dignitate.
Ventum ad nos, id est, ventum est ad nepotes; quos nihil decuerit plus cauere,
quàm ne parentum, antiquorúmque nostrorum per nos fortè videatur anti-
C quata dilectio. Ad hoc in similem familiaritatem præter hæreditariam prærroga-
tiuam, multifaria opportunitate compellimur. Ætas vtriusque non minus iuncta,
quā patria. Vnus nos exercuit ludus, vnus magister instituit, vna nos lætitia dissol-
uit, seueritas coercuit, disciplina formauit. De cetero, si Deus annuit, in annis iā
senectutis initia pulsantibus, simus, nisi respuis, animæ duæ, animus vnus: imbua-
músque liberos inuicem diligentes, idem velle, nolle, refugere, sectari. Hoc pa-
trum verò iam supra vota, si per Rusticum Apollinarémque proauorum prædi-
cabilium, tàm reformentur corda, quàm nomina. Vale.

Idem Auctor in Epitaphio aui sui de Tyrannis superioribus loquitur, cùm ait:

Exemplóque aliis periculoso
Liber subdominantibus Tyrannis.

Scilicet Constantino, Iouino, Geruntio, Dardano. Rursus idem Sidonius Epi-
stola VI. lib. VIII. Audiui, inquit, adolescens, atque adhuc nuper ex puero,
cùm pater meus Præfectus Prætorio Gallicanis Tribunalibus præsideret: sub
cuius videlicet magistratu Consul Asterius anni sui fores votiuūm trabeatus
aperuerat. Adhærebam sellæ curuli, etsi non latens per ordinem, certè non
sedens per ætatem: mixtúsque turmæ censualium penulatorum, proximè Con-
suli proximis eram. Itaque vt primùm breui peracta nec breuis sportula, dati-

que fasti, acclamatum est ab omni Galliæ cœtu primoribus aduocatorum, vt A festiuitate præuentas horas antelucanas, quæ diem serum cum silentio præstolarentur, congrua meritorum fascium laude honestarent. Hæc de Flauio Nicetio viro ortu clarissimo Sidonius narrat. Constantius verò, de quo iam diximus, ille ipse est, cui Honorius Placidiam sororem olim Athaulpho Gothorum Regi nuptam matrimonio iunxit, ex qua Valentinianus tertius susceptus est. Theodosium Iuniorem biennio antè Romæ irruptionem factam imperasse scribit doctissimus Beda. Qua in re non puto eum errasse, neque Orosium, quem ille sequitur, sed pro (biennio) imperitè scripto à notario, quinquennium dicendum fuisse. Historici enim omnes anno quadringentesimo duodecimo Romam expugnatam posteritati referunt, quorum auctoritati accedimus: cùm Basso & Philippo Consulibus, id est anno quadringentesimo decimo, Arcadius Cæsar sit Constantinopoli mortuus **.

IAM tempus est & quo anno Roma capta sit commemorandi, quo mense, quo Pontifice, quo Consule, quibus Cæsaribus, à quo Rege, & quis eam expugnationem describat, redeundíque ad calamitates Galliæ. Annus igitur notissimus esto, mensis Aprilis, Pontifex Innocentius qui apud Rauennam tunc temporis erat, vt Orosius libro VII. tradit cap. XXVIII. Innocentius, inquam, Anastasij successor in Pontificatu, de quo Hieronymus Epistola ad Principiam: Succedit in Pontificatum vir insignis Anastasius, quem diu Roma habere non meruit, ne Orbis caput sub tali Episcopo truncaretur. Imò idcirco ra- B ptus atque translatus est, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur. Anastasio Innocentius successit, quo Pontifice Roma capta direptáque est sub Consulatu Flauij Varanis. Prosper enim in Chronico (non ille quem Beda Rhetorem vocat, sed alius, vt infra dicemus) ad annum quadringentesimum duodecimum: Flauio Varane Consule Roma Orbis quondam victrix à Gothis Alarico duce capta est, inquit. Et ob hoc solus fuit Orientalium partium Consul, quòd in sequenti anno obseruatum est. De Arcadio quidem Hieronymus aduersus Vigilantium: Sacrilegus, ait, dicendus est & nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo pòst tempore de Iudæa in Thraciam transtulit. Tamen cùm hoc accidit iampridem erat mortuus. Vnde Orosius libro VII. Historiæ suæ cap. XXXVI. Anno ab vrbe condita millesimo centesimo quadragesimo nono: Arcadius Augustus, cuius nunc filius Theodosius Orientem regit, & Honorius Augustus frater eius, cui nunc Respublica innititur, quadragesimo secundo loco, commune Imperium, diuisis tantùm sedibus, tenere cœperunt; vixitque Arcadius post patris excessum annis duodecim, Imperiique summam Theodosio filio suo paruo admodum moriens tradidit. Honorij quoque Cæsaris ab eodem Hieronymo in Epistolis mentionem fieri certissimum est. Et Hieronymus quidem captam Romam deflet, Galliæque miserias, Epistola ad Ageruchiam hoc modo: Præsentium miseriarum pauca percurram. C Quod rari huc vsque residemus, nõ nostri meriti, sed Domini misericordiæ est. Innumerabiles, & ferocissimæ nationes vniuersas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Oceano & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & ô lugenda respublica! hostes Pannonij vastarunt. Etenim Assur venit cum illis. Maguntiacum, nobilis quondam Ciuitas, capta atque subuersa est, & in Ecclesia multa millia hominum trucidata. Vangiones, longa obsidione deleti. Rhemorum vrbs præpotens, Ambiani, Attrebatæ, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemete, Argentoratus, translati in Germaniam. Aquitaniæ, Nouémque populorum, Lugdunensis & Narbonensis Prouinciæ, præter paucas vrbes populati sunt cuncta: quas & ipsas foris gladius, intus vastat fames. Per hostes Pannonios, intellige Hunnorum gentem. In illa enim innumerabilium & ferocissimarum gentium colluuie ne Pannonij quidem defuere, Hunni tandem dicti: vnde pro Pannonia Hungariam appellamus. Inter ceteras quidem Remorum vrbem præpotentem refert fuisse. Ciues tamen numero hostium territi ad densissimas syluas & montiũ munitiones profugerant, relictis in vrbe paucissimis quos deserere Nicasius Pontifex, Eutropia eius soror, Florentius Diaconus, & Iucundus, pietatis causa noluere. Itaque primo aduentu Vandalorũ ante Templum Virginis percussi

A gladio à Barbaris fuere. Europia quidem virgo ausu plusquam femineo in eum qui fratrem occidisset insiliens, oculos eruit, móxque interempta est. Per hunc modum ingressi potentem Remorum vrbem, cuncta repente vastaturi existimabantur. Verùm subitò atque insperatò terrore perculsi, quasi propinquum hostem haberent, extra portas statim prorumpunt, diffugiuntque. Aliquanto pòst Ciues attoniti adhuc, & huius repentinæ fugæ certiores facti, domum redeunt, Nicasiíque & Europiæ funus solemni ritu circa nonum decimum Calendas Ianuarias curarunt, & in Cemiterio Agricolæ, viâ orientali, in Templo à Iouino quondam militari Præfecto fundato sepelierunt. Agricolæ enim Basilicam à se exædificatam Iouinus ipse hoc titulo ornauit.

Felix militiæ sumpsit deuota Iouinus
Cingula, virtutum culmen prouectus in altum;
Bisque datus meritis Equitum, Peditúmque Magister,
Extulit æternum seclorum in secula nomen.
Sed pietate graui, tanta hæc præconia vicit,
Insignésque triumphos religione dicauit:
Vt quem fama dabat rebus superaret honorem,
Et vitam factis posset sperare perennem.
Conscius hic sancto manantis fonte salutis
B *Sedem viuacem moribundis ponere membris,*
Corporis hospitium lætus metator adornat.
Reddendos vitæ seruari prouidet artus.

Hæc quidem in martyrio Nicasij & Europiæ, Ciuiúmque Remensium, in veteribus membranis perscripto Remensis Ecclesia adhuc legit, vt ante septingentos annos, qua ætate viuebat Flodoardus Canonicus Remensis, vtque in illa vita citatur nobilis ille ad Aggeruchiam Hieronymi locus, sic à Flodoardo etiam profertur. Et Vandali dicuntur Christianorum potiùs sanguinem quàm opes & diuitias sitisse. Itaque in narranda Nicasij sororísque eius vita caput sextum consumitur. At in vita Genouefæ virginis Auctor eius ait adolescentulam consecratam à Vilico Episcopo Carnutensi adhuc viuente Nicasio, qui sub Hunnorum tyrannide martyrio coronatus est, Præsule Durocortorum, id est Remorum. Qui Auctor Clotarij & Childeberti Regum meminit, scientissimè Constantium Lugdunensem secutus in vita Germani, vbi de Genouefa fit mentio. Et quia innumerabiles barbaræ nationes Galliam tunc inundarunt, nihil mirum ab aliis Vandalos, ab aliis Hunnos, ab aliis alios nominari. Deinde Hieronymus ait: Non possum absque lachrymis Tholosæ facere mentionem, quæ & hucusque ne rueret, sancti Episcopi Exuperij merita præstiterunt. Ipsæ Hispaniæ, iàm iámque perituræ quotidie contremiscunt, recordantes irruptionis "
Cimbricæ. Et quicquid alij semel passi sunt, illæ semper timore patiuntur. Cete- "
C ra taceo, ne videar de Dei desperare clementiâ. Olim à mari Pontico usque ad "
Alpes Iulias non erant nostra, quæ nostra sunt: & per annos triginta fracto Da- "
nubij limite, in mediis Romani Imperij regionibus pugnabatur. Aruerunt ve- "
tustate lachrymæ. Præter paucos senes, omnes in captiuitate & obsidione gene- "
rati, non desiderabant quam non nouerant libertatem. Quis hoc credet, quæ "
digno sermone historiæ comprehendent? Romam in gremio suo non pro gloria, "
sed pro salute pugnare? Imò ne pugnare quidem, sed auro & cuncta supelle- "
ctile vitam redimere? Quod non vitio Principum (Honorij & Theodosij) qui vel "
religiosissimi sunt, sed scelere semibarbari accidit proditoris (Steliconis scilicet) "
qui nostris contra nos opibus armauit inimicos. Idem Auctor ad Principiam vir- "
ginem: Dum hæc aguntur in Iebus, terribilis de Occidente rumor affertur, "
ait, obsideri Romam, & auro salutem ciuium redimi, spoliatósque rursum circum- "
dari, vt post substantiam, vitam quoque perderent. Hæret vox, & singultus in- "
tercipiunt verba dictantis. Capitur vrbs, quæ totum cepit orbem: imò fame pe- "
rit antequàm gladio, & vix pauci qui caperentur inuenti sunt. Ad nefandos ci- "
bos, erupit esurientium rabies, & sua inuicem membra laniaruut: dum mater "
non parcit lactanti infantiæ, & suo recipit vtero quem paulò antè effuderat. Et "
paucis interpositis idem Scriptor ait: "

Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos, A
Plurima pérque vias sparguntur inertia passim
Corpora, perque domos it plurima mortis imago.

„ Cùm interim, vt in tanta confusione rerum, Marcellæ quoque domum cruen-
„ tus victor ingreditur. Sit mihi fas audita loqui, imò à sanctis viris visa narrare
„ qui interfuere præsentes, qui te dicunt in periculo quoque ei fuisse sociatam.
„ Intrepido vultu excepisse dicitur introgressos. Cúmque posceretur aurum, &
„ defossas opes vili excusaret tunica, non tamen fecit fidem voluntariæ paupertatis.
„ Cæsam fustibus flagellísque aiunt non sensisse tormenta, sed hoc lachrymis, hoc
„ pedibus eorum prostratam egisse, ne te à suo consortio separarent: ne sustineret
„ adolescentia, quod senilis ætas timere non poterat. Christus dura corda molliuit,
„ & inter cruentos gladios inuenit locum pietas. Cúmque & illam & te ad beati
„ Pauli Apostoli Basilicam Barbari deduxissent, vt vel salutem vobis ostenderent,
„ vel sepulchrum: in tantam lætitiam dicitur erupisse, vt gratias ageret Deo, quòd
„ te integram sibi reseruasset: quòd pauperem illam non fecisset captiuitas, sed in-
„ uenisset quod egeret quotidiano cibo: quòd saturata Christo non sentiret esu-
„ riem, quod & voce & opere loqueretur. *Nuda exiui de vtero matris meæ, nuda & redeam. sicut Domino visum est, ita & factum est. Sit nomen Domini benedi-*
„ *ctum.* Post aliquot dies Roma iam capta sano, integro, vegetóque corpusculo
„ obdormiuit in Domino. Epistola quoque ad Marcellinum eiusdem expugnationis
„ meminit. EZECHIELIS, inquit, volumen olim aggredi, & sponsionem creber-
„ rimam studiosis lectoribus reddere. Sed in ipso dictandi exordio, ita animus meus B
„ Occidentalium Prouinciarum, & maximè vrbis Romæ vastatione confusus est,
„ vt iuxta vulgare prouerbium, proprium quoque ignorarem vocabulum. Iterum
„ in Proemio Ezechielis: Postquàm verò clarissimum omnium lumen extinctum
„ est, imò Romani Imperij truncatum caput, & vt verius dicam, in vna vrbe to-
„ tus Orbis interiit, obmutui & humiliatus sum. Denique in Proemio Commen-
tariorum XXXI. libri Ezechielis ita ipse ille Hieronymus vir insignis, ad Eusto-
„ chium scribit: Quis crederet vt totus Orbis Roma extincta victoriis corrueret?
„ vt ipsa suis populis & mater fieret, vt sepulchrum? vt tota Orientis, Ægypti,
„ Africæ littora, olim dominatricis vrbis seruorum & ancillarum numero com-
„ plerentur, vt quotidie sc. Bethlehem nobiles quondam vtriusque sexus, atque
„ omnibus diuitiis affluentes susciperet mendicantes? Quibus quoniam opem fer-
„ re non possumus, condolemus, & lachrymas lachrymis iungimus, occupatique
„ sancti operis sarcina, dum sine gemitu confluentes videre non patimur, Expla-
„ nationes in Ezechielem, & penè omne studium amisimus. Africæ littora Hieronymus fugitiuis Romanis plena fuisse dixit. Accedit testimonium Collationis Carthaginensis habitæ sub iisdem Honorio & Theodosio Cæsaribus anno post Romam captam: vbi cùm Possidius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixisset, Vbi est
„ fœlix? Aurelius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit: Esto, quia vrbis Romæ C
„ Episcopum se dicit, quare præiudicatur absenti? Petilianus Episcopus dixit:
„ Quæ ratio huc eum detulerit nullus ignorat, nobilitatem omnem hic esse Ro-
„ manam, nec ipsi nescitis Idem igitur turbo eadémque necessitas eum huc detulit.
Quæ verba ad expugnationem vrbis pertinere, & fugam nobilitatis, sanè constat.

DICENDVM igitur à quo Rege expugnata sit. Ab Alarico Rege Gothorum nemo dubitauit vmquam, de quo Augustinus lib. II. Retractationum: Ro-
„ ma, inquit Gothorum irruptione agentium sub Rege Alarico atque impetu ma-
„ gno euersa est. Et Orosius cap. XXVIII. lib. VII. historiæ suæ. Anno, inquit, ab vr-
„ be condita millesimo centesimo septuagesimo quarto, irruptio vrbis per Ala-
„ ricum facta est. Cuius rei quamuis recens memoria sit, tamen si quis populi Ro-
„ mani & multitudinem videat & vocem audiat, nihil factum sicut etiam ipsi faten-
„ tur arbitrabitur, nisi aliquantis adhuc existentibus ex incendio ruinis fortè do-
„ ceatur clementia eius erga eos qui ad templa confugissent. Et Sozomenus libro vltimo Historiæ suæ, & Orosius eo quem diximus loco, & Magnus Aurelius Cassiodorus Epistola ad populum libro XII. magnificè laudant. Cùm Rex, inquit, Alaricus vrbis Romæ deprædatione satiatus, Apostoli Petri vasa suis deferentibus excepisset, mox vt rei causam habita interrogatione cognouit, sacris
„ liminibus deportari diripientium manibus imperauit: vt cupiditas, quæ depræ-

A dationis ambitu admiserat scelus, deuotione largissima deleret excessum. Semibarbarum proditorem Hieronymus antè appellabat Stiliconem. Rationem cur ita fecerit, Orosius lib. VII. cap. XXVII. sic exponit: Interea Comes Stilico VVandalorum in bellis auaræ, perfidæ, & dolosæ gentis genere editus, paruipendens quæ sub Imperatore imperabat, Eucherium filium suum sicut à plerisque traditur, iam indè Christianorum persecutionem à puero priuatóque meditantem, in Imperio quoquo modo substituere nitebatur. Quamobrem Alaricum cunctámque Gothorum gentem pro pace optima & quibuscumque sedibus suppliciter & simpliciter orantem occulto fœdere fouens: publicè autem & belli & pacis negata copia ad tenendam terrendámque Rempubl. reseruauit. Præterea gentes alias copiis viribúsque intolerabiles, quibus nunc Galliarum Hispaniarúmque Prouinciæ premuntur; hoc est Alanorum, Sueuorum, VVandalorum, ipsóque simul motu impulsorum Burgundionum vltro in arma sollicitans, deterso semel Romani nominis metu, suscitauit. Eas inter ripas Rheni quatere, & pulsare Gallias voluit: sperans miser sub hac necessitatis circumstantia, quia & extorquere Imperium genero posset in filium, & gentes barbaræ tàm facile comprimi quàm commoueri valerent. Itaque vbi Imperatori Honorio exercituíque Romano hæc tantorum scelerum scæna patefacta est, commoto iustissimè exercitu occisus est Stilico: qui vt vnum puerum purpurâ indueret, totius generis humani sanguinem dedit. Hæc quidem Orosius
B lib. VII. in quo historiam suam finiens, Augustinum alloquitur totius Africæ splendidissimum solem, qui adhuc viuebat. Anno post captam vrbem collatio Carthaginensis habita est iussu Honorij & Theodosij Cæsarum, quorum Rescriptum sic habet.

Imperatores Cæsares Flauius Honorius & Theodosius Pij, Felices, Victores ac triumphatores Augusti, Flauio Marcellino suo S.

INTER Imperij nostri maximas curas, Catholicæ Legis reuerentia aut prima semper, aut sola est. Neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis consiliis ordinamus, nisi vt verum Dei cultum Orbis nostri plebs deuota custodiat, vt etiam Donatistas vel terrore vel monitu olim implere conuenerat, qui Africam, hoc est Regni nostri minimam partem, & secularibus officiis fideliter seruientem, vano errore & dissentione superflua decolorant. Nos tamen eadem frequentiùs non piget replicare, quæ omnium retrò Principum deuota in Deum definiuit auctoritas: ne temporibus nostris, si quid fortè in iniuriam Legis Catholicæ fuerit generatum, iusto iudicio hoc nobis possit imputare posteritas. Nec sanè latet conscientiam nostram sermo cœlestis oraculi, quem errori suo posse proficere sæua Donatistarum interpretatio profitetur: qui quamuis deprauatos animos ad correctionem mitiùs inuitaret aboleri, cum tamen etiam antè iussimus, ne qua superstitionibus
C præstaretur occasio. Nunc quoque excludendam subreptionem simili auctoritate censemus, illúdque meritò profitemur, libenter nos ea quæ statuta fuerant submouere, ne in diuinum cultum nobis se quisquam auctoribus æstimet posse peccare. Et quamuis vna sit omnium & manifesta sententia, Catholicæ Legis plenam veritatem recto hominum cultu & cœlesti sententia comprobatam, studio pacis & gratiæ venerabilium virorum Episcoporum legationem libenter admisimus, quæ congregari Donatistas Episcopos ad cœtum celeberrimæ desiderat Ciuitatis: vt electis etiam Sacerdotibus, quos pars vtraque delegerit, habitis disputationibus, superstitionem ratio manifesta confutet. Quam rem intra quatuor menses præcipimus explicari, vt conuersos animos populorum etiam clementia nostra, sicut desiderat, celeriùs possit cognoscere. Quòd si intra præstitutum tempus studiosè Donatistarum Episcopi declinauerint conuenire, trini edicti vocatione contumacium tempora concludantur. Quibus emensis atque transactis, si prouocati adesse contempserint, cedat cum Ecclesiis populus, qui victores suos silentio cognouerit superatos, & victum se aliquando gratuletur, sciátque si non præceptis nostris, vel Catholicæ Legis veris imperiis seruiendum. Cui quidem disputationi principe loco te iudicem volumus residere. Quicquid etiam antè in mandatis acceperis, plenissimè meministi, omnémque vel in con-

„ gregandis Episcopis, vel euocandis si adesse contempserint, curam te volumus su- A
„ stinere: vt & ea quæ antè mandata sunt, & quæ nunc statuta cognoscis, probatâ
„ possis implere solertiâ. Id ante omnia seruaturus, vt ea quæ circa Catholicam
„ Legem vel olim ordinauit antiquitas, parentum nostrorum auctoritas religiosa
„ constituit, vel nostra serenitas roborauit, nouella subreptione submota integra
„ & inuiolata custodias. Vt sanè adminicula competentia actibus tuis deesse
„ non possint, viros spectabiles Proconsulem atque Vicarium serenitas nostra
„ commonuit, vt si propriarum dignitatum statum cupiunt retinere, si apparitio-
„ nem suam extrema declinare supplicia, tàm ex propriis officiis, quàm ex omnium
„ iudicum diuina * apparitione abundè necessarios faciant deputari. Erit
„ iam sollicitudinis tuæ, si quid vlla cognoueris arte differri, missis relationibus
„ indicare, vt negligentes puniat digna correctio. Omnia sanè, quæ vel in vnum
„ Episcopis congregatis disputatio completa firmauerit, vel desistentibus forte
„ statuerit, circa contumaces lata sententia te referre conueniet: vt quid ad con-
„ firmandam Catholicam fidem præceptio nostra proferebat, celeriùs possimus
„ agnoscere. Et diuina manu. Vale Marcelline charissime nobis. Data pridie Idus
„ Octobris, Rauennæ.

Hic autem Marcellinus Tribunus & Notarius Cæsarum præfuit huic Collationi, vir sapiens & religiosus, ac potestate magna præditus. Tribunum etiam & Notarium Augustinus scribit fuisse Dulcicium illum, cui postea in Africa demandatam quoque fuisse curam legum & iussionum constat. Orosius virum in primis prudentem fuisse ait, & industrium, omniúmque bonorum studiorum appetentissimum. Scripsit Augustinus ad eum non solùm libros de Peccatorum meritis & remissione contra Pelagianos, & de Spiritu & Litera: sed & eruditissimos illos de Ciuitate Dei incœptos paulò post captam vrbem, immò & Epistolas duas, quintam & septimam. Ex quibus perspici potest Marcellinum in primis de Religione sollicitum fuisse, & subtilissimas etiam in eo genere quæstiones intellexisse. Quin ex Epistola centesima quinquagesima octaua & sequenti apparet, causas Ecclesiasticas eius amplitudine potissimum iniunctas fuisse, vt quæ suprà demonstrauimus extat Hieronymi Epistola, testis eum acutissimas Ecclesiæ quæstiones, veluti de origine animæ, sollicitè proposuisse, ad dicendum magis paratum, quàm erat Hieronymus ad respondendum: ac ne hoc quidem studium remisisse in media Reipublicæ perturbatione, cùm Hieronymus ei rescribens fateatur, se vrbis vastatione confusum non posse literis operam dare. Idem Auctor ait libro tertio aduersus Pelagianos: Scripsit dudum vir san-
„ ctus & eloquens Episcopus Augustinus ad Marcellinum, qui postea sub inuidia
„ tyrannidis Heraclianæ ab hereticis innocens cæsus est, duos libros de infanti-
bus baptisandis. Nec immeritò in libro XVI. Codicis Theodosiani scriptum repe-
„ rimus, Impp. Honorius & Theodosinus AA. Iuliano Proconsuli Africo. No-
„ tione & sollicitudine Marcellini spectabilis memoriæ viri contra Donatistas ge- C
„ sta sunt ea quæ translata in publica monumenta habere volumus perpetuam fir-
„ mitatem. Neque enim morte cognitoris perire debet publica fides. Data III.
„ Septemb. Rom. Constantio & Constante Coss. Mense quidem Aprili expugnata Roma fuerat pridie Idus Octobr. Rescriptum ad Marcellinum datum est eodem anno. Consul enim non adscribitur, sed adscribi potest Varanes. In sequenti enim anno, vt acta statim suggerunt, post Consulatum Varanis viri Clarissimi Cal. Iun. tertio Non. sexto Id. eiusdem mensis Carthagini in Secretario Thermarum Carligianarum Collatio habita est, vt ex actis constat, quæ nos primi omnium mortalium in lucem dedimus è Manuscripto Codice ex Meldorum Ecclesia habito, quod voto Tulcherij Canonici ad altare diui Stephani olim oblatum ex vetusta inscriptione cognouimus. Meldense enim Templum Episcopale Stephano dicatum est. Conuenerant quidem magno & celebri concursu Catholici Episcopi ducenti octuaginta sex, Donatistæ ducenti septuaginta nouem. Sed electi ad colloquium & disputationem Catholici septem, Aurelius Carthaginensis, Alipius Tagastensis, Augustinus Hipponensis, Vincentius Colusitanus, Fortunatus Constantiniensis, Fortunatianus Sirensis, & Possidius Calamiensis. Ex Donatistis totidem, Primicianus Carthaginensis, Petilianus Constiotiensis, Emeritus Cæsariensis, Crosius ...... Montanus ..... Gaudentius Tha-

B

A gundensis, Adeodatus ..... Idem Augustinus Honorio duodecimum & Theodoro octauum Coss. post habitam collationem disseruit cum Emerito Donatista, vt acta ostendunt. Victoria itaque penes Catholicos fuit, damnatique sunt fautores partium Donati, vt apparet ex breuiculo eiusdem Augustini, qui liber summa delectatione me piosque omnes perpetuò afficiet. Verùm hæc lætitia totius Africæ populorum in nouas miserias aliquantò pòst transiit: inuecta in Africam per VVandalorum gentem Arriana secta. Ita enim fit plerumque, vt extincta hæresi vna, succedat in eius locum perniciosior atque funestior.

Eodem anno quadringentesimo vicesimo, iidem Cæsares Arelatem, quòd esset celeberrimum & opportunissimum emporium à Constantino Tyranno, qui sedem Imperij ibi fixerat, inhabitatam, nouo honore complexerunt, vt in ea septem Prouinciarum Conuentus agerentur: scilicet Viennensis, vtriusque Narbonensis, vtriusque Aquitaniæ, & Nouempopulaniæ. Extat præceptio Augustorum Honorij & Theodosij ad virum illustrem Agricolam Præfectum Galliarum in hæc verba: Saluberrima magnificentiæ tuæ suggestione inter reliquas Reipubl. vtilitates euidenter instructi obseruanda Prouincialibus nostris, id est per septem Prouincias, mansura in æuum auctoritate decernimus, quod sperari planè ab ipsis Prouincialibus debuisset. Nam cùm propter priuatas & publicas necessitates de singulis Ciuitatibus; non solùm de singulis Prouinciis, vel Honoratos confluere, vel mitti Legatos; aut possessorum vtilitas, aut publicarum B ratio exigit functionum: maximè opportunum & conducibile iudicauimus, vt seruata posthac quotannis consuetudine in constituto tempore in Metropolitana, id est Arelatensi vrbe, incipiant septem Prouinciæ habere Concilium. In quo planè tàm in singulis quàm in commune consulimus. Primùm, vt optimorum Conuentus sub illustri præsentia Præfecturæ, si id tamen ratio publicæ dispositionis obtulerit, saluberrima de singulis rebus possint esse consilia. Tum quicquid tractatum fuerit & discussum, ratiociniis constitutum, nec latere potiores Prouincias poterit, vt parem necesse est inter absentes æquitatis formam iustitiæ seruari. Hinc planè præter necessitates etiam humanæ conuersationi non parum credimus commoditatis accedere, quòd in Constantina vrbe iubemus annis singulis esse Concilium. Tanta est enim loci opportunitas, tanta est copia commerciorum, tanta illic frequentia commeantium, vt quicquid vsquam nascitur, illic commodiùs distrahatur. Neque enim vlla Prouincia fructus sui facultate lætatur, vt non nisi hæc propria Arelatensis soli credatur esse fœcunditas. Quicquid enim diues Oriens, quicquid odoratus Arabs, quicquid delicatus Assyrius, quod Africa fertilis, quod speciosa Hispania, quod fœcunda Gallia potest habere præclarum, ita illi exhibetur affatim, quasi sibi nascantur omnia quæ vbique constat esse magnifica. Iam verò decursu Rhodani & Thirreni recursu necesse est vt vicinum faciant, & penè conterminum, vel quod iste præterfluit, vel ille quod circuit. Cùm ergo huic seruiat Ciuitati quicquid C habet terra præcipuum, ad hanc vel naui, vel vehiculo, terra, mari, flumine deferatur quicquid singulis nascitur, quomodo non multum sibi Galliæ nostræ præstitum credant, cùm in eadem Ciuitate præcipiamus esse Conuentum, in qua diuino quodam munere commoditatum & commerciorum opportunitas tanta præstatur? Siquidem hoc rationabili planè probatóque consilio iam vir illustris Petronius obseruari debere præceperat. Quod interpolatum vel iniuriâ temporum, vel desidiâ Tyrannorum, reparari solita prudentiæ nostræ auctoritate decernimus, Agricola parens charissime, atque amantissime. Vnde & illustris magnificentia tua & hanc prę̨ceptionem nostram, & priorem sedis suę dispositionem, per septem Prouincias in perpetuo faciet custodiri: vt ab Idibus Augusti quibuscunque mediis diebus in Idus Septembris in Arelatensi vrbe nouerint Honorati vel Possessores iudices singularum Prouinciarum annis singulis Concilium esse seruandum. Itaut de Nouempopulania, & de secunda Aquitania, quæ Prouinciæ longiùs constitutę sunt, si eorum Iudices occupatio certa detinuerit, sciant Legatos iuxta consuetudinem esse mittendos. Vna prouisione plurimùm & Prouincialibus nostris nos intelligimus vtilitatis pręstare, & Arelatensis vrbis, cuius fidei secundum testimonia atque suffragia Patricij parentisque nostri multa debemus, non paruum nos constat ornatum. Sciat autem ma-

„gnificentia tua quinis auri libris Iudicem mulctandum esse, ternis Honoratos, A
„vel Curiales, qui ad constitutum locum intra definitum tempus venire distulerint. Data decimoquinto Cal. Maias. Accepta Arelate x. Cal. Iunias, Domino nostro Honorio XII. & Theodosio VIII. Coss. Igitur Constantio iam mortuo, hæc Lex à Cæsaribus lata est, de quo quidem, vt coactus à militibus in Britanniis suscepit Imperium, & filium suum Iulianum nobilissimum declarauit, vt iussu Honorij Constantius & Gerontius eum Arelatæ obsederint, déque eius exitio miserabili, non pauca Olympiodorus Græcus historicus, cuius supra memini, scripsit.

Alaricvm quidem non multo post Romam captam mortuum supra diximus, cui Athaulphus successit. Antè verò quem habuerint Regem Gothi, commemorare necesse est. Radagaiso ei nomen erat, qui Stiliconis & aliorum Ducum Honorij viribus & consiliis circa Fesulas in Hetruria magna clade occisus „est. Augustinus cap. xxv. lib. v. de Ciuitate Dei ad Marcellinum. Quód tamen nostra memoria recentissimo tempore Deus mirabiliter & misericorditer „fecit, non cum gratiarum actione commemorant (Pagani) sed quantum in ipsis, „omnium si fieri potest hominum obliuione sepelire conantur. Quod à nobis si tacebitur, similiter erimus ingrati. Cùm Rhadagaisus Rex Gothorum agmine ingenti & immani iam in vrbis vicinia constitutus, Romanis Ciuibus immineret, „vno die tanta celeritate sic victus est, vt ne vno quidem ne dicam extincto, sed „nec vulnerato Romanorum, multo amplius quàm centum millium prosterne- B „retur eius exercitus, atque ipse cum filiis mox captus pœna debita necaretur. „Nam si ille tam impius cum tantis & tam impiis copiis Romam fuisset ingressus, cui pepercisset? quibus honorem locis Martyrum detulisset? In qua persona Deum timeret? cuius non sanguinem effusum, cuius pudicitiam vellet intactam? Quas autem isti pro diis suis voces haberent, quanta insultatione iactarent, quòd ideò ille vicisset, ideò tanta potuisset, quia quotidianis sacrificiis „placabat atque inuitabat Deos? Quòd Romanos facere Christiana Religio „non sinebat. Nam propinquante iam illo his locis, vbi nutu summæ majestatis oppressus est, cùm eius fama vbique crebresceret, nobis apud Carthaginem „dicebatur, hoc credere, spargere, iactare paganos, quod ille diis amicis, protegentibus, & opitulantibus, quibus immolare quotidie ferebatur, vinci omninò non posset ab eis qui talia diis Romanis sacra non facerent, nec fieri à quoquam permitterent. Nec illam sub Honorio Cæsare incredibilem & admirandam victoriam solam memoriæ prodidit Augustinus grauissimus auctor, sed omnium ferè Cæsarum à Constantino Magno ad Theodosium magnum etiam dictum, res gestas breuissimè complectitur, vt antè ab Hieronymo factum meminimus. Eiusdem igitur libri cap. xxv. Deus, inquit, Constantinum Imperatorem non supplicantem Dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem, tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet. Qui etiam condere Ciuitatem (Constantinopolim scilicet) Romano Imperio sociam, velut ip- C „sius Romæ filiam, concessit. Diu imperauit, vniuersum Orbem Romanum vnus „Augustus tenuit, & defendit. In administrandis & gerendis bellis victoriosissimus „fuit. In Tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est. Grandæuus, ægritudine & senectute defunctus est. Filios Imperatores reliquit. Sed rursus ne Imperator quisquam ideo Christianus esset, vt felicitatem Constantini mereretur, „cùm propter vitam æternam quisque debeat esse Christianus, Iouinianum multò citius quàm Iulianum abstulit. Gratianum ferro tyrannico permisit interimi, longè quidem minus quàm magnum Pompeium, colentem videlicet Romanos Deos. Nam ille iudicari à Catone non potuit, quem ciuilis belli quodammodo hæredem reliquerat. Ipse autem quamuis piæ animæ solatia talia non „requirant, à Theodosio vindicatus est, quem Regni participem fecerat, cùm paruulum haberet & fratrem, auidior fidæ societatis quàm nimiæ potestatis. Fidem verò & pietatem Theodosij, Augustinus cap. xxvi. describit in hunc modum: Vnde & ille non solùm in Rempublicam seruauit quam debebat fidem, verùm etiam „post eius mortem pulsum ab eius interfectore Maximo Valentinianum eius paruulum fratrem in sui partes Imperij tamquam Christianus excepit pupillum, paterno custodiuit affectu, quem destitutum omnibus opibus nullo negotio posset

conferre,

conferre, si latiùs regnandi cupiditate magis quàm benefaciendi caritate flagraret. "
Vnde potiùs eum seruata fide Imperatoria dignitate susceptum, ipsa humanitate & gratia consolatus est. Deinde cùm Maximum terribilem faceret ille successus, hic in angustiis curarum suarum non est lapsus ad curiositates sacrilegas atque illicitas, sed ad Ioannem in Egypti eremo constitutum, quem Dei seruum prophetandi præditum fama crebrescente didicerat, misit, atque ab eo nuncium victoriæ altissimum accepit. Mox Tyranni Maximi exercitus Valentinianum puerum in Imperij sui partibus, vnde fugatus fuerat, cum misericordissima veneratione restituit, eóque siue per insidias, siue quo alio pacto, vel casu proximè extincto, alium Tyrannum Eugenium, qui in illius Imperatoris locum non legitimè fuerat subrogatus, accepto rursus prophetico responso, fide certus oppressit. Contra cuius robustissimum exercitum magis orando quàm feriendo pugnauit. Milites nobis qui aderant retulerunt, extorta sibi esse de manibus quæcunque iaculabantur, cùm à Theodosij partibus in aduersarios vehemens ventus iret, & non solùm quæcumque in eos iaciebantur concitatissimè caperet, verùm etiam ipsorum tela in eorum corpora retorqueret. Vnde & Poeta Claudianus, quamuis à Christi nomine alienus, in eius tamen laudibus dixit:

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

B Victor autem, sicut crediderat & prædicabat, Iouis simulachra, quæ aduersus eum fuerant nescio quibus ritibus veluti consecrata, in Alpibus constituta deposuit: eorúmque fulmina, quòd aurea fuissent iocantibus, quòd illa lætitia permittebat cursoribus, & se ab eis fulminare velle dicentibus, hilariter benignéque donauit inimicorum suorum filios, quos non ipsius iussus, sed belli abstulerat impetus, etiam dum Christianam ad Ecclesiam confugientes Christianos hac occasione fieri voluit, & Christiana charitate dilexit, nec priuauit rebus, sed auxit honoribus. In neminem post victoriam priuatas inimicitias valere permisit. Bella ciuilia, non sicut Cinna & Marius & Scylla, & alij tales, qui nec finita finire voluerunt, sed magis doluit exorta, quàm qui cognoscere voluit terminata. Inter hæc omnia eo ipso initio Imperij sui non quieuit, iustissimis ac misericordissimis legibus aduersus impios laboranti Ecclesiæ subuenire, quam Valens hæreticus fauens Arianis vehementer afflixerat: cuius Ecclesiæ se membrum esse magis quàm in terris regnare gaudebat. Simulacra Gentilium vbique vertenda, præcepit, satis intelligens nec terrena munera in dæmoniorum, sed in Dei veri esse posse potestate. Quid autem fuit eius religiosa humilitate mirabilius, quando in Thessalonicenses grauissimum scelus, cui iam Episcopis intercedentibus promiserat indulgentiam, tumultu quorundam qui ei cohærebant vindicare compulsus est: & Ecclesiastica coercitus disciplina, sic egit pœnitentiam, C vt Imperatoriam celsitudinem pro illo populus orans magis fleret videndo prostratam, quàm peccando timeret iratam? Ab Augustino mentionem factam Claudiani Poetæ sanè vidimus, Honoriíque historiam scire cupientes lectionem illius improbare non debent, etsi Poetæ. quod genus ad mentiendum adulandúmque ferè procliuius est, & siue in laudando siue in vituperando modum excedit. Ille enim in Rufinum libros duos scripsit, in Eutropium totidem, de bello Gildonico, déque Getico duos, in Consulatum Honorij Augusti tres, in laudes Stiliconis totidem, in laudem vxoris Stiliconis librum vnum. ei nomen Serenæ fuit. Denique scripsit de nuptiis Honorij & Mariæ librum singularem. De Gildone siquidem Epistola ad Ageruchiam Hieronymus sic ait: Legito quomodo tibi in viduitate seruanda viuendum sit, librum ad Eustochium de Virginitate, & alios ad Fusiam, atque Saluinam, quarum altera Probi quondam Consulis nurus, altera Gildonis, qui Africam tenuit, filia est.

AVGVSTINVS quidem cap. VIII. lib. XVIII. citat Chronica Eusebij ac Hieronymi, eáque laudat. Vti nos facimus Prosperos duos, quorum primus

Aquitanici cognomen habuit, addiditque Chronicum suum per Consules digestum, ad Hieronymi postrema verba, quæ ad Valentis mortem pertinent, hoc initio: *Huc vsque Hieronymus Presbyter ordinem præcedentium digessit annorum. Nos quæ sequuta sunt adiicere curauimus.* Qui stylo mihi differre ab illo Prospero videtur, de quo iam dicturus sum. Igitur secundus cognomento Tyro Aquitanus etiam fuit, qui à Valente quidem in Thracia concremato desinit in eum annum, quo vrbs à Genserico Rege VVandalorum capta direptáque est, mortuis Valentiniano Aëtióque. De primo autem Prospero Cassiodorus libro de diuinis Lectionibus capit. XVII. *Sanctus quoque Prosper*, ait, *Chronicum ab Adam ad Genserici tempora & vrbis deprædationem vsque perduxit.* Denique Beda illum Rhetorem vocat. Igitur vt hunc Prosperum breuiter perstringam, in Gratiano quidem scribit Maximum Tyrannum in Brittannia à militibus Imperatorem constitutum, eundem in Gallias tranfretasse, & conflictu habito fugitantem Lugduni interfecisse. Mox in Theodosio, metu eius cum Valentiniano fœdus iniisse, hunc veritum imminentem iam ceruicibus suis Tyrannum, qui locum irrumpendi quod cum eo iunxerat fœdus inuenisset, ad Theodosium confugisse, à quo Maximus interfectus, Valentinianúsque Regno proprio restitutus est. Denique Valentinianum Viennæ ab Arbogaste Comite suo extinctum, in cuius locum Tyrannidem Eugenius inuaserit. Ad vindicandum hunc interitum, & opprimendum Eugenij Tyrannidem, Theodosium in Italiam transgressum, experto Dei fauore, conspirantibus in idipsum elementis. Quæ verba videntur duos Claudiani versus, quos ex Augustini libris supra inseruimus, exprimere. Deinde ait Eugenio superato Theodosium exiisse de vita, Cæsaribus Arcadio & Honorio, quibus Rufinum Bospholitanum, cùm ad summum militiæ peruenisset, præferri sibi Stiliconem non ferentem, ab eodem occisum, deuicto Hunnorum præsidio. Gildonem rebellione commota Romanis stipendia subtrahentem, à Stilicone in Mauritania interfectum. Africa ad pristinum ius redacta, Sienam Italiæ Barbarici motus tempestatem increbuisse. Rhadagaiso Rege Gothorum Italiæ limitem vastaturo, qui multis antè direptis vrbibus occubuit. Eius in tres partes per diuersos Principes diuisus exercitus, aliquam repugnandi Romanis aperuit facultatem. Insigni enim triumpho exercitum tertiæ partis hostium circumactis Hunnorum auxiliaribus, Stilico vsque ad internecionem deleuit. Deinde narrat Arcadij obitum, qui paruum admodum Theodosij filium Imperij successorem reliquit. Postea diuersarum gentium rabiem Gallias dilacerare exorsam immissa * Stiliconis indignè ferentis filio Regnum negatum. Eius morte Reipublicæ consultum, qui saluti Honorij tendebat insidias. Saxonum incursione deuastatam Galliarum partem. VVandali atque Alani vastauere quod reliquum erat. Constantinus Tyrannus obsidebat eum mox cæsum. Hispaniarum partem maximam Sueuos occupasse adiicit. Ipsum denique Orbis caput Romam deprædationi Gothorum fœdissimè patuisse. Vastitatem aliam Galliarum subiicit Gothis, qui Alarico duce Romam ceperant. Alpes transgredientibus Iouinum Tyrannidem post Constantium inuasisse referunt. Industria viri strenui, qui solus Tyrannis non cessit, Dardani (hic Præfectus Prætorio Galliarum fuit, vt ex Theodosiano Codice manifestum est) Atheulphum, qui post Alaricum Gothis imperabat, à societate Iouini auersum refert. Salustium quoque & Sebastianum occisos. Valentiam nobilissimam Galliarum vrbem à Gothis captam, ad quam se fugiens Iouinus contulisset. Ingentem quoque in Gallis famem fuisse. Postremo Aquitaniam Gothis traditam. Heraclianum Comitem Africæ, qui in Romæ refectionem serenum se præbuerat, noua quidem molitum, atque interemptum fuisse commemorat. Placidiam sororem Cæsaris diu captiuam, postea etiam Regis vxorem, eo fraude sublato, Constantij connubio copulatam. Cuius occursu Gothi cùm se iterum Atheulpho necato mouissent, repulsos fuisse subiicit. Constantióque di-

A gnitatem Imperij ab Honorio sponte delatam, qua vix octo mensibus vsus interiit, Valentiniano octo annorum filio derelicto. Honorium ipsum Rauennæ defunctum, ac tunc, vt nullo iure sibi debitum, Ioannem ex Primicerio Notariorum Regnum sumpsisse, qui vulneratum multis cladibus reliquit Imperium. Theodosium Iuniorem imperare cœpisse in Galliis, Exuperantium Præfectum à militibus cæsum, Carthaginem muro circundatam: quod vsque ad id tempus rebellionis metu non licuerat. Ioannem ab exercitu Orientis victum, cæsúmque, Rauenna simul direpta. Ætium Gaudentij Comitis à militibus in Galliis occisi filium cum Hunnis Ioanni opem laturum Italiam ingressum. Hæc ille de calamitatibus Galliæ memoriæ mandauit.

De omnibus autem Tyrannis qui coniurarunt aduersus Imperium, Leges aliquot reperiuntur in Codice Theodosij Iunioris. Ac primùm de Licinio illa Imperatoris Constantini ad Constantium Præfectum Prætorio *de infirmandis his quæ sub Tyrannis aut barbaris gesta sunt.* Remotis, inquit, Licinij Tyranni constitutionibus & legibus, omnes sciant veteris Iuris & statutorum nostrorum obseruari debere sanctionem, PP. XVII. Calend. Iun. Crispo III. & Constantio III. Coss. Eodem Titulo, Valentinianus, Theodosius, & Arcadius Augusti Trifolio PP. sic rescribunt: Omne iudicium quod vafra mente conceptum iniuriam, non iura, reddendo Maximus infandissimus tyrannorum reddidit, promulgandum damnauimus. Nullus igitur sibi lege eius, nullus iudicio blandiatur. Datum VI. Id. Octobr. med. Theodo. A. II. & Cynegio Coss. Cæsares verò Arcadius & Honorius aliam de eodem Maximo legem tulerunt in hæc verba: Qui Tyranni Maximi secuti iussionem fundos perpetui iuris non ab ordinariis iudicibus, sed à rationalibus acceperunt, eorum amissione plectantur, atque ad rem priuatam denuò reuertantur. Datum VI. Kal. Maij med. Olybrio & Probino Coss. Quin Adriano PP. Honorius & Theodosius rescribunt de Heracliano in hunc modum: Heracliani vocabulum nec priuatim nec publicè vlla memoria teneat, ideóque submouenda esse censemus quæcumque sub eo gesta esse dicuntur. Libertates (quoniam certum est scelere eius solemnitatem Consulatus esse pollutam) in melius reuocamus, sciátque dominorum voluntas iterandum esse, quod illo auctore aduertit stare non posse. Semel tamen mutatæ conditionis beneficium implendum esse præcipimus, & ita repeti manumissionum consuetudines nunc iubemus, vt nullus sub hac occasione incipiat nolle quod voluit. Datum III. Non. August. Rauenn. post Coss. Honorij VIIII. & Theodo. V. AA. Coss. Arcadij quoque & Honorij, Titulo *de Præmiis*, lib. IX. Lex est huiusmodi ad Aurelianum PP. Omnes res Eutropij, qui quondam Præpositus sacri Cubiculi fuit, ærarij nostri calculis adiunximus, erepto splendore eius & Consulatu à tetra inluuie, & à commemoratione nominis eius, & cœnosis sordibus vindicato: vt eiusdem vniuersis actibus antiquatis, omnia mutescant tempora, nec eius enumeratione seculi nostri labes appareat, nec ingemiscant aut qui sua virtute ac vulneribus Romanos fines propagant, vel qui eosdem seruandi iuris æquitate custodiunt. quod diuinum præmium Consulatus luculentum prodigium contagione fœdauit. Patriciatus etiam dignitate, atque omnibus inferioribus spoliatum se esse cognoscat, quos morum polluit sæuitate. Omnes statuas, omnia simulacra tam ex ære, quàm ex marmore, seu ex fucis, quàm ex quacumque materia, quæ apta est effingendis, ab omnibus Ciuitatibus, oppidis, locísque priuatis ac publicis, præcipimus aboleri: ne tamquam nota nostri seculi obtutus polluat intuentium. Adhibitis itaque fidis custodibus ad Cyprum insulam perducatur, in qua tua sublimitas relegatum esse cognoscat: vt ibidem peruigili cura vallatus, nequeat suarum cogitationum rabie cuncta miscere. Dat. XVI. Kalen. Febr. Constantinopol. Theodoro V. C. Coss. De satellitibus quidem Gildonis eodem Titulo Honorius & Theodosius Cæsares Donato P. V. Afric. Satellites Gildonis custodiis mancipantur, vt proscriptione damnentur. Dat. III. Id. Nouemb. Basso & Philippo Coss. Iidem Augusti ad Peregrinum Comi-

» tem & procuratorem diuinæ Domus : ex possessionibus (aiunt) Gildo- A
» nis, quæ ad nostrum ærarium sunt deuolutæ , Canonem omnium titulo-
» rum ex integro solemni more imputata cautione solui præcipimus. Da-
» tum Kal. Decemb. Altino Theododoro V. C. Coss. Denique paulò infrà
» iidem Augusti & Theodosius Vrsicino Com. sol. ita rescripserunt : Possessiones
» quæ ex bonis Gildonis, aut satellitum eius, in ius nostræ serenitatis retentæ
» sunt, ab occupatoribus nostro patrimonio adgregentur : Ita vt ab hiis eo tem-
» pore quo indebitè retinuerunt, præfationum simplum inferatur. Qui si inuēti infrà
» Kalendas Octobris possessiones putauerint retinendas, sciant se ad dupli restitu-
» tionem coarctandos, & duplos fructus esse reddendos. Dat. XII. Maij, Rauennæ,
Stilicone II. & Anthemio Coss. Quid verò decretum sit aduersus Heraclianum,
» eodem Titulo *de pœnis* perspicitur his verbis: Honoratis & Prouincialibus Africæ.
» Iidem Heraclianum hostem publicum iudicantes digna censuimus auctoritate
» puniri, vt eius resecentur infaustè ceruices. Eius quoque Satellites pari inten-
» tione persequimur. Sed hanc omnibus priuatis atque militantibus licentiam
» damus, vt omnes prodendi in medium habeant liberam facultatem, nec inui-
» diam metuat qui ad publicum deduxerit criminosum, cùm illud specialiter ca-
» ueamus, ne vllus quidem eorum aut subtrahendum iudicet, aut celandum, nē-
» ve ex eorum facultatibus vel deposita deneget, vel accepta non prodat. Dat.
» III. Kalend. Iul. Rauen. Honorio VIIII. & Theod. V. AA. Coss. De Rufino
Imperatores Arcadius & Honorius Cæsario PP. ita scribunt : Serenitatis no-
» stræ prouisione solita commonemus, vt ea quæ Rufinus quondam cùm viueret B
» quoquo pacto possedit, in eodem statu interim maneant, nec quicquam sibi post
» eius obitum spontaneam vindicandi tribuat potestatem. Nam qui transacto tēpore
» siluit, ac Rufinum tenere concessit, fiscum quoq; nostrum sine præiudicio posside-
» re patiatur. Hoc edictis propositis per omnes Prouincias præcipimus diuulgari,
» quòd cuncti sciant iacturam se perpessuros grauiorem , totiúsque rei familiaris
» periculum, nisi ante præceptum nostrum manus ab his quæ Rufinus viuus pos-
» sederat voluerint abstinere. Datum Id. Febr. Constantinop. Arcadio IIII. &
Honor. III. AA. Conss. Nunc veniendum ad Stilionem, de quo Titulo de bonis
proscriptorum seu donatorum iidem Cæsares Honorius & Theodosius Theo-
» doro PP. scribunt. Qui in facultates Stiliconis & actus videntur esse versati, vel
» ex iisdem facultatibus aliquid substraxisse, vel aliquid rapuisse, omnifariam red-
dant. Dat. VIII. Kal. Nouemb. Basso & Philippo Conss. Nec in duces modò,
sed etiam in milites iidem Cæsares sanxerunt Titu. *de indulgentiis criminum*,
» Imperatores Honor. & Theodo. AA. Galsoni Com. & Magistro Offic. post alia:
» De his qui tyrannicæ præsumptionis sacramenta sectati ad nostrum imperium
» redierunt, hanc volumus esse sententiam, vt quos inter incendia tyrannidis as-
» sumptæ fidelis pœnitudo reuocauit, ordinem & fructum militiæ non amittant;
» eos verò quibus lentum regressum necessitas desperationis indixit, soluto cin-
» gulo matricula conuenit aboleri: itaut illud quoque pro reuerentiæ forma custo- C
» diat, ne redire ei ad pristinam militiam liceat, qui aliud militandi genus elegerit.
» Dat. pridie Id. Febr. Rauen. Varane Conss.

HÆ sunt igitur pœnæ, quibus iura teneri atque exerceri voluerunt. Vtque clementiam & humanitatem erga subditos animaduertere possis, legenda erit lex illa de petitionibus, quæ est Honorij & Theodosij ad Theodorum PP. Cùm
» per Illirici partes barbaricus speraretur incursus , numerosa incolarum manus
» sedes quæsiuit externas , in cuius ingenuitatem assidua petitorum solet libido
» grassari, eique inlicitè iugum seruitutis imponere. Igitur præscriptum tua su-
» blimitas recognoscat, & Illiricianos omnes , quos patria complectitur, vel alia
» qualibet terra susceperit, petere non liceat. Dat. IIII. Id. Decemb. Rauennæ,
» Bassa & Philippo Conss. Ac sanè Theodosius Iunior Honorium patruum suum
& inuictissimum appellat Titu. *de Indulgentiis debitorum* , ac sub Valente & Gratiano Anthemium , Vincentium, & Constantianum, sub Arcadio & Honorio Theodosióque Præfectos fuisse Prætorio Galliarum, ex Codice Theodosiano facile erit perspicere.

NVNC veniendum ad Saluiani ætatem insignis viri, qui sub Honorio & Theo-

A dosio vixit, isque Gallus patriæ suæ calamitates nobis deteget, vicinarúmque gentium diuisas miserias. Igitur libro IV. de vero iudicio & Prouidentia Dei, nationes barbaras earúmque mores describit: Saxonum scilicet, FRANCORVM, Gepidarum, Hũnorum, Alemannorum, & Alanorum, his omninò verbis: Cùm omnes barbari aut pagani sint aut heretici; de paganis, quia peior illorum error est, priùs dicam. Gens Saxonum fera est, Francorũ infidelis, Gepidorum inhumana, & Hunnorum impudica. Omnium denique Gentium barbararum vita vitiosa. Sed « numquid eumdem reatum habent illorum vitia, quem nostra? numquid tam vitiosa « est Hunnorum impudicitia, quàm nostra? nunquid tam accusabilis Francorum perfidia, quàm nostra? aut tàm reprehensibilis ebrietas Alamãni, quàm ebrietas Christiani? aut tam damnabilis rapacitas Alani, quàm rapacitas Christiani? Si fallat Hunnus vel Gepida, quid mirum est? qui culpam falsitatis penitus ignorat. Si peieret « Francus, quid ni faceret? qui periurium ipsum sermonis genus putat esse, non criminis. Quid mirũ si hoc barbari ita credunt, qui Legẽ & Deũ nesciunt? Cùm maior « ferè Romani nominis portio ita existimet, quæ peccare se nouit. Sex igitur barbaras « Gentes illo loco numerat, moresque eorum depingit. Libro verò VII. Exceptis, inquit, paucissimis Dei seruis, vbi non omnia execratione digna. Gothorũ gens perfida, sed pudica est. Alanorum impudica, sed minus perfida. Franci mendaces, sed « hospitales. Saxones crudelitate efferi, sed castitate mirandi. Omnes denique gentes habent sicut peculiaria mala, ita etiam quædam bona. In Afris penè omnibus «

B nescio quid non malum. Si accusanda est inhumanitas, inhumani sunt. Si ebrietas, « ebriosi sunt. Si falsitas, fallacissimi. Si dolus, fraudulentissimi. Si cupiditas, cupidissimi. Si perfidia, perfidissimi. Impuritas eorum atque blasphemia his omnibus admiscendæ non sunt, quia illis quæ supra diximus malis aliarum gentium « vitia, his autem etiam sua ipsa vicerunt. Rursus libro IIII. Ita agimus & viuimus, vt hoc ipsum quod Christianus populus esse dicimur, opprobrium Christi « esse videamur. At è diuerso in paganis quid horum simile quæ dicimus? numquid de his dici potest: Ecce qualessunt qui Christiani esse dicuntur? numquid « de Saxonibus, aut Francis: Ecce quæ faciunt, qui se asserunt Christi esse cultores? Numquid propter Maurorum efferos mores Lex sacrosancta culpatur? « Numquid Scytharum aut Gepidarum inhumanissimi ritus in maledictum atque « blasphemiam nomen Domini Saluatoris inducunt? Numquid dici de vllis istorum « potest, vbi est Lex Catholica quam credunt? vbi sunt pietatis & castitatis præcepta, « quæ discunt? Euangelia legunt, & impudici sunt. Apostolos audiunt, & inebriantur. Christum sequuntur, & rapiunt. Vitam improbam agunt, & probam Legem « habere se dicunt. Numquid hæc de vlla istarũ gentium dici queunt? Non vtique. « De nobis quippe omnia ista dicuntur. In nobis Christus patitur opprobrium, « in nobis patitur lex Christiana maledictum. Libro autem V. de Gothis & VVandalis, Bagaudis, Francis, Hunnis, loquitur in hunc modum: Quantum, inquit, ad conuersationem Gothorum aut VVandalorum pertinet, quid est in «

C quo eis aut præponere nos, aut etiam comparare possumus? quam rem latissimè prosequitur. De Bagaudis eodem libro agitur: De Bagaudis nunc mihi sermo est, qui per malos iudices & cruentos spoliati, afflicti, necati, postquam « ius Romanæ libertatis amiserant, etiam honorem Romani nominis perdiderunt. Et imputatur his infelicitas sua, imputamus his nomen calamitatis suæ, « imputamus nomen quod ipsi fecimus. Vocamus rebelles, vocamus perditos, « quos esse compulimus criminosos. Quibus enim aliis rebus Bagaudæ facti « sunt, nisi iniquitatibus nostris, nisi improbitatibus iudicum, nisi eorum proscriptionibus & rapinis, qui exactionis publicæ nomen in quæstus proprij emolumenta « verterant, & indictiones tributarias prædas suas esse fecerunt? Et eodem libro Saluianus; Vbi, aut in quibus sunt, nisi in Romanis tantùm, hæc mala? quorum iniustitia tanta, nisi nostra? Franci enim hoc scelus nesciunt. Hunni ab his sceleribus immunes sunt. Nihil horum est apud VVandalos, nihil horum apud Gothos. « Tam longè enim est vt hæc inter Gothos barbari tolerent, vt ne Romani quidem, « qui inter eos viuunt, ista patiantur. Qui locus ad tributarias functiones omninò « pertinet, quibus pauperiores opprimebantur. «

CETERVM antequam ad librum VI. Saluiani transeamus, lectores mo-

nendi videntur, Bagaudas fuisse quidem Christianos, sed tamen Segreges metu iudicum, vt vel solitudines vel castra inhabitarent situ loci aut manu munita: vt Bagaudarum castrum, vbi diui Mauri Cœnobium postea fuit, ad ripas Matronæ amnis in agro Parisiorum, sicut & in vita eius narratur. Balduinus Iurisconsultus, idemque peritissimus Historiæ veteris, cùm mihi olim rescriberet: Rectè, inquit, tu apud Saluianum de Bagaudis, sed addo ante annos CL. rursus in Gallia eos contra Diocletianum conspirasse, vt leges in Panegyricis, Eutropióque, & Orosio. In vita enim Mauritij Signiferi & Martyrum Legionis Thebeæ inuenio, ipsos propterea decimatos more militari, dein superstites commilitones, quòd diis sacrificare noluissent, & mortem pro Christo fortiter perpessos, quòd in Galliam aduersus Bagaudas Christianos pugnatum venire recusassent. Hæc Legio Thebea ex illis Thebis dicebatur, quæ sunt in Ægypto, & sex millia sexcentos sexaginta sex milites habebat. Diocletianus enim Maximum consortem Imperij fecit, eúmque contra Amandum & Helianum, qui in Bagauda arma commouerant, ad Gallias destinauit. Et apud Prosperum Tyronem in Chronico sub Theodosio & Valentiniano tertio Principibus, hæc iterum de Bagaudis reperio: Gallia vlterior Tibatonem Principem Rebellionis secuta, à Romana societate discessit. A quo tracto initio, omnia penè Galliarum seruitia in Bagaudam conspirauere, eo capto, & ceteris seditionis Principibus partim vinctis, partim necatis, Bagaudarum commotio conquiescit.

Ad Saluianum redeo. Is libro V. nostrarum Calamitatum meminit. Massiliam enim excisam & deletam, Aggripinam Coloniam hostibus plenam, Treuirorum vrbem excellentissimam, pluresque Galliarum Ciuitates vastatas queritur in hæc verba: Omnis feralium ludicrorum die quamlibet Ecclesiæ festa fuerint, non solùm ad Ecclesiam non veniunt, qui Christianos se esse dicunt, sed si inscij fortè venerint, dum in ipsa Ecclesia sunt, si ludos agi audiunt, Ecclesiam derelinquunt. Spernitur Dei Templum, id Theatrum Ecclesia vocatur, Circus impletur. Christum in altari dimittunt, vt adulterantes visu impurissimo oculos ludicrorum turpium fornicatione pascant. Ac paucis interpositis: Sed id videlicet, inquit, responderi ad hæc potest. Non in omnibus hoc Romanorum vrbibus agi verum est, etiam plus ego addo, ne nunc quidem agi vbi semper sunt acta antea. Non enim hoc agitur iam in Massiliensium Ciuitate, sed quia excisa & deleta est. Non enim Agrippinæ, sed quia hostibus plena. Non agitur Treuirorum vrbe, sed quia quadruplici vastatione est prostrata. Non agitur denique in pluribus vrbibus Galliarum & Hispaniarum. Et ideo væ nobis & impuritatibus nostris! væ nobis atque iniquitatibus nostris! Quæ spes Christianorum plebibus est ante Deum? Quandoquidem ex illo tempore in vrbibus Romanis hæc mala non sunt, ex quo in barbarorum iure esse cœperunt. Massiliam autem excisam & deletam esse ab Hunnis & VVandalis, Treuiros euersos ab iisdem, barbarisque aliis nationibus, quas diuus Hieronymus ad Aggeruchiam suprà nominauit, certè fateamur necesse est: Idque ante Rugilam, Bledam, & Attilam Hunorum Reges, de quibus suo loco dicturi sumus. De Aggripina quoque infrà dicemus. Et paulò pòst: Sed quid ego loquor, inquit Saluianus, de longè positis, & quasi in alio orbe submotis, cùm sciam etiam in solo patrio, atque in Ciuitatibus Gallicanis, omnes fermè præcellentiores viros calamitatibus suis factos fuisse peiores? Vidi ego ipse siquidem Treuiros domi nobiles, dignitate sublimes, licèt iam spoliatos atque vastatos, minùs tamen euersos rebus quàm moribus. Quamuis enim depopulatis iam atque nudatis aliquid supererat de substantia, nihil tamen de disciplina: adeo grauiores in ipsismet externis hostibus erant, vt licèt iam à barbaris euersi essent, à se tamen magis euerterentur. Lugubre est referre quæ vidimus, senes honoratos, decrepitos Christianos, imminente iam admodum excidio Ciuitatis, gulæ ac lasciuiæ seruientes. Quid primum accusandum est? quòd honorati, an quòd senes? an quòd Christiani, an quòd periclitantes? Quis enim hoc fieri posse credat, vel in securitate à senibus, vel in discrimine à pueris, vel vnquam à Christianis? Iacebant in conuiuiis obliti honoris, obliti ætatis, obliti possessionis, obliti nominis sui. Principes Ciuitatis cibo confecti, in vinolentia dissoluti, clamoribus rabidi, bacchatione furiosi, nihil minus quàm sensus sui, immò

A quia prope iugiter tales, nihil magis quàm sensus sui. Sed cùm hæc ita essent, plus multo est quod dicturus sum. Finem perditioni huic, nec Ciuitatum excidio fecerunt. Denique expugnata est quater vrbs Gallorum Treueris opulentissima. Eandem statim Gallorum excellentissimam vrbem appellat, mox summam. In qua vrbe Hieronymus adolescens cum Bonoso se vixisse testatur, & prolixum Hilarij librum de Synodis propria manu ad Florentium descripsisse. Idem Saluianus subiicit: Quid in alia non longè, sed prope eiusdem magnificæ Ciuitatis, nonne eadem & rerum ruina pariter & morum? Nam præter cetera cùm duobus illis principibus & generalibus malis, auaritia & ebrietate, omnia concidissent, ad hoc postremò rabida vini aciditate peruentum est, vt Principes vrbis ipsius ne tunc quidem de conuiuiis surgerent, cùm iam vrbem hostis intraret. Vidi ego illic res lachrymabiles, nihil scilicet inter pueros differre & senes. Vna erat scurilitas, vna leuitas, simul omnia luxus, potationes, perditiones. Cuncta omnia pariter agebant. Ludebant, inebriabantur euocabantur, lasciuiebant. In conuiuiis vetuli honorati, ad viuendum prope iam imbecilli, ad vinum præualidissimi, in firmi ad ambulandum, robusti ad bibendum, ad gressum nutabundi, ad saltandum expediti. Etsi verò vrbem illam non nominat, nominasse Hieronymus videtur, cùm ait: Vangiones longa obsidione deleti. Vormatia enim Vangionum vrbs hodie dicitur. Eiusdem quoque Saluiani hæc sunt: Dixi de vrbibus præclarissimis. Quid reliquæ in diuersis Galliarum partibus Ciuitates? Nunquid B non consimilibus habitatorum suorum vicijs conciderunt? Nonne ita cunctos crimina sua presserant, vt nec metuerent periculum suum? Prænoscebatur captiuitas, nec formidabatur. Ablatus quippe erat à peccatoribus timor, ne posset esse cautela. Itaque barbaris penè in conspectu omnium sitis, nullius metus erat hominum, non custodia Ciuitatum. Postremo idem Scriptor ait: Excisa quater continuatis euersionibus summa vrbs Gallorum, cùm omnis Ciuitas bustum esset, malis & post excidia crescentibus. Nam quos hostis in excidio non occiderat, post excidium calamitas opprimebat: cùm id quod in excidio euaserant mortis, post excidium superesset calamitati. Alios enim impressa altiùs vulnera longis mortibus necabant, alios combustos hostium flammis etiam post flammas pœna torquebat. Alij interierant fame, alij nuditate, alij tabescentes, alij algentes: ac sic in vnum exitum mortis per diuersa genera corruebant. Et quid plura? vnius excidio vrbis affligebantur aliæ quoque Ciuitates. Iacebant siquidem passim, (quod ipse vidi atque sustinui) vtriusque sexus cadauera nuda, lacera, vrbis oculos infestantia, auibus canibúsque laniata. Lues erat viuentium fœtor funereus mortuorum, mors de morte exhalabatur. Ac sic etiam qui excidiis supradictæ vrbis non interfuerant, mala alieni excidij perferebant. Et quid post hæc, inquam, quid post hæc omnia, quis æstimare hoc amentiæ genus possit? Pauci nobiles qui excidio superfuerant, quasi pro summo deletæ vrbis remedio Circenses ab Imperatoribus postulabant. Notum est qui fuerint hi Imperatores, Honorius videlicet C & Theodosius Iunior, ad quorum etiam tempora pertinent quæ sequuntur: Vastata est Italia tot iam cladibus: ergo Italorum vitia destiterunt? Obsessa est vrbs Roma & expugnata: ergo desierunt blasphemi & furiosi esse Romani? Hæc libro VI. Saluianus, & penitus nostras calamitates descripsisse videtur, cùm ait: Inundauerunt Gallias gentes barbaræ. Eodem enim verbo Hieronymus ad Ageruchiam de miseriis Galliæ locutus vtitur. Et illud statim infert Saluianus: Ergo quantum ad mores perditos spectat, non eadem sunt Gallorum crimina quæ fuerunt? Postea de Hispanis loquitur, Sardiniam & Siciliam insulas, necnon Africam ipsámque Carthaginem captam referens. Transcenderunt, inquit, in Hispaniæ terras populi VVandalorum. Mutata quidem est sors Hispanorum, sed non mutata vitiositas. Postremò ne qua pars mundi ab exitialibus esset immunis, nauigare per fluctus bella cœperunt, quæ vastatis vrbibus mari clausis, & euersis Sardinia & Sicilia, id est fiscalibus venis, Africam ipsam, id est quasi animam cepere Reipubl. Ecquid ingressis barbaris gentibus terram illam? forsitan vel metu vitia cessarint, aut sicut corrigi ad præsens etiam nequissimi quidam seruorum solent, modestiam saltem ad disciplinam terror extorsit? Quis æstimare hoc malum possit? Circumsonabant armis muros Carthaginis populi barbarorum. Et Ecclesia Carthaginensis insaniebat in Circis, luxuriabat in Theatris, Alij

» foris iugulabantur, alij intus fornicabantur. Pars plebis erat foris captiua hominum, pars intus captiua vitiorum. Et paucis interpositis: An credimus fortè quòd captiuus animo populus ille non fuerit, qui lætus tunc in suorum captiuitatibus fuit? Captiuus corde & sensu non erat, qui inter suorum supplicia ridebat, qui iugulari se in suorum iugulis non intelligebat, qui se in suorum mori mortibus non putabat? Fragor, vt ita dixerim, extra muros, & intra muros, præliorum & ludicrorum. Confundebatur vox morientium vóxque bacchantium, ac vix discerni forsitan poterat plebis eiulatio, quæ aderat in bello, & sonus populi qui clamabat in Circo. Carthago igitur à VVandalis capta est, cuius vrbis pulchritudinem sub finem Libri VII. elegantissimè describit. A

DEIN Aquitanorum, qui populi sunt Galliæ, miserias exponit eodem lib. VII. » Quamuis disputari de iudicio Dei non possit, tamen cùm ablatam nobis iuris nostri optimam partem barbaris dederit, videamus an id quod nobis tulit, & illis tradidit, iusto iudicio tradidisse videatur. Nemini dubium est Aquitanos omnes populos medullam ferè omnium Galliarum, & vber totius fœcunditatis habuisse: nec solùm fœcunditatis, sed quæ præponi interdum fœcunditati solent, voluptatis, iucunditatis, pulchritudinis. Adeò illic omnis admodum regio, aut intertexta vinetis, aut florulenta pratis, aut distincta culturis, aut consita pomis, aut amœnata lucis, aut irrigata fontibus, aut interfusa fluminibus, aut circundata messibus fuit: vt verè possessores, & domini terræ illius non tam soli istius portionem, quàm paradisi imaginem possedisse videantur. De iisdem Aquitanis paulò infrà: In omnibus, ait, Galliis sicut diuitiis primi fuere, sic vitiis. Nusquam enim improbior voluptas, nusquam inquinatior vita, nusquam corruptior disciplina. Cúmque ob impurissimam vitam traditi à Deo barbaris fuerint, impunitatem tamen inter barbaros non relinquunt. Esse inter Gothos non licet scortatorem Gothum, soli inter eos præiudicio nationis ac nominis permittuntur impuri esse Romani. Sed fortè hoc in Aquitanicis tantùm. Transeamus etiam ad alias mundi partes, ne de solis tantummodo Gallis dixisse videamur. Quid? Hispanias nonne vel eadē vel maiora forsitan vitia perdiderunt? Quas quidem cœlestis ira etiam si aliis quibuslibet barbaris tradidisset, digna tamen flagitiorum tormenta tolerauerant puritatis inimici. Sed accessit hoc ad manifestandam illic impudicitiæ damnationem, vt VVandalis potissimum, id est pudicis barbaris traderentur. Dupliciter in illa Hispanorum captiuitate ostendere Deus voluit, quantum & odisset carnis libidinem, & diligeret castitatem: cùm & VVandalos ob solam maximè pudicitiam illis superponeret, & Hispanos ob solam vel maximè impudicitiam subiugaret. Quid enim? nunquid non erant in omni orbe terrarum barbari fortiores, quibus Hispaniæ traderentur? multi absque dubio. Imò, ni fallor, omnes. Sed ideo ille infirmissimis hostibus cuncta tradidit, vt ostenderet scilicet non vires valere, sed causam. Iterū ad Gothos & VVandalos reuertitur. Gothi, inquit, & VVandali in discrimine positi opē à Deo postulant, & prosperitates suas munus diuinitatis appellant. Denique probauit hoc bello proximo infelicitas nostra. Cùm enim Gothi metuerent, præsumpsimus nos in viribus spem ponere, illi in Deo. Cùm pax ab illis postularetur, à nobis negaretur: illi Episcopos mitterent, nos repelleremus: illi etiam in alienis Sacerdotibus Deum honorarent, nos etiam in nostris contemneremus. Prout actus vtriusque partis, ita & rerum terminus fuit. Illis data est in summo timore palma, nobis in summa elatione confusio. Itaque agnouit hoc ille dux nostræ partis, qui eandem vrbem hostium, quam eodem die victorem se intraturum esse præsumpsit, captiuus intrauit. Nam quia sine diuinitatis auxilio, ac Dei ductu capiendum à se hostem credidit, ipse captus est: consilij ac sapientiæ summam vsurpauit, ignominiam temeritatis incurrit. Et quod rogo euidentius Dei iudicium esse potuit, quàm vt habens prædatoris fiduciam, præda fieret, triumphum præsumens, triumphus esset, circumdaretur, corriperetur, alligaretur, retorta tergo brachia gereret, manus quas bellicosas putabat vinctas videret, puerorum ac mulierum spectaculum fieret, illudentes sibi barbaros cerneret, irrisionem sexus promiscui sustineret, & qui maximum habuerat supercilium fortis viri, mortem subiret ignaui? At vtinam hoc ipsum breue remedium malorum esset, non diuturna toleratio. Ille autem, quantum ad pœnarum longitudinem pertinet, B C

A longo tempore & diuturna in ergastulo barbarorum tabe consumptus, in hanc
miseriam redactus est, vt quod plerumque homines etiam pœnis ipsis grauius
atque acerbius putant, in miserationem hostium deueniret. Denique ipse Rex
hostium, quantum res prodidit ac probauit, vsque ad diem pugnæ stratus cilicio
preces fudit, ante bellum in oratione iacuit, ad bellum de oratione surrexit,
priusquam pugnam manu capesseret supplicatione pugnauit: & ideo fidens pro-
cessit ad pugnam, quia iam meruerat in oratione victoriam. Hanc etiam victo-
riam Gothorum describit Sidonius in Narbone, quam conferre si velis licet. Su-
periorem quidem narrationem de Litorio Romanarum partium duce, de Gothis,
Regéque eorum Theodorico intelligendam docuimus in Annalibus Francorum
libro primo. Addit Saluianus: Non dissimiliter autem illud etiam apud Vanda-
los, ad quos cùm in iis partibus sitos nostra pars pergeret, tantámque ad debel-
landos eos præsumptionis fiduciam ferret, quantam etiam proximè ad Gothos,
pari superbiæ fastu, pari exitu corruerunt. Iterum de Germania, Galliáque, &
Africa, Saluianus in hunc modum loquitur: Iudicamur itaque præsente etiam
iudicio à Deo, & ideo excitata est in pernitiem nostram ac dedecus gens ignauis-
sima, quæ de loco in locum pergens, de orbe in orbem transiens, vniuersa va-
staret. Ac primùm de solo patrio effusa est in Germaniam primam nomine bar-
baram, ditione Romanam. Post cuius primum exitium arsit regio Belgarum,
deinde opes Aquitanorum luxuriantium. Qui sanè locus nunquam intelligetur,
B nisi eum conferas cum nobili ac nunquam satis laudata Hieronymi Epistola ad
Aggeruchiam. Rursus eodem libro VII. Saluianus ait: Vastata est diu Gallia.
Ergo emendata est, cùm in vicino esset, Hispania? Nec immeritò, quia nullus
erat omninò timor, nulla correctio. Flammis, quibus arserant Galli, Hispani
ardere cœperunt. In quo illud est vt supra dicitur sceleratissimum & grauissi-
mum, quòd cùm arserint, vt ita dicam, membra hominum peccatorum, cura-
ta non sunt vitia peccantium. Et ideo compulsus est criminibus nostris Deus; vt
hostiles plagas de loco in locum, de orbe in orbem spargerent, & excitatas pe-
nè ab vltimis terræ finibus gentes etiam trans mare mitteret, quæ Afrorum sce-
lera punirent. Quid enim? nunquid abductæ à solo patrio degere intra Gallias non
potuerant? aut vt non degerent, quem timebant, quæ illæsæ à nobis vsque ad
tempus illud cuncta vastauerant? Sed esto, intra Gallias formidabant. Quid in
Hispania, vbi exercitus nostros etiam bellando contriuerant, nunquid consiste-
re aut permanere metuebant iam victores, iam triumphantes: quibus vsque ad
hunc fortitudinis fastum contigerat ascendere, vt post experimenta belli diu pa-
rati intelligerent sibi Romanæ Reipubl. vires etiam cum barbarorum auxiliis
pares esse non posse? Potuerunt ergo illic degere, nec timebant: sed illa vtique
cœlestis manus, quæ eos ad punienda Hispanorum flagitia illuc traxerat, etiam
ad vastandam Africam transire cogebat. Ipsi denique fatebantur non suum esse
quod facerent. Agi enim se diuino iussu, ac perurgeri. Ex quo intelligi potest
C quanta sint mala nostra, ad quos vastandos atque cruciandos ire barbari compel-
luntur inuiti.

VICTOR Episcopus Vticensis in Africa scripsit libros tres de VVandalica per-
secutione, quos nemo penè sine lachrymis vnquam potuit legere. Sic autem or-
ditur: Sexagesimus nunc (vt clarum est) agitur annus, quo populus crudelis ac
sæuus VVandalicæ gentis, Africæ miserabilis attigit fines, transuadâs facili transi-
tu per angustias maris, qua inter Hispaniam Africámque æquor hoc magnum
& spaciosum bis senis millibus angusto se limite coarctauit. Transiens igitur quan-
titas vniuersa, calliditate Genserici Ducis, vt famam terribilem suæ faceret gen-
tis, illicò statuit omnem multitudinem numerari, quam huic luci ad illam vs-
que diem vterus profuderat ventris. Qui reperti sunt senes, iuuenes, paruuli,
serui, vel domini, octuaginta millia numerati. Dein calamitatem Africæ perse-
quens, pluribúsque interpositis: Hippone Regiorum obsessa est Ciuitas, quam
omni laude dignus beatus Augustinus librorum multorum confector, Pontifex
gubernabat. Tunc illud eloquentiæ, quod vbertim per omnes campos Ecclesiæ
decurrebat, ipso metu siccatum est flumen, atque dulcedo suauitatis dulciùs pro-
pinata in amaritudinem absinthij versa est, vt Dauidicum præconium conue-
niret: *Dum consisteret peccator aduersum me, obmutui, & humiliatus sum, & silui à*

» *bonis*. Vſque ad illud tempus ducentos iam triginta & duos confecerat Libros, A
» exceptis innumerabilibus Epiſtolis, vel expoſitione totius Pſalterij & Euange-
» liorum, atque tractatibus popularibus, quos Græci Homelias vocant. quorum
» numerum comprehendere ſatis impoſſibile eſt. Quid multa? Poſt has truces im-
» pietatis inſanias, ipſam vrbem maximam Carthaginem Genſericus obtinuit, &
» intrauit, & antiquam illam ingenuam ac nobilem libertatem in ſeruitutem rede-
» git. Nam & Senatorum vrbis non paruam multitudinem captiuauit, & indè pro-
» poſuit decretum, vt vnuſquiſque auri, argenti, gemmarum, veſtimentorúmque
» precioſorum quodcumque haberet, offerret. Et ita in breui auitas atque pater-
» nas opes tali induſtria abſtulit rapax. Diſponens quoque ſingulas quaſcumque
» Prouincias, ſibi Bizacenam, Abaritanam, atque Getuliam, & partem Numi-
» diæ reſeruauit. Exercitui verò Zeugitanam vel Proconſularem funiculo hæredi-
» tatis diuiſit: Valentiniano adhuc Imperatore, reliquas licèt iam exterminatas
» Prouincias defendente. Poſt cuius mortem totius Africæ ambitum obtinuit. Nec
» non & inſulas maximas, Sardiniam, Siciliam, Corſicam, Maioricam, Minori-
» cam, vel alias multas ſuperbia ſibi conſueta defendit. Quarum vnam illarum,
» id eſt Siciliam, Odoacro Italiæ Regi poſtmodum tributario iure conceſſit, ex qua
» eis Odoacer ſingulis quibuſque temporibus vt Dominis tributa dependit, ali-
» quam tamen ſibi reſeruans partem. Poſtremo alio loco ait: Factum eſt, ſuppli-
» cante Valentiniano Auguſto, Carthaginenſi Eccleſiæ poſt longum ſilentium de-
» ſolationis, Epiſcopum ordinari, nomine Deogratias. Illo igitur Epiſcopo con- B
» ſtituto, factum eſt, peccatis vrgentibus, vt vrbem illam quondam nobiliſſimam
» atque famatam, quinto decimo Regni ſui anno caperet Romam. Et ſimul ex-
» inde Regum multorum diuitias, cum populis captiuauit. Quæ dum multitudo
» captiuorum Africanum attingeret littus, diuidentibus VVandalis & Mauris in-
» gentem populi quantitatem, vt moris eſt Barbaris, mariti ab vxoribus, & liberi
» à parentibus ſeparabantur. Poſt hæc Genſericus Eccleſiam Carthaginis claudi
» præcepit, diſſipatis atque diſperſis per diuerſa exiliorum loca, quia Epiſcopus
» non erat, Preſbyteris & Miniſtris. Quæ vix reſerata eſt, Zenone Principe ſup-
» plicante, per Patricium Seuerum. Et ſic vniuerſi ab illo excidio redierunt. Quæ
» verò in Hiſpania, Italia, Dalmatia, Calabria, Apulia, Sicilia, Sardinia, Brutia;
» Venetia, Lucania, Epiro, vel Hellade, geſſerit. meliùs ipſi, qui paſſi ſunt, mi-
» ſerabiliter lugendo, narrabunt. Durauit autem in Regno annis XXXVIII. & men-
» ſibus tribus. Librum verò ſecundum ita orditur: Mortuo Genſerico, Hunericus
» maior filius patri ſuccedit. Dedit autem licentiam, Zenone Imperatore atque
» Placidia relicta Olibrij rogantibus, vt Carthaginenſis Eccleſia ſibi quem vel-
» let Epiſcopum ordinaret. Quæ iam per viginti quatuor annos tali ornamento fue-
» rat deſtituta. Libro etiam tertio: Quid ego iam immoror in hoc quod explicare
» non queo? Nam ſi nunc ſupereſſent, vel eis fari de talibus rebus licuiſſet, & Tul-
» lianæ eloquentiæ fluuius ſiccaretur, & Saluſtius elinguis omninò remaneret. Et
» vt alios indignos rei tantæ prætercam, ſi Cæſarienſis ſurgeret Euſebius, ad hoc C
» onus non eſſet idoneus, aut eius tranſlator Græcæ facundiæ Latinæque floribus
» Ruffinus ornatus. Et quid multa? non Ambroſius, non Hieronymus, nec ipſe
» noſter ſufficeret Auguſtinus.

HÆC quidem ante Victorem Saluianus Maſſilienſis Preſbyter libris octo de Gubernatione Dei, & de iuſto præſentique eius iudicio, quorum præfationem ita orditur. *Sancto Epiſcopo Salonio, Saluianus Epiſcopus ſalutem in Domino.* Genuenſes Ligurum populi ſingularem illum virum Epiſcopum habuere. Hic eſt Salonius qui Dialogos duos ſcripſit ad Veranum fratrem, poſtea Venti enſem in Prouincia Epiſcopum, & priori quidem parabolas Salomonis, altero Eccleſiaſtem dilucidè exponit. Et in vtroque ſunt duo interlocutores, Veranus & Salonius. Ad quorum alterum Eucherij Lugdunenſis Epiſcopi legitur, extátque Epiſtola, cuius initium eſt: Eucherius Verano filio in Chriſto ſalutem dicit. Formulas ſpi-
» ritalis intelligentiæ componendas, tibique mittendas pro ſtudio paternæ erga te
» ſolicitudinis exiſtimaui: quibus perceptis in omnia ſcripta diuina facilè ad intel-
» lectum ſequax ſenſus intenderet. Nam cùm litera occidit, ſpiritus autem viuifi-
» cat, neceſſe eſt ad illa ſpiritalium interiora ſermonum ſpiritu viuificante pene-
» trari. Vniuerſam porro Scripturam tam veteris inſtrumenti quàm noui ad in-

A tellectum allegoricum esse sumendam admonet nos vel illud quod in veteri Testamento legimus, *Aperiam in parabolis os meum, loquar enigmata antiqua.* Ad Salonium autem scripturus de Quæstionibus difficilioribus veteris & noui Testamenti, sic præfatur: Eucherius Salonio in Christo salutem dicit. Sæpè à me requiris multarum rerum absolutionem, quæ in diuinis voluminibus interpretem postulant. Colligam prout redierint in memoriam quæ à te, mi Saloni, studio cognoscendi sedulò copiosèque prolata sunt. Atque non ex meo ingenio, sed ex illustrium Doctorum iudicio, neque ex propria temeritate, sed ex aliorum auctoritate respondebo: consectans non tàm eloquij exultantis ambitum, quàm necessariæ breuitatis modum. Sic enim & innumeris satisfieri inquisitionibus tuis poterit, & mihi insuper liberum erit aliqua extrinsecus, quæ cognitioni tuæ vtilia arbitrabor, inserere: vt est illud, Quid significet *alleluya, diapante, amen.* Quid sit *Cidaris, Ephod, Siclus,* & cetera, quæ vel in sacris libris frequentata, vel maximè in Ecclesiæ vsu posita interpretationem requirunt. Hæc cùm se legentibus per totum Scripturarum corpus crebrò offerant, non abs re existimaui ea tibi cum significationibus suis in opere hoc quasi coaceruata ostendere. Dignum namque est quacumque cura mea ingenium tuum remunerari, qui vix dum decem natus annos eremum ingressus, inter illas Sanctorum manus, non solùm imbutus, verùm etiam enutritus es sub Honorato Patre: illo inquam primùm insularum, postea etiam Ecclesiarum magistro, cùm te illic beatissimi Hilarij tunc insulani B tironis, sed iam nunc summi Pontificis doctrina formaret per omnes spiritalium rerum disciplinas: ad hoc etiam te postea consummantibus sanctis viris Saluiano atque Vincentio, eloquentiâ pariter scientiâque præminentibus. Hic igitur tot & talibus vsus magistris, ex me quoque minimo omnium audies quæ sciscitatus es, in quibus iam nunc & interrogantem te, & me respondentem cognosce. Vale in Christo.

Honorati autem vitam scripsit Hilarius, illáque verba: *Iam nunc summi Pontificis,* meritò de eo dicta sunt. Arelatensis quippe Pontifex fuit. In Epistola verò parænetica ad Valerianum cognatum eiusdem Hilarij honorificam mentionem facit, simul hæc tradit: Magnum ex hoc diuinæ pietatis argumentum est, quòd sub Cæsare Octauio, cùm vtique Romanæ possessionis verticem tenuit, tunc se Deus terris dedit. Itaque vt tua apud te proferam, cùm ab ortu Regni huius centesimus & octuagesimus quintus ferè suprà millesimum vertatur annus, quicquid vel sub illa primum dominatione Regum vetusta, vel sub illa deinde gemina administratione Consulum Romano accessit Imperio, omnia Christi aduentu præparata, & diffundendæ fidei prouisa, potest, si quis idoneus est assertor, ostendere. Scripsit idem quoque Eucherius Hilario de laudibus Eremi elegans Opusculum, Lerinam insulam suam appellans, summisque laudibus efferens. Hilarius enim in proxima illum insula egisse commemorat, quæ traiectu vix sexcentorum aut circiter passuum à Lerina distat, quam Plinius & Strabo Leronem vocant. Ac C successisse Honorato Maximum postea Reiensem Episcopum, cui Faustus vt decessori suo funebrem orationem dixit, notissimum est, eiusque meminit Dinamius in vita eiusdem Maximi à se perscripta ad Vrbicum in Episcopatu successorem. Publicè autem interest ex Opusculo Hilarij hoc loco perpauca inserere: Equidem cunctis eremi locis, quæ priorum illuminantur secessu, reuerentiam debeo. Præcipuo tamen Lerinam meam honore complector, quæ procellosi naufragiis mundi effusa, piissimis vlnis me receperat. Venientes ab illo sæculi fragrante æstu blandè introducit sub vmbras suas, vt illic spiritum sub illa interiore domini vmbra anheli resumant. Aquis scatens, herbis virens, floribus renitens, visibus odoribusque iucunda, paradisum possidentibus se exhibet, quam possidebant. Digna quæ Honorato auctore fundata sit, quæ tantis institutis tantum nacta sit Patrem, Apostolici spiritus vigore & vultus honore radiantem. Digna quæ illum suscipiens, ita eniteret. Digna quæ præstantissimos alat Monachos, & ambiendos præferat Sacerdotes. Hæc nunc successorem tenet eius, Maximum nomine clarum, quia post ipsum meruit adsciri. Hæc habuit reuerendi nominis Lupum, qui nobis illum ex tribu retulit. Hæc habuit germanum eius Vincentium interno germani splendore perspicuum. Hæc nunc possidet venerabilem grauitate Caprasium, veteribus sanctis parem. Hæc nunc habet sanctos seruos illos,

» qui diuisis Cellulis Ægyptios Patres Galliis nostris intulerunt. At de iis omnibus est apud Sidonium locus elegans in Euchariſtico, vt suo loco demonstrabimus. A

Supersunt Epistolæ duæ, quæ lectores oblectaturæ sunt. Vna Hilarij ad Eucherium, quæ sic habet: » Cùm me libellos tuos mecum relaturum præcedentibus literis indicassem, instante exactione pueri quem miseras, lectitare nullatenus potui. Emisi itaque florulenta beatitudinis tuæ opera non parum anxius, ne necdum scripta tam iugiter, tam grauiter ruentibus imbribus labefactarentur. Percucurri ea semel, tantũ vniuersa miratus. Concedat Dominus, vt speciosa hæc in Christo instructionum nostrarum gloriæ tuæ opera te in paginis tuis duce aliquando persentiam. Hoc vnum precor, ne me diu his institutionibus fraudari feras, sed vnum me de iuuenibus tuis, quos hac eruditione ornasti, habens, eo instantiùs habere me velis, quo me magis iuuentutis retia premunt. Memorem te mei Dominus ad profectum Ecclesiæ suæ diu seruet, beatissime Papa. Quæ vox non nisi Episcopis tunc tribuebatur. Altera Saluiani ad eundem Eucherium. » Domino & dulcissimo Eucherio Episcopo Saluianus. Legi, ait, libros quos transmisisti, stylo breues, doctrina vberes, lectione expeditos, instructione perfectos, menti tuæ ac pietati pares. Nec miror, quòd vtile & pulchrum opus ad institutionem potissimum sanctorum ac beatorum pignorum condidisti. Cùm enim eximium in eis Templum Deo ædificaueris, doctrina nouæ eruditionis quasi summum ædificij tui culmen ornasti, & vt indoles sanctæ æquè doctrina ac vita illustrarentur, quos morali institutione formaueras, spiritali instructione decorasti. B Superest vt Dominus Deus noster, cuius dono admirandissimi iuuenes tales sunt, pares eos faciat libris tuis: id est, vt quicquid illi continent in mysterio, hoc vterque illorum habeat in sensu. Et quia iam dispensatione diuina atque iudicio etiam magistri Ecclesię esse cœperunt, donet hoc benignissima Dei pietas, vt doctrina illorum fructus sit Ecclesiarum & tuus, profectúque excellentissimo tam illum ornent, à quo sunt geniti, quàm eos quos ipsi sua institutione generauerint. Mihique hoc, etsi non inter omnia, certè vel post omnia misericors Deus tribuat, vt qui fuerunt discipuli quondam mei, sint nunc quotidie oratores mei. Vale mi Dominus & dulcis meus. In qua Epistola de quibus loquatur promptum est dicere. Salonium enim & Veranum fratres designat. Scripsit pręterea ad Catholicam Ecclesiam libros quatuor sub Timothei nomine, ex quorum Pręfatione hæc pauca exscribo: » Quæris à me, ô mi Saloni, charitas mea, cur libellis nuper à quodam huius temporis homine ad Ecclesiam factis Timothei nomen inscriptum sit. Et circa finem Præfationis: Hac illa igitur in titulum libellorum Timothei nomen inscriptum est. Congruum siquidem scriptor ille existimauit, vt cùm in honorem Dei libellum scriberet, ipsi diuinitatis honori titulum consecraret. Habes, ô mi Saloni, charitas mea, habes quod exegisti, impleui opus muneris imperati. Isidorus Hispalensis Episcopus in Betica in Cathalogo scriptorum illu- » strium: Eucherius, inquit, Episcopus Lugdunensis in Gallia elegans in sententiis, nec minus ornatus in verbis, edidit ad Hilarium postea Arelatensem Episcopum solitudinis deserta petentem, Opusculum de laude Eremi luculentissimum, & dulci sermone compositum. In quo opere laudemus oratorem, etsi pauca, tamen pulchra dicentem. Scripsit alia in multos sacros libros Commentaria non minùs necessaria quàm vtilia, pręcipuè verò in Genesim & Libros Regum ad Salonium & Veranum fratres Episcopos, Opus prolixum & doctissimum. Addo, C Homelias de Blandina Lugdunensi, de Machabeis, de Genesio, de Romano, de Alexandro & Epipodio, videri mihi ab eo quoque scriptas fuisse, & docti opinor ita iudicabunt.

Mentio Agrippinæ Coloniæ cùm in Saluiano essemus à nobis vtiliter factá est, & fit iterum ab eodem in Libro Epistolarum. » Primâ enim, Adolescens, ait, quem ad vos misi, Agrippinæ cum suis captus est, quondam inter suos non parui nominis, familiâ non obscurus, domo non dispicabilis, & de quo aliquid fortasse amplius dicerem, nisi propinquus meus esset. Hoc enim fit vt minus dicam, ne de meipso dicere videar, de illo plura dicendo. Matrem ergo is de quo dico Agrippinæ viduam reliquit, probam, honestam, & de qua forsitan audacter dicere valeam, verè viduam. Nam præter ceteras castimoniæ sapientiæque virtutes, est etiam

A etiam fide nobilis, quæ omnibus semper ornatibus ornamento est; quia sine hac nihil tam ornatum est quod ornari possit. Hæc ergo, vt audio, tantæ illic inopiæ atque egestatis est, vt ei nec residendi nec abeundi facultas suppetat, quia nihil est quod vel ad victum vel ad fugam opituletur. Solum est quod mercenario opere victum quæritans, vxoribus barbarorum locaticias manus subdit. Ita licèt per Dei misericordiam vinculis captiuitatis exempta sit, cùm iam non seruiat conditione, seruit paupertate. In aliam quoque eius Epistolam incidimus sic inscriptam: *Ypatio & Quietæ parentibus Saluianus, Palladia & Auspiciola, salutem.* Ypacius socer Saluiani fuit, Palladia vxor, Quieta filia, Auspiciola neptis ex eadem. In qua Epistola hoc primùm notandum puto: Septimus iam fermè annus est, ex quo nulla ad nos tam longè à vobis sitos scripta misistis. Item, conuersionem nostram paganus non æquanimiter acceperit: nunc longè aliud est, ex quo Dei cultum professus es pro me pronunciasti. Si præteritas irarum causas assequeris, imputa tibi, qui Christiano filiam tuam dedisti. Si id non est, quid mihi irasceris? Quia eam nunc in me religionem augere cupis, quam tu in te probare cœpisti. Cur rogo in me non diligas quod es, qui in te quod eras ipse damnasti? Aduoluor vestris, ô parentes charissimi, pedibus. Illa ergo vestra Palladia, vestra gradibus, vestra domnula, cum qua his tot vocabulis quondam indulgentissima pietate lusistis, quæ vobis per varia nomina nunc fuit mater, nunc auicula, nunc domna, cùm esset
B scilicet vnum vocabulum generis, aliud infantiæ, tertium dignitatis. Quid autem est, in quo magis possumus vobis nos satisfacere? filij vestri sumus qui vos rogamus, parcite, indulgete illi. Eorum parentes charissimi pro se rogant, ob quorum soletis nomina etiam extraneis nil negare. Hæc Epistola pietatis quidem plena est, & quam libenter inseruissem, nisi modum Epistolæ excessisset. Vnum autem est quod queror, vnum quod doleo. Saluianus præfatione ad libros de Prouidentia Dei Episcopum quidem se dicit, at cuius Sedis non attigit, fortasse quia id tunc notissimum cunctis erat, vel quia secundi ordinis Sacerdos erat, Episcopus tantùm erat. Neque id in mentem venit Gennadio Massiliensi, qui de eo hæc verba scribit: Viuit vsque hodie in senectute bona, & Saluianum Massiliensis Ecclesiæ Presbyterum tantùm vocat. Isidorus autem, qui non multo post Gregorium primum vixit, nullam eius rei mentionem facit. Doleo quoque tantos viros & tam insignes Sidonio nobilissimo Aruernorum Episcopo, qui sub Zenone obierit, incognitos fuisse, Vincentium & Saluianum, cui Eucherium notum fuisse tamen scimus. Vincentius in Commentario aduersus hæreses indicat se Celestini & Sixti tertij temporibus vixisse. Hos enim viros, æstimator optimus rerum, atque hominum, non minùs celebrasset, quàm vel Insulanos, vel Claudianum Mamercum Viennensem, & Viennæ ad Rhodanum, quam Senatoriam vocant, in Monasterio D. Petri se-
C pultum. Ad quem & Saluianus scripsit Librum vnum expositionis extremæ partis in Ecclesiastem, vt Ado Viennensis in Breuiario Chronicorum refert. Denique Gennadium ad annum 490. floruisse Sigebertus in Chronico etiam tradit.

Theodosij quidem Minoris mentionem supra habuimus. Is vxorem Eudoxiam dilexit genere Atheniensem, & amitam Placidiam, Constantij ab Honorio Cæsaris designati vxorem magni fecit. Illis quoque temporibus vixere duo excellentes viri, Leo Romanus Pontifex, cuius extant quinque ad eundem Theodosium Epistolæ, quas indicasse nescientibus proderit, ad Pulcheriam nouem, ad Eudoxiam duæ. Et Isidorus Pelusiota eximiæ pietatis singularisque doctrinæ, à quo volumen Epistolarum posteritati relictum est, vnde pauca exscribenda duximus. Vna est ad Theodosium Imperatorem, quam in gratiam eorum, qui Græcè nesciunt, in Latinum sermonem ita conuertimus. Si Christi regnum adipisci studes, quod corruptionis omnis expers perpetuitas tamquam corona cingit, quódque Deus pro caduco Imperio iis, qui præclarè atque honestè istud administrarint, præmij loco constituit, potentiam tuam mansuetudine ac suauitate tempera, conuenientique dispersione onus diuitiarum leua. Neque enim saluatur Rex per multam potentiam. Neque impij simulachrorum cultus crimen effugit, qui fluxis opibus parcit. Alia quoque ad Antiochum Spadonem

Theodosij hic nobis inserenda videtur. Cuius interpres etiam ero in gratiam A
Imperatorum Græci sermonis, vt aulici omnes sciant quanta cura id quod pu-
» blicè interest incumbere debeant. Antiocho Spadoni. Operepretium est te,
» cùm sacros libros euoluas, atque in eorum, vt audio, lectione te assiduè ha-
» beas, admirandi Danielis historiam nosse: nempe quòd cùm in mediis erroris
» fluctibus versaretur, nullum tamen capturi hominis affectum subiit, ne ad ci-
» bos quidem communes vsque, quorum perceptio eos qui iis fruerentur con-
» taminabat. Ac quoniam non modò Imperij minister es, sed ipsum etiam in ar-
» bitratu tuo ac libitu moderaris, in id omni studio ac diligentia incumbe, vt
» iustitiam in morbum prolapsam, imò vt rectiùs loquar, iam extremos spiri-
» tus edentem, confirmes, vt iustum tribunal tibi placidum ac benignum inue-
» nias. Etiamsi nunc ipsius tibi haud crebrò in mentem venit, immodicæ videli-
» cet rerum humanarum pompæ admiratione perculso.

IAM tempus est vt de VALENTINIANO tertio narrare incipiam, quod nomen ei funestum fuit, vt Valentiniano Iustinæ filio, vt Valentiniano primo generis auctori. Hic igitur sexto Non. Iulias natus est, Honorio XII. & Theodosio VIII. Coss. vt à Prospero Rhetore traditum scio. Anno tamen Honorij in Occidente imperantis decimo quinto referente Idacio Lemicæ in Bethica Episcopo, cuius ante annos septingentos manuscriptum Chronicum legi, B exemplárque inde sumptum domi habeo, & deinceps illo auctore etiam vtar. Theodosius Honorij patrui sui Rauennæ mortui Imperium gerens rexit Rempubl. annis XXVII. Isque Valentinianum Constantinopoli Cæsarem dixit: qui Romæ Augustus appellatus est anno Theodosij quarto, vt idem historicus posteritati retulit, inter optimos illius æui Scriptores meritò numerandus. Mira autem felicitate iuuenis Ioannem Tyrannum oppressit, simul Imperium recepit, data Aëtio veniâ, quòd eius industriâ Hunni, quos per eum acciuerat in Italiam, domum essent è vestigio regressi, eiúsque fidei Placidia magna difficiliáque Regni negotia commisit. *Dux femina facti*. Licet enim maximi Poëtarum de illa semiuersum dicere. Virilis siquidem animi femina fuit. Arelas nobile oppidum Galliæ Gothorum obsidione cinctum est, oppugnatúmque donec imminente Aëtio non impuniti discederent. His enim verbis Prosper Rhetor vtitur, quæ vsurpanda meritò putaui. Gentem VVandalorum ab Hispania in Africam transiisse idem scribit, Hierone & Ardabure Consulibus. Germanum quoque Altissiodori Episcopum illis temporibus floruisse Prosper Tyrò tradit, de quo nobis hoc loco necesse est disserere. In vetustissimis Altissiodorensium Annalibus hęc verba reperio, quæ etsi pauca sunt, obscuris tamen temporibus multum lucis afferent: *Apud Autissiodorum Alodio defuncto mansit eadem Ciuitas absque Episcopo annis X. Quibus finitis Fraternus consecratur Episcopus. Qui eadem die consecrationis suæ à barbaris vrbem vastantibus est martyrio coronatus*. Hæc ad VVandalos pertinere puto. C *Post hunc Censurius*. Huius tempore Constantius Lugdunensis Presbyter & Rhetor facundissimus obtentu sancti Patientis Lugdunensis Episcopi vitam Sancti Germani mirabili stylo dedit anno ferè quadragesimo post transitum eiusdem Germani Antistitis gloriosi. Ad hunc Patientem Episcopum extat elegans Sidonij Epistola duodecima libri sexti præclaras eius virtutes laudantis. At Constantius ille ipse est, cui Epistolarum volumen Sidonius Episcopus Aruerni vrbis Aquitanicæ secundæ dicauit, quemadmodum ex Epistola prima libri primi apparet. Illum sacræ literaturæ studiosum prædicat Epistola vltima libri VII. Nobilitate sublimem vocat Epistola II. libri III. Eadem Presbyterum Lugdunensem indicans fuisse, alibi virum singularis ingenij, Romanarúmque partium defensorem. Et quidem tres de vita Germani eleganter libellos scripsit, vnde necessaria tantùm, & quæ publicè interest sciri, breuiter elicienda putaui. Orditur à duabus Epistolis. vna Patienti scripta est, altera Censurio, Lugduni & Altissiodori clararum vrbium Episcopis. Illa ad confluentes Araris & Rhodani sita est, hæc apposita Icaunæ nauigabili fluuio, qui Senonum vrbem primùm alluit, deinde in Sequanam labitur, cuius Latinum nomen Constantius nobis dedit. Vetustiorem enim Auctorem, qui de eo scripserit, nullum habemus. Deinde ait, Temporibus illustrissimi Germani, (ita enim eum bis vocat) Heduæ Ciuitati

A Galliæ, qui Rempublicam administraret fuisse Iulium nomine, qui Prætorium apud Heduos habebat, ipsique Galliæ generaliter præscribebat. Ianuarium bonis moribus, qui cùm Principi militaret officio exactos à Prouincialibus solidos ad Iudicem deferebat. Auxiliaris etiam tum regebat per Gallias apicem Præfecturæ: ac tributaria functione præter solitum & necessitates innumeras regnasse ait, qua Autissiodorenses vexati depressique erant absente Germano. Placidiam autem Reginam Romanum Imperium tunc rexisse cum Valentiniano filio suo iuuene memoriæ prodit, & Acholium Eunuchum Præpositum regalis Cubiculi tunc etiam fuisse refert. Narrat quoque libro primo, Germanum Autissiodorensis oppidi indigenam parentibus splendidissimis prognatum, & ab ipsis infantiæ rudimentis studiis liberalibus institutum, atque vt in eum perfectio literarum plena conduceret, post auditoria Gallicana, intra vrbem Romam iuris scientiæ plenitudinem perfectionis adiecit. Deinde Tribunitiam Præfecturam professus admiratione ornauit. In quo actu dum multiplici laude resplenderet, sublimem genere, diuitiis, ac moribus sortitur vxorem, quæ ex coniuge soror esse cœpit postquam electus est in Episcopum Autissiodorensem, in que Amatoris locum mortui successit. Ex qua narratione perspicere facile est, liberalia studia illis temporibus in Gallia viguisse: at non æquè iuris ciuilis disciplinam. vnde Rutilius ait de Palladio.

----- Studiis vrbique remitto
B *Palladium generis spémque decúsque mei.*
Facundus iuuenis Gallorum nuper ab aruis
Missus Romani discere iura fori.
Ille mea secum dulcissima vincula cunna
Filius affectu, stirpe propinquus habet.
Cuius Aremoricas pater Exuperantius oras
Nunc posthumum pacis amore docet.
Leges restituit, libertatémque reducit,
Et seruos famulis non sinit esse suos.

Hic sub Honorio Cæsare in Gallia viuebat, & illud quoque sciendum (publicè enim interest) æreos nummos crucis impressione exsculptos tūc in vsu fuisse. Quod Christianissimi Reges adhuc diligenter obseruant, in aurea argenteáque moneta crucem sculpi præcipientes. Mox refert Constantius ex Britanniis directam Legationem nuntiasse Pelagianorum hæresim (quam peruersitatem vocat) in locis suis latè populos occupasse: & quamprimum fidei Catholicæ debere succurri. Ob quam causam Synodus numerosa collecta est, omniúmque iudicio duo præclara religionis lumina, omnium qui aderant precibus ambiuntur, Germanus ac Lupus Apostolici Sacerdotes. Igitur Britanniam, quæ nunc Anglia dicitur, vterque nauigauit: insulam, quæ inter omnes est prima vel maxima. Ac primo quidem loco prebuerunt aduersarij copiam disputandi, vt ad
C singulas verborum & rerum obiectiones respondere nequiuerint, populíque vix manus ab iis continere potuerint. quin Saxones, Pictíque aduersus Britannos iunctis viribus bellum suscipiunt. Qui etsi tepidi, auxilium tamen à duobus Antistitibus petunt. Illi precibus pauidum agmen, euntes in hostem, in fugam conieceerunt. Post hanc victoriam reuersi in Galliam, magna omnium lætitia gaudióque sunt excepti. Nec multò pòst Germanus cognito ciuium suorum onere, per Hæduos Arelatum petens, ad Lugdunensem vrbem Arari deuectus est, susceptúsque honorificè in Prouincia ab Hilario Episcopo Arelatensi, torrente cœlestis eloquij. Auxiliarem, de quo iam locuti sumus, Præfectum Prætorio laborantem morbo reperit, pristinæque valetudini restituit, & damna tributariæ functionis in gratiam suorum, ne amplius metuerentur, effecit. Quibus confectis rebus, Autissiodorum redit. Ceterùm post aliquod tempus Episcopi Galliæ certiores fiunt Pelagianam hæresim dilatari in Britanniis, rursúmque omnium Episcoporum ad Germanum preces deferuntur, vt causam Dei, quam prius obtinuerat, alacriter iterum suscipiat. Quorum petitioni festinus occurrens, adiuncto sibi Seuero notæ sanctitatis viro, qui Treueris ordinatus Episcopus gentibus primæ Germaniæ verbum Dei disseminabat, in eandem insulam naui vehitur. Reuersisque ad sanitatem animis, qui aberta-

uerant à vero, iidem Antistites feliciter in Galliam reuertuntur. Hanc narrationem Beda libro primo Ecclesiasticæ Historię gentis Anglorum diffusè prosequitur, Constantium qui primus eam scripserat diligenter secutus. Vixdum de expeditione Britannica redierunt, cùm Legatus Armorici tractus, qui Britones hodie appellantur, fatigationem senis ambiebat. Offensus enim superbę insolentia Regionis, vir magnificus Aëtius, qui tunc Rempublicam gubernabat, Rochario ferocissimo Alanorum Regi loca illa diripienda pro rebellione pręsumpta permiserat. Quo ille audito, cùm barbara cupiditate inhiaret, abiit cum gente illa instructus. Ei obiicitur senex, cuius petitione extra Prouinciam se recepit, donec à Cæsare rediret: atque in Italiam Legatus Armoricæ gentis proficiscitur, vt veniam miseris impetraret. Et per Hæduos ad Alpes perueniens, iis superatis Mediolani tandem excipitur. Rauennam postmodum ingressus, vbi Petrus Chrysologus singulari vir eloquentia & eruditione tunc temporis Christi Ecclesiam regebat, Placidiam & Valentinianum alloquitur. Ac pro regione Armorica obtinuisset veniam, nisi perfidia gentis illius per se mobilis ad rebellionem pristinam rediisset. Interim Rauennę Germanus obiit, cùm sedisset in Episcopatu annis triginta, diebus quindecim, pridie Calendas Augusti, Valentiniano cum Placidia matre imperantibus. Et vitam eiusdem Germani post Constantium, nulla eius scriptoris mentione facta, Carolo Caluo Rege, versu perscripsit Hericus apud Autissiodorum Monachus, cùm natus esset annos triginta duos, & Græcè doctus, Latinisque literis institutus, Poëticis quoque studiis floreret: nec iam tres libros vt Constantius, sed duplicato numero senos edidit, inuitatus vt id faceret Aunarij Episcopi sexti post Germanum Epistolâ ad Stephanum Presbyterum Prouinciæ Africanæ. Quod is rescribens se facturum promisit. Sidonius quidem Anianum Lupo parem Germanóque non imparem prædicat Epistolâ ad Prosperum Aurelianensem Episcopum XV. libri VIII. Pacatis autem motibus Galliæ Aëtius in Italiam redit anno decimo septimo Theodosij. Quid postmodum ei acciderit Beda paucis indicat. Expositis enim Germani laboribus: Ad Rauennam, ait, pro pace Armoricanæ gentis supplicaturus aduenit, ibique à Valentiniano & Placidia matre ipsius summa reuerentiâ susceptus migrauit ad Christum. Nec multò pòst Valentinianus ab Aëtij Patricij, quem occiderat, satellitibus interimitur, anno Imperij Martiani sexto, cum quo simul Hesperium concidit Regnum, cùm Martianus imperare cœpisset anno à partu Virginis CCCCXLIII. vt Anastasius Bibliothecarius annotauit. Eodem Theodosij anno deserta Valentiæ vrbis Cauarum, & prędia finitimæ regionis, Alanis, quibus Sambida præerat, diuidenda traduntur. Biennio pòst iidem, quibus terræ Galliæ vlterioris cum incolis distribuendæ à Patricio Aëtio datæ fuerant, resistentes armis subigunt, & expulsis dominis prædiorum possessionem adipiscuntur, vt Tyro memoriæ mandauit. A quo etiam discimus, Thraciam Hunnorum incursione vastatam anno Theodosij vicesimo secundo, & Bledam Attilæ fratrem fratris dolo cæsum vicesimo tertio, cui Attila ipse successit. Vicesimo quarto, septuaginta non minùs vrbes in Oriente ab Hunnis direptas. Et vicesimo sexto duos excellentes Episcopos, Eucherium Lugdunensem, & Hilarium Arelatensem, excessisse è vita, quorum immortalis sit gloria necesse est. De vtroque satis multa diximus. Cùm autem ad vicesimum septimum Imperij annum peruenit, narrat Theodosium obiisse, cui Martianus successerit, ad quem Leonis Romani Pontificis Epistolæ nouem extant. Placidiam eodem anno vitâ functam, filio Valentiniano quintum & vicesimum agente. Quibus narratis, Attilam ait Gallias ingressum, quasi iure debitam poposcisse vxorem. Vbi graui clade inflicta & accepta ad proprias sedes recessit.

IGITVR hoc primùm liquet, Attilam potentissimum Hunnorum Regem fuisse. Quam gentem iaculis validam Sidonius ait notissimus Auctorum Carmine septimo ad Auitum Augustum, vbi Herulos cursu, Hunnos iaculis, id est sagittis, difficillimè vinci posse prædicat. Nunc quis Attila fuerit, & qualis, quas sedes incoluerit habueritve, quibus viribus & belli sociis sit vsus: quas vrbes cis Rhenũ in Gallia obsederit, vastarit, diripuerit: quomodo Sequanam altissimum latissimúmque flumen traiecerit, antequam Aureliam ad Ligerim perueniret: vbi pugnatum sit, qua hora post meridiem prælium cœperit, quis cæsorum numerus fuisse referatur,

A qui Auctores prælium illud descripserint: vter denique vicerit, Aëtius an Attila, breuiter expediam. Priscus Panites Græcus Rhetor, cuius & meminit Euagrius Græcus scriptor lib. I. Historiæ suæ cap. XVII. & Ioannites Gothorum Historicus, Priscus quidem & missum se Legatum ad Attilam prædicat, traiectûmque tria maxima flumina, Tisiam, Tibiscam, & Bricciã, peruenisse ad eum locum vbi olim Vidicula potentissimus Gothorum dolo Sarmaticę gentis victus sit, vnde vsque ad Attilæ sedem non multum sibi itineris superfuisse. Domicilium Attilæ fuisse vicum è regione maximæ vrbis, cuius muri ex ligno & aggeribus constructi essent, tanto artificio vt discernere iuncturas facilè non esset. Attilam postea refert Mădzuci filium patruos habuisse Octarem & Roasem, agmen ipsi fuisse quinquies centies mille, visum sibi hominem natum ad exitium orbis terræ, incessu superbum, micantibus oculis, crudelem & militari disciplinæ deditum, sapientem in consiliis, qui precibus flecti consuesset, & libenter iis auxilium ferret, quos in clientelam & fidem suam recepisset. Attilam denique fuisse exigua statura, largo pectore, capite crasso, oculis admodum paruis, barba rara, resimis naribus, colore subfusco, & deformi. Hunc verò Prisci librum patrum memoriâ in Vaticana Bibliotheca Græco sermone certum est fuisse, antequam furto substractus esset magno totius Europæ damno. Attila verò belli socios habuit ad Septentrionem populos, qui à Sidonio nominatim designantur Carmine VII. in hunc modum:

----- Subitò cùm rupta tumultu
B *Barbaries totas in te transfuderat arctos*
Gallia. pugnacem Rugum comitante Gelono,
Gepida trux sequitur, Scyrum Burgundio cogit:
Chunus, Bellonotus, Neurus, Basterna, Toringus,
Bructerus, vluosa quem vel Nicer abluit vnda,
Prorumpit FRANCVS, *cecidit citò secta bipenni*
Hercinia in lintres, & Rhenum texuit aluo.

In quibus versibus numerari duodecim populos gentésque ferocissimas, quæ Attilam sunt secutæ, perspicimus, eidémque additis quinque aliis ad Septentriones populis numerantur ab eodem Auctore Carmine v. ad Maiorianum, quibus XII. instructus vti proposuerat in Galliam cis Rhenum venit. Ait enim:

Et iam terrificis diffuderat Attila turmis
In campos se Belga tuos. ------

In Galliam enim Belgicam secundam, in qua sunt patentissimi campi, à quibus citeriori ætate Campania dicta est, se primùm diffudit. Mox apparatum Aëtij virésque eius breuiter describit, cùm ait:

-------- Vix liquerat Alpes
Aëtius tenue & rarum sine milite ducens
Robur, in auxiliis Geticum malè credulus agmen
C *Incussum propriis præsumens adfore castris.*
Nuncius at postquam ductorem perculit, Hunnos
Iam prope contemptum propriis in sedibus hostem
Expectare Getas, versat vagus omnia secum
Consilia, & mentem curarum fluctibus vrget.
Tandem cunctanti sedit sententia, celsum
Exorare virum, collectisque omnibus vnà
Principibus, coram supplex sic talibus infit:
Orbis, Auite, salus, cui non noua gloria nunc est.
Quòd rogat Aëtius: voluisti, & non nocet hostis:
Vis? prodest. inclusa tenes tot millia nutu,
Et populis Geticis sola est tua gratia limes.
Infensi semper nobis, pacem tibi præstant.
Victrices, i, prome aquilas. fac, optime, Chunnos,
Quorum forte prior fuga nos concusserat olim,
Bis victos prodesse mihi. Sic fatus, & ille
Pollicitus votum, fecit spem. Protinus inde
Aduolat, & famulas in prælia concitat iras.
Ibant pellita post classica Romula turma,

Ad nomen currente Geta. timet are vocari A
Dirutus, opprobrium, non damnum Barbarus horrens
Hos ad bella trahit iam tum spes orbis Auitus,
Vel iam priuatus, vel adhuc. ---------

Ex his versibus apparet Aëtium Magistrum militiæ Romanæ ex Italia, vnde redibat, tenues admodum copias adduxisse in Galliam: sed per Auitum Aruernum effecisse, vt Gothi, qui Gethæ appellantur, aduersus communem hostem (publicè enim intererat ipsum Galliç finibus expelli) coactis viribus proficiscerentur. Quibus verisimile est ex ea parte Galliæ, quç Imperio Valentiniani parebat, Aëtij iussu coactam militiam, copiásq; in hostem ductas. Carmine verò VII. præter hunc apparatum Attilæ Aëtiique, nullum prælium inter eos habitum, neque alibi apud Sidonium describitur.

QVAS autem vrbes cis Rhenum Attila cum innumerabilibus copiis oppugnarit, aut euerterit, aut diripuerit, operæprecium est dicere. Metensem vrbem Mediomatricum ab eo euersam & incensam Gregorius lib. II. Historiæ suæ auctor mihi est, nec testem antiquiorem vllum habeo. Treuiros ab eodem direptos Armoricus lib. I. cap. VI. Gregorio recentior primus scribit. Vrbs Tricassium in Belgica secunda, quam Sequana flumen interluit, ab illis obsessa est. Qua de re in historia „ Lupi Tricassinorum Episcopi hæc dicta inuenio. HVNNI erumpentes, & per om„ nem Galliam diffusi, partim simulatæ pacis arte terrebant vrbes, partim vi expu„ gnabant. Vbi ad Tricassium infesto agmine venere, Ciuitatem patentibus campis B „ sitam, & nec armis munitam nec muris, solis ad Deum precibus Lupus eam defen„ dit. Plus virium esse in precibus quàm in armis pia & religiosa antiquitas semper „ putauit: quia victoriæ non ad hominum robur, & industriam, sed potiùs ad cœle„ stium voluntatem referendæ sunt. Sæpè enim multitudo ingens à paucis vincitur. „ Preces tamen quàm arma minus metui solent: quod hæc oculis videantur & ter„ reant, illæ verò etiam mutæ tacitæque ad superos penetrant. Et adhuc tradita à „ maioribus consignatáque literis apud Tricassinos fama narratur, Lupo Episcopo „ obdormienti in Templo Petri visum morte aliquot iuuenum, qui deprecatam vi„ tam & fortunas ciuium mitterent eos, liberatum iri. Igitur Memorius Diaconus & „ pueri adolescentésque aliquot sacerdotio iam destinati, suauissimeque modulatio„ ni assueti, Ecclesiastico ornatu vesteque extra portam Cęsaris ad Attilam ire iube„ tur: modularique eo viso incipiunt instar Cygnorum, qui mortem prçsentiũt. For„ tè equus, cui insidebat, exaudito cantu ferocior redditus, effractisque loris calcem „ in obuios quosque reiiciens, ac se quantum poterat erigens, sessorem Attilam in „ terram abiicit. Inde accensus ira iubet in Memorium sociósque sęuiri, qui statim à „ satellitibus cæsi sunt, pręter vnum, qui nescio quo pacto inter salices & vepres de„ sissimas illæsus mansit. Hunc Æmilianum hodie vocant in Episcopatu postea successorem Lupi. Lupi inquam, Principis Episcoporum Galliæ, qui Tulli Leucorum natus quinquaginta duobus annis Episcopatui Tricassino præfuit, eóque mortuo C hunc in Episcopum assumpserunt de patria benemeritum, & quasi cœlestium consilio seruatum, vt Episcopus fieret, & illam veluti ciuicam coronam acciperet. Hunc Sidonius Himerium vocat Sulpitij Tricassini ciuis filium, nepotémque Himerij aui, eíque cognominem. Cuius quot quantæque virtutes fuerint, Sidonius memorat Epistola XIII. lib. VII. cuius initium est.

Sidonius Sulpicio suo salutem.

„ HIMERIVS Antistes, filius tuus, notus mihi hactenus parũ vultu, satis opinione, „ (quæ quidem in bonam partem porrigebatur) Lugdunum nuper à Tricassibus ve„ nit, quo loci mihi raptim ac breuiter inspectus, sanctum Episcopum Lupum faci„ lè principem Pontificum Gallicanorum, suæ tam professionis magistrum quàm „ dignitatis auctorem, morum nobis imitatione restituit. Deus bone, quæ viro „ censura, cùm venustat si quid deliberet fortè vel suadeat? abundat animi sale „ cùm consulitur, melle cùm consulit. Summa homini cura de literis, sed maximè „ religiosis, in quibus eum magis occupat medulla sensuum, quàm spuma verbo„ rum. Tota illi actionum suarum intentio, celeritas, mora Christus est. Quódque „ mirere, vel laudes, nihil ociosum facit, cùm nihil faciat non quietum. Ieiu„ niis delectatur, eduliis acquiescit. Illis adhæret propter consuetudinem crucis,

A istis flectitur propter gratiam charitatis. Summo vtrumque moderamine, quia comprimit, quoties prandere statuit, gulam; quoties abstinere, iactantiam. Officia multiplicat propria, vitat aliena. Cúmque ipsi vicissim deceat occurri, gratias habet si sibi mutuus honor debeatur mage quàm rependatur. In conuiuio, itinere, consessu, inferioribus cedit. Quò fit, vt se illi voluptuosiùs turba postponat superiorum. Sermonem maximo temperamento cum colloquente dispensat, in quo non patitur aut vllam verecundiam externus, aut familiaris iniuriam, aut credulus inuidiam, aut curiosus repulsam, aut suspiciosus nequitiam, aut peritus calumniam, aut imperitus infamiam. Simplicitatem columbæ in Ecclesia seruat, in foro serpentis astutiam. Bonis prudens, malis cautus, neutris callidus iudicatur. Quid plura? totum te nobis ille iam reddidit, totam tuam temperantiam, religionem, libertatem, verecundiam, & illam delicatæ mentis pudicissimam teneritudinem iucunda similitudine exscripsit. Quapropter quantum volueris deinceps frui secreto, indulgere secessui, licebit indulgeas: quandoquidem nos in fratre meo Himerio, auum nomine, patrem facie, vtrumque prudentiâ iam tenemus. Vale.

Vt autem ordine quo proposui cetera exequar, interroganti quomodo Sequanam, aut Matronam, aut Icaunam, amnes in eum influentes, traiiceret, vt Aureliam oppugnatum iret: Respondeo demonstratum à Sidonio quomodo Rhenum transierit, cæsa videlicet ab artificibus & fabris militéque materia ex B proximis syluis Galliæ, quibus tunc temporis abundabat. Itaque per hunc modum Aureliam ad Ligerim peruenit. Cuius fluminis Aëtius liberator ab eodem Auctore appellatur. Qua quidem obsessa & oppugnata, irruptio, nec direptio secuta est. Quod iterum maiores nostri meritis Aniani Episcopi factum putarunt. Qua de re scribit Sidonius Epistolam xv. libri VIII. ad Prosperum Papam eius successorem, qui Synodis Vasionensi & Carpentoractensi interfuit, eisque subscripsit.

Sidonius Domino Papæ Prospero.

Dvm laudibus summis sanctum Anianum maximum consummatissimúmque Pontificem, Lupo parem, Germanóque non imparem vis celebrari: fideliúmque desideras pectoribus insigi viri talis ac tanti mores, merita, virtutes, cui etiam illud non absque iustitia gloriæ datur, quòd te successore decessit: exegeras mihi vt promitterem tibi Attilæ bellum stylo me posteris intimaturum, quo videlicet Aurelianensis vrbis obsidio, oppugnatio, irruptio, nec direptio, & illa vulgata exauditi cœlitus Sacerdotis vaticinatio, continebatur. Cœperam scribere, sed operis arrepti fasce perspecto, tæduit inchoasse. Propter hoc nullis auribus credidi, quod primùm me censore damnaueram. Dabitur, vt spero, precatui tuo, & meritis Antistitis summi, quatinus præconio suo sub quacumque & quidem celeri occasione famulemur. Ceterùm tu creditor C iustus laudabiliter hoc imprudentiæ temerarij debitoris indulseris, vt quod mihi insolubile videtur, tibi quoque videatur inreposcibile. Memor nostri esse dignare, domine Papa.

Cavsas autem, ob quas bellum Attilæ non scripserit, imò nullam omnino historiam, exponit copiosissimè Epistolâ ad Leonem XII. libri IV. Anianum Viennæ Allobrogum natum ferunt, virum eximiæ prudentiæ, & laudabilis sanctimoniæ. Sic enim Gregorius Turonensis de eo loquitur, pluribúsque post eum seculis Iuo Carnutum Episcopus, qui sub Vrbano II. & Paschali vixit, Sanctio Aurelianensi Episcopo, quem consecrauerat, scribens: Audiui, inquit, quod Clericum illum in die vestri introitus secundum morem vestræ Ciuitatis nostra exhortatione de carcere liberastis. Curiosi cetera legent. Fuerat Sanctio Decanus Aurelianensis Ecclesiæ, ætate grauis, & moribus maturus. Mos autem ille ex eo originem cepit, vt in vita Aniani memoriæ proditum est, quia quotannis non solùm Aureliæ, sed in Episcopatibus subditis metropolitano Senonensi iisdem verbis legitur. His virtutum insignibus declaratus in cathedra Aurelianensis Ecclesiæ institutus est Anianus. Cùm igitur solemniter Ciuitatis illius esset mœnia ingressus, petiit ab Agrippino, qui Principalibus præerat militibus, vt omnes quos pro variis criminibus pœnalis carcer detinebat, ob sui introitus gratiam redderet absolutos. Quod cùm ille resistendo negaret, lapis magni

ponderis ab alto desiliit, eiq; in verticẽ dedit. Qua percussione prostratus, & famulorũ manibus domũ propriã deportatus, agnouit quantociùs quòd idcirco lethalis plaga super eũ descenderat, quia præstare noluerat, quod vir Dei postulabat. Sed cũ sanguis irriguus ex eius capite fluere nõ cessaret, & prædictus Pontifex eũ charitatis gratiâ visitasset, eius vulneri vexillum crucis apposuit, riuum stringẽs sanguinis, interitu eum liberauit: & dum vnum correptum oratione sanauit, pro reliquis quod antè petierat impetrauit. Id iuris carceres reis spoliandi, successores Episcopi vsque ad nostram ætatem perpetuò retinuerunt. idque priuilegium habent à Christianissimis Regibus confirmatum in omnes reos siue Diocescos Aurelianensis, siue alibi natos, dummodo carceribus Aurelianensium inclusi teneantur. Ac ne longiùs repetam, anno MDII. Christophorus solemni pompa ingressus vrbem reis indulsit. Nam ita factum ex actis publicis apparet, in quibus nomina reorum & cognomina designata sunt. Similiter anno MDXV. à Geruasio successore, mox ab Antonio, deinde à Ioanne Episcopis. Denique anno MDLXIX. in alterius Ioannis ingressu mos idem obseruatus est, digestáque in acta publica. Ac solent magistratus illo solemni die & Quęstores scelerũ solutos carceribus omnes reos ducere, venientíque Episcopo obuiam ire, qui solemni pompa ingressum vrbem præcedunt supplices, & quanta possunt voce deprecantur vitam, deductúmque ad Templum vrbis religiosissimum, ac inde in publicam Episcopalem domum comitantur: & conuiuio ab illo excepti, deinde verbo admoniti, vt in posterum sapiant, indulgentiam obtinent, & restituuntur pristino honori, famæ, fortunísque omnibus, præstita tamen aduersariis ciuili æstimatione damni. Vt tunc contigit duobus fratribus nobili genere natis, Ludouico & Carolo Taiis. A qua remissionis pœna cùm ad Senatum Parisiensem prouocatum esset, illi tamen etsi cædis homicidiique rei, Senatu id priuilegium comprobante laudantéque, carceribus soluti sunt abhinc annis quinque præcedentibus sexcentesimum suprà millesimum.

OBSIDIONEM igitur Aureliæ, & oppugnationem ab Attila factam Sidonius ait, nec tamen expugnatam direptámque, quòd auxilium tempestiuè ad obsessos venisset, quod à prudenti viro Aniano vaticinatum fuit. Attila cognito Aëtij aduentu, & Visigothorum auxiliarium, aliarúmque gentium, quæ vel fœderatæ Romanis, vel vicinæ idem periculum formidabant, ab Aurelia & Ligeri fluuio rursus ad Sequanam, mox in Campaniam, quæ Belgica secunda veteribus fuit, & in campos Catalaunicos cedendo peruenit. Vbi Cassiodorus pugnatum ait, Martiano Augusto & Adelphio Consilibus, ac Visigothorum viribus Attilam fusum memorat. Isidorúsque in Chronico refert, Theodoricum sumpto contra Hunnos prælio in campis Catalaunicis superatum occubuisse. De Theodorico verò loquitur Visigothorum Rege, qui sub Cæsare Heraclio viuebat Sisebutóq; Rege in Hispania Catholico. Galliæ quidem Belgicæ campi latissimè patent. Hoc enim nomen Prouinciæ est, quæ nunc Campania dicitur. Catalaunici verò campi minus latè longéque patent, eos complexi duntaxat, qui ad illam vrbem proximis accedunt, hisque hærent, Mauriaci peculiari & proprio nomine distincti, in quibus contra Hunnos fortissimè dimicatum est. Quod loci nomen diuus aliquis aut diua forsitam ignotius reddidit. Nam à Sanctorum nominibus rusticanæ parrochiæ in Gallia ferè appellantur, & cùm semel introducta fuissent noua, sensim obsoleuere vetera: religione & pietate, noua nomina locorum veteribus præferente. quæ res ignorantiam posteris magnam attulit. At Catalaunum nobilissima vrbs munitissimáque hodie est, nota Marcellino historico, & in Belgica secunda à veteribus ponitur: vt pugnam Catalaunicam non immeritò dixisse videantur, quòd in Mauriacis campis non procul ab ea dimicatum sit. Est Catalaunum vrbs notior illustriórque propter Matronam flumen, quod eam alluit, quàm Mauriacum ignobilis fortè vicus, aut oppidulum, tunc euersum dirutúmque à Visigothis, qui Regem suum amiserant, aut à Romanarum partium militibus. Sanè cladem Catalaunicam apud Eumenium in Panegyrico ad Constantinum Cæsarem celebrari manifestum est, his quidem verbis: „Vt magnos natu parentes magis magisque in dies veneramur & colimus, „fratrum verò æqualitas & liberorum soboles blandiore licet, leniores tamen „animos tangit affectu. Ita beneficia antiqua grauiora sunt, quamuis præ-

A sentia suauiora videantur; sed tamen si illa vetustate obsoluerunt, quid hæc recentia quæ pueri vidimus? Attende quæso quanti sit, nuper quòd diuum Claudium parentem tuum ad recuperandas Gallias primi sollicitauerunt, expectantésque eius auxilium septem mensibus clausi, & omnia inopiâ miseranda perpessi, tùm demum irrumpendas rebellibus Gallicanis portas reliquerunt, cùm fessi obseruare non possent. Quòd si vobis & conatibus Heduorum fortuna fauisset, atque ille Reipublicæ restitutos implorantibus nobis subuenire potuisset, sine vllo detrimento Romanarum virium, sine clade Catalaunica, compendium pacis, reconciliatis Prouinciis, attulisset fraternitas Heduorum. Ob hæc igitur merita, & prisca, diuus pater tuus Ciuitatem Heduorum voluit iacentem erigere, perditámque recreare non solùm pecuniis ad calendaria largiendis, & lauacris, quæ corruerant, extruendis, sed & methycis vndique transferendis, vt esset illa Ciuitas Prouinciarum velut vna mater, quæ reliquas vrbes quodammodo Romana prima fecisset. Sed cladem illam Catalaunicam certum est contigisse Claudij Cæsaris temporibus, id est multis annis multísque seculis antequam Attila & Aëtius nati essent. Campus igitur Mauriacus tribus leucis more nostro à Catalauno abest. Incipit enim apud Spinetum, vbi hodie Virginis Deiparæ augustissimum templum visitur, citeriore ætate constructum. Coactúsque est Attila viribus Aëtij & Visigothorum, fortiter tamen dimicando, petere salutis causa tumulum paulo editiorem, siue collem duabus leucis à Spineto distantem, præaltis tamen fossis cinctum, in quibus aquæ residis copia stagnaret, Alpino tunc Catalaunorum Episcopo pias preces pro Romano exercitu ad superos fundente. Hic erat Lupi Tricassini discipulus, propenso ad pietatem & religionem ingenio. Ceterùm Aruerni quidem montium incolæ cùm Mauriacum municipium habeant, & prope Catalaunum celsissimum iugum, & planiciem longè patentem, quam regionem Cathalesiam vocant, & vicum Cantiliacum, quasi Attiliacum, vt ipsi somniant, riuulúmque in illa planicie camporum, idcirco Attilam ibi fuisse victum fingunt: cùm tamen videant Aëtium Ligeris liberatorem à Sidonio suæ gentis Episcopo appellari, quòd transitu Ligeris Hunnorum vires prohibuerit.

B At nec illa quidem prælij descriptio, quam supra polliciti sumus, de se patitur tacere. Scriptores enim habuit diuersis quidem temporibus plures, sed hos potissimum, Idacium qui scripsit vsque ad initium imperantis Anthemij, & generi eius Reichimeris. Alter est Iornandes de rebus Geticis, in cuius libri præfatione Cassiodori Senatoris meminit, librorúmque ab eo editorum de origine actúque Getarum, Iustinianique etiam & Bellisarij victorias attingit. Tertius est Gregorius Turonensis, qui sub filiis Clodouei se vixisse testatur. Quartus Paulus Diaconus sub Carolo Magno. Quintus Freculphus Lexouiensis vir doctissimus, qui sub Ludouico Pio floruit. Idacius ait in hunc modum: "Gens Hunnorum pace rupta ruit in Gallias, quam cùm Aëtius Patricius venientem comperisset, sanctum Anianum Aurelianensem Episcopum ad Theodoricum Regem Gothorum Legatum dirigit, petens auxilia contra Hunnos: si præualeret resistere, mediam partem Galliæ Gothis daret. Cùm à Theodorico Rege huic petitioni annuente auxilium fuisset promissum, Aëtius Legatos mittit ad Attilam Regem Hunnorum, petens obuiam auxilium contra Gothos, qui Gallias conabantur inuadere: si præualeret eos contra Gothos defendere, medietatem Galliæ ab Aëtio perciperet. Attila verò cum Hunnis festinans, nec parcens Ciuitatibus Germaniæ & Galliæ, contra Gothos super Ligerim fluuiũ, nec procul ab Aurelianis, confligit certamen. Cæsa sunt Gothorum ducenta millia hominum. Theodoricus Rex hoc prælio occubuit, cæsa sunt hominum centum sexaginta millia. Ciuitas Aurelianis oratione beati Aniani Episcopi liberata est. Hunni repedantes Trecassis in Mauriacensi consident Campania. Thorismodus filius Theodorici, qui ei successit in Regno, collecto Gothorum exercitu patrem vlcisci desiderans, cum Attila & Hunnis Mauriaci confligit certamen, ibique tribus diebus vtraque phalange inuicem præliantur, & innumerabilis multitudo gentium occubuit. Aëtius cùm esset serenissimus consilio, per noctem ad Attilam veniens, dixit ad eum: Optabile duxeram vt tua virtute regionem hanc à perfidis Gothis potuissem eripere. Sed nullatenus fieri

„ potest vsque nunc, cum minimis pugnatoribus præliasti hac nocte. Theodoricus germanus Thorismundi cum nimia multitudine & fortissimis Gothorum pugnatoribus aduenit. Hæc non sustinebis, atque vtinam euadere possis! Tunc Attila dedit Aëtio decem millia solidorum, vt pro suo ingenio Pannoniam repedaret. Ipsáque nocte Aëtius ad Thorismodum perrexit, dicens ei causam similem, quòd apud vrbes Hunnorum pugnatores vsque nunc pugnauerint. Nam maxima multitudo & fortissimi pugnatores à Pannoniis ipsáque nocte ad Attilam aduenerant. Et audisse fratrem suum Theodoricum in oris Gothorum occupasse Regnum, aut velle arripere, nisi festinus ad recedendum pergeret, & periculum ad declinandum haberet. Accepit idémque Aëtius à Thorismodo decem millia solidorum, vt suo ingenio à persecutione Hunnorum liberati Gothi ad sedes proprias remearent, & protinus abirent. Aëtius verò secum etiam FRANCOS habens, socium post tergum direxit Hunnorum, quovsque Thoringiam à longè persecutus est, præcepitque suis vt vnusquisque nocte vbi manebat decem sparsim focos facerent, vt immensam multitudinem simularent. Quieuit hoc prælium. Aëtij consilio Gallia ab aduersariis liberatur. Postea cùm à Thorismodo Rege & Gothis hæc factio perlata fuisset, requirentes promissionem Aëtij implendam, & ille renueret, per pacis iura orbiculus aureus gemmis ornatus pensans libras quingentas ab Aëtio compositionis causâ transmittitur Thorismodo, & hæc iurgia quieuerunt. Quæ species deuotissimi vsque in hodiernum diem Gothorum thesauri pro ornatu veneratur & tenetur. Hæc de Aëtij prudentia Historicus narrat, quem maximi sanè ingenij virum & altissimi consilij fuisse perspicimus, licèt non putemus id ab eo factum, sed ab aliquo Legato eius? Id enim verisimilius videtur, vt mox dicam. Sed in superiori narratione Idacij illud primùm notandum puto, Attilam contra fidem publicam rupta pace Galliam venisse, quasi iuris sui Prouinciam occupaturum si potuisset. Deinde illud Aëtij, quod Anianum senem misit ad Theodoricum primum Gothorum Regem. Id enim ne in vita quidem ipsius contineri certum est. Sed Sidonius per Auitum præstitum esse supra retulit, vt Gothi aduersus Hunnos traherentur. Etsi verisimile est non esse fictum ab auctore, rem vt acciderat simpliciter narrante, quòd Legati Auitus & Anianus ad Theodoricum illum sint missi eiusdem rei impetrandæ gratiâ, aut separatim destinati vt faciliùs obtinerent. Deinde ait Hunnos & Gothos confluxisse super Ligerim, nec procul ab Aurelia, vbi campi illi ad congrediendum aptissimi, qui Carnutum veteribus, citeriore autem ætate Belsiani à Belsia dicti sunt. Quam vocem Fortunatus Pictauorum Episcopus & genere Italus in vita Germani Parisiorum Episcopi primus quod sciam vsurpauit. Idem & Freculpho visum est de primi certaminis loco. Tertiò cæsa ait à Gothis ducenta millia, & in eo numero Theodoricum fortissimè dimicantem. At de peremptorum numero eo prælio aliter à Iornande relatum infrà dicemus. Mox ait, post eius mortem Thorismodum filium vlturum parentis manes secutum Hunnos, qui in agrum Tricassinum priores ierant, vel fugerant potiùs, consederántque in Mauriacensi Campania: & Mauriaci contra Gothos triduò conflixisse, ibique innumerabilem multitudinem gentium occubuisse. Distant autem Catalauni à Tricassibus itinere vnius diei, & in campis Catalaunicis, qui Mauriaci vocantur, ait prælium ab Attila & Aëtio Gothísque commissum. Tum narrat Aëtium noctu cum Attila colloquutum, quod parum probabile videri potest. Nunquam enim summi duces ductorésque exercitus in ardore & actu ipso belli stantibus odiis hostium suorum fidei sese committunt. Nec virtuti hodie, sed vitio esset duci aliter fecisse, quamuis exitus felix negotij fuisset. Postremo ab Aëtio, qui secum FRANCORVM gentem haberet, eos aduersus fugientes Hunnorum copias vsque in Thuringiam missos, cùm constet ex Sidonio Francos ipsi socios & auxiliares non fuisse. Qua de re etiam quid senserit Iornandes postea dicemus. Nec mirum inter eiusdem rei Scriptores, qui non vno tempore, & procul dissiti regionibus, scripserint, repugnantiam sæpè reperiri: quia non interfuere rei quam narrant, sed ab aliis accepêre, qui nec ipsi viderant. Historia enim quid est aliud quàm depositio testium, vera quidem si testes rem viderunt, aut fidelissimè relatam ab aliis audiuerunt? sin minus, plena mendaciorum narratio est. Cùm autem Idacius ait, Attilæ decem

A millia solidorum ab Aëtio numerata, aureos monetæ solidos intellige. Nam si hoc desit, nimis exiguum id profectò munus erat, vt in Pannoniam rediret. Igitur Hunnorum sedem tunc temporis Pannoniam Idacius putauit. Post eum scripsit de hoc difficili & periculoso ad conficiendum bello Iornandes Rauennas Episcopus, à quo Paulus Diaconus mutuo accepit quicquid de hac pugna loquitur, etsi aliis ferè vtitur verbis & stylo multo suauiore. Attila, inquit, primas mundi gentes Romanos VVisigothósque subdere peroptabat. Cuius exercitus quingentorum millium esse numerus ferebatur. Vir in concussionem gentis natus in mundo, terrarum omnium metu. qui nescio qua sorte tenebat cuncta formidabili de se opinione vulgata. Erat namque superbus incessu, huc atque illuc circumferens oculos, vt elati potentia ipso quoque motu corporis appareret. Bellorum quidem amator, sed ipse manu temperans, consilio validissimus, supplicantibus exorabilis, propicius in fide semel receptis. Forma breuis, lato pectore, capite grandiori, minutis oculis, rara barba, canis aspersus, simo naso, teter colore, originis suæ signa restituens. Attila igitur dudum bella concepta Genzerici redemptione parturiens, Legatos in Italiam ad Valentinianum Principem misit, serens Gothorum Romanorúmque discordiam: vt quos prælio non poterat concutere, odiis internis elideret: asserens se Reip. eius amicitias in nullo violare, sed contra Theodoricum VVisigothorum Regem sibi esse certamen, vnde eum eripi libenter optaret. Cetera Epistolæ vsitatis sententiarum blandi-
B mentis oppleuerat, studens fidem adhibere mendacio. Pari etiam modo ad Regem VVisigothorum Theodoricum dirigit scriptum, hortans vt à Romanorum societate discederet, recolerétque prælia quæ paulò ante contra eum fuerant concitata sub nimia feritate. Homo subtilis, antequam bella gereret, arte pugnabat. Tunc Valentinianus Imperator ad VVisigothos, eorúmque Regem Theodoricum, Legationem direxit. Producitur itaque à Rege Theodorico VVisigothorum innumerabilis multitudo, qui quatuor filiis domi dimissis, id est Friderico, Thierrico, Rotemero & Gimmerit, secum tantum Torismodum maiorem natu participem laboris assumit. Felix præcinctus auxiliantium suaue collegium habere, & solatia illorum, quibus delectat ipsa etiam simul subire discrimina. A parte verò Romanorum tanta Patricij Aëtij prouidentia fuit, cui tunc innitebatur Respub. Hesperiæ plagæ, vt vndique bellatoribus congregatis aduersus ferocem & infinitam multitudinem non impar occurreret. His enim adfuere auxiliares Franci, Sarmatæ, Armoritiani, Litiani, Burgundiones, Saxones, Riparioli, Ibriones quondam milites Romani, tunc verò iam in numero auxiliariorum exquisiti, aliæque nonnullæ Celticæ, vel Germanicæ nationes. Ac ne hoc quidẽ silentio inuoluendum est, quod ait: Conuenitur in cãpos Catalaunicos, qui & Mauriaci * nominantur, centum leugas, vt Galli vocant, in longum tenentes, & septuaginta in latum. Leuga autem Gallica mille & quingentorum passuum
C quantitate metitur. Fit ergo area innumerabilium populorum pars illa terrarum. Conferuntur acies vtræque fortissimæ, nihil subreptionibus agitur, sed aperto Marte certatur. Sangibanus autem Rex Alanorum metu futurorum perterritus, Attilæ, (ei) se tradere pollicetur, & Aureliam Ciuitatem Galliæ, vbi tunc consistebat, in eius iura transducere. Quod vbi Theodoricus & Aëtius agnouere, magnis aggeribus eandem vrbem ante aduentum Attilæ obstruunt, suspectúmque custodiunt Sangibanum, & inter suos auxiliares medium statuunt cum propria gente. Igitur Attila Rex Hunnorum tali perculsus euentu, diffidens suis copiis, metuens inire conflictum, intúsque fugam reuoluens ipso funere tristiorem, statuit per Aruspices futura inquirere. Qui more solito nunc pecorum fibras, nunc quasdã venas in abrasis ossibus intuentes, Hunnis infausta denuntiant. Hoc tamen quantulum prædixere solatij, quod summus hostium ductor de parte aduersa occumberet, relictáque victoria sui morte triumphum fœdaret. Cúmque Attila necem Aëtij, quòd eius motibus obuiabat, vel cum sua perditione duceret expetendam, tali præsagio sollicitus, vt erat consiliorum in rebus bellicis exquisitor, circa nonam diei horam prælium sub trepidatione committit, vt si non secus cederet, nox imminens subueniret. Conuenere partes, vt diximus, in campos Catalaunicos. Erat autem positio loci, decliui tumore, in modum collis excrescẽs. Quem vterque cupiens exercitus obtinere, quia loci opportunitas non paruum

* Mauricij.

„ beneficium conferret, dextram partem Hunni cum suis, sinistram Romani & A
„ VVisigothi cum auxiliariis occuparunt. Relictóque de cacuminis eius iugo certamen ineunt. Dextrum itaque cornu cum VVisigothis Theodoricus tenebat, sinistrum Aëtius cum Romanis, collocantes in medio Sangibanum, quem superiùs retulimus præfuisse Alanis, prouidentes cautioni militari, vt eum, de cuius animo minus præsumebant, fidelium turbâ concluderent. Facilè namque assumit pugnandi necessitatem, cui fugiendi imponitur difficultas. E diuerso verò fuit Hunnorum acies ordinata, vt in medio Attila cum suis fortissimis locaretur: sibi potiùs Rex hac ordinatione prospiciens, quatinus inter gentis suæ robur positus, ab imminenti periculo redderetur exceptus. Cornua verò eius multiplices populi, & diuersæ nationes, quas ditioni suæ subdiderat, ambiebāt. Inter quos Ostrogothorum præeminebat exercitus, Vualamire & Theodomire, & VVidemire germanis ductantibus, ipso etiam Rege, cui tunc seruiebant, nobilioribus: quia Amalorum generis eos potentia illustrabat. Erátque & Gepidarum agmine innumerabili Rex ille fortissimus & famosissimus Ardaricus, qui ob nimiam suam fidelitatem erga Attilam eius consiliis intererat. Nam perpendens Attila sagacitatem suam, cum & VValamirem Ostrogothorum Regem super ceteros Regulos diligebat. Erat namque VValamir secreti tenax, blandus eloquio, doli ignarus: Ardaricus fide & consilio, vt diximus, clarus. Quibus non immeritò contra parentes VVisigothos debuit credere pugnaturus. Reliqua autem si dici fas est, turba Regum, diuersarúmque nationum ductores, ac si satellites, nutibus Attilæ attendebant: & vbi oculo annuisset, sine vlla murmuratione cum timore & B
tremore vnusquisque astabat, aut certè quod iussus fuerat exequebatur. Sed solus Attila Rex omnium Regum super omnes, & pro omnibus sollicitus erat. Fit ergo de loci, quem diximus, opportunitate certamen. Attila suos dirigit, qui cacumen montis inuaderent, sed à Thorismodo & Aëtio præuentus est. Qui reluctati collis excelsa vt conscenderent, superiores effecti sunt: venientésque Hunnos montis beneficio facilè turbauere. Tunc Attila cùm videret exercitum causa præcedente turbatum, suos verbis accendit, inque pugnam cuncti præcipitantur. Et quamuis haberet res ipsa formidinem, præsentia tamen Regis cunctationem hærentibus auferebat. Manus manibus congrediuntur, bellum atrox, multiplex, immane, pertinax, cui simile nulla vsquam narrat antiquitas, vbi talia gesta referuntur, vt nihil esset quod in vita sua conspicere potuisset egregius, qui huius miraculi priuaretur aspectu. Nam si senioribus credere fas est, riuulus memorati campi humili ripa prolabens, peremptorum vulneribus sanguine multo prouectus, non actus imbribus vt solebat, sed liquore concitatus insolito, torrens factus est cruoris augmento. Et quos illic coëgit in aridam sitim vulnus inflictum, fluenta mixta clade traxerunt. Ita constricti sorte miserabili sordebant, potantes sanguinem, quem fudere sauciati. Hic Theodoricus Rex dum adhortans discurreret exercitum, equo depulsus, pedibúsque suorum conculcatus, vitam matura senectute conclusit. Alij verò dicunt eum in- C
terfectum telo Andagis de parte Ostrogothorum, qui tunc Atilanum sequebantur regimen. Hoc fuit quod Attilæ præsagio Aruspices priùs dixerant, quamquam ille de Aëtio suspicaretur. Tunc VVisigothi diuidentes se ab Alanis inuadunt Hunnorum cateruas, & pene Attilam trucidassent, nisi prouidus priùs fugisset, & se suósque illicò intra septa castrorum, quæ plaustris vallata habebat, reclusisset. Quamuis fragile munimentum, tamen quæsierunt subsidium vitæ, quibus paulò ante nullus poterat naturalis agger obsistere. Thorismodus autem Regis Theodorici filius, qui cum Aëtio collem anticipans hostes de superiori loco proturbauerat, credens se ad agmina propria peruenire, nocte cœca ad hostium carpenta ignarus incurrit. Quem fortiter dimicantē quidā capite vulnerato equo deiecit, suorúmque prouidentia liberatus, à præliandi intentione desiit. Aëtius verò similiter noctis confusione diuisus, cùm inter hostes medios vagaretur, trepidus ne quid incidisset Gothis inquirens, tandémque ad socia castra perueniens, scutorum defensione reliquum noctis transegit. Postera die luce orta, cùm cadaueribus plenos campos aspicerent, nec audere Hunnos erumpere: suam arbitrantur esse victoriam, scientésque Attilam nonnisi magna clade confusum bello confugisse: cùm tamen nihil ageret vel prostratus abiectum, sed

strepens

A strepens armis tubis canebat, incussionémque minabatur : velut leo venabu-
lis pressus, speluncæ aditus obambulans, nec audet insurgere, nec desinit fre-
mitibus vicina terrere. Sic bellicosissimus Rex victores suos turbabat inclusus.
Conueniunt itaque Gothi Romanique, & quid agerent de superato Attila deli-
berant. Placet obsidione fatigari, qui annonæ copiam non habebat, quando ab
ipsius sagitariis intra septa castrorum locatis, crebris ictibus arceretur accessus.
Fertur autem desperatis in rebus prædictum Regem adhuc & in supremo magna-
nimum equinis sellis construxisse piram, seséque, si aduersarij irrumperent, flam-
mis iniicere voluisse, ne aut aliquid eius vulnere lætaretur, aut in potestatem
tantorum hostium Gentium Dominus perueniret. Verùm inter has obsidio-
num moras VVisigothi Regem, filij patrem requirunt, admirantes eius absentiam
dum felicitas fuerit sequuta. Cùmque diutius exploratum, vt viris fortibus mos
est, inter densissima cadauera reperissent, cantibus honoratum, inimicis spectan-
tibus abstulerunt. Videres Gothorum globos dissonis vocibus confragosos, ad-
huc inter bella furentia funeri reddidisse culturam. Fundebantur lachrimæ, sed
quæ viris fortibus impendi solent. Nostra mors erat, sed Hunno teste gloriosa,
vnde hostium putaretur inclinata fore superbia, quando tanti Regis efferre
cadauer cum suis insignibus inspiciebant. At Gothi Theodorico adhuc iusta
soluentes armis insonantibus Regiam deferunt maiestatem, fortissimúsque Tho-
rismodus benè gloriosus ad manes charissimi patris, vt decebat filium, exequi-
B as est prosequutus. Quod postquam peractum est, orbitatis dolore commotus,
& virtutis impetu, qua valebat, dum inter reliquias Hunnorum mortem patris
vindicare contendit, Aëtium Patricium acsi seniorem, prudentiáque maturum,
de hac parte consuluit, quod sibi esset in tempore faciendum. Ille verò metuens,
ne Hunnis funditus interemptis, à Gothis Romanorum premeretur Imperium,
præbet hac suasione consilium, vt ad sedes proprias remearet, Regnum quod pater
reliquerat arriperet, ne germani eius opibus sumptis paternis VVisigothorum Re-
gnum peruaderent, grauitérque dehinc cum suis, & quod peius est miserabili-
ter pugnaret. Quo responso non ambiguè, vt dictum est, sed pro sua potiùs vtilitate
suscepto, relictis Hunnis, redit ad Gallias. Sic humana fragilitas dum suspicionibus
occurrit, magna plerumque agendo, occasionem rerum intercipit. In hoc enim fa-
mosissimo & fortissimarum gentium bello ab vtrisque partibus centum sexaginta
duo millia cæsa referuntur, exceptis nonaginta millibus Gepidarum & Franco-
rum, qui ante congressionem publicam noctu sibi occurrentes mutuis concidere
vulneribus, Francis pro Romanorũ, Gepidis pro Hunnorũ parte pugnantibus. At-
tila igitur discessione cognita Gothorum, quod de inordinatis colligi solet, & inimi-
corum magis æstimans dolũ, diutiùs se in castra continuit. Thorismodus verò, patre
mortuo in cãpis statim Catalaunicis, vbi & pugnauerat, regia maiestate subuectus,
Tholosam regreditur. Hic licèt fratrum & fortium turba gauderet, ipse tamen sic
C sua initia moderatus est, vt nullius reperiret de Regni successione certamen. Attila
verò nactus occasionem de recessu VVisigothorũ, & quod sæpè optauerat, cernens
hostium solutionem per partes, in Pannoniam rediit. In huius memorabilis prælij
descriptione Iornandes refert id habitum circiter horam nonam diei, eo sensu quo
apud Martialem nona accipitur. Quam sententiam Freculphus probat, & habet
interpretem Paulum, qui asserit pugnam in vesperum die vergente commissam.

Cæsorvm numerus & ex Idacio & ex eodem Auctore cõpluribúsq; aliis quantus
fuerit, non erit difficile dicere. Apud Freculphum cap. XIIII. Tom. II. Hoc, inquit,
bello, centum sexaginta quinque millia ab vtrisque partibus cæsa referuntur, ex-
ceptis quindecim millibus Francorum & Gepidarum, qui mutuis vulneribus con-
ciderunt. Et hic locus satis ostendit apud Iornandem in ea re notarios aberrasse.
Longè enim maiorem interemptorum numerum fuisse narrat. Vter autem vice-
rit, Attila an Aëtius, ex Isidori Hispalensis Chronico liquebit. Gothi, inquit, dimi-
cante Thorismodo Theodorici Regis filio, adeò extitere victores, vt Attila Rex
Hunnorum prælio victus insequentis exercitus nusquam comparuisse dicatur. Et
in antiqua Lupi Historia Auctor ait: Attila fidem tanti viri suscipiens, cùm vellet
proficisci ad Rhenum, publicè se eum dimissurum promisit. nec negatur reditus.
Orátque Hunnus obnixè sanctum virum, vt velit pro se ipso Dominum depre-
cari interprete vsus Staganasio. Vtrum autem credere antiquioribus historicis

oporteat potiùs quàm recentioribus, id nullam dubitationem habet, nec vnquam habuit. Etenim Historiarum scriptores, qui propiores sunt tempori rerum gestarum, veriores debent videri. Nondum enim mendaciis fabulisque anilibus, quas per otium vulgus fingit, locus esse potest, quibus fidem affert apud posteros sola diuturnitas, lapsúsque temporis non modò profana, sed sacra etiam inficiens. Nec enim permiscentur vitis Sanctorum pauciores fabulæ quàm alibi, quia pars earum multis pòst sæculis ab imperitis scripta est ex quotidianis vulgi sermonibus sæpè delirantis, sempérque aliquid adiicientis de suo: sicuti in vita Vrsulæ accidisse existimamus, vbi Auctor, quisquis ille fuit; Cùm „ Vrsula, inquit, Româ rediret, Coloniam pergebat ab Hunnis iam obsessam, vbi „ Princeps Hunnorũ (quẽ tamen nominatim non designat) eam sagitta transfixit, & „ vndecim millia Virginũ exercitus eius dilaniauit, Martiano imperante anno quadringentesimo quinquagesimo secundo. Vnde hic tantus Virginum tenerarum numerus prodierit, quæ pedibus Romam superata montium altitudine ierint, Romáque ad necem Coloniam venerint, ridicula sanè narratio est, compositáque ex anilibus mortalium fabulis. Et Odiliæ marmoreum tumulum sub Pyro in horto ciuis Coloniensis effosso terra repertum est anno millesimo ducentesimo secundo, & in eius vita scriptum reperio, Vrsulæ & Sociarum facta mentione, his quidem verbis ex vita Vrsulæ repetitis: *Post inauditam barbariem, qua feroces Hunnorum phalanges sanctam Vrsulam virginem cruenta cæde peremerunt, Hunni diuino terrore fugati de Coloniæ Agrippinæ expugnatione recessere.* Nolim tamen, nec ausim negare, Vrsulam aliquando fuisse, sed vitam eius omni verisimilitudine carere: & circunstantiis probabilibus destitui, id verissimum mihi sane videtur. Ecquis enim Romanorum Pontificum Cyriacus vmquam dictus est? ne cetera improbem. Neque hanc sententiam displicere cuiquam posse existimo, nisi cui veritas odio erit. Sequitur Gregorins Episcopus Turonensis, quo teste de Attilæ bello loquar. Hunni, inquit, è Pannoniis egressi, vt quidam ferunt, in ipsa sanctæ „ Paschæ vigilia, ad Metensem vrbem, reliqua depopulando perueniunt, traden„ tes vrbem incendio, & populum in ore gladij trucidantes, ipsósque Sacerdotes „ Domini ante sacrosancta altaria perimentes. Deinde paucis interpositis: Hun„ norum Rex à Metensi vrbe e grediens, cùm multas Galliarum ciuitates oppri„ meret, Aureliam aggreditur, eámque maximo arietum impulsu nititur expu„ gnare. Erat autem eo tempore beatissimus Anianus in supradicta vrbe Episco„ pus, vir eximiæ prudentiæ, ac laudabilis sanctitatis, cuius virtutum gesta nobis„ cùm fideliter retinentur. Cúmque inclusi suo Pontifici quid agerent acclama„ rent, ille fisus in Deo monet omnes in orationem prosterni, & cum lachrymis „ præsens semper in necessitatibus Domini auxilium implorare. Denique his vt præ„ ceperat deprecantibus, ait Sacerdos: Aspicite de muro Ciuitatis, si Dei miseratio „ iam succurrat. Suspicabatur enim per Domini misericordiam Aëtium aduenire, „ ad quem & Arelatem abierat, prius suspectus futuri. Aspicientes autem de muro, „ neminem viderunt. Et ille, Orate, inquit, fideliter. Dominus enim liberauit vos „ hodie. Orantibus autem illis, ait: Aspicite iterum. Et cùm aspexissent, neminem vi„ derunt qui ferret auxiliũ. Ait eis tertiò: Si fideliter petitis, Dominus velociter ad„ est. At illi cum fletu & eiulatu magno Domini misericordiã implorabant. Exacta „ quoque oratione tertiò iuxta senis imperiũ aspicientes de muro, viderunt à longe „ quasi nebulam de terra consurgere. Quod renunciantes, ait Sacerdos: Domini au„ xilium est. Interea iam trementibus ab impetu arietum muris, iámque ruituris, ec„ ce Aëtius, & Theudo Gothorũ Rex, ac Thorismodus filius eius, cũ exercitibus suis „ ad ciuitatem accurrunt, versũmq; hostẽ eiiciunt, repelluntq;. Itaq; liberata obtẽtu „ beati Antistitis Ciuitate, Attilam fugant, qui Mauriacum campum adiens, se præ„ cingit ad bellum. Quod hi audiẽtes, se contra eum viriliter præparant. Idẽ Auctor „ paucis interpositis: Aëtius, inquit, cũ Francis Gothísq; coniunctus, aduersus Attilã „ confligit. At ille ad internecionem vastari suum cernens exercitum, fuga dilabitur. „ Theudo verò Gothorũ Rex huic certamini succubuit. Nam nullus ambigit, Hun„ norũ exercitũ obtentu memorati Antistitis fuisse fugatũ. Verùm Aëtius Patricius „ cũ Thorismodo victoriã obtinuit, hostésq; deleuit. Expletóq; bello, ait Aëtius Tho„ rismodo: Festina velociter redire in patriã, ne insistente germano patris Regno pri„ ueris. Hæc ille audiẽs, cũ velocitate discessit, quasi anticipaturus fratrẽ, & prior pa„ tris cathedrã adepturus. Simili & Francorũ Regẽ dolo fugauit. Illis autẽ recedẽtib.

A Aëtius spoliato campo, victor in patriam cum grandi est reuersus spolio. Attila verò cum paucis reuersus est, nec multò pòst Aquileia à Chunis capta, incensa, atque diruta, Italia peruagata atque subuersa. Ex tot descriptionum tam funesti prælij collatione audenter aio, à pluribus Historicis de eadem re numquam similiter scriptum fuisse. Itaque eas iudicio mortalium excutiendas relinquo. Neminem verò Scythia aut maiorem Aëtio, aut Reipubl. vtiliorem vmquam tulit, nec satis dignis laudibus eum prosequi vllius Historici stilus adhuc potuit. Ego vitam eius hîc adiiciam, quod supra pollicitus sum: * * *. * Deest.

ATTILAM ad sedes suas reuersum suprà demonstrauimus. Sed inquietus animus eius in otio diu esse non potuit. Instructo enim exercitu, reparatísque viribus, ad Italiam vexandam proficiscitur, ac primùm Aquileiam obsidet Venetorum Metropolim. Nondum enim Venetiarum vrbs, Orbi hodie notissima, condita erat: nec fuisset fortasse, nisi illum ad perniciem generis humani atque exitium natum mortales compulissent, desertis terris, insulas inuiáque loca ad incolendum quærere, & mari potiùs se ac sua committere, aut nihil, aut certè parum posset. Metu igitur imminentium malorum Venetiæ sensim sunt exortæ, quibus in Europa mirabilius non potest quicquam videri. Aquileia verò diu quidem se ipsa egregiè defendit; sed finis obsidionis funestissimus fuit. Irruptione enim capta, direpta, incensa, vastatáque est, & ceteræ Venetorum vrbes pari calamitate sunt affectæ. Exin Mediolanum Insubrum B Liguriæ caput, & Ticinum, obuiáque passim municipia. Ex Prisco Græco Scriptore Iornandes refert, Attilam, cùm ei in animo esset Romam vastandi, fuisse quosdam ex suis Proceribus qui dissuaderent. Alaricum enim Visigothorum Regem statim post direptam Romam excessisse rebus humanis, quasi irato Deo nefas esset eam obsidere. quantò magis diripere, captámque vastare? Itaque in hac cogitatione defixo, Leo Pontifex magnanimus atque eloquens, precibus ciuium ad Mincium flumen occurrens, Attilam salutauit, paceque Italiæ promissa, & deposito omni furore, vltra Dannubium rediit: minatus grauiora, nisi ad se Honoria Valentiniani Cæsaris soror, Placidiæque filia, cum regalium opum parte matrimonij causâ mitteretur. Quod effectu tamen caruit, vt Priscus narrat. Formosam enim virginem duxit, vinóque & somno victus & resupinus, inundatione, aut ictu sanguinis, vt Suetonij verbo vtar, extinctus est. Ellac filius eius ab Arderico Gepidarum Rege in prælio fortiter pugnans occisus est, fratrésque eius fugati iuxta litus Pontici maris, vbi Gothos primùm sedisse constat. Legi nuper ex Bibliotheca S. Emeriani Reginoburgensis libellum Eugipij Presbyteri de vita Seuerini Monachi, cuius præfatio à Paschasio Diacono scripta est, & primo quidem capite: "Tempore, ait, quo Attila Rex Hunnorum defunctus est, vtraque Pannonia, ceteráque confinia Danubij rebus turbabantur ambiguis. Ac primùm inter filios eius de obtinendo Regno magna sunt exorta certa- B mina. Qui morbo iniquæ dominationis inflati, materiam sui sceleris accepere patris interitum. Septuaginta barbari cum eo ad Italiam pergebant. Inter quos Odouacar, qui postea regnauit in Italia, vilissimo tunc habitu, iuuenis statura procerus aduenerat. Cui vale dicenti Seuerinus ait: Vade ad Italiam vilissimis nunc pellibus coopertus, sed multis citò plurima largiturus" cap. XLV. Rex Odouacer Rugis bellum intulit, eósque deuicit, & Fridericum fugauit, patre eius Faua, & matre Gisa captis, in Italiámque perductis. Is verò Fridericus ad Theodoricum Regem, qui tunc apud nouam Ciuitatem Prouinciæ Mosiæ morabatur, confugit. Hi sunt Odoacer & Theodoricus Rex Ostrogothorum, cuius nomine variarum Epistolæ à Cassiodoro Senatore perscriptæ. Quem Theodoricum Isidorus in Chronico Iuniorem appellat. De quibus suo loco dicemus. Fridericus à fratre suo Rugorum Rege Faua, ex paucis iuxta ripam Danubij oppidis vnum ceperat, iuxta quod Seuerinus Monachus habitabat. Idque capite quadragesimo secundo eiusdem libelli continetur. Quin & illud ex capite vicesimo narrandum putaui: "Per id tempus, inquit, quo Romanum constabat Imperium, multorum milites oppidorum pro custodia limitis publicis stipendiis alebantur. Sulpicium quoque

Seuerum & relationem postliminam citat cap. XXXVI. Nec prætermittam quod A ait XLVII. cap. Gelasij sedis Romanæ Pontificis auctoritate exequias, funúsque eiusdem Seuerini in castello (Campaniæ) Lucullano celebratum, ibique Monasterium exædificatum & constructum fuisse. Id hodie in agro & Campania Neapolitana, abolito Luculli nomine, Seuerini nomen habet, quod pietas & religio dedit. Eugipij quidem Isidorus de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus „ meminit in hunc modum: Eugipius Abbas ad quendam Paschasium Diaconum „ libellum de vita S. Monachi Seuerini transmissum breui stylo composuit. „ Scripsit etiam Regulam Monachis consistentibus in Monasterio sancti Seueri- „ ni, quam eisdem moriens quasi testamentario iure reliquit. Claruit post Consulatum Importuni Iunioris, Anastasio Imperatore regnante. Húncque Eugipij libellum legerat Paulus Diaconus. Ex septimo enim capite accepit quæ de Odoacro suprà narrauimus. Aëtius autem quando cæsus à Valentiniano fuerit, propriáque manu confossus, indicat Sidonius, vbi Romam ita alloquitur:

Iam prope fata tui bissenis vulturis alas
Complebant. Scis namque tuos, scis Roma, labores.
Aëtium Placidus mactauit semiuir amens.

Placidium amentem vocat Valentinianum Placidiæ filium, alio sensu quàm cùm Maiorianum in Panegyrico placidissimum Principem vocauit. Mox de MAXIMO subiungit,

Vixque tuo impositum capiti diadema Petroni B
Illico barbaries, nec non sibi capta videri
Roma Getis, tellúsque suo cessura furori.

Initio Regni Auitum absentem & ignarum ex Præfecto Prætorio Galliæ, Magistrum militiæ designat. Idque Sidonius paucis versibus sic eloquitur.

Princeps iam Maximus vnum
Quod fuit in rebus, peditúmque equitúmque Magistrum
Te sibi Auite legit.

Statímque ad Visigothos fœdus cum iis icturus Maximi nomine, pacémque concessurus, proficiscitur. Quod paucis quoque versibus exponit,

Vesorum Proceres raptim suspendit ab ira
Rumor succincto referens diplomate Auitum
Iam Geticas intrare domos, positáque parumper
Mole Magisterij, Legati iura subisse.
Obstupuêre duces, pariter Scythicúsque Senatus,
Et timuere suam pacem ne fortè negaret.

Nota est Romana vetúsque Inscriptio ad Maximi laudem & gloriam pertinens, quam idcirco exscribendam putaui.

D.D.D.N.N.N. INVICTISSIMI PRINCIPES HONORIVS, C
THEODOSIVS, ET CONSTANTIVS, CENSORES.
REMVNERATORESQVE VIRTVTVM.
PETRONIO MAXIMO V.V.CL. PRÆF. VRB. OB PETITIONEM
SENATVS AMPLISSIMI POPVLIQVE ROMANI STATVAM,
MERITORVM PERENNE MONVMENTVM IN FORO VLPIO
CONSTITVI IVSSERVNT.

Igitur Præfectus vrbi Maximus fuit, qui honos illis temporibus in Republica amplissimus habebatur. Deinde ad Consulatum peruenit. De Imperio eius Sidonius loquitur lib. II. Epistolarum in hunc modum.

Sidonius Serrano suo, Salutem.

„ EPISTOLAM tuam nobis Marcellinus Togatus exhibuit, homo pe- „ ritus, virque amicorum: quæ primoribus verbis salutatione libata, reliquo „ sui tractu (qui quidem grandis est) patroni tui Petronij Maximi Imperatoris „ laudes habebat, quem tamen tu pertinaciùs aut amabiliùs quàm rectiùs ve-

A riúsque felicissimum appellas: propter hoc quippe, cur per amplissimos fascium
titulos fuerit euectus vsque ad Imperium. Sed sententiæ tali numquam ego assentior,
vt fortunatos putem, qui Reipublicæ præcipitibus ac lubricis culminibus
insistunt. Nam dici nequit, quantum per horas fert in hac vita miseriarum, vita
felicium illorum (si tamen sic sunt pronuntiandi, qui sibi hoc nomen, vt Sylla,
præsumunt) nimirum qui supergressi ius fásque commune, summam beatitudinem existimant,
summam potestatem: hoc ipso satis miseriores, quòd parum
intelligunt inquietissimo se subiacere famulatui. Nam sicut hominibus Reges,
ita Regibus dominandi desideria dominantur. Hîc si omittamus antecedentium
Principum casus vel sequutorum, solus iste peculiaris tuus Maximus, maximo
nobis documento poterit esse. qui quamquam in arcem Præfectoriam, Patriciam,
Consularémque intrepidus ascenderat, eósque quos gesserat magistratus seu recurrentibus
orbitis expletus iterauerat: cùm tamen venit omnibus viribus ad
principalis apicis abruptum, quandam potestatis immensæ vertiginem sub corona
patiebatur, nec sustinebat Dominus esse, qui non sustinuerat esse sub Domino.
Denique require in supradicto vitæ prioris gratiam, potentiam, diuturnitatem,
éque diuerso Principatus paulò ampliùs quàm bimestris originem, turbinem,
finem: profectò inuenies hominem beatiorem priùs fuisse, quàm beatissimus
existimaretur. Igitur ille, cuius anteriùs epulæ, mores, pecuniæ, fasces,
B pompæ, literæ, patrimonia, & patrocinia florebant, cuius ipsa sic denique spacia
vitæ custodiebantur, vt per horarum dispositas clepsydras explicarentur: Is nuncupatus
Augustus, ac sub hac specie Palatinis liminibus inclusus, ante crepusculum
ingemuit, quòd ad vota peruenerat. Cúmque mole curarum pristinæ
quietis tenere dimensum prohiberetur, veteris actutum regulæ legibus renuntiauit,
atque prospexit pariter ire non posse negotium Principis, & ocium Senatoris.
Nec fefellerunt futura mœrentem. Namque cùm ceteros aulicos honores
tranquillissimè percucurrisset, ipsam Aulam turbulentissimè rexit, inter tumultus
militum, popularium, fœderatorum. quod & exitus prodidit nouus, celer,
acerbus: quem cruentauit fortunæ diu lenocinantis perfidus finis, quæ virum,
vt scorpius, vltima sui parte percussit. Dicere solebat vir literatus, atque ob ingenij
merita Quæstorius, partium certè bonarum pars magna, Fulgentius, ore se
ex eius frequenter audisse, cùm perosus pondus Imperij veterem desideraret
securitatem: Felicem te, ait, Damocles, qui non longiùs prandio Regni necessitatem
tolerauisti. Iste enim (vt legimus) Damocles Prouinciâ Siculus, vrbe
Syracusanus, familiaris tyranno Dionysio fuit. Qui cùm nimiis laudibus bona
patroni, vt cetera, scilicet inexpertus, efferret: Vis, inquit Dionysius, hodie
saltem in hac mensa bonis meis ac malis pariter vti? Libenter, inquit. Tum ille
confestim lætum clientem, quamquam & attonitum, plebeio tegmine erepto,
muricis Tyrij, seu Tarentini, conchyliato ditat indutu: & renidentem gemmis,
C margaritísque, aureo lecto sericatóque toreumati imponit. Cúmque pransuro
Sardanapalitium in morem, panis daretur è Leontina segete confectus, insuper
dapes cultæ ferculis cultioribus apponerentur: spumarent falerno gemmæ capaces,
inque crystallis calerent vnguenta glacialibus, hinc suffita cinnamo ac
thure cœnatio spargeret peregrinos naribus odores, & madescentes nardo capillos
circumfusa serta siccarent: cœpit supra tergum sic recumbentis repente vibrari
mucro districtus è lacunaribus, qui videbatur in iugulum purpurati iamiámque
ruiturus. Nam filo equinæ setæ ligatus, & ita pondere minax, vt
acumine, gulam formidolosi Tantaleo frenabat exemplo, ne cibi ingressi per
ota, per vulnera exirent. Vnde post mixtas fletibus preces, atque multimoda
suspiria, vix absolutus, emicatímque prosiliens, illa refugit celeritate diuitias,
deliciásque regales, qua solent appeti. Reductus ad desideria mediocrium
timore summorum, & satis cauens, ne beatum vltra diceret, ducerétque, qui
septus armis ac satellitibus, & per hoc raptis incubans opibus, ferro pressus,
premeret aurum. Quapropter ad statum huiusmodi, domine frater,
nescio an constet tendere beatos, patet certè miseros peruenire.
Vale.

SVPERIORE quidem Epistola Principatum petitioni Maximi paulò ampliùs
quàm duorum mensium fuisse tradit: ac quem habuerit exitum vitæ Idacius me-

moriæ mandauit. Valentinianus, inquit, Imperator occiditur, postquam Maximus A ex Consule quadragesimus septimus Romæ Augustus appellatur. Qui cùm Imperator factus esset, relictam Valentiniani sibi duxit vxorem, & quarto Regni sui mense in vrbe Roma tumultu militari occiditur. Paulus Diaconus nescio quem sequutus: Mortuo, inquit, Valentiniano, Regia iura Maximus inuadens, necdum duobus expletis mensibus à Romanis peremptus est. Hæc ille libro v. tempori detrahens quod à Sidonio Epistola illa definitum erat. Iornandes quoque, Valentinianus, ait, Imperator dolo Maximi occisus est, & ipse Maximus Tyrannico more Regiam inuasit. Quod audiens Gensericus Rex Vandalorum, ab Africa armata classe in Italiam venit, Romámque ingressus cuncta vastat. Maximus verò fugiens, à quodam Vrso milite Romano interemptus est. Hæc Iornandes. Nec de breuitate Imperij loquitur. Credendum igitur Sidonio est, qui Serrani serui Petronij Epistolam de rebus eius se accepisse prædicat. Vix autem vllus Historiarum Scriptor in aliqua rerum gestarum circunstantia non peccauit. Etenim in minimis rebus errare facilius est, quàm in magnis. Nam magnitudo pereminet, minima latent, latendóque fugiunt auctores Historiarum, etsi industrios. Maximus per tyrannidem Valentinianum peremit, & Eudoxiæ sociatus Imperium quoque obtinuit. Per quæ namque quis peccat, per ea quoque corripitur. Inter hæc ergo Eudoxia coarctata, nullum fore auxilium à Bisantio, Theodosio patre suo & Pulcheria defunctis, existimans, accersit Gensericum ad vrbem Romam, rogãs ex Maximi tyrannide liberari. Magna verò cum classe Gezericum Romã nauigantem Maximus timens fugâ vsus est. Hi verò qui cum ipso erant interemerunt eum. B Propterea Gensericus nemine sibi resistente introiuit Romam tertia die Maximi fugæ, & sublatis omnibus pecuniis, & ciuitate mirante, in nauésque receptis, in quibus erant Ecclesiastica cimilia, tota ex auro & lapidibus preciosis ornata, & vasa Hebraica quæ Titus Vespasiani filius post captiuitatem Hierosolymorum Romam detulerat, vnà cum Eudoxia Imperatrice ac filiabus eius in Africam migrauit. Hæc ad annum à partu Virginis CCCCXLV. quo Pulcheria decessit, Anastasius narrat, simul quod sequitur de Martiano. Erat Martianus admodum religiosus ac timens Dominum, qui in letanias campi pedes incedebat, multa egentibus beneficia præstans. Quod intuens Anatolius Patriarcha, & ipse de cetero non phorio portatus secundum morem, sed pedes letanias faciens incedebat. Vsque adeò exempla piorum Principum ipsi Religioni prosunt, & immutant ea quæ Christum nec fecisse, nec discipulos suos vmquam docuisse manifestum est.

MAXIMI successor AVITVS fuit, patriâ Aruernus, apud Aruernum municipium natus, cui hodie Claromontis nomen est, prope Gergouiam veterem sito, de quo in commentariis Iulij Cæsaris mentio fit. Maiores clarissimos habuit. De his Sidonius in Panegyrico.

rutilat cui maxima dudum
Stemmata complexum germen, palmata cucurrit
Per proauos, gentisque suæ te teste Phylagri C
Patricius resplendet apex.

Qua de re loquitur Epistola III. lib. II. ad Felicem, cùm ait: Gaudeo te, Domine maior, amplissimæ dignitatis infulas consecutum. Nam licet in præsentiarum sis potissimus magistratus, & in lares Philagrianos Patricius apex tantis post seculis tua tantùm felicitate remeauerit. Cetera nota erunt, si Epistolam ipsam legeris. Matri eius quod nomen fuerit nescio, sed de ea sunt hi versus.

Soluerat in partum generosa puerpera cassi
Ventris onus, manifesta dedi mox signa futuri
Principis.

Hæc socrus Sidonij fuit, de cuius hæreditate Epistola ad Lampridium Oratorem & Poëtam egregium IX. libri VIII. pauca dicuntur. Pater

Iuuit fortunam studio. Lactentia primùm
Membra dedit niuibus, glaciémque irrepere plantis
Iussit, & attritas paruum ridere pruinas.
Surgentes animi Musis formantur, & illo
Quo Cicerone tonas: dedicit quoque facta tuorum

Ante ducum, didicit pugnas, libróque relegit
Quæ gereret campo. Primus vix cœperat esse,
Ex infante puer, rubidam cùm forte cruentis
Rictibus, atque escas ieiuna fauce parantem
Plus catulis, strauit (fuerant nam fragmina propter)
Arrepta de caute lupam, factúsque molari
Dissoluit vertex, & saxum vulnere sedit.

Quorum versuum, vt breuiter dicam, hic sensus est. Pater eius niuibus, glaciei, & pruinis eum infantem, vt robustiorem redderet, exponi sæpe iussit. puerum literis informauit, & Ciceronianæ eloquentiæ præceptis imbui curauit, historiæque veteris cognitione. Et cùm ex infante vix puer esset, lupam rabidam deiecto in eam prægrandi saxo feliciter mactauit, summa eorum qui intererant admiratione. Venandique studia amplexus, apros & id genus prædæ ad paternos lares deferre erat solitus. Insuper accipitriæ studium auidè amplectebatur.

Nec minus hæc inter, ciuilia Iura secutus,
Eligitur primus, iuuenis, solus, mala fractæ
Alliget vt patriæ, poscátque informe recidi
Vectigal. Procerum tum forte potentior illic,
B *Post etiam Princeps, Constantius omnia præstat,*
Indole defixus tanta, & miratus in annis
Paruis grande bonum, vel in ore precantis ephœbi
Verba senis. -----

Deinde bellis in Gallia inter Romanos & Visigothos exortis, eò ventum est, vt Gallia obsides pacis Theodorico Regi dare cogeretur. Quo in numero fuit Theodorus propinquus Auiti nobilissimus. Id officium Rex ille ferox naturâ admodum probauit. Aëtium postea secutus est, vt indicant hi versus:

Aëtium interea Scythico quia sæpè duello
Edoctus, sequeris: qui quamquam celsus in armis,
Nil sine te gessit, cùm plurima tu sine illo.
Nam post Iuthungos & Norica bella, subacto
Victor Vindelico, Belgam, Burgundio quem tunc
Presserat, absoluit iunctus tibi. vincitur illic
Cursu Herulus, Chunus iaculis, Francúsque natatu,
Sauromata clypeo, Salius pede, falce Gelonus.

Mox Sidonius addit:

Noua bella iterum, pugnámque sub ipsis
Iam patriæ muris periturus commouet hostis.
Lithorius Scythicos equites tum fortè subacto
B *Celsus Aremorico, Geticum rapiebat in agmen*
Per terras, Aruerne, tuas: qui proxima quæque
Discursu, flammis, ferro, feritate, rapinis,
Delebant, pacis fallentes nomen inane.

Quorum versuum hæc est sententia. Lithorius deuicta ac domita Britonum insolentia & rebellione, equitatum Scythicum in agrum Volcarum, qui Gothi Sidonij temporibus iam appellabatur, secum ducebat, & agros Aruernorum ferro atque igni populabatur. Contra quem Auitus Aruernum patriam egregiè defendit. Præfectus verò cùm esset Lithorius, à Gothis captus est. Quod his quoque versibus exponit.

Intemerata mihi Præfectus iura regebat,
Et caput hoc sibimet solitis defessa ruinis
Gallia suscipiens, Getica pallebat ab ira.
Nil prece, nil pretio, nil milite fractus agebat
Aëtius. capto terrarum damna patebant
Lithorio, in Rhodanum proprios producere fines
Theudoridæ fixum, nec erat pugnare necesse,
Sed migrare Getis. -----

AVITVS igitur iratum & victorem Theodoricum adiit, tantúmque apud eum potuit, vt fœdus inter Visigothos & Valentinianum Aëtiúmque nouaretur. Tunc Præfecturæ dignitate functus ruri se dedit. Nunquam tamen otiosus fuit, sed armorum cura & studium in eo licèt quieto perstitit, donec venientis in Galliam Attilæ iámque imminentis mortalium ceruicibus rumor exauditus est. Tunc ab Aëtio ad Theodoricum missus, dicendo persuasit, vt iunctis viribus inundationi barbarorum, incendióque patriæ simul occurrerent; vt suprà demonstrauimus ex fine Carminis VII. ad Auitum. Panegyricum Sidonius Auito quidem Romæ dixit, eique vt socero inscripsit, ex post facto tamen. Verisimile enim est, si gener tunc fuisset, de Hecditio Auiti filio, déque Papianilla vxore sua aliquid dicturum, cùm neque hi degeneres haberentur, & Sidonius ipse ex Præfecto Prætorio Apollinari nepos, patre Notario Valentiniani tertij illustri genere natus esset. Id tamen verum est, quod audenter iterum dicimus, Papianillam vxorem Sidonij fuisse, & Auitacum villam vxorij iuris habuisse, & Hecditium sororium militari ingenio virum. De quibus in Annalibus gentis Francorum iam copiosè diximus ex Epistola tertia libri I. tertia libri III. decima sexta lib. V. Consulem eum fuisse initio Panegyrici Sidonius non tacuit. Nam de Roma loquens,

-------Cui fixus ab ortu
Ordo fuit creuisse malis, modò Principe surget
Consule. Nempe, Patres, collatos cernere fasces
Vos iuuat, & sociam sceptris mandasse curulem.

Et paulò infrà:

------ Iam necte bifrontes
Anceps Iane comas, duplicique accingere lauro.
Principis anterior iam Consulis iste coruscat
Annus, & emerita trabeis diademata crescunt.

Ceterùm, ne quis putet Sidonianis Panegyricis, nisi quatenus consentiunt cùm ceteris Historiarum Scriptoribus, fidem à me habitam, audiat quid mihi rescripserit Balduinus, cuius auditor fui, Historicus simul & Iurisconsultus insignis. » Panegyrici, inquit, Sidoniani habent aliquid Rhetorum & Poëtarum. Itaque » meminerimus, antequam his vtamur, cauendum esse ne nos ipsi decipiamus, vbi » de fide historiæ quæritur, sicut & Cicero de funebribus orationibus ait. Ad Petronium Maximum redeo, qui Auitum quidem instituit Magistrum peditum atque equitum. Quo honore suscepto, ad Visigothos properat, præmisso Messiano Patritio, qui non bellum illis, sed pacem offerret. Ingressique sunt Tholosam Auitus, Theodoricus secundus, fraterque eius Fricdaricus. idque vno versu à Poëta dictum est:

Palladiam implicitis manibus petiere Tholosam.

Quam vrbem eo sensu vocat, quo Martialis Poëta multis antè seculis appellarat.

INTEREA Gensericus VVandalorum Rex furtiuis armis Romam incautam capit, iam ab Alarico direptam, quem annum huius Theodorici secundi fuisse dicit, eique Auitus narrauit obsidionem Narbonis oppidi à patre eius factam, cùm ipse adhuc infans esset, flerétque nisi admotus pectori manibus eius teneretur, quem altrix, siue ea nutrix tantùm, siue mater fuit, etsi repugnantem tradebat. Ciues quoque Narbonenses ob summam inopiam annonæ redactos ad vsum cibariorum infamem. Victus tamen consilio prudenti & hortatu Auiti obsidionem soluit, ipséque Theodoricus secundus Auito palam dixit, per illum Romana sibi iura legésque placuisse, paruúmque ediscere à patre iussum verbis Auiti persuaso, Poëtica Publij Virgilij studia ad mitigandos mores necessaria. Hortatus igitur Auitum est, vt Augusti nomen honorémque acciperet. Satis supérque passum Imperium sub Valentiniano Principe adhuc puero. Tempus esse vt ad viros supposito omni ambitu redeat, idque æquum videri, vt dubio tempore Regnum accipiat ab ignauo, speretque à Gothis auxilium. Itaque AVITVS Cæsar in Galliis est designatus, Theodorico illi tenente quod à Sidonio in Panegyrico Maioriani scriptum legimus, & apud Idacium, Marcianum & Auitum concordes Principatu Romano & Imperio vsos. Ad hunc ab illo Legationem esse missam, itémque huius ad Theodoricum cum sacris muneribus, nuntiantem.

A in Septa* cæsam multitudinem VVandalorum. Nec integro anno vno imperasse cum liquet, sed abdicatum à Ricimere in gratiam Maioriani postea Cæsaris anno quadringentesimo quinquagesimo sexto. Sed Gregorium audiamus ciuem Aruernum. Præstat enim loquentem audire, quàm multos simul Historicos. In libro II. Auitus, ait, vnus ex Senatoribus, & vt valde manifestum est, ciuis Aruernus, cùm Romanum ambiisset Imperium, luxuriosè agere volens, à Senatoribus eiectus, apud Placentiam vrbem Episcopus ordinatur. Comperto autem quòd adhuc indignans Senatus vita eum priuare vellet, Basilicam Sancti Iuliani Aruerni Martyris cum multis muneribus expetiuit. Sed impleto in itinere vitæ cursu obiit, delatúsque ad Briuatensem vicum (secundùm Elauer flumen Aruernorum) ad pedes antedicti Martyris est sepultus. Cui Maiorianus successit. In Galliis autem Ægidius ex Romanis Magister militum datus est.

IVLIVS VALERIVS MAIORIANVS, vt antè dixi, ad Imperium peruenit, de cuius auo materno primùm, postea de patre dicamus necesse est. Maiorianum igitur auum habuit. Hoc indicant ex Sidonio versus illi,

Fertur, Pannoniæ qua Martia pollet Acincus,
Illyricum rexisse solum, cum tractibus Istri,
Huius auus. Nam Theudosius quo tempore Sirmi
Augustum sumpsit nomen, per vtramque Magistrum
B *Militiam ad partes Regni venturus Eoas*
Maiorianum habuit. Latiis sunt condita fastis
Facta ducis.------

De patre eius Valerio viro claro idem Auctor etiam loquitur,

Hunc socerum pater huius habet, vir clarus, & vno
Culmine militiæ semper contentus, vt vnum
Casibus in dubiis iunctus sequeretur amicum.
Non semel oblatis tentauit fascibus illum
Aëtio rapere Aula suo: Sed perstitit ille
Maior honoratis. cœpit pretiosior esse,
Sic pretio non capta fides, erat ille quod olim
Quæstor Consulibus, tractabat publica iure
Aëra suo: tantúmque modum seruabat, vt illum
Narraret rumor iam rebus parcere nati.

Accidit vt vxor Aëtij adolescenti inuideret propter Gaudentium filium, cuius gloriam ille superaturus videbatur. Igitur ægrè tulit à viro magnifieri, quem ad eius cædem impellebat. Ceterùm Aëtius virtutem non in se solùm, sed in aliis quoque mirabatur. Paruo admodum tempore post Turones à se defensos absente Maioriano ad pugnam aduersus FRANCOS inuitissima vxore secum duxit, Quod prælium à Sidonio quoque describitur,

C *-------cùm bella timentes*
Defendit Turonos, aberas. post tempore paruo
Pugnastis pariter Francus qua CLOIO patentes
Atrebatum terras peruaserat. hic coeuntes
Claudebant angusta vias, arcúque subactum
Vicum Helenam, fluménque simul sub tramite longo
Artus suppositis trabibus transmiserat agger.
Illic te posito, pugnabat ponte sub ipso
Maiorianus eques. Fors ripæ colle propinquo
Barbaricus resonabat hymen, Scythicísque choreis
Nubebat flauo similis noua nupta marito.
Hos ergo, vt perhibent, strauit. crepitabat ad ictus
Cassis, & oppositis hastarum verbera thorax
Arcebat squamis, donec conuersa fugatus
Hostis terga dedit. plaustris rutilare videres
Barbarici vaga festa thori, coniectáque passim
Fercula, captiuásque dapes, cirróque madente
Ferre coronatos redolentia serta lebetas.

Ilicet increscit Mauors, thalamísque refringit
Plus ardens Bellona faces, rapit essedа victor,
Nubentémque virum.------

Post quam pugnam dimisso exercitu Aëtius Maiorianum militiâ abstinere iussit, monitum vt in otio ius Romanum alacriter amplecteretur, & honesta studia adolescentiæ congrua probaret, vt diligenter ab eo factum est.

Principis interea gladio lachrymabile fatum
Clauserat Aetius. cuius quo tutius ille
Magna Palatinis coniungeret agmina turmis,
Euocat hunc precibus. Sed non se pœna moratur
Sanguinis effusi. numerum collegerat ergo,
Non animum populi. ferri mala crimina ferro
Soluit, & in nostram post concidit ille ruinam.

Aëtio postea à Cæsare perempto, rursum ad militiam ardens Maioriani animus rapiebatur,

-------conscenderat Alpes
Rhatorúmque iugo per longa silentia ductus
Romano exierat populato trux Alamanus,
Pérque Canis dictos quondam de nomine campos,
In prædam centum nouies dimiserat hostes.
Iámque Magister eras, Burconem dirigis illò
Exigua comitante manu.-------
------felix te respicit iste
Euentus belli, certatum est iure Magistri
Augusti fato.------

Ex quibus versibus apparet Magistrum militiæ Maiorianum aduersus Alemanos missum fuisse, qui Romana oppida populatum direptúmque venerant, quos virum fortem Burconem vsque ad Rhætos insequi iussit, vbi ex eorum numero nongenti milites sunt cæsi. Tandem ex Magistro militum omnium consensu Imperator nuntiatus est, quod his versibus exponitur.

-----nuper post hostis aperto
Errabat lentus pelago, postquam ordine vobis
Ordo omnis Regnum dederat, plebs, curia, miles,
Et Collega simul.-------

Verùm multò meliùs Maiorianus ipse narrabit, quomodo ad Imperij fastigium dignitatémque peruenit.

Imp. Maiorianus A. ad Senatum.

» IMPERATOREM me factum P.C. vestræ electionis arbitrio, & fortissimi exercitus ordinatione agnoscite. Adsit ordinationi omnium propitia diuinitas, quæ Regni nostri augeat pro vestra vtilitate & publica successus, qui ad sustinendi Principatus apicem non voluntate mea, sed obsequio publicæ deuotionis accessi: ne aut mihi soli viuerem, aut ingratus Reipublicæ, cui natus sum, sub hac recusatione iudicarer. Dicatis quoque Ianu. Calendis suscepti feliciter Consulatus ereximus fasces, vt primus annus nascentis Imperij nostri incrementa suscipiens, nostro etiam nomine signaretur. Fauete nunc Principi quem fecistis, & tractandarum rerum curam participate nobiscum, vt Imperium, quod mihi vobis adnitentibus datum est, studiis communibus augeatur. Præsumite iustitiam nostris vigere temporibus, & sub innocentiæ merito proficere posse virtutes. Nemo delationes metuet, quas è priuatis in aliorum moribus condemnauimus, & nunc specialiter persequimur. Nullus calumnias reformidet, nisi quas ipse commouerit. Apud nos cum patre Patriciόque nostro Richemere rei militaris peruigil cura Romani Orbis statum, quem communibus excubiis, & ab externo hoste & à domestica clade liberauimus, propitia diuinitate seruemus. Puto institutionis nostræ vobis inesse notitiâ, quam mihi amore vestrûm vitæ & periculorum quondam socius indubitanter expondeo. Enitar tamen rebus communibus, si superna concesserint auctoritate Principis & obsequio Collegæ, vt vestrum in me vobis non possit displicere iudicium. Et manu diuina. Optamus vos felicissimos &

A florentissimos per multos annos. Bene valete, sanctissimi ordinis Patres Conscripti. Dat. Id. Ianu. Rauennæ, Maioriano A. I. Coss. Quæ Maioriani narratio exscripta è membranis insignis Ecclesiæ Bellouacorum à Cuiacio Iureconsulto iampridem publicata est cum summa exscribentis laude Antonij Loselli ciuis Bellouaci, Aduocati Parisiensis amici mei.

VANDALI igitur Piratæ ex Africa in Campaniam iuxta Neapolim appulerant. Vnde Sidonius,

------ Campanam flantibus austris
Ingrediens terram, securum milite Mauro
Agricolam aggreditur. pinguis per transtra sedebat
Vandalus operiens prædam, quam iusserat illuc
Captiuo capiente trahi. -----

Contra eos profectus Maiorianus magnam stragem edidit, de qua Poëta.

Vt primùm versis dat tergum Vandalus armis,
Succedit cædes pugnæ discrimine nullo.
----- Videas sic strage sub illa
Vtrorúmque animos. Nullus non pectore cæsus
Quisquis vester erat. Nullus non terga foratus
Illorum quisquis. -----

B Dux eorum Genserici Regis sororem duxerat, de quo ait:

----- Clamant hoc vulnera primi
Prædonum tum fortè Ducis, cui Regis auari
Narratur nupsisse soror, qui puluere cæco
Clausus, & elisus, pilis vestigia turpis
Gestat adhuc probrosa fugæ. Sic agmina vestra
Cum spoliis campum retinent, cum Marte fruuntur.

Per hunc modum subacta prædonum manu, classem aduersus Vandalos ædificari iussit. de qua re idem Poëta sic loquitur,

Interea duplici texis dum littore classem
Inferno superóque mari. ----
Gallia continuis quamquam sit lassa tributis
Hoc censu placuisse cupit, nec pondera sensit.

Post bellum Gentes ad Septentrionem plurimas .... Nam decem & septem numerantur ab Auctore Panegyrici. Præclarum quoque eius factum narrat,

---- Iam castra mouebas,
Et te diuersis stipabant millia signis.
Obsequium gens vna negat, quæ nuper ab Istro
Rettulit indomitum solito truculentior agmen,
Quòd dominis per bella caret, populóque superbo
C *Tuldila plectendas in prælia suggerit iras.*
Hîc tu vix armis positis, iterum arma retractas.
---- primi cadit hostia belli
Quisque rebellis erat. prædam quoque diuidis illis,
Mens deuota quibus fuerat, quæ territa seruit
Exemplo, gaudet pretio. ----
---- vestris hæc proficit armis
Seditio. quodcumque iubes, nisi barbarus audit,
Hîc cadit, vt miles timeat.

Apud Maiorianum autem Quæstor erat & sacri scrinij Magister Nonius Petrus, de quo & Sidonius loquitur his verbis.

Quid loquar hic illum, qui scrinia sacra gubernat?
Qui cùm ciuilis dispenset partis habenas,
Sustinet armati curas, interprete sub quo
Flectitur ad vestras gens effera conditiones.
Quid laudare Petrum paruis temeraria Clio
Viribus aggrederis? cuius dignatur ab ore
Cæsar in orbe loqui? licet & Quæstore diserto
Polleat, attamen hic nuper, placidissime Princeps,

Obside percepto nostra de mœnibus vrbis A
Visceribus miseris insertum depulit hostem.
Et quia lassatis nimium spes vnica rebus
Venisti, nostris petimus succurre ruinis:
Lugdunúmque tuam, dum prateris, aspice victor.
Otia post nimios poscit te fracta labores:
Cui pacem das, redde animum.----
----boue, fruge, colono,
Ciuibus exhausta est. stantis fortuna latebat,
Dum capitur, va quanta fuit? post gaudia, Princeps,
Delectat meminisse mali. populatibus, igni
Etsi concidimus, veniens tamen omnia tecum
Restituis, fuimus vestri quia causa triumphi.
Ipsa ruina placet.----

Quas Lugduni ruinas ignotas omnibus Historicis, etiam Carmine XIII. prosequitur, precésque quas Maioriano supplex obtulit.

Has supplex famulus preces dicauit,
Responsum operiens pium ac salubre,
Vt reddas patriam, simúlque vitam, B
Lugdunum exonerans suis ruinis.
Hoc te Sidonius tuus precatur,
Sic te Sidonio recocta fuco
Multos purpura vestiat per annos.
Sic lustro Imperij perennis acto,
Quinquennalia fascibus dicentur.
Quod si contuleris tuo Poëta,
Mandem perpetuis legenda fastis
Quacumque egregiis geris triumphis.

Patriam verò cùm Lugdunum suam vocat Poëta, & Rhodanusiam, quòd ad confluentes Araris & Rhodani sita sit, non propriè accipiendum est, quasi in ea natus sit. (Aruernum enim oppidulum id sibi iure debet vendicare, quòd Sidonium tulerit:) sed quòd Lugdunum non longè à patria abesset, quódque eam vrbem sæpè incoleret. Ei verò supplici Maiorianus ignouit. Quod in Præfatione Panegyrici dicitur in hunc modum.

Tibi, Flacce, acies Bruti Cassique sequuto
Carminis est auctor qui fuit & venia.
Sic mihi diuerso nuper sub Marte cadenti,
Iussisti, placido victor vt essem animo.
Seruiat ergo tibi seruati lingua Poëta, C
Atque mea vita laus tua sit pretium.

Vnde coniicio Panegyricum illum Lugduni habitum. Nunc de Legibus ab eo latis pauca dicenda sunt. Prima sic inscribitur,

Impp. Leo & Maiorianus A A. Ricimero viro illustri, Comiti & Magistro vtriusque militia, atque Patritio.

Qua quidem execratur eos Sacerdotes, quorum persuasione reluctantibus sanctum onus Clerici imponitur, vt improuidas mentes violentiæ intercedentis offensa ad odium piæ Religionis instituat, illúmque suæ reddi præcipit voluntati, qui coactus non potuit consecrare. Et quia, inquit, ab huiusmodi ausu nec
» Episcopum verecundia esse conuenit aliena, ad Apostolicæ Sedis deuocetur
» Antistitem. In illa reuerendissima Sede notam illicitæ præsumptionis incurrat. Secunda hanc inscriptionem habet.

Impp. Leo & Maiorianus A A. Aemiliano P. P.

Quam legem, quia publicè vtilis est, & ad vrbis æternæ pulchritudinem pertinet, hîc inserendam putauimus.

» NOBIS Rempublicam moderantibus volumus emendari, quod iam dudum
» ad declarandam Vrbis venerabilis faciem detestabamur admitti. Ædes siquidem publicæ,

A publicas, in quibus omnis Ciuitatis consistit ornatus, passim dirui plectenda vrbani officij suggestione manifestum est. Dum necessaria publico opere saxa finguntur antiquarum ædium dissipatur spatiosa constructio, & vt parum aliquid reparetur, magna diruuntur. Hinc iam occasio nascitur, vt etiam vnusquisque priuatum ædificium construens per gratiam iudicum in vrbe positorum præsumere de publicis locis necessaria ei transferre non dubitet, cùm hæc quę ad splendorem vrbium pertinent affectione ciuica debeant etiam sub reparatione seruari. Idcirco generali lege sancimus cuncta ædificia, quæ vel in Templis aliisque monumentis à veteribus condita vsum vel amœnitatem publicam surrexerunt, ita à nullo destrui atque contingi, vt iudex qui hoc fieri statuerit, quinquaginta librarum auri illatione feriatur. Apparitores verò, atque numerarij, qui iubenti obtemperauerint, & sua neutiquam suggestione restituerint, fustuario supplicio subditos, manuum quoque amissione truncandos, per quas seruanda veterum monumenta temerantur. Tertia inscribitur.

Imp. Maiorianus A. Palladio P.P.

Qua lege propter fessas Prouincialium varia atque multiplici tributorum exa-
B ctione fortunas, illis indulgentiam præteritarum exactionum propter reliqua nondum soluta largitur. Quarta.

Impp. Leo & Maiorianus AA. Basilio P.P.

Qua sancit filias, quas pater materve à seculari permixtione translatas Christianæ fidei præcepta seruare continuata virginitate censuerint, in beatæ vitæ proposito permanentes, non antè suscepto honorato capitis velamine consecrari, quàm quadraginta annos ætatis emensæ talibus infulis inoffensa meruerint obseruatione decorari, & multi temporis series & cœlestis consuetudo seruitij ad perfidam voluntatem nouis desideriis aditum non relinquant.

IDACIVS nunc occurrit solus Auctor, qui hæc de Maioriano scripsit. Legatos ab eo & Theodorico Rege Gothorum pacem mutuò fecisse tradit. Ipsum Hispanias ingressum ad Carthaginensem portum peruenisse, classem ad transeundum aduersus VVandalos habuisse, quam ipsi partim vi, partim dolo malo surripuerint. Cúmque esset in quinto Imperij anno, Gensericum Regem VVandalorum ab eo pacem per Legatos postulasse. Denique è Gallia Romam redeuntem, vt res Romano Imperio necessarias sanciret, Ricemerem Sueuorum consilio ac fraude sua eum interfecisse. Ennodius Ticinensis de sepulchro eius quatuor versus memoriæ mandauit,

C *Cùm præstat grauior bustum fortuna petitum,*
Contulit exuuiis Maioriane tuis.
Pyramidum indignis nunc prospice mole perenni,
Vilia Principibus linque sepulchra piis.

Cuius sententia est, meritò fortunam accusari debere, quæ piis Principibus, in quorum numero Maiorianus fuit, vilia sepulchra dederit, cùm indignis pyramides extruere, & insanas substructiones plerumque soleat. Iornandes de rebus Maioriani paucis multa narrat: Marciani, inquit, iussu Imperatoris Orientalis, Maiorianus Occidentale suscepit Imperium gubernandum. Sed & ipse non diu regnans, dum contra Alanos, qui Gallias infestabant, mouisset procinctum, Derthone iuxta fluuium Ira cognomento occiditur. Pulchrè genus mortis, & locum designat Iornandes, quod alij Historiarum Scriptores non fecere. Derthona verò est oppidum Insubrium in agro Mediolanensi, ne quid desideres. Procopium miror, apud quem Maiorianus dicitur non vi, sed morbo decessisse, idque libro primo de bello Vandalico. Nam Latini, qui magis scire poterant, occisum eum tradunt. Sidonius de Maioriano quidem loquitur mortuo, Epistola ad Montium Sequanum. quod hæc verba indicant. Temporibus Augusti Maioriani venit in medium charta comitatum, vbi narrat, cùm ipse venisset Arelatem postridie misisse Augustum, vt epulo suo Circensibus ludis interesset. Deinde illi conuiuio interfuisse septé conuiuas, quorum in numero ipse fuerit. Collo-

» quia à Cæſiis cum iis habita, ſedendíque rationem. quæ omnia ſummam in eo A
» humanitatem fuiſſe arguunt. Ac de moribus Auguſti hoc tantùm tradit: ſubriſit
» Auguſtus vt erat auctoritate ſeruata, cùm ſe communioni dediſſet, ioci plenus, ac de Pœonio vno ex conuiuis plura dicturus ad id tempus pertinentia, quo Auitus
» deceſſit: Cùm, inquit, de capeſcendo diademate coniuratio Marcellina coque-
» retur, nobilium iuuentuti ſigniferum ſeſe in factione præbuerat: homo adhuc
» nouus in ſenectute, donec aliquando propter experimenta felicis audaciæ nata-
» lium eius obſcuritati dedit hiantis interregni rima fulgorem. Nam vacante Au-
» la, turbatáque Republ. ſolus inuentus eſt, qui ad Gallias adminiſtrandas, faſci-
» bus priuſquam codicillis auſus accingi, menſibus multis tribunal illuſtrium po-
» teſtatum ſpectabilis Præfectus aſcenderet: anno peracto militiæ extremæ termi-
» num circa vix honoratus, numerariorum more, ſeu potiùs aduocatorum, quo-
» rum cùm finiuntur actiones, tunc incipiunt dignitates. Coniuratio quidem vacante Aula facta dicitur, à Marcello vel Marcelliniano, cui nobilium iuuentus turbata Republ. aderat, de qua nullus Hiſtoricus illius temporis necne ſubſequẽtis quidem, quod ſciam, loquutus eſt. Pœonio autem Gallo peperciſſe Maiorianum veriſimile eſt. Neque enim ad Principis conuiuium admotum fuiſſe exiſtimandum puto reum læſæ maieſtatis, niſi Cæſar deſignatus homini ignouiſſet. Apud eundem Scriptorem in Panegyrico Anthemij legi hunc verſum.

Auxerat Auguſtus naturæ lege Seuerus
Diuorum numerum. -- --- B

HIC poſt Maioriani interitum Romanum Imperium occupauit, tertióque an-
» no Romæ obiit. De cuius Imperio Idacius ait, Romanorum XLIX. Seuerus à Sena-
» tu Romæ Auguſtus appellatur, anno Imperij Leonis V. Nam Martianus, vt ſupra dixi, regnare cœpit anno à partu Virginis quadringenteſimo quadrageſimo tertio, vt ab Anaſtaſio traditum eſt. Et Beda antiquior lib. I. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ gẽtis
» Anglorum: Anno, inquit, ab Incarnatione Domini quadringenteſimo quadrage-
» ſimo tertio Martianus cum Valentiniano XLVI. ab Auguſto Regnum adeptus ſe-
» ptem annis tenuit. Nec de Maioriani obitu quicquam loquitur Idacius. Leges ab eo latæ aliquot extant. Vna quidem ſic inſcripta. *Impp. Leo & Seuerus Baſilio. P.P. & Patri.* Data decimo Calen. Mart. Romæ, Baſilio V. C. Coſ. De abrogatis capitibus iniuſtis lex à Maioriani deceſſore lata, qua cautum erat, vt poſt viri obitum vſumfructum tantùm mater haberet, & à filiis alienare non poſſet, ſiue in alias nuptias venerit, ſiue non venerit, & vt omnibus ex eodem matrimonio filiis ex æquo communia in vnum aut alterum matri conferre non liceat. Leo Romæ Epiſcopus Epiſtola LXXXII. ſcribit ad Leonem, atque ita orditur: *Officiis quæ ad gratulationem Imperij veſtri*, &c.

SEVERO ſucceſſit ANTHEMIVS. Ei viſ-Conſuli Sidonius Panegyricum Romæ dixit, in quo ipſum Leonis Pij Collegæ & Conſtantinopolitani Cæſaris iuſſu, petente Senatu populóque Romano ad ſuſcipiendum Imperium miſſum aſſerit. Pater Procopius Ciuis Conſtantinopolitanus, cui adhuc iuueni pax cum Aſſyriis & Parthis firmiſſima ab hoſtibus conceſſa eſt. Reuerſus inde duplici honore afficitur, Patricij, & Peditum atque Equitum Magiſtri. Huius Procopij gener fuit Anthemius idem Præfectus & Conſul. Infans cùm eſſet, in paternis ædibus palmes exciſus repente floruit. quod futuri Imperij ſignum ei fuiſſe dicunt. Poſtea adoleſcens in Philoſophiæ ſtudio animum occupauit, venandique artes & arcus flectendi ſagittarúmque peritiam eſt aſſecutus. Euphemiam deinde Leonis filiam duxit vxorem, & Comes deſignatus ad Danubij ripas vicinúmque tractum cum Imperio mittitur. Reducem Magiſtrum militum Conſulémque Leo fieri voluit, atque Patricium. Illyricum verò Valameris Regis Gothorum populationibus penè exciſum vaſtatúmque liberauit. Cùm autem Serdicam Daciæ vrbem obſidione cinxiſſet, & propinquus hoſtis adeſſe nunciaretur, pugnam inſignem cum eo commiſit: etſi à Scythis auxiliaribus ſuis, & proditore eius gentis in ipſa acie nudato cornu deſertus eſt, cùm fortiſſimè pedes dimicaret, nec equitum ſigna immanes ſpecie dracones horruit. Imò hoſtes ipſos vicit, dicta lege vt proditorem, à quo deſertus eſſet, ſe occiſuros pollicerentur. Poſtmodum aduerſus Scythas, quorum dux Hornudac Hunnúſque erant, feliciſſimè etiam pugnauit. Audito autem Seueri C

A in Italia obitu, petitione Senatus populique Romani Anthemium in Italiam mittit. VVandali per id tempus numerosam classem quotannis in eam mittebant, & pyratas prædonésque ferocissimos, qui neque pacem neque pugnam vellent. Ricimer patre Sueuus, matre Gothus vel Geta fuit. Auo Vallia, qui Vandalos & socios eorum Alanos in Hispania prælio vicit. Hic Patritius fuerat sub Maioriano, Magisterque militum, ac summa in toto exercitu auctoritate & gratia. Anthemius ei petenti Asceolam filiam in matrimonium dedit. Sidonius Epistola quinta ad Heronium suum ait, se sacris apicibus accitum ab Anthemio interuenisse nuptiis Patricij Ricimeris, cui filia perennis Augusti in spem publicæ securitatis copulabatur. Iam quidem virginem traditam fuisse, iam coronâ sponsum, iam palmata Consularem, iam cyclade pronubam, iam toga Senatorem honorari. Iam penulam deponere inglorium, & nondum tamen cunctam Alanorum pompam deferbuisse: quia necdum ad mariti domum noua nupta migrauerit. Et initio Epistolæ IX. eiusdem libri ad Heronium: Post nuptias Patricij Ricimeris, inquit, (id est post Imperij vtriusque, Græci scilicet & Latini) opes ventilatas, tandem reditum est in publicam seruitutem, nec rebus actitandis ianuam, campúmque patefecit. Et eadem Epistola: Licet per hunc amplissimum virum Basilium, inquit, aliquid de Legationis Aruernæ petitionibus elaborabamus, ecce Calendæ Ianu. quæ Augusti Consulis mox futuri repetendum fastis nomen operiebantur. Tunc patronus eis, inquit Solli meus, quamquam suscepti officij mole grauaris, exeras volo in obsequium noui Consulis veterem musam. Præbebo admittendo aditum, recitaturóque solatium, recitantique suffragium. Si quid experto credis, multa tibi seria hoc ludo promouebuntur. Parui ergo præceptis, fauorem ille non subtraxit, in cuius & impositæ deuotionis astipulator inuictus egit cum Consule meo (id est Anthemio) vt me præfectum faceret Senatusconsulto. Et sub finem Epistolæ. Ad Præfecturam, inquit, sub ope Christi styli occasione perueni. O te fœlicem Sidoni, quando nostris temporibus stylus nihil aliud quàm domesticam famam gignit in ædibus scribentium, dum contemptu & dispendio rerum suarum publica curant, non sua. Famæ autem nihil vnquam deperit bene & apposite scribenti. Idem Auctor Epistola VII. eiusdem libri ad Vincentium: Angit me casus Aruandi, nec dissimulo quin angat. namque hic quoque cumulus accedit laudibus Imperatoris, quòd amare palam licet & capite damnatos. His verbis Anthemij clementiam laudans, verbisque efferens. Aruandus autem quis fuerit, ex Epistola Sidonij ad Vincentium VII. lib. I. Epistolarum facile erit intelligere. Ait enim de illo, Odij publici mole vallatus, & priùs cinctus custodiâ, quàm potestate discinctus, captus destinatúsque peruenit Romam. Illicò tumens, quòd prospero cursu procellosum Thusciæ littus enauigasset, tanquam sibi benè conscio ipsa quodammodo elementa famularentur. In Capitolio custodiebatur ab hospite Flauio Asellio Comite sacrarum largitionum, qui adhuc in eo semifumantem Præfecturæ nuper extortæ dignitatem venerabatur. Interea Legati Prouinciæ Galliæ Tonantius Ferreolus Præfectorius, Afranij Syagrij Consulis è filia nepos, Thaumastus quoque & Petronius maxima rerum verborúmque scientiâ præditi, & inter principalia patriæ nostræ decora ponendi, præuium Aruandum publico nomine accusaturi, cum gestis decretalibus insequuntur. Qui inter cetera quæ sibi Prouinciales agendo mandauerant, interceptas literas deferebant, quas Aruandi scriba corruptus dominum dictasse profitebatur. Hæc ad Regem Gothorum Euarigem, (qui anno Imperij Leonis octauo pari scelere quo frater successit in Regnum, vt Isidorus in Chronico refert) cartha videbatur emitti, pacem cum Leone Græco Imperatore dissuadens, & Britannos super Ligerim sitos impugnari oportere demonstrans: cum Burgundionibus iure gentium Gallias diuidi debere confirmans, & in hunc ferme modum plurima insana, quæ iram Regi feroci, placido verecundiam inferrent. Et paulò infrà: Epistola post Prouinciale mandatum, cuius supra mentio facta est, profertur, atque cùm sensim recitaretur, Aruandus necdum interrogatus se dictasse proclamat. Respondere Legati, quamquam valde nequiter constaret, quòd ipse dictasset. At vbi se furens ille quantúmque caderet ignarus, bis terque repetita confessione transfodit. Acclamatur ab accusatoribus, conclamatur à iudicibus, reum læsæ maiestatis se confitentem teneri. Ad hoc & milibus formularum iuris id sancientibus iugulabatur. Deinde ait, Confestim priuilegiis geminæ

Præfecturæ, quam per quinquennium repetitis fascibus rexerat, exauguratus, A
& plebeiæ familiæ, non vt additus, sed vt redditus, publico carceri adiudicatus
» est. Postremo iudicio, inquit, vix per hebdomadam duplicem comperendinato
» capite mulctatus, in insulam coniectus est serpentis Epidauri (videlicet Tiberi-
» nam) vbi vsque ad inimicorum dolorem demonstratus, & à rebus humanis velu-
» ti vomitu fortunæ nauseantis exputus, nunc ex vetere Senatusconsulto Tiberia-
» no triginta dierum vitam post sententiam trahit, vncum & gemonias & laqueum
» per horas turbulenti carnificis horrescens. Nos quoque quidem prout valemus
» absentes, præsentésque vota facimus, preces, supplicationésque geminamus, vt
» suspenso ictu iam iámque mucronis exerti pietas Augusta seminecem, (quan-
» quam publicatis bonis) vel exilio muneretur. Paulus quidem Diaconus Aruar-
» dum ait Gallorum Præfectum tentantem inuadere Imperium iussu Anthemij
» Principis in exilium pulsum. Quæ summa eius benignitas & clementia in maie-
statis reum fuit. Etenim misericordia flecti Cæsarem potiùs quàm ira, aut nimia
seueritate, id verò rationi consentaneum est. Nec maiori curæ sit Regibus igno-
scere quàm punire, si tempora patiantur: quandoque adeo praua corruptáque
Respublica contineri nisi pœnâ non posse videatur. Sed extremum supplicium
nonnunquam commutatione pœnæ leuioris mitigare humanitatis est.

Quantum verò Aruernorum Regio, quæ in Aquitania secunda posita est, ex-
cursionibus Gothorum detrimenti acceperit, quantúmque Aruernum munici-
pium ab illis passum sit, breuiter perstringere vtilissimum fore videbitur. Sidonius B
» igitur Epistola 1. lib. II. ad Hecdicium. Te, inquit, expectat palpitantium ciuium
» extrema libertas. Quicquid desperandum est fieri te medio, te præsule, placet.
» Si nullæ à Republica vires, nulla præsidia: si nullæ (quantum rumor est) Anthe-
» mij Principis opes, statuit te auctore nobilitas, seu patriam dimittere, seu capil-
» los. Idem Scriptor ad Auitum suum scribens Epistolam 1. lib. III. Gothi sæpenu-
» mero etiam Septimaniam suam fastidiunt, vel refundunt, modò inuidiosi huius
» anguli etiam desolata proprietate potiantur. Sed fas est præsule Deo, vobis inter
» eos & Rempublicam mediis, animo quietiora concipere. Quia etsi illi veterum
» finium limitibus effractis, omni vel virtute vel mole possessionis turbidæ, metas
» in Rhodanum, Ligerimque proterminant: vestra tamen auctoritas pro dignitate
» sententiæ sic partem vtramque moderabitur, vt & nostra discat quid debeat ne-
» gare cùm petitur, & poscere aduersa desinat cùm negatur. Septimaniam autem
vocat agrum vicinum Biterorum inclitæ vrbis, quæ à septimę legionis militibus
nomen accepit. Epistola verò secunda ad Constantium Lugdunensem nobilita-
» te sublimem, religione venerandum, ætatéque grauem. Salutat te populus Ar-
» uernus, cuius parua tuguria magnus hospes implesti, non ambitus comitatu, sed
» ambiendus affectu. Deus bone! quod gaudium fuit laboriosis, cùm tu sanctum
» pedem semirutis mœnibus intulisti, cùm tu ab omni ordine, sexu, ætate stipatis-
» simus ambiebare? Quæ salsi erga singulos libra sermonis? Quàm te blandum pue-
» ri, comem iuuenes, grauem senes metiebantur? Quas tu lachrymas, vt parens C
» omnium, super ædes incendio prorutas, & domicilia semiusta fudisti? Quantum
» doluisti campos sepultos ossibus insepultis? Quæ tua deinceps exhortatio, quæ
» reparationem suadentis animositas? His adiicitur, quòd cùm inueneris Ciuita-
» tem non minùs ciuica simultate, quàm barbarica incursione vacuatam, pacem
» omnibus suadens, illis charitatem, illos patriæ reddidisti. Quibus tuo monitu
» non minùs in vnum consilium, quàm in vnum oppidum reuertentibus, muri ti-
» bi debent plebem reductam, plebs reducta concordiam. Reliqua Epistolæ de-
scribit quàm sit difficile hyeme præsertim Lugduno Aruernum iter facere, pro-
pter viarum asperitatem. Hecdicio quoque Epistola III. lib. III. scribit, ac pri-
mùm desiderari ipsum à Ciuibus absentem ait. Deinde ob gratiam pueritiæ eius
vndique gentium confluxisse studia literarum in Aruernum municipium pa-
triam suam, eique deberi quòd sermonis Celtici (ipse enim Aquitanus erat)
squamam depositura nobilitas oratorio stylo ac Poëtico imbuebatur. Itaque no-
bilis adolescentis tunc non pudebat animum excolere atque informare literis.
Vnde summa sæpe ad eos gloria redibat. Quod verò ad historiam maximè perti-
» net. Non enim potest, inquit, ciuicis pectoribus elabi, quem te quantúmque nu-
» per omnis ætas, ordo, sexus, de semirutis murorum aggeribus conspicabatur,

A cum interiectis æquoribus in aduersum perambulatis, & vix duodeviginti equitum sodalitate comitatus, aliquot millia Gothorum, non minùs die, quàm campo medio (quod difficile sit posteritas creditura) transisti ad nominis tui rumorem, personæque conspectum. Exercitum exercitatissimum stupor obruit, ita vt præ admiratione nescirent duces partis inimicæ, quàm se multi, quàmque te pauci comitarentur. Subducta est tota protinus acies in supercilium collis abrupti: quæ cùm priùs applicata esset oppugnationi, te viso non est explicata congressui. Interea tu cæsis quibusque optimis, quos nouissimos agmini non ignauia, sed audacia fecerat, nullis tuorum certamine ex tanto desideratis, solus planicie quàm patentissima potiebare, cùm tibi non daret tot pugna socios, quot solet mensa conuiuas. Postea nonnullis interpositis. Taceo, inquit, te aliquot superuenientibus cuneos mactasse turmales, è numero tuorum vix binis ternisve post prælium desideratis, & tantum calamitatis aduersæ partis inopinatis certaminibus inflictum, vt occulere cæsorum numerositatem consilio deformosiore meditarentur. Siquidem quos humari nox subducta prohibuerat, deceruicatis liquere cadaueribus, tanquam minoris indicij foret, quàm villis agnosci crinitum dimisisse truncatum. Ergo Gothi capillos & comam nutrire erant soliti, vt ex his verbis facilè intelligitur: necnon ex Epistola 11. lib. 1. & vltimis penè Epistolæ verbis: Si quid nostratium precatibus acquiescis, actutum in patriam receptui canere festina, & assiduitatem tuam periculosè Regum familiaritati exi-
B me, quorum consuetudinem spectatissimus quisque flammarum naturæ benè comparat: quæ sicut pollutum à se remota illuminant, ita satis admota sibi comburunt. Quam Sidonij sententiam vt verissimam puto, & mortalium generi vtilissimam, nisi desipere magis quàm sapere mallemus. Postremò Epistola ad Felicem IV. lib. III. Oppidum siquidem nostrum quasi quemdam sui limitis oppositi obicem circumfusarum nobis gentium arma terrificant. Sic æmulorum sibi in medio positi populorum lacrymabilis præda, suspecti Burgundionibus, proximi Gothis, nec impugnantium ira, nec propugnantium caremus inuidia. Quibus verbis indicat, Burgundiones fœderatos populi Romani Aruernorum ius causámque propugnare solitos. Rectè igitur Iornandes Historicus scribit Euricum Regem Visigothorum Aruernam Gallorum ciuitatem occupasse, Antemio Principe iam designato. Ricimer, vt suprà dixi, Antemij gener erat, sed non longa inter eos pax & concordia fuit. Inuidia & par dignitas causa discordiæ illius fuit. Epiphanij Ticinensis Episcopi nomen ad aures Ricimeris peruenit. Fama enim virtutum splendorem tacere non potest. Et Ricemer tunc secundis ab Antemio Principe habenis Rempublicam gubernabat. Nam Imperatore Romæ posito, seminarium inter eos iecit scandali illa quæ dominantes sequestrat, inuidia, & par dignitas causa discordiæ. Surrexerat enim tanta rabies atque dissentio, vt mutuò bella præpararent: & præter quàm origo irarum proprios suggerebat stimulos, lis ista circumstantium consilio nutriebatur. Nutabat status pe-
C riclitantis Italiæ, & affligebatur ipsis discriminibus grauiùs, dum expectabat futura discrimina. Interea apud Ricemerem Patricium Mediolani ea tempestate residentem, fit collectio Ligurum nobilitatis: qui flexis genibus, solóque prostrati pacem orabant Principum, & vt ab scandalo vtræque partes desinerent, occasiones gratiæ ab vna precabantur offerri. Mulcetur Ricemer, & velle se reparare concordiam permotus multorum fletibus pollicetur. Hactenus Ennodius Ticinensis: Cuius etiam Scriptoris sunt quę sequuntur. Epiphanius ad Ricemerem Patricium perrexit, à quo semel visus & electus est. Mandato ergo sibi Legationis ordine Romam petiit. Perfertur ad Principem Antemium studio Legationis Episcopum venisse Liguriæ, cuius talis oratio fuit: Supernæ dominationis instar possidet, qui Imperium suum pietate sublimat. Hoc ergo Italia vestra freta iudicio, vel Ricemer Patricius paruitatem meam oratum direxit: indubitanter coniiciens quòd pacem Romanus Deo munus tribuat, quam precatur & barbarus. Erit enim triumphus vestris propriè profuturus Annalibus, si sine sanguine viceritis. Simul nescio quæ species fortior possit esse bellorum, quàm dimicare contra iracundiam, & ferocissimi Getæ pudore onerare beneficiis. Grauiùs enim percellitur si postulata impetret, quem puduit hactenus supplicare. Tractandus deinde anceps bellandi euentus, in quo tamen si ita præualuerint peccata cer-

» tamine, vestro Regno defraudabitur, quod partes vtręque perdiderint. Nam quæcumque apud Ricemerem, si amicus est, salua sunt, cum ipso à vobis Patricio possidentur. Cogitate pariter, quia benè causæ suæ ordinem dirigit, qui pacem primus obtulerit. Tunc Princeps, quamuis inexplicabilis mihi, sanctè Antistes, aduersus Ricemerum causa doloris sit, & nihil profuerit, maximis eum à nobis donatum fuisse beneficiis. quem etiam (quod non sine pudore & Regni & sanguinis nostri dicendum est) in familiæ stemma copulauimus, dum indulsimus amori Reipublicæ, quod videretur ad vestrorum odium pertinere. Quis hoc namque veterum retrò Principum fecit vnquam, vt inter munera, quæ pellito Getæ dare necesse erat, pro quiete communi filia poneretur? Nescimus parcere sanguini nostro, dum seruamus alienum. Nemo tamen hoc credat propriæ causa factum esse formidinis. Nam in tanta circumspectione salutis omnium, solùm pro nobis timere non nouimus. Benè enim compertum est apud nos, perire Imperatori laudem suæ virtutis, qui pro aliorum cautela non metuit. Sed vt tuæ venerationi ad liquidum conatus illius aperiamus, quoties à nobis maioribus donis cumulatus est Ricemer, totiens grauior inimicus apparuit. Quanta contra Rempublicam bella præparauit? quantas externarum gentium per illum vires furor accepit? Postremò etiam, vbi nocuisse non potuit, nocendi tamen fomenta suggessit. Huic nos pacem dabimus? hunc intestinum sub indumento amicitiarum inimicum sustinebimus, quem ad fœdus concordiæ nec affinitatis vincula tenuerunt? Grandis cautio est aduersarij animum cognouisse. etenim hostem protinus sensisse, superasse est. Perdunt semper deprehensa odia stimulos, quos occultata conceperant. A B

Pax autem inter socerum generúmque Epiphanio concessa non diuturni temporis fuit. Illa enim violata, Ricemer in Antemium primus impetum fecit, nihil aliud optans quàm eius sanguinem vitámque. Qua de re Iornandes: » Antemius, ait, cum Ricimere genero suo intestino bello sæuiens, postquam Romanum nomen reliquit Olibrio. Etiam illud addimus, quod rectè addi potest, nihil esse acerbius odiis socerorum generorúmque, vbi semel animis insederunt. Nec velim Idacij testimonium prætermittere in hæc verba: Romanorum quin» quagesimus primus regnauit Antemius, Romæ Augustus appellatus anno Leonis Imperij secundo. Eodem libello inquit: Anno secundo Antemij medio Tholosæ ciuitatis sanguis erupit de terra, & tota die fluxit, significans Gothorum dominatione sublata FRANCORVM aduenire Regnum. Idémque Auctor de Ricimere genero ait Antemij Imperatoris: Ex Patricio Cæsar factus, affatim degradato socero ad priuatam vitam illum Redegit, filio eius occiso. quod apud alium Scriptorem nondum legeram, & superiori narrationi contraire videtur. Seruatus enim Idacio, occisus Iornandi Antemius, necato tamen filio, memoratur. Sed hæc hactenus. Nam fides priori tempore Scriptori in dubiis potiùs habenda est. At quis fuerit Idacius ex cap. XVIII. Sigeberti de viris illustribus in promptu est eloqui. Sic enim ait, Idacius Lemicæ Hispaniarum vrbis Episcopus Chronicon initiatum à primo Theodosij primi Imperatoris Consulatu composuit. idque manu mea exscriptum in membranis iampridem habeo. Ad annum autem CCCCXC. quo tempore Anastasius imperabat, scribit Idacium perduxisse librum à se editum de viris illustribus, quem fortasse alicubi latitantem posteri inuenient. A Iulio quidem Nepote eius decessorem Antemium fuisse dicit, etsi proximus illi non fuit. In hunc modum loquitur Sidonius Epistola ad Papianillam suam, quæ est XVI. libri V. Rauenna veniens Quæstor Licinianus, cùm primùm tetigit, Alpe transmissa, Galliæ solum, literas aduentus sui præuias misit, quibus indicat esse se gerulum Codicillorum, quorum in aduentu fratri etiam tuo Hecdicio, cuius æquè titulis ac meis gaudes, honor Patriciatus accedit: celerrimè, si cogites eius ætatem; si merita, tardissimè. Namque ille iam pridem suffragium dignitatis ineundæ non soluit in lance, sed in acie: ærariúmque publicum ipse priuatus non pecuniis, sed Gothorum manubiis locupletauit. Hoc tamen sanctè Iulius Nepos, armis pariter summus Augustus, ac moribus, quòd decessoris Anthemij fidem, fratris tui sudoribus obligatum, quò citerior, hoc laudabilior absoluit. siquidem iste compleuit, quod ille sæpissimè pollicebatur. Quò fit, vt deinceps pro Republica optimus quisque possit ac debeat (si quid cuipiam C

A virium est) quia securus, hinc auidus impendere. Quandoquidem mortuo quoque Imperatore, laborantũ deuotioni quicquid spoponderit Princeps, semper redhibet Principatus. Interea tu (si affectum tuum benè colligo) hisce compertis, magnum solatium inter aduersa maxima capis, nec animum tuum à tramite communium gaudiorum vicinæ quoque obsidionis terror exorbitat. Noui enim probè ne me quidem te, quem ex lege participas, sic honore lætatam: quia licet sis vxor bona, soror quoque optima es. Ex quibus postremis verbis perspicuum est, Hecdicium Sidonij leuirum fuisse. Etiam monendi sunt lectores, Nepotem Nepotiani filium ex sorore Marcellini Patricij fuisse. De quo Constantinus Manasses in Annalibus: Nepos in Occidente Imperio spoliatus deiectúsque est, nec eum fortuna benignis oculis respexit. Olibrius autem, de quo suprà diximus, octauo mense Imperij sui obiit. Huic successit Glicerius, qui apud Rauennam plus audendi confidentiâ quàm electione & suffragiis Cæsar efficitur: nec dum expleto anno ex Cæsare coactus est Episcopus fieri. Idem Iulius Nepos Aruerna vrbe cum ciuibus dedita Eurico Tolosatum Regi, Hecdicium, qui patriæ suæ tempore obsidionis præfuerat, exulem ad se venire iubet: Oreste interim Magistro militum designato, qui suscepto exercitu Rauennam petit, Augustulúmque filium Cæsarem renuntiat. Qua re cognita, Nepos in Dalmatiam exutus Imperio recedit. Denique Oreste occiso ab Odoacre barbaræ gentis Duce, posteáque Rege Italiæ, Augustulus Regno pulsus in Lucullanum Campaniæ exilij pœna damnatur. Itaque Imperium Romanum siue casu, siue ob occultam ac latentem causam, à cuius nomine incœperat, ab eodem exitum quoque & finem habuit.
B

 A

DE GALLICA REGIONE, ET ORIGINE REGNORVM ET GENTIVM REGIONIS EIVSDEM.

Ex Memoriali Historiarum Ioannis Parisiensis, Canonici Regularis apud S. Victorem, M S.

DE GALLIA.

GALLIA secundum Isidorum lib. IX. Etymologiarum habet Alpium montes ab Oriente, Oceanum ab Occidente, montes Pyrenæos à Meridie, Rheni fluenta & Germaniam à Septentrione. GALLI, vt dicit idem, à candore corporis nuncupati sunt. Gala Græcè, Lac dicitur Latinè. Montes namque, & rigor cœli ab eis solis ardorem excludunt. quo fit, vt color corporis non coloretur. Nam secundum diuersitatem cœli diuersas habent hominum corpora conditiones & colores. Vnde Romanos graues, Græcos leues, Afros versipelles, Gallos naturâ feroces atque acriores ingenio, natura climatum facit. Est autem Gallia vberi gleba & pabulosa, & ad vsum animantium apta, fluminibus quoque & fontibus irrigua. Hæc Isid. IX. Etymol. B

MVLTIPLEX autem Galliæ diuisio reperitur. Est enim Gallia Cisalpina, in qua sunt vrbes Brixia, Papia, & Mediolanum. Est & alia Transalpina, scilicet ab Alpibus vsque ad Alemanniam, in qua sunt hi fluuij famosi, Rhenus saltem quantum ad initium Galliæ largè sumptæ, Rodanus, Arar, seu Sagona, Mosa, Sequana, Ligeris, Auxona, Materna.

Aliam diuisionem posuerunt antiqui, quòd est Gallia Comata: hæc est Cisalpina. Est & Gallia Togata, scilicet ab Alpibus vsque ad mare Anglicum. Est & Gallia Brachata, ab Alpibus vsque ad Rhenum.

Tertia diuisio, & est famosior, quòd est GALLIA BELGICA continens duas Prouincias, Treuerensem, & Remensem: scilicet XVI. Ciuitates. Et est sic dicta secundum Isidorum à Belgis, quæ nunc Beluacum dicitur, & vt dicit Huguitio, continet Lothoringiam, Picardiam, Flandriam, Campaniam Gallicam, Briæ partem, & Viromam: scilicet à Treueri vsque ad Siluanectum, & ab alia parte diocesis Remensis vsque ad mare, quo in Angliam nauigatur. C

Est & alia LVGDVNENSIS, quatuor habens Prouincias, Lugdunensem, Rothomagensem, Turonensem, Senonensem, scilicet XXIX. vrbes. Continet enim Burgundiam, Nortmanniam, Turoniam cum Britannia minore, partem Campaniæ Gallicæ & Briæ, totámque Franciam strictiori modo sumptam.

Est etiam GALLIA VIENNENSIS habens duas Prouincias, Viennensem, & Arelatensem: scilicet XIIII. vrbes. Et continet Burgundiam superiorem, & Prouinciæ partem: scilicet à Vienna vsque ad mare, quo à Massilia transfretatur.

Est & alia NARBONENSIS, habens duas Prouincias, Narbonensem & Aquensem, & XIII. ciuitates. Continétque Prouinciæ reliquam portionem.

Vltima est AQVITANIA, dicta secundum Isidorum IX. Etymol. ab obliquis aquis Ligeris fluminis, qui ex plurima parte terminus eius est, eámque pene in orbem cingit. Dicitque Isidorus, quòd initium Galliæ est Belgica, & finis Aquitania: quæ habet duas Prouincias, Burdegalensem & Bituricensem, & XIII. vrbes: continens Aluerniam, Prouinciæ partem, VVasconiæ Regionē. De VVasconibus dicit Isidorus: VVascones dicti sunt quasi VVaccones, c in s littera mutata.

A Hi olim Vaccæi dicti fuerunt à VVacca oppido, quod fuit iuxta Pyrenæum montem. Ipsos VVascones iuga inhabitantes, priùs inuictos, & à nulla gente obtentos, Gneius Pompeius edomita Hispaniâ ad triumphum venire festinans, de Pyrenæis iugis deposuit, & in vnum oppidum congregauit. Hæc Isidorus.

Ipsa Gallia aliquando sub Regibus, aliquando sub Præfectis à Romanis constitutis fuisse legitur, antequam ad eam inhabitandam pro maiori parte Franci, Northmanni, Burgundiones venissent, quasi noui incolæ, de quibus infrà.

Galli Senonenses aliquando præpotentes Regem Brennium habuisse leguntur, de quibus sic dicit Isidorus ix. Etymol. Galli Senones antiquitus Zenones, « quia Liberum hospitio susceperunt. Sed postea z in s commutata Senones ap- « pellantur. Eusebius dicit in Chronicis, quòd Olympiade xcvii. & anno Regis « Persarum Assueri xvii. Senones Galli Romam inuaserunt, & excepto Capitolio ceperunt. Idem dicit Beda, & addit, Incensam vi. mensibus vastauerunt, accepto precio à Romanis recedentes. Postea sunt ab inuicem separati. Et hoc tangit Iuuenalis, & alij Poëtæ quidam. Magister autem Hugo de Sancto Victore, & Hugo Floriacensis, expressiùs modum narrant. Cùm Brennius victus à Belino fratre suo Rege Britanniæ xxii. à Bruto, nauigans in Gallias cum exercitu suo, relicto natali solo, Britannia scilicet, ducta vxore filia Seguini Ducis Allobrogum, factus est ipsorum Allobrogum & Gallorum Senonum Dux & Princeps, B de quo suprà. Tempore itaque præfato dictus Brennius, qui apud Galliam Senones regebat, vt dicit Hugo Floriacensis, cum trecentis millibus Gallorum ad Italiam venit, eámque vsque ad Senogalliam, quæ est ciuitas supra mare Adriaticum sita, extunc ab ipsis denominata Gallis Senonibus, occupauit. Romanámque vrbem inuaserunt & ceperunt, præter Capitolium. quod etiam deuastassent, nisi per clamorem anseris hoc Romanis innotuisset. Indéq; separati, centum milia eorum Delphos, qui in parte Græciæ quadã habitabant, adeuntes, & eos bello impetentes, ipsorum gladiis perierunt. Alia verò centum milia alteram Græciæ partem petentes, ac præualentes, remanserunt ibidem; Primóque Gallogræci, id est ex Gallis & Græcis mixti, & postea Galathæ sunt vocati. Hi sunt, quos beatus Paulus iam conuersus docuit per Epistolam eis missam. Residua autem centum milia in Italia remanserunt, & ibi multiplicati fundauerunt famosas ciuitates, Papiam, Mediolanum, Brixiam, & Pergamum: quæ est pars Galliæ Transalpinæ.

DE FRANCIA ET ORIGINE FRANCORVM.

Galliam ferè totam Franci dominio suo redegerunt. De quibus dicit Isidorus ix. Etymol. Galliæ partem Franci inhabitant, qui à proprio quodam « C Duce vocati putantur. Alij eos à feritate morum nuncupatos existimant. Sunt « enim in illis mores inconditi, & naturalis ferocitas animorum. Francia autem secundum Magistrum Hugonem de Sancto Victore appellatur tota illa regio, quæ est inter Ligerim & Mosam.

De origine Francorvm, & de Regibus & Regni progressu, satis concorditer loquitur Gregorius Archiepiscopus Turonensis in Historia Francorum, Hugo Floriacensis v. lib. Historiæ suæ, Magister Hugo de Sancto Victore in Chronicis. Et Sigebertus cùm tractat de Regni Francorum & quorumdam aliorum origine, sic dicit: Post illud famosum & cunctis seculis notum Troianæ ciuita- « tis excidium, victoribus Græcis cedentes reliquiæ Troianorum, pars eorum « cum Ænea ad fundandum Romanum Imperium ad Italiam venit: pars alia, « scilicet xij. m. duce Anthenore in Pannoniæ finitimas partes secus Meotidas « paludes peruenit. Ibique ciuitatem ipsi similiter fecerunt, quam ob sui memo- « riam Sicambriam vocauerunt. In qua multis annis habitantes, in magnam gen- « tem coaluerunt. Indéque post exeuntes, vsque ad Gallias ferocitatis suæ vesti- « gia dilatarunt. Hos postea Romanis infestos Constans Constantini Magni filius « bello oppressit, & Romano subiectos Imperio mansuefieri à sua feritate coëgit. « Post annos xxxiiii. à Valentiniano I. Imperij sui anno x. euocati, vt Alanos sibi « rebelles contererent, hac pactione, quòd x. annis à tributo annuo sibi & Roma- «

„ nis debito forent immunes, ipsi fortitudine & prudentia sua iam experta, duce A
„ PRIAMO, Meotidas paludes Romanis inuias ingressi, exterminauerunt Ala-
„ nos. Valentinianus itaque eorum delectatus virtute, ipsos prius Troianos dictos,
„ deinde Anthenorides, pòst Sicambros, FRANCOS eos lingua Attica seu Græca
„ vocauit, quod Latinè interpretatur *feroces*. Exacto itaque decennio, cùm ab
„ eis repeteretur tributum, ipsi pro dicta victoria insolescentes, & de suis viri-
„ bus præsumentes, non solùm Romanis negauerunt tributum soluere, sed etiam
„ præsumpserunt rebellare. Ob hoc Romanus exercitus super eos irruens, eos vi-
„ ctos penè vsque ad internecionem contriuit. Hæc Sigibertus. Residui autem primò versus Rhenum in Germaniam, & pòst in syluam Carbonariam versus Cameracum venerunt, ac demum Franciæ regionem conquisierunt. De hac materia subdit ibidem Sigebertus, & idem asserit Magister Hugo de Sancto Victore, quod videlicet alij, à quodam Duce FRANCIONE ipsos cognominari, qui in bello fortissimus, dum cum multis gentibus dimicasset, inter Danubium & Rhenum venit, vbi progenies eius coaluit, & nullius Regis iugum vsque ad tempus Priami primi Regis Francorum suscipere voluit. Aliam opinionem de Francis tangit magister Hugo de sancto Victore, quam ego memini me perfectiùs in quadam Historia reperisse. Scilicet quòd Francio filius Hectoris, & Turcus filius Troili, qui inquam Hector & Troilus fuerant filij Priami Regis Troiæ, post Troiæ destructionem, simul cum multitudine hominum maxima euaserunt. Item cum aliis cohortibus tunc etiam egressi de Troia sunt Helenus vates Priami prætacti filius, & Æneas. Quorum Helenus cum M.CC. viris profectus in Græciam, illic plurimis annis, & post ipsum posteritas sua mansit: vrbésque ibi plures & villas ac oppida construxerunt. Æneas verò cum III. M.CCC. viris laboriosè nimis in Italiam transuectus est cum Ascanio filio suo, vbi pòst regnauerunt. Post hos regnauit Siluius, qui de nepte patris sui furtiuo concubitu genuit filium, qui vocatus est Brutus. Præfati verò Francio & Turcus cum gente sua de Troia fugientes, se in duos populos diuiserunt, quorum alij Francionem sequuti, ipsum super se Principem statuerunt. Alij autem adhærentes Turco, cum ipso in Scythiam descenderunt, vbi mansionem habentes regimini eius subditi ab eo vocati sunt Turci, sicut & ab ipso Francione vocantur hactenus Franci. Huic concordat id quod dicit Baldricus in Historia Hierosoly-
„ mitana: Turci, inquit, iactitant se de Francorum stirpe genitos esse, eorúmque
„ proauos à Francis descendisse. Vndè asserunt nullos alios nisi se & Francos mi-
„ litare debere. Francio verò, & populus sibi subditus, versus Danubium in Germaniam tempore Dauid Regis profecti, illic habitantes terram occupauerunt magnam, ibique multiplicati numero & virtute, donec reuolutis ab aduentu suo primo CCXXX. annis, recesserunt indè XXIII. milia, locum ad manendum commodiorem quærentes. Qui pertranseuntes totam Germaniam, tandem in Galliam deuenerunt: nactique ibi locum amœnum & commodum ad manendum, super fluuium Sequanæ ciuitatem ædificauerunt, quam LVTECIAM à lutositate dixerunt, se autem PARISIOS à Paride filio Priami vocauerunt: vel secundum alios à *parrhesia* Græcè, quæ est *audacia* Latinè. Ædificata itaque Lutecia, quæ nunc est Parisius, à Troianis tempore Amasiæ Regis Iuda, & Hieroboam Regis Israel, ante Incarnationem Domini circiter DCCCXXX. Manserunt igitur in Lutetia & territorio eius, in quo villas construxerunt paulatim, quæ ab eis hactenus Parisiæ cognominantur, anno circiter M.CC.XC. antequam alij Franci, qui super eos postea regnauerunt, venirent. Quo tempore vitam simplicem ducebant sine Duce vel Rege, ita quod vnusquisque quòd sibi rectum videbatur faciebat, sine damno alterius vel iniuria. Subiecti tamen Romano Imperio & tributarij sicut & ceteræ Nationes, & Consules sibi faciebant iuxta consuetudinem Romanorum. Præfatus autem Francio secundum Sigebertum, quia erat fortissimus in bellis, remanens in Germania, quæ est inter Danubium & Rhenum, cum his quibus præerat, totam terram circa Thanaim & Meothidas paludes vi armorum conquisiuit, & ibi ciuitatem ædificauit, quam Sicambriam nominauit, & mansit ibi, & posteri eius annis M.CCC.L. vsque ad tempus PRIAMI sui Ducis, quem primum assignabimus infrà Ducem Francorum. Interim tamen antequam Priamus Dux esset eorum, à Constante filio Constantini Magni, quia

A Romanis erant rebelles, Anthenore tunc Duce eorum, perdomiti, in pace vt priùs fuerant, sub pactione soluendi tributum annuum Romanis vsque ad Valentiniani primi tempora in Sicambria permanserunt. Tunc enim cùm sub Priamo Duce suo rebellarent Romanis, à Sicambria sunt expulsi. Egressi itaque indè Duce filio Priami MARCHOMIRO, eiúsque coadiutoribus SVNNONE filio Anthenoris, & GENEBAVDO, in Germaniam Galliæ viciniorem venerunt. Virtus igitur in tantum excreuit Francorum, vt remanentibus in Germaniæ partibus Sunnone & Genebaudo, in terra quam pacificè habebant, Marchomirus Dux cum Francis GALLIAM inuasam pro magna parte possideret, eiúsque posteri vsque ad Pyrenæos montes conquirerent, ac FRANCIAM nominarent. Cùm enim Luteciam venerunt, Parisij quondam Troiani habitatores eius, agnita eorum prisca origine, amicabiliter susceperunt, factique sunt populus vnus, & eidem Duci subiecti. Et amoto nomine Luteciæ ab vrbe sua ob fœtorem tollendum, ipsam PARISIVS vocauerunt. PHARAMVNDVS itaque primus Francorum Rex est effectus: filius Marchomiri, cui alij Reges XLVII. vel circiter vsque ad nos successerunt. Quorum progenies linealis licèt in PIPINO & HVGONE CHAPET videatur defecisse, tamen per feminarum successionem poterit postea Domino suffragante generis posteritas ad lineam suorum prædecessorũ reduci. Et hæc dicta sint de Regno & Regibus Franciæ, nisi quòd à Priamo primo Duce Francorum, scilicet anno Domini CCCLXVII. vsque ad PHILIPPVM IIII. cuius nunc est annus B XXIIII. cucurrit Regnum Franciæ per annos DCCCCXLI. sub Ducibus primò, & post sub Regibus L. computando tamen inuasores Regni quosdam, qui satis pacificè aliquandiu regnauerunt: quos Vincentius & quidam alij Scriptores in legitimorum Regum numero ponere noluerunt.

DE BVRGVNDIONIBVS.

DE BVRGVNDIONIBVS est nunc dicendum. Ipsi etiam, sicut & aliæ plures Nationes, de partibus Septentrionis in Galliam venientes, eius quandam occupauêre partem. Vnde Hieronymus in Chronica sua dicit, quòd anno Domini CCCLXXVI. & anno Valentiniani IX. Burgundionum fermè LXXX. milia versus Rhenum descenderunt. quod nunquam antea fecerant. Ibi ergo inuento habitationis loco multiplicati, paulatim terram versus Rhodanum occupauerunt. Vbi satis quietè manserunt vsque ad annum Domini CCCCXXXIII. Erántque homines gentiles simpliciter viuentes, & de arte fabrili victum sibi quærentes. Tunc autem cùm Suniptatus * Rex Hunnorum eos bello grauiter infestaret, confugerunt ad Deum, & ab Episcopo Christiano proximæ ciuitatis instructi in fide, & pòst baptizati, Hunnorum X. milia, III. milia Burgundionum mirabili Dei potentiâ peremerunt, reliquósque de suis finibus expulerunt, hactenus in fide permanentes Christiana. Hæc habentur lib. XI. Historiæ Tripartitæ, cap. III. Et Hieronymus in Chronico anno suprà nominato. Postea terram Allobrogum Gallorum conquisierunt paulatim, & ita potentes facti sunt, quòd sicut asserit Prosper in Chronico, tempore Theodosij secundi, & CLODII Regis IV. Francorum, anno scilicet Domini CCCCXLVII. Sabaudiam inuaserunt: eorúmque ita est tradita voluntati, quòd eam cum indigenis partialiter diuiserunt. De ipsis dicit Hugo Floriacensis V. libro Historiarum suarum, quòd vocantur Burgundiones à Burgis, id est à paruis habitaculis in limitibus constitutis, in quibus primò manserunt per familias inclusi. Idem refert Isidorus IX. Etymol. Partem, inquit, « Galliæ Burgundiones inhabitant, populi siquidem, qui quondam à Romanis sub- « acti in interiori Germania per castrorum limites constituti Burgundiones dicti « sunt. Hi postea Romanis rebelles facti, plus quàm XXX. milia armatorum ripæ « Rheni fluminis insederunt, & nomen gentis obtinuerunt. Hæc Isidorus. Ha- « buerunt autem Reges, primo Parecium tempore quo primùm facti sunt Christiani, qui post IX. annos ab Ætio Patricio Romanorum occisus est cum maxima parte suorum. Cui post VII. annos successit Gundeugus, & post ipsum IV. alij filij vel nepotes per annos LXXII. scilicet ab anno Domini CCCCL. vsque ad annum DXXII. cùm sancto Sigismundo submerso, & eius fratre Godemaro perempto, à Regibus Franciæ filiis Clodouei tota Burgundia cessit in ditionem Francorum.

* al. Sudibatus.

DE NORTMANNORVM GENTE ET PRINCIPIBVS, qui etiam obtinent partem Galliæ.

A

DIxit Magister Hugo de Sancto Victore, quòd NORTMANNI lingua barbara dicti sunt quasi homines Septentrionales, eò quòd ab illa mundi parte venerunt, scilicet à Scythia inferiori, quæ secundum Isidorum Terra barbarica vocatur. Sunt origine DANI, quia de Dacia egressi sunt. Primò sub Duce dicto Bier Coste-ferrée, & eius pædagogo Hastingo circa annũ Domini DCCCXLVI. GALLIAM grauiter oppresserunt, ceterisque occisis vel recedentibus, Hastingus remanens pro bono pacis Carnotensem obtinuit Comitatum, suique aliquanto tempore successores. Quomodo etiam sub Duce ROLLONE redierunt, patebit infrà anno Domini DCCCCXII. Fuit etiam dictus Robertus, & primus Dux Nortmanniæ; & post eum XIV. alij, quorum VII. in Anglia regnauerunt. Vltimúsque ipsorum Iohannes cognomine Sine-Terra Northmanniæ amisit Ducatum anno Domini MCCIV. Et extunc est Northmannia Regno Franciæ vnita penitus, & subiecta.

Præfati Rollonis seu Roberti fuit cognatus GELLO, & socius itineris & bellorum, cui pro pace tradidit Carolus Simplex montem qui BLESVM dicitur, cum territorio circumstante. Qui baptizatus sicut ceteri castrum bonum in prædicto loco construxit. Fuitque primus Comes Blesensis. Duxitque vxorem de Aquitania vicina, & auxit multum Terram suam tempore suo, & post ipsum Theobaldus cognomento Vetulus filius eius. Hic duxit vxorem Corrardi primi Imperatoris *filiam, de qua genuit Odonem, qui dictus est Campaniensis, quia in campo natus fuit. Hic multùm in armis strenuus & famosus fuit, Comésque Carnotensis & Blesensis. Fuerunt autem XV. Comites vel Comitissæ Blesenses vsque hodie post præfatum Gellonem. Ex Comitibus Blesensibus Theobaldus Comes Campaniæ, & Stephanus frater eius primò Comes Blesensis, postea Northmanniæ Dux & Rex Angliæ processerunt. Porrò nostris temporibus, post obitum Iohannæ Comitissæ filiæ Iohannis Comitis Blesensis, vxorisque Petri Comitis Alançonis filij sancti Ludouici, quia decessit absque liberis, deuenit Comitatus Blesensis ad Comitem Sancti Pauli Hugonem ratione propinquitatis, cuius filius nunc tenet Comitatum Blesensem. B

* imò Regis Burgundiæ.

De NORTHMANNORVM etiam stirpe venerunt Duces Apuliæ, qui postea paulatim Calabriam sibi & tandem Siciliam subdiderunt. Sicut enim scribit Magister Hugo de Sancto Victore, postquàm Northmanni in ea quam peruaserant parte Franciæ confirmati fuerunt, vltrà manus extendere conati sunt, & Guillelmus Nothus Dux Northmanniæ sibi Angliam subiugauit. Alij verò progressi, Apuliam, Calabriam, Siciliámque occupauerunt. Inter eos siquidem famosiores fuerunt, Vnfredus, qui Apuliam conquisiuit cum Drocone Constanciensi fratre suo, & Robertus Guichardi qui Calabriam addidit cum XV. milibus armatis eam fortiter inuadens. Partem quoque Siciliæ, Alexio Imperatore Constantinopolitano deuicto turpiter in bello, & fugato, vi cepit. Legitur etiam alibi, quòd Hildebrandum vel Gregorium VII. Papam, inuito Imperatore Henrico IV. expulso Antipapa Clemente seu Guiberto, restituit Sedi suæ. De Apulia & Calabria dicit Isidorus IX. Etymol. quòd terra est hyeme vernans. Sol enim ibi est mitis, temperies grata, aër purus & blandus. Et Hugo Floriacensis dicit, Apulia dicitur à perditione: celeriter enim virentia solis feruore perduntur. In eis sunt vrbes hæ, Luceria, Lepontus, Brondusium, & Tarentum. Item vir prudens & famosus ac strenuus fuit Baymundus dicti Roberti Guichardi filius & successor. Cuius probitas & bonitas patuit maximè in acquisitione Terræ sanctæ, scilicet tempore Godefridi de Buillon. Eorúmque successor inclytus fuit Rogerus, qui cùm alij prætactas terras paulatim conquisissent, & se solùm Duces vocassent, primus residuo Siciliæ subiugato, & Africæ maxima parte conquisita, anno Domini MCXXVI. sumens Regium diadema, fecit versum hunc in clypeo suo scribi, C

Apulus & Calaber, Siculus mihi seruit, & Afer.

DE

A

DE INITIO FLANDRIÆ.

DE Comitatu FLANDRIÆ sciendum, quòd anno Domini DCCCLXXXVII. Imperante Romæ, regnantéque in Francia Carolo Caluo, incœpit. Priùs enim tempore Pipini & Karoli Magni, Ludouicique Pij, positi fuerant Forestarij seu custodes patriæ, quæ tunc erat exigui nominis & valoris, propter densitatem syluarum, & raritatem villarum. Accidit autem, tunc quòd Balduinus quidam fortis & animosus satelles, filius Audraceri * Flandriæ custodis raperet violenter Iudith filiam Karoli Calui Regis. Et post excommunicationis sententiam in ipsum & fautores suos latam, propter hoc per Proceres & Prælatos tandem reconciliati sunt. Ita quòd iunctis matrimonialiter, & eorum heredibus, datus est Comitatus Flandriæ à præfato Rege.

*Audoacri

DE LOTHARINGIA.

LOTHARINGIAM à Lothario Imperatore filio Ludouici filij Karoli Magni, legimus appellatam. Cùm enim post patris obitum anno Domini DCCCXLV. B diuisæ fuerunt inter tres fratres, Lotharium scilicet, Ludouicum, & Karolum Caluum, Imperij Romani & Regni Franciæ Regiones, Regio quæ est inter Scaldum & Rhenum, quam Mediam Franciæ partem Sigibertus vocat, dicto Lothario cessit in partem, & vsque nunc ab ipso denominatur, quasi Lotharij Regio * Gallicè *Loher-regne.* Solebat autem à Brachantia vsque ad Rhenum, & à fine Campaniæ Gallicæ vsque ad Leodium LOTHARINGIA dici, continens quatuor Ducatus, scilicet Bracbantiæ, Louannij, Nanceij, & Mosellanorum, Comitatúsque plures. Sed nunc strictiùs sumitur, scilicet à Vallecoloris ex vna parte, & à Mosæ fluminis cursu versus Franciam, vsque ad initium Diocesis Treuerensis, continens Verdunum, Tullum, & Methis, quæ solet Mediomatricum vocari, vrbes, partémque Dioceseon Treuerensis, Leodiensis, & Remensis: Ducatum scilicet Lotharingiæ seu Nanceij, Comitatum Barri cum aliis, Hasbaniam, & Ardennam.

* al. Regnum.

 A

NICOLAI VIGNERII
TRACTATVS
DE STATV ET ORIGINE
VETERVM FRANCORVM,

Ex Gallico sermone in Latinum conuersus.

FRANCORVM originem innumerabiles penè doctissimi Scri- B
ptores exactè ac diligenter indagarunt. Ita tamen obscura at-
que incerta semper extitit, vt faciliùs fuerit omnium opiniones,
& quid ex iis colligi possit, proferre, quàm certi quicquam sta-
tuere. Atque huiusce rei causa hæc afferri potest, quòd nulla
hactenus fide atque auctoritate digna reperta sit Historia, quæ
ante Galieni Imperatoris tempora eorum mentionem fecerit. Qui quidem (vt
refert Trebellius Pollio) cùm Imperij sui decennia, quæ iuxta nostram sup-
264. putationem in CCLXIIII. salutis nostræ annum, vrbis verò conditæ MXV.
inciderunt, solenniter celebraret; inter pompam ludorum ac spectaculorum
quæ populo edidit, multa hominum agmina, quorum vnumquodque circiter du-
centos complectebatur, Gothorum, FRANCORVM, Persarum, & Sarmatarum for-
ma atque habitu spectanda exhibuit: vt victorias, quas de hisce nationibus repor-
tauerat, quæ Romanum Imperium vndiquaque vexabant atque agitabant, osten-
taret. Quapropter idem Auctor scribit, ipsum ludibrio habitum fuisse, eò
quòd rei veritatem omnes exploratam haberent. Illud interim argumento es-
se poterit, iam tum apud Romanos *Francorum* nomen celeberrimum extitisse, ip-
sósque inter ferocissimas ac bellicosissimas nationes fuisse habitos. Id quod ipse-
met Auctor magis confirmat, dum ait, Cassium Posthumum, qui Galliarum
Imperium inuaserat, Gallorum ac *Francorum* subsidio, quos mercede conductos
habebat, diu sese aduersus Galieni potestatem defendisse. Id quod circa vr- C
bis annum MXVIII. & MXIX. contigisse potuit. Præterea Sextus Aure-
lius Victor in Epitome Historiæ Romanæ, quæ nuper iterum in lucem est
edita, testatur *Francorum* nationes Galieni temporibus incursionibus ac popu-
lationibus Gallias infestasse, indéque in Hispaniam vsque penetrasse, in ea-
que dominationem, capta, direpta, ac penè euersa Tarracone, obtinuisse. Vn-
de pars eorum nauibus instructa in Africam transmisit. Quæ quidem res eo-
dem penitus modo narratur ab Eutropio, Orosio, & beato Hieronymo in suo
Chronico, nisi quòd simplici Germanorum appellatione eos denotant, qui ea
gesserunt, quos supradictus Auctor FRANCORVM gentes appellat. Osten-
dit præterea eos ipsos in Hispania duodecim annos consedisse, ab anno sa-
266. lutis nostræ CCLXVI. vt videre est apud Eusebium. Quamobrem Bea-
tus Rhenanus perperam conatus est illud ad Sueuos referre, qui mul-
to post tempore Regni in Hispania fundamenta iecere. Attamen Fla-
uius Vopiscus in vita Aureliani Imperatoris scribit, ipsum, dum adhuc v-
nius Legionis Moguntiæ Tribunus esset, maximam *Francorum* multitu-
dinem, qui Gallias populabantur, profligasse. Id quod proculdubio

A ante Valeriani atque Galieni initium accidit: propterea quòd Valerianum sequutus est in ea expeditione, quam in Orientem aduersus Gothos & Persas secundo Imperij sui anno suscepit. Atque in bello aduersus Gothos Romano exercitui præfuit, eósque prope Nicopolim quarto Valeriani Imperij anno insigni clade affecit. Quamobrem sequenti anno extraordinarium Consulatum adeptus est; quæ dignitas Tribuni militum dignitate longè præstantior erat. Verùm hæc omnia testimonia, licèt nulla alia suppeterent, sufficere possunt ad confutandam eorum opinionem; qui *Francos* Valentiniani Magni temporibus, primùm nomen illud accepisse litteris prodiderunt.

Qvi autem Francorvm originem à Troianis repetere conati sunt, haud quaquam firmioribus testimoniis nituntur. Si enim alia extitissent, Gregorium Turonensem veterem Francorum Historiæ Scriptorem minimè latuissent. Ceteri verò, qui ab vtraque opinione discedunt, non idcircò in animum inducere possunt, ipsos è Germania oriundos; quòd existiment, à Plinio, Tacito, Strabone, Pomponio Mela, Ptolomæo, qui veterum Germaniæ populorum nomina ac sedes diligentissimè inuestigarunt, minimè prætermittendos fuisse, si eos, sicuti Saxones, Vandalos, Burgundiones, & Longobardos reperissent. Quo fit, vt eorum probabilior videatur sententia, qui
B eos ex aliis partibus (vt posteà declarabimus) profectos dicunt, quemadmodum Gothos, Alemannos, atque etiam Burgundiones, qui, teste Ammiano Marcellino, eamdem se habere cum Romanis originem iactare ausi sunt: siue ex Pannonia, sicut ipse Gregorius Turonensis post alios refert, siue ex *Scythia*, eo præsertim tempore, quo ingens illud Scytharum diluuium, Decio & Volusiano rerum potientibus, Romanum Imperium peruasit. Siquidem Zozimus multarum gentium, quæ supradictis sese adiunxerant, meminit, quarum nomina apud nullum Auctorem ipso antiquiorem reperiuntur. Præterea etiam obseruare licet, infinitas propemodum anteà incognitas nationes, in Romanam Historiam introductas, quarum ne nomina quidem vnquam audita fuerant. Item aliundè notari potest, tum primùm Germaniæ Prouincias ac regiones, nouas appellationes, nouósque incolas suscepisse. Cui quidem rei fidem facere possunt Burgundiones, qui ex paludibus Mœoticis Rhenum versus commigrarunt: itémque Alemanniæ, atque Alemannorum nomen, quod eodem penitus, quo Francorum, tempore clarere cœpit: nec non etiam veteres ipsius populos, sicut Marcomannos, antiqua nomina amisisse, aut etiam sedes ac domicilia mutasse. Id quod Sueui fecere, qui antiquarum sedium partem Alemannis habitandam reliquerunt. Ex quo iudicari potest, aliquam nationis cuiusdam Scythicæ aut Sarmaticæ multitu-
C dinem ab aliis diuulsam in Germaniam se contulisse, ibidémque Francorvm nomen aut accepisse, aut aliundè attulisse. Vnde minimè mirum videri debet, si reperti sint nonnulli, qui eos è Scanzia deducere voluerunt. Inter quos doctissimus Turnebus, cui Franci videntur esse ij, quos Ptolomæus in dicta insula Phirassos appellat. Qui cùm in Germaniam venissent, variis in locis tabernacula collocarunt, eodem prorsus modo, quo Iornandes Gothos longè antea, præcipuè iuxta oram Germanici maris habitasse affirmat. Cùm præsertim speciosa quadam probabilitate (non meâ tamen sententiâ) accommodari possit hæc opinio causæ illi, propter quam Auctor Panegyrici Constantino dicti, eorum originem ab vltimis remotissimæ Barbariæ finibus repetit, sicut deinceps eiusdem verbis ostensuri sumus. Quodque etiam eo tempore, quo primùm Romana Historia sub *Francorum* nomine eorum mentionem facit, inter quasdam paludes ad oram Germaniæ maritimam prope Bataviam, quà Rhenus in Oceanum influit, visi sunt habitare: vbi fortitudinis, audaciæ, peritiæque naualis opinionem consequuti, omnem illam oram, Hispaniam vsque prædationibus ac latrociniis infestare cœperunt: cùm (vt in quodam Panegyrico habetur) eorum animi bellandi ardore flagrarent. Adeò vt hoc vitæ genus sequuti fuerint à temporibus Claudij Imperatoris, sub quo circa CCLXX. salutis nostræ annum Bataviam, 270.

aliásque finitimas regiones trans Rhenum occuparunt, vsque ad Constantium Cæsarem Constantini Magni patrem, qui eos aliam viuendi rationem inire coëgit. In quam sententiam Zozimus atque Eumenius Rhetor mentionem faciunt inusitatæ cuiusdam audaciæ, quam Imperatoris Probi temporibus circiter CCLXXVIII. Christi annum edidere; cùm idem Imperator aliquâ ipsis intra paludes clade illatâ, exiguum eorum numerum cepit, quos captiuorum instar in Asiam abduxit. Ibi verò cùm casu quodam in naues aliquot incidissent, ita opportunè iis vsi sunt, vt totam Græciam horrenda quadam confusione repleuerint. Deinde omnes portus & littora tum maris maioris, tum etiam Græciæ, Asiæ, atque Africæ, nullo metu, nullóque impedimento deprædati sunt. Atque ita cùm in Siciliam appulissent, direptâ ac vastatâ maximâ atque opulentissimâ Siracusarum ciuitate, per fretum Gaditanum immensis opibus ac spoliis ditati domum reuersi sunt. Mamertinus item in suo Panegyrico, dum blanditur Imperatori Diocletiano, eum laudat, quòd domitis *Francis*, assiduas eorum excursiones represserit, cùm ingentem classem instruendam curasset, ad maritimam Galliæ oram aduersus Saxones defendendam, cui Carausius quidam præfectus est, sicuti postea ampliùs exponemus. Interim aliis etiam testimoniis probare possemus, ipsos non tantùm mari sui terrorem incussisse, verùm etiam terrâ, eos præcipuè quos suprà retulimus, cùm è Sextio Aurelio atque Eutropio, tùm è Flauio Vopisco, qui in vita Aureliani Imperatoris ait, magno ipsi honori datum fuisse, quòd mille *Francorum* manum fuderit qui in Gallias irruperant, eásque populabantur; è quibus trecentos occidit, septingentos verò captiuos abduxit. Idque dum adhuc vnius tantùm Legionis Moguntiæ Tribunus esset. Ob quod facinus Carmen quoddam editum est. Addit præterea eumdem Aurelianum, cùm esset Imperator, aduersus *Francos* bellum gessisse, quòd eorum quosdam, dum Romæ triumphum de omnibus nationibus à se debellatis duceret, inter captiuos produxisset.

278. (margin) · A · B

ATQVI hæc omnia sigillatim exponenda esse duxi, non quòd ea quam protulimus nobis probetur opinio, sed vt ostendatur, non minùs eam defendi posse, quàm illam, quam doctissimus quidam huiusce ætatis Scriptor, ei præferre non dubitauit; dum sibi persuadet FRANCOS, ex eo quòd diu loca maritima atque paludes incoluissent, à Caninefatibus originem duxisse: propterea quod in ea, quam C. Tacitus ipsis assignat, parte consederint: quódque Franci ipsi videantur, postquam in Galliam transiere, multos ritus, multásque antiquas consuetudines à Caninefatibus accepisse. Veluti cùm, teste Gregorio Turonensi, CLODOVEVM Regem creatum clypeis euectum maxima cum lætitia humeris suis per omnem exercitum circumtulerunt. Etenim facilè probari posset, istam consuetudinem aliis nationibus non solùm in Germania, verùm etiam alibi communem fuisse. Ex iis autem quæ suprà diximus, quæque postea dicturi sumus, intelligi potest, *Francos* aut ex longinquiori quàm Batauorum, imò etiam Chaucorum regione profectos: aut saltem Francorum nomen latiùs patuisse, atque ad ampliores populos & nationes quàm Caninefatum pertinuisse. Cùm præsertim in quodam Panegyrico Constantino dicto scriptum reperiatur, diuersas nationes, siue diuersos Francorum Reges temporibus Claudij Imperatoris Batauiam occupasse, indéque à Constantio Cæsare Diocletiani genero anno Christi CCXCIII. fuisse expulsos. Vnde dictum illud de eo percrebuit, *Purgauit Batauiam hoste aduena*. Cuius rei veritas clariùs apparebit, cùm singula eorum facinora enumerabimus, quibus quæque temporibus edita sint, quæque apud antiquos Auctores reperire potuimus, à regno Imperatorum Diocletiani & Maximiani, sub quibus Historici aliíque Scriptores, saltem ij qui nobis supersunt, ampliorem eorum, quàm antea mentionem faciunt. Nam Eutropius & ceteri narrant *Francos* & Saxones, cùm omnem maris Oceani oram occuparent, eámque latrocinijs ac prædationibus infestarent, Maximianum, qui Occidentis curam ac regimen susceperat, eo com-

A pulisse, vt Ducem quendam Carausium nomine contra eos miserit. Qui quidem tantum abest vt eos mari submouere conatus fuerit, vt etiam cum iis consenserit, eorúmque latrociniis ac prædationibus se socium adiunxerit. Deinde cùm suam proditionem patefactam, seséque officio spoliatum animaduertisset, oppida quædam maritima, puta Boloniam, omnémque Britanniæ insulam occupauit, idque facili negotio, cùm omnis naualis exercitus, qui Gallicæ oræ præsidio antea relictus fuerat, in illius esset potestate, omnésque rei naualis peritissimi duces ac milites, nec non etiam nauium rectores ac nautæ, vna cum Romana legione ad eum se contulissent. Præterea magnum militum numerum è *Francorum* populis, iis maximè qui Batauiam inuaserant, mercede sibi comparauit, quorum præsidio, eorúmque quos sibi ex omni illorum gente asciuerat, fretus, ita sese aduersus Maximianum defendit, vt cùm bellum ipsi inferre voluisset, nullo pacto eum adoriri potuerit, eò quod nauali apparatu careret. Itaque pacem cum eo inire coactus est. Deinde verò quinto Imperij sui anno, Christi autem CCLXXXVIII. exercitum aduersus *Francos* duxit, qui maximis illius viribus perterriti vltrò ipsi in deditionem venerunt. 288. Quamobrem sequenti anno illorum Rex GENOBON vnà cum gentis suæ Principibus Treuiros ad eum supplex venit, Regnúmque ab eo recepit. Id quod ex primo Mamertini Panegyrico collegimus, vbi ait: *Cùm per te Regnum receperit Genobon.* Et paulò pòst: *Quid ille aliud expetiit ad conspe-*
B *ctum tuum cum omni sua gente veniendo, nisi vt tum demum integra auctoritate regnaret, cùm te, Maximiane, placasset?* Id quod autem nos inducit vt credamus, hunc Genobonem Francorum Regem extitisse, illud ipsum est, quod idem Auctor in secundo Panegyrico ait, *Prætereo Francos ad petendam pacem cum Rege suo venientes*, &c. Cui etiam congruere potest id quod paulò pòst scribit: *Et domitis Francis oppressa bella piratica.* Videtur tamen Maximianus hac ficta pace Francos, sicuti paulo antea Carausium, deludere voluisse. Cùm enim ipse & Diocletianus anno salutis nostræ CCXCI. Constantium Cæsaris dignitate ornassent, eúmque Galliis præfecissent, confestim eum aduersus Carausium & Francos miserunt. 291. Adeo vt Bononiam vrbem maritimam, quæ tunc temporis Gessoriacum appellabatur, citiùs peruenerit, quàm illius ex Italia discessus auditus fuisset. quo factum est vt eam nullo negotio expugnauerit. Veruntamen cùm statim in Britanniam traiicere non potuisset, quòd illius classis rebus necessariis satis instructa non esset, ne temporis iacturam faceret, aduersus Francos qui Batauiam (hodie Hollandia appellatur) eásque partes, quæ inter Scaldim & Rhenum sitæ sunt, occupabant, contendit. Vbi tantis eos cladibus affecit, vt syluarum, fluuiorum, ac paludum latebræ & perfugia satis eos tutari non potuerint, quin penè ad internecionem deleti fuerint, séque vnà cum coniugibus, liberis, omnibúsque familiis eius
C potestati permittere coacti sint. Quapropter eos omnes transtulit, ac per quasdam Galliæ ciuitates dispersit, vt eorum opera in publicis necessitatibus vteretur; donec in eas regiones, quas illis Maximianus destinauerat, deducerentur. Ea autem ex multis Panegyricis collegimus atque exscripsimus, in quorum vno hæc habentur. *Dum ædificandis classibus Britanniæ recuperatio comparatur, terram Batauiam sub ipso quondam alumno suo à diuersis Francorum Regibus* (alij legunt *à Francorum Regum gentibus*) *occupatam, omni hoste purgauit. Nec contentus vicisse, in Romanas transtulit nationes, vt non solùm arma, sed & feritatem ponere cogerentur.* Et in alio. *Multa ille* (de Constantino loquitur) *Francorum millia, qui Batauiam aliásque cis Rhenum terras inuaserant, interfecit, depulit, cepit, abduxit.* Item Eumenius in suo Panegyrico. *Sed neque illæ fraudes locorum, nec quæ plura inerant perfugia syluarum Barbaros tegere potuerunt, quo minus ditioni tuæ diuinitatis omnes se dedere cogerentur, & cum coniugibus ac liberis cæteróque agmine necessitudinum ac rerum suarum ad loca olim deserta transirent, vt quæ fortasse ipsi quondam deprædando vastauerant, culta redderent seruiendo. Quis hoc vnquam futurum, etiam si coram voluisset affari, Deus ante vos Principes, persuadere potuisset? Quod numquam vidimus, & videmus totis porticibus ciuitatum sedere captiua agmina Barbarorum, viros attonita feritate*

trepidantes, respicientes anus ignauiam filiorum, nuptas maritorum vinculis copulatas, pueros ac puellas familiari murmure blandientes, atque hos omnes prouincialibus vestris ad obsequium distributos, donec ad destinatos sibi cultus solitudinum ducerentur. His autem adducor, vt existimem, tum primum Maximianum Imperatorem eos in Neruiorum ac Treuirorum desertas atque incultas regiones deducendas curasse, vt eas sub legibus Imperij excolerent atque exercerent. Sicque eos libertati, quâ exciderant, quodam veluti postliminio restituere videbatur. Atque eo modo verba illa, quæ in fine Panegyrici leguntur, intelligi debent. *Itaque sicuti pridem tuo, Diocletiane Auguste, iussu deserta Thraciæ translatis incolis Asia suppleuit; sicuti postea tuo, Maximiane Auguste, nutu Neruiorum & Treuirorum arua iacentia, Lætus postliminio restitutus, & receptus in leges Francus excoluit.* A

QVOD autem ad illud verbum (*Lætus*) attinet, siue iuxta Pithœi opinionem pro nomine proprio alicuius Germaniæ populi, FRANCORVM præsertim, sumi debeat: siue multis ac diuersis fuerit commune; ipsos ab Imperatoribus inter Legionarios milites, *Lætos* nuncupatos, qui *Læticas terras* incolebant, ascitos atque adscriptos reperi. *Terræ* verò *Læticæ* erant illæ, quæ ab Imperatoribus externis militibus, qui se ad eos militiæ gratiâ contulerant, intra Imperij limites habitandæ, atque excolendæ concedebantur: in quibus iisdem, quibus veteres Prouinciæ incolæ, iuribus ac priuilegiis vtebantur. Illud autem ex Imperatorum Arcadij atque Honorij Constitutione annotaui, quæ quidem in Codice Theodosiano *Tit. 2. de Censitorib. lib. 13. l. 9.* legitur his verbis. *Quoniam ex multis gentibus sequentes Romanam felicitatem se ad Imperium nostrum contulerunt, quibus terræ Læticæ administrandæ sunt: nullus ex iis agris aliquid, nisi ex nostra notatione mereatur. Et quoniam aut amplius quàm meruerant occuparunt, aut conludio Principalium, vel Defensorum, vel subrepticiis Rescriptis, maiorem, quàm ratio poscebat, terrarum modum sunt consequuti: inspector idoneus dirigatur, qui ea reuocet, quæ aut malè sunt tradita, aut improbè ab aliquibus occupata. Datum.* Eiusmodi autem terrarum magnam copiam variis in locis Galliæ suppeditarunt, è quibus multæ militum cohortes educebantur, quarum vnaquæque Ducem suum habebat, qui Præfectus siue Præpositus *Lætorum* vel *Lætis* appellabatur, cum quibus in diuersa loca præsidij gratia, interdum solæ, interdum verò cum multis aliis diuersorum nominum Cohortibus distribuebantur. Namque eo pacto ea mihi videntur intelligenda, quæ in lib. 1. Notitiæ Imperij Romani reperiuntur, his verbis. *Præfectus Lætorum Teutonicianorum, Carnuto, Senoniæ, Lugdunensis. Præfectus Lætorum Batauorum, & Sueuorum Gentilium, Baiocas. Præf. Lætorum Francorum Rhedonas. Lætorum Lingonensium per diuersa dispersorum Belgicæ primæ. Lætorum Actorum Epuso. Lætorum Neruiorum Fanomantis.* Cum multis aliis, quos ibidem videre est. Quo loco si verbum (*Lætus*) pro nomine proprio alicuius populi Francici accipi debeat, simili modo Lingonensium ac Neruiorum nomina, pro Cohortium Læticarum, quæ è Lingonensium ac Neruiorum terris deligebantur, appellationibus poterunt intelligi. Siquidem ex Panegyricis suprà citatis probari potest, in terras Lingonensium pariter ac Neruiorum *Francos* fuisse distributos. Quo tandem pacto se res habeat, huiusmodi Galliæ Lætos intellexisse videtur Zozimus, vbi ait, Tyrannum Magnentium cum Lætis Gallica seu Celtica gente aliquandiu versatum fuisse, quia scilicet Aurelius Victor id ita explicat, dum scribit, *Magnentius ortus parentibus Barbaris, qui Gallias habitabant.* Præterea ex aliis eorumdem Panegyricorum locis facilè deprehendi potest, Constantium non modò *Francis* Batauiam incolentibus bellum intulisse, verùm etiam Rhenum transiisse, vt ceteras quoque *Francorum* nationes trans Rhenum incolentes adoriretur, è quibus quot voluit captiuos abduxit, tam ex iis quæ prope eumdem fluuium habitabant, quæ antiquis Frisiorum, Chamauorum ac Bructerorum nominibus nuncupatæ, videntur: tum etiam ex aliis remotioribus, quæ simplici *Francorum* appellatione designantur, eæque, quas incolebant, regiones, FRANCIA, quæ omnem maris Germanici oram occupabant, ab his locis quæ olim Romani peruaserant, ac subegerant, vsque ad

B

C

A ea loca, quæ ipsi Auctores vltima Barbariæ littora appellant, vnde Franci primam originem duxerant. Decimo namque Panegyrico hæc verba legimus. *Quid loquar intimas* FRANCIÆ *nationes, iam non ab iis locis quæ olim Romani inuaserant, sed à propriis ex origine suis sedibus, atque ab vltimis Barbariæ littoribus auulsas: vt in desertis Galliæ regionibus collocatæ, etiam pacem Romani Imperij cultu iuuarent, & arma delectu.* Cùm verò Batauiam à variis diuersarum nationum Francicarum Regibus occupatam fuisse dictum sit, id ipsum Eumenius eo loco, qui proximè citatum sequitur, speciatim declarat, dum eas quæ inde in Galliam translatæ sunt nominat, his verbis. *Insultare hercule communi Galliarum nomine libet, & quod pace vestra loquar, ipsis triumphum assignare Prouinciis. Arat ergo nunc mihi Chamauus & Frisius ille vagus, ille prædator exercitio squallidus operatur, & frequentat nundinas meas pecore venali, & cultor Barbarus laxat annonam. Quin etiam si ad delectum vocetur, occurrit, & obsequiis teritur, & tergo coercetur, & seruire se militiæ nomine gloriatur.* Quo loco notandum est, Frisiorum & Chamauorum nominibus *Francorum* populos Rheno proximiores, his verò (*vagus prædator & Barbarus*) remotiores illos, vnde Salij orti sunt, designari. Cùm præsertim in aliis Panegyricis Barbari appellatio simpliciter sumpta & sine vlla additione, sæpiùs pro remotioribus *Francorum* populis, quàm pro iis qui Romanis erant viciniores, aut vlla natione Germanica accipiatur. quia nimirum ferociores atque agrestiores aliis propinquioribus esse videbantur.

B VERVM vt ad Historiæ seriem redeamus, FRANCIS tot tantisque cladibus affectis, Constantius vna cum exercitu in Britanniam traiecit, vbi cùm Carausium extinctum reperisset, Tyrannum illum, qui in eius locum successerat, vnà cum ingenti *Francorum* multitudine, qui partes illius sequebantur, trucidauit. Quamobrem Eumenius scribit, victoriam illam maximi momenti Romanis extitisse, iisque maxima commoda attulisse, afflictis penitus ac prostratis Francorum viribus (siquidem legendum sit, *qua gentis Francorum vires*, potiùs quàm, *Francorum gentes penitus excisæ*): tum etiam pacato mari, piraticisque prædationibus in posterum liberato. Nihilominus tamen sequentibus temporibus compertum est, Francorum vires non ita fuisse à Constantio excisas, quin rursus in aquas resiluerint, omnémque Oceanum vsque ad Hispaniæ littora latrociniis infestum habuerint: idque non minori impetu, quàm ante nouissimam illam cladem acceptam, quæ circiter CCXCIII. salutis nostræ annum, Diocletiani verò Imperij X. accidit, vsque ad Constantini Magni tempora. Cuius rei testis est Nazarius in suo Panegyrico coram ipso Imperatore recitato, vbi ait: *Franci præter ceteros truces, quorum vis cùm ad bella efferuesceret, vltra ipsum Oceanum æstu furoris euecta, Hispaniarum etiam oras armis infestas habebat.* Ostendit præterea ipsos, quamuis à Constantio propemodum deleti fuerint, tamen continere se non potuisse, quin pacem cum gentis suæ Regibus factam violarint, cùm primum ipsum è Gallia excessisse cognouissent, atque in Britanniam transiisse ad eam expeditionem, in qua mortem obiit anno 293.

C Christi CCCVI. Tunc enim Rhenum transierunt, ducibus ASCARICO seu ASACARICO, & GAISONE seu RAGAISONE, suis Regibus, ad vastandas ac diripiendas Gallias, sicuti antea consueuerant. Atque ita Constantino materiam Imperij sui primordia illustrandi præbuerunt, eo bello quod contra eos suscepit, postquam res suas in Britannia stabiliisset ac confirmasset. Tum enim validissimo cum exercitu eos cis Rhenum, vbi ipsum exspectare ausi fuerant, adortus, tanta clade mulctauit, vt Reges eorum captiui in manus ipsius deuenerint, quos quidem in Theatro bestiis obtulit inspectante populo: vt hac ratione vetera gentis ipsius delicta eorum supplicio vindicaret, ceterisque metum iniiceret. Quamquam Romani facinus eiusmodi barbarum & inhumanum reputassent, si in suos Principes patratum fuisset. Cui rei fidem faciunt ea quæ de Valeriano Imperatore à Persarum Rege capto litteris prodiderunt. Verumtamen Auctores qui hoc referunt, reliquæ multitudini eum pepercisse asserunt, cùm nationem illam funditus exscindere noluerit: licèt, vt aiunt, idipsum in eius fuerit potestate. Atque hæc quidem historia ex multis Panegyricis desumi potest, inter quos Nazarius ait: *Tu ferocissimis Regibus Ascarico & Comite captis, tanta cum laude res bellicas auspicatus es, vt iam inauditæ magnitudinis obsidem teneremus.* Et paulò post. *Sic tu Imperator,*

in ipsis Imperij tui cunabulis quasi geminos dracones necares, per sæuissimorum Regum famosa supplicia ludebas. Et in alio. *Quomodo Remp. vindicare cœpisti? Ignobilem, credo, aliquam Barbarorum manum, quæ repentino & improuiso latrocinio ortus tui auspicia tentasset, affecisti pœnâ temeritatis. Reges Franciæ, qui per absentiam patris tui pacem violauerant, non dubitasti vltimis punire cruciatibus, nihil veritus gentis illius odia perpetua & inexpiabiles iras.* In his pariter obseruare possumus, partem illam, è qua Franci prodierant, iam tum FRANCIAM dictam fuisse. Quòd autem illa victoria cis Rhenum parta fuerit, satis patet ex alio loco decimi Panegyrici, vbi hæc leguntur: *Sciunt Franci posse transire Rhenum quos ad necem suam libenter admittas, sed nec victoriam possunt sperare, nec veniam. quid ipsos maneat, ex Regum suorum cruciatibus metiuntur.* Cuinam verò *Francorum* genti hæc illata fuerit clades, ex iis quæ sequuntur deprehendi potest. *Vt tamen omnibus modis Barbarorum immanitas frangeretur, nec sola hostes Regum suorum supplicia mærerent, etiam immensam Bructeris vastationem fecisti, Imperator inuicte. In quo prima fuit consilij tui ratio, quòd exercitu repente traiecto inopinantes adortus es: non quòd aperto Marti diffideres, qui palam congredi maluisses. Sed vt illa natio perfugiis syluarum & paludum bellum frustrari solita, fuga tempus amitteret. Cæsi igitur innumerabiles, capti plurimi, quidquid fuit pecoris captum, aut trucidatum est. Vici omnes igne consumpti. Puberes, qui in manus venerunt, quorum nec perfidia apta erat militia, nec ferocia seruituti, ad pœnas spectaculo dati, sæuientes bestias multitudine sua fatigarunt.* Et postea. *Insuper etiam Agrippinensi ponte faciendo reliquiis afflictæ gentis insultas, ne vnquam metum ponat, semper horreat, semper supplices manus tendat.* Hæc autem eo fiebant consilio, vt Barbarorum ferocia penitus frangeretur atque opprimeretur. Vtque hostibus grauior, quàm ex Regum supplicio, dolor infligeretur, Constantinus Imperator Rhenum transduxit exercitum, qui Bructerorum agris miserabilem intulit vastationem: adeò inopinantes adortus, vt omnem ipsis syluarum ac paludum perfugia & recessus petendi facultatem eripuerit. sicque facili negotio superati sunt. Siquidem innumeris gladio cæsis, qui superfuerant abducti sunt, vt populo exhiberentur in Theatro, bestiisque obiicerentur: iis tantùm reseruatis, qui militiæ apti, aut seruituti idonei reperti sunt. vastatis prius eorum agris, vicis igne consumptis, capto pecore, aut trucidato.

VT autem semper aliquis in posterum miserandis huiusce nationis reliquiis Romani nominis metus insideret, Constantinus ab illa expeditione rediens miræ artis pontem super Rhenum è regione Coloniæ extruendum curauit. Quo testimonio intelligimus, Reges illos, quos Constantinus anno superiore ceperat, inferioris Germaniæ populis, qui iuxta Rhenum habitabant, quique FRANCI appellabantur, eorúmque Regio FRANCIA, imperitasse, maximéque Bructeros ipsis annumeratos prope Rhenum non longè à Colonia consedisse. Id quod alio etiam testimonio Gregorij Turonensis confirmari potest. Quapropter C. Tacitus eos Frisiis, Tencteris, Chamauis, Tubantibus, Ansuariis, siue Chasuariis, atque Angriuariis vicinos fuisse tradit. Ex quibus inferri potest, Herciniam syluam vsque ad Rhenum tunc temporis pertinuisse. Siquidem Claudianus Poëta rectè dixit. *Accola syluæ, Bructerus Hercinia.* Vtcumque tandem se res habeat, manifestum est, populos istos communi *Francorum* nomine comprehensos fuisse, sicuti antea Frisiorum & Chamauorum testimonio declarauimus. Itaque id in causa esse potest, cur anno Brutericam cladem consequuto, hoc est, salutis nostræ
308. CCCVIII. vel CCCIX. magna pars huiusmodi populorum, Tubantes videlicet, qui, vt refert Tacitus, Frisiis erant vicini, Chamaui, Cherusci, Chabiones, Alemanni, aduersus Romanos conspirarint: vel vt Bructeros vicinos suos & amicos, qui vnà cum iis arma sumpserant, vlciscerentur, vel vt infamiam ex illo ponte Agrippinensi susceptam eluerent. Cùm enim Constantinum aduersus Maximianum res nouas contra eum molientem profectum animaduertissent, singuli arma ceperunt, vt postea vires suas simul coniungerent, atque in Prouincias Romanas irruptionem facerent; nisi eos præuenisset, dum tanta celeritate eò accurrit, vt maximo cum vitæ periculo mutata veste duobus comitibus assumptis, ad eos explorandos contendere ausus fuerit. Cúmque eos dispersos offendisset, exercitum nauibus Rhenum transduxit cum tanta diligentia, vt eos inopinantes adortus facili negotio fuderit, vt refert Nazarius. Nihilominus tamen pacem

A iterum cum ipsis fecit, quam minimè ab ipsis violatam reperio ante illam expeditionem, quam in Italiam aduersus Maxentium anno CCCXIII. suscepit. Nam 313. in sexto Panegyrico legimus, ipsi in Italia commoranti nunciatum fuisse, Barbaros, quibus *Francos* intelligit, ruptâ pace ipsis antè concessâ, magnum militum numerum educere, qui propter illius absentiam Rhenum transituri videbantur. Quamobrem confestim ex Italiâ profectus, magnis itineribus in fines inferioris Germaniæ contendit, vbi aduentu suo hostes adeò perterruit, vt ab incœpto desistere coëgerit: donec Constantinus, quo eorum consilia magis explorata haberet, exercitum reducere simulauit, relictis in occulto Ducibus, qui incautos atque inopinantes, si transire vellent, aggrederentur. eáque res eum, quem prævíderat, exitum habuit. Nam statim exercitum nauibus Rhenum traiecit, tantóque impetu in *Francorum* regionem irrupit, vt eam penitus delere atque exscindere voluisse visus fuerit. Nam præterquàm quòd magnum eorum numerum trucidauit, maximam prætereà captiuorum multitudinem abduxit, quos bestiis in Theatro obiecit: vbi tanto animo sese morti obtulerunt, vt in ipsa bestiarum ora se iniicerent quò citiùs deuorarentur. Huiusmodi autem sunt Auctoris verba: *Ruperat fidem gens leuis Barbarorum, & robore atque audaciâ lectis eruptionis auctoribus institisse Rheno nunciabatur. Illico obuius affuisti, & præsentiâ tua ne auderent transitum* B *terruisti. Etiam videbaris rem votis tuis fecisse contrariam, quod inhibita eruptione non fuisset materia victoriæ, sed inopinato consilio vsus (abeundi enim simulato nuncio maioris in superiore limite tumultus occasionem stolidis ac feris mentibus obtulisti in nostra veniendi) relictis in occulto Ducibus qui securos adorirentur. Quo cùm venissent, consilium tuum sequitur fortuna, toto Rheni alueo oppleto nauibus deuectus terras eorum ac domos mœstas lugentésque depopulatus es: tantámque vastitatem periuræ genti intulisti, vt post vix vllum nomen habitura sit. Ite nunc omnes, si placet, barbaræ nationes, & exitiales vobis mouete conatus.* Et paulò pòst. *Tantam captiuorum multitudinem bestiis obiicit, vt ingrati & perfidi non minus doloris ex ludibrio sui, quàm ex ipsa morte patiantur. Inde est quod cùm exitium differre liceat, perire festinant, séseque vulneribus offerunt. Ex quo apparet quàm magnum sit vicisse tam prodigos sui.* Quo autem minus dubitetur illúdne de Francis, an potiùs de aliis intelligi debeat, id postea manifestè declarat, dum ait. *Aut trucem Francum ferina sola carne distentum quantæ molis sit superare, vel capere, quod tu Imperator in ipso conspectu Barbariæ paulo antè fecisti.* Illa tamen postrema verba de omnibus victoriis, quas antea de Germaniæ populis, qui sub *Francorum* nomine continebantur, obtinuerat, intelligi possunt, è quibus ne Cheruscos quidem excludendos putarim. Neque enim legimus, Constantinum vllum aliud bellum aduersus aliam Germaniæ nationem, præterquam Francorum, gessisse. Quod autem Alemanni in bello superiùs à nobis commemorato fuisse dicantur, id propterea accidit, quòd in *Francorum* gratiam, quorum erant C finitimi, arma sumpserint. Præterea videri posset nouissimam illam expeditionem non contra Francos illos, quorum in superiori mentio facta est, sed potiùs aduersus eos qui mari propinquiores erant, susceptam fuisse. Propterea quòd nullis aliis assignari potest, id quod in fine eiusdem Panegyrici scriptum est. *Tibi se ex vltima Barbaria indigenæ populi dedidere.* Denique tot tantisque victoriis commotus Nazarius oratorum more in Panegyrico suo de *Francis* verba faciens, ait. *Igitur tuis armis ita conciderunt, vt deleri funditus possent: nisi diuino instinctu, quo regis omnia, quos ipse affeceras, filio conficiendos reseruasses. Quamquam ad gloriam fœcunda malis suis natio ita raptim adoleuit, robustéque recreata est, vt fortissimo Cæsari primitias ingentis victoriæ darent, cùm memoria acceptæ cladis non infracta, sed asperata pugnaret.* Eiusmodi autem verba ita sunt accipienda, quòd licèt toties à Constantino cæsi ac profligati fuissent, ità tamen repentè vires & animos resumpserant, atque in tantam multitudinem excreuerant, vt Constantini filio magnæ atque insignis victoriæ materiam præbuerint, dum tanto animi ardore, tantáque ferocia pugnam committunt, vt præteritarum calamitatum memoriâ exasperata potiùs eorum audacia, quàm fracta videretur. Ex quo ipso apparet, quàm difficile fuerit nationem illam debellare, quæ nullis cladibus, nullis calamitatibus frangeretur.

QVOD autem vnus è Constantini filiis aliam præterea cladem superioribus magis cruentam FRANCIS intulerit, id Crispo tribuendum est: quem pater primo

315. bello aduersus Liciniũ confecto, Cæsarem designauit, anno salutis nostræ, CCCXV. A cùm decimum Imperij sui annum celebraret, ac pro vicesimo vota conciperet. Illud quidem Romæ factum Sigonius existimat. Vnde ait Constantinum, exacta huiusce festi solennitate, Crispum illico in Gallias misisse, vt iis præesset, eásque contra Germanicarum nationum eruptiones defenderet. Quòd si toto hoc anno Constantinus Galliam non est ingressus, sicut idem Sigonius arbitratur; Legésque atque Edicta, quæ eodem & sequenti anno ipsius nomine Treuiris promulgata sunt, Crispo, qui in illa Prouincia patris vices gerebat, tribuenda sint: similiter existimandum erit, ipsum in *Francorum* regione trans Rhenum è regione Coloniæ, eo loco vbi nunc est Abbatia Tuitium (vulgò *Teusch*) appellata, propugnaculum quoddam *Diuitense Castrum* dictum ædificasse. quod illud ipsum esse potest, quod Ammianus Marcellinus *Diuitense munimentum* appellat. Verùm concedendum non puto, Cohortes illas, quarum sub nomine *Diuitensium militum* meminit, eas fuisse, quæ prædicti munimenti custodiæ relictæ fuerant. Crediderim potiùs Cohortes illas ac militum manus, quæ in tabulis Imperatorum sub *Diuitensium* appellatione inter extraordinarias recensebantur, pro vt ex lib. Notitiæ Imperij Romani perspici potest, Castellum illud de nomine suo ædificasse, idque præsente atque annuente Crispo, qui iam in Gallias ante patris Imperij decennia peruenerat. Id quod confirmari potest huiusce extructionis inscriptione, quam Rupertus, qui anno MCXX. viuebat, libro cui, *Meditationes de incendio Tuitij*, titulum fecit, in eodem loco repertam, indéque extractam declarat, paulò antè quàm B Abbas ipsius loci electus fuisset. Ipsam autem inscriptionem, pro vt ex eius libro exscripsimus, proferemus.

D. CONSTANTINO, PIO, FELICI, AVG.
OPPRESSIS DOMITISQVE FRANCIS,
IN EORVM TERRIS CASTRVM DIVITENSIVM
SVB PRÆSENTIA PRINCIPIS SVI,
MILITES CVM INTERTVRNIO FECERVNT.
D. N. M. Q. E.
XX. VOT.

Hæc autem postrema nota indicat, id eo tempore quo pro vicesimo Constantini anno vota fiebant, contigisse. Quamobrem, si verba, (*sub præsentia Principis*) de Crispo tantùm, non verò de illius patre intelligenda sunt, inferri potest ipsum multò antè quàm Sigonius existimarit, Galliis præfectum fuisse, ipsúmque à patre missum priusquam aduersus Licinium proficisceretur. Ni magis existimare velimus, sub ipsius Constantini præsentia, munimentum illud à nobis commemoratum fuisse extructum: in eadémque Prouincia, non autem Romæ, festum illud decennale ab eo celebratum esse: cùm ex ea discedens Crispum ibidem reliquerit. Neque enim mihi videtur Sigonius contra huiusmodi testimonium adeò C manifestum, atque ea quæ ipsemet profert, satis ostendisse, Constantinum toto hoc anno CCCXV. Galliam non intrasse. Quoquo modo se res habeat, constat Crispum, postquam Galliarum regimen suscepisset, Treuiris sedem ac domicilium habuisse, vbi reliqui ante ipsum Imperatores habitare consueuerant. Quia
318. verò anno CCCXVIII. primum Consulatum gessit, id in causa esse potuit, cur quispiam existimarit, ipsum eo tempore tantam de *Francis* victoriam fuisse consequutum: quæquidem videtur, vna cum superioribus, eorum vires adeo fregisse, vt, quo ad Constantinus vixit, neque mari, neque terra prædari ampliùs ausi fuerint. Firmissimis siquidem præsidiis ad omnes portus, atque ad ipsam Rheni ripam relictis, vnóque è filiis ipsis præposito, eiusmodi populorum incursiones in perpetuum prohibuit. Idque videtur innuere Porphyrius Poëta in suo Panegyrico Constantino dicato, vbi trium decenniorum illius Imperij mentionem facit, sicut mihi à Domino Pithœo Sauoyæ domino ostensum est, quòd ipse Auctor nondum in lucem editus sit.

AN. X. *Otia Cæsaribus pacis dedit, aurea secla*
Indulgens, natis Patriæ pietatis honores
Mitis iure Deus, sed .... in fortia vires

A *Non dubia ripâ Rhenum, Rhodanúmque tueri*
Vlteriore parant: & Francis tristia iura
AN.XX. *Iam tu, sancte puer, spes tanta rite quieti*
Missa polo, seclis da, Constantine, serena.
AN.XXX. *Tempora summe pio Tricennia suscipe voto.*

Crispo etenim Constantinus frater in Prouincia cùm successisset, in ea vsque ad patris obitum suúmque permansit. Neque etiam à veritate alienum videtur, *Francos* pace aliqua miti ac iucunda pacatos ac delinitos postea quieuisse: tum etiam quòd ex ipsis non pauci Imperatorum militiæ tanquam socij ac fœderati adscripti atque annumerati fuerint, sicut ipsemet Porphyrius in eodem Panegyrico innuit, dum ait:

Omnis ab Arctois plaga finibus, horrida Cauro
Pacis amans, ra * ...... *& comperta perennia iura*
Et tibi fida, suis semper benè militat armis,
Résque gerit virtute tuas, populósque feroces
Propellit, deditque lubens tibi debita ra......

Idcirco Ammianus Marcellinus Constantinum testatur eo bello, quod contra Licinium gessit, *Francos* secum habuisse, Duce fortissimo quodam eiusdem nationis BONICIO nominato, qui præclara egregiæ virtutis facinora edidit; necnon etiam VRSININO quodam è Francorum Regibus oriundo, qui sese adeo strenuum, ac rebus agendis idoneum præstitit, vt postea Constantio Imperium obtinente dignus repertus fuerit, qui Prouinciis Orientalibus præficeretur. Sub eodem Imperatore SILVANVS Bonicij filius, maximas res in Galliâ multo cum honore gessit.

B

CONSTAT itaque Constantinum, postquam fœdus cum FRANCIS percussisset, iisque in bellis vti cœpisset, ipsos magis pacauisse, ac piraticas eorum prædationes prohibuisse, quàm victoriis attriuisse. Cùm præsertim sub illius successoribus tantam nominis claritudinem adepti sint, vt eos præ ceteris nationibus, pensionibus ac stipendiis allicere, sibique deuincire studuerint. Neque vllum deinceps tempus extitit, quo non eorum operâ & subsidio in bellis ac defensione Imperij vsi fuerint. Et quidem Historiæ Ecclesiasticæ testantur Constantinum Iuniorem Magni filium primogenitum, cùm minorem, quàm sperarat, Imperij partem sibi à patre relictam ægrè ferret, maximam *Francorum*, aliarúmque Germaniæ nationum multitudinem sibi comparasse, vt in Italiam bello decertaturus contenderet. Cùm verò ibi dolo potiùs & insidiis, quàm Constantis sui fratris Legatorum ac Ducum fortitudine superatus fuisset atque interfectus anno CCCXL. ea res forsitan *Francos*, qui in defuncti gratiam exciti fuerant, nullóque se amplius illo mortuo fœdere obstrictos putabant, ad vastandas atque inuadendas Gallias concitauit: Cùm Duces ac Legati Constantis, qui tum in Pannonia aduersus Scythas & Sarmatas bellum gerebat, eos reprimere non potuerint. Itaque crudelissimum ac periculosissimum bellum exortum est, quod non nisi biennio confici potuit, quo multa præclarè ac fortiter vario euentu ab vtrisque gesta sunt: Donec Constans eas quas in Pannonia copias habebat contra eos adducere coactus est, quarum ope victorias aliquot consequutus, finem huic bello imposuit. Nihilominus tamen pro securitate, vt opinor, Imperij limitum, pacem cum ipsis fecit, quam quidem Ammianus Marcellinus *limitum pacem* appellat: simul etiam pacta ac fœdera, quę ipsius pater ac fratres cum illis pepigerant, renouauit, magis è re sua futurum existimans, si iis amicis potiùs quàm inimicis frueretur. Id ipsum testantur beatus Hieronymus in suo Chronico, Socrates II. lib. cap. X. & XIII. Sozomenus lib. III. Historiarum Ecclesiasticarum, itémque Paulus Aquileiæ Diaconus: qui quidem præterea initium huiusce belli referunt in annum IV. Olymp. CCLXXIX. Marcellino & Probino Coss. itémque in annum IV. à Constantini Magni obitu, atque etiam in annum ipsius filij mortem consequutum, qui iuxta nostram supputationem in CCCXLI. salutis nostræ annum inciderunt. Atque huiusce pacis gratiâ, Imperator Constans magnum militum *Francorum* numerum inter Romanas legiones delegit, ac conscripsit. Quapropter deinceps Francorum legiones Imperatorum albo semper adscriptæ sunt, multique ex ipsis in eorum comitatu visi sunt, quos etiam ad maiora militiæ officia promouerunt, vt postea declarabitur.

340.

C

341.

QVOD verò spectat ad illud, quod Auentinus de THEODOMERE Richomeris Francorum Regis filio refert, ipsum videlicet belli nuper commemorati ducem extitisse, videtur respexisse ad illud quod Gregorius Turonensis lib. II. cap. IX. scribit. *Nam & in Consularibus legimus Theodomerem Regem Francorum filium Ricomeris quondam, & Ascilam matrem eius, gladio interfectos.* Nolim tamen absque alio certiori testimonio huic rei fidem adhibere, cùm verisimilius videatur id Constantini Magni ætate contigisse. Existimarim potiùs eiusdem belli tempore, *Francos Salios* cognominatos, Toxandriam ad Scaldim fluuium sitam irruptione facta inuasisse, vt in ea sedes suas in perpetuum collocarent. Eiusmodi autem sunt Marcellini verba lib. Historiæ XVII. *Quibus paratis, petit primum omnium Francos, eos videlicet quos consuetudo Salios vocitauit, ausos olim in Romano solo apud Toxandriam locum habitacula sibi figere prælicenter.* Ex quo facilè intelligi potest, id prius accidisse, quàm ea quæ lib. XIV. omnium qui nobis supersunt primo scribit. Cùm verò Iulianum Cæsarem ibidem eos offendisse dicat, existimari potest ipsos ex fœdere à Constante cum *Francis* inito ibidem fuisse relictos. Ex his autem quæ scribit Zozimus, ipsos nimirum *Salios* ex *Francis* ortos à Quadis Saxonum populis finibus expulsos Batauiam occupasse, ex qua rursus à Quadis eiecti sunt eo tempore quo Iulianus Alemannis in Gallia bellum intulit; deprehendi potest, Saliorum denominationem aliundè ipsis impositam fuisse, quàm ex eo quòd (sicut omnes recentiores Germanorum Scriptores arbitrati sunt) prope Salam fluuium, qui in Mœnum sese exonerat, sedes suas habuerint: tum quòd nullum vetus testimonium extet, quo demonstrari possit, ipsos in his locis consedisse: tum quia Saxones, quos pro nonnullis Daniæ & quarumdam insularum siue paludum maris Germanici populis accipimus, eo vsque nondum peruenerant. Quamquam autem *Francorum* nomen vsque ad eam regionem, quæ *Thoringia* hodie vocatur, in qua fluuium esse aiunt Salam dictum, qui Albim subit, pertinuisse concessero, eiúsque regionis incolas, qui Francorum socij erant, à Thoringis expulsos, vt postea clariùs ostendemus: non tamen ideo concedendum putabo, Saliorum denominationem ab eo deductam fuisse: quòd licet extiterit fluuius cognomento Sala, non ideò concludi debeat, Saliorum appellationem inde esse deriuatam. Cùm nullum reperiatur testimonium, quo probetur, eorum, qui hoc nomine nuncupati sunt, primam ac propriam habitationem propè ipsum extitisse, indéque cis Rhenum commigrasse. Difficile etiam probatu fuerit, Germaniæ populos ab iis fluuiis, quos incoluerint, denominari consueuisse: cúmque duo proponantur eiusdem nominis Salæ fluuij, duplicis generis Salios inde prodiisse. Denique licèt duo eiusmodi fluuij eam hodie appellationem habeant, non inde sequitur eandem semper habuisse. Quoniam verò veteres Geographi vnius tantùm mentionem fecerunt, haud ita facile fuerit iudicare, cuinam potissimum eorum opinio assignari debeat; nisi apud Strabonem, qui vnus è veteribus huiusce rei meminisse comperitur, circumstantia quædam extaret, quâ manifestè declaratur ei tribuendam esse qui Mœnum influit: vbi ait Drusum subacta Albim vsque Germaniâ, dùm in Galliam reuerteretur, inter fluuium Salam & Rhenum extremum suum diem obiisse. Verùm si Zozimi sententia vera sit, cui absque interpretatione fidem adhibere nolim, eiusmodi Salij non aliunde profecti sunt, quàm ex maritimis Germaniæ populis Daniæ Regno propinquioribus, qui eodem quo *Franci* supra Rhenum incolentes nomine, eórumque regio *Francia*, appellabantur. Ij autem Saxones, qui, vt refert Ptolomeus, Daniæ oram maritimam, vbi hodie Iutia collocatur, ac nonnullas insulas & paludes littoris Oceani Germanici incolebant, vnde prædari ac latrocinia exercere consueuerant, sicuti antea cum Francis, deinde ipsi soli, postea verò Normanni factitarunt; cùm eorum vires multùm attritas atque afflictas, eorúmque regiones desertas atque incolis destitutas vidissent iis cladibus, quas à Constantio Cæsare illiúsque filio Constantino acceperant, è suis illos finibus expulerunt, vt eos inuaderent. Exinde in tantum creuerunt, atque ita in continentem progressi sunt, vt Valentinianorum temporibus dominationem suam per omnem oram inferioris Germaniæ maritimam, Frisiam vsque & VVestphaliam ab Albi Francorum loco stabilierint. Forsan propterea quòd omnes huiusce regionis populi, ac nonnulli trans fluuium Albim incolentes, Quadi videlicet, (quibus etiam Thoringos ausim adiicere, de quibus aliquid

A aliquid amplius postea dicturi sumus) sese libenter Saxonibus adiunxerunt, eorúmque partibus studuerunt, vt cum iis piraticam exercerent, cùm id soli non auderent, propter pacta ac fœdera quæ *Francis* cum Imperatoribus intercedebant: tum vt vbicumque possent rebus suis consulerent. Verùm non idcircò fatebor Salios eiusmodi finibus suis expulsos Batauiam occupauisse. Crediderim potiùs Zozimum hominem Græcum, non ita accuratè res Occidentis ac Septentrionis edoctum, Batauiam pro Toxandria cepisse, vt postea declarabimus. Cùm præsertim nulla auctoritate probari possit, Batauiam Romanos amisisse, ex quo Constantius Cæsar ab ea Francos eiecit. Etsi fateri possim iam tum Saxones, ceterósque eiusdem factionis populos, in Francorum limites, maximè verò à fluuio Albi, inuasisse.

Vt igitur, vnde SALIORVM nomen prodierit, ostendamus, quandoquidem Ammianus Marcellinus id vsu venisse affirmat, vt ita vocitarentur, iure existimari potest, illud vocabulum à verbo Latino deductum, à quo propter eandem rationem Martis sacerdotes Romæ eo nomine appellati sunt: propterea quòd ex quo finibus suis excedere coacti sunt, non diu in vno eodémque loco commorati sunt: cùm perpetuò remotissimas regiones adirent, nouásque sibi sedes quærerent, aut subitas ac repentinas incursiones prædandi causa facerent. Hæc autem opinio à Sidonio Apollinari confirmatur, dum ait.

------Tibi vincitur illic
Cursu Herulus, Chunnus iaculis, Francúsque natatu,
B *Sauromata clypeo, Salius pede, falce Gelonus.*

Est etiam verisimile, consuetudinem illam viuendique rationem à Francis, ex quibus orti sunt, eos accepisse: quos vnus è suprà citatis Panegyricis describit his verbis: *Et nunc ille vagus, ille prædator*, &c. Eiusmodi ergo primorum *Saliorum* origo, ac denominationis eorum causa esse potest, quæquidem propter eandem rationem tribui etiam potuit ceteris *Francis* è Germania oriundis, qui in Gallias transierunt, vt eas popularentur, aut locum habitationi suæ quærerent, iis præsertim qui à Rheno remotiores erant, quique assiduè in bellis versabantur, nec vnquam domi desidebant. Qui enim ripæ proximiores erant, ij esse possunt qui *Ripuarÿ* vocati sunt, priùs etiam quàm in Gallia sedes suas collocassent: tum propterea quòd rei nauticæ peritissimi semper habiti fuere, pro vt suprà ex Sidonio Apollinari retulimus; tum etiã, quia Rheni, atque adeò omnis præcipuæ Francorum regionis custodes esse videbantur. Nihilominus tamen Ripuarij, in quorum gratiam conditæ sunt leges, quas à Rege Theodorico accepimus, videntur esse ij, qui inter Rhenum, Scaldim, & Mosam fluuios incolebant, qui etiam nunc *Ribaroli* vocitantur: atque hoc nomine insigniti sunt, post Regni Francorum diuisionem in Austrasiacum vbi manebant, ac Neustriacum, ad quod pertinebant ij populi qui inter Carbonariam syluam & Ligerim siti erant, in quorum gratiam scripta sunt capita Legis Salicæ, quæ ad nos vsque peruenerunt. Quamobrem si diuisio illa longè post Attilæ in Galliam irruptionem facta sit, *Riparioli*, qui, vt refert Iornandes, in bello aduersus ipsum Aëtij partes
C sunt sequuti, pro iis, quos diximus, Ribarolis nullo pacto accipi possunt. Cùm præsertim nihil amplius in Gallia Franci tunc temporis obtinerent, qui, vt scribit Gregorius Turonensis, in eodem bello vnà cum Rege MEROVEO ab Aëtij partibus steterunt. His autem adducor, vt credam *Ripariolos* istos fuisse Legionarios illos milites, qui portuum ac riparum Galliæ fluminum custodiæ præpositi fuerant, qui in libro Notitiæ Imperij Romani *Riparienses* & *Ripenses* appellantur. Quo modo *Armoricani* vnà cum ipsis ab eodem Auctore commemorati ij erant, quibus Aquitaniæ, Britanniæ, Normanniæ, & Picardiæ ora maritima commissa fuerat.

Vt autem eò redeamus, vnde digressi sumus, quis non existimet Toxandriam eo quo diximus tempore à primis Saliis fuisse occupatam? Nusquam legitur alio tempore id fieri potuisse, quàm quo Magnentius in Pannoniam aduersus Constantium exercitum duxit. Etenim FRANCI pacem cum Constante Imperatore factam vsque ad illius obitum inuiolatam seruarunt, cùm tam fideli eorum operâ vsus fuerit, vt Ammianus Marcellinus LANIOGAISI cuiusdam Tribuni militum mentionem faciat, qui tantam ei fidem præstitit, vt vnus ex omnibus eum minimè deseruerit, cùm à Magnentij factione anno CCCL. oppressus fuit atque interfectus. 350.
Quamobrem plurimum deinceps apud Constantium gratiâ & auctoritate valuit. Nihilominus tamen Tyranni Magnentij partes *Franci* postea sequuti sunt, quam-

diu nullum viderunt Imperatorem, cui sese addicere possent: tum quia iisdem ipsi, ac Constanti, dum viueret, conditionibus sese obstrinxissent. Itaque maximas A
eorum copias in Pannoniam aduersus Constantium Orientis Imperatorem duxit, qui ad vlciscendam fratris mortem festinabat. Cúmque iam appropinquasset, Franci pactorum, quæ sibi cum defuncto Constante intercesserant, iniuriæque ipsi illatæ memores, ferè omnes Tyrannum deseruerunt, ac SILVANO Bonicij suprà à nobis commemorati filio duce ad verum ac legitimum Imperij successorem se contulerunt, pridie quàm vterque exercitus congrederetur. Adeo vt Ammianus Marcellinus prodiderit Siluani præsentiam maximi momenti fuisse Constantio, ad victoriam obtinendam crudelissimæ illius pugnæ, quæ ad Mursam Hungariæ vrbem anno
352. CCCLII. commissa est: vbi Romanum Imperium aiunt, omnium virium suarum florem amisisse, propter maximum fortissimorum virorum vtriusque exercitus, qui ibidem occubuerunt, numerum, qui circiter quinquaginta millia numerantur. Qua-
353. propter anno salutis nostræ CCCLIII. pugnam illam consequuto, Tyrannus in Italia, quò se receperat, penitus est oppressus: cùm prius à nationibus Germanicis (vt testatur Zozimus) desertus omninò fuisset. Id quod videtur intelligi debere de sola Francorum natione, quæ Siluani exemplum sequuta est. Qua de causa maximam posteà *Franci* apud Constantium auctoritatem obtinuerunt, qui Siluanum peditatui præfecit.

QVOD autem ad Alemannos spectat, Ammianus Marcellinus lib. XIV. docet, eos
354. nondum Constantio reconciliatos fuisse, cùm anno salutis nostræ CCCLIV. septimũ B
cum Gallo Cæsare Consulatum gessit: propterea quod Rhenum traiecti in Galliam irruptionem fecerant, ita vt coactus fuerit Constantius aduersus eos Basileam vsque exercitum ducere, vbi cum eo fœdus percusserunt. Quod quidem anno sequenti,
355. hoc est CCCLV. ruperunt, cùm rursus in Galliam irrupissent, eámq; populati essent, dum aduersus Alpium Lentiates, qui ex ipsorum populis erant, bellum gereretur. Quamobrem Imperator cum maximis copiis atque auctoritate Siluanum, cui plurimum fidebat, misit, vt eos repelleret, ac Rheni ripam ab eorum incursionibus defenderet. Verùm cùm felicissimè hoc munere fungeretur, ij qui ipsius auctoritati ac potentiæ inuidebant, falsis criminationibus sinistram de eo opinionem Imperatoris animo iniecerunt. Quare cùm Principis sæuitiam potiùs metueret, quàm innocentiæ suæ diffideret, parum abfuit quin ad *Francos* se contulerit: nisi Laniogaisus natione Francus, qui tum in Aula Principis florebat, propter eam quam Constanti præstiterat fidem, Siluanum admonuisset, futurum vt à Francis trucidaretur, aut Imperatori traderetur, vt maxima ex eo præmia consequerentur. Quò fit, vt existimem, Francos ex eorum numero non fuisse, qui Galliam illo anno & superiori populati sunt. Verùm in pace, quam idem Auctor *limitum pacem* appellat, cum Imperatore permansisse. Cùm presertim magnus *Francorum* numerus in Palatio Principis versaretur. Siquidem id eo fiebat tempore, quo iuxta Marcellinum, *multitudo eorum in Palatio florebat.* Quinetiam ex iis nonnulli præcipua militiæ munera obierunt, C
sicut VRSININVS, qui Prouinciis Orientalibus præfuit; & MALLARICVS, qui externis copiis præpositus fuerat, atque alij, quos modò commemorauimus. Præter quos multæ Francorum cohortes in Romanum etiam exercitum adscriptæ fuerant. Quòd si è *Francis* nonnulli hostes declarati fuissent, quis SILVANVM prohibuisset, quo minus ad eos se contulisset? Imò certissimum est ipsum, cùm, quid consilij caperet incertus esset, Imperatoris nomen assumpsisse: cùm eo pacto futurum speraret, vt exercitus, cui præerat, subsidio, periculum, quod impendebat, declinaret. Quæ res Constantij animum ita perculit ac turbauit, vt diu cum Consilio de illius euentu anxius ac sollicitus fuerit: donec optimum esse visum est, huic hosti alium eiusdem nationis opponere, à quo opprimeretur. Nullus autem ad hanc rem conficiendam VRSININO aptior repertus est, propter singularem illius prudentiam, summámque rei militaris experientiam, vtpote qui Constantini Imperatoris assiduus in bello comes extitisset, Prouinciisque Orientalibus præfuisset. Quoniam verò paulò anteà per inuidiam loco motus fuerat, vt illius exasperatum animum demulceret Imperator ac sibi deuinciret, iisdem eum, quibus exterum Regem, honoribus est prosequutus. Deinde eum ad occupandum Siluani locum confestim misit, quò infrà paucos dies peruenit, tantáque industria illius milites pellexit, vt illum Coloniæ vicesimo octauo Imperij die peremerint. Id quod nationum cis Rhenum incolentium, quæ, vt verisimile est, iam sese huic addixerant, animos adeò concitauit, vt

A maiori quàm antea furore atque impetu in Galliam irruperint, vt illam popularentur ac vastarent. Atqui existimo ob eandem rationem tum primùm *Francos*, vt refert Zozimus, sese Alemannis & Saxonibus adiunxisse, ac circiter quadraginta vrbes ad Rhenum sitas expugnasse, dum ita omnem regionem popularentur, vt eam penè desertam reliquerint. His autem prædictis nationibus intelligendos puto maritimos populos, qui postea *Saxones* appellati sunt, quemadmodum *Francorum* nomine eos, qui ad Rheni ripam consedere. Qua de re Ammianus Marcellinus ita loquitur. *Post interitum rebellium Tyrannorum (quos ad hæc tentanda quæ mouerunt, rabies egit & furor) velut impiis eorum manibus Romano sanguine parentantes insultant Barbari Gallias rupta limitum pace.*

QVAMOBREM vt huic tempestati occurreret Constantius, nepotem suum Iulianum, Apostatam postea nuncupatum, qui tunc temporis Athenis litteris operã dabat, accersere coactus est, vt ei cum Cæsaris dignitate Galliarum curam ac defensionem committeret. Iuliano, priusquam Alpes transcendisset, nunciatum est, Coloniam ab Alemannis captam ac vastatam, cùm diu eorum impetus sustinuisset. Quapropter victoriæ reliquias tanto cum ardore persequuti sunt, vt non solùm præcipuas ac munitissimas vrbes, quas Romani ad Rhenum obtinebant, nempe Moguntiam, VVormatiam, Spiram, Argentoratum, Brotomagum, Sauernam, & alias, verùm etiam non paucas in media Gallia inuaserint: adeò vt Augustodunum B vsque penetrarint, vnde fortiter repulsi sunt. Neque idcirco à proposito destitissent, nisi Iulianus, postquam Viennæ in Delphinatu hyemasset, ineunte vere anno Christi CCCLVI. aduersus eos copias duxisset, quibus Alemannos magnâ ipsorum 356. cæde duobus præliis profligauit. Atque eo pacto iter Coloniam vsque sibi patefecit, quam facili negotio recepit, quòd eius direptione hostes contenti, eam minime conseruare voluerint. Tum verò FRANCI illius aduentu ita sunt perterriti, vt ipsorum Regum iracundia ac ferocitas repressa fuerit ac mitigata. Ita vt haud multum difficile fuerit quibuscumque conditionibus eos ad pacem Romanis vtilissimam sanciendam perducere. Cuius quidem pacis fiducia sequenti anno, hoc est CCCLVII. aduersus Alemannos cum exercitu contendit, quos ingenti strage ad 357. Argentoratum fudit. Interea vigente isto bello, *Francorum* manus, siue cis-Rhenanorum siue aliorum, in Romanas Prouincias præsidiis destitutas prędandi causa irrupit. Verùm Iulianus parta de Alemãnis victoriâ, quemdam è Ducibus suis Seuerum nomine contra eos statim misit, qui tanto cum impetu ipsos adortus est, vt maxima eorum multitudo in illo congressu occubuerit: reliquos verò in castellum quoddam, quod ad Mosam occupauerãt, compulit. Vbi magna pertinacia duobus integris mensibus Decembri & Ianuario obsidionem sustinuerunt; donec tandem fame afflicti, huius se voluntati permittere coacti sunt. Itaque omnes ad Imperatorem Constantium missi sunt, vt eorum opera in bellis vteretur, cùm ab ingenti C Francorum multitudine succurri non potuerint, quòd tardiùs profecti essent, vt eos obsidione liberarent.

EODEM anno VRSINVS Francorum Dux Illyricam Prouinciam administrauit, eámque aduersus Quados & Sarmatas ipsam infestantes fortissimè defendit. Ineunte verò æstate anni CCCLVIII. cùm iterum Iulianus copias eduxisset aduersus Alemannos profecturus; primùm quidem per Toxandriam Tungris vicinam, vbi nunc est Leodium, transire voluit, quam quidem FRANCI *Salij* nuncupati 358. tunc temporis obtinebant, cùm eam multò antea occupassent. Hi autem Salij cùm ad eum Legatos misissent, ita sunt eius aduentu perterriti, vt be lli fortunam tentare non ausi fuerint. Quamobrem eos in deditionem accepit, eò faciliùs, quòd se suáque omnia illi tradiderunt. Quæ causa fuit, cur illis in eo, quo erant, statu, sub legibus Imperij degere permiserit. Ex his autem deligebantur cohortes ac legiones, quæ in libro Notitiæ Imperij Romani *Salij & Gallicani* appellabantur. Qui quidem inter extraordinarios in Rationario Imperatorum recensebantur, vt ab aliis Saliis trans-Rhenanis distinguerentur: è quibus nonnulli sub simplici *Saliorum* appellatione conscribebantur. Licèt Ammianus Marcellinus, à quo accepimus ea quæ nuper retulimus, id non ita apertè declarat. Verùm lib. XVII. scribit, non ita benignè cum Chamauis actum fuisse, qui in Romanorum terras prope Salios irruperant, quòd Iuliani viribus resistere conati fuerint. Quapropter eorum parte gladio cæsâ, infinitam prope captiuorum multitudinem de-

tinuit, reliquos verò antiquas sedes repetere coëgit. Cùm autem idem Auctor scribit, *(Chamauos itidem similia ausos adortus)* Salios innuit non secus ac Chamauos (quos inter Francorum populos habitos fuisse ostendimus) è partibus trans-Rhenanis profectos, in terris Imperij consedisse. Quódque etiam Salios longè antea in eas commigrasse dicat, id confirmare videtur quod ex Zozimo retulimus, qui ea quæ de Saliis scribit non satis videtur intellexisse: qui quidem è Batauia à Quadis eiecti sunt, statim post eam victoriam quam Iulianus de Alemannis ad Argentoratum reportauit. Vt autem huiusce opinionis nostræ veritas magis eluceat, primùm quidem Zozimi locum integrum proferre lubet, vbi ait: Saxones qui tunc temporis omnium Germaniæ populorum fortissimi ac bellicosissimi habebantur, Quados finibus suis emisisse, vt in Romanorum Prouinciis locum habitationi suæ quærerent. Verùm cùm à *Francis* vicinis suis transitu prohiberentur, qui Iuliano iterum contra se exercitum ducendi occasionem præbere nollent, Rhenum nauibus traiicere infra Francorum regionem ausi sunt, atque in Batauiam irruperunt, è qua Saliorum gentem à Francis ortam eiecerunt, qui paulò ante eò se recipere coacti fuerant à Saxonibus qui eos finibus suis expulerant, quamuis hæc insula, vt dictum est, Romanæ ditionis esset quo tempore in eam Salij ingressi sunt. Quamobrem Iulianus de ea re certior factus, aduersus Quados copias duxit, suis militibus imperans vt in Quados tantùm irruerent, néve Saliorum quemquam interficerent, prohiberéntve quominus in Romanorum Prouincias transirent: vtpote qui non tanquam hostes, sed veluti propriis sedibus à Quadis expulsi in eas se reciperent. Qua quidem benignitate effectum est, vt Saliorum pars cum Rege suo hac insula cesserit, pars ad montes se contulerit, omnes denique Cæsaris potestati se dediderint. Cùm verò Quados, qui non aperto marte, sed subitis tantùm excursionibus bellum gerebant, quàm maxima posset celeritate conficere vellet, insignem quemdam ingentis staturæ prædonem natione Barbarum CHARIETTONEM nomine ipsis opposuit, qui eò angustiarum eos redegit, vt tandem loco cedere, ac se Iuliano dedere coëgerit. Hac autem pace, quam cum ipsis fecit, quosdam ex eis, nec non etiam è Saliis ceterisque Batauiam incolentibus delegit, quos inter Romanas legiones conscripsit. Hactenus Zozimus. At verò Ammianus Marcellinus, qui non mediocrem diligentiam adhibuit in iis, quæ aut viderat aut audierat, conscribendis, vt qui in castris atque in comitatu Iuliani tunc temporis extitisset, nihil simile prodidit in Annalibus, quos de rebus in Occidente gestis à Constantij in Gallias aduentu vsque ad Imperatoris Valentis obitum conscripsit, cùm nequaquam credibile sit idipsum de industria facere voluisse. Præterea expressis verbis testatur, Salios longè antea Toxandriam occupasse. Quamquam dici possit non eos fuisse, qui è Batauia à Quadis eiecti sunt. Meminit etiam CHARIETTONIS cuiusdam genere Franci stupendæ magnitudinis (quem pro Zozimi Chariettone accipimus) qui quidem iter ostendit, quo Iuliani exercitus in Alemannorum regionem ingressus est, apud quos Hortarius quidam dominationem obtinebat. Quamobrem haud absurdum fuerit dicere, Zozimi auctores rerum à Saliis gestarum ignaros Batauiam pro Toxandria, quam obtinebant, accepisse, atque ea Quadis tribuisse quæ Marcellinus de Chamauis Francorum populis refert: qui fortasse Salios Toxandriâ expellere volebant; aut eò se recipere compulerant, postquam à Quadis Saxonum sociis finibus suis eiecti sunt.

POST illam autem cladem Chamauis illatam, reliquæ FRANCORVM nationes quieuere; adeo vt nullus inter ipsos motus audiretur. Cùm biennio exacto, Iulianum, postquam à legionibus, quibus præerat, inuito Constantio salutatus esset Imperator, cupido incessit, copias Rhenum transducendi, vt in Francorum Antuariorum siue Ansuariorum regionem ex improuiso irrumperet: iniurias vlturus, quas, quoties luberet, Prouinciis Galliæ finitimis tanquam inquieti homines inferebant. Siquidem in multis exemplaribus legitur, *inquietorum hominum*, & in aliis nonnullis *incertorum*. Quod quidem vocabulum argumento esse posset, homines fuisse vagos, è diuersis nationibus collectos, qui eò conuolarant, quò liberiùs Gallias popularentur. Nisi magis rationi consentaneum videatur eos pro Francorum populis (inter quos *Bructeri, Chamaui* & *Frisij* recensebantur) accipere, imò etiã pro iis, quos Velleius Paterculus & Cornelius Tacitus *Ansuarios*, siue, vt est in aliis exẽ-

A pluribus, *Antuarios*, *Chasuarios*, *Attuarios*, seu *Chattuarios*, quos è recentioribus nonnulli *Angriuarios*, seu potius *Ampsiuarios* dictos fuisse existimãt, nuncuparunt. Nam quod ad illud vocabulum attinet, eadem planè in eorum exemplaribus ac Marcellino diuersitas reperitur. Verùm quidquid sit, eos inter commemoratos à nobis populos collocant. Vt autem narrationi nostræ finẽ imponamus, quoniam irruptionem illam adeò inopinatam minimè formidabant, quòd nullus ante illum Imperator eo vsque propter regionis difficultatem penetrarat, adeò perculsi sunt, vt Iuliano haud difficile fuerit, eos quò voluerit adigere. Multi enim partim cæsi, partim capti sunt: reliquam verò multitudinem in deditionem accepit ea lege, vt pacem sibi concessam inuiolatam seruarent.

His ita gestis anno ante Constantij obitum, salutis verò nostræ CCCLX. Reli- 360.
quum tempus Iuliani Principatus, necnon etiam Iouiniani ac Valentiniani primi, nullam Marcellino de FRANCIS verba faciendi materiam præbuit, exceptis iis quæ lib. XXVII. scribit, de illorum cum Saxonibus vicinis suis incursionibus ac prædationibus, quibus terrâ marique Galliarum oras proximiores infestabant, idque quarto aut quinto supradicti Valentiniani Principatus anno. Libro verò XXX. de Macriano Alemannorum Rege scribit, qui facta pace vndecimo ipsius Valentiniani anno, salutis nostræ CCCLXXIV. in FRANCIA (eo nomine vocabatur 374.
B pars illa, quam Franci incolebant) aliquo pòst tempore fato functus est; cùm in insidias, quas ipsi MELLOBAVDVS Francorum Rex struxerat, incidisset, eò quòd illius subditos atrocissimo bello lacesseret. Siquidem arbitror, pacem illam, quæ eis cum Iuliano intercedebat, ipsos seruare voluisse. Quapropter idem Auctor lib. XXVIII. scribit, maximam Saxonum multitudinem, traiectis Oceani difficultatibus, cùm in oras Imperij maritimas prædandi gratia irrupissent, sicur multoties antè factitarant, à Seuero peditum Magistro, quem Imperator miserat, vt Nannieno huiusce limitis Præfecto, qui eorum vim neque sustinere, neque propulsare poterat, se adiungeret, ad internecionem vsque fuisse deletam. Orosius quidem ac Paulus Diaconus, *Francorum* auxilio, ac in eorum finibus id accidisse declarant. Verùm id mihi nullo pacto congruere videtur cum iis, quæ refert Marcellinus, dum ait, stragem illam intra limites Galliæ maritimos editam fuisse: nisi de iis intelligatur, qui Francorum regionem attingebant, quæ idcirco pro ea parte, quæ *Franconia* hodie appellatur, accipi non potest; quemadmodum Albertus Crantzius falsa persuasione inductus existimat, Saxones istos è Cattorum finibus, vbi ipsimet Catti habitabant, fuisse profectos. Etenim Marcellinus eodem loci apertè ostendit, populos fuisse maritimos. Clarius etiam Orosius dum ait, ipsos littora, inuiásque Oceani paludes incoluisse. Verba autem illius hæc sunt. *Valentinianus Saxonum gentem in Oceani littoribus & inuiis paludibus sitam, virtute atque agilitate terribilem, periculosam Romanis finibus eruptionem magnâ mole meditantem in ipsis Francorum finibus oppressit.*

C INTEREA, licèt FRANCOS pacta, quæ ipsis cum Imperatoribus intercedebant, seruare voluisse dicamus, illud tamen de omnibus eorum populis in vniuersum intelligi non debet. Fieri siquidem potuit, vt ij qui à Romanis longiùs aberant, veluti maritimi, Daniæque propinquiores, in eorum numero non fuerint. Crediderim etiam eruptiones illas, de quibus Marcellinus loco citato loquitur, à *Francis* factas fuisse. Ceteri verò, qui supra Rhenum incolebant, in Imperatorum amicitia constanter perseuerabant, iisque operas suas, si quando indigerent, præstabant. Itaque Gratianus Imperator audita Valentiniani patris sui morte anno Christi CCCLXXVI. Mellobaudi prudentissimi ac fortissimi, vt ipse eum vo- 376.
cat, Principis auxilio atque operâ opportunissimè vsus est, tum in Imperio suo stabiliendo, tum etiam in propulsanda Alemannorum Lentiatum natione, qui tertio Principatus illius anno, vsque ad vicum quemdam Argentuarium nomine, in Alsatiam eruperant; vbi tantam eorum stragem edidit, vt ampliùs quàm triginta millia cæsa fuisse memoriæ proditum sit. Adeo vt in gratiam opis illius à Mellobaudo illiúsque natione in hoc bello præstitæ, domesticorum suorum Comitem, quem nos Palatij Magistrum dicimus, illum crearit, nec non etiam vice sua, Ducem vnà cum Nannieno constituerit illius exercitus, quem eodem anno ad bellum Lentiaticum conficiendum misit. Hi autem Lentiates contra Imperium coniurarant, cùm Gratianum vnà cum maxima Gallicarum legionum par-

te Valentis Occidentis Imperatoris auunculi sui auxilio aduersus Gothos profe- A
ctum cognouissent. Idcirco Ausonius Poëta in hanc sententiam in Edyllio sub fine ipsius Consulatus à se composito, priusquam suum iniret, cecinit.

Iane veni, nouus anne veni, renouate veni sol,
Hostibus edomitis, qua Francia iuncta Sueuis
Certat ad obsequium, Latiis vt militet armis.

Verùm priusquam in Thraciam peruenisset, accepta Valentis morte, ab incœpto itinere destitit. Atque, vt Zozimus, Prosper, Marcellinus Comes, & Iornandes testantur, copiis illis, quas auunculi auxilio ducebat, Theodosium Magnum præfecit, quem Orientis Imperatorem creauit, eíque multas *Francorum* Cohortes, BAVDONE & ARBOGASTE eiusdem nationis præstantissimis Ducibus adiun-
380. xit: quorum opera vtilissimè vsus est in eo bello quod anno CCCLXXX. confectum est. Illud autem eam, quam de Francis animo conceperat, opinionem in tantum auxit, vt ipsi Gratiano exitio fuerint: eò quod in eos, aliásque barbaras nationes, quàm in Romanas legiones propensior videretur. Præterea quinquennio post ipsius mortem, Theodosius Imperator, extincto apud Aquileiam Tyranno Maximo, qui Gratiano sublato Occidentis Imperium inuaserat, cùm Valentiniano iuniori Principatum restitueret, Arbogastem ei Rectorem, totiúsque militiæ Principem reliquit. Quiquidem, vt supradicti Auctores referunt, Victorem Maximi filium Galliis à patre præfectum, ac Nannieni & Quintini tutelæ commissum, statim necauit. B

388. Sub idem tempus, hoc est Christi anno CCCLXXXVIII. sicut Gregorius Turonensis lib. II. cap. IX. ex Sulpitij Alexandri Historia refert, circiter Maximi interitum, Franci Ducibus GENOBAVDO & MARCOMIRO suis, Principibus, quos Regulos vocat, Mellobaudi, opinor, successoribus, siue ex consensu Theodosij propter fœdera quæ antea inter se pepigerant, siue spe res nouas moliendi turbatis Imperij rebus, finibus suis egressi sunt, ac fusis limitum custodibus, omnem cis Rhenum regionem Coloniam vsque populati sunt. Quamobrem Nannienus & Quintinus Maximi in illa ora Legati, cum suis legionibus apud Coloniam conuenere, vt eos repellerent ac prohiberent. Itaque eorum pars Rhenum transiit, vt prædam in regionem suam deferrent, ibique occultarent. Ceteri verò qui remanserant, à Romanis in Carbonaria sylua ad internecionẽ cæsi sunt. Quare Nannienus & Quintinus inter se deliberarunt, vtrum victoriæ reliquias persequerentur, Francósque in eorum finibus (Franciam Auctor vocat) adorirentur. Cùm verò illud consilium Nannienus respueret, dicerétque difficillimum esse, Francos in eorum sedibus incautos atque inopinantes aggredi, nedum eos superare: Quintinus copias Rhenum transduxit è regione castelli Nusij dicti, eásque in hostium fines introduxit, vbi neminem in locis apertis reperit, cùm se omnis populus in profundas saltuum ac paludum latebras abdidisset. Ex quo tantum Romanus fiduciæ cepit, vt dum vlteriùs, quàm par erat, *Francos* persequitur, in insidias, quas ipsi struxerant, inciderit. Ibi temeritatis suæ pœnas horrenda totius C
exercitus cæde persoluit, cùm omnes ferè sagittis venenosæ cuiusdam herbæ, quâ Franci vti consueuerant, succo infectis, confossi fuerint. Qua quidem victoriâ ita sunt erecti eorum animi, vt sequentibus annis in Gallias rursus eruptionem facere ausi fuerint, vnde ingentem prædam vnà cum magno captiuorum numero domum reportarunt, profligatis Legionibus quas Valentinianus Iunior ad Rheni ripam in præsidiis collocarat, iisque Sirum & Cariettonem in Nannieni locum suffectos præfecerat. Quamobrem Arbogastes SVNNONIS & MARCOMIRI, vt tradit Auentinus, frater, ab iisque patriâ pulsus, arreptâ occasione vindicandæ iniuriæ sibi à gente sua illatæ, omnem mouit machinam, quò Imperatorem ad bellum *Francis* indicendum impelleret, nisi ablatam prædam restituerent, ac damna superiori anno illata resarcirent: simul etiam huiusce consilij Auctores traderent, vt pacis à se violatæ (hæc sunt ipsamet Auctoris verba) perfidiæque debitas pœnas persoluerent. Id quod argumento esse potest, Francos eousque fœdus cum Imperatoribus sancitum illæsum seruauisse, eáque quæ contra Maximum egerant, haudquaquam defectioni esse tribuenda. Neque idcirco Arbogastis consilium probatum fuit, quin potiùs Valentinianus Rhenum vsque se contulit, accitísque ad colloquium Sunnone & Marcomiro

A Principibus, quos Reges appellat Paulinus, cum iis fœdus percussit. in cuius fidem obsides dati sunt. Id quod annis CCCLXXXIX. & CCCXC. contigisse arbitror. Siquidem necesse est in annum CCCXCI. reiicere ea quæ idem Auctor narrat, de dissidiis quæ in Aula Valentiniani II. acciderunt, qui tantam potentiam Arbogasti tradiderat, vt nihil amplius ipsi quàm Imperatoris nomen superesset: cùm Arbogastes ita omnem Imperij auctoritatem inuasisset, vt omnia negotia administraret, Officia tum Militaria, tùm Ciuilia distribueret, vnde plus obsequij ipsi deferretur quàm Imperatori. Rerum omnium ad bellum pertinentium summa penes *Francos* erat. Quamobrem nihil obstare potuit Arbogasti, quamuis fœdus cùm nationis suæ Principibus intercederet, quo minus Romanas legiones media hyeme contra patriam suam duxerit, vt odium in fratres suos expleret; cùm propter defluxum frondium detectis & apertis syluis & recessibus, se faciliori negotio eos superaturum speraret. Itaque traiecto Rheno apud Coloniam, primùm quidem in Bructerorum agros, qui ad Rheni ripam siti erant, deinde in quemdam Chamauorum pagum irrupit, nullo hostium obuiam facto; nisi quòd Dux MARCOMIRVS, cum paucis ex Ampsiuariis & Cattis, qui hodie Hassiam incolunt, in proximorum collium iugis apparuit. Atque hoc loco reliqua huiusce expeditionis narratio apud Gregorium Turonensem desideratur, quam nonnulli in annum CCCXCII. post Valentiniani obitum reiiciendam putant. Verùm B eo ipso loco indicia quædam occurrunt, quibus, vt illam præcedenti assignemus, adducimur. Cùm præsertim verisimile non sit, Arbogastem tunc temporis Francos lacessere voluisse, quorum amicitia potentiæ illius conseruandæ multùm erat necessaria, quam etiam paulò pòst tantopere expetiit.

389.
391.
392.

CETERVM locus iste non modò confirmat id quod paulò antè diximus, Bructeros videlicet & Chamauos FRANCORVM nomine ac societate comprehensos fuisse; verùm etiam eosdem declarat Rheni ripam iuxta Coloniam incoluisse, vbi quondam Tencteri sedes suas habuerant, postquàm Sicambrij in Gallias commigrarunt. Quod idem est ac si dicatur, non populum quemdam è Chaucis, siue ex ora Germaniæ maritima, profectum ibidem habitasse, eóque Franciæ, Francorúmq; appellationem attulisse, sicut Beatus Rhenanus aliique falsò sibi persuasere. Præterea eodem testimonio coniicere possumus, Chamauos Bructerorum vicinos fuisse, eorúmque societatis Cattos extitisse. Id quod ex ipsius Auctoris verbis clariùs apparebit. *Collecto*, inquit, *exercitu Rhenum transgressus Bructeros ripæ proximos, pagum etiam quemdam, quem Chamaui incolunt, depopulatus est, nullo occursante: nisi quòd pauci ex Ampsiuariis & Cattis, Marcomere Duce in vlterioribus collium iugis apparuere.* Igitur Arbogastes cùm eo exitu bellum confecisset, Valentiniani animum offendit. Credidit Auentinus ipsum iam pridem in Valentinianum iniquiore fuisse animo, propter fœdus quod idem Imperator ipso inuito C cum *Francis* pepigerat. Verùm Zozimus scribit, eorum simultates inde exortas fuisse, quòd cùm Valentinianus ægrè ferret se propter vitia ab Arbogaste paulò liberiùs reprehendi, atque, vt ad meliorem frugem se reciperet, admoneri, séque illum officiis atque honoribus exuturum minitaretur: fertur palam respondisse Arbogastes, numquam passurum ea sibi adimi, quæ ab alio (Theodosium intelligebat) accepisset. Tandem verò eò res processit, vt Valentinianus repertus fuerit strangulatus anno CCCXCII. cùm Eugenius quidem Arbogastis potentiâ fretus Tyrannidem occupasset. Quem tamen Ruffinus in Historiâ Ecclesiastica testatur, à multis sanctissimis viris Imperatoris necis purum atque innocentem fuisse iudicatum. Itaque Eugenius Arbogastis consilio confestim se ad Rheni ripam contulit, vt cum *Francorum* atque Alemannorum Regibus antiqua fœdera cum Imperatoribus inita confirmaret, renouarétque; vtque eorum opera atque auxilio dominationem suam defendere ac tueri posset. In qua expeditione Paulinus in vita B. Ambrosij scribit, Arbogastem in quodam conuiuio, quod ipsis exhibuit, interrogatum, cognosceréetne Episcopum Ambrosium, respondisse, illum sibi familiarem esse & amicum: Tùm verò eos dixisse, nihil ipsi mali posse accidere, cùm apud sanctissimum virum tantum gratiâ valeret, qui, si iuberet, Solis cursum sistere posset. Verùm expeditio illa haud multùm profuit Eugenio aduersus Theodosium, qui ab Oriente in Italiam exercitum adduxit, vbi vtrumque sustulit. Ipse verò Mediolani sequenti anno mortem obiit. Quæ quidem

mors *Francis* aliísque Germaniæ nationibus occasionem præbuit, res nouas contra Romanum Imperium moliendi, Stiliconi verò ipsos coërcendi, pacandíque. Cuius quidem expeditionis Claudianus Poëta in suo Panegyrico III. Consulatus Imperatoris Honorij, meminit his versibus. A

Hunc tamen (Stiliconem intelligit) *in primis populos lenire feroces,*
Et Rhenum pacare iubes Volat ille citatis
Vectus equis, nulláque latus stipante caterua,
Aspera nubiferas qua Rhetia porrigit Alpes
Pergit, & hostiles (tanta est fiducia) ripas
Incomitatus adit. Totum properare per orbem
Attonitos Reges humili ceruice videres.
Ante Ducem nostrum flauam sparsere Sicambri
Cæsariem, pauidóque orantes murmure Franci
Procubuere solo. Iuratur Honorius absens,
Implorátque tuum supplex Alemania nomen.
Basternæ venere truces, venit accola syluæ
Bructeras Hercinia, latísque paludibus exit
Cimbrus, & ingentes Albim liquere Cherusci.
Accipit ille preces varias, tardéque rogatus
Annuit, & pacem magno pro munere donat.

QVAMVIS autem eiusmodi pacta ac fœdera à Stilicone cum Germanicis nationibus inita adeò magnificè extollat, vt illa cum Drusi & Traiani de Germania triumphis conferat, dum ait, B

Cedant Druse tui, cedant Traiane labores.
Vestra manu: dubio quicquid discrimine gessit,
Transcurrens egit Stilico, totidémque diebus
Edomuit Rhenum, quot vos potuistis in annis.

Et paulò pòst. ----*Tot prælia sanguine nullo*
Perficis, & Luna nuper nascente profectus,
Ante redis quàm plena fuit, Rhenúmque minacem
Cornibus infractis adeò mitescere cogis,
Vt Salius iam rura colat.

Et quæ immediatè sequuntur, quæ quidem à nobis proponentur cùm locum hunc accuratiùs perpendemus. Veruntamen huiusmodi figmentis ac lenociniis Poëticis adduci non possum, vt credam, Germaniæ populos in Romanum Imperium fuisse adeò concitatos, aut ita Stiliconis præsentiâ perterritos, vt eos ad quascunque voluerit pacis conditiones accipiendas compulerit. Existimarim potiùs, ad comprimendos eorum motus propter recentem Theodosij mortem, hanc in Germaniam expeditionem ipsum ideò præcipitasse, vt vetera Imperatorum cum Francorum & Alemannorum nationibus fœdera confirmaret, ac renouaret, quò tutius absque vllo impedimento expeditioni, quam in Græciam adornabat, sese accingeret, vt illam aduersus VVisigothos eam Duce ALARICO Rege suo incursantes ac populantes defenderet. Et quidem eo ipso anno vnà cum exercitu Orientem transmisit, eóque nondum exacto reuersus est: cùm haud multum in illa expeditione profecisset. Nihilominus tamen vno aut duobus pòst annis, hoc est Christi CCCXCVII. *Francorum* Reges apertè in Romanum Imperium conspirarunt. Sed quoniam eorum consilium communi totius populi consensu haud fuit comprobatum, ab incœpto destiterunt. Quam ob causam Stilico iterum in Germaniam profectus, alterum è Regibus MARCOMIRVM nomine captum in Hetruriam misit, perfecítque vt illius frater ac Regni consors, dum iniuriam fratri illatam vlcisci conaretur, confestim à suis necaretur. Ita enim accipienda sunt ea quæ supradictus Auctor scripsit, vbi ait, C

397.

-------*Prouincia missos*
Expellet citiùs, fallax quàm Francia Reges,
Quos dederis. Acie non iam pulsare rebelles,
Sed vinclis punire licet. Sub iudice nostro
Regia Romanus disquirit crimina carcer.
Marcomarus, Sunóque docent, quorum alter Hetruscum

A *Pertulit exilium. dum se promitteret alter*
Exulis vltorem, iacuit mucrone suorum.

Ex quibus intelligere possumus pacem cum Francis initam non idcircò ruptam fuisse, Stiliconémque quos voluerit Francis Reges præposuisse. Propterea alio loco ostendit, exercitum illum ab Imperatore Honorio contra Gildonem in Africam missum anno CCCXCVIII. ex Francis nationibus, aliisque Germanicis populis conflatum fuisse. 398.

-------- Germania tota feratur
Nauibus, & sociâ comitentur classe Sicambri.
Pallida translatum iam sentiat Africa Rhenum.

Quamquam alio loco mox citando probari possit, Alemannos, quamuis sese obtulissent, in huiusce belli societatem non fuisse admissos. Gildonis autem rebellionem *Francorum* motum proximè sequutam fuisse ex iis patet, quæ idem Poëta subiicit.

Post victas Arctos, alio prorumpit ab axe
Tempestas: & ne qua tuis intacta trophæis
Pars foret, Australis sonuit tuba. Mouerat omnes
Maurorum Gildo populos.

Cùm verò ex suprà allatis testimoniis compertum sit, nationes omnes Germanicas quadriennio à nobis designato Romano Imperio pacatissimas fuisse; mirari
B subit, quamobrem anno Africanum bellum consequuto, Christi verò CCCXCIX. 399.
in Italiam ad Imperatorem Honorium nouæ pacis petendæ gratiâ Legatos miserint. Quam quidem eis concessit diuersis conditionibus, quibus vtraque pars obstringebatur. Nisi dicatur istiusmodi pacta ad tempus tantùm inita fuisse, & quæ, cùm finita essent, certis temporibus renouari, aut rursus confirmari debuissent. Verùm quoquo modo se res habeat, idem Poëta, Eutropio Spadone Consule id accidisse innuit, primo lib. contra eumdem Eutropium, vbi quamdam Deam Imperatorem Honorium prope Padum in castris cum Stilicone degentem Poëtico more fingit alloquentem.

Diua potens, vnóque Padum translapsa volatu,
Castra sui Rectoris adit. Tum fortè decorus
Cum Stilicone gener, pacem implorantibus vltrò
Germanis, responsa dabat, legésque Chaicis
Arduus, & flauis signabat iura Sueuis.
His tribuit Reges, his obside fœdera sancit
Indicto, bellorum alios transcribit in vsus:
Militet vt nostris detonsa Sicambria signis.

CETERVM ex illo testimonio deprehendi potest, *Sicambrorum* (quibus FRANCI sunt intelligendi, vt clariùs postea ostensuri sumus, cùm locum illum expendemus) virtutem ac fortitudinem pluris quàm aliarum Germaniæ natio-
C num ab Imperatoribus æstimatam fuisse, eo quòd in bellis eorum opera, quàm ceterorum vti maluerint. Quapropter lib. I. in Stiliconis laudem ait, Alemannos, cùm sese antea Imperatori obtulissent eo, quo diximus, tempore, ab eo fuisse contemptos. Sic autem ait.

-------- Quoties sociare cateruas
Optauit, iungíque tuis Alemania signis,
Nec doluit: contempta tamen, spretóque recessit
Auxilio, laudata fides. -------

Nihilominus tamen pax illa tantam vim habuisse videtur, vt non modò *Francos*, verùm etiam ceteros Germaniæ populos quietos ac tranquillos effecerit, ab eo anno vsque ad illum, quo Vandalorum, Alanorum, Sueuorum & Burgundionum conspiratio Germaniam, totúmque adeo Occidentem turbauit. Nam Procopius testatur, ipsos per *Francorum* fines ipsis inuitis transiisse, vt in Galliam irrumperent, forsitan vt Burgundionum regioni, quæ proxima erat, parcerent. Idcirco Orosius ait, *Francos protriuerunt.* Quibus testimoniis contra Auentinum probari potest, Francos eiusdem cum ipsis factionis non fuisse. Nisi fortè Beato Rhenano concedendum sit, nonnullos ex ipsorum populis, eos maximè, qui Sueuis proximiores erant, vt Cattos, ipsis sese adiunxisse. Veruntamen assentiri non

possum iis, quæ alij memoriæ prodiderunt, hanc videlicet tempestatem in Francorum regionem non tantùm incubuisse, verùm etiam è Treuirorum, Leodiensium, Metensium, Tullensium, Virdunensium, aliorúmque ciuitatibus, oppidis, ac finibus eos expulisse: Cùm in hæc loca à tribus aut quatuor annis, adeóque à septimo aut octauo anno Honorij Principatus commigrarint, à quodam Senatore Treuirensi exciti atque inuitati, vt hac ratione iniuriam vxori suæ illatam à Lucio Prouinciæ Præfecto vlcisceretur. Etenim ex ipsis Claudiani, qui his temporibus floruit, scriptis (quæquidem res memoria digniores complectuntur, quæ in Occidente Honorij temporibus, vsque ad II. Stiliconis Consulatum, qui in annum CCCCV. incidit, gesta sunt) facilè demonstrari potest, illa ætate nondum ea contigisse. Propterea quòd non eos ibidem tamdiu commorari ac quiescere permisisset Stilico: tum etiam quia lib. III. de Laudibus Stiliconis apertè declarat ipsius Consulatus initio, Occidentis Imperium ab omni parte quietum ac pacatum fuisse. Ait autem, A

405.

------- Consul cessantibus armis
Contentus lictore venit. -------

Item in Panegyrico VI. Consulatus Honorij anno Christi CCCCIIII. ostendit Francos hanc in Galliam irruptionem nondum fecisse sub initium prædicti Consulatus, neque etiam eo tempore, quo primùm VVisigothorum Rex Alaricus in Italiam venit, hoc est anno CCCCII. & CCCCIII. propterea quòd ipsius coërcendi gratiâ, legiones illas, quæ Rheni præsidio relictæ fuerant, in Italiam euocauit Stilico, prout lib. I. Getici belli declarat his verbis. B

------ Tutúmque remotis
Excubiis, Rhenum solo terrore reliquit.
Vlláne posteritas credet? Germania quondam
Illa ferox populis, quæ vix instantibus olim
Principibus, tota poterat cum mole teneri:
Iam sese placidam præbet Stiliconis habenis.
Vt nec præsidiis nudato limite tentet,
Expositum calcare solum, nec transeat amnem,
Incustoditam metuens attingere ripam.

Quamobrem si vera sit illa Treuiris expugnatio, non priùs contigisse videtur quàm Constantinus Tyrannus Galliarum Imperium aduersus Honorium inuasisset, post Vandalorum in illas eruptionem. Siquidem Zozimus, & Renatus Frigeridus à Gregorio Turonensi citatus, testes sunt, Francos aliquot è popularibus suis milites ei tradidisse, quibus se contra Imperatorem tueretur. Quiquidem EDOBECHO siue EDOBINCHO eiusdem nationis Duce ipsum Valentiæ obsessum liberarunt anno CCCCVII. Deinde verò ipsi soli vel per se, vel illius nomine, VVandalis bellum intulerunt, vel vt ab ipsis vastatæ ac direptæ patriæ
410. pœnas repeterent, vel vt vnà cum ipsis Galliam deprædarentur. Itaque anno CCCCX. quo Roma à Gothis expugnata est, tanto cum impetu eos adorti sunt, vt viginti hominum millia vnà cum eorum Rege MODEGISILO cæsa fuerint. Reliquos etiam facili negotio ad internecionem deleuissent, nisi Alanorum Rex Rapsendial, de Rheno eis auxilium laturus accurrisset, sicque ipsos ab interitu vindicasset. Qua de re Frigeridus in hunc modum locutus est: *Interea Rapsendial Alanorum Rex de Rheno agmen suorum conuertit, VVandalis Francorum bello laborantibus, Modigisilo Rege assumpto, acie viginti fermè millibus ferro peremptis, cunctis VVandalorum ad internecionem delendis, nisi Alanorum vis in tempore subuenisset.* Quo fit vt existimem, nullum esse tempus, cui commodiùs illa Treuiris expugnatio assignari possit. quæ etiam pro prima è quatuor direptionibus, quas vrbs illa passa est, accipi potest, iuxta Saluianum Massiliensem Episcopum, ante ingressum Attilæ in Gallias, ac pro prima Francorum in eas eruptione. Ibi verò tum suâ, tum etiam Constantini, eorúmque qui post eum in Galliis Tyrannidem occuparunt, Iouini scilicet & Sebastiani, potentiâ freti sese tutati sunt (constat enim eos æquè cum postremis ac cum primo consensisse) vsque ad annum circiter C
412. CCCCXII. vel CCCCXIII. Quo tempore pulsi, primásque sedes repetere à Con-
413. stantio Honorij Legato coacti sunt, oppressis penitus Tyrannis, quorum primus anno CCCCXI. Francorum exercitum, quem Edobechus ipsius auxilio ducebat,

A apud Arelatensium vrbem profligatum vidit. ceteri sequentibus annis extincti sunt.

ATQVE huiusmodi fuerunt veterum FRANCORVM facinora, ex quo Romanæ Historiæ eorum mentionem facere cœperunt, vsque ad secundam eorum in Gallias irruptionem, cui Regni Francici primordia tribuenda sunt: pro vt ex monumentis Scriptorum fide dignorum, qui ex veterum Historiarum naufragiis supersunt, obseruare possumus. Vnde coniicere licet, *Francos* Regum imperio subditos fuisse, vnóque & eodem tempore plures Reges habuisse, eò quòd in multos populos ac nationes essent distributi. Verùm si ea, quæ Ado, Aimoinus, aliique scriptis prodiderunt, vera sint, ipsis nimirum aliquanto pòst tempore Principes quosdam Duces appellatos tantummodo præfuisse, id Melobaudis Regis temporibus contigisse necesse est: cùm Imperatores quos vellent Reges aut Duces ipsis præponerent, vt ab iis ad nutum regerentur, sicut ex supradictis intelligi potest. Ea autem tempestate GENOBALDVM, SVNNONEM, & MARCOMIRVM, apud Francos dominatione obtinuisse credibile est, cùm Sulpitius Alexander ipsos Duces appellet. Cùm verò Claudianus & Paulinus eosdē etiam Reges nuncupent, id eò factum fuisse par est, quòd Regum locum obtinerent, siue quòd ex Regia stirpe essent oriundi. Quam quidem difficultatem idcircò proponendam duxi, B quòd Gregorius Turonensis ex ea sese expedire non potuerit. Ceterùm siue semper Reges, siue tantùm Duces certis temporibus *Franci* habuerint, nihil obstat, cùm in plures populos ac nationes essent diuisi, quo minus existimemus ingentem illam Francorum multitudinem, quæ in Galliam ad eam inuadendam irrupit, ex omnibus istis nationibus, aut maxima earum parte, collectam fuisse: deinde verò vnitis ac coniunctis viribus, è gentis suæ Principibus aliquem expeditionis suæ Ducem delegisse. Cui, postquam in Galliam ingressi essent, ac in Thongrorum regione (quæ Leodij & Brabantiæ finibus contermina est) consedissent, Regis nomen cum auctoritate detulerunt: tum vt illos in ea, quam subegerant, regione conseruaret ac tueretur, vlteriúsve eo Duce progrederentur: tum etiam vt aliquam Reipublicæ formam, qua in noua habitatione vterentur, instituerent. Id verò Gregorius Turonensis innuere videtur, dum quorumdam testimonium profert, qui scripserunt *Francos* primùm Rheni littora obtinuisse, deinde eo traiecto in Thongriam transmigrasse, ibique iuxta vrbes & pagos Crinitos Reges è prima & nobilissima suorum Familia supra se creauisse. Ipsius autem verba sunt. *Francos primùm littora Rheni amnis tenuisse, dein Rheno transacto Thoringiam transmeasse, ibique iuxta pagos, vel ciuitates Reges Crinitos supra se creauisse de prima & nobili suorum Familia.* Quamuis autem expressam PHARAMVNDI mentionem ibi non fecerit, satis tamen apertè eodem loco declarat, aliquem ipsos Regem ante CLODIONEM habuisse. Cùm præsertim, dum paulò post de illo verba facit, non dicat, primum illum Regem creatum fuisse, C sed tantummodo, *Ferunt autem tunc Clogionem, vtilem ac nobilissimum in gente sua Regem Francorum fuisse, qui apud Dispargum habitabat, quod est in termino Thongrorum.* Quamobrem non video cur Pharamundi electio in dubium reuocari debeat, ob eam solummodo rationem, quòd Gregorius Turonensis ipsius non meminerit: Cùm Adonis antiqui ac eruditi Scriptoris, & cui maior fides adhibenda sit, quàm scriptis Aimoini Monachi, atque Abbatis Trithemij, testimonio comprobetur: cùm verisimile sit idipsum nequaquam temerè memoriæ prodidisse. Præterea argumentum illud, quo Gregorius inductus est, vt crederet *Francos* cis Rhenum Crinitos Reges suprà se creauisse, non modò confirmat nouam Regum electionem è Regia stirpe factam fuisse; verum etiam manifestè demonstrat, in ipsa Regum creatione Francos communi omnium consensu statuisse, vt ipsi Reges, eorúmque successores prominentiori capillo Regio more vterentur, vt à reliquis distinguerentur. Sicut olim Germanicarum nationum, Alemannorum scilicet, Sueuorum, & Saxonum Reges vti consueuerant, prout innuit Claudianus vbi ait,

------ ingentia quondam
Nomina crinigero flauentes vertice Reges.

Et in quodam è suprà citatis locis.

Ante Ducem nostrum flauam sparsere Sicambri
Cæsariem.----- A

Alibi namque euidenter ostendit, id de illorum Regibus tantùm esse intelligendum, non verò de reliqua Francorum multitudine, qui comas tondebant, vt ex suprà allato versu patet.

Militet vt nostris detonsa Sicambria signis.

Id quod amplius etiam declaratur apud Sidonium Apollinarem, vbi ostenditur ipsos caput & barbam radere consueuisse.

Hic quoque monstra domat, rutili quibus arce cerebri
Ad frontem coma tractat iacet, nudatáque ceruix
Setarum per damna nitet: cum lumine glauco
Albet aquosa acies, ac nutibus vndique rasis
Pro barba tenues perarantur pectine cristæ.

Item in alio Carmine ad Lampridium.

Sic tonso capiti senex Sicamber
Postquam victus es, elicis retrorsum
Ceruicem ad veterem nouos capillos.

Et ad Maiorianum Imperatorem.

Detonsus Vahabim bibat Sicamber.

Quamobrem apud Auctores scriptum reperitur, Reges post mortem, atque in sepulchris ex longa coma dignosci, eósque qui detonsi essent in regiæ Familiæ B Principes non adscribi solitos. Si quis autem ex eo inferre vellet, Francos fuisse Sicambros, causam etiam afferre deberet, cur non omnes, quemadmodum Reges, veterum Sicambrorum instar, longas comas haberent. Nolim tamen inficias ire, nouam illam Regum Familiam, ex qua ortus est CLODOVEVS, ex iis præsertim populis, qui veterum Sicambrorum regionem habitabant, deductam fuisse.

VERVM eiusmodi Regum Crinitorum electionem in Thongria siue Thoringia Galliarum cis-Rhenana, non autem in altera illa Germaniæ Thoringia factam fuisse, patet ex iis quæ Gregorius his quæ suprà retulimus subiungit. *In his partibus, id est ad Meridionalem plagam, habitabant Romani vsque Ligerim: vltra Ligerim VVisigothi. Burgundiones quoque Arrianorum sectam sequentes habitabant trans Rhodanum.* Præterea non satis constat, vtrum FRANCI aliquid commune cum Thoringis tunc temporis habuerint, eorúmque societas ac dominatio eò vsque peruenerit. Credibile est, eorum, qui è Francis in Gallias ingressi sunt, habitationē Rheno proximiorem fuisse, non autem remotiorem illam regionem quæ hodie Thoringia nuncupatur. Quapropter si huic testimonio fides habeatur, concludendum est Francos, qui Gallias inuaserunt, primos Reges suos cis Rhenum creauisse, ibique consedisse priusquam inter eos CLODIO regnaret. Quare Prosper litteris prodidit, ipsos, ex his regionibus, quas ad Rhenum obtinebant, ab Aë-
427. tio anno CCCCXXVII. pulsos fuisse. Interim si Auentini & quorumdam aliorum C
sententia paulò firmioribus niteretur fundamentis, non minus commodè quàm prædicta Gregorij testimonio congrueret, qui non vnicum Regem, sed Reges in Thongria crreauisse *Francos* commemorat. Francos siquidem narrant non vno tantummodo agmine, sed in duodecim distributos, cum totidem numero Ducibus (fortasse pro numero populorum) in Gallias transiisse, quorum vnusquísque in ea quam subegerat parte dominationem obtinuit. Ita vt Cameraci, Tornaci, & Coloniæ Reges, qui postea à Clodoueo sublati sunt, inde profectos esse arbitrentur. Propterea quòd vrbes illæ, Moguntia scilicet, VVormatia, Spira, quinque Principibus, nempe Arbogasti, Harouico, Drogo, Haganoni, & Geberico, eiúsque filio Gunthario: Colonia autem & finitimæ Sigeberto, ac eius filiis Littauico & Errico: Teruanna verò, Cameracum, aliæque, Lithomaro & Richario obtigerunt. Neque idcirco concedendum puto duodecim illa agmina, CHILDERICO Duce Merouei filio, qui (vt ferunt) vndecim aliis præerat, transiisse, sed potiùs eorum ingressum eo, quo infrà declarabimus, tempore, accidisse. Quod si ea, quæ de duodecim illis Ducibus feruntur, vera forent, hic, quem Auctores nostri PHARAMVNDVM Marcomiri, vt aiunt, filium appellant, eorum numero esset adscribendus. Ipse verò apud Dispargum in Thongria habitauit, cui cete-
rísque

A rísque Ducibus Regis nomen cum poteſtate eo tempore, atque ob eas cauſas quas iam expoſuimus, detulerunt. Quod autem Hiſtorici ipſius ſolùm eiúſque ſucceſſorum, non item aliorum, mentionem fecerint, id eo factum arbitror, quòd ex illius ſtirpe progenies ac ſeries Regum, qui reliquam Galliæ partem ſubegerunt, fuerit oriunda: vel quòd ceteris auctoritate præſtiterit. Præterea inter Salicæ Legis capita, quæ ad nos vſque peruenerunt, ſcriptum eſt, hanc Legem ab iis *Francis*, qui Galliam à Silua Carbonaria Ligerim vſque occuparunt; Ripuariam verò, vnde Ripuariorum ſeu Ribarollorum nomen deductum eſt, ab iis qui inter Rhenum, Scaldim, & Moſam, conſederunt, conditam fuiſſe. His autem adducor vt exiſtimem, Pharamundum eiúſque ſucceſſores vſque ad Clodoueum Francorum copiis, qui *Salij* nuncupabantur, imperaſſe. Qui quidem Salij, vt à nobis antea dictum eſt, è populis Francici nominis, qui longiùs à Rheno aberant, profecti ſunt, qui bellis aſſuefacti, remotiſſimas quaſque regiones ſemper adirent, vt nouas ſedes quærerent, aut prædandi gratiâ, nec vmquam in vno loco diu perſeuerarent. Nec contenti ea parte, quæ ipſis in Thongria obuenerat, ditionis ſuæ limites latiùs propagare voluerunt, vnà cum nouis Francorum copiis, qui cum prioribus ipſis ſeſe adiunxerant, vt cum iis eamdem fortunæ ac periculi ſocietatem inirent. Propterea quod, qui ex iis, qui Rhenum primi incoluerant, òrti ſunt, inter fluuios à nobis ſuprà commemoratos quieti degere maluerunt, quàm ad incerta ſe conuertere. Niſi dicamus inter omnes conueniſſe, vt B ſubditæ regionis præſidio nonnulli remanerent, ad quam ceteri, qui ad nouas ſedes quærendas profecti fuerant, receptum haberent, ſi votorum compotes non fierent. Inde autem *Ripuarij* dicti ſunt, quibus Lex Ripuaria dicta ſeorſim ab aliis data eſt, eo quòd ab his ſeparati fuerint, qui ſecum inſtituta ac Leges, quæ *Salicæ* ſunt appellatæ, in eas quas inter Carbonariam Siluam & Ligerim ſubegerunt regiones attulerunt, vbi dominationis ſuæ limites conſtituerunt, vſque ad Clodoueum, qui VViſigothos vna cum eorum Rege Alarico deleuit.

VERVM enimuerò quantum ad huiuſmodi Legum originem attinet, duæ occurrunt difficultates, quas explanare difficile eſt. Prior, vtrum exiſtimandum ſit Pharamundum duarum prædictarum, ſiue omnium Legum, quibus primùm Franci vſi ſunt, auctorem extitiſſe, iuxta Adonis, Aimoini, Sigeberti, Othonis Friſinghenſis, aliorúmque opinionem, qui Francos illo Rege ſub legibus viuere tum primùm cœpiſſe prodiderunt: Quas quidē per quatuor Regni Proceres, VViſogaſtum, Bodogaſtum, Salogaſtum & VVidogaſtum nuncupatos, condendas curauit, qui tamquam Legiſlatores de omnibus cauſis ac controuerſiis conſtituebant. An verò communi omnium Francici nominis populorum conſenſu factæ fuerint, idque ante Pharamundum, qui tamen eorum auctor cenſeri potuerit, quòd poſt eius in Galliis electionem, tum primùm à Francis obſeruari cœperint. Quæ enim Legis Salicæ libro præmittuntur, nulla Pharamundi mentione C facta, ipſas trans Rhenum in tribus oppidis, Salehaim, Bedohaim, & VVidohaim, factas fuiſſe demonſtrant, vbi Legiſlatores tres conuentus egerunt, vt omnes cauſas ac materias, de quibus ſtatuendum eſſet, diligenter inueſtigarent atque examinarent. Poſterior difficultas eſt, vtrum Leges illæ, iuxta Sigeberti atque Othonis Friſinghenſis ſententiam, iam tum ab initio Salicæ dictæ ſint, cùm Ripuaria ab iis tamquam propago deducta, & Ripuariis accommodata fuerit. An verò Salicarum ac Ripuariarum nomina ipſis indita fuerint eo tantum tempore, quo propter priuatum populorum vſum, tum eorum qui inter tria flumina conſedere, tum etiam eorum, qui regiones inter Ligerim & Carbonariam Siluam ſitas occuparunt, diuiſæ ſunt. Videntur enim illi populi à ſe inuicem ſeparati fuiſſe, quoad Clodoueus Coloniam, Cameracum, aliáſque ciuitates ditioni ſuæ adiecit, cùm in eos perfectam dominationem nondum obtinuiſſet. Et quidem Gregorius Turonenſis, Sigiberti Coloniæ Regis ſubditos narrat, *Eum clypeo euectum ſupra ſe Regem conſtituiſſe, Regnúmque Sigeberti acceptum cum theſauris, ipſos quoque ſuæ ditioni adſciuiſſe.*

VT autem ad Pharamundi electionem redeamus, ſiue ſolus, ſiue plures vna cum eo in Thongria à FRANCIS creati fuerint, cùm, quo potiſſimùm tempore fa-

cta fuerit, nihil certi quicquam veteres Historici prodiderint, recentes verò inter A
se dissentiant: quia tamen Renati Frigeridi testimonio satis constat, secundam in
Gallias irruptionem *Francos* fecisse (de qua in hunc modum loquitur, *Treuerorum*
Ciuitas à Francis direpta incensáque secunda irruptione) eo ipso tempore quo Deci-
mus Rusticus, ceterique, qui Iouini & Sebastiani Tyrannorũ partibus adhæserant,
413. Constantino Cæsare circiter annum CCCCXIII. supplicio affecti sunt: Illud quidem
argumento esse poterit, circa id tẽpus Thongriam *Francos* inuasisse, ac in illius pagis
& ciuitatibus sedes suas collocasse. Nam cùm vidissent Constantium relictis Bur-
gundionibus, quos ex iis, quas in Gallia obtinebant regionibus expellere non po-
tuerat, in Italiam se recepisse, opportunissimam iterum perrumpendi occasionem
sibi oblatam esse arbitrati sunt. Ad id autem eos potissimum impulere ea bella, quæ
multa Honorius Imperator in Gallia atque in Hispania aduersus VVisigothos,
VVandalos, aliósque his temporibus gessit: quorum eiusmodi exitus fuit, vt Ho-
norius eam Galliæ partem, quæ inter Ligerim Rhodanúmque sita est fluuios,
414. nec non etiam Narbonensem Prouinciam VVisigothis anno CCCCXIV. Burgun-
dionibus verò illam regionem, quæ est vltra Rhodanum, habitandam permitte-
re coactus fuerit. Scribit etiam idem Auctor Castinum Comitem iussu Impe-
ratoris ex Italia aduersus *Francos* fuisse profectum. Cùm verò nihil ab eo me-
moriâ dignum in illa expeditione gestum reperiatur, coniicere licet ab eo tan-
tum prohibitos fuisse, quo minus vlteriùs progrederentur. Neque enim teme- B
rè credendum puto id quod Sigonius refert, ipsos nimirum anno sequenti, hoc est,
415. CCCCXV. à Castino diuersis præliis ita attritos fuisse, vt primas sedes repetere com-
pulsi fuerint: cùm illius opinio leuibus tantùm atque infirmis coniecturis niti videa-
tur. Accedit præterea Prosperi testimonium, qui *Francos* scribit anno CCCCXXVII.
ab Aëtio Galliâ pulsos fuisse. Atq; eo pacto ea quæ superiùs à nobis dicta sunt intel-
ligi debent. His autem nonnullos Historiæ Scriptores adductos fuisse arbitror, vt
417. Pharamundi electionem anno CCCCXVII. seu vt alij volunt, an. CCCCXIX. vel
420. CCCCXX. assignandam esse crediderint.

CETERVM ex supradictis obseruare licet, FRANCOS, ex quo in Sociorum ac fœderatorum numerum à Constantino Magno adscripti sunt, non minorem fortitudinis, ac bellicæ laudis famam præliis terrestribus apud Romanos consequutos fuisse, quàm antea maritimis suis expeditionibus, priusquam à Constantio Cæsare è Batauia pulsi, ac per diuersa Galliæ loca dispersi fuissent. Licèt idem Constantinus eorum regiones penè desertas ac desolatas tot naualibus victoriis reddidisset. In quam sententiam Claudianus Poëta de iisdem Francis atque Alemannis scripsit.

Illi terribiles quibus otia vendere semper
Mos erat, & fœda requiem mercede pacisci.

Et quidem à temporibus Constantini Magni res eorum plurimùm immutatæ de- C
prehenduntur, tum quia apud nullum Auctorem legatur ipsos mari ampliùs claruisse, tum etiam quòd eorum nomen minùs latè quàm antè patuisse videatur. Neque enim posteriorum temporum scriptis compertum habemus, maritimos populos, eos saltem qui remotissimam inferioris Germaniæ partẽ incolebant, deinceps *Francorum* nomine, sicut antea sub eodem Imperatore, comprehẽsos fuisse: quamuis ab his primùm prodiisse videãtur, veterésque Panegyrici, aliáque scripta priscis illis seculis edita, omnes illos populos *Francorum* appellatione designarint, quoties eos hoc simplici nomine nuncuparunt: Verùm in illam oram, qua Rhenus in Oceanum influit, quæque à parte ipsius fluuij superiore Mœnũ vsque, atque ad ea loca, in quibus Moguntia sita est, protenditur, se recepisse, ac veluti conclusisse. Quam quidem regionem Frisij quondam, Tencteri, Sicambri, nec non & Tubantes, Ansuarij, Chamaui, Chaibones (forsan illi qui Auiones à C. Tacito dicti sunt), & Bructeri incoluerunt, quibus etiam Cattos & Cheruscos populos à Rheno remotiores testimoniis & rationibus supra allatis adiicere non dubitarim, licèt Beatus Rhenanus eos inter Alemannorum nationes recensere voluerit. Verùm alio loco fateri coactus est, ipsos à Flauio Vopisco ab his secretos fuisse, dum ait, Germanorum atque Alemannorum reliquias, qui post Aureliani Imperatoris mortem in Gallias perruperant, Albim & Neccarum seu Necrum vsque à Probo pulsas fuisse: asseritq; *Germanorum* nomine Bructeros, Cattos, Cheruscos, ceteróſq; populos

A cis Rhenum commorantes; *Alemannorum* verò, eos, qui regionem Herciniæ Siluæ finitimam habitabant, esse intelligendos. Quibus commotus Procopius, *Francos* scripsit ab Oriente à Rheni ostio Thoringos vsque, à Meridie verò vsque ad Burgundiones sese extendisse. Iornandes verò Sueuos ab Occidente Francis, à Septemtrione Thoringis, à Meridie Burgundionibus vicinos fuisse refert. Qui quidem *Burgundiones* (vt ex Ammmiano Marcellino deprehendi potest) inter Mœnum & Neccarum à loco *Palla* nuncupato, à quo Palatinatui Rheni nomen inditum fuisse creditur, vsque ad superiorem Rheni ripam incolebant. idque de Orientali Meridie intelligendum est. Constat etenim Alemannos à Meridie Occidentali Rhenum versus Francorum fines attigisse, atque Moguntiam vsque & interiùs peruenisse. Cuius rei veritas ex Ammiano Marcellino deprehendi potest, qui XVII. & XVIII. lib. apertè declarat, eo tempore, quo Iulianus Cæsar bellum cum Alemannis gessit, vnum ex eorum Regibus Suomarum nomine Rheni oram infrà Mœni ostium cum sua gente occupauisse, alterum verò Hortarium nuncupatum infrà Mœnum & Moguntiam consedisse. Atque hoc quidem testimonio probari posset, regionem illam, quæ hodie *Franconia* dicitur, à veteribus *Francis* nunquam fuisse habitatam. Etsi nolim inficias ire, illius fines, maximè ab Oriente, eos attigisse, indéque profectos fuisse: necnon & Salios à fluuio Sala, qui in Mœnum sese exonerat, appellationem suam accepisse, quemadmodum ferè omnes Alemannorum Historici recentiores sibi falsò persuasere. Cùm præsertim
B Mamertinus testetur regionem illam, quam Burgundiones in Germania obtinuere, ab Alemannis antea occupatam fuisse. Cùm verò constet Francofordium, cetera̋sque vrbes, quæ hodie ad Franconiam pertinent, ab his *Francis*, quos Carolus Magnus eò transtulit, conditas, munitas, atque habitatas fuisse, haud abs re fuerit dicere, Franconiæ appellationem inde deductam esse. Idque Franciæ Gallicæ minimè dedecori esse debet, è qua profecti sunt Franci, qui totius Germaniæ Principatum obtinuerunt, imò etiam ipsius regionis vnde originem duxerant.

QVOD verò ad Thoringos spectat, nulla, quod sciam, eorum mentio apud quemquam, siue Historicum, siue Geographum aut Poëtam ante Honorij obitum reperitur, prætérquam X. lib. cap. VI. Vegetij Veterinariæ, vbi de *Thoringorum* & Burgundionũ equis verba facit, qui excellentiæ gratiâ maximo pretio habebantur. Etsi præter Francorum, Saxonũ, & Burgundionũ nationes, Sueui, Quadi, Marcomanni, & alij sæpissimè commemorati fuerint. Quo fit, vt existimẽ ipsos Francorũ nomine & factione fuisse comprehensos, ab iisque recessisse, postquam ceteri Francorũ populi in Gallias grassari ibique dominationẽ obtinere cœperunt, ne ab his pendere viderentur. Atq; eo pacto Regnũ seorsim condiderunt antiquo nomine ipsi indito, cuius tantam fuisse vetustatem ait Procopius, vt iàm inde ab Augusti tẽporibus illud eos habuisse existimet. Cùm verò id nullo alio testimonio comprobetur, ni Vegetij extaret auctoritas, illud quidem Claudiani Poëtæ temporibus nondũ fuisse auditũ existimassem. Propterea quòd mihi mirũ videtur, illud ab eo prætermissum
C fuisse, cùm Cimbrorũ, Chaucorũ, Sicabrorum Bructerorũ, Chamauorũ, Cattorũ & Cerufcorum meminerit, qui eamdem quam Thoringi regionẽ habitarunt. Neq; absurdum fuerit dicere, eos, qui regionem illam sub Francorum nomine, eo ipso, de quo loquimur, tempore, incolebant, facta cum vicinioribus populis conspiratione, ob rationem aliquam nobis incognitam denominationem hanc vsurpasse, vt deinceps à ceteris Francis secernerentur. Nisi cum Beato Rhenano & aliis existimare velimus, Thoringos aliunde, quàm ex illa regione, quæ de ipsorum nomine Thoringia appellatur; hoc est, è Germania Orientali seu Septentrionali, que trans Albim sita est, originem duxisse. Cùm iuxta Sidonij Apollinaris sententiam quidam ex iis reperti fuerint inter illas nationes, quæ Attila duce in Gallias irruperunt. Neque tamen ipsis concesserim, Cheruscorum sedes eos occupasse, qui finibus suis egressi fuerint, cùm sese Alemannorum societati adiunxerunt, vt regionem illam inuaderent, quæ de eorum nomine *Alemannia* dicta est. Crediderim potiùs id eo tempore accidisse, quo Saxones Francorum sedes Albim vsque inuaserunt, cùm ad id faciendum eorum exemplo inuitarentur: siue etiam quod eorum partes essent sequuti. Fieri enim nequaquam potest, vt Francos aggredi ausi fuissent, nisi aliarum nationum societate ac præsidio freti. Cui rei fidem facit Zozimus, dum Quados vnam è Saxonicis nationibus appellat, quæ, vt

suprà declaratum est, Salios finibus suis expulerunt: Itémque Cheruscos Constantini temporibus ibidem etiam consedisse. Cui tamen rei fidem haberi eamdem nolim, ac si pro comperta atque explorata haberetur. A

Qvo tandem pacto se res habeat, ex his, quæ de Thoringis Historici memoriæ prodiderunt, intelligi potest, iam inde ab initio, inter eos & FRANCOS fœdus amicitiámque intercessisse. Quibus profectò mea quodammodo stabilitur opinio. Præterea Frisios idem fecisse, argumento esse potest Regnum illud, quod vsque ad Caroli Martelli & Pipini tempora floruit: quod quidem sub postremis Occidentis Imperatoribus, ni fallor, adhuc inauditum erat, neque illius incunabula vsquam reperiuntur. Ex quibus colligere licet, FRANCOS, qui FRANCIÆ Regnum in Gallia fundarunt, à Frisiis & Thoringis minimè ortos fuisse, verùm ab aliis populis ipsi Galliæ proximioribus, qui eodem quo Franci minime nuncupabantur. Cùm verò omnibus Historiis compertum sit, *Franciæ* & *Francorum* nomen à tempore suprà à nobis declarato semper conseruatum esse inter eos populos, atque in ea regione à nobis commemorata, cùm ab iis, à quibus ortum fuerat, neglectum esset: minimè mirum videri debet, si illo nomine nullum amplius mari præclarum facinus ediderint, sique ij, qui illud retinuerunt, terrestris prælij gloriam nauali prætulerunt. His etiam accedit, quòd eorum auxilio atque opera Imperatores in omnibus suis negotiis vsi fuerunt, eósque sociorum ac fœderatorum loco semper habuerunt. Quod verò ad Franciam maritimam spectat, haud facilè fuerit coniicere, quonam modo Saxones, quos pro omnibus, seu pro maritimis tantùm Daniæ populis acceptos fuisse arbitramur, nomen suum *Francorum* loco in eam introduxerint, ac longè latéque ab Oceano Germanico VVestphaliam vsque propagarint: ni Zozimus huic coniecturæ occasionem daret, dum ait *Francos Salios* nuncupatos, à Saxonibus fuisse finibus suis expulsos. Neque enim apud quemquam Auctorem, antiquum saltem & fide dignum, legimus, qua ratione è paludibus & maritimis littoribus tam repentè in continentem proruperint. Fieri quidem potuit, vt proximiore Franciæ maritimæ parte vi & armis occupata, eiectis iis qui resistere ausi fuerant, reliquos populos, qui Chaucorum regionem incolebant, subegerint, secúmque fœdus ac societatem inire coëgerint. Nisi forte id eos sponte fecisse dicamus, vt vna cum ipsis piraticam exercerent, sicut ab initio sub *Francorum* nomine factitarant. Adeò, vt iam inde à temporibus Valentiniani secundi tota inferior Germania Saxonico nomine repleta fuerit, à mari VVestphaliam vsque, quam, iuxta quorumdam opinionem *Franci Ansuarij* dicti incoluere, nec non etiam ab Albi fluuio Frisiam vsque, in qua sub *Franciæ* nomine, etiam ante Constantini Magni tempora, Chauci quondam sedes suas habuerunt. Ibi verò sub postremis Occidentis Imperatoribus, non minorem suis prædationibus nominis sui terrorem iniecerunt, quàm primi illi *Franci*, qui beati Hieronymi tempore floruerunt. Qui quidem ob eam causam in vita beati Hilarionis scribit, Francorum nationem inter Saxones & Alemannos sitam fuisse. Sic autem ait. *Inter Saxones & Alemannos gens non tam lata quam valida, apud Historicos Germania, nunc verò Francia vocatur.* Alemanni siquidem & Burgundiones, vt ante diximus, à meridie eos simili modo contingebant, cùm Alemannicum nomen, factionis & societatis appellatio esset, multos ac diuersos populos, Francici & Saxonici nominis instar, complectens: quàmuis illud non negarim, proprium ac peculiare alicui populo potiùs, quàm duo alia extitisse. Nam cùm veteribus Germaniæ populis ea fuerit consuetudo, provt ex veterum Sueuorum & Marcomannorum factionibus animaduertere licet, vt, postquam nouas sedes quærere, aut cum hoste congredi decreuissent, communi aliquo societatis vinculo sese mutuò obstringerent: plerumque accidebat, vt, qui plus potentiâ ac viribus valerent, inferioribus leges noménque imponerent, nonnumquam etiam nouam aliquam appellationem omnibus ex æquo communem sibi assumerent. Quo quidem modo, eo, de quo loquimur, tempore, omnis ferè Germania, saltem qua parte ad Occidentem vergit, à mari vsque ad Alpes, in tria illa nomina, *Fancorrum* scilicet *Saxonum*, & *Alemannorum*, erat diuisa. Crediderim etiam ob eamdem rationem, littora atque oras maritimas, tum Britanniæ siue Angliæ, tum etiam Galliæ, quæ eodẽ, quò Germaniæ & Daniæ littora,

B C

A spectant, eo libro cui titulus est, *Notitia Imperij Romani*, littora Saxonica appellari. Quo prorsus modo se habent ea quæ Saxonum prædationibus atque inuasionibus patebant, quibus prohibendis, Imperatores præsidia ac munitiones ibidem collocarant. Id autem de maritimis Germaniæ ac Daniæ nationibus intelligendum est, quæ tunc temporis sub eo nomine, sicut postea sub Nortmannico Septentrionales omnes, continebantur, postquam Francicum nomen ab iis, quæ eo prius vtebantur, repudiatum est.

QVOD autem Saxones non solùm Galliæ, verùm etiam Britanniæ, atque Orcadum littora latrociniis & incursionibus infestare consueuerint, testis est Claudianus multis locis, vt cùm ait:

---------- *ne littore toto*
Prospicerem dubiis venturum Saxona ventis.
Et alibi. --------- *Maduerunt Saxone fuso*
Orcades.

Quamobrem si inter omnes conueniat, eo ipso, de quo loquimur tempore, inter Saxones & Alemannos *Francos* habitasse, cùm suprà citato Claudiani loco agatur de pace inter Honorium Imperatorem & quosdã Germaniæ populos an. CCCXCIX.
B facta (qua quidem Sicambria certum militum numerum in Imperatorum auxilium mittere tenebatur) per *Sicambriam* intelligi videntur Franci, aut saltem eorum factionis populi, qui regionem illam, quam *Sicambri* quondam obtinebant, vna cum ipsis incolebant. Per *Sueuos* verò Alemanni sunt accipiendi, qui easdem, quas olim Sueui, sedes occupabant: pro vt omnes fere Auctores Alemanni recentiores sibi falsò persuasere, eo quòd non animaduerterint, eo ipso tempore, huiusce nominis populos, in extremis Germaniæ Orientalis finibus Boëmiam versus, inter Thoringos scilicet & Burgundiones, consedisse. Ibi autem multò pòst tempore separatam ab aliis dominationem obtinuere; donec Illyricorum irruptionibus sedibus suis excedere, atque ad Alemannos se recipere coacti sunt, qui eos ex Franciæ Regum consensu in suam societatem admiserunt. Manifestè siquidem ex Historiis deprehenditur, ab ea tantummodo tempestate Alemannorum regioni Sueuiam fuisse adiunctam, Sueuorúmque nomẽ nullibi præterea floruisse. Siquidem ex illis primis, qui nullam vnquam cum his societatem habuerunt, orti sunt isti Sueui, qui VVandalorum atque Alanorum partes sequuti in Hispaniam penetrarunt, eámque subegerunt. Ad quos etiam referendi sunt ij, qui Saxonum regionem inuasere, dum ipsi in Italiam cum Longobardis essent profecti, qui semper ab Alemannis distincti fuerunt. *Caycorum* verò, seu, vt alij volunt, *Chaucorum* nomine intelligendi sunt Saxones, potiùs quàm Franci, qui (sicut Beatus Rhenanus perperam persuadere conatus est) Chaucorum finibus iamdudum excesserant, ac eorum locum Saxones occuparant. Quòd si hoc loco Sicambria pro alia magis, quàm pro antiqua illa Francorum sede, sumi debeat, maiori studio in hoc ipsi elaborandum fuerat, vt qualis esset, aut vbinam, indicaret. At verò quingentorum annorum interuallo ab excessu Augusti nullus Auctor comperitur extitisse, qui vllos huiusce nominis Sicambros in Germania fuisse memoriæ prodiderit, ex quo ab eodem Augusto in Galliam transducti sunt. Poetæ tantùm, qui sub postremis Imperatoribus vixere, nec non & Ptolemæus, eos ad Rhenum collocarunt. Item Cornelius Tacitus lib. XII. expressis verbis testatur, nationem illam sua iam ætate extinctam ac deletam fuisse. Sic enim scribit. *Ac præcipua Silurum peruicacia, quos accendebat vulgata Imperatoris vox: vt quondam Sicambri excisi, vt in Gallias traiecti forent, ita Silurum nomen penitus extinguendum.* Eo autem lib. quem de Germaniæ populis conscripsit, nullam Sicambrorum mentionẽ facit, quamuis de Tencteris & Ansuariis loquatur, quibus eumdem, quem Iulius Cæsar, locum assignat. His autem adducor vt existimem, Cohortem illam, quam libro quarto Annalium narrat Tiberio in eo bello, quod aduersus Rhœmetalcem Thracum Regem gestum est, operam suam nauasse, quámque Sabinus eius Legatus (ipsius verbis vtar) *Romanis promptam ad pericula, nec minus cultu & armorum tumultu trucem haud procul struxerat*, de Sicambris illis, qui in Galliam traiecti fuerant esse intelligendam. Quiquidem nomen suum nondum amiserant, cùm illud multo etiam pòst tempore retinuerint, iísque Imperatores auxiliarium legionum loco vterentur. Quamobrem

Martialis quidem & Iuuenalis eorum mentionem fecêre. Alter quidem dum ait, A

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

Alter verò in hunc modum,

Tamquam de Getis toruísque Sicambris.

Id quod etiam de Sicambrica legione intelligi poteſt, quæ Sicambriam vrbem in Pannonia condidit, eo ipſo loco, vbi etiam nunc veteris Budæ rudera conſpiciuntur, pro vt ex hac inſcriptione iudicari poteſt.

LEGIO SICAMBRORVM
HIC PRÆSIDIO CONLOCATA
CIVITATEM ÆDIFICAVIT,
QVAM EX SVO NOMINE
SICAMBRIAM VOCAVERVNT.

Verùm ſucceſſu temporis Sicambricum nomen extinctum fuiſſe exiſtimo, in ea præſertim regione nuper à nobis commemorata, propterea quòd crebris populorum trans Rhenum incolentium incurſionibus vaſtata, ac deſolata fuerit, ſæpè etiam iuſſu Imperatorum, qui Auguſto ſucceſſere, coloniis in eam deductis, à nouis populis habitata, dum aliis alij ſubinde ſuccederent, nec penitus incolis deſtituta relinqueretur. B Tum etiam vt ij, qui in eam eſſent deducti, tamquam veri ac proprij illius poſſeſſores, aduerſus quoſlibet hoſtes eam defenderent. Adeo vt tum penitus exciſa fuiſſe videatur, cùm à FRANCIS vnà cum Batauia, iíſque regionibus, quæ inter Scaldim & Rhenum ſitæ ſunt, Claudio Imperium obtinente, eſt occupata. Quapropter difficile fuerit probare, ab his temporibus Sicambricum nomen in illa regione, atque inter legiones & Cohortes Romanas floruiſſe. Cùm verò Cohortes illæ iam tum ſuppreſſæ videantur, quemadmodum multæ aliæ Dionis ætate, quæ ab Auguſto & nonnullis ipſius ſucceſſoribus fuerant inſtitutæ: ita etiam vero ſimilius eſt, omnes populos, qui regionem illam deinceps obtinuerunt, *Arborichos* fuiſſe nuncupatos. Neque enim mihi videntur ij, quorum Procopius lib. IIII. belli Gothici ſub eodem nomine mentionem facit, ad alios magis quàm ad iſtos eſſe referendi. Licet quidam falſa perſuaſione inducti crediderunt, eo loci *Armoricanos* pro *Arborichis* eſſe legendos: eo quòd Arborichi vocabulum nuſquam alibi ſcriptum reperiatur. Conſtat ſiquidem Armoricanorum appellationem multò latiùs patuiſſe. Præterea ipſemet Auctor ſatis apertè declarat, eiuſmodi Arborichos Francorum finibus contiguos fuiſſe, quos Romani, ſicut & alios in Gallia atque Hiſpania ſitos, ſibi ſubegerunt, iíſque tamquam aliis militibus in bellis vtebantur. Qua de cauſa tum etiam quòd ab antiqua viuendi ratione omninò deſciuerant, *Franci* C proximitatis gratiâ, eos primum adoriri ac ſibi ſubiicere voluerunt. Verùm tanta animi fortitudine ſe ſuáque tutati ſunt, vt nullo ſeſe damno affici paſſi fuerint. Quamobrem Franci fœdere ſancito eos tandem in ſuam ſocietatem & amicitiam recipere coacti ſunt, Imperio Romano funditus in Italia extincto. Quoniam verò eodem loco ſcriptum eſt, huiuſmodi *Arborichos* fuiſſe Chriſtianos, non video quonam pacto Procopij teſtimonium eorum opinioni accommodari poſſit, qui Galliæ FRANCOS à Sicambris in eam ab Auguſto tranſductis ortos fuiſſe exiſtimarunt.

QVOD ſpectat ad ea quæ Ptolomæus de Sicambris retulit, nemini dubium eſſe debet, quin regionem illam, quæ Sicambrorum quondam fuerat, deſignare voluerit. Propterea quòd à pleriſque doctiſſimorum illius ætatis compertum eſt, Germaniam ab illo, non eo ſtatu quo ſuo tempore erat, deſcriptam fuiſſe, ſed prout apud antiquos Auctores qui ante illum vixerant delineatam repererat. Neque enim probari poteſt, eo ipſo quo viuebat tempore, quóque notauit loco, Sicambros adhuc extitiſſe, tantâ incolarum mutatione ac tranſmigratione factâ, quantam Cornelius Tacitus oſtendit, ex quo ab Auguſto traiecti fuere, vſque ad Veſpaſianum, quò imperante affirmat lib. XX. Tencteros regionem illam, quæ Coloniæ oppoſita eſt, ad Rhenum occupaſſe. Eo autem libro cui, *De moribus Ger.*

A *manorum*, titulum fecit, sic refert. *Iuxta Tencteros, Bructeri olim occurrebant, nunc Chamauos & Angriuarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis.* Et paulò post. *Angriuarios & Chamauos à tergo Dulgibini & Chasuarij cludunt, aliaque gentes haud perinde memorabiles. A fronte Frisij excipiunt. Maioribus minoribúsque vocabulum est ex modo virium: vtraque nationes vsque ad Oceanum Rheno pratexuntur, ambiúntque immensos lacus.* Libro autem XIII. Annalium narrat, Nerone rerum potiente, regionem quandam Frisiæ contiguam, destitutam incolis repertam fuisse. Quapropter Frisij in eam commigrarunt, indéque à legionibus Romanis pulsi sunt: quemadmodum & Ansuarij, qui à Chaucis finibus expulsi, eodem etiam transmeare non dubitassent, nisi prohibiti fuissent. Quamobrem Bructeris & Tencteris se adiungere conati sunt: verùm cùm hi Romanorum minis, illi verò metu deterrerentur, tum Ansuarij ab incœpto desistere, atque ad Vsipios & Tubantes se conferre compulsi sunt. Ipse etiam paulò superiùs dixerat, *Chamauorum quondam ea arua, mox Tubantum, & post Vsipiorum fuisse.* Quis igitur ex prædictis testimoniis non intelligit, omnem Rheni oram Germanicam à Colonia vsque ad mare, Chaucorúmque regionem, ante Ptolomæi tempora ab aliis quàm Sicambrorum nationibus occupatam fuisse? Neque tamen ob eam solummodo causam, ea testimonia à nobis tanta diligentiâ proposita sunt: verùm etiam propter duas alias rationes, quarum prior est, vt ostendatur Germaniæ descriptionem à Strabone non aliter quàm à Ptolomæo factam fuisse, cùm eos Auctores sequutus fuerit, qui ante eum illius situm descripserant, eo statu, quo tempore Iulij Cæsaris erat: vel potiùs Geographos Græcos tantùm, qui non eandem curam diligentiámque in pernoscendis Germaniæ populis ac Romani Scriptores adhibuerant. Neque enim video qua ratione ab erroris, aut ignorantiæ labe vindicari possit, quòd in ea regione *Sicambros* tantùm collocarit, ac si in tota Rheni ora à nobis commemorata, non alij præter eos commorati fuerint. Nisi ipsum existimemus sub *Sicambrorum* nomine, omnes prædictos populos comprehendere satis habuisse, quòd ij videlicet omnium primi clarissimíque extiterint, aut in ceteros Principatum obtinuerint: eúmque Germaniæ statum fuisse Iulij Cæsaris ætate à suis Auctoribus didicisse. Quandoquidem tum ex ipsius Commentariis, tum etiam ex Plinio, Velleio Paterculo, & Dione constat, omnes supradictos populos, in ea, de qua agimus, regione, vnà cum Sicambris, etiam ante eorum transmigrationem consedisse.

B

INTERIM quamuis iuxta prædictam rationem, per eam Sicambrorum partem, quæ, vt idem Auctor asserit, trans Rhenum remanserat, postquam ipsi populi ab Augusto Cæsare in Galliam translati fuere, Frisios aliósque nuper commemoratos intelligendos esse non putarem: partémque eiusmodi re vera Sicambrorum reliquias extitisse, qui à sociorum conditione sese immunes præstiterint: Non tamen ideò concedendum existimabo, ex sola ipsorum stirpe, corúmque qui ab Augusto, quocumque ipsi visum fuerit, aut qua appellatione transducti fuere, omnium nationum Francicarum, quæ postea Galliam inuaserunt, originem esse deductam: quin Bructeri, Chamaui, Salij, Ampsiuarij, ceterique inferioris Germaniæ populi ipsis annumerati fuerint. Minùs etiam fieri potuit, vt Francicum nomen solis Sicambris, aut ab his oriundis, peculiari quodam iure fuerit impertitum, quasi vnus eorum idémque populus extitisset: aut Sicambri Francíque eamdem semper regionem, eodémque tempore simul obtinuerint. Siquidem ex multis Historicorum testimoniis, quæ suprà retulimus, facile est colligere, Germanicam Rheni oram, de qua agimus, à Tiberij temporibus, vsque ad postremos Imperatores, ab aliis populis & nationibus, quàm ab his qui eam Taciti ætate incolebant, haudquaquam fuisse occupatam: miniméque probari potest, alios aliunde profectos, Franciæ Francorúmque appellationem eò intulisse. Nisi existimemus, Bructeros à Chamauis sedibus suis expulsos, quæ, vt refert Tacitus lib. I. Annalium, inter Amasiam & Lupiam seu Lippam amnes sitæ erant, in eam partem, quam Tencteri quondam obtinebant, seu vi, seu alia ratione commigrasse, ibidémque consedisse. Neque enim vsquam scriptum reperitur, quo tempore, quaque ratione, aut eos omnino eiecerint, aut adempto nomine, secum vna promiscuè habitare permiserint. Quidquid tandem acciderit, nusquam legitur eorum nomen deinceps auditum fuisse: constátque Bructe-

C

tos, iam inde à temporibus Constantini Magni eorum sedes occupasse, in iisque A
sub illius successoribus permansisse. Atque ob eam causam, populorum Germanicam Rheni oram incolentium enumerationem à C. Tacito factam protuli, vt ex eius collatione cum his, quæ in hoc tractatu de iis, qui eam sub postremis Imperatoribus occuparunt, demonstrauimus, compertum habeatur, haud magnam extitisse eiusdem regionis incolarum diuersitatem, mutationémque, nec quæ opinionem illam destruat, quam de Francorum origine habemus, ex primis vsque ad postrema tempora. Nisi fortasse in dubium vocare quispiam velit, vtrum Ansuarij Franci pro veteribus Angriuariis seu Cattuariis, qui diuersis nominibus apud C. Tacitum & Paterculum designantur, sumi debeant.

VERVM vt iterum ad *Sicambros* redeamus, etsi propter eas quas nuper exposuimus rationes, in ea sententia standum foret, ab Augusti temporibus, semper aliquot è Sicambrorum stirpe in Germania remansisse, cùm minimè fieri potuerit, vt totam omninò gentem transportarit, quin ex his orti fuerint, qui in antiquas sedes postliminio quodam reuersi maiorum genus repararint: nihilominus tamen, satis superque demonstratum est, cùm reliquias eiusmodi, tum eos qui iterum reuersi essent, alio quàm suo nomine ibidem commoratos fuisse, cùm Bructeris, Chamauis, Ampsiuariis, Tubantibus, Cattis, Frisiis, confusi ac commixti fuerint. Quosquidem ex optimorum Scriptorum lectione compertum est, eam Germaniæ partem incoluisse, in qua, à Constantini Magni temporibus B
FRANCIÆ, Francorúmque nomen, eorum præsertim qui illud in Franciam Gallicam attulerunt, semper conseruatum fuit. Nisi dicamus, Sicambros vnà cum iis sedes suas, seorsim tamen, collocasse: verùm paucitate hominum, viriúmque infirmitate effectum esse, vt eandem ac ceteri, aut etiam maiorem nominis claritatem consequi nequiuerint, aut aliorum dominationi subditi, Historicis nequaquam innotuerint, qui illustriora quæque & clariora referre, eáque quæ in aliqua regione gesta sunt, notioribus ac potentioribus tribuere consueuere. Quo pacto non modò è Sicambris nonnullos, verùm etiam alios obscurioris famæ populos, eos, quos suprà commemorauimus, ea causâ, quam obtinebant regionem sequutos fuisse non negauero. Itaque concludendum est, Claudianum, Sidonium Apollinarem, ceterósque eiusdem ætatis Poëtas, vbicumque *Sicambrorum* mentionem fecerint, eos pro iis populis, qui veterum Sicambrorum regionem incolebant, ex licentiâ Poëticâ priuatim nonnunquam accepisse, siue ipsimet extiterint, siue ij qui Francorum nomine assumpto in eorum locum successerant: cùm eos interdum à se inuicem, hoc est, à communi Francorum nomine secreuerint, prout ex Claudiani locis infrà citatis patet, vt cùm ait.

Ante Ducem nostrum flauam sparsere Sicambri
Cæsariem, pauidóque orantes murmure Franci
Procubuere solo. ------ C

Et alibi. ------ *Rhenúmque minacem*
Cornibus infractis adeò mitescere cogis,
Vt Salius iam rura colat, flexósque Sicambri
In falcem curuent gladios.

Item Sidonius Apollinaris.

Francorum penitissimas paludes
Intrares venerantibus Sicambris.

Interdum etiam coniunctim pro tota *Francorum* gente, qui eam Sicambriæ partem, quæ Rheno clauditur, occupabant, aut pro eiusdem factionis populis, ab his acceptos fuisse reperio: pro vt apud eumdem Claudianum videre est, vbi de Romanis legionibus verba facit, quæ ad Rheni ripam in præsidiis collocatæ fuerant, vt ipsam aduersus Barbarorum irruptiones tuerentur. Quæquidem à Stilicone euocatæ fuerunt, eo tempore quo VVisigothorum Rex Alaricus tum primùm in Italiam penetrauit. Ait autem.

Agmina quinetiam flauis obiecta Sicambris,
Quæque domant Cattos, immansuetósque Cheruscos,
Huc omnes vertere minas, tutúmque remotis
Excubiis Rhenum solo terrore relinquit.

Ex aliis prætereà locis deprehendi potest, *Sicambrorum* nomen à Poëtis ita latè

A sumptum fuisse, vt illud Batauis etiam tribuerint: seu illos proximitatis & viciniæ gratiâ pro *Francis* acceperint, siue etiam quòd Francis fœdere coniuncti, in eorúmque tutela fuerint, cùm eos hoc nomine designarunt. Id quod etiam Sidonius Apollinaris ostendit, ad Maiorianum scribens.

Sic ripæ duplicis tumore fracto,
Detonsus Vahalim bibat Sicamber.

Quis enim non existimet Sicambri nomen eo, quo intelligimus modo, esse accipiendum? Qua prorsus ratione Cimbrorum Chaucorúmque appellatio his nationibus tribui debet, quæ regionem illam, quæ istorum quondam sedes fuerat, obtinebant. Cùm neque in Panegyricis, neque apud Marcellinum, Aurelium Victorem, Eutropium, Zozimum, beatum Hieronymum, alióſque eiusdem ætatis Scriptores, vllius Germaniæ populi mentio reperiatur, qui eorum tempore Sicambri appellatione nuncupatus fuerit: quamuis Chamauos, Bructeros, Chabiones, Antuarios seu Ampsiuarios minimè prætermiserit. Præterea in libro Notitiæ Imperij Romani, in quo scripta sunt nomina omnium legionum & Cohortium, quę sub postremis Imperatoribus in Rationarium Imperij relatæ fuerant, nusquam deprehenditur vllam Sicambrici nominis extitisse, licet Batauorum, Tubantum, Saliorum, Ampsiuariorum, & Bructerorum satis multæ reperiantur. Quapropter quoquo modo Sicambrorum nomen ex prædictis interpretationibus accipiamus, non casu aut temerè accidit, quod beatus Remigius, dum B Clodoueum baptizaret dixerit, *Mitis depone colla Sicamber.* Quin etiam Fortunatus Poëta in quodam Epigrammate Charibertum Regem laudat, quòd, cùm esset è Sicambrica natione oriundus, Latinè tamen loqueretur.

VT autem huic sermoni finem imponamus, ex his, quæ præfati sumus, facilè colligi posse existimo, FRANCORVM nomen, non modo nulli Francicæ nationi seorsim sumptæ proprium ac peculiare extitisse; verùm etiam nihil obstare, quo minus Germaniâ ortum potiùs, quàm aliundè inuectum fuerit. Cùm nullâ Historiâ fide dignâ, aut vllo cuiusquam auctoritatis testimonio probari possit, vllam alibi nationem Francorum appellatione notam aut auditam fuisse. Tum etiam quòd Procopius & Agathias narrant, Germanorum appellatione *Francos* quondam denominatos fuisse, cùm nullam adhuc nominis famam essent adepti: eósque tum primum *Francorum* nomen obtinuisse, cùm propter rerum gestarum magnitudinem clarere cœperunt. Quin etiam nonnullis visum est, peculiari quadam ratione illud nomen ipsis inditum fuisse, sicut beato Hieronymo, vbi ait Francorum regionem à veteribus Historicis Germaniam appellari. Id quod etiam congruere potest iis, quæ in vetere quodam Panegyrico supra allato Constantino Imperatori dicta leguntur. *Tibi se ex vltima Barbaria indigenæ populi dedidere.* Et in alio. *Quid loquar intimas Franciæ nationes iam non ab iis locis, quæ olim inuaserant, sed à propriis ex origine sedibus suis, atque ab vltimis Barbariæ littoribus auulsas?* Deinde obseruare possumus, *Francorum* nomen, apud nullum optimæ fidei C Scriptorem, cuiquam inferioris Germaniæ nationi tributum reperiri: Saxonicum verò, ante Valentiniani Imperatoris huiusce nominis primi tempora, nullibi præterquam in quibusdam insulis & paludibus maris Germanici & Danici innotuisse. Præterea manifestum est, omnes extremæ ac remotissimæ, vt vocant, Barbariæ populos, cùm eos qui ea occupabant loca, quæ Romani neque attigerant vnquam, neque subegerant, tum etiam alios minus dissitos, quò nondum Romani peruenerant, *Francos*, eorúmque regionem *Franciam* fuisse appellatam. Quod idem est, ac si diceretur, appellationem hanc eo tempore comprehendisse totam inferioris Germaniæ oram maritimam vltra Chaucorum regionem Albimque fluuium: hoc est, omnem illam partem, quæ à Frisia iuxta Hamburgum & Lubeccum Pomeraniam vsque extenditur, vnde Cimbri, Teutonésque quondam profecti sunt. Id quod etiam Claudianus innuisse videtur, vbi de Germaniâ à Stilicone cum Imperio pacatâ loquitur his verbis.

-----gemináſque viator
Cùm videat ripas, quæ sit Romana requirat.
Vt iam trans fluuium, non indignante Chayco,
Pascat Belga pecus: mediúmque ingressa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Accedit etiam quòd illud (*de vltima Barbaria, & de vltimis Barbariæ littoribus*) vlterius citra montes extendi non possit: quòd ea loca iam tum à Romanis fuerint peragrata. Idcirco Flauius Vopiscus in vita Proculi Tyranni narrat, ipsum, vt Imperatoris Probi sese persequentis manus effugeret, in Francorum regionem auxilij petendi gratia se recepisse, quod ab his originem se trahere diceret. Illius autem verba sunt eiusmodi. *Hunc tamen Probus fugatum vsque in vltimas terras, & cupientem in auxilium Francorum venire, à quibus originem se trahere dicebat, ipsis prodentibus Francis vicit & interemit.* A

Ceterum si ea quæ innumeris testimoniis demonstrauimus memoriâ repetere velimus, omnem videlicet Rheni oram, ab illius in mare influxu, vsque ad partem Mœni superiorem, Franciam dictam fuisse, sicut & alteram, illiusque populos Francorum, nomen habuisse: licèt præter communem illam appellationem, propriis etiam nominibus, Frisiorum scilicet, Tubantum, Chamauorum, Ampsiuariorum, Bructerorum, Chabionum, Cattorum & Saliorum insignirentur; cùm etiam Procopius & Iornandes prodiderint, eandem illam appellationem ab Oriente & Meridie ad Thoringos, Sueuos, & Burgundiones vsque sese extendisse: Nihil obstabit, quò minus inferamus, Franciæ Francorúmque denominationem, totam inferiorem Germaniam, omnesque illius populos, saltem Occidentalem illius partem ambitu suo fuisse complexam: eo prorsus modo, quo Germaniæ appellatio, cùm superiorem tum etiam inferiorem illius partem continebat. Præterea ex supradictis notari potest, ex quo *Francorum* nomen Romanis Historiis celebrari cœpit, tam Rheni oram, quàm maritimam inferioris Germaniæ partem iam tum occupasse. Quemadmodum verò, huiusce partis populi maritimis suis prædationibus ac latrociniis nominis sui terrorem cunctis iniecêre; ita etiam alij eodem prorsus tempore incursionibus suis ac terrestribus præliis celebertimi euasêre. Vnde enim, quæso, mille isti *Franci* prodiere, qui ab Aureliano vnius Legionis Moguntiæ Tribuno in Gallia cæsi sunt, nisi ab iisdem *Francorum* nationibus, quæ Gallias peruagatæ Galieni Imperatoris temporibus, in Hispaniam perruperunt, eámque inuaserunt? Vnde etiam isti Franci, quorum præsidio, nec non & Gallorum, Posthumus dominationem suam diu aduersus Galienum defendit? Eodem etiam tempore Batauia à multis diuersarum nationum Francicarum Regibus occupata est. Atqui superiùs declaratum est, cùm ex his quæ superiorem Rheni partem obtinebant, tum etiam ex remotioribus æquè ac proximioribus maritimis nationibus, inter eas extitisse. Contrà verò, si nullo vetustiori testimonio, quàm iis quæ protulimus, probari potest, *Francorum* nomen in aliqua peculiari inferioris Germaniæ regione, priusquam in alia, ortum habuisse, indéque ab aliqua natione, aut aliundè in Rheni oram translatum esse: quid causæ fuit, cur Beatus Rhenanus & alij persuadere conati fuerunt, primos Francorum populos, à Chaucis aut à Caninefatibus, siue à Zelandis profectos, progressu temporis in eam regionem, quæ Rheno prætexitur, relictis propriis ab origine sedibus commigrasse, vbi quondam Tencteri, Sicambrique consederant? Neque enim video, qua ratione fretus Auentinus memoriæ prodiderit, *Francos* ab initio Cattorum, Thoringorum, Heluetiorum, & Boiorum nomine fuisse comprehensos, ac veluti inuolutos. B C

Interea non negarim fieri potuisse, quin Francorum nomen, quod linguâ Germanicâ liberum significat, à maritimis populis inferioris Germaniæ remotissimis, iis videlicet, qui semper liberi & seruitutis Romanæ expertes fuerant, originem suam duxerit. Qui quidem ob eam causam hoc sibi nomen assumpsere, quo à ceteris Germaniæ populis, qui Romano Imperio subditi erant, secernerentur, quò firmissimo fœderis vinculo vniti eandem fortunæ ac periculi societatem inirent. Horum etiam exemplo aliæ vicinæ nationes, Frisiorum nempe, Sicambrorum, item Chamauorum, Bructerorum, Ampsiuariorum, aliorúmque, qui supra Rhenum incolebant, sese confestim, aut non ita multò post, sub eodem nomine eádémque societate his adiunxere, quo velut indissolubili quodam amicitiæ nexu obstricti, sese mutuò tuerentur ac conseruarent, sibique inuicem aduersus hostes opem ferrent, simul etiam prædæ, spoliorúmque atque adeo dominationis participes fierent. Neque etiam à ratione abhorrebit, si existimemus, factionem illam atque electionem Francici nominis, communi om-

A nium huiusmodi populorum, cùm maritimam oram incolentium, tum etiam aliorum consensu ac conspiratione esse factam: cùm alij propter agrorum sterilitatem, aut hominum multitudinem, tum etiam Romani Imperij Prouincias inuadendi cupiditatem ad hæc inuitarentur. Aliis verò varij tumultus ac bella ciuilia, quibus Romana res agitabatur, ad hæc occasionem præberent, aut etiam motus illi, quibus nationes Scythicæ, Sarmaticæ, & Pannonicæ, veluti quodam sydere ad res nouas moliendas vndiquaque excitæ videbantur. Cui rei exemplo esse poterit nationum Francicarum in Hispaniam irruptio eo tempore, quo Romanum Imperium à triginta Tyrannis occupabatur, dum Galienus Imperator luxu delitiisque perditus, in otio Romæ vitam ageret. Per idem etiam tempus Gothi Thraciam, Græciam, Asiam minorem, Parthi Mesopotamiam, Quadi Pannoniam latè populati sunt. Alemanni verò in Italiam vsque perruperunt. Paulò postetiam Batauia, totáque regio inter Scaldim Rhenúmque amnes sita, Claudio imperante à multis diuersarum nationum Francicarum Regibus occupatæ sunt. Adeo vt cùm Constantius Cæsar eam ipsis eripuit, Chamauos, Frisios, aliósque inferioris Germaniæ populos ibidem inuenerit.

QVÆ cùm ita sint, manifestum est, FRANCORVM nomen omnibus inferioris Germaniæ populis, Alemannorum verò superioris Germaniæ nationibus,
B vsque ad Constantini Magni tempora & vlteriùs commune fuisse. Itaque cùm ex Panegyricis, tum etiam ex aliis eiusdem seculi scriptis deprehendi potest, in illa duo nomina totam Germaniam fuisse diuisam, cùm superior pars *Alemannia*, inferior verò FRANCIA vocaretur: excepta tamen Orientali parte, in qua Quadi, Sueuorúmq; nonnulli seorsim semper ab aliis habitasse videntur: nec non etiam coloniis, in quibus Romani præsidia collocabant, vna cum Vindelicio & Norico, eáque parte quam Burgundiones occupabant: quiquidem, vt ex Ammiano Marcellino intelligi potest, inter Francos & Alemannos considebant, licèt olim in Alemannorum regione sedes suas habuerint. Quoniam verò ex Historiis fide dignioribus colligi potest, Alemannicum nomen, eodem prorsus quo Francicum tempore claruisse; inde coniicere licet, duos istos populos, superiorem nimirum & inferiorem, aliquo societatis fœdere inito, in illa duo factionis nomina conspirasse, quæ quidem ex mutua inter se æmulatione sibi assumpsere. Quapropter, quemadmodum Procopius & Agathias, item beatus Hieronymus memoriæ prodidêre, *Francos* Germanorum appellatione denominatos fuisse, priusquam Francicum nomen vsurpassent, ita etiam Flauius Vopiscus refert Tyrannum Proculum Germanos vicisse priusquam Alemanni vo-
C citarentur, siue Alemannos qui tum Germani nuncupabantur. Verùm, cùm Ælius Spartianus atque Aurelius Victor scripsêre, Antoninum Caracallam Alemannos subegisse, vnde Alemannici cognomen accepit; eos populos intellexêre, qui postea illo nomine, vt suo tempore, insigniti fuerunt. Propterea quòd nusquam apud Herodianum, Dionem, aliúmve qui Caracallæ seculo vixerit, reperiatur, Alemannicum nomen illius tempore extitisse. Neque etiam ex vlla antiqua imagine, numismate aut inscriptione deprehendi potest, inter ceteros titulos ipsum Alemannici cognomine insignitum fuisse, sed Germanici tantùm, Parthici, atque Britannici. Quem quidem Germanici titulum non nisi quarto Imperij sui anno est consequutus, prout ex iisdem testimoniis probari potest, quibus ea, quæ nuper protulimus, confirmantur. Licèt prædictus Spartianus dixerit *(Germanici nomen patre viuo fuerat consequutus.)* Neque enim aliunde notari potest, illius patrem, ipsúmque, cognomen illud priùs accepisse. Vnde mirari subit, num alio etiam loco hallucinatus fuerit. Verùm minus reprehendendus est Sextus Aurelius, qui non, sicut Spartianus, dixit, Caracallam Germanos seorsim ab Alemannis deuicisse, vnde Germanici atque Alemannici cognomina simul acceperit: sed tantùm, *Alemannos gentem populosam ex equo mirificè pugnantem prope Mœnum amnem deuicit.* Quibus innuit eos fuisse populos, qui suo tempore Alemanni nuncupabantur. Ceterùm Alemannicum nomen Caracallæ ætate adhuc incognitum fuisse, manifestè declarari potest quodam Dionis Epitomes loco, vbi rationem affert, cur Imperator M. Aurelius Germanici cognomen acceperit, postquam Marcomannos subegisset: quia nimirum, ait, Germanos eos vocamus, qui superiora loca incolunt: cùm aliis præterea locis declaret, se alios

Germaniæ populos, eos præsertim qui Rheno propinquiores erant, Celtarum nomine comprehendere. Nam si Alemannorum nomen suo tempore iam innotuisset, credibile est, ipsorum æquè ac prædictorum mentionem facturum fuisse, eo præsertim loco, vbi ait Caracallam Cinniis nationi Celticæ bellum intulisse. Verùm cùm præter omnium Historicorum, qui illum præcesserant, consuetudinem, iis populis, qui superiorem Germaniæ partem incolebant, Germanorum appellationem peculiari quodam modo tribuat, sicque eos ab aliis distinguat: existimandum est, idcò factum esse, quòd fœdere ac societate quadam inter se coierint, ob idque, propter aliquam causam nobis incognitam appellationem hanc consequuti fuerint. Nisi dicamus, idcirco illud accidisse, quòd maximam partem, aut etiam ferociores ac formidabiliores Germaniæ nationes comprehendebat. Quid enim causæ extitisset, quamobrem Dio Marcum Aurelium scripserit, Germanici cognomen deuictis Marcomannis adeptum fuisse, quòd Germani appellarentur ij qui superiorem Germaniæ regionem obtinebant: cùm per Marcomannos, de quibus loquitur, intelligerentur omnes superioris Germaniæ, atque etiam Scythiæ partis proximioris nationes, eæ scilicet, *quæ*, vt refert Aurelius nuper iterum in lucem editus, *Regi Marcomaro*, (siue, vt aliis placet, *Rege Marcomanno*) *ab vsque vrbe Pannoniæ, cui Carnuto nomen est, ad vsque media Gallorum protendebantur*. Quæ quidem nationes eodem M. Aurelio imperante sibi inuicem factione quadam vnitæ, aduersus Romanum Imperium conspirarunt, prout clarè ostendit Iulius Capitolinus in eiusdem vita, dum ait, *Omni diligentiâ parauit legionem ad Germanicum & Marcomannicum bellum*. propterea quod, vt postea subiungit, *Gentes omnes ab Illyrici limite Galliam vsque conspirauerant, vt Marcomanni, Naruisci, Hermunduri, Quadi, Sueui, Sarmatæ, Latringes & Buri: hi aliique cum Victoualis, Sosibes, Sicobotes, Roxolani, Bastarnæ, Alani, Peucini, Castoboci*. Omnes autem hæ nationes sub Marcomannorum nomine continebantur, quia nimirum Marcomanni validiores erant, aut primi omnium exciti fuerant. Ni malimus existimare, omnibus istis populis, à Rege Marcomanno, cui parebant, seu potius Marcomaro iuxta Aurelium, illud cognomen inditum fuisse. Quamobrem ex prædictis testimoniis concludendum est, Alemannicum nomen non modò Dionis ætate non extitisse, verùm etiam Germanorum appellationem populis nuper à nobis commemoratis, ea ipsa significatione ab ea declarata remansisse: donec Alemannorum societas in prioris locum introducta fuit, inter Germaniæ superioris populos qui ad Meridiem & Occidentem protendebantur. Neque enim satis constat, vtrum Orientales, sicut Marcomanni, Hermunduri, Sueui, & Quadi, quondam ipsis annumerati fuerint: idque priusquam Burgundiones Alemannorum regionis partem occupassent. Siquidem compertum est, ab his prædictos populos semper à se inuicem diuisos ac separatos fuisse. Vnde nullius momenti esse debet, quòd Sextus Aurelius & Zozimus Alemannos dixêre, eos, qui Claudio atque Aureliano rerum potientibus, Romanum Imperium bello lacessierunt, quos etiam ceteri Historici, præsertim verò Flauius Vopiscus Marcomannos vocant. Indè est quòd idem Vopiscus scribendi occasionem nactus fuerit, *Proculum Alemannos, qui tunc adhuc Germani dicebantur, non sine gloriæ splendore contriuisse*. Quamquam idipsum de quibusdam populis qui Alpes incolebant, aut eas proximè attingebant, intelligi possit, qui quidem nondum Alemannorum societatis erant, sed postea sese ipsis adiunxere. Etenim deinceps ostensuri sumus, videri posse ipsam, in iis primùm regionibus, quæ à Maximino Imperatore vastatæ fuerunt, potiùs quàm in montanis ortum habuisse. Etenim fieri potuit, vt alij Auctores Germanicam appellationem iis populis, qui *Franci* postea dicti sunt, non minus ac ceteris tribuerint: Propterea quòd Germanorum appellatio, primùm quidem nationibus, quæ Germaniam habitabant, imposita fuit, vt testatur C. Tacitus. Verùm enimverò cùm nusquam reperiatur ante Galieni Imperatoris Regnum, vllum facinus memoriâ dignum, contra Romanum Imperium, extra fines suos Francos edidisse, Claudij verò Imperatoris tempore Batauiam finitimásque regiones inuasisse, quam quidem Probus Imperator ipsis incolendam permisit, postquam eos, vt refert Flauius Vopiscus, vicit ac subegit: illud quidem argumento esse potest, eos nuperrimè inter se conspirasse, vt in aliorum fines irrumperent.

QVOD

A QVOD verò Romana Historia nullam *Francorum* mentionem ante Decium & Valerianum Imperatores faciat, quo tempore Scythiæ Sarmatiæque populi, tanto impetu tantaque multitudine, quanta nunquam aut visa aut audita erat, in Romanum Imperium irruerunt, nobis etiam indicio esse potest, duas illas eiusmodi populorum factiones, sub illis duobus nominibus tum primùm è finibus suis erupisse, vt Romanos bello lacesserent. Nisi malimus primam non solùm huiusmodi factionum ac societatum causam & originem, verùm etiam mutationis illius ac confusionis, quæ non ita multò pòst in regionibus ac Prouinciis Germaniæ facta est, immani horrendæque stragi, quam crudelissimus Imperator Maximinus Alexandri Seueri optimi Principis successor circa annum XIII. aut XIV. ante Decij Principatum, salutis verò nostræ CCXXXVI. in Germania edidit, assignare. Quo tempore omnes qui tunc florebant Historici, puta Dio, Herodianus, ceterique qui post illos ipsius Maximini Historiam litterarum monumentis consignauere, satis apertè declarant (præter ea quæ iam retulimus) Francorum atque Alemannorum nomen eò vsque inauditum fuisse. Sed tantùm narrant, Maximinum ponte supra Moguntiam Rheno imposito, atque in Germaniam irruptione factâ, circiter CCCC. millia, regionis illius, vnà cum vicis & B pagis, qui ibidem inerant, vastauisse atque incendisse, nihilque reliqui fecisse quod transferri potuerit: armenta abduxisse, captiuos abstraxisse, armatos occidisse, iis tantùm exceptis, qui in siluas ac paludes se receperant. Quin etiam totam Germaniam ad vsque Oceanum penetrasset, ni locorum difficultas prohibuisset. Quocirca ad Senatum Romanum scribens, his verbis vtitur. *Per CCCC. millia Germanorum incendimus, greges abduximus, captiuos abstraximus, armatos occidimus, in palude pugnauimus: peruenissemus ad siluas, ni altitudo paludum nos transire non permisisset.* Nam si Maximinus, in illa expeditione, tantam huic regioni vastitatem intulit, tantam hominum stragem edidit, tot captiuorum millia abduxit, quot nostri Auctores referunt, nemini dubium esse debet, quin eam penitus desertam ac destitutam incolis reddiderit. Quæ cùm ita sint, credibile est, tantæ calamitatis reliquias in vnum quasi populum coiisse, ac veluti coaluisse, siue in his locis, in quibus minor facta fuerat vastatio, siue in iis ad quæ se receperant, siue etiam in illis, quibus tanta clades illata fuerat: cùm vt omnem illam regionem iterum excolerent, tum etiam vt ab ea nouam aliam calamitatem, si fortè accidisset, propulsarent. Imò verò, vt, si sese offerret occasio, iniuriam sibi illatam vlciscerentur. veluti cùm omnis Scythia atque Sarmatia Romanum Imperium ab Oriente inuasit. Inde autem coniicere est, Alemannorum C appellationem ac societatem paulò pòst sequutam esse in superiori Germania, cui tempestas illa potiùs incubuit, quàm inferiori, quam paludum altitudo tutam reddidit. Cùm præsertim Asinius Quadratus, qui, vt refert Agathias, Alemannorum originem diligentissimè indagauit, è commixtione quadam ac collectione diuersæ ac confusæ populorum omniúmque adeo nationum multitudinis, gentem illam conflatam esse memoriæ prodiderit, vnde etiam ipsorum appellatio deducta fuerit.

QVOD verò spectat ad populos inferioris Germaniæ, etsi Maximinus ad eos vsque minimè peruenerit, fieri tamen nequaquam potuit, quin periculum illud, quod ipsis quoque imminebat, eos perculerit, ac de libertatis defensione cogitare compulerit. Atque ob eam causam inter se consensisse par est. eóque *Francorum* factionis ac societatis initium est referendum. Ea autem societas multum roboris atque incrementi accepit, postquam belli armorúmque cupido, cum aliis causis superiùs commemoratis, eos ad iniurias, quas à Romanis acceperunt, ipsis in eorum finibus referendas excitauit. Itaque deinceps Imperij limites continuis incursionibus terrâ marique infestare non cessarunt, prout alij mari proximiores latrociniis ac prædationibus maritimis assueuere, alij verò terrestribus expeditionibus atque irruptionibus operam dederunt. Siquidem antea diu sese intra fines suos in otio continuerant, nullámque Romanis suis excursionibus de se verba faciendi materiam præbuerant: præcipuè verò à M. Aurelij tempore, quo Aëlius Spartianus scribit, Chaucos prope Albim incolentes in Galliam irrupisse, vnde à Didio Iuliano, qui postea Imperator factus est, victi ac repulsi sunt. quo etiam tempore Cattos ipsemet profligauit. Quò fit, vt ab ea ætate, nul-

la ferè in tota Romana Historia populorum inferioris Germaniæ mentio fiat. A Neque scio an quicquam præter ea, quæ de Albino traduntur, de ipsis dici possit, qui quidem Galliarum Imperium Seueri tempore fertur inuasisse: quem etiam Iulius Capitolinus Frisios trans-Rhenanos subegisse scribit. Quia nimirum omnia bella, quæ Germanis intulêre Romani, non nisi aduersus superioris Germaniæ nationes suscepta fuisse videntur. His autem adduci potuit Procopius, vt Germanos dixerit, priusquam *Franci* appellarentur, despectui habitos, ac nullius ferè existimationis extitisse. Quamuis etiam haud abs re fuerit existimare, ipsos veterum Chaucorum viuendi rationem sequutos fuisse, dum quieti degerent, nullámque aliis iniuriam inferrent. Sic enim de Chaucis C. Tacitus scribit. *Populus inter Germanos nobilißimus, quique magnitudinem suam malit iustitia tueri, sine cupiditate, sine impotentia: quieti secretique nulla pronocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur.* Idque non minori ipsis laudi duci debet, quàm Alexandro Magno ac Romanis, quòd vniuersum ferè terrarum Orbem armis subegerint. Quin etiam ea ratio esse potest, cur *Francorum* nomen, quod idem fermè ac liberum sonat, his populis, qui ex eo denominati sunt, inditum fuerit. Verùm quocumque tandem nominis istius origo referri debeat, ex prædictis facilè intelligi potest, eo interuallo, quod inter Maximinum & Valerianum Imperatores intercessit, ab anno scilicet CCXXXVI. vsque ad CCLIII. in lucem prodiisse. Constátque ab his temporibus vsque ad Constantinum Magnum latiùs quàm deinceps patuisse: cùm sub illius successoribus in ea regione, quæ à Rheni in Oceanum influxu Coloniam vsque protenditur, conclusum, vnáque cum incrementis ac rebus gestis superiùs commemoratis conseruatum fuerit. Quò fit, vt existimemus inde profectos esse eos populos, qui sub Francorum nomine Galliam armis subegerunt, in eáque vnà cum nomine Regnum ab hinc mille & ducentis annis fundarunt. Nam postquam Saxones in continentem progressi sunt, omnem Chaucorum regionem à littore maris Germanici nomini suo factioníque subiecerunt, eo prorsus statu, quo beati Hieronymi ætate, fuisse deprehenditur. B

QVOD autem spectat ad longas illas ac prolixas narrationes, quas nonnulli huiusce ætatis Scriptores Alemanni, Flandri, ac Lotharingi, cùm ex Poëtarum fabulis, tum etiam ex Trithemio, Annio Viterbiensi, aliisque haud multum fide dignis Auctoribus contexuerunt: dum ea multis atque optimis fidelissimorum Auctorum testimoniis, iisque malè intellectis, maléque applicatis, concinnant atque exornant, quibus FRANCORVM originem, aut è Scythis Meoticis, aut ex Asiaticis Cimmeriis, aut ex Troianis, aliisque quibus ipsis libuerit deducant: Eas, inquam, narrationes ipsis relinquo, qui nullo materiarum adhibito delectu ac discrimine, vera falsis permiscent atque confundunt, ex aliorum laboribus & inuentionibus scripta sua suffarciunt; eóque pacto ex earum rerum, quas prudentes scientésque repudiarunt, permixtione, iudicio ac sinceritati suæ notam inurunt. Nihilominus tamen hoc loco silentio præterire C non possum, id quod Scriptori cuidam nuper accidit, qui innumeris penè Diplomatibus, fabulis mendaciisque refertis, deceptus, ac veluti eorum fulgore excæcatus, ea Operi suo præponenda putauit, quibus Hunibaldi Trithemiani insomnia, quæ ipse sequutus est, confirmaret. Vnde operæpretium fuerit ceteros admonere, ne per imprudentiam sese in errorem induci patiantur. Præcipuè verò triginta octo prioribus attendant, quæ quidem falsa esse indicant, cùm scribendi genus, ipsi dissimile quo cetera conscripta sunt, quæ iisdem Regibus ac Principibus iure meritò tribuuntur: tum etiam nonnullæ loquendi formulæ, aliæque res in ipsis contentæ, imò etiam subscriptiones, quæ neque temporibus consentiunt, neque Principum regnis, à quibus subscripta fuerunt. Vt autem intelligatur id à nobis temerè non proferri, norunt illi, qui temporum Historiam callent, annos Christi iuxta supputationem Dionysij Abbatis, qua hodiè vtimur, non nisi à temporibus Caroli Martelli, aut Pipini, computari cœpisse: neque etiam Regum atque Imperatorum Cartis, ante Caroli Calui ætatem, Domini nostri annos subscriptos fuisse. Siquidem ante Pipini tempora, Diplomata anno regni tantùm subscribebantur. Ipso verò regnante, Indictio vna cum regni anno computari cœpit. Quamobrem, quò faciliùs subscriptio

A aliqua deprehendi possit, veráne sit an falsa, necesse est Christi annum (siquidem notari debeat) cum regni atque Indictionis anno rectè consentire. Qua quidem regula, si prædictus Auctor, ea quæ protulit Diplomata probare possit, vera esse concedam; modò etiam ostendat iuxta quam supputationem regnare potuerit Dagobertus anno DCXXII. & DCXXIII. provt duo illius Diplomata indicant. Præterea vtrum verba illa, *Duchissa Bauariæ, & de Comitissa Boloniæ*, iam vsu recepta fuerint an. DCLXXIV. DCCLIX. & DCCCXIX. Item vtrum nonus Pipini annus cum nona Indictione, tertius verò & decimus Imperij Lotharij Ludouici Pij filij in Italia & Francia cum quarta Indictione concurrat. Item vtrum eodem anno regio quædam fuerit *Ducatus Lotharingiæ superioris & Lotharingiæ Mosellanicæ inferioris* nuncupata. Videat etiam num Carolo Caluo assignari possit illa subscriptio. *Anno Imperij nostri primo, regni* VII. *Indictione* II. Item locus ille, vbi dicere traditur, *De coniuge nostra Richilde Hispaniæ Regina.* Quonam etiam pacto conciliare poterit XXXIV. annum cum hac subscriptione. *Otho Romanorum Rex & Imperator, anno Dominicæ Incarnationis* DCCCCXLVI. *Actum Indictione* II. *regni imperiique nostri anno* IX. Etsi quædam Diplomata reperiri possint, quæ haud ita facilè fuerit ex subscriptione refutare, illa scilicet quæ Zuendeboldo Lotharingiæ Regi, necnon etiam Carolo Simplici tribuuntur: nisi quod eorum alterum hanc habet subscriptionem. *Datum die Id. Iun. an.* DCCCCXXIII. *in palatio Regio Heristalli.* Siquidem fide digniores Historici id eo
B ipso die factum esse memoriæ prodiderunt, quo Robertum Francorum Ducem, qui Regis nomen inuaserat, Carolus Simplex vicit atque interfecit. Nihilominus tamen, cùm hæc omnia ex eadem ferè officina profecta sint, maior falsorum numerus efficit, vt reliqua perinde suspecta habeantur. Quin etiam haud facilè in animum induxerim, quosdam Reges aut Principes Dagoberti temporibus & infra extitisse, qui ineptam adeò ac ridiculam de sua origine opinionem habuerint, vt eam in suis Cartis declarare voluerint his verbis. *Ex sanguine claro B. Arnulphi primariam sumentis originem, ex sanctissimo viro Senatoriæ dignitatis, Domino videlicet Ansberto filio Vamberti filij Alberici Regum, filij Clodij Criniti, filij Pharamundi Francorum Orientalium & Occidentalium pariter Regum, filij Marcomiri Orientalium Francorum Ducis, filij Clodij ex nobilissimo & antiquo Troianorum reliquiarum sanguine nati.* siue vt habetur in alia, quæ quidem Carolo Simplici tribuitur. *Ex præclaro & antiquo Troianorum sanguine orti, videlicet Franci Antuarij filij, ex Dardano descendentis, de quo & nos descendisse gloriamur.* Et in alio Diplomate Othonis Imperatoris, *Regio sanguine natus à Troianorum reliquiis, magnique Dardani illius Regis descendens.* Illud præterea ex alio addendum est. *Pharamundi filij Marcomiri, filij Clodij, filij Dagoberti.* Quasi fieri potuerit, vt iam indè à temporibus Dagoberti Regis eam de se opinionem Francorum Reges habuerint, quam Gregorius Turonensis, qui triginta circiter annos antè vixerat, ignorarit.

 A

HERMANNI COMITIS NVENARII BREVIS NARRATIO,

DE ORIGINE ET SEDIBVS PRISCORVM FRANCORVM.

DE origine & ſedibus FRANCORVM priuſquam in Gallias erupe-rint, eorum qui hactenus eius Gentis Hiſtoriam ſcripſerunt, nemo ſatis fideliter accuratéque tractaſſe mihi videtur. Quidam enim antiquiores, quòd ſeculum illud infeliciſſimum eſſet, ad fabulas plerumque prolapſi ſunt, quoniam delectum non habebant, nec ſine bonarum literarum cognitione de rebus Hiſtoriæ exactum poterant proferre iudicium. Fuerunt enim inter eos, qui à Troiano excidio *Francorum* deducerent gentem, idque tàm apertè aſtruentes, vt etiam Regum nomina aſcriberent, neſcio quid Græcanicæ proprietatis ſubolentia. His omnibus prior anſam dedit B Hunibaldus, quem vixiſſe putant non multò poſt Theodoſij Imperatoris tempora, licèt mihi non multum fidei faciat Auctor tàm fabuloſus & barbarus, quem cùm multis ex cauſis, tùm vel maximè ob id ſuppoſititium putauerim, quòd Theodoſij vel Gratiani temporibus nondum adeò degenerauerat in extremam barbariem Latinus ſermo, vt tàm abiecto ſtylo ſcribere potuiſſet. Præterea cùm (ſicut ipſe teſtatur) tàm vehemens tunc *Francorum* in Romanos odium vigeret, vt multis in locis ne veſtigia quidem Romanorum relinquenda putauerint, quo illorum memoriam extirpare è Germania atque Gallia poſſent: mihi veriſimile non videtur, Hunibaldum ea ipſa lingua gentis ſuæ Hiſtoriam tradere voluiſſe, quam tàm acriter inſectabantur omnes. Sed opinor ſtudioſum aliquem nonnulla ex Hunibaldo collegiſſe, eáque ſuo more, ſine ordine, ſine iudicio ſic in Volumen redegiſſe, quemadmodum nunc apud quoſdam habentur. Quòd ſi quis omninò contendat, hunc ipſum eſſe Hunibaldum non fictitium, ſed verum, huic libens concedam, modò ne me cogat illi fidem facere in iis rebus, quæ ſolent ſpectatæ eruditionis & doctrinæ virum expoſtulare. Non magnopere enim me illi opponerem, niſi Troianos meliores putaſſet Germanis, & quos Cor. Tacitus atque Strabo homines Romani indigenas ſemper fuiſſe pronuntiant, eos ipſe Aſiaticos origine faceret. Sed quàm hoc ſine omni iudicio facere aggreſſus ſit, alij mecum iudicent. Nam ſi Troianum bellum fuiſſe aliquando (quod pulcherrimis rationibus negat Dion Pruſenſis, ſacra Ægyptiorum fultus Hiſtoriâ) pu- C tandum eſt, certè non facilè perſuadebit mihi Hunibaldus, tantum hominum numerum ſub tàm famoſo Duce furtim abſcedere potuiſſe, cuius rei nullus Græcorum Scriptor mentionem faciendam cenſuiſſet. Neque enim tanto hominum numero in Italiam Æneas & Antenor profugiſſe leguntur, quanto Priamum Iuniorem Hunibaldus ad Scythiam veniſſe contendit. Tamen horum fugam Dares non tacuit, quem nonnulli militaſſe eo bello putant, & omnes Græcorum Hiſtoriæ teſtantur hos ſolos expugnatæ vrbis reliquias fuiſſe, qui in ipſo Græcorum inſultu fugâ ſalutem quæſiuerint, poſtmodúmque alter Venetiam, alter Latium inuaſerint. At Priami illius Iunioris nullus vnquam veterum meminit. Eóque magis admirari cogor eos, quibus pro miraculo eſt Hunibaldus iſte, quaſi confingere Regum nomina opus ſit laborioſum, præſertim vbi earum rerum, quas ſcribit, præter ipſum, nemo meminerit Hiſtoricus. Iam vide quam fidem mereatur, quòd ait *Francorum* populum profugum veniſſe ad Scythiam, ibique ciuitatem conſtruxiſſe nomine Sicambriam. Quis huius vnquam ciuitatis Auctor meminit? An non tàm facilè nouam vrbem confingere ſola ſua auctoritate potuit, quàm ridiculè nouam gentem à Troiano deduxit excidio? Nam eos parum admodum curo, qui ipſum ſecuti ſunt, nempe Gregorium Turonen-

A sem Episcopum, & Rheginonem, atque Sigibertum Gallum. Mihi non probatur aliam esse Sicambriam, quàm illam celebrem Germaniæ Prouinciam inter Busacteros paruos & Bructeros Langobardósque, auctoribus Ptolemæo Corneliòque Tacito constitutam, vbi etiam Abbas Spanheimensis putat habitasse Francos. Et idipsum mihi à ratione non videtur alienum, primò quòd vicini fuerint Gallis. Cum illis enim perpetuò bella gessisse traduntur, quemadmodum & ipsorum testantur Annales. At quî poterant semper bella gerere nisi cum vicinis, vtpote quos tantùm Rhenus fluuius separaret? Ab altera enim parte vel Bataui, vel Eburones, vel Menapij, vel Vbij erant, quos omnes vicisse *Francos* constat prius quàm in Celticam & Lugdunensem mouerent.

Iam de Sicambris constat, quanto in Gallos odio flagrauerit semper ea gens, adeò vt Octauianus claudere Iani portas non posset, nisi priùs traductis in citeriorem Rheni ripam aliquot Sicambrorum millibus, Auctor est Suetonius Tranquillus. Taceo nunc quod de Francis Hunibaldus scripsit, comâ vsos, capillitiíque magnam habuisse curam: ideóque deuictis Gallis in signum seruitutis comam totondisse, vt victores à victis eò faciliùs dinoscerentur. Hæc etiam Sicambris optimè quadrant, de quibus initio Epigrammatum Martialis,

B *Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.*

Et calamistro ad ornandam comam vsos nonnulli Romani Scriptores tradiderunt. Nullæ enim aliæ Germaniæ gentes sic à coma prædicantur, vt Sueui & Sicambri. Porrò, quòd postea nomen mutauerint, id aliquo euentu factum esse potest, vt quotidie fieri videmus. Qui enim nunc Leodienses, olim Eburones fuerunt, Colonienses Vbij. Sic Austria nunc appellatur, quæ olim Pannoniæ pars erat. Sic Alsatia dicitur, quæ olim Alemannia. Sic Occidentale vulgo Lothariíque Regnum dicitur nobilis illa Belgicæ pars ab Argentorato vsque ad Treuiros protensa, idque tantummodò ob partitum Francorum in tres partes Regnum, quarum postrema atque minor Lothario Cæsari obuenerat. VVestfalia nunc dicitur quæ Saxonia olim fuit. Quæ breuiter in medium attulisse sufficiat, vt nulli mirum videatur, si mutato nomine qui antè Sicambri dicebantur, postea Franci appellari potuerint. Siue enim Franci à Rege eorum Francone (vt Auctor est Hunibaldus) siue à libertate, quod Gregorius Turonensis & Sigibertus putant, non multum ad rem nostram facit. Ex Historiis hoc nomen sub Antonini & Probi Impp. tempora agnitum reperio. Trebellius Pollio in vita Probi Cæsaris. *Testes*, inquit, *sunt Franci in inuiis siti paludibus.* Et sæpe cùm Germanorum enumerat gentes, interserit & Francos. Paludes autem esse nemini am-

C biguum est ea in parte Germaniæ, quam nos Sicambriam olim dictam credimus, videlicet vbi nunc Zutphania vrbs sita est, & non longè ab Asciburgo, quam Embricam quidam vocari putant, ingens & famosa palus versus VVestfalos protenditur. Præterea vbi Frisij Occidentales, hodie Monasterienses & Traiectenses Gelriensibus & Hollandis contermini sunt, solum ipsum naturâ paludosum cernitur. Sic etiam intelligi poterit quòd de Francorum sedibus I. libro Gothicorum bellorum Procopius scribit, cuius verba quia planè in Germania Francos ponunt eo libentiùs subscribam, quòd sciam quosdam hoc pessimè habiturum, qui nostræ gloriæ semper inuiderunt. Describens enimuerò situm locorum vbi Rhenus in Oceanum Germanicum præcipitatur. *Hisce*, inquit, *locis paludes sunt non modicæ, vbi primitus Germani habitabant, gens barbara, nec magni tunc momenti viri, qui nunc appellantur Franci. Iis finitimi Arborici erant.* Hæc Procopius. Sed quantum ad loci descriptionem quæ χωρογραφία dicitur, attinet, condonandum aliquid est illis qui de rebus incognitis atque remotissimis scripserunt. Fuit enim Procopius vir equestris ordinis, qui apud Iustinianum Cæsarem in Græcia militabat. Verissimum est illud Plinij II. Naturalis Historiæ libro dictum, locorum situs diligentissimè explanari ab iis, qui indè prodiissent. Porro non multùm distant Sicambri ab ostiis Rheni, vt homo Græcus facilè hallucinari potuerit: vel certè præter Sicambriam, Batauiam, atque Hollandiam quoque inhabitauerunt. De Arboricis autem quid sibi velit, non satis intelligo, nisi quòd Insulæ Arboricæ adiacere dicuntur illi Prouinciæ, quæ nunc Hollandia vocatur. Idem Auctor libro III. scribit Germanos Galliam debellasse, permissúque Iustiniani Cæsaris possidendam accepisse, vnde inquit & Arelatæ nunc ha-

bitant. Sed de alia Germanorum gente credi hoc non poteſt, cùm Francos eo tempore tota Gallia potitos conſtet. Primus enim Francorum CLODOVEVS vniuerſam Galliam eiectis Romanis obtinuiſſe traditur. Is verò Martiani Imperatoris temporibus regnauit, poſt quem Iuſtinianus imperauit, centum amplius annorum interuallo, & à Clodoueo vſque ad KAROLVM MAGNVM res Francorum incrementa ſemper ſumpſerunt, donec totius ferè Europæ tenerent imperium. Hos igitur inclytos Germanos Procopius notauit, à quibus etiam hoc tempore Imperator Arelatenſis Regni titulum retinet. Quos in Sicambria olim ſedes habuiſſe, & vera origine Germanos fuiſſe indigenas, non Troianos (vt fabulantur quidam) mea fert opinio. Quam non parum promouet, quòd Abbas Spanheimenſis ait haberi apud Remos inſculpta hæc verba, quibus beatus Remigius Clodoueum baptiſandum allocutus fuerit, *Mitis depone colla Sicamber*. Neque Hunibaldus inficiatur hanc Francos inhabitaſſe Prouinciam, poſtquam è Scythia digreſſi ſunt, annis ante CHRISTVM natum non minus CCCC. Quare miror magis eorum Regum nomina quæ recenſet, poſt aduentum eorum in Germaniam, non reperiri apud Romanos Scriptores, inter quos Strabo Auguſti tempore tres nominat Sicambrorum Reges, quorum nullus eſt in catalogo Hunibaldi. Si quis aliter ſentiat, illi non obnitar, liberum cuique ſuum eſto iudicium. Hoc tamen pro mea interim ſententia adducam, gloriæ cupiditate multos olim fuiſſe inductos, vt antiquiſſimam originem ſuam facere conarentur. Qui enim aliis meliores videri volunt, hoc potiſſimum ſtudent, vt cum aliis nihil habeant commune. Hinc etiam Saxones, qui ſemper inter Germanos præcipuum locum habuerunt, origine ſe Macedonas gloriabantur, hac in re non minus ridiculi quàm Franci. Eámque ob cauſam res ſtrenuè geſtas nequaquam communi vocabulo Germaniæ tribuebant, ſic ſuam gloriam vileſcere rati. Hoc enim & Gothi & VVandali factitarunt, vnde paulatim à vulgo creditum eſt eos extra Germaniam fuiſſe. Sed hæc breuiter attigiſſe ſufficiat.

Ex ſuis Legibus teſtimonia, Francos fuiſſe Germanos.

RESTAT aliqua ex ipſorum Francorum monumentis afferre teſtimonia, idque tantâ breuitate aggrediemur, vt tædium legentibus nullum afferamus, diligentioribus reliqua committentes. Duas Francos habuiſſe Leges ipſorum Auctores teſtantur, Salicam, atque Ripuariam, quibus nullus Regum ante KAROLVM MAGNVM adiicere quicquam tentauit. Eæ cùm apud ipſos plurimi ſemper momenti habitæ ſint, ac in Latinam linguam poſterioribus ſeculis tranſlatæ reperiantur, eò maiorem aduerſariis auctoritatem præſtabunt. Ipſarum quoque penes me exemplar fuit ipſius KAROLI MAGNI temporibus conſcriptum, in quo paſſim gentis vocabula, quæ Latinis verbis reddi non potuerunt, vernacula Germanorum lingua exprimuntur. Quam rem ex ipſarum Legum Capitulis probaturi ſumus, vt liquidò appareat noſtræ Germaniæ non paruam infligi contumeliam, cùm illi ſua eripitur gloria, Francorum olim egregiis virtutibus parta.

Legis Ripuariæ Capitulo XV. vbi loquitur de iis qui interfectum hominem celant, vel in puteum deiiciunt, exponit ſeſe hoc modo, quod dicitur *ermodet*. *Ermoden* enim interficere hominem ſonat, eo modo quo ſolent latrones, & eſt conuitij verbum.

Item paſſim pro pecunia, qua quis mulctam ſoluit aut redimit, *VVergelta* ponitur. *Gelt* enim pecunia eſt Germanis, & *vveren* defendere.

Cap. XXXVIII. vbi enumerat quædam inſtrumenta armorum, Spatham inquit cum *cogilo*, pro capulo, & *Helmum* pro galea, & *Beinbergas* pro armis quibus teguntur crura. *Bein* enim crus appellamus.

Item Fredum appellat compoſitionem, qua quis pacem à Principe impetrat. *Frid*, pax.

Cap. LXXXIX. hominem *forbannitum*, id eſt, exilio damnatum. *Forbannen* enim eſt in exilium mittere.

Cap. XC. Grauionem, Comitem: qui etiam hodie *Grauen* dicuntur.

A Multa insuper, quæ enumerare opus non puto: de reliquis lector coniecturam faciat. Quòd si quis dicere velit Ripuariam Legem solis Ripuariis fuisse promulgatam, qui Francorum quidem socij, non de eadem gente erant; opponam illi Salicam, quæ procul dubio antiquissima fuit, secundum quam iudicare solebant Franci.

Cap. I. docet quomodo quis sit *maniendus*, vbi, *manire* pro citare.

Cap. VI. canem seusium, id est, porcarium, vel doctum ad inuestigandos apros, quod nos *ein seushundt*, vel *schvvynhundt*.

Cap. VII. *Sparvvarium* pro aue, quem hodie quoque *Spervver* dicimus.

Scuriam pro horreo. *ein Schur*.

Cap. XXIV. *Slusam* de farinario, pro clausura.

Cap. XXVIII. *Schellam* de caballo, pro instrumento quod vulgo campanellam vocant siue tintinabulum, quo vtuntur equi onerarij. *ein Schelle*.

Reffare segetem, pro vellere.

Cap. LIII. *Rachinburgij* dicuntur Commissarij ad componendas lites instituti. *Rachten* enim componere, *burgen* fideiussores.

Cap. LXI. *Durpilum* exponit liminare domus. *Durpel*.

Item ex Constitutionibus KAROLI MAGNI ad Salicam Legem adiectis, teste quoque EGINHARTO.

B Cap. IV. *Feidosum* appellat qui hostis est publicus. *Feed* enim bellum significat.

Herbannus, mulcta, quæ Domino, hoc est Principi, debetur.

Scaram pro turma. *Schar*.

Herbergam pro hospitio.

Cap. LXX. sic scribitur, Quicunque absque licentia Principis de hoste reuersus fuerit, quod factum Franci *Hereslit* dicunt, volumus vt antiqua constitutio, id est capitalis sententia erga illum puniendum custodiatur. Ab exercitu quem *Here* vocamus.

Cetera, quæ multa sunt, partim iam vsu abolita, sed adhuc Germanicam originem testantia, quædam etiam adhuc vulgari consuetudine recepta, consultò præterire statui, ne lectorem ad alia iam properantem detinuisse videar.

PHILIPPI CLVVERII DISQVISITIO DE FRANCIS, ET FRANCIA.

C *Ex Libro III. Germaniæ antiquæ. Cap. XX.*

GENTIBVS hactenus, quæ ad primam Germaniæ partem pertinent, omnibus cis Albim explicatis, commodus nunc locus visus est, antequam ad *Fosos* & *Cimbros* Trans-Albianas nationes, transirem, de FRANCIS, & terrâ eorum FRANCIA, pauca quædam differere. Gens hæc fuit omnium, quotquot magna illa atque vasta Germania tulit, nobilissima: longè latéque, non modò domi in patriis sedibus incolens, sed in exteras etiam postmodum regiones, cis Rhenum Danubiúmque effusa; haud dubium Romani Imperij excidium. Sedeis eorum trans Rhenum in Germaniâ alij etiam antehac vtcumque commonstrarunt. at primæ eorum originis non minus omneis fuisse ignaros video, quàm ipsorum Alemannorum, de quibus suprà explicatum est. De Hunibaldi nugis, aliorúmque similium Scriptorum somniis, ac fabulis anilibus, nihil heic dicere lubet. Illos miror, qui superioribus sæculis veras Francorum res tradere adgressi, tam negligentes, támque vecordes fuerunt, vti de origine eorum vulgatis credere figmentis maluerint, quàm rei veritatem altiùs anquirere. Sed ita profectò est: opus id erat arduum, laborísque plenum, nec facilè cuiquam, nisi in omni ve-

teri Romanorum Historiâ probè versato, suscipiendum. Interim haud pauci etiam nostro sæculo reperti sunt viri docti, qui pro virili quisque parte in eo enodãdo laborauerunt. qui & ipsi, ni aliis studiis, muniisque, siue professionibus fuissent occupati, haud dubiè ad intimũ totius rei fontem penetrare potuissent. Ex his igitur quidam FRANCORVM nomen iam inde à Ciceronis æuo deducere voluerunt, ex Epistola eius ad Atticum lib. XIIII. vbi verum genuinúmque vocabulum *Fangones* corrumpere ausi sunt in *Frangones*. Alij Francorum nomen iam antiquissimis Romanorum temporibus in Germaniâ inter Rhenum & Albim fuisse arbitrantur; sed gentem inualidam etiam tum atque obscuram: quæ postea auctis paullatim viribus, tandem in clarum illud admirandúmque nomen ascenderit. At heic ego miror, quum tot nationum, inter dictos amneis, nomina antiquis monimentis composita sint, vt etiam ego non, nisi magno labore, immensáque animi disquisitione, singulis proprios agros aptare quiuerim: miror, inquam, inter tot munitissimarum etiam nationum vocabula, vnum potuisse ignorari vel præteriri Francorum nomen. Alij id iam Taciti æuo, adeóque ante Tacitum, in Germaniâ extitisse putarunt: Tacito autem, aliisq; eius sæculi Romanis ignotum, quia remotissimas à Rheno, in insulis Septẽtrionis (& huc omnia nobis ignota conferre iam dudum consueuimus) Sedeis gens colebat. vnde postea in Occidentem versus ad Rhenum profectam, eorum populorum arbitrantur occupasse agros, quos proxime Rhenum descripsi. Errasse & hos quamlongissimè à vero scopo, veterum Auctorum monumenta haud ita obscurè docent. hæc quippe si quis diligentiùs attentiúsque rimetur, facilè deprehendat, plerásque nationes, quas hactenus post Alemannos inter Rhenum Albímque ad Oceanum vsque explicaui, nominatim in Francorum gente recenseri. Vnde coniectatio mihi haud vana, eas nationes omneis in vnum postmodò coiuisse corpus, nouúmque sibi constituisse nomen, quo in posterum dicti in commune sunt FRANCI. De causa, siue occasione, de modo item ac tempore nouæ huius Reipublicæ inter eas constitutæ, antequam dicam, res poscere videtur, vt id, quod modò adfirmaui, Auctorum testimoniis confirmem.

DE BRVCTERIS igitur, CHAMAVIS, ANSIVARIIS, atque CHATTIS, hæc Sulpitius Alexander apud Gregorium Turonensem lib. II. cap. IX. *Eodem anno Arbogastes Sunnonem & Marcomerem, subregulos Francorum, gentilibus odiis insectans, Agrippinam, rigente maximè hieme, petiit: ratus, tutò omnes Franciæ recessus penetrandos, vrendósque, cùm decussis foliis nudæ atque arentes siluæ insidiantes occulere non possent. Collecto ergo exercitu, transgressus Rhenum, Bricteros, ripæ proximos, pagum etiam, quem Chamaui incolunt, depopulatus est; nullo vsquam occursante, nisi quòd pauci ex Ampsiuariis, & Chattis, Marcomere duce, in vlterioribus collium iugis apparuêre.* De iisdem Ansiuariis etiam Marcellinus lib. XX. *Iulianus in limitem Germaniæ secundæ egressus, omníque apparatu, quem flagitabat instans negocium, communitus, Traiectensi Mosæ opido propinquabat. Rheno deinde transmisso, regionem subitò peruasit Francorum, quos Ansiuarios vocant.* In Tabula itineraria hæc nomina, quamuis miserè luxata corruptáque, super Rheni ripam proximè Oceani litus leguntur: CHAVCI. AMPSIVARII. CHERVSCI. CHAMAVI. QVI ET FRANCI. Sequitúrque in eadem ripâ, magnis literis ipsius regionis nomen, FRANCIA. post quod positi sunt BVRCTVRI: quos & ipsos sub Francorum nomine fuisse computatos, modò ex Sulpitio cognouimus. *Chaucos*, *Cheruscos*, atque *Chattos*, in eadem fuisse Francia, præter Tabulam, ac Sulpitium, Claudianus quoque testatur in primo de Laudibus Stiliconis.

Vt Salius iam rura colat, flexósque Sicambri
In falcem curuent gladios; geminásque viator
Cùm videat ripas, quæ sit Romana, requirat.
Vt iam trans fluuium, non indignante Cayco,
Pascat Belga pecus; mediúmque ingressa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Per *Sicambros* intellexisse VSIPIOS, & TENCTEROS, suprà ostensum est: *Cheruscos* verò & *Chattos* per *monteis*: quorum nullos habuêre Chauci. illorum autem fuit *Melibocus mons*, cum *Silua Bocœni*, ad medium Albim procurrens. De SALIIS, Salam siue Isalam flumen adcolentibus, Marcellinus lib. XXVII. *Qui-*

A *bus paratis, petit primos omnium Francos; videlicet, quos consuetudo Salios appellauit.* De *Chaucis* hæc quoque dici volunt ab Eumenio Rhetore in Panegyrico ad Constantinum Augustum: *Quid loquar rursus intimas Franciæ nationes, non iam ab his locis, quæ olim Romani inuaserant, sed à propriis ex origine suis sedibus, atque ab vltimis Barbariæ litoribus auulsas, vt, in desertis Galliæ regionibus collocatæ, pacem Romani Imperij cultu iuuarent, & arma delectu.* Verùm cur ego iam Constantini tempore Saxonicum nomen Chaucorum tenuisse agros existimem, sequenti capite reddam. Sub Francorum nomine qui etiam tunc Chaucos fuisse arbitrantur, his ducuntur Rhetoris verbis, *ab vltimis Barbariæ littoribus*: ceu ea de extrema Chaucorum ad Albis ostium orâ maritima sint dicta. Verùm *litoris* vocabulo *ripam* heic Albis fluminis intelligi, vsitato ei sæculo loquendi modo, omninò ego persuasum habeo. sic quippe Fl. quoque Vopiscus in Probo: *Testes Franci, inuiis strati paludibus; testes Germani, & Alemanni, longè à Rheni submoti litoribus.* Hinc etiam idem Eumenius in eodem Panegyrico postea, *Cabillonensem* vocat *portum* ad Ararim flumen; quod opidum nunc Burgundiæ vulgo vocatur *Chalon.* Albis ripam illic intelligere eum, non litus Oceani, clariùs etiam liquet ex incerto quodam Panegyristâ, qui eadem de re sic eumdem Imperatorem alloquitur: *A Tiberi ad Rhenum, imò à Tusco Albulâ ad Germanicum Albim prolaturus Imperium.* Et postea: *Purgauit ille Batauiam; tibi se ex vltima Barbariâ indigenæ populi dedidêre.* De Frisiis, quamuis certum argumentum testimoniúmue ex veteri aliquo Auctore adducere nequeam, tamen hos vnos ab initio ab illustri hoc atque præclaro corpore nominéque Francorum procul esse voluisse, haud facilè persuadeor. Hoc vnum scio; proximam Frisiis Batauorum insulam aliquoties ab Francis fuisse occupatam. Hi an semper fuerint Salij, quos id fecisse memorat Zosimus lib. III. haud facilè dixerim. neque tamen vna Saliorum natio, alioquin exigua, tantis fuit viribus, vti Frisiis Marsacisque inuitis, in dictam perrumpere potuerit insulam. De Dulgibinis, Chassuariis, & Angruvariis, iu medio Chaucorum Chamauorúmque positis, dubitare non licet; quando hi iam antea illorum fuêre socij.

B

Hæ igitur sunt nationes, quæ sub Francorum nomine in terrâ Francia computantur. nec alia populorum vocabula in ea memorata reperio. Vnde argumentum satis firmum atque validum nullam huc nouam ex Septemtrione, vel Oriente, expulsis priscis cultoribus, immigrasse gentem.

Iam fineis vniuersæ Franciæ adsignare promptum fuerit. ab Occasu Rhenum & Oceanum; ab Septentrionibus iterum Oceanum; ab Ortu Albim, & Salam, & qui porro hinc terminus fuit inter Chattos Hermundurósque, à Meridie tamen, quà Alemanni, valida gens, fuêre contermini, obscuritas quædam Manet. Video hodie doctissimum Freheerum in ea esse opinione, terminum Franciam inter Sueuiámque Gratiani Cæsaris tempore fuisse Nicrum amnem: ita, vti, quæ in dextra ripâ, ad Franciam, quæ in sinistrâ, ad Sueuiam pertinuisse putet. idque ex hoc Ausonij versu, in precatione Consulari:

C

Hostibus edomitis, quà Francia mixta Sueuis.

quem ille ad victorias Gratiani, ad Argentariam & trans Rhenum partas, refert; quasi ille trans amnem ad Lupodunum pugnæ, apud Nicrum & opidum *Ladenburg*, in confinio Francorum Sueuorúmque, sint pugnatæ. háncque sententiam iterum confirmat aliis versibus, ex Sidonij Carmine VII. adductis:

Bructerus, vluosa vel quem Nicer abluit vndâ,
Prorumpit Francus.

Verùm ad hunc Auctorem quod attinet, scripsit is multis iam annis post Gratiani Imperium, quum iam & Franci, & Burgundiones, & Gothi, & Alemanni, Galliam occupassent; quorum hi in Heluetiorum agris consederunt. Igitur Alemannis ab vtraque Mœni ripâ, id est priscis suis sedibus, in Meridiem digressis, statim Franci à Septemtrionibus in agros relictos successerunt: quos in hunc vsque diem eodē nomine obtinent. de quibus rectè tunc illud ab Sidonio scriptum. At in citatione Ausoniani versus supprimuntur dolosè reliqua; *Certat ad obsequium.* quibus alius prorsus aperitur priori versui sensus ac Freherus indè extorquet; vt suprà in Alemannis ostensum est. Gratiani æuo Alemannos non modò ad Nicrum, sed ad ipsum Mœnum, & vltra hunc quoque, ad Lonam vsque amnem incoluisse,

ibidem ex Marcellino, qui eo æuo in castris Romanorum militauit, satis comprobatũ est. de Lupoduno etiam, & pugnis Gratiani trans Rhenum, satis ibidem & in Sequanorum descriptione dictum. De Burgundiorum verò Alemannorúmque trans Rhenum eiusdem temporis confinio, infrà suo loco dicetur. quo & ipso prorsus Franci à Sueuorum vicinitate excludentur. Limes igitur inter veteres illas Franciæ Alemanniæque regiones nullus alius fuit, quàm quem suprà Alemannis trans Mœnum præscripsi, per Lonam amnem, & iugum montis, qui vulgari vocabulo dicitur *Fogelsberg*. Ab orientali autem Alemannorum latere idem terminus fuit, qui ante inter Chattos Mattiacósque, ad opidum vsque *Gemunde* Mœno adpositum. hinc porrò Mœnus ad Hermundurorum vsque confinium. A

Finibus FRANCIÆ ita apertis, nationibúsque FRANCORVM demonstratis, tempus est, vti de origine etiam huius vocabuli, & corporis inter eos constituti, quædam expediantur. Certi heic, quod ex veterum Auctorum scriptis probare queam, prorsus nihil habeo. Iuuat tamen iudicij mei coniectationes promere. Sic igitur existimo. Quum prædictæ Rhenum inter & Albim nationes, variis iam indè à Iulij Cæsaris æuo bellis à Romanis petitæ, dum aliàs manu superiores, aliàs inferiores extitissent, se plurima ex parte iugo Romano, falsò amicitiæ societatísque obtentu, subiectas esse, indignè acerbéque iamdudum tulissent, tandem, vbi vicinos suos Alemannos, Gallicam origine gentem, cóque Romano Imperio meritò addictiorem, rebellare contra dominos, & in ipsam dominorum prouinciam pacatissimam Galliam crebras incursiones audacter facere viderunt: sibi etiam eosdem animos idémque consilium esse sumendum rati sunt. quúmque intelligerent, nulla alia re magis quondam libertatem suam à Romanis infractam suppressámque fuisse, quàm quòd singulos illi seorsim adgressi fuerant, dum ipsi in vnum consulere, communémque hostem communibus inter se iunctísque copiis propulsare neglexissent: tandem, plurimis experimentis edocti, innumerísque damnis admoniti, conspiratione facta, in vnam societatem, in vnúmque fœdus, atque in vnum corpus coiuêre; nouo sibi haud dubiè ab libertatis argumento, inuento vocabulo, quo vniuersi in posterum adpellarentur in commune *thi* FRANKON: quo etiam nunc reliquiæ eorum in Germania circa Mœnum, variante paullum dialecto, dicuntur *die* FRANKEN. Delirauerunt Paulus Æmilius & Sigebertus, & quicumque cum his, vel ex horum fide prodiderunt, *Valentinianum Imperatorem eos, qui priùs vocati erant Troiani, deinde Antenoridæ, postea Sicambri, Francos Attica linguâ appellasse. quod lingua Latina significet feroces.* O egregios Historicos! ceu verò Francorum nomen Valentiniani æuo non antiquius. Ex eadem hoc Sigeberto promptum officina, ex qua illud de Ambianorum Samarobriua, quod suprà notaui. At nec Bodinus, homo Francogallus, nuper sincerè aut peritè de eodem vocabulo iudicauit, vbi, inusitatum id Germanis esse, in Methodo sua Historiarum perscripsit; quum in vniuersa hodiéque Germania nemo tam infans, nemo tam rusticus inueniatur homo, qui ignoret, *Frank*, idẽ significare quod *frey*, siue *fry*, id est *liberum*. Manet in hanc vsque diem vulgare apud Germanos verbum, *die freye Franken*, id est, *Franci liberi*; non ab eo, quòd posterioribus temporibus Franci ad Mœnum maioribus vsi sint in Germanorum imperio immunitatibus, quàm reliquæ Imperij nationes, vt vulgò existimatur: sed à veteris illius in libertatem à Romano iugo vindicationis memoriâ. Ceterùm, à libertatis vindicatæ, quod antè dixi, argumento nouam illos adsumpsisse adpellationem, vel indè haud dubio patet indicio, quòd omnes pariter Scriptores, qui originem eorum fabulosè tradiderunt, immunitatem iis à Romanorum Imperatore, ob egregiam in bello nauatam operam vnà cum nouo nomine datam tradunt. B C

SED tempus nunc etiam ostendatur, quo FRANCORVM nomen dictæ nationes, in vnum corpus congressæ, primùm sibi imposuerint. Factum id ego arbitror paulò pòst, quàm Alemanni, contra Romanos rebellantes, in Galliam Rhætiámque excurrere cœperunt. nam primùm Caracallam Alamannici cognomine Historias referre, suprà in Alemannis notaui. Probum autem, qui LVIII. circiter annis post Caracallam Imperio potitus, bellum contra Francos gessisse, complures memorant rerum Scriptores. Nec ego dubitauerim, ad Francos perti-

A nere, quæ Zosimus lib. I. in hæc verba scribit: Ὁρῶν δὲ ὁ Γαλλιηνὸς, τῶν ἄλλων ἐθνῶν ὄντα τὰ Γερμανικὰ χαλεπώτερα, σφοδρότερόν τε τοῖς περὶ τὸν Ῥῆνον οἰκοῦσι Κελτικοῖς ἔθνεσιν ἐνοχλοῦντα, τοῖς μὲν τῇδε πολεμίοις αὐτὸς ἀντετάττετο. id est, *Gallienus videns Germanicas genteis ceteris infestiores esse, & adcolas Rheni nationes Gallicas acriùs infestare', hanc partem sibi ab hostibus propugnandam sumebat.* Nam filius Gallieni Saloninus Agrippinæ cum militibus in præsidio, post eam patris expeditionem, fuit: vbi à Postumo occisus; vti paulò pòst refert Zosimus. Post Alemannorum tandem trans Mœnum expeditionem exortum esse Francorum nomen, & Rempublicam, satis certum est. quippe si iam antè viribus inter se fuissent iuncti, haud facilè Alemannos Mattiacorum occupare solum passi fuissent. Alemannos autem iam Alexandri Mammææ tempore illa trans Mœnum tenuisse loca, suprà ostensum est.

Hæc igitur antiqua illa ac vera FRANCIA, hæc FRANCORVM gens, omnium totius Germaniæ nationum florentissima. quæ quum diu multúmque, ac variis modis, Galliam depopulata esset; tandem maxima sui parte in ea consedit. Vnde ea primùm Galliæ pars FRANCIA dicta, quæ hodiéque vulgo vocatur *l'Isle de France*, id est *Insula Francia.* B Mox verò, aliis gentibus, tam priscis indigenis, quàm nuper ingressis Burgundionibus ac Gothis debellatis, tota illa pars Europæ prælustris ac omnium penè nobilissima GALLIA in idem FRANCIÆ nomen transiuit.

PARS tamen gentis Francorum in Germania trans Rhenum remansit, in Alemannorum, vt suprà dictum, circa Mœnum loca transgressa. vnde Francia gemina facta, *Cisrhenana*, & *Transrhenana*; siue, *Occidentalis*, atque *Orientalis*. Huic vocabulum postea tributum FRANCONIÆ, & genti ipsi FRANCONVM nomen; ab antiquo scilicet gentis vocabulo FRANKON. ad eumdem quippe modum *Gothones* dicebantur Romanis & *Gothi*, qui sibi ipsis *Gothon*; siue *Frisones* & *Frisij*, qui *Frison*; *Lugiones*, *Lugiique*, qui *Lugon*; *Burgundiones*, *Burgundij*que, qui *Burgundon*. Græcis verè Auctoribus plerumque adpellantur ΦΡΑΓΓΟΙ, FRANÇI; vitiato emollitóque vocabulo. Meliùs apud Zosimum libro tertio ΦΡΑΓΚΟΙ.

SED infringendus heic est, ne vltrà serpat, ingens Hadriani Iunij error; qui Batauiæ suæ cap. IX. pluribus probare conatur argumentis, Francos anteà proprio ac peculiari vocabulo vocatos fuisse GERMANOS. Multa ex Tacito adC ducit, quæ cuncta eò cadunt, quia is Auctor populos inter Rhenum Albímque adpellat Germanos, ideò regionem, his amnibus inclusam, solam fuisse Germaniam. quæ quàm docta probáque sit argumentatio, cuiuis iudicare facillimum est. Ex Strabonis lib. VII. hæc producit verba: Γνωρίζονται οἱ Γερμανοὶ, ἀπὸ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ῥήνου λαβόντες τὴν ἀρχὴν μέχρι τοῦ Ἄλβιος. quæ ita ad libidinem suam interpretatur: *Notum est, & manifestum, Germanos à Rheni ostio initium capere Albi fluuio tenus.* Ego verò nego hanc Auctori fuisse mentem: faciléque id ipsius verbis probabo, quæ integra sic leguntur: τῶν δὲ Γερμανῶν οἱ μὲν προσάρκτιοι παρήκουσι τῷ ὠκεανῷ. γνωρίζονται δὲ ἀπὸ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ῥήνου λαβόντες τὴν ἀρχὴν μέχρι τοῦ Ἄλβιος. τούτων δ' εἰσὶ γνωριμώτατοι Σούγαμβροί τε καὶ Κίμβροι. τὰ δὲ πέραν τοῦ Ἄλβιος, τὰ πρὸς τῷ ὠκεανῷ, παντάπασιν ἄγνωστα ἡμῖν ἐστιν. id est: *Germanorum, qui sunt Septentrionales, propter litus Oceani porriguntur, ac noti sunt ab ostiis Rheni ad Albim vsque: notißimíque in his Sugambri, & Cimbri. quæ autem trans Albim ad Oceanum sunt loca, nobis prorsus sunt ignota,* Et postea, Τὸ δὲ νότιον μέρος τῆς Γερμανίας, τὸ πέραν τοῦ Ἄλβιος, τὸ μὲν συνεχὲς ἀκμὴν ὑπὸ τῶν Σουήβων κατέχεται. εἶτ' εὐθὺς ἡ τῶν Γετῶν συνάπτει γῆ. hoc est: *Partem autem Germaniæ meridionalem, quæ est trans Albim, continuò Sueui tenent. post hos statim contermina est Getarum regio.* Ergo ex Strabonis sententiâ etiam vltra Albim, immenso spatio, ad Getarum vsque confinium, fuit Germania. Sic infrà eodem libro: Ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ Βαστάρναι μὲν, τοῖς Τυρρηγέταις ὅμοροι, καὶ Γερμανοῖς, σχεδόν τι καὶ αὐτοὶ τοῦ Γερμανικοῦ γένους ὄντες, εἰς πλείω φῦλα διῃρημένοι. Id est: *In mediterraneis Bastarnæ sunt, Tyrigetis & Germanis*

contermini, feréque ipsi Germanici generis, in plureis diuisi nationes. Meros & hos fuisse Germanos, suo loco demonstrabitur. Falsus igitur hac quoque argumentatione Iunius. Iam verò validissima eius argumenta, quæ speciem quamdam veri habent, ex medij sæculi adducuntur Scriptoribus, in quibus Hieronymus in vita Hilarionis: *Inter Saxones*, inquit, *& Alemannos gens exstat, non tam lata, quàm valida: apud Historicos Germania, nunc verò Francia vocatur.* Agathias lib. I πρόσοικοι τῆς Ἰταλίας καὶ ἀγχιτέρμονες τὸ γένος τῶν Φράγγων· εἶεν δ' ἂν οὗτοι οἱ πάλαι ὀνομαζόμενοι Γερμανοί· δῆλον δέ. ἀμφὶ Ῥῆνον γὰρ ποταμὸν οἰκοῦσιν. hoc est: *Sunt Francis Itali adcolæ, & contermini. sunt autem hi, qui olim dicebantur Germani. quod quidem satis constat. nam circa Rhenum amnem incolunt.* Non satis firmum argumentum: Quia circa Rhenum colunt, igitur sunt ij, qui olim dicti fuêre Germani: videlicet si vnos hos putauerit dictos Germanos, ceu peculiari nomine. Nec illud Hieronymi nisi ex simplicitate scriptum. etenim verum quidem erat, eam regionem, quam postea Franci incoluerunt, antea fuisse dictam Germaniam: at non solam. nisi certè omnes antiqui illi Geographi, Strabo, Mela, Plinius, Tacitus, Ptolemæus, Solinus, nos fallant: ipséque adeò Iunius, dum cum illis, cap. XXI. Germaniam ad Septemtrionalem siue glacialem vsque Oceanum produxit. Ego ex Hieronymi Agathiæque verbis, id dicere eos voluisse, colligo: nempe qui tunc Franci vocabantur peculiari vocabulo, antiquitus in commune, cum reliquis illius regionis populis, dictos fuisse Germanos. quod verissimum. Nec tamen rarum isti sæculo, inaneis irritásque B
facere in vna natione distinctiones. sic, inter alios, Ausonius in Carmine de Mosellâ.

> *Accedent vires, quas Francia, quásque Camaues,*
> *Germaníque tremant.*

At ipse *Camaues* erat *Francus*, vt suprà ostensum, & *Francus* rursum *Germanus*. Quænam igitur hæc distinctio, an quorsum? Nempe vt versus supplerentur. Sic item Claudianus de quarto Consulatu Honorij:

> *Ante Ducem nostrum flauam sparsêre Sicambri*
> *Cæsariem, pauidóque orantes murmure Franci*
> *Procubuere solo.*

At etiam Sicambri erant Franci. irrita igitur & hæc est distinctio. Sed iam indè Domitiani tempore Martialis eadem vsus est poëtica licentiâ. sic namque canit lib. VII.

> *Das Cattis, das Germanis, das Celia Dacis.*

CHRONICA IDATII EPISCOPI LEMICENSIS, PROSPERI AQVITANI, ET MARII EPISCOPI:

ITEM FRAGMENTA DE VETERVM FRANCORVM MORIBVS AC REBVS GESTIS.

A

IAC. SIRMONDVS LECTORI.

De Chronico Idatij.

IDATII Chronicon, cuius excerpta tantùm quædam ab Henrico Canisio primùm, deinde à Iosepho Scaligero edita fuerant, integrum nunc demum indidem prodit, vnde nuper Romæ vulgari cœptum est. ex antiquo videlicet Codice nostro, quem qui Romanam editionem curauit, quia Parisiis esse audiuerat, Parisiensem appellauit: nos Metensem potiùs dicturi eramus, quòd Meti olim exscriptum arbitremur; inde certè ad nos ex Monasterio non ignobili nec obscuro peruenerit. Quanti autem meritò esse debeat hic libellus, tute, Lector, statim agnosces. Intelliges enim, non solùm ab hoc fonte hausta ea esse, quæ de Gothorum, Sueuorum, aliárumque gentium rebus in Hispania Galliáque per ea tempora gestis, apud Isidorum, & alios Scriptores, non aliis fermè quàm Chronici huius verbis contexta leguntur: sed alia præterea tum ad sacram, tum ad ciuilem Historiam plurima hîc doceri, quæ vt ceteris omnibus intacta qui extant, ipsi nos etiam, nisi ab Idatio prodita essent, ignorare cogeremur. Facile ergo iudicabis, publici vsus fuisse, vt non diutius hoc beneficio careremus, &c. B

DE NVMERORVM NOTIS, QVÆ CHRONICI marginibus affixæ sunt.

In Chronico Idatij, præter Olympiadas, & singulorum Imperatorum annos, qui ordine digeruntur, duo præcipuè numeri adnotantur. Vnus maior, cuius initium ducitur ab Abrahamo, hoc est ab exordio Chronici Eusebiani, Nam cùm Eusebij Chronicon continuaret Idatius, consequens erat, vt illius etiam epochas sectaretur. Hic igitur prior numerus est Eusebianus. Alter est æra Hispanica, quam in Fastis quoque, vt Hispanis vsitatam & familiarem adiecit. Hæc verò Christi natalem XXXVIII. tantùm annis antecedit, cùm numerus Eusebianus præcedat annis II. M. XV. Quare si adsignata æra, Christi annum indagari placet, deducendi ab æra sunt anni XXXVIII. Verbi gratia, Barbarorum in Hispanias ingressum in Chronico contigisse notat æra CCCCXLVII. deduc annos octo & triginta, reliqui fiunt CCCCIX. Is ergo Christi annus fuit, cùm Barbari in Hispanias penetrarunt. Quod sanè confirmant reliqui etiam characteres, qui vnà ibidem comparantur. Olympias enim CCXCVII. & Consules Honorius VIII. Theodosius III. & feria tertia quarto Calendas Octobris, omnia congruunt anno Christi CCCCIX. Rursus prodigia quædam in Gallacia VI. Nonas Martias visa, eámque feriam sextam fuisse narrat in Chronico, æra quingentesima. Si de quingentis tollantur XXXVIII. restant CCCCLXII: in quem & feria item illa quadrat, & Seueri Aug. qui Maioriano successit, annus secundus, cui hæc adscripta sunt. Atque in hunc modum ratiocinari in ceteris licebit, nisi si quando numeri suis locis antiquariorum culpa moti scrutantium industriam & conatum eludent. C

A

IDATII EPISCOPI LEMICENSIS CHRONICON:

Ex Editione Iacobi Sirmondi Societ. Iesu, ab eodem recognita.

Quamuis Auctor hic fuerit Prouinciæ Gallæciæ, siue, vt Sigebertus ait, Lemicæ His-
B *paniarum vrbis Episcopus, illius tamen Chronicon* HISTORIÆ FRANCICÆ *Scriptoribus præmitti debere visum est: tum quia multa continet de Gothorum, & aliarum Gentium rebus in* GALLIIS, *quarum posteà* FRANCI *possessionem integram adepti sunt: tùm quòd vetustiores Francorum Historici hoc ipsum etiam, aut longè ipsius maximam partem suis Collectionibus inserere non dubitarunt.*

PRÆFATIO.

IDATIVS *seruus Domini nostri* IESV *Christi vniuersis fidelibus in Domino nostro* IESV *Christo, & seruientibus ei in veritate salutem.* PROBATISSIMORVM in omnibus virorum studia, quos præcipuè in fide Catholica, & conuersatione perfecta testes veritatis diuini cultus docet adsertio, vt ornantur decore dictorum, ita & commendantur honore meritorum, vt miram in omni opere suo obtineant firmitatem. Verùm IDATIVS Prouinciæ Gallæciæ natus in Lemica ciuitate, mage diuino munere, quàm proprio
C merito, summi Præsul creatus officij, vt extremus plagæ, ita extremus & vitæ, perexiguum informatus studio sæculari, multò minùs docilis sanctæ lectionis volumine salutari; sanctorum & eruditissimorum patrum in præcedenti opere suo, pro capacitate proprij sensus aut verbi, ostensum ab his secutus exemplar. Quorum primus Eusebius Cæsariensis Episcopus, qui Ecclesiasticas sui numeri libris scripsit Historias, ab initio Nini regnantis Assyriis, & sancti Abrahæ Patriarchæ Hebræis, & reliquorum contemporales his annos Regum, in vicesimum Constantini Augusti quo imperabat annum, Græci sermonis Chronographiæ concludit Historia. Post hunc successor syngrapheus perfectus vniuersis factorum dictorúmque monimentis, Hieronymus Presbyter, idem Eusebius cognomento, de Græco in Latinum Scripturæ huius interpres, à vicesimo anno supradicti Imperatoris in quartum decimum Valentis Augusti annum subditam texit Historiam. Esto vt in sanctis quibus deguit Hierosolymorum locis, à memorato Valentis anno in tempus, quo

in præsenti vita durauit, fortè quàm plurima de his quæ sunt insecuta subiecerit: quia haud vnquam, dum valuit, à diuerso styli opere cessauit. Quem quodam tempore propriæ peregrinationis in supradictis regionibus ad huc infantulus vidisse me certus sum. Qui post aliquot annos beato, vt erat, mansit in corpore. Si tunc proprio operi quod subdidit aliqua subiunxerit, apud eos, ad quos Scriptorum eius omne opus vel summa peruenit, certa & plena cognitio est. Sed quoniam in cuiusdam studij sui scriptura dixisse eum constat, debacchantibus iam in Romano solo barbaris omnia haberi permixta, atque confusa, opinamur ex huius indicio sermonis, in hoc per se annorum volumine subdito de successione temporum ab ipso nihil adiectum. Tamen quia ad nostri temporis cursum, vt superior lectio docet, descriptio defluxit annorum, cùm membrana huius historiæ curam contigisset expertis, mentem monuit imperiti, vt de cognitis, etsi in omnibus impari gressu, vel vestigiis se substerneret præcessorum. Quæ fideli suscipiens cordis intuitu, partim ex studio Scriptorum, partim ex certo aliquantorum relatu, partim ex cognitione quam iam lachrymabile propriæ vitæ tempus ostendit, quæ subsequuntur adiecimus. Quorum continentiam gestorum & temporum, qui legis ita discernes. Ab anno primo Theodosij Augusti in annum tertium Valentiniani Augusti, Placidiæ Reginæ filij, ex supradicto à nobis conscripta sunt studio, vel ex Scriptorum stylo, vel ex relationibus indicantum. Exin immerito adlectus ad Episcopatus officium, non ignarus omnium miserabilis temporis ærumnarum, & conclusi in angustias Imperij Romani metas subdidimus ruituras, & quod est luctuosius, intra extremam vniuersi Orbis Gallæciam deformem Ecclesiastici ordinis statum, creationibus indiscretis honestæ libertatis interitum, & vniuersæ propemodum in diuina disciplina religionis occasum ex furentium dominantem permixta iniquarum perturbatione nationum. Hæc iam quidem inserta; sed posteris in temporibus quibus offenderint, reliquimus consummanda.

IDATII EPISCOPI CHRONICON.

ROMANORVM XXXIX. Theodosius per Gratianum in consortium Regni adsumptus, cum ipso, & Valentiniano Iuniore regnat annis XVII.

1. Theodosius natione Hispanus de Prouincia Gallæcia, ciuitate Cauca, à Gratiano Augustus appellatur.

Inter Romanos, & Gothos multa certamina conferuntur.

2. Theodosius Constantinopolim ingreditur in primo Consulatu suo, quem cum Gratiano agebat Augusto.

OLYMP. CCXC. Alexandriæ XXI. habetur Episcopus Theophilus vir eruditissimus, insignis, qui à primo Consulatu Theodosij Augusti Laterculum per centum annos digestum de Paschæ obseruatione conscripsit.

3. Athanaricus Rex Gotthorum apud Constantinopolim decimo quinto die, ex quo à Theodosio fuerat susceptus, interiit.

CCCCXX. VII. Iobeleus ex quo Dominus ascendit.

4. Gothi infida Romanis pace se tradunt.

Ambrosius in Italia Mediolani Episcopus, Martinus in Galliis Turonis Episcopus, & vitæ meritis, & patratis miraculis virtutum habentur insignes.

5. Theodosius Arcadium filium suum Augustum appellans, Regni facit sibi esse consortem.

6. Honorius nascitur filius Theodosij. II.cccc.
Legati Persarum ad Theodosium Constantinopolim veniunt.
7. Greothingorum gens à Theodosio superatur.
Priscillianus declinans in hæresim Gnosticorum, per Episcopos, quos sibi in OLYMP. CCXCI.
eadem prauitate collegerat, Abulæ Episcopus ordinatur. qui aliquot Episcoporum conciliis auditus, Italiam petit, & Romam. Vbi ne ad conspectum quidem sanctorum Episcoporum Damasi, & Ambrosij receptus, cum his, cum quibus ierat, redit ad Gallias. Inibi similiter, à sancto Martino Episcopo, & ab aliis Episcopis hæreticus iudicatus, appellat ad Cæsarem; quia in Galliis his diebus potestatem tyrannus Maximus obtinebat Imperij.
8. Arcadij quinquennalia celebrantur.
Romanæ Ecclesiæ XXXVI. habetur Episcopus Siricius.
9. Priscillianus propter supradictam hæresim ab Episcopatu depulsus, & cum ipso Latronianus laicus, aliquantique sectatores eius, apud Treuerim sub tyranno Maximo cæduntur. Exin in Gallecian Priscillianistarum hæresis inuasit.
10. Maximus tyrannus occiditur per Theodosium tertio lapide ab Aquileia quinto Kalendas Augustas: & eodem tempore, vel ipso anno in Galliis per Arbogastem Comitem filius Maximi nomine Victor extinctus est.
B Cynegius Theodosij præfectus habetur illustris, qui factis insignibus præditus, & vsque ad Ægyptum penetrans, gentium simulachra subuertit.
11. Theodosius cum Honorio filio suo Romam ingressus est. OLYMP.
12. CCXCII.
13.
14. Valentinianus iunior apud Viennam scelere Comitis Arbogasti occiditur, & Eugenius tyrannus efficitur. CCCCXXX.
15.
16. Eugenius à Theodosio Augusto superatus occiditur. OLYMP. CCXCIII.
17. Theodosius inualetudine hydropis apud Mediolanum defunctus est anno Regni sui xvij. Et iste annus, qui Theodosij xvij. ipse Arcadij & Honorij in initio Regni eorum primus est. quod ideo indicatur, ne Olympiadem quinque annorum turbet adiectio, in hoc loco tantum propter regnantum inserta Principum. II.CCCCX.
1. ROMANORVM XL. Arcadius & Honorius Theodosij filij defuncto patre regnant annis XXX.
2.
3. [Romanæ Ecclesiæ XXXVII. habetur Episcopus Anastasius.
4. OLYMP. CCXCIV.
5. In prouincia Carthaginiensi in ciuitate Toleto Synodus Episcoporum contrahitur, in qua quod gestis continetur, Symphosius, & Dictinius, & alij cum his Gallæciæ Prouinciæ Episcopi, Priscilliani sectatores hæresim eius blasphemissimam C cum assertore eodem professionis suæ subscriptione cōdemnant. Statuuntur quædam etiam obseruanda de Ecclesiæ disciplina, communicante in eodem Concilio Ortigio Episcopo, qui Cælenis fuerat ordinatus, sed agentibus Priscillianistis pro fide Catholica pulsus factionibus exulabat.
6.
7.
8. Solis facta defectio tertio Idus Nouembris feria secunda. OLYMP. CCXCV.
Romanæ Ecclesiæ XXXVIII. habebatur Episcopus Innocentius.
9. Theodosius Arcadij filius nascitur.
10. Constantinopoli Ioannes Episcopus prædicatur insignis, qui ob fidem Catholicam Eudoxiam Arcadij vxorem infestissimam patitur Arrianam. II. CCCCXX.
11. OLYMP.
12. Hierosolymis Ioannes, Cæsarea Eulogius, Cypro Epiphanius, Alexandria Theophilus qui supra, Episcopi habentur insignes. CCXCVI.
Hieronymus Presbyterio præditus, in Bethleem Iudæ vicinia consistens, præcipuus habetur in cunctis.
13. Post suprascriptos sanè Arrianos, qui Hierosolymis ante Ioannem Episcopi fuerint, Idatius, qui hæc scribit, scire non potuit. Hunc verò sanctum cum sanctis Eulogio, Theophilo, & Hieronymo vidit, & infantulus, & pupillus.

A

14.

OLYMP. CCXCVII. 15. Alani, & VVandali, & Sueui Hispanias ingressi æra CCCCLVII. alij quarto Kalendas, alij tertio Idus Octobris memorant die, tertia feria, Honorio VIII. & Theodosio Arcadij filio III. Consulibus.

Alaricus rex Gothorum Romam ingressus. cùm intra, & extra Vrbem cædes agerentur, omnibus indultum est, qui ad sanctorum limina confugerunt.

Placidia Theodosij filia, Honorij Imperatoris soror, à Gothis in vrbe capta.

Alaricus moritur, cui Ataulfus succedit in Regno.

Barbari, qui in Hispanias ingressi fuerant, cæde deprædantur hostili. Pestilentia suas partes non segniùs operatur.

16. Debacchantibus per Hispanias barbaris, & sæuiente nihilominus pestilentiæ malo, opes & conditam in vrbibus substantiam tyrannicus exactor diripit, & miles exhaurit. Fames dira grassatur, adeo vt humanæ carnes ab humano genere vi famis fuerint deuoratæ: matres quoque necatis, vel coctis per se natorum suorum sint pastæ corporibus. Bestiæ occisorum gladio, fame, pestilentia, cadaueribus adsuetæ, quósque hominum fortiores interimunt, eorúmque carnibus pastæ passim in humani generis efferantur interitum. Et ita quatuor plagis, ferri, famis, pestilentiæ, bestiarum, vbique in toto Orbe sæuientibus, prædictæ à Domino per Prophetas suos adnuntiationes implentur. B

17. Subuersis memorata plagarum grassatione Hispaniæ prouinciis, barbari ad pacem ineundam, Domino miserante conuersi, sorte ad habitandum sibi prouinciarum diuidunt regiones. Gallæciam VVandali occupant & Sueui, sitam in extremitate Oceani maris occidua. Alani Lusitaniam, & Carthaginiensem prouincias: & VVandali cognomine Silingi Bæticam sortiuntur. Hispani per ciuitates & castella residui à plagis, barbarorum per prouincias dominantium se subiiciunt seruituti.

Constantinus post triennium inuasæ tyrannidis ab Honorij Duce Constantio intra Gallias occiditur.

18. Iouinus, & Sebastianus fratres intra Galliam, & in Africa Heraclianus pari tyrannidis inflantur insania.

OLYMP. CCXCVIII. Augustinus Hipponeregiensis Episcopus habetur insignis, inter cuius studia magnifica, Donatistas ab eo Dei adiutorio superatos, probata fides demonstrat Auctorum.

19. Iouinus & Sebastianus oppressi ab Honorij Ducibus Narbona interfecti sunt.

Gothi Narbonam ingressi vindemiæ tempore.

Heraclianus mouens exercitum de Africa aduersus Honorium, Vtriculo in Italia in conflictu superatus effugit in Africam, cæsis in loco supradicto L. millibus armatorum. Ipse post Carthagine in æde Memoriæ per Honorium percussoribus missis occiditur. C

II.CCCCXXV. 20. Ataulfus apud Narbonam Placidiam duxit vxorem: in quo prophetia Danielis putatur impleta, qui ait filiam Regis Austri sociandam Regi Aquilonis: nullo tamen eius ex ea semine subsistente.

21. Hierosolymis Ioanne quo supra Episcopo præsidente, sanctus & primus post Christum Dominum Martyr Stephanus reuelatur.

Hieronymus, qui supra, præcipuus in omnibus, elementorum quoque peritissimus Hebræorum, in lege Domini, quod scriptum est, diurna, nocturnáque meditatione continuus, studia operis sui reliquit innumera. Ad vltimum Pelagianorum sectam cum eiusdem auctore adamantino veritatis malleo contriuit. Aduersum hos, & aduersum alios hæreticos extant eius probatissima monimenta.

22. Ataulfus à Patritio Constantio pulsatus, vt relicta Narbona Hispanias peteret, per quendam Gothum apud Barcinonam inter familiares fabulas iugulatur. Cui succedens Vvallia in Regno, cum Patricio Constantio pace mox facta, Alanis, & Vvandalis Silingis, in Lusitania, & Bætica sedentibus aduersatur.

OLYMP. CCXCIX. Alexandrinæ Ecclesiæ post Theophilum quis præsederit, ignoraui hæc scribens.

A Constantius Placidiam accepit vxorem.

[Fredibalum Regem gentis VVandalorum sine vllo certamine ingeniosè captum ad Imperatorem Honorium destinat.]

23. VVallia Rex Gothorum Romani nominis causa intra Hispanias cædes magnas efficit barbarorum.

24. Solis facta defectio die decimoquarto Kal. Augusti, qui fuit quinta feria.

Romanæ Ecclesiæ xxxix. præsidet Episcopus Zosimus.

Durante Episcopo quo supra, grauissimo terræmotu sancta in Hierosolymis loca quassantur, & cætera, de quibus in gestis eiusdem Episcopi scripta declarant.

VVandali Silingi in Bætica per VValliam Regem omnes extincti.

Alani, qui VVandalis, & Sueuis potentabantur, adeo cæsi sunt à Gothis, vt extincto Atace* Rege ipsorum, pauci, qui superfuerant, abolito Regni nomine, Gunderici Regis VVandalorum, qui in Gallæcia resederat, se patrocinio subiugarent. *Addace

Gothi intermisso certamine, quod agebant, per Constantium ad Gallias reuocati, sedes in Aquitanica à Tolosa vsque ad Oceanum acceperunt.

VVallia eorum Rege defuncto, Theodores succedit in Regno.

25. Inter Gundericum VVandalorum, & Hermericum Sueuorum Reges certamine orto, Sueui in Neruasis montibus obsidentur à VVandalis.

B Valentinianus Constantij & Placidiæ filius nascitur.

In Gallicana regione in ciuitate Biterris multa signa effecta terrifica, Paulini Epistola eiusdem ciuitatis Episcopi enarrat vbique directa.

26. VVandali Sueuorum obsidione dimissa, instante Asterio Hispaniarum Comite, sub Vicario Maurocello, aliquantis Bracaræ in exitu suo occisis, relicta Gallæcia ad Bæticam transierunt.

[Romanæ Ecclesiæ xl. præsidet Episcopus Bonifacius.]

Honorius apud Rauennam Constantium consortem sibi facit in Regno.

27. Constantius Imperator Rauennæ moritur in suo tertio Consulatu. Olymp. ccc.

28. Castinus Magister militum cum magna manu, & auxiliis Gothorum, bellum in Bætica VVandalis infert. quos cùm ad inopiam vi obsidionis arctaret, adeo vt se tradere iam pararent, inconsultè publico certamine confligens, auxiliorum fraude deceptus, ad Tarraconam victus effugit.

Bonifacius Palatium deserens Africam inuadit.

29.

30. Honorius actis tricennalibus suis Rauennæ obiit. II. ccccxl.

Paulinus nobilissimus, & eloquentissimus, dudum conuersione ad Deum nobilior factus, vir Apostolicus, Nola Campaniæ Episcopus habetur insignis: cui Therasia de coniuge facta soror, testimonio vitæ beatæ æquatur, & merito. Extant operis ipsius egregij studia prædicanda. Olymp. ccci.

C Romanorum xli. Theodosius Arcadij filius ante aliquot annos regnans in partibus Orientis, defuncto patre, post obitum Honorij patrui, Monarchiam tenet Imperij, cùm esset annorum viginti sex.

Ioannes arripit tyrannidem.

1. Theodosius Valentinianum, amitæ suæ Placidiæ filium, Constantinopoli Cæsarem facit, & contra Ioannem mittit. sub quo à Ducibus, qui cum eo per Theodosium missi fuerant, apud Rauennam primo anno inuasæ tyrannidis occiditur, & Felix Patricius ordinatur ex Magistro militum.

Valentinianus, qui erat Cæsar, Romæ Augustus appellatur.

VVandali Balearicas insulas deprædantur: deinde Carthagine Spartaria, & Hispali euersa, & Hispaniis deprædatis, Mauritaniam inuadunt.

2. Romanæ Ecclesiæ xli. præsidet Episcopus Cælestinus.

3.

4. Gundericus Rex VVandalorum capta Hispali, cùm piè elatus, manus in Ecclesiam ciuitatis ipsius extendisset, mox Dei iudicio dæmone correptus interiit. Cui Gaisericus frater succedit in Regno. Qui, vt aliquorum relatio habet, effectus apostata de fide Catholica in Arianam dictus est transisse perfidiam.

5. Gaisericus Rex de Bæticæ Prouinciæ litore cum VVandalis omnibus, eorúm- Olymp. cccii.

que familiis, mense Maio ad Mauritaniam, & Africam relictis transit Hispaniis. Qui priusquàm pertransiret, admonitus Hermigarium Sueuum vicinas in transitu suo Prouincias deprædari, recursu cum aliquantis suis facto, prædantem in Lusitania consequitur. Qui haud procul de Emerita, quam cum sanctæ Martyris Eulaliæ iniuria spreuerat, multis per Gaisericum cæsis, ex his quos secum habebat, arrepto, vt putauit, Euro velociùs fugæ subsidio, in flumine Ana diuino brachio præcipitatus interiit. Quo ita extincto, mox quò cœperat Gaisericus enauigauit. A

6. Sueui sub Hermerico Rege medias partes Gallæciæ deprædantes, per plebem, quæ castella tutiora retinebat, acta suorum partim cæde, partim captiuitate, pacem, quam ruperant, familiarum, quæ tenebantur, rehibitione restaurant.

Per Aëtium Comitem haud procul de Arelate quædam Gothorum manus extinguitur, Anaolfo optimate eorum capto. Iuthungi per eum similiter debellantur, & Nori.

Felix, qui dicebatur Patricius Rauennæ, tumultu occiditur militari.

7. Aëtius Dux vtriusque militiæ Noros edomat rebellantes. Rursum Sueui initam cum Gallæcis pacem libita sibi occasione conturbant. Ob quorum deprædationem Idatius Episcopus ad Aëtium Ducem, qui expeditionem agebat in Galliis, suscipit legationem. Vetto, qui de Gothis dolosè ad Gallæciam venerat, sine aliquo effectu redit ad Gothos. B

8. Superatis per Aëtium in certamine FRANCIS, & in pace susceptis, Censorius Comes Legatus mittitur ad Sueuos, supradicto secum Idatio redeunte.

OLYMP. CCCIII. Bonifacius in æmulationem Aëtij de Africa per Placidiam euocatus in Italiam, ad Palatium redit. Qui depulso Aëtio in locum eius succedens, paucis pòst mensibus, inito aduersum Aëtium conflictu, de vulnere, quo fuerat percussus interiit. Cui Sebastianus gener substitutus per Aëtium de Palatio superatus expellitur.

9. Regresso Censorio ad Palatium, Hermericus pacem cum Gallæcis, quos prędabatur assiduè, sub interuentu Episcopali datis sibi reformat obsidibus.

Symphosius Episcopus per eum ad Comitatum Legatus missus, rebus in cassum frustratur arreptis.

In conuentu Lucensi contra voluntatem Agrestij Lucensis Episcopi, Pastor & Syagrius Episcopi ordinantur.

Aëtius Dux vtriusque militiæ Patricius appellatur.

II.CCCCL. 10. Sebastianus exul & profugus effectus, nauigat ad Palatium Orientis.

Romanæ Ecclesiæ XLIII. habetur Episcopus Xystus. C

11. Hierosolymis Iuuenalem Episcopum præsidere, Germani Presbyteri Arabicæ regionis exinde ad Gallæciam venientis, & aliorum Græcorum relatione comperimus, adiicientibus Constantinopolim eum cum aliis, & Palæstinæ Prouinciæ & Orientis Episcopis euocatum, sub pręsentia Theodosij Augusti, contracto Episcoporum interfuisse Concilio ad destruendam Hebionitarum hæresim, quam Nestorius eiusdem vrbis Episcopus prauo stultissimæ sectæ resuscitabat ingenio.

Quo verò tempore sancti Ioannes, Hieronymus, & alij, quos suprà diximus, obierint, vel quis Ioanni ante Iuuenalem successerit, sicut & fecisse cognitum est in breui seniorem quemdam, referentum sermo non edidit.

12. Narbona obsideri cœpta per Gothos.

Burgundiones, qui rebellauerant, à Romanis Duce Aëtio debellantur.

OLYMP. CCCIV. Vno, eodémque tempore Alexandriæ Cyrillum Episcopum præsidere, & Constantinopoli Nestorium hæreticum Hebionæum, Cyrilli ipsius ad eundem Epistola, & hæresim destruentis, & regulam fidei exponentis ostendit. Hæc cum aliis habentur allata.

13. Narbona obsidione liberatur Aëtio Duce, & Magistro militum. Burgundionum cæsa viginti millia.

Rursus Censorius & Fretimundus Legati mittuntur ad Sueuos.

14. Gothorum cæsa octo millia sub Aëtio Duce.

Sueui cum parte plebis Gallæciæ, cui aduersabantur, pacis iura confirmant.

Hermericus Rex morbo oppressus Rechilam filium suum substituit in Regnum:

A qui Andeuotum cum sua, quam habebat, manu ad Singilionem Bæticæ fluuium aperto marte prostrauit, magnis eius auri & argenti opibus occupatis.

15. Carthagine fraude decepta decimo quarto Kal. Nouembris omnem Africam Rex Gaisericus inuadit.

Bello Gothico sub Theodore Rege apud Tolosam, Litorius Romanus Dux, inconsultiùs cum auxiliari Hunorum manu irruens, cæsis his, ipse vulneratus capitur, & post dies paucos occiditur.

Inter Romanos & Gothos pax efficitur.

Gaisericus elatus impiè Episcopum, Clerúmque Carthaginis depellit ex ea, & iuxta prophetiam Danielis, demutatis ministeriis Sanctorum, Ecclesias Catholicas tradit Arrianis.

Rechila Rex Sueuorum Emeritam ingreditur.

16. Gaisericus Siciliam deprędatus Panormum diu obsedit: qui damnati à Catholicis Episcopis Maximini, apud Siciliam Arrianorum Ducis, aduersum Catholicos præcipitatur instinctu, vt eos quoquo pacto in impietatem cogeret Arrianam. nonnullis declinantibus, aliquanti durantes in Catholica fide consummauere martyrium.

Censorius Comes, qui Legatus missus fuerat ad Sueuos, residens Mirtyli *, obsessus à Rechila in pace se tradidit. * Martylis

17. Rex Sueuorum diuturno per annos septem morbo adflictus moritur Hermericus. OLYMP. CCCV.

B Rex Rechila Hispali obtenta, Bæticam, & Carthaginiensem Prouincias in suam redigit potestatem.

[Romanæ Ecclesiæ XLIII. præsidet Episcopus Leo.]

Sabino Episcopo de Hispali factione depulso, in locum eius Epiphanius ordinatur fraude, non iure.

Asturius Dux vtriusque militiæ ad Hispanias missus Tarraconensium cædit multitudinem Bacaudarum.

18. Cometæ sidus apparere incipit mense Decembri: quod per menses aliquot visum, subsequentis in pestilentia plagæ, quę ferè in toto Orbe diffusa est, præmisit ostentum.

Constantinopolitanæ Ecclesiæ depulso Nestorio pręsidet Episcopus Flauianus.

19. Asturio Magistro vtriusque militiæ gener ipsius successor ipsi mittitur Merobaudis, natu nobilis, & eloquentiæ merito, vel maximè in Poëmatis studio veteribus comparandus, testimonio etiam prouehitur statuarum. Breui tempore potestatis suæ Aracellitanorum frangit insolentiam Bacaudarum. Mox nonnullorum inuidia perurgente, ad vrbem Romam sacra præceptione reuocatur.

20. Sebastianus illic, quò confugerat, deprehensus sibi aduersa moliri, è Constantinopoli fugit admonitus, & ad Theodorem Regem Gothorum veniens, conquæsitam sibi, qua potuit, Barcinonam hostis factus ingreditur. II.CCCCLX.

C 21. In Asturicensi vrbe Gallæciæ, quidam ante aliquot annos latentes Manichæi gestis Episcopalibus deteguntur, quæ ab Idatio, & Turibio Episcopis, qui eos audierant, ad Antoninum Emeritensem Episcopum directa sunt. OLYMP. CCCVI.

VVandali nauibus Turonio in litore Gallæciæ repente aduecti, familias capiunt plurimorum.

Sebastianus de Barcinona fugatus migrat ad VVandalos.

Per Episcopum Romę tunc pręsidentem gesta de Manichæis per Prouincias diriguntur.

22. Vitus Magister vtriusque militiæ factus ad Hispanias missus, non exiguæ manus fultus auxilio, cùm Carthaginienses vexaret, & Bæticos, succedentibus cum Rege suo illic Sueuis, superatis etiam in congressione, qui ei ad deprędandum in adiutorium venerant, Gothis, territus miserabili timore diffugit. Sueui exin illas Prouincias magna deprædatione subuertunt.

23. Romanæ Ecclesiæ XLIII. pręsidet Episcopus Leo. huius scripta per Episcopi Turibij Diaconem Peruincum contra Priscilianistas ad Hispanienses Episcopos deferunrur. Inter quę ad Episcopum Turibium de obseruatione Catholicę fidei, & de hęresum blasphemiis, disputatio plena dirigitur, quę ab aliquibus Gallæcis subdolo probatur arbitrio.

Solis facta defectio die nono Kal. Ianuarias, qui fuit tertia feria. A

24. Rechila Rex Sueuorum Emeritæ gentilis moritur mense Augusto: cui mox filius suus Catholicus Rechiarius succedit in Regnum, nonnullis quidem sibi de gente sua æmulis, sed latenter. obtento tamen Regno, sine mora vlteriores regiones inuadit ad prædam.

Pascentium quemdam vrbis Romæ, qui de Asturica diffugerat, Manichæum Antoninus Episcopus Emeritæ comprehendit, auditúmque etiam de Prouincia Lusitania facit expelli.

OLYMP. CCCVII. Per Aiulfum Hispali Censorius iugulatur.

25. Rechiarius accepta in coniugium Theodoris Regis filia, auspicatus initium Regni Vasconias deprædatur mense Februario.

Basilius ob testimonium egregij ausus sui congregatis Bacaudis in Ecclesia Tyriassone fœderatos occidit. vbi & Leo eiusdem Ecclesiæ Episcopus, ab eisdem qui cum Basilio aderant, in eo loco obiit vulneratus.

Rechiarius mense Iulio ad Theodorem socerum profectus, Cæsaraugustanam regionem cum Basilio in reditu deprædatur. Irrupta per dolum Ilerdensi vrbe, acta est non parua captiuitas.

26. Asturius vir illustris ad honorem prouehitur Consulatus.

Sebastianus exul factus ad perniciosam sibi, sicut post exitus docuit, Gaiserici confugit potestatem: paruo pòst tempore quàm venerat per eum iubetur occidi. B

De Galliis Epistolæ deferuntur Flauiani Episcopi ad Leonem Episcopum missæ, cum scriptis Cyrilli Episcopi Alexandrini ad Nestorium Constantinopolitanum de Eutychete Hebionita hæretico, & Leonis Episcopi ad eundem responsa: quæ cum aliorum Episcoporum & gestis, & scriptis, per Ecclesias diriguntur.

27. Theodosius Imperator moritur Constantinopoli anno ætatis suæ quadragesimo octauo.

Post quem XLIII. statim apud Constantinopolim Marcianus à militibus, & ab exercitu, instante etiam sorore Theodosij Pulcheria Regina, efficitur Imperator. Qua sibi in coniugium adsumpta, regnat in partibus Orientis.

28. Valentiniani Imperatoris mater Placidia moritur apud Romam.

OLYMP. CCCVIII. In Gallæcia terræmotus assidui, signa in cælo plurima ostenduntur. Nam pridie nonas Aprilis tertia feria, post Solis occasum, ab Aquilonis plaga cœlum rubens sicut ignis, aut sanguis, efficitur, intermixtis per igneum ruborem lineis clarioribus in speciem hastarum rutilantium deformatis. à die clauso vsque in horam noctis ferè tertiam signi durat ostensio, quæ mox ingenti exitu perdocetur.

Gens Hunnorum pace rupta deprędatur Prouincias Galliarum. plurimæ ciuitates effractæ: in campis Catalaunicis, haud longè de ciuitate, quam effregerant, Mettis, Aëtio Duci, & Regi Theodori, quibus erat in pace societas, aperto marte confligens, diuino cæsa superatur auxilio: bellum nox intempesta diremit. Rex illic Theodores prostratus occubuit: CCC. fermè millia hominum in eo certamine occidisse memorantur. C

Multa anno signa procedunt. Quinto Kalen. Octobris à parte Orientis Luna fuscatur. In diebus sequentis Paschæ visa quędam in cælo regionibus Galliarum, Epistola de his Eufronij Augustodunensis Episcopi ad Agrippinum Comitem facta euidenter ostendit. Stella cometes à decimo quarto Kal. Iulias apparere incipit, quæ III. Kal. diluculo ab Oriente visa, post occasum Solis ab occidua parte mox cernitur. Kalendis Augusti à parte Occidentis apparet.

Occiso Theodore, Thorismo filius eius succedit in Regno.

Hunni cum Rege suo Attila relictis Galliis post certamen Italiam petunt.

29. Secundo Regni anno Principis Marciani Hunni, qui Italiam prædabantur, aliquantis etiam ciuitatibus irruptis, diuinitus partim fame, partim morbo quodam plagis cœlestibus feriuntur: missis etiam per Marcianum Principem Aëtio Duce cæduntur auxiliis; pariterque in sedibus suis, & cœlestibus plagis, & per Marciani subiguntur exercitum. & ita subacti, pace facta cum Romanis, proprias vniuersi repetunt sedes, ad quas Rex eorum Attila mox reuersus interiit.

Ad Sueuos Mansuetus Comes Hispaniarum, & Fronto similiter Comes,

A Legati pro pace mittuntur, & obtinent conditiones iniunctas.

Thorismo Rex Gothorum spirans hostilia à Theodorico & Frederico fratribus iugulatur: cui Theodoricus succedit in Regno.

30. Tertio Regni anno Principis Marciani Regina moritur Pulcheria mense Iulio. II.CCCCLXX.

Per Fredericum Theudorici Regis fratrem Bacaudæ Tarraconenses cæduntur ex auctoritate Romana.

In Gallæcia terræmotus, & in Sole signum in ortu, quasi altero secum concertante monstratur.

Aëtius Dux, & Patricius fraudulenter singularis accitus intra Palatium manu ipsius Valentiniani Imperatoris occiditur. Et cum ipso per spatarium eius aliqui singulariter intromissi iugulantur honorati.

His gestis Legatos Valentinianus mittit ad gentes, ex quibus ad Sueuos venit Iustinianus.

31. Quarto Regni anno Principis Marciani, per duos barbaros Aëtij familiares Valentinianus Romæ Imperator occiditur in campo, exercitu circunstante, anno ætatis suæ XXXVI. & regni XXXI. Post quem mox Maximus ex Consulibus XLIII. Romæ Augustus appellatur. qui cùm Imperator factus relictam Valentiniani sibi duxisset vxorem, & filio suo ex priore coniuge Palladio, quem Cæsarem fecerat, Valentiniani filiam in coniugium tradidisset, magnorum motuum, quos verebatur, perturbatione distortus, & quia in occisorum per Valentinianum, & in ipsius interitum Valentiniani, ambitu Regni consilia scelesta patrata contulerat, cùm Imperium deserere vellet, & Romam, vix quatuor regni sui mensibus expletis, in ipsa vrbe tumultu populi, & seditione occiditur militari.

B

Ipso anno in Galliis Auitus Gallus ciuis ab exercitu Gallicano, & ab honoratis, primùm Tolosæ, dehinc apud Arelatum Augustus appellatus, Romam pergit, & suscipitur.

Vsque ad Valentinianum Theodosij generatio tenuit Principatum.

I. ROMANORVM XLIII. Marcianus quarto iam regni sui anno obtinet Monarchiam.

Per Auitum, qui à Romanis & euocatus & susceptus fuerat Imperator, Legati ad Marcianum pro vnanimitate mittuntur Imperij.

Gaisericus sollicitatus à relicta Valentiniani, vt malum fama dispergit, priusquàm Auitus Augustus fieret, Romam ingreditur, direptisque opibus Romanorum Carthaginem redit, relictam Valentiniani, & filias duas, & Aëtij filium Gaudentium nomine, secum ducens.

Sueui Carthaginenses regiones, quas Romanis reddiderant, deprædantur.

Marcianus, & Auitus concordes Principatu Romani vtuntur Imperij. OLYMP. CCCIX.

Per Augustum Auitum Fronto Comes Legatus mittitur ad Sueuos. Similiter & à Rege Gothorum Theudorico; quia fidus Romano esset Imperio, Legati ad eosdem mittuntur, vt tam secum, quàm cum Romano Imperio, quia vno essent pacis fœdere copulati, iurati fœderis promissa seruarent. Remissis Legatis vtriusque partis, atque omni iuris ratione violata, Sueui Tarraconensem prouinciam, quæ Romano Imperio deseruiebat, inuadunt. V. annus Martiani.

C

De Erulorum gente septem nauibus in Lucensi litore aliquanti aduecti, viri fermè CCCC. expediti, superuentu multitudinis congregatæ duobus tantùm ex suo numero effugantur occisis. qui ad sedes proprias redeuntes, Cantabriarum, & Varduliarum loca maritima crudelissimè deprædati sunt.

Legati Gothorum rursum veniunt ad Sueuos. post quorum aduentum Rex Sueuorum Rechiarius cum magna suorum multitudine regiones prouinciæ Tarraconensis inuadit, acta illic deprædatione, & grandi ad Gallæciam captiuitate deducta.

Mox Hispanias Rex Gothorum Theudoricus cum ingenti exercitu suo, & cum voluntate, & ordinatione Auiti Imperatoris ingreditur. Cui cum multitudine Sueuorum Rex Rechiarius occurrens duodecimo de Asturicensi vrbe milliario, ad fluuium nomine Vrbicum, tertio Nonas Octobris die sexta feria inito mox certamine superatur. cæsis suorum agminibus, aliquantis captis, plurimis-

que fugatis, ipse ad extremas sedes Gallæciæ plagatus vix euadit, ac profugus. A

Theudorico Rege cum exercitu ad Bracaram extremam ciuitatem Gallæciæ pertendente, quinto Kal. Nouemb. die Dominico, etsi incruenta, fit tamen satis mœsta, & lacrymabilis eiusdem direptio ciuitatis. Romanorum magna agitur captiuitas captiuorum, Sanctorum basilicæ effractæ, altaria sublata atque confracta, virgines Dei exin quidem abductæ, sed integritate seruata, Clerus vsque ad nuditatem pudoris exutus, promiscui sexus cum paruulis, de locis refugij sanctis populus omnis abstractus, iumentorum, pecorum, camelorúmque horrore locus sacer impletus, scripta super Hierusalem ex parte cœlestis iræ reuocauit exempla.

2. Rechiarius ad locum, qui Portucale appellatur, profugus Regi Theudorico captiuus adducitur. quo in custodiam redacto, ceteris, qui de priore certamine superfuerant, tradentibus se Sueuis, aliquantis nihilominus interfectis, Regnum destructum, & finitum est Sueuorum.

Hisdem diebus Rechimeris Comitis circumuentione magna multitudo VVandalorum, quæ se de Carthagine cum LX. nauibus ad Gallias, vel ad Italiam mouerat, Regi Theudorico nunciatur occisa per Auitum.

Hesychius Tribunus Legatus ad Theodoricum cum sacris muneribus missus ad Gallæciam venit, nuncians ei id quod supra, in Corsica cæsam multitudinem VVandalorum, & Auitum de Italia ad Gallias Arelate successisse. Orientalium naues Hispalim venientes per Marciani exercitum cæsas nunciat. B

Occiso Rechiario mense Decembri, Rex Theudoricus de Gallæcia ad Lusitaniam succedit.

In Conuentus parte Bracarensis latrocinantum deprædatio perpetratur.

Aiulfus deferens Gothos in Gallæcia residet.

Sueui, qui remanserant in extrema parte Gallæciæ, Massiliæ filium nomine Maldram sibi Regem constituunt.

Theudoricus Emeritam deprædari volens beatæ Eulaliæ Martyris terretur ostentis.

3. Auitus tertio anno posteaquam à Gallis, & à Gotthis factus fuerat Imperator caret Imperio, Gothorum promisso destitutus auxilio, caret & vita.

In Orientis partibus septimo anno Imperij sui moritur Marcianus.

ROMANORVM XLIV. Maiorianus in Italia, & Constantinopoli Leo Augusti appellantur.

1. Theudoricus aduersis sibi nunciis territus, mox post dies Paschæ, quod fuit quinto Kal. Aprilis, de Emerita egreditur, & Gallias repetens, partem ex ea quam habebat multitudine variæ nationis, cum Ducibus suis ad campos Gallæciæ dirigit. qui dolis, & periuriis instructi, sicut eis fuerat imperatum, Asturicam, quam iam prædones ipsius sub specie Romanæ ordinationis intrauerant, mentientes ad Sueuos, qui remanserant, iussam sibi expeditionem ingrediuntur, pace fucata solita arte perfidiæ. Nec mora promiscui generis reperta illic cæditur multitudo, sanctæ effringuntur Ecclesiæ, altaribus direptis, & demolitis, sacer omnis ornatus, & vsus aufertur. Duo illic Episcopi inuenti cum omni Clero abducuntur in captiuitatem: inualidior promiscui sexus agitur miseranda captiuitas; residuis, & vacuis ciuitatis domibus datis incendio, camporum loca vastantur. Palentina ciuitas simili, quo Asturica, per Gothos perit exitio. Vnum Couiacense castrum tricesimo de Asturica milliario à Gothis diutino certamine fatigatum, auxilio Dei, hostibus & obsistit, & præualet: quàm plurimis ex eorum manu interfectis, reliqui reuertuntur ad Gallias. C

Aiulfus dum Regnum Sueuorum spirat, Portucale moritur mense Iunio.

Sueui in partes diuisi pacem ambiunt Gallæciarum: è quibus pars Frantanem, pars Maldram Regem appellat. Solito more perfidiæ Lusitaniam deprædatur pars Sueuorum Maldram sequens. acta illic Romanorum cæde, prædisque contractis, ciuitas Vlyxippona sub specie pacis intratur.

Frantanes moritur per Pascha, & Pentecostem. Iubente Maldra Sueui in solitam perfidiam versi, regionem Gallæciæ adhærentem flumini Durio deprædantur. Quinto Idus Iunias, die quarta feria, ab hora quarta in horam sextam, ad speciem Lunæ quintæ, vel sextæ, Sol de lumine orbis sui minoratus apparuit.

2. Go-

A 2. Gothicus exercitus duce suo Cyrila à Theudorico Rege ad Hispanias missus mense Iulio succedit ad Bæticam. Legati Gothorum, & VVandalorum pariter ad Sueuos veniunt, & reuertuntur.

3. Theudoricus cum duce suo Sunierico exercitus sui aliquantam ad Bæticam dirigit manum: Cyrila reuocatur ad Gallias. Sueui nihilominus Lusitaniæ partes cum Maldra, alij cum Remismundo Gallæciam deprædantur. OLYMP. CCCX.

Eruli maritima Conuentus Lucensis loca nonnulla crudelissimè inuadunt ad Bæticam pertendentes.

Maldras germanum suum fratrem interficit, & Portucale castrum idem hostis inuadit.

Inter Sueuos, & Gallæcos, interfectis aliquantis honestis natu, malum hostile miscetur.

Legati à Nepotiano Magistro militiæ, & à Sunierico Comite missi veniunt ad Gallæcos, nunciantes Maiorianum Augustum, & Theudoricum Regem firmissima inter se pacis iura sanxisse, Gothis in quodam certamine superatis.

4. Maldras in fine mensis Februarij iugulatus merito perit interitu.

Per Sueuos Luco habitantes, in diebus Paschæ, Romani aliquanti cum rectore suo honesto natu repentino securi de reuerentia dierum occiduntur incursu.

Mense Maio Maiorianus Hispanias ingreditur Imperator: quo Carthaginensem B prouinciam pertendente, aliquantas naues, quas sibi ad transitũ aduersum VVandalos præparabat, de litore Carthaginiensi commoniti VVandali per proditores abripiunt. Maiorianus ita à sua ordinatione frustratus ad Italiam reuertitur.

Pars Gothici exercitus à Sunierico & Nepotiano Comitibus ad Gallæciam directa, Sueuos apud Lucum deprædantur, quæ Dictinio, Spinione & Ascanio delatoribus, spargentibúsque ad terrorem propriæ venena perfidiæ, indicata recurrit ad suos. ac mox iisdem delatoribus, quibus suprà, Frumarius cum manu Sueuorum, quam habebat, impulsus, capto Idatio Episcopo septimo Kalen. Augusti in Aquæflauiensi Ecclesia, eundem Conuentum grandi euertit excidio.

Remismundus vicina sibi pariter Auregensium loca, & Lucensis Conuentus maritima populatur.

Inter Frumarium, & Remismundum oritur de Regni potestate dissensio.

Gallæcorum & Sueuorum pacis quædam vmbra conseritur.

A Theudorico Legati ad Sueuos veniunt, & recurrunt.

Suniericus Scalabim, cui aduersabatur, obtinet ciuitatem.

Idatius, qui supra, tribus mensibus captiuitatis impletis, mense Nouembri miserantis Dei gratia, contra votum, & ordinationem supradictorum delatorum, redit ad Flauias.

De Rege Theudorico Legati gentis perfidæ reuertuntur.

Gaisericus Rex à Maioriano Imperatore per Legatos postulat pacem.

5.1. Maiorianum de Galliis Romam redeuntem, & Romano Imperio vel nomi- C ni res necessarias ordinantem, Rechimer liuore percitus, & inuidorum consilio fultus, fraude interficit circumuentum.

ROMANORVM XLV. Seuerus à Senatu Romæ Augustus appellatur anno Imperij Leonis quinto. II. CCCC. LXXX.

6.2. Suniericus redit ad Gallias. Nepotianus Theudorico ordinante Arborium accipit successorem.

In Prouincia Gallæcia prodigiorum videntur signa diuersa. Æra D. VI. Nonas Martias pullorum cantu, ab occasu Solis Luna in sanguinem plena conuertitur. Idem dies sexta feria fuit.

Antiochia maior * Isauriæ inobediens monitis salutaribus, terra dehiscente demergitur, tantùm ipsius ciuitatis aliquantis, qui eum obaudientes timori Domini sunt secuti, de interitu liberatis, turrium etiam solis cacuminibus extantibus super terram.

Gaisericus Valentiniani relictã Constantinopolim remittit. Filię ipsius, vna Gentoni Gaiserici filio, alia Olybrio Senatori Vrbis Romę iure matrimonij copulãtur.

Agrippinus Gallus & Comes, & ciuis, Ægidio Comiti viro insigni inimicus, vt Gothorum mereretur auxilia, Narbonam tradidit Theudorico. OLYMP. CCCXI.

Aduersus Ægidium Comitem vtriusque militiæ, virum, vt fama commendat,

Deo bonis operibus complacentem, in Armoricana Prouincia Fretiricus frater Theuderici Regis insurgens, cum his, cum quibus fuerat, superatus occiditur. A

Cum Palegorio viro nobili Gallæciæ, qui ad supradictum fuerat Regem Cyrila Legatus, ad Gallæciam veniens, euntes ad eundem Regem Legatos obuiat Remismundi. qui regressi in celeri, reuertentem Cyrilam in Lucensi vrbe suscipiunt. Post cuius mox egressum de Gallæcia, Sueui promissionum suarum vt semper fallaces & perfidi, diuersa loca infelicis Gallæciæ solito deprædantur.

Per Theudoricum ad Sueuos Remismundus & Cyrila cum aliquantis Gothis, qui priùs venerant, remittuntur. Cyrila in Gallæcia remanente, Remismundo mox recurrente ad Regem, inter Gallæcos & Sueuos indisciplinata perturbatio dominatur.

Romanæ Ecclesiæ XLIV. præsidet Episcopus Hilarus.

7.3. Nepotianus recedit è corpore.

Frumario mortuo, Remismundus omnibus Sueuis in suam ditionem regali iure reuocatis, pacem reformat elapsam.

Mense Maio supradicti viri Ægidij Legati per Oceanum ad VVandalos transeunt, qui eodem cursu Septembri mense reuertuntur ad suos.

Decimotertio Kalend. Augusti die secunda feria, in speciem Lunæ quintæ Sol de lumine suo ab hora tertia in horam sextam cernitur minoratus.

Legatos Remismundus mittit ad Theudoricum; qui similiter suos ad Remismundum remittit, cum armorum adiectione, vel munerum, directa & coniuge, quam haberet. B

VVandali per Marcellinum in Sicilia cæsi effugantur ex ea.

Aegidius moritur, alij dicunt insidiis, alij veneno deceptus. Quo desistente, mox Gothi regiones inuadunt, quas Romano nomini tuebatur.

Sueui Conimbricam dolosè ingressi, familiam nobilem Cantabri spoliant, & captiuam abducunt matrem cum filiis.

Legati eodem anno duabus vicibus à Rege Sueuorum mittuntur ad Regem Theudoricum, ad quem & Arborius proficiscitur euocatus.

8.4. Reuersi Legati Sueuorum obiisse nunciant Seuerum imperij sui anno quarto. qui supra remittuntur ad Conimbricam.

Aiax natione Galata, effectus apostata, & senior Arrianus, inter Sueuos Regis sui auxilio hostis Catholicæ fidei, & diuinæ Trinitatis emergit. de Gallicana Gothorum habitatione hoc pestiferum inimici hominis virus aduectum.

Sueui aduersum Aunonensem sæuiunt plebem. qua de causa Legati à Theuderico ad Remismundum mittuntur in cassum, spretique ab eo mox redeunt.

De Constantinopoli à Leone Augusto Anthemius frater Procopij cum Marcellino, aliisque comitibus viris electis, & cum ingenti multitudine exercitus copiosi, ad Italiam, Deo ordinante, directus ascendit.

ROMANORVM XLVI. Anthemius octauo milliario de Roma Augustus appellatur, anno Leonis Imperij octauo, mense Augusto. C

9.1. Expeditio ad Africam aduersus VVandalos ordinata metabolarum commutatione, & nauigationis inopportunitate reuocatur.

Per Theudericum Salla Legatus mittitur ad Remismundum Regem Sueuorum, qui reuersus ad Gallias eum à fratre suo Eurico reperit interfectum.

Euricus pari scelere quo frater, succedit in Regnum: qui honore prouectus, & crimine, Legatos ad Regem dirigit Sueuorum. quibus sine mora à Remismundo remissis, eiusdem Regis Legati ad Imperatorem, alij ad VVandalos, alii diriguntur ad Gothos.

De Aunonensi plebe, cui Sueuorum aduersabatur hostilitas, Opilio cum viris secum à Rege profectis, & cum aliquantis, qui cum ipso missi fuerant, reuertitur.

Gothi, qui ad VVandalos missi fuerant, supradictæ expeditionis rumore perterriti reuertuntur in celeri: pariter & Sueui, qui post Legatos, more solito, per diuersa loca in prædam dispersi fuerant: sed paucis pòst mensibus ipse Rex Sueuorum ad Lusitaniam transit.

2. Conimbrica in pace decepta diripitur: domus destruuntur cum aliqua parte murorum, habitatoribúsque captis atque dispersis, & regio desolatur, & ciuitas.

A Legati de Gothico reuersi referunt portenta in Galliis visa aliquanta, in conspectu ...... similem ipsi de continuo paruisse Solem alium visum .... Solis occasu. Congregatis etiam quodam die Concilij sui Gothis tela, quæ habebant in manibus, à parte ferri, vel acie, alia viridi, alia roseo, alia croceo, alia nigro colore naturalem ferri speciem aliquandiu non habuisse mutata. Medio Tolosæ ciuitatis hisdem diebus è terra sanguinem erupisse, totoque dici fluxisse curriculo. OLYMP. CCCXII.

3. Legatorum Sueuorum reditum aliquanta Gothorum manus insequens Emeritam petit.

Vlixippona à Sueuis occupatur, ciue suo, qui illic præerat, tradente Lusidio. Hac re cognita Gothi, qui venerant, inuadunt, & Sueuos deprædantur, pariter & Romanos ipsis in Lusitaniæ regionibus seruientes.

Legati, qui ad Imperatorem missi fuerant, redeunt, nuntiantes sub præsentia sui magnum valde exercitum cum tribus Ducibus lectis aduersum VVandalos à Leone Imperatore descendisse, directo Marcellino pariter cum manu magna eidem per Imperatorem Anthemium sociata. Rechimerum generum Anthemij Imperatoris, & Patricium factum: Asparem degradatum ad priuatam vitam, filium eius occisum, aduersum Romanum Imperium, sicut detectique sunt, VVandalis consulentes.

B Hilaro defuncto sex sacerdotij sui annis expletis, XLV. Romanæ Ecclesiæ Simplicius Episcopus ordinatur.

Aunonenses pacem cum Rege faciunt Sueuorum, qui & Lusitaniæ, & Conuentus Asturicensis quædam loca prædantes inuadunt.

Gothi circa eundem Conuentum pari hostilitate desæuiunt, partes etiam Lusitaniæ deprædantur.

Lusidius per Remismundum cum suis hominibus Sueuis ad Imperatorem in legatione dirigitur.

Durissimus extra solitum hoc eodem tempore annus hiberni, veris, æstatis, autumni, in aëris, & omnium fructuum permutatione diffunditur.

Signa etiam aliquanta, & prodigia in locis Gallæciæ peruidentur. In flumine Minio, de municipio Lais milliario ferme quinto, capiuntur pisces quatuor noui visu, & specie, sicut retulere, qui ceperant Christiani, & Religiosi, Hebreis, & Græcis litteris, Latinis autem ærarum numeris insigniti, ita CCCLXV. anni circulum continentes, pari mensium interuallo. Haud procul de supradicto municipio in speciem lenticulæ viridissimorum vt herba quædam forma granorum plena amaritudine defluxit è cælo. & multa alia ostenta, quæ memorare prolixum est.

FINIS.

 A

PROSPERI AQVITANI CHRONICON,

A MORTE VALENTIS IMP. AD CAPTAM A GENSERICO VRBEM.

Longè aliud ab eo, quod hactenus beati Hieronymi Chronico subiunctum est.

Ex editione viri clariss. Petri Pithœi. B

P. PITHOEVS LECTORI S.

Hoc Chronicon PROSPERO *non antiquorum modò Exemplarium fides, sed & Sigeberti Marianique testimonia adserunt. Et verò quamuis in annorum notatione valde confusum perturbatúmque sit,* PROSPERI *tamen ingenium sic refert, vt non immeritò videatur membrum esse amplioris eius, quod ipsius nomine ab Orbe condito ad captam à Vandalis Romam, Gennadius Massiliensis Presbyter se legisse testatur: ac miremur vndè factum sit, vt aliud per Coss. digestum hactenus in omnibus Hieronymiani Chronici editionibus* PROSPERI *titulo subiungeretur. Quod etsi cum isto non pauca habet communia, vtpote ad eiusdem ætatis historiam pertinentia, alterius tamen genij esse facilè intelliget, qui vtrumque attentiùs legerit. Id vt iam possis, Lector, & hoc beneficio nostro habe ac fruere.*

IGITVR Valente à Gothis in Thracia concremato, GRATIANVS cum fratre VALENTINIANO regnat annos sex. Hic paruulum fratrem habens Regni consortem, probatæ ætatis virum, Theodosium in societatem Regni asciuit. Hic Gratianus valdè religioni fauens & Ecclesiis, per omnia promptus fuit. Martinus Turonensium Episcopus Apostolicis virtutibus insignis habetur. C

2. THEODOSIVS in Orientis partibus lassam Rempublicam reparauit.

3. Maximus Tyrannus in Britannia à militibus Imperator constituitur.

4. Incursantes Pictos & Scotos Maximus strenuè superauit.

PRIAMVS quidam regnat in FRANCIA, quantum altiùs colligere potuimus.

5. Ambrosius libros contra Arrianorum perfidiam luculentissimos ad Gratianum Augustum scribit.

6. Maximus in Gallias transfretauit, & conflictu contra Gratianum habito eundem fugitantem Lugduni interfecit.

THEODOSIVS annis XI.

1. Maximus timens Orientalis Imperij Principem Theodosium, cum Valentiniano fœdus iniit.

Apud Treueros Manichæi deprehensi summo Maximi studio exterminati.

2. Iustina mater Valentiniani Arrianis fauens, in Ambrosium & omnem Mediolanensem Ecclesiam diuersa iniuriarum genera congerit.

Reliquiæ Geruasij & Prothasij ab Ambrosio primùm Mediolani repertæ.

Hymni Ambrosij compositi, qui nunquam antè in Ecclesiis Latinis modulis canebantur.

A 3. Maximus indignum ducens contra Ecclesiæ statum agi, locum irrumpendi, quod cum Valentiniano iunxerat, fœdus inuenit. Valentinianus veritus iam imminentem ceruicibus suis Tyrannum ad Theodosium confugit.

HONORIVS & ARCADIVS XXXII. CCCC.

Theodosius & Ioannes XXV. & XXIII.

Valentinianus & Martianus III. CCCC. XXV.

Augustinus Mediolani Rhetoricam adprimè docens, omissis scholis ad fidem rectam conuertitur, cùm antè Manichæus fuisset.

4. Theodosius cum exercitu ad Italiam transgrediens Maximum interfecit, & Valentinianum proprio Regno reddidit.

Iustina, quæ Ecclesias vexauerat, ne Regnum cum filio reciperet, morte præuenta est.

Immane Thessalonicæ gestum facinus extincti populi egregio pœnitentiæ exemplo Imperator religiosus eluit.

5. Hæresis Apollinaristarum ab Apollinare cœpta.

Arriani, qui penè totum Orientem atque Occidentem commaculauerant, edicto gloriosi Principis Ecclesiis spoliantur, quæ Catholicis deputatæ sunt.

6. Ioannes Ægyptius Monachus, qui ob vitæ puritatem prophetiæ gratiam à Domino meruit, insignis habetur.

B Post Damasum Ecclesiæ Romanæ regimen XXXVI. SYRICIVS suscepit.

Apud Alexandriam defuncto Petro Timotheus, & post hunc Theophilus, Episcopi constituuntur.

Ierosolymis post Cyrillum Ioannes Ecclesiam recipit.

Apud Antiochiam defuncto Milesio substituitur Flauianus. Ingens inter nostros contentio oborta, quòd scilicet Episcopi, qui ab hæreticis depulsi fuerant, nollent his ab Imperatore deiectis alios, quàm se substitui Sacerdotes.

Terribile in cœlo signum columnæ per omnia simile apparuit.

8. Apud Alexandriam Templa destructa, in quibus Serapis antiquissimum & notissimum Templum, quod quasi quædam columna ruentem sustinebat idololatriam.

9. 10. Valentinianus Viennæ ab Arbogaste Comite suo extinguitur, in cuius locum Tyrannidem Eugenius inuadit.

Ad vindicandum Valentiniani interitum, & opprimendam Eugenij Tyrannidem, Theodosius in Italiam transgreditur, aperto Dei fauore conspirantibus in idipsum elementis.

Eugenio superato, Theodosius XI. regni sui anno diem obit.

ARCADIVS & HONORIVS XXXII. annis.

1. Constantinopolis eminentem iram Dei, igne super nubem terribiliter fulgente formidans, toto ad pœnitentiam animo conuersa subterfugit.

C Rufinus Bosphoritanus cùm ad summam militiæ peruenisset, præferri sibi Stiliconem non ferens, ab eodem interficitur: Hunnorum, quo fulciebatur, præsidio superato.

2. Claudianus Poëta admiratione dignus habetur.

Gildo Africanus in rebellione commota, consueta Romanis stipendia subtraxit.

Prudentius Lyricus Poëta noster, Hispanus genere, illustrem ingenij sui robur exercet.

3. Stilico Magister militiæ Gildonem Mauritaniæ interfecit, Africa ad pristinum ius redacta.

Romanæ Ecclesiæ cathedram XXXVII. INNOCENTIVS tenet.

4. Toto orbe Romano antiquæ superstitionis Templa destructa.

Paulinus, Nolanus postmodum Episcopus, admirabili exemplo venditis omnibus, cùm esset dominus innumerabilium prædiorum, Religionem expeditus elegit.

5. Ioannes Constantinopolites Episcopus dictis factisque clarescit.

Martinus post egregiè actam vitam corpore exuitur.

6. Pelagius vesanus doctrinâ execrabili Ecclesias commaculare conatur.

7. Contentio ex doctrina Origenis Synodum apud Alexandriam mouit, cuius

extitit sententia, vt extra Ecclesiam fieret, quicumque supradicti viri opera probauisset. A

8. Solis facta defectio.

Augustinus plurima libris innumerabilibus disserit.

9. Seuerus ex disciplina sancti Martini eius vitam tribus explicat libris.

10. Sæua Italiæ barbarici motus tempestas incubuit. Si quidem Radagaius Rex Gothorum Italiæ limitem vastaturus transgreditur. Ex hoc Arriani, qui Romano procul orbe fugati, barbararum nationum, ad quas se contulêre, præsidio erigi cœpere.

11. Multis antè vastatis vrbibus Radagaius occubuit: cuius in tres partes per diuersos Principes diuisus exercitus, aliquam repugnandi Romanis aperuit facultatem. Insigni triumpho exercitum tertiæ partis hostium, circumactis Hunnorum auxiliaribus, Stilico vsque ad internecionem deleuit.

12. Arcadius Orientis Imperium gubernans vitam explet, paruum admodum Theodosium filium Imperij successorem relinquens.

CÆLESTINVS XXXVIII. Romanam Ecclesiam gubernauit.

13. Diuersarum gentium rabies Gallias dilacerare exorsa, immissu quàm maximè Stiliconis, indignè ferentis filio suo Regnum negatum.

14. Vticæ in foro Traiani terra diebus septem mugitum dedit. Inter alia multùm Reipublicæ Stiliconis morte consultum est, qui saluti Imperatoris tendebat insidias. B

Nestorius Constantinopolites Episcopus ad hæresim, quæ in Christo Deum ab homine separat, vertitur.

Ioannes Comes Africæ occisus est à populo.

15. Proculus Massiliensis Episcopus clarus habetur: quo annuente, magna de suspecto adulterio Remedij Episcopi quæstio agitatur.

Hac tempestate, præ valitudine Romanorum, vires funditus attenuatæ Britanniæ.

16. Saxonum incursione deuastatam Galliarum partem VVandali atque Alani vastauêre. quod reliquum fuerat, Constantinus Tyrannus obsidebat.

Hispaniarum partem maximam Sueui occupauêre. Ipsa denique Orbis caput Roma deprædationi Gothorum fœdissimè patuit.

17. Constantinus Tyrannus occiditur.

18. Rursum alia prædatio Galliarum, Gothis, qui Alarico Duce Romam ceperant, Alpes transgredientibus.

19. Iouinus Tyrannidem post Constantinum inuadit, industriâ viri strenui, qui solus Tyranno non cessit, Dardani.

Atanulphus, qui post Alaricum Gothis imperitabat, à societate Iouini auertitur. Salustius quoque & Sebastianus occisi.

Valentia nobilissima Galliarum Ciuitas à Gothis effringitur, ad quam se fugiens Iouinus contulerat. C

20. Ingens in Galliis fames.

Aquitania Gothis tradita.

Patroclus Arelatensis Episcopus infami mercatu Sacerdotia venditare ausus. Heraclianus Comes Africæ, qui in Romanæ vrbis reparationem strenuum exhibuerat ministerium, noua quædam molitus interimitur.

21. Placidia soror Imperatoris diu captiua, postea etiam Regis vxor, Rege fraude sublato, Constantis connubio copulatur.

22. Gothi, cùm se iterum Atanulfo perempto, mouissent, Constantis repelluntur occursu.

23. Prædestinatorum hæresis, quæ ab Augustini libris malè intellectis accepisse dicitur initium, his temporibus serpere exorsa.

24. 25. 26. Tricesimus nonus XISTVS Romanam Ecclesiam regit.

Solis hoc anno facta defectio.

FARAMVNDVS. FARAMVNDVS regnat in Francia.

27. Signum in cœlo mirabile apparuit.

Maximus Tyrannus Hispaniarum dominatum vi obtinet.

28. Honoratus, Mineruius, Castor, Iouianus, singulorum Monasteriorum Patres in Galliis florent.

A 29. Constantio dignitas Imperij ab Honorio sponte delata, qua vix octo mensibus vsus interiit, Valentiniano octo annorum filio derelicto.

30. Maximus Tyrannus de Regno deiicitur, ac Rauennam perductus sublimem speculatorum pompam tricennalibus Honorij præbuit.

31. Placidia cùm insidias fratri tenderet, deprehensa est, & Romam exilio delegata.

32. Honorius Rauennæ defunctus.

Nullo iure debitum Ioannes ex Primicerio Notariorum Regnum sumit, qui vulneratum multis cladibus reliquit Imperium.

THEODOSIVS ad annos XXVII.

1. Placidia ad Theodosium auxilium precatum mittit. THEODOSIVS.

Sigisnuldus ad Africam contra Bonifacium properauit.

2. In Galliis Exuperantius Præfectus à militibus interficitur.

Muro Carthago circumdata, quæ ex tempore, quo vetus illa destructa est sanctione Romanorum, ne rebellioni esset, munimento murorum non est permissa vallari.

Ioanne ab exercitu Orientis victo & perempto, Rauenna deprædatione vastata est.

AETIVS Gaudentij Comitis à militibus in Galliis occisi filius cum Chunnis Ioanni opem laturus Italiam ingreditur.

B 3. VALENTINIANVS Romæ Imperator factus.

4. Arelas à Gothis per Aëtium liberatur.

5. Placidia tandem illata optato Regno.

CLODIVS regnat in Francia. CLODIVS.

6. Cassianus compertas in Ægypto vitas Patrum, doctrinásque & regulas, libris ad plurimos datis exponit.

7. Aëtius Ihutungorum gentem delere intendit.

8. Viginti fermè milia militum in Hispaniis contra VVandalos pugnantium cæsa. VVandali in Africam transfretantes ingentem, lacerata omni Prouincia, Romanis cladem dedêre.

9. Consulatu Aëtius edito Bonifacium, qui ab Regina accitus ex Africa fuerat, declinans, ad munitiora conscendit.

Asperitas nimij frigoris etiam saluti plurimorum pernicies extitit. Bonifacius contra Aëtium certamine habito percussus victor quidem, sed moriturus, abscedit.

10. Cùm ad Chunnorum gentem, cui tunc Rugila præerat, post prælium, se Aëtius contulisset, impetrato auxilio ad Romanum solum regreditur. Gothi ad ferendum auxilium à Romanis acciti.

Germanus Episcopus Autisiodori virtutibus & vitæ districtione clarescit.

C 11. Aëtius in gratiam receptus.

Rugila Rex Chunnorum, cum quo pax firmata, moritur. cui Bleda succedit.

12. Gallia vlterior Tibatonem Principem rebellionis secuta à Romana societate discessit, à quo tracto initio, omnia penè Galliarum seruitia in Bagaudam conspirauêre.

13. Bellum contra BVRGVNDIONVM gentem memorabile exarsit, quo vniuersa penè gens cum Rege Peretio * deleta. *for. per Aëtium.

14. Capto Tibatone, & ceteris seditionis partim Principibus vinctis, partim necatis, Bagaudarum commotio conquiescit.

15. Theodosianus Liber omnium legum legitimorum Principum in vnum collatarum hoc primum anno editus.

Siluius turbatæ admodum mentis, post militiæ in Palatio exacta munera, aliqua de religione conscribit.

16. Ecclesiæ Romanæ XL. LEO suscepit Principatum.

17. Pacatis motibus Galliarum, Aëtius ad Italiam regreditur. Deserta Valentinæ vrbis rura Alanis, quibus Sambida præerat, partienda traduntur.

18. Britanniæ vsque ad hoc tempus variis cladibus euentibúsque laceratæ, in ditionem Saxonum rediguntur.

19. Alani, quibus terræ Galliæ vlterioris cum incolis diuidendæ à Patritio Aëtio traditæ fuerant, resistentes armis subigunt, & expulsis Dominis terræ possessiones vi adipiscuntur. A

20. SAPAVDIA Burgundionum reliquiis datur cum indigenis diuidenda.

21. Carthago à VVandalis capta, cum omni simul Africa lacrimabili clade & damno Imperij Romani potentiam deiecit. Ex hoc quippe à VVandalis possidetur.

22. Thracia Hunnorum incursione concutitur.

23. Bleda Chunnorum Rex Attilæ fratris fraude percutitur. cui ipse succedit.

24. Noua iterum Orienti consurgit ruina, qua septuaginta non minus Ciuitates Chunnorum deprædatione vastatæ, cùm nulla ab Occidentalibus ferrentur auxilia.

MEROVEVS. 25. MEROVEVS regnat in Francia.

Eudoxius arte Medicus, praui, sed exercitati ingenij in Bagauda id temporis mota delatus, ad Chunnos confugit.

26. Eucherius Lugdunensis Episcopus, & Arelatensis, egregiam vitam morte consummant.

27. Hæresis nefaria à quodam Archimandrita commota, cui fauorem præbens Theodosius obiit, septem super viginti annis in Imperio exactis. cui Martianus substituitur.

Placidia quoque post irreprehensibilem conuersationem hoc anno vitam expleuit, filio vicesimum quintum annum in ipso consummante. B

VALENTINIANVS & MARTIANVS.

1. Hac tempestate valdè miserabilis Reipublicæ status apparuit, cùm ne vna quidem sit absque barbaro cultore Prouincia, & infanda Arrianorum hæresis, quæ se nationibus barbaris miscuit, Catholicæ nomen fidei toto Orbe diffusa præsumat.

ATTILA Gallias ingressus, quasi iure debitam postulat vxorem: vbi graui clade inflicta & accepta, ad propria recedit.

2. Plurima hoc anno signa apparuerunt.

Insperata Galliis clade accepta furiatus Attila Italiam petit, quam incolæ metu solo territi præsidio nudauêre.

3. Synodus Chalcedonensis, vbi Eutyche Dioscoróque damnatis, omneis, qui se ab eis retraxerunt, in communionem recepti, confirmata vniuersaliter fide, quæ de incarnatione Verbi secundum Euangelicam & Apostolicam doctrinam per sanctum Papam Leonem prædicabatur.

Attila in sedibus suis mortuo, magna primùm inter filios ipsius certamina de obtinendo Regno exorta. Deinde aliquot gentium, quæ Hunnis parebant, defectus sequuti causas & occasiones bellis dederunt, quibus ferocissimi populi mutuis incursibus contererentur.

4. Inter Valentinianum Augustum & Aëtium Patricium, post promissæ inuicem fidei sacramenta, post pactum de coniunctione filiorum, diræ inimicitiæ conualuerunt: & vnde fuit gratia charitatis augenda, inde exarsit fomes odiorum, incentore, vt creditum est, Heraclio spadone, qui ita sibi Imperatoris animum in sincero famulatu astrinxerat, vt eum facilè, in quæ vellet, impelleret. Cùm ergo Aëtius placita instantiùs repetit, & causam filij communis agit, Imperatoris manu & circunstantium gladiis crudeliter confectus est, Boëtio Præfecto Prætorij simul perempto, qui ei multa amicitiâ copulatus erat. C

5. Mortem Aëtij mors Valentiniani non longo pòst tempore consecuta est, tam imprudenter non declinata, vt interfecti Aëtij amicos armigerósque eius sibimet sociaret. Qui concepti facinoris opportunitatem dissimulanter aucupantes, egressum extra vrbem Principem, & ludo gestationis intentum, inopinatis ictibus confoderunt, Heraclio simul, vt erat proximus, interempto, & nullo ex multitudine Regia ad vltionem tanti sceleris accenso. Vt autem hoc parricidium perpetratum est, Maximus vir gemini Consulatus & Patriciæ dignitatis sumpsit Imperium. Qui cùm periclitanti Reipublicæ profuturus per omnia crederetur, non sero documento quid animi haberet probauit: sic quidem vt interfectores Valentiniani non solùm non plecteret, sed etiam in amicitiam reciperet, vxorémque

A eius Augusti amissionem viri lugere prohibitam, intra paucissimos dies in coniugium suum transire cogeret. Sed hac incontinentia non diu potitus est. Nam post alterum mensem, nunciato ex Africa Genserici Regis aduentu, multisque nobilibus ac popularibus ex vrbe fugientibus, cùm ipse quoque data cunctis abeundi licentia, trepidè vellet abscedere, à famulis Reginæ dilaniatus, & membratim deiectus in Tyberim, sepulturâ quoque caruit.

Post hunc Maximi exitum confestim secuta est multis digna lacrymis Romana captiuitas, & vrbem omni præsidio vacuam Gensericus obtinuit, occurrente sibi extra portas sancto LEONE Episcopo. Cuius supplicatio ita eum Deo agente leniuit, vt cùm omnia in potestate ipsius essent, tradita sibi Ciuitate, ab igne tamen, & cæde, atque suppliciis abstineret. Per quatuordecim igitur dies secura & libera scrutatione omnibus opibus suis Roma vacuata est, multáque milia captiuorum, prout quique aut ætate aut arte placuerunt, cum Regina & filiabus eius Carthaginem abducti sunt.

B PROSPERI AQVITANI CHRONICORVM AB ORBE CONDITO PARS POSTERIOR,

EVSEBII ET HIERONYMI CHRONICIS ADIVNGI SOLITA.

Multò quàm in vulgatis exemplaribus emendatior & auctior.

Ex Mss. Codicibus Iacobi Sirmondi & Petri Francisci Chiffletij Societatis IESV.

C HVc vsque Hieronymus Presbyter ordinem præcedentium digessit annorum. nos quæ secuta sunt adiicere curauimus. Igitur Valente à Gothis in Thraciâ concremato, GRATIANVS cum fratre Valentiniano XLI. regnat annos sex.

Ausonio, & Olybrio Coss.

Gratianus post mortem patrui, Theodosium Theodosij filium in consortium adsumpsit Imperij, eique Regnum tradidit Orientis. Eâ tempestate Priscillianus, Episcopus de Gallæciâ, ex Manichæorum, & Gnosticorum dogmate hæresim nominis sui condidit.

Gratiano V. & Theodosio.

Ambrosius Episcopus pro Catholicâ fide multa sublimiter scripsit.

Syagrio, & Eucherio.

Martinus Episcopus Turonorum Galliæ ciuitatis, multis clarus habetur.

Antonio, & Syagrio.

Finis Cycli quarti, & exordium quinti. Athanaricus Rex Gothorum, apud Constantinopolim quintadecimâ die quàm fuerat susceptus, occiditur.

Merobaude II. & Saturnino.

Arcadius Theodosij Imperatoris filius Augustus appellatur.

Richomere, & Clearcho.

Honorius Theodosi filius nascitur. Romanæ Ecclesiæ XXXVI. post Damasum

ordinatur SIRICIVS annis XIV. In Britanniâ per seditionem militum Maximus A
Imperator est factus; quo mox ad Gallias transfretante, Gratianus Parisiis Merobaudis Magistri militum proditione superatus, & fugiens Lugduni captus atque occisus est. Maximus Victorem filium suum consortem Regni facit. VALENTINIANVS XLII. regnat cum Theodosio annis VII.

Arcadio, & Bautone.

Hoc tempore Hieronymus Presbyter in Bethleem toto iam mundo clarus habitabat, egregio ingenio & studio vniuersæ Ecclesiæ seruiens. Priscillianus in Synodo Burdigalensi damnandum se intelligens, ad Imperatorem Maximum prouocauit, auditúsque Treuiris, ab Euodio Præfecto Prætorio gladio addictus est, cum Eucrociâ Delphidij Rhetoris coniuge, & Latroniano, aliísque erroris consortibus. Burdigalæ quædam Priscilliani discipula, nomine Vrbica, ob impietatis pertinaciam, per seditionem vulgi lapidibus extincta est.

Honorio N. P. & Euodio.

CCCLX. *Valentiniano III. & Eutropio.*

Theodosio II. & Cynegio.

Maximus tyrannus à Valentiniano, & Theodosio Imperatoribus in tertio ab Aquileiâ lapide spoliatus indumentis regiis, sistitur, & capite damnatur: cuius filius Victor eodem anno ab Arbogaste Comite est interfectus in Galliis.

Timasio, & Promoto.

Ithacius, & Vrsacius Episcopi, ob necem Priscilliani, cuius accusatores fuerant, B
Ecclesiæ communione priuantur.

Valentiniano IV. & Neoterio.

Tatiano, & Symmacho.

Arcadio II. & Rufino.

Valentinianus ad vitæ fastidium nimiâ Arbogastis Magistri militum austeritate perductus, laqueo apud Viennam periit. Arbogastes Magister exercitus, mortuo Valentiniano, cuius exercitu grauabatur, Eugenium in Galliis imperare facit. THEODOSIVS XLIII. cùm iam per XIV. regnasset annos, regnat cum Arcadio, & Honorio filiis annos tres.

Theodosio III. & Abundantio.

Arcadio III. & Honorio II.

Ioannes Monachus, Anachoreta clarus habetur, qui ornatus prophetiæ gratiâ, Theodosium consulentem de euentu belli quod aduersùs Eugenium mouebat, victorem futurum prædixit.

Olybrio, & Probino.

Theodosius Eugenium tyrannum vincit, & perimit. Augustinus beati Ambrosij discipulus, multâ facundiâ doctrinâque excellens, Hipponeregio in Africâ Episcopus ordinatur. Hoc tempore Claudianus Poëta insignis habetur. Theodosius Imperator Mediolani moritur. ARCADIVS XLIV. cùm iam regnasset annos XII. regnat cum fratre Honorio annos XIII. C

Arcadio IV. & Honorio III.

CCCLXX. *Cæsario, & Attico.*

Honorio IV. & Eutychiano.

Romanæ Ecclesiæ XXXVII. Episcopatum tenet ANASTASIVS annis IV.

Manlio Theodoro V. C. Cos.

Cum hoc Consulatum inierat Eutropius Eunuchus, qui mox & honore, & vitâ exutus est.

Stilicone, & Aureliano.

Gothi Italiam Alarico & Radagaiso ducibus ingressi.

Vincentio, & Frauito.

Ioannes Constantinopolitanus, & Theophilus Alexandrinus Episcopi clari habentur: sed vtrumque obscurauit discordia, quæ eò vsque processit, vt Ioannes à Theophilo oppressus Pontum in exilium pergere cogeretur; cùm tamen communionem eius maxima pars Episcoporum, Romani Pontificis exemplum secuta, seruauerit.

A *Arcadio V. & Honorio V.*

Pollentiæ aduersùs Gothos vehementer vtriusque partis clade pugnatum est. Romanæ Ecclesiæ XXXVIII. præest Episcopus INNOCENTIVS annis XIV.

Theodosio Aug. & Rumorido.

Honorio VI. & Aristæneto.

Stilicone II. & Anthemio.

Radagaisus in Tusciâ, multis Gothorum millibus cæsis, ducente exercitum Stilicone superatus, & captus est.

Arcadio VI. & Probo.

Vandali, & Alani Gallias traiecto Rheno pridie Kalendas Ianuarias ingressi.

CCCLXXX. *Honorio VII. & Theodosio II.*

Constantinus in Britanniâ tyrannus exoritur, & ad Gallias transit.

Basso, & Philippo.

Arcadius Imperator Constantinopoli moritur. HONORIVS XLV. cum Theodosio fratris filio regnauit annis XV.

Honorio VIII. & Theodosio III.

Vandali Hispanias occupauerunt. Attalus Romæ Imperator factus, qui mox priuatus Regno Gothis cohæsit.

Flauio Varane V. C. Cos.

B Roma à Gothis Alarico Duce capta: & ob hoc solus fuit Orientalium partium Consul; quod & sequenti anno obseruatum est.

Theodosio August. IV. Cos.

Constantinus per Honorij Duces, Constantinum, & Vlphilam, apud Arelatense oppidum victus & captus est; cuius filium Constantem in Hispaniâ regnare orsum Gerontius Comes in Maximum quemdam tyrannidem transferens interemerat.

Honorio IX. & Theodosio V.

Maximo in Hispaniâ Regno ablato vita concessa, eò quòd modestia, humilitásque hominis, affectati Imperij inuidiam non merebatur. Gothi Rege Athaulfo Gallias ingressi. Eodem tempore Heros vir sanctus, & beati Martini discipulus, cùm Arelatensi oppido Episcopus præsideret, à populo eiusdem ciuitatis, insons, & nulli insimulationi obnoxius pulsus est, inque eius locum Patroclus ordinatus, amicus, & familiaris Constantij Magistri militum, cuius per ipsum gratia quærebatur: quæ res inter Episcopos regionis illius magnarum discordiarum causa fuit.

Lucio V. C. Cos.

Huius collega in consulatu Heraclianus fuit, qui nouarum in Africâ rerum reus, & honorem amisit, & vitam. Burgundiones partem Galliæ propinquam Rheno obtinuerunt. Iouinus & Sebastianus fratres, in Galliis Regno arrepto perempti sunt.

C Hac tempestate Pelagius Brito dogma nominis sui contrà gratiam Christi, Cælestio & Iuliano adiutoribus exerit, multósque in suum errorem trahit; prædicans, vnumquemque ad iustitiam voluntate propriâ regi, tantúmque accipere gratiæ, quantum meruerit: quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, non etiam posteros obstrinxerit, vnde & volentibus possibile sit omni carere peccato: omnésque paruulos tam insontes nasci, quàm primus homo ante præuaricationem fuit; nec ideò baptisandos vt peccato exuantur, sed vt sacramento adoptionis honorentur.

Constantio V. C. Cos.

Attalus Gothorum consilio & præsidio tyrannidem resumit in Galliis.

Honorio X. & Theodosio VI.

Attalus à Gothis ad Hispanias migrantibus neglectus, & præsidio carens, capitur, & Constantio Patricio viuus offertur. Athaulfus à quodam suorum vulneratus interiit; regnúmque eius VVallia, peremptis qui idem cupere intelligebantur, inuasit.

Theodosio VII. & Palladio.

Placidiam Theodosij Imperatoris filiam, quam Romæ Gothi ceperant, quámque Athaulfus coniugem habuerat, VVallia pacem Honorij expetens reddit; eiúsque nuptias Constantius promeretur. Romanæ Ecclesiæ XXXIX. Episcopatum suscipit ZOSIMVS, annis tribus: quo tempore Pelagianis iam à Papa Innocentio prædamnatis, Afrorum vigore, ac maximè Augustini Episcopi industriâ, resistebatur.

CCCXC. *Honorio XI. & Constantio II.* A

Honorius Romam cum triumpho ingreditur, præeunte currum eius Attalo, quem Lyparæ viuere exulem iussit.

Honorio XII. & Theodosio VIII.

Hoc tempore Constantius seruus Christi ex Vicario Romæ habitans, & pro gratiâ Dei deuotissimè Pelagianis resistens, factione eorumdem multa pertulit, quæ illum sanctis Confessoribus sociauerunt. Concilio apud Carthaginem habito CCXIV. Episcoporum, ad Papam Zosimum Synodi decreta perlata sunt. quibus probatis per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est. Valentinianus Constantij & Placidiæ filius nascitur sexto Nonas Iulias.

Monaxio, & Plintâ.

Romanæ Ecclesiæ XL. Episcopatum suscipit BONIFACIVS annis IV. Constantius Patricius pacem firmat cum VValiâ, datâ eidem ad inhabitandum secundâ Aquitaniâ, & quibusdam ciuitatibus confinium Prouinciarum.

Theodosio IX. & Constantio III.

Constantius ab Honorio in consortium Regni assumitur. Hieronymus Presbyter moritur anno ætatis suæ XCI. pridie Kalendas Octobris.

Agricolâ, & Eustathio.

Constans Imperator moritur.

Honorio XIII. & Theodosio X.

Hoc tempore exercitus ad Hispanias contra Vandalos missus est, cui Castinus Dux fuit, qui Bonifacium virum bellicis artibus præclarum, inepto & iniurioso imperio ab expeditionis suæ societate auertit. Nam ille periculosum sibi, atque indignum ratus, eum sequi, quem discordem, superbientémque expertus esset, celeriter se ad portum Vrbis, inde ad Africam proripuit; idque Reipublicæ multorum laborum, & malorum sequentium initium fuit. B

Mariniano, & Asclepiodoto.

Placidia Augusta à fratre Honorio pulsa, ad Orientem cum Honoriâ & Valentiniano filiis proficiscitur. Romanæ Ecclesiæ XLI. præsidet Episcopus CÆLESTINVS, annis IX. Honorius moritur, & Regnum eius Ioannes occupat, conniuente (vt putabatur) Castino, qui exercitui Magister militum præerat. THEODOSIVS XLVI. Romanorum Imperium tenet annis XXVII.

Castino, & Victore.

Hoc tempore Exuperantius Pictauus, Præfectus Prætorij Galliarum, in ciuitate Arelatensi militum seditione occisus est; idque apud Ioannem inultum fuit. Theodosius Valentinianum amitæ suæ filium Cæsarem facit, & cum Augustâ matre ad recipiendum Occidentale mittit Imperium. Quo tempore Ioannes dum Africam, quam Bonifacius obtinebat, bello reposcit, ad defensionem sui infirmior factus est. C

Theodosio XI. & Valentiniano Cæsare.

Placidia Augusta, & Valentinianus Cæsar mirâ felicitate Ioannem tyrannum opprimunt, & Regnum victores recipiunt: datâ veniâ Aëtio, eò quòd Chuni, quos per ipsum Ioannes acciuerat, eiusdem studio ad propria reuersi sunt. Castinus autem in exilium actus est, quia videbatur, Ioannem sine conniuentia ipsius Regnum non potuisse assumere. Valentinianus decreto Theodosij Augustus appellatur. Arelas nobile oppidum Galliarum à Gothis multâ vi oppugnatum est, donec imminente Aëtio non impuniti abscederent.

Theodosio XII. & Valentiniano Aug. II.

Patroclus Arelatensis Episcopus à Tribuno quodam barbaro multis vulneribus laniatus occiditur: quod facinus ad occultam iussionem Felicis Magistri militum referebatur, cuius impulsu creditus est etiam Titus Diaconus, vir sanctus, Romæ pecunias pauperibus, distribuens, interemptus.

CCCC. *Hierio, & Ardabure.*

Bonifacio, cuius intra Africam potentia, gloriáque augebatur, bellum ad arbitrium Felicis (quia ad Italiam venire abnuerat) publico nomine illatum est, Ducibus Mauortio, & Galbione, & Saonece; cuius proditione Mauortius, & Galbio, dum Bonifacium obsiderent, interempti sunt: móxque ipse à Bonifacio doli detectus, occisus est. Exinde gentibus, quæ vti nauibus nesciebant, dum à concertantibus in auxilium

A xilium vocantur, mare peruium factum est, bellique contra Bonifacium cœpti in Sigisvultum Comitem cura translata est. Gens Vandalorum ab Hispaniâ ad Africam transit.

Felice, & Tauro.

Nestorius Constantinopolitanus Episcopus nouum Ecclesiis molitur errorem inducere, prædicans, Christum ex Mariâ hominem tantùm, non etiam Deum natum, eique diuinitatem collatam esse pro merito: cui impietati præcipua Cyrilli Alexandrini Episcopi industria, & Papæ Cælestini repugnat auctoritas. Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci possidendam occupauerant, Aëtij Comitis armis recepta.

Florentio, & Dionysio.

Felice ad Patriciam dignitatem prouecto, Aëtius Magister militum factus est. Agricola Pelagianus, Seueriani Episcopi Pelagiani filius, Ecclesias Britanniæ dogmatis sui insinuatione corrupit. Sed actione Palladij Diaconi Papa Cælestinus Germanum Autisiodorensem Episcopum vice suâ mittit, & deturbatis hæreticis Britannos ad Catholicam fidem redigit.

Theodosio XIII. & Valentiniano III.

Aëtius Felicem cum vxore Padusiâ, & Grunitum Diaconum, cùm eos insidiari sibi præsensisset, interimit. Augustinus Episcopus per omnia excellentissimus moritur v. Kalendas Septembris, libris Iuliani inter impetum obsidentium Vandalorum
B in ipso dierum suorum fine respondens, & gloriosè in defensione Christianæ gratiæ perseuerans.

Basso, & Antiocho.

Congregatâ apud Ephesum plus ducentorum Synodo Sacerdotum, Nestorius cum hæresi nominis sui, & cum multis Pelagianis, qui cognatum errori suo iuuabant dogma, damnatur. Ad Scotos in Christum credentes ordinatus à Papa Cælestino Palladius Episcopus mittitur.

Aëtio, & Valerio.

Romanæ Ecclesiæ XLII. præficitur Episcopus XYSTUS annis VIII. totius Vrbis pace & consensione mirabili. Bonifacius ab Africâ ad Italiam per Vrbem venit, acceptâ Magistri militum dignitate: qui cùm resistentem sibi Aëtium prælio superasset, paucos post dies morbo extinctus est. Aëtius verò cùm depositâ potestate in agro suo degeret, ibique eum quidam inimici eius repentino incursu opprimere tentassent, profugus ad Dalmatiam, atque inde per Pannoniam ad Chunos peruenit; quorum amicitiâ, auxilióque vsus, pacem Principum, & ius interpolatæ potestatis obtinuit.

Theodosio XIV. & Maximo.

Colliguntur omnes anni vsque ad Consulatum Theodosij XIV. & Maximi.
A xv. Tiberij anno, & passione Domini, anni CCCCVI.
Ab instauratione templi sub Dario, anni DCCCCLIV.
C Ab Olympiade prima, & Isaia Propheta, anni M.CCX.
A Salomone, & prima ædificatione templi, anni M.CCCCLXVI.
A Moyse, & Cecrope Rege Atticæ, anni M.DCCCCXC.
Ab Abraham, & Regno Nini, & Semiramidis, anni MM.CCCCL.
A diluuio autem vsque ad Abraham, anni M.LXXI.
Ab Adam verò vsque ad diluuium, anni MM.CCXLII.
Sunt itaque ab Adam vsque ad tempus suprascriptorum Consulum, quinquies mille DCCLXIII.

Aspare, & Ariobindo.

Theodosio XV. & Valentiniano IV.

Pax facta cum Vandalis, datâ eis ad inhabitandum per Trigetium Africæ portione, Hippone, III. Idus Februarij. Eodem tempore Gundicarium Burgundionum Regem intra Gallias habitantem Aëtius bello obtinuit, pacémque ei supplicanti dedit; quâ non diu potitus est, siquidem illum Chuni cum populo suo, ac stirpe deleuerunt.

Isidoro, & Senatore.

Gothi pacis placita perturbant, & pleraque municipia vicina sedibus suis occupant, Narbonensi oppido maximè infesti. quod cùm diù obsidione & fame laboraret, per Litorium Comitem ab vtroque periculo liberatum est. Siquidem per

singulos equites binis tritici modiis aduectis, strenuissimè & hostes in fugam verterit, & ciuitatem annona impleuerit. A

Aetio II. & Sigisvulto.

Bellum aduersùs Gothos Chunis auxiliantibus geritur. In Africa Ginsiricus Rex Vandalorum intra habitationis suæ limites volens Catholicam fidem Arriana impietate subuertere, quosdam nostrorum Episcopos (quorum Possidius, & Nouatus ac Seuerianus clariores erant) eatenùs persecutus est, vt eos priuatos iure basilicarum suarum, etiam ciuitatibus pelleret, cùm ipsorum constantia nullis superbissimi Regis terroribus cederet. Valentinianus Augustus ad Theodosium Constantinopolim proficiscitur, filiámque eius in matrimonium accipit. Per idem tempus quatuor Hispani viri, Arcadius, Paschasius, Probus, & Eutychianus, dudum apud Ginsiricum merito sapientiæ, ac fidelis obsequij, cari, claríque habebantur: quos Rex vt copulatiores sibi faceret, in Arrianam perfidiam transire præcepit. Sed illi hoc facinus constantissimè respuentes, excitato in rabidissimam iram Barbaro, primùm proscripti, deinde in exilium acti, tum atrocissimis suppliciis excruciati, ad postremum diuersis mortibus interempti, inlustri martyrio mirabiliter occubuerunt. Puer autem Paulillus nomine, frater Eutychiani, & Paschasij, pro elegantia formæ atque ingenij admodùm Regi acceptus, cùm à professione atque amore Catholicæ fidei nullis minis deturbari posset, fustibus diù cæsus, & ad infimam seruitutem damnatus est; ideò, vt apparet, non interfectus, ne de superata sæuitiâ impij etiam illa ætas gloriaretur. Eodem anno piraticam Barbari fœderatorum desertores exercuerunt. B

Theodosio XVI. & Fausto.

Hoc quoque anno iidem piratæ multas Insulas, sed præcipuè Siciliam, vastauere. Aduersùm Gothos in Gallia quædam prosperè gesta.

Theodosio XVII. & Festo.

Litorius, qui secunda ab Aëtio Patricio potestate Chunis auxiliaribus præerat, dum Aëtij gloriam superare appetit, dúmque Aruspicum responsis, & dæmonum significationibus fidit, pugnam cum Gothis imprudenter conseruit; fecítque intelligi quantùm illa, quæ cum eodem periit, manus prodesse potuerit, si potioribus consiliis quàm sua temeritate vti maluisset; quando tantam ipse hostibus cladem intulit, vt nisi inconsideranter prælians in captiuitatem incidisset, dubitandum foret cui potiùs parti victoria adscriberetur. Hac tempestate Iulianus Eclanensis, iactantissimus Pelagiani erroris assertor, quem dudum amissi Episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis speciem præferens, molitus est in communionem Ecclesiæ inrepere. Sed his insidiis Xystus Papa Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit; & ita omnes Catholicos de reiectione fallacis bestiæ gaudere fecit, quasi tunc primùm superbissimam hæresim Apostolicus gladius detruncauisset. Per idem tempus Vitricus reipublicæ nostræ fidelis, & multis documẽtis bellicis habebatur. Pax cum Gothis facta, cùm eam post ancipitis pugnę lacrymabile experimentũ, humiliùs quàm vmquam antea poposcissent. Aëtio rebus quæ in Gallia cõponebantur, intẽto, Ginsiricus, de cuius amicitia nihil metuebatur, XIV. Kalendas Nouembris Carthaginem dolo pacis inuadit, omnésque opes eius, excruciatis diuerso tormẽtorum genere ciuibus, in ius suum vertit; nec ab Ecclesiarum despoliatione abstinens, quas & sacris vasis exinanitas, & Sacerdotum administratione priuatas, non iam diuini cultus loca, sed suorum iussit esse habitacula; in vniuersum captiui populi ordinem sæuus, sed præcipuè nobilitati & religioni infensus; vt non discerneretur, hominibus magis an Deo bellum intulisset. Hanc autem captiuitatem Carthago subiit anno, postquàm Romana esse cœperat, DLXXXV. C

Valentiniano Aug. V. & Anatolio.

Defuncto Xysto Episcopo quadraginta ampliùs diebus Romana Ecclesia sine Antistite fuit, mirabili pace atque patientiâ. præsentiam Diaconi Leonis exspectans, quem tunc inter Aëtium & Albinum amicitias redintegrantem Galliæ detinebant; quasi ideò longè esset abductus, vt & electi meritum, & eligentium iudicium probaretur. Igitur LEO Diaconus Legatione publicâ accitus, & gaudenti patriæ præsentatus, XLIII. Romanæ Ecclesiæ Episcopus ordinatur. Ginsiricus Siciliam grauiter affligens, accepto nuncio de Sebastiani ab Hispaniâ ad

A Africam transitu, celeriter Carthaginem redit; ratus periculosum sibi ac suis fore, si vir bellandi peritus recipiendæ Carthagini incubuisset. Verùm ille amicum se magis, quàm hostem videri volens, diuersa omnia apud barbari animum, quàm præsumpserat, reperit; eáque spes causa illi maximæ calamitatis, & infelicissimæ mortis fuit.

Cyro V. C. Consule.

Theodosius Imperator bellum contra Vandalos mouet, Ariobindo, & Anaxillâ, atque Germano Ducibus cum magnâ classe directis; qui longis cunctationibus negotium differentes, Siciliæ magis oneri, quàm Africæ præsidio fuere.

Dioscoro, & Eudoxio.

Chunis Thracias, & Illyricum sæuâ populatione vastantibus, exercitus, qui in Siciliâ morabatur, ad defensionem Orientalium Prouinciarum reuertitur. Cum Ginsirico ab Augusto Valentiniano pax confirmata, & certis spatiis Africa inter vtrumque diuisa est. In Ginsiricum de successu rerum etiam apud suos superbientem quidam optimates ipsius conspirauerunt; sed molitione detectâ multis ab eo suppliciis excruciati, atque extincti sunt: cúmque idem audendum etiam ab aliis videretur, tam multis Regis suspicio exitio fuit, vt hac sui curâ plus virium perderet, quàm si bello superaretur.

B *Maximo II. & Paterio.*

Hoc tempore plurimos Manichæorum intrà Vrbem latere diligentiæ Papæ Leonis innotuit; qui eos de secretis suis erutos, & oculis totius Ecclesiæ publicatos, omnes dogmatis sui turpitudines & damnare fecit, & prodere; incensis eorum codicibus, quorum magnæ moles fuerant interceptæ. Quæ cura viro sancto diuinitus, vt apparuit, inspirata, non solùm Romanæ Vrbi, sed etiam vniuerso Orbi plurimùm profuit. Siquidē confessionibus in Vrbe captorum, qui doctores eorum, qui Episcopi, quíue Presbyteri, in quibus Prouinciis, vel ciuitatibus legerent, patefactum sit; multíque Orientalium partium Sacerdotes industriam Apostolici Rectoris imitati sint.

Theodosio XVIII. & Albino.

Hoc anno Pascha Domini IX. Kalendas Maij celebratum est; nec erratum est, quia inde XI. Kalendarum Maiarum dies passionis fuit, ob cuius reuerentiam natalis Vrbis Romæ sine Circensibus transiit. Athela Rex Hunnorum Bledam fratrem & consortem in Regno suum perimit, eiúsque populos sibi parere compellit.

Valentiniano VI. & Nonio.
Aëtio III. & Symmacho.
Callepio, & Ardabure.
Posthumiano, & Zenone.
Asturio, & Protogene.

Hoc tempore Eutychiana hæresis exorta est, auctore Eutyche quodam Presbytero, qui apud Constantinopolim Monasterio celeberrimo præsidebat, prædicans IESVM Christum Dominum nostrum, beatæ MARIÆ Virginis filium, nihil maternæ habuisse substantiæ, sed sub specie hominis solam in eo Verbi Dei fuisse naturam. Ob quam impietatem à Flauiano eiusdem vrbis Episcopo, quia corrigi noluit, condemnatus est. Sed fidens amicitiâ regiâ, & aulicorum fauore, ab vniuersali Synodo se poposcit audiri, adnuente Imperatore Theodosio, qui ob huius causæ retractationem omnes Episcopos iussit Ephesum conuenire. In quo Concilio Dioscorus Alexandrinus Episcopus primatum sibi vendicans, absoluto Eutyche in Flauianum Episcopum Constantinopolitanum damnationis sententiam tulit: reclamante Hilaro Diacono Ecclesiæ Romanæ, qui vice sancti Papæ Leonis, cum Iulio Episcopo Puteolano à Sede Apostolicâ fuerat destinatus. Nam cùm omnes Episcopi in Concilio constituti, vi, & metu Comitum, vel militum, quos Dioscoro Alexandrinæ vrbis Episcopo adtribuerat Imperator, compellerentur huic hæresi adcommodare consensum, memoratus Diaconus inter tot vitæ pericula constitutus, voce contradictionis emissâ, cùm in eius propter hoc perniciem sæuiretur, relictis illic omnibus suis latenter abscessit, vt præfato Papæ vel ceteris Italiæ Sacerdotibus, qualiter ibi Catholica fides fuerit violata, suâ delatione promeret.

Sanctus verò Flauianus inter manus eorum, à quibus in exilium ducebatur, glorioso ad Christum fine transiuit. A

Valentiniano VIII. & Abieno.

Theodosio Imperatore diem functo, & Chrysaphio Præposito, qui amicitiâ Principis malè vsus fuerat, interempto, MARCIANVS consensione totius exercitus suscepit Regnum; vir grauissimus, & non solùm reipublicæ, sed etiam Ecclesiæ pernecessarius. Huius edictis Apostolicæ Sedis auctoritatem secutis Synodus Ephesina damnatur, & apud Chalcedonem celebrari Concilium Episcopale decernitur, vt correctis venia daretur, & pertinaces cum hæresi depellerentur. Placidia defuncta est quinto Kalendas Decembris.

Marciano Aug. & Adelfio.

Athila post necem fratris, auctus opibus interempti, multa vicinarum sibi gentium millia cogit in bellum, quod Gothis tantùm se inferre, tanquam custos Romanæ amicitiæ denunciabat. Sed cùm transito Rheno sæuissimos eius impetus multæ Gallicanæ vrbes experirentur, citò & nostris & Gothis placuit, vt furori superborum hostium consociatis exercitibus repugnaretur. Tantaque Patricij Aëtij prouidentia fuit, vt raptim congregatis vndique bellatoribus viris, aduersæ multitudini non impar occurreret. In quo conflictu quamuis neutris cedentibus inæstimabiles strages commorientium factæ sint; Chunos tamen eo constat victos fuisse, quòd amissâ præliandi fiduciâ qui superfuerant ad propria reuerterunt.

Herculano, & Sporatio. B

Athela redintegratis viribus, quas in Galliâ amiserat, Italiam ingredi per Pannonias intendit, nihil Duce nostro Aëtio secundùm prioris belli opera prospiciente; ita vt ne clusuris quidem Alpium, quibus hostes prohiberi poterant, vteretur; hoc solùm suis superesse existimans, si ab omni Italia cum Imperatore discederet. Sed cùm hoc plenum dedecoris & periculi videretur, continuit verecundia metum, & tot nobilium Prouinciarum latissimâ euersione credita est sæuitia, & cupiditas hostilis explenda: nihilque inter omnia consilia Principis, ac Senatus, populiq; Romani, salubrius visum est, quàm vt per Legatos pax truculentissimi Regis expeteretur. Suscepit hoc negotium cum viro Consulari Abieno, & viro Præfectorio Trigetio, beatissimus Papa Leo, auxilio Dei fretus, quem sciret numquam piorum laboribus defuisse. Nec aliud secutum est quàm præsumpserat fides. Nam tota Legatione dignanter accepta, ita summi Sacerdotis præsentiâ Rex gauisus est, vt & bello abstineri præciperet, & vltra Danubium promissa pace discederet.

Opilione V. C. Consule.

Synodus Chalcedonensis peracta, Eutyche, Dioscoróque damnatis: omnes autem qui se ab eis retraxerunt, in communionem recepti, confirmata vniuersaliter fide, quæ de Incarnatione Verbi secundùm Euangelicam, & Apostolicam doctrinã per sanctum Papam Leonẽ prædicabatur. Athela in sedibus suis mortuo, magna primùm inter filios ipsius certamina de obtinendo Regno exorta sunt; deinde aliquot C gentium, quæ Chunis parebant, defectus secuti, causas & occasiones bellis dederunt, quibus ferocissimi populi mutuis incursibus contererentur. Apud Gothos intra Gallias consistentes, inter filios Theodorici Regis, quorum Thorismodus maximus natu patri successerat, orta dissensio est: & cùm Rex ea moliretur, quæ & Romanæ paci, & Gothicæ aduersarentur quieti, à germanis suis, quia noxiis dispositionibus inreuocabiliter instaret, occisus est.

Aëtio, & Studio.

Inter Valentinianum Augustum, & Aëtium Patricium, post promissæ inuicem fidei sacramenta, post pactum de coniunctione filiorũ, diræ inimicitiæ conualuerunt; & vnde fuit gratia caritatis augenda, inde exarsit fomes odiorum, incentore (vt creditum est) Heraclio spadone, qui ita sibi Imperatoris animum insincero famulatu adstrinxerat, vt eũ facilè in quæ vellet impelleret. Cùm ergo Heraclius sinistra omnia Imperatori de Aëtio persuaderet, hoc vnum creditum est saluti Principis profuturum, si inimici molitiones suo opere præoccupasset. Vnde Aëtius, dum placita instantiùs repetit, & causam filij commotiùs agit, Imperatoris manu, & circumstantium gladiis crudeliter confectus est: Boëtio Præfecto Prætorio simul perempto, qui eidem multa amicitia copulabatur.

A *Valentiniano VIII. & Anthemio.*

Mortem Aëtij mors Valentiniani non longo pòst tempore consecutá est, tam imprudenter non declinata, vt interfector Aëtij amicos, armigerósque eius sibimet consociaret; qui concepti facinoris opportunitatē dissimulanter aucupantes, egressum extrà Vrbem Principem, & ludo gestationis intentum inopinatis ictibus confoderunt; Heraclio simul, vt erat proximus, interempto, & nullo ex multitudine Regiâ ad vltionem tanti sceleris accenso. Vt autem hoc parricidium perpetratum est, MAXIMVS, vir gemini Consulatus, & Patriciæ dignitatis, sumpsit Imperium: qui cùm periclitāti Reipublicæ profuturus per omnia crederetur, non sero documento quid animi haberet probauit: siquidem interfectores Valentiniani non solùm non plecterit, sed etiam in amicitiam receperit, vxorémque eius Augustam, amissionem viri lugere prohibitam, intra paucissimos dies in coniugium suum transire coëgerit. Sed hac incontinentiâ non diu potitus est: nam post alterum mensem nunciato ex Africâ Gensirici Regis aduentu, multísque nobilibus, ac popularibus ex Vrbe fugientibus, cùm ipse quoque, datâ cunctis abeundi licentiâ, trepidè vellet abscedere, septuagesimo septimo adepti Imperij die à famulis regiis dilaniatus est, & membratim deiectus in Tiberim sepulturâ quoque caruit. Post hunc Maximi exitum confestim secuta est multis digna lacrymis Romana captiuitas, & Vrbem omni præsidio vacuam Gensericus obtinuit, occurrente sibi extra
B portas sancto Leone Episcopo; cuius supplicatio ita eum Deo agente leniuit, vt cùm omnia potestati ipsius essent, traditâ sibi ciuitate; ab igni tamen, & cæde, atque suppliciis abstineretur. Per quatuordecim igitur dies, securâ, & liberâ scrutatione omnibus opibus suis Roma vacuata est, multáque millia captiuorum, prout quique, aut ætate, aut arte placuerunt, cum Reginâ, & filiabus eius Carthaginem abducta sunt. Eodem anno Pascha Dominicum die VIII. Kalendas Maij celebratum est, pertinaci intentione Alexandri Episcopi, cui omnes Orientales consentiendum putauerunt, quamuis sanctus Papa Leo XV. Kalendas Maij potiùs obseruandum protestaretur. Extant eiusdem Papæ Epistolæ ad clementissimum Principem Marcianum datæ, quibus ratio veritatis sollicitatæ euidenter patefacta est; & quibus Ecclesia Catholica instrui potest, quòd hæc persuasio studio vnitatis & pacis tolerata sit potiùs quàm probata; numquam deinceps imitanda, vt quæ exitialem attulit offensionem, omnem in perpetuum perdat auctoritatem.

A

MARII AVENTICENSIS
SEV LAVSANNENSIS EPISCOPI
CHRONICON,

A tempore, quo Prosper Aquitanus desinit, vsque ad annum vulgaris æræ DLXXXI.

CVM APPENDICE INCERTI AVCTORIS.

Ex peruetusto Cod. Ms. Petri Francisci Chiffletij Societatis Iesu, nunc primùm in lucem editum.

B

PETRVS FRANCISCVS CHIFFLETIVS LECTORI.

DESIDERATVS *est hactenus antiquus Scriptor, qui occidenti Romano veteri Imperio funus duceret; qui Barbarorum illa tempora, Prouincias Romani iuris, armis arbitris inter se diuidentium illustraret; qui* FRANCORVM, *Burgundionum, Gothorúmque Regum veterum exordia, res gestas, obitúsque optimis temporum characteribus consignaret. Et nescio quid in hoc genere libauerat auctor Appendicis ad Marcellinum Comitem: sed is huc vsque ita deformatus in publicum prodiit, vt cùm trium dumtaxat Franciæ Regum exitus perstrinxerit, Childeberti quidem senioris obitum anno vno; Chramni verò cædem, tum etiam Theodebaldi interitum, biennio anteuertat. Plura id genus & diligentiùs in hoc Opusculo adnotata leges, quæ si cum Gregorio Turonensi, eiusdem æui Scriptore, contuleris, intelliges, illius Historiæ à Chronologicis notis satis destitutæ, eóque obscuriori quantam lucem affundant. Thesaurum hunc ad hanc vsque diem defossum, ac ne quæsitum quidem, fortè membranæ vetustissimæ mihi obiecerunt, inscriptum* MARIO EPISCOPO. *Quem vt in persequendis Burgundionum rebus accuratiorem vidi, ac nominatim in Vallensis agri ad lacum Lemannum, finitimorúmque Agaunensium describendis casibus; expensis rerum omnium, nominis, conditionis, locorum, temporúmque adiunctis, non dubitaui, quin is ipse esset* MARIVS *Auenticensis, seu Lausannensis Episcopus, quem anno Gunthramni Regis* XXIV, *æræ Dionysianæ* DLXXXV. *Concilio Matisconensi secundo subscriptum legimus: quem ex antiquis Lausaunensium tabulis cognoui, stante Burgundiæ Regno, in Æduis nobili genere natum, in Auenticensi, seu Lausannensi Regni eiusdem Episcopatu annos viginti, menses octo exegisse: ad hæc claruisse integritate morum, & sanctitudine insigni: vixisse omnino annos* LXIV: *obiisse pridie Calendas Ianuarias, quâ die eius nomen sacris fastis adscriptum est: sepultum Lausannæ in Aede sancti Thyrsi, quæ exinde ob noui hospitis celebritatem, sancti Marij nuncupata est. Tui erit arbitrij, Lector, non minùs illius apud Deum iuuari suffragiis, quàm scriptis recreari. Quod spectat ad Marij Appendicem, quam ex iisdem antiquis mēbranis excerpsimus, contractior illa quidem est quàm optandū esset, nec certum Auctoris nomē præfert. Suum tamen pretium habebit apud eruditos, vel ob res, ex quibus constat, vel propter Auctoris antiquitatem, qui videlicet Heraclij Imp. anno* XIV. *Clotarij porrò secundi Francorum Regis anno* XL. *(hoc est anno Christi* DCXXIII. *aut* DCXXIV.*) eam se conscripsisse significat. Fruere, Lector, & vale.* C

VSQVE hîc Prosper. quæ sequuntur, MARIVS Episcopus.

Consule suprascripto leuatus est Auitus Imperator in Gallias: & ingressus est Theodoricus Rex Gothorum Arelato cum fratribus suis in pace.

Ioanne & Varana.

A His Consulibus deiectus est Auitus Imperator à Maioriano, & Ricimere, Placentiâ: & factus est Episcopus in ciuitate.

Eo anno Burgundiones partem Galliæ occupauerunt, terrásque cum Galliis Senatoribus diuiserunt.

Constantino, & Rufo.
Maioriano, & Leone.
Ricimere, & Patricio.
Magno, & Apollonare.

His Consulibus Maiorianus Imperator profectus est ad Hispanias.

Eo anno captæ sunt naues à Vandalis ad Elecem, iuxtà Carthagine Spartariâ.

Seuerino, & Dagalaiso.

His Consulibus deiectus est Maiorianus de Imperio in ciuitate Dertonâ à Ricimere Patricio, & interfectus est super Irâ fluuio: & leuatus est Seuerus Imperator Rauennâ.

Leone II. & Seuero.
Basilio, & Bibiano.

His Consulibus pugna facta est inter Ægidium & Gothos, inter Ligere, & B Ligerecino, iuxtâ Aurelianis, ibique interfectus est Fredericus Rex Gothorum.

Olybrio, & Rusticio.
Ermenerico, & Basilisco.
Leone III. & Tasiano.
Poseo, & Ioanne.

His Consulibus leuatus est Anthemius Imperator.

Eo anno interfectus est Theodoricus Rex Gothorum à fratre suo Euthorico, Tholosâ.

Anthemio Augusto.
Marciano, & Leone.
Seuero, & Iordano.
Leone IV. & Probiano.
Festo.
Leone V.

Hoc Consule leuatus est Glycerius Imperator Rauennâ.

Leone Iuniore.

Hoc Consule depositus est Glycerius de Imperio, & leuatus est Nepos Imperator.

P.C. Leonis Iunioris Augusti.
Basilisco, & Armato.

His Consulibus leuatus est Odouacer Rex.

C *P. C. Basilisci, & Armati.*
Illone.
Zenone.
Basilio Iuniore.
Placido.
Seuerino Iuniore.
Fausto.
Venantio, & Theodorico.
Symmacho.
Decio, & Longino.
Boëtio.
Dinamio, & Sifidio.
Probino, & Eusebio.

His Consulibus ingressus est Theudoricus Rex Gothorũ in Italiâ Ponte Isonti.

Longino, & Fausto.
Olybrio.
Anastasio, & Rufo.
Albino, & Eusebio.

His Consulibus occisus est Odouacer Rex à Rege Theuderico in Laureto.

Asterio, & Præsidio.
Viatore.
P.C. Viatoris.
P.C. Viatoris anno II.
Paulino.
P.C. Paulini.
Patricio, & Hypatio.

His Consulibus pugna facta est Diuione inter FRANCOS & Burgundiones, Godegeselo hoc dolosè contra fratrem suum Gundobagaudum machinante. In eo prælio Godegeselus cum suis, aduersus fratrem suum cum Francis dimicauit: & fugatum fratrem suum Gundobagaudum, Regnum ipsius paulisper obtinuit: & Gundobagaudus Auinione latebram dedit.

Eo anno Gundobagaudus resumptis viribus Viennam cum exercitu circumdedit, captáque ciuitate fratrem suum interfecit; pluresque Seniores, ac Burgundiones, qui cum ipso senserant, multis exquisitisque tormentis morte damnauit: Regnúmque quod perdiderat, cum eo quod Godegeselus habuerat, receptum, vsque in diem mortis suæ feliciter gubernauit.

Eo anno interfectus est Odoind Romæ.

Abieno, & Pompeio.
Abieno Iuniore, & Probo.
Volusiano.
Cethego.
Sauiniano, & Theudoro.
Messalâ, & Ariobindâ.
Venantio, & Celere.
P.C. Venantij.
Importuno.

Hoc Consule Mammo Dux Gothorum partem Galliæ deprædauit.

Boëtio.
Felice, & Secundino.
Paulo, & Musciano.
Clementino, & Probo.
Senatore.
Florentio, & Anthemio.

His Consulibus Monasterium Acauno à Rege Sigismundo constructum est.

Petro.

Hoc Consule Rex Gundobagaudus obiit, & leuatus est filius eius Sigismundus Rex.

Anastasio, & Agapito.
Magno.
Iustino, & Euterio.
Rusticio, & Vitaliano.
Iustiniano, & Valerio.
Symmacho, & Boëtio.

His Consulibus Segericus filius Sigismundi Regis, iussu patris sui iniustè occisus est.

Maximo. Indictione I.

Hoc Consule Sigismundus Rex Burgundionum à Burgundionibus Francis traditus est, & in Franciâ in habitu monachali perductus: ibique cum vxore, & filiis in puteo est proiectus.

Iustino II. & Opilione. Ind. II.

His Consulibus Godemarus frater Sigismundi, Rex Burgundionum ordinatus est.

Eo anno contrà CHLODOMEREM Regem Francorum Viseronciâ præliauit, ibique interfectus est Chlodomeres.

Eo anno interfectus est Boëtius Patricius in territorio Mediolanense.

Probo Iuniore, & Philoxeno. Ind. III.

His Consulibus occisus est Symmachus Patricus Rauennæ.

A *Olybrio. Ind.* IV.

Hoc Consule defunctus est Theudoricus Rex Gothorum in vrbe Rauennâ, & leuatus est Rex Atalaricus nepos eius.

Maturio. Ind. V.

Iustiniano II. Ind. VI.

Decio Iuniore. Ind. VII.

Lampadio, & Oreste. Ind. VIII.

P. C. Lampadij, & Orestis. Ind. IX.

Item P. C. Lampadij, & Orestis. Ind. X.

His Consulibus Hypatius Patricius, seditione populi Imperator leuatus, & iussu Iustiniani Augusti interfectus est; & cum eo Pompeius, & penè triginta millia hominum in Circo gladio necati sunt.

Iustiniano Augusto III. Ind. XI.

Paulino Iuniore. Ind. XII.

Hoc Consule Reges Francorum CHILDEBERTVS, CHLOTARIVS, & THEVDEBERTVS Burgundiam obtinuerunt, & fugato Godomaro Rege, Regnum ipsius diuiserunt.

Eo anno Africa Romano Imperio post nonaginta & duos annos per Belesarium
B Patricium restituitur: & Gelimer Rex Vandalorum captiuus Constantinopoli exhibetur, & Iustiniano Augusto cum vxoribus, & thesauris, à suprascripto Patricio præsentatur.

Belesario. Ind. XIII.

Hoc Consule, eo anno quo Consulatum dedit, Siciliam ingressus, eam Imperio Romano restituit.

P. C. Belesarij. Ind. XIV.

Item P. C. Belesarij. Ind. XV.

Ioanne. Ind. I.

Hoc Consule Mediolanus à Gothis, & Burgundionibus effracta est; ibique Senatores, & Sacerdotes cum reliquis populis, etiam in ipsa sacrasancta loca interfecti sunt; ita vt sanguine eorum ipsa altaria cruentata sint.

Appione. Ind. II.

Hoc Consule THEVDEBERTVS Rex Francorum Italiam ingressus, Liguriam, Æmiliámque deuastauit; eiúsque exercitus loci infirmitate grauatus, valdè contribulatus est.

Iustino. Ind. III.

Hoc Consule Persi Antiochiam vastauerunt, vniuersámque Syriam, depopulantes.

Eo anno Belesarius Patricius VVittegis Regem Gothorum, de Rauennâ captiuum abductum, Constantinopoli cum vxore, & thesauris, Iustino Augusto præ-
C sentauit.

Basilio. Ind. IV.

P. C. Basilij anno I. *Ind.* V.

P. C. Basilij anno II. *Ind.* VI.

P. C. Basilij anno III. *Ind.* VII.

P. C. Basilij anno IV. *Ind.* VIII.

P. C. Basilij anno V. *Ind.* IX.

P. C. Basilij anno VI. *Ind.* X.

Hoc anno Vigilius Papa Romanus Constantinopoli properauit.

Eo anno Baduila Rex Gothorum Româ captâ depopulauit, deiectisque muris partem ciuitatis incendit.

Eo anno resumptis viribus Belesarius Dux ciuitatem Romam ad Romanum dominium reuocauit.

P. C. Basilij anno VII. *Ind.* XI.

Eo anno THEVDEBERTVS Rex magnus Francorum obiit: & sedit in regno eius THEVDEBALDVS filius ipsius.

Eo anno Lanthacarius Dux Francorum in bello Romano transfossus obiit.

P. C. Basilij anno VIII. *Ind.* XII.

P. C. Basilij anno IX. *Ind.* XIII.

P.C. Basilij anno X. *Ind.* XIV. A

P.C. Basilij anno XI. *Ind.* XV.

P.C. Basilij anno XII. *Ind.* I.

Hoc anno Baduila Rex Gothorum ab exercitu Reipublicæ per Narsetem Chartularium Eunuchum interficitur: & Teia accepit Regnum eius.

P.C. Basilij anno XIII. *Ind.* II.

Hoc anno Teia Rex Gothorum à suprascripto Narse interficitur.

P.C. Basilij anno XIV. *Ind.* III.

Hoc anno THEVDOBALDVS Rex Francorum obiit, & obtinuit Regnum eius CHLOTHACARIVS, patruus patris eius.

Eo anno CHRAMNVS filius Chlothacarij Regis, sollicitante CHILDEBERTO patruo suo, ad ipsum latebram dedit.

Eo anno Saxonibus rebellantibus, CHLOTHACARIVS Rex cum graui exercitu contra ipsos dimicauit; vbi multitudo Francorum & Saxonum ceciderunt: Chlotarius tamen Rex victor abscessit.

Eo tempore Buccelenus Dux Francorum in bello Romano cum omni exercitu suo interiit.

P.C. Basilij anno XV. *Ind.* IV.

Eo anno iterum rebellantibus Saxonibus CHLOTARIVS Rex pugnam dedit; ibique maxima pars Saxonum cecidit.

Eo anno Franci totam Toringiam, pro eo quòd cum Saxonibus coniurauerat, vastauerunt. B

Ipsis diebus Chramnus collecto exercitu regionem patris sui deuastat.

Eo anno exercitus Francorum Reipublicæ Romanæ exercitum vastauit; atque effugatum deuastauit; cum illis & diuitiis multis abductis.

Eo anno exercitus Reipublicæ resumptis viribus partem Italiæ, quam Theudebertus Rex adquisierat, occupauit.

P.C. Basilij anno XVI. *Ind.* V.

P.C. Basilij anno XVII. *Ind.* VI.

Hoc anno Childebertus Rex Francorum transiit: & obtinuit Regnum eius Chlotarius Rex, frater eius.

P.C. Basilij anno XVIII. *Ind.* VII.

P.C. Basilij anno XIX. *Ind.* VIII.

Hoc anno, serenitate cœli, inter stellas splendidas obscurata est Luna XVI. vt vix conspici posset.

Eo anno CHRAMNVS post sacramenta quæ patri dederat, ad Britannos petiit; & moliens Regnum patris inuadere, aduersus ipsum cum Britannis mouere ausus est; multaque loca grauiter deprædauit. Ad cuius insaniam reprimendam pater cum exercitu properauit, & interfecto Comite Britannorum, Chramnum viuum cepit, incensumque cum vxore, & filiis, totius regionis incidit excidium. C

P.C. Basilij anno XX. *Ind.* IX.

Hoc anno CHLOTHACARIVS Rex mortuus est: & diuiserunt Regnum eius filij ipsius, id est, CHARIBERTVS, GVNTEGRAMNVS, HILPERICVS, & SIGIBERTVS.

P.C. Basilij anno XXI. *Ind.* X.

P.C. Basilij anno XXII. *Ind.* XI.

Hoc anno mons validus Tauretunensis, in territorio Vallensi, ita subitò ruit, vt castrum, cui vicinus erat, & vicos, cum omnibus ibidem habitantibus oppressisset: & lacum in longitudine LX. millium, & latitudine XX. millium, ita totum mouit, vt egressus vtraque ripâ, vicos antiquissimos, cum hominibus, & pecoribus vastasset; etiam multa sacrasancta loca cum eis seruientibus demolisset: & pontem Genauacum, molinas, & homines per vim deiecit, & Genaua ciuitate ingressus plures homines interfecit.

P.C. Basilij anno XXIII. *Ind.* XII.

P.C. Basilij anno XXIV. *Ind.* XIII.

Hoc anno Monachi Agaunenses iracundiæ spiritu incitati, noctis tempore Episcopum suum Agricolam, cum Clero, & ciues qui cum ipso erant, occidere

A nitentes, domum Ecclesiæ effregerunt: & dum Episcopum suum Clerici, vel ciues defensare conati sunt, grauiter ab ipsis Monachis vulnerati sunt.

Eo anno transiit Magnacarius Dux Francorum.

P.C. Basilij anno XXV. *Ind.* XIV.

Hoc anno signum apparuit in cœlo per dies LXX.

Eo anno mortuus est Iustinianus Augustus, & suscepit Iustinus nepos ipsius Imperium.

Eo anno hyems valentissima fuit, vt quinque, aut eo ampliùs mensibus propter niuis magnitudinem terra videri non posset; ipsáque asperitas multa animalia necauit.

Eo anno Sindeuuala Erolus tyrannidem assumpsit, & à Narseo Patricio interfectus est.

Anno primo Consulatus Iustini Iunioris Aug. Ind. XV.

A principio mundi vsque ad hunc Consulem fiunt anni quinquies mille, DCC. LXVIII.

Anno II. *Conf. Iustini Iun. Aug. Ind.* I.

Hoc anno Narses ex Præposito, & Patricio, post tantos prostratos tyrannos, id est, Baduilam, & Teiam Reges Gothorum, & Buccelenum Ducem Francorum, necnon & Sindeualem Erolum; Mediolanum, vel reliquas ciuitates, quas B Gothi destruxerant, laudabiliter reparatas, de ipsâ Italiâ à suprascripto Augusto remotus est.

Anno III. *Conf. Iustini Iun. Aug. Ind.* II.

Hoc anno Alboenus Rex Langobardorum cum omni exercitu relinquens, atque incendens Pannoniam, suam patriam, cum mulieribus, vel omni populo suo, vt fera Italiam occupauit: ibique alij morbo, alij fame, nonnulli gladio interempti sunt. Eo anno etiam in finitima loca Galliarum ingredi præsumpserunt, vbi multitudo captiuorum gentis ipsius venundata est.

Anno IV. *Conf. Iustini Iun. Aug. Ind.* III.

Hoc anno morbus validus, cum profluuio ventris, & variolâ, Italiam, Galliámque valde afflixit; & animalia bubula per loca suprascripta maximè interierunt.

Eo anno mortuus est Celsus Patricius.

Anno V. *Conf. Iustini Iun. Aug. Ind.* IV.

Hoc anno infanda infirmitas, atque glandula, cuius nomen est pustula, in suprascriptis regionibus innumerabilem populum deuastauit.

Anno VI. *Conf. Iustini Iun. Aug. Ind.* V.

Hoc anno Albuenus Rex Langobarborum à suis, id est Hilmegis cum reliquis, consentiente vxore suâ, Veronâ interfectus est: & suprascriptus Hilmegis, cum antedictâ vxore ipsius, quam sibi in matrimonium sociauerat, & omni thesauro, tam quod de Pannoniâ exhibuerat, quàm quod de Italiâ congregauerat, cum parte exercitus, Rauennæ Reipublicæ se tradidit.

C *Anno* VII. *Conf. Iustini Iun. Aug. Ind.* VI.

Hoc anno Dux Langobardorum, nomine Cleb, genti ipsius Rex ordinatus est; & plures seniores, & mediocres ab ipso interfecti sunt.

Eo anno Væsarius Dux Francorum obiit, & ordinatus est Theodosfridus in loco eius Dux.

Anno VIII. *Conf. Iustini Iun. Aug. Ind.* VII.

Hoc anno Clebus Rex Langobardorum à puero suo interfectus est.

Eo anno iterum Langobardi in Valle ingressi sunt, & Clusas obtinuerunt, & in Monasterio sanctorum Acaunensium diebus multis habitauerunt: & posteà in Baccis pugnam contrà exercitum Francorum commiserunt, vbi penè ad integrum interfecti sunt, pauci fugâ liberati. Sed & Mauri, & aliæ gentes, qui in Prouincia eorum ingredi præsumpserunt, ab ipsis Francis deuicti sunt.

Anno IX. *Conf. Iustini Iun. Aug. Ind.* VIII.

Anno X. *Conf. Iustini Iun. Aug. Ind.* IX.

Hoc anno SIGIBERTVS Rex Francorum, bellum contra fratrem suum HILPERICVM mouet; & cùm eum iam inclusum haberet, & de eius interfectione cogitaret, ab hominibus Chilperici per fraudem interfectus est: & suscepit Regnum eius CHILDEBERTVS filius ipsius.

Anno XI. *Conf. Iustini Iun. Aug. Ind.* X. A

Eo anno mortui sunt regij, atque egregij adolescentes, CHLOTACARIVS, & CHLODOMERIS, filij Gunthegramni Regis.

Anno XII. *Conf. Iustini Iun. Aug. Ind.* XI.

Hoc anno MEROVEVS filius Hilporici Regis occisus est.

Anno XIII. *Conf. Iustini Iun. Aug. Ind.* XII.

Hoc anno duo germani, Salonius, & Sagittarius, Episcopi, à Synodo, quæ Cabalonno collecta est, pro diuersis criminibus ab Episcopatus honore deiecti sunt.

Eo anno mortuus est Iustinus Augustus, & successit Tiberius in loco eius.

Anno I. *Conf. Tiberij Constantini Augusti. Ind.* XIII.

Eo anno, mense Octobre, ita in Vallensi territorio Rhodanus exundauit, vt copias messium denegaret: & intra Italiam ita fluuij exundauerunt, vt damna agricolæ paterentur.

Anno II. *Conf. Tiberij Constantini Augusti. Ind.* XIV.

Eâ Indictione, mense Septembri, AVSTREGILDIS Regina obiit; propter cuius transitum interfecti sunt duo Medici, Nicolaus, & Donatus.

Eo anno Mummolus Patricius cum vxore, & filiis, & multitudine familiæ, ac diuitiis multis, in marcâ CHILDEBERTI Regis, id est, Auinione, confugit.

B

APPENDIX
AD MARII CHRONICON,

Auctore ignoto, sed perantiquo.

VSQVE hîc Marius Episcopus

Anno III. *Tiberij Aug. Ind.* XV.

Anno IV. *Tiberij Aug. Ind.* I.

Anno V. *Tiberij Aug. Ind.* II.

Anno VI. *Tiberij Aug. Ind.* III.

Anno VII. *Tiberij Aug. Ind.* IV.

Gothi sub Ermengildo Leubegildi Regis filio bifariè diuisi, mutua cæde vastantur.

Indictione V.

Mauricius annis XXI. Sueui à Leubegildo Rege obtenti, Gothis subiiciuntur.

Indictione VI. C

Gothi Recarido Rege intendente, à fide Catholica reuertuntur.

Auares aduersus Romanos dimicantes, auro magis quàm ferro pelluntur.

Phocas annos nouem. Iste seditione militari Imperator factus, Mauricium Augustum, nobiliúmque multos ....*

*leg. *interfecit.*

Huius tempore Parsini, & Veneti per Orientem, vel Ægyptum ciuile bellum faciunt, ac se mutua cæde prosternunt. Prælia quoque Persarum grauissima aduersus Rempublicam excitantur, à quibus Romani fortiter debellati, plurimas Prouincias, & ipsam Hierosolymam amiserunt.

Heraclius quinto imperij sui dum fungitur anno, Sisebotus Gothorum Rex in Spania plurimas Romanæ militiæ vrbes, quarto regni sui sibi bellando subiicit: & Iudæos sui Regni subditos, præter eos qui fuga lapsi sunt ad Francos, ad Christi fidem conuertit.

Huius Imperatoris temporibus, ad XIV. vsque imperij sui annum, & CHLOTHACARII gloriosissimi Francorum Principis quadragesimum regni sui annum, multa Reipublicæ partibus, vbique penè à diuersis gentibus dispendia inlata fuere. Huius tempore Persi Calcidoniam vsque peruenerunt: Huni murum longum interrumpentes, & ad mœnia Constantinopolis peraccedentes, cum prædicto Impe-

A Imperatore, mutuò in muro stante conlocuntur; qui acceptum ab eo pacis pretium, ad tempus recedunt. Per idem tempus diuisa in tribus olim regnis Francia, in vno à præfato Rege, Francorum Regnum coniungitur: atque persequente THEVDERICO Rege germanum suum Austrasiorum Regem THEVDEBERTVM, vincentes Franci in Burgundiam mouentes Austrasios, ad extremum ipsum occiderunt. Nec mora, victor Theudericus Mettis cùm obiisset, Sigoberto filio paruulo cum auiâ suâ Brunihilde, Regnum malè vsurpatum reliquit: qui viuente adhuc germano suo, nepotem proprium ad petram in albis elidi iussit. Per idem tempus victi filij sui à Rege præfato Chlotacario capiuntur: ac præfata Regina, prædictorum auia, ab eo capta, diuersóque pœnarum genere afflicta, deinde camelo imposita, multis suis spectaculum præbuit: postremò ferocissimo conligata pedibus equi tergo, extremum spiritum exhalauit. Cuiúsque deinceps corpusculum incendentes populi, sepulchrum ignis fuit; ac deinceps iudicium paternum sine misericordiâ in germano, & nepote quondam datum, in filiis redundauit: eósque à quibusdam, vt aiunt, interemptos, Monarchiam prænuncupatus Rex in tribus Regnis obtinuit; quam feliciter, religioséque gubernans, quadragesimo nunc cum prioribus regni sui anno vitam ducit.

Fiunt igitur ab exordio Mundi vsque in Heram præsentem, id est, XIV. Heraclij, & XL. Chlothacarij Regis annum, anni quinquies mille, DCCCXXII.

B

FINIS.

EXCERPTA EX APPENDICE AD MARCELLINI COMITIS CHRONICON.

Ind. XV. *P.C. Basilij* XI.

HOc tempore Iustinianus Augustus Narsem Eunuchum Chartularium & Cubicularium suum Principem militiæ fecit, & in Italiam misit. Qui commissa pugna Dei gratia victor Totilam occidit, & gentem Gothorum, auxiliantibus etiam Longobardis, in Italia exterminauit. Per hæc tempora, cùm Buccelinus Comes cum sociis à THEODEBERTO Rege Francorum dudum missus, per annos aliquot Italiam Siciliámque infestaret, & Romanum sæpè exercitum superaret, tandem exercitus eius profluuio ventris attritus, à Narse pugna victus & profligatus, ipse Dux occisus est. Nec multò pòst socius eius Omnirugus Dux cum reliquis Gothorum, quibus se iunxit, peremptus est.

Ind. I. *P.C. Basilij V.C.* XII.

C THEODEBALDVS Francorum Rex moritur, & Regnum eius vxorémque VANDERADAM HLOTARIVS Rex patris eius Theodeberti patruus accepit, qui iam XLIV. annis regnabat. Quo ipso anno Hlotarius ipse Saxones rebellantes iuxta VVisseram fluuium magna cæde domuit, & Thuringiam peruasam deuastauit.

Ind. II. *P.C. Basilij V.C.* XIII.

Vigilius Papa tandem ab Imperatoribus Romanis, & à Narse de exilio relaxatus, cùm Romam redire cœpisset, in Sicilia morbo calculi tactus decessit: móxque Romam perlatus apud S. Marcellum in via Salaria sepultus est. Pro quo ordinatus Pelagius Papa LXII. sedit annis XI. mensibus X. Qui à populo Romano factionis contra Vigilium incusatus, celebratis vna cum Narse litaniis, apud S. Petrum ambone ascenso, Euangelióque super caput suum posito, iuramento se crimine purgauit.

Ind. III. *P.C. Basilij V.C.* XIV.

Hoc tempore Saxones iterum Hlotario rebellantes, cùm ab eo peterentur hostiliter, eíque pro satisfactione dimidium rerum suarum offerrent, idque exercitus Francorum refutans eo inuito pugnasset, magna ab eis cæde protritus fugæ præsidium petiit.

Ind. IV. *P.C. Basilij V.C.* XV. A

His diebus HRAMNVS patri suo Hlotario, annuente patruo Hildeberto rebellans, Regnum Francorum seditione perturbat. Saxones factione HILDEBERTI in Francia prædas egerunt. Hildebertus Remensem Campaniam populatur.

Ind. V. *P.C. Basilij V.C.* XVI.

In Britannia Bridus Rex Pictorum efficitur. HILDEBERTVS Rex Francorum circa hæc tempora moritur, & Parisius in Basilica S. Vincentij à se constructa sepelitur, Regnúmque eius frater HLOTARIVS assumens, totam paterni Regni Monarchiam obtinuit.

Ind. VI. *P.C. Basilij V.C.* XVII.

Hramnus patrem Hlotarium, quem multis malis offenderat, hoc tempore, in Britanniam fugiens, insequente eo ibidem cum Conoboro Rege pugna victus & captus, cum vxore & filiabus viuus incensus est. Quo etiam tempore Turonis Basilica S. Martini rebellibus ad eam fugientibus igne crematur.

EXCERPTA EX CHRONICO
IOANNIS BICLARIENSIS.

B

ANNO III. Mauricij Imperatoris, qui est Leonegildi XVII. annus, FRANCI Galliam Narbonensem occupare cupientes, cum exercitu ingressi. In quorum congressionem Leonegildus Recaredum filium obuiam mittens, & Francorum est ab eo exercitus repulsus, & prouincia Gallatiæ * ab eorum est infestatione liberata. Castra verò duo cum nimia hominum multitudine, vnum pace, alterum bello occupat. Castrum verò, quod Hodierno * vocatur, tutissimum valde in ripa Rhodani fluminis ponitur, quod Recaredus Rex fortissima pugnâ aggressus obtinuit, & victor ad patrem patriámque redit.

* Galliæ

* al. Vgerno.

Anno V. Mauricij Imperatoris. Romani per Francorum adiutorium Longobardos vastant, & prouinciæ Italiæ partem in suam redigunt potestatem.

DESIDERIVS Francorum Dux, Gothis satis infestus, à Ducibus Recaredi Regis superatur, & cæsa Francorum multitudine in campo moritur.

Anno VII. Mauricij. Francorum exercitus à GOTERANNO Rege transmissus, BOSONE Duce, in Galliam Narbonensem obueniunt, & iuxta Carcasonensem vrbem castra metati sunt. Cui Claudius Lusitaniæ Dux à Recaredo Rege directus obuiam, inibi occurrit. Cum quo congressione facta, Franci in fugam vertuntur, & direpta castra Francorum, & exercitus à Gothis cæditur, &c.

A

FRAGMENTA
DE VETERVM FRANCORVM
MORIBVS AC REBVS GESTIS,
A CONSTANTINO MAGNO IMP. VSQVE ad Regem CLODOVEVM I. eiúsque liberos.

Ex Constantini ipsius Constitutione, Libanio Sophista, Prisco Rhetore, Iornande, Procopio, Agathia, Menandro Protectore, & aliis.

B

Quæ apud Ammianum Marcellinum, Zosimum, & alios Historiæ Augustæ Scriptores, necnon apud Panegyristas veteres, de FRANCIS *extant Testimonia, siue Fragmenta, ideò hîc obmittuntur, quia Nic. Vignerius illa, aut illorum optimam partem in Tractatu suo de Origine & Statu priscorum Francorum, qui superiùs habetur, adnotauit.*

EX CONSTITVTIONE CONSTANTINI MAGNI IMPERATORIS,

Referente Constantino Porphyrogenneto Imp. Libro de Administrando Imperio, ad Romanum Porphyrogennetum filium.

Εἴ ποτε ἔθνος τι ἀπὸ τῶν ἀπίστων τούτων καὶ ἀτίμων βορείων γενῶν αἰτήσεται συμπενθεριάσαι μετὰ τοῦ βασιλέως Ῥωμαίων, καὶ ἢ θυγατέρα αὐτοῦ εἰς νύμφην λαβεῖν, ἢ ἐπιδοῦναι οἰκείαν θυγατέρα, ἢ γυναῖκα χρηματίσαι βασιλέως, ἢ βασιλέως υἱοῦ, χρῆσαι τοιούτοις ῥήμασι, καὶ τὴν τοιαύτην αὐτῶν παράλογον ἀποκρούσασθαι αἴτησιν, λέγοντα. Ὅτι
C καὶ περὶ ταύτης τῆς ὑποθέσεως παραγγελία καὶ διάταξις φοβερὰ καὶ ἀπαράποιητος τοῦ μεγάλου καὶ ἁγίου Κωνσταντίνου ἐναπογέγραπται ἐν τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ τῆς καθολικῆς τῶν Χριστιανῶν ἐκκλησίας τῆς ἁγίας Σοφίας, τοῦ μηδέποτε βασιλέα Ῥωμαίων συμπενθεριάσαι μετὰ ἔθνους παρηλλαγμένοις καὶ ξένοις ἤθεσι χρωμένου τῆς Ῥωμαϊκῆς καταστάσεως, μάλιστα δὲ ἀλλοπίστου καὶ ἀβαπτίστου, εἰ μὴ μετὰ μόνων τῶν Φράγγων. τούτους γὰρ μόνους ὑπεξείλετο ὁ μέγας ἐκεῖνος ἀνὴρ Κωνσταντῖνος ἅγιος. ὅτι καὶ αὐτὸς τὴν γένεσιν ἀπὸ τῶν τοιούτων ἔσχε μερῶν. ὡς συγγενείας καὶ ἐπιμιξίας πολλῆς τυγχανούσης Φράγγοις τε καὶ Ῥωμαίοις. καὶ διὰ τί τοῦτο μετὰ τούτων μόνων προσέταξεν συνιστᾶν γαμικὰ συναλλάγματα τοὺς βασιλεῖς Ῥωμαίων, διὰ τὴν ἄνωθεν τῶν μερῶν ἐκείνων καὶ γενῶν περιφάνειαν καὶ εὐγένειαν. μετ' ἄλλου δὲ τοῦ οἱουδήποτε ἔθνους μὴ δυναμένους τοῦτο ποιεῖν, ἀλλ' ὁ τοῦτο ποιῆσαι τολμήσας, ἵνα ὡς παραβάτης πατρικῶν εἰσηγήσεων, καὶ βασιλείων θεσμῶν, ἀλλότριος κρίνοιτο τῶν Χριστιανῶν καταλόγων, καὶ τῷ ἀναθέματι παραδίδοιτο.

 A

Versio Latina.

SI vnquam gens quæpiam ex infidelibus & inhonoratis Borealibus affinitatem contrahere cum Romano Imperatore voluerit, & vel filiam eius sponsam accipere, vel suam illi elocare, vel Imperatoris, aut eius filij vxorem capere, huiusmodi te verbis indecoram hanc petitionem propulsare oportet. Etiam hac de re Interdictum, Constitutionémque metuendam, immutabilémque, à Magno & sancto CONSTANTINO scriptam esse in sacra mensa Catholicæ Christianorum Ecclesiæ sanctæ Sophiæ, ne vnquam Imperator Romanus affinitatem contrahat cum gente, quæ peregrinis, & à Romano statu diuersis moribus vtatur, maximè quæ fidei alterius, & baptizata non sit, exceptis dumtaxat FRANCIS. Hos enim solos excepit magnus ille vir sanctus Constantinus, cùm quòd ex illis partibus ipse oriundus, tum quòd propinquitas isti genti & commercia magna essent cum Romanis. Quapropter etiam cum his solis valere contractus matrimoniales permisit, propter partium illarum gentiúmque splendorem, ac nobilitatem, quam iam annotaui. Cum alio autem quocumque populo omninò prohibuit. Quod verò si quis facere ausus fuerit, tanquam patriarum Constitutionum Imperialiúmque Legum transgressor, & inter Christianos censeri indignus, diris deuoueatur. B

EX LIBANII SOPHISTÆ BASILICO.
seu Panegyrico dicto Impp. Constantio & Constanti.

ἜΣτι φῦλος Κελτικὸν ὑπὲρ Ῥῆνον ποταμὸν ἐπ' αὐτὸν Ὠκεανὸν καθῆκον, οὕτως εὖ πεφραγμένον πρὸς τὰ τῶν πολέμων ἔργα, ὥστε τὴν προσηγορίαν ἀπ' αὐτῶν εὑράμενοι τῶν πράξεων, ὀνομάζονται, Φρακτοί. οἱ δὲ ὑπὸ τῶν πολλῶν κέκληνται Φράγκοι*, (τοῦτ' ἔστι προσηγορία τῇ τῶν πολλῶν ἀμαθίᾳ διεφθαρμένη.) οὗτοι πλήθει μὲν πάντα ἀριθμὸν ὑπερβαίνουσιν. ἰσχὺ δὲ τοῦ σφῶν πλήθους τὴν ὑπερβολὴν παρέρχονται. τούτοις, ζάλη μὲν θαλάττης, οὐδὲν ἐπείρου φοβερωτέρα. κρυμὸς δὲ ἀρκτῷος, ἀέρων εὐκρασίας ἡδίων. συμφορὰ δὲ μεγίστη, βίος ἀπράγμων. καὶ πέρας εὐδαιμονίας, οἱ τῶν πολέμων καιροί. κἂν εἴ τις ἀκρωτηριάσειε, τῷ λειπομένῳ μάχονται. καὶ οὐ τῶν κρατούντων ἡ δίωξις, δέχεται πέρας. εἴ τε* κρατηθῆναι συμβαίη, τῆς φυγῆς τὸ τέλος, ἀρχὴν ἐφόδου ποιοῦνται. γέρα δὲ ἀπονοίας, καὶ τιμὰς θρασύτητος νομοθετήσαντες ἔχουσιν. ἀρρώστημά τε ὅλως τὴν ἡσυχίαν, κρίνουσι. τὸν μὲν οὖν ἔμπροσθεν ἅπαντα χρόνον, οἱ τὴν πάροικον ἐκείνοις βασιλείαν λαχόντες, οὔτε λόγους εὕρισκον, οἷς πείσουσιν. οὔτε ὅπλων ἰσχὺν οἷς ἀναγκάσουσιν ἠρεμεῖν. ἀλλ' ἔδει προσιδρυμένους συνεχῶς νύκτα καὶ ἡμέραν ταῖς ἐκδρομαῖς ἀπαντᾶν. καὶ μήτε σῖτον ἔξω τῶν ὅπλων αἱρεῖσθαι*. μήτε τὸ κράνος ἀποθεμένους ἐπ' ἀδείας διαπαύεσθαι. ἀλλὰ μονονοὺ τῇ σκευῇ συμπεφυκότας, σιδηροφορεῖν κατὰ τοὺς παλαιοὺς Ἀκαρνᾶνας. καὶ ταὐτὸ συνέβαινεν, ὅπερ ἐπὶ τῶν προβόλων, ἐπειδὰν ἡ θάλαττα ποικίλοις ἐλαυνομένη πνεύμασιν, εἰς συνέχειαν ἐγείρηται κυμάτων. ὥσπερ γὰρ ἐκεῖ πρὶν καθαρῶς τὸ πρῶτον κῦμα περὶ τοὺς προβόλους ῥαγῆναι, τὸ δεύτερον ἐγκαταλαμβάνει. καὶ τὸ τρίτον αὖθις. καὶ τοῦτο, διατελεῖ γινόμενον, ἕως ἂν λήξῃ τὰ πνεύματα. οὕτω δὴ καὶ τὰ τῶν Φρακτῶν φῦλα ὑπὸ τῶν πολεμικῶν ἐρώτων πρὸς μανίαν κινούμενοι, πυκνὰς ἐποιοῦντο τὰς προσβολάς. καὶ πρὶν τὴν πρώτην ἱκανῶς ἀποκρουσθῆναι φάλαγγα, δεύτερος στρατηγὸς ἐπέπιπτεν, ἀλλ' ἔδει καὶ τὰ τούτων ποτὲ λῆξαι κύματα, καὶ στῆναι τὴν κίνησιν βεβαίως. ἐφάνη γὰρ βασιλεύς, ὃς τὸν ἀκόρεστον ἐκείνοις τῶν πολεμικῶν ἔρωτα πρὸς εἰρήνης ἐπιθυμίαν ἔτρεψε. κατ' ἄλλο μὲν οὐδέν, μείζω δὲ τῆς ἐκείνων περὶ τὰς μάχας προθυ- C

* γρ. ὡς Φέραγχοι

* γρ. οὔτε κ. ὅτι. εἰ ἀλλ.

* γρ. αὐχεῖσθαι.

A μίας, τὴν οἰκείαν προδείξας. ἧκον εἰς πεῖραν. χειρῶν ἐλθεῖν ὑπέμεινον, ἀλλ' ἤρκεσεν ὁ φόβος τὰ τῆς πείρας ἐργάσασθαι. τὰς δεξίας εἰς μὲν δοράτων ἄφεσιν οὐκ, ἀνέτειναν, εἰς δὲ συνθηκῶν αἴτησιν προὔτειναν. τεκμήριον δέ. ἐδέξαντο παρ' ἡμῶν ἄρχοντας, ὥσπερ ἐπόπτας τῶν δρωμένων, καὶ τὴν θηριώδη λύσσαν, ἐκβαλόντες, λογισμοὺς ἀνθρωπίνους ἐσπάσαντο. καὶ τὴν πλεονεξίαν ἀφέντες, τὴν τῶν ὅρκων φυλακὴν ἐτίμησαν. πρότως δὴ αἰεὶ καὶ τῆς ἐκ τῶν ὅρκων ἀνάγκης ἀπούσης, τὴν ἡσυχίαν ἠγάπησαν. οὕτως εἴωθε τὸ χεῖρον ὑπὸ τοῦ κρείττονος κατείργεσθαι. καὶ νῦν βασιλεὺς, οὐ ταῖς φύσεσι τῶν Φρακτῶν. τῷ δὲ περὶ αὐτοῦ φόβῳ, τὰς ἐκείνων ὁμολογίας τηρεῖν παραδοὺς, ἐν ταῖς Παιόνων πόλεσιν ὑπὲρ τῶν ὅλων βουλεύεται. τοὺς δὲ ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις ἄρχοντας, ἡ Φρακτῶν αἰφνίδιος φορὰ, πρὸς αὐτοὺς βλέπειν ἀναγκάζουσα, οὐδὲ εἰδέναι τὴν ἀρχὴν ἐπέτρεπεν, ἀλλ' ἀκοῇ μόνῃ τὸ ὑπήκοον τοῖς κρατοῦσιν ἐγινώσκετο. τίς οὖν ἐραστὴς νίκης ἀκμὴν ἀγνοουμένης, ἐμφορείσθω τῶν παιδικῶν. ὡς οὐδείς ἐστιν, ὅστις οὐκ ἀπὸ ψιλῆς, ἐκπλήξεως δουλείαν ὡμολόγησεν. ὁπότερον μὲν, οὖν ἄμεινον, εἴτε κινουμένων κρατεῖν· εἴτε μηδὲ κινεῖσθαι παρέχειν· ψηφιζέσθω κατὰ τὴν οἰκείαν βουλόμενος [τύχην καὶ] φύσιν, ὡς ὁπότερον
B δ' ἂν κρατήσῃ, τοῦτο ἀμφοτέρων γίνεται. πλέον γὰρ τοῖς ἀλλήλων, ἢ τοῖς οἰκείοις μεγαλαυχοῦνται. Φρακτοὶ μὲν οὖν τοιοῦτον ὑπῆλθον ζυγὸν δουλείας. τὸ γὰρ μὴ ἔχειν ἑτέροις λνίζεσθαι, τοῦτο ἐκείνοις δουλεία.

Versio Latina Federici Morelli.

CELTARVM gens est supra Rhenum fluuium, ad Oceanum pertingens, tam præclarè à natura ad bellorum vsus munita, vt appellationem ab ipsis actis nacti FRANCI nominentur, quasi à Græcanica dictione φρακτοί (hoc est, septi munitíve) ab imperito vulgo corrupta. Hi multitudine numerum penè omnem excedunt: robore autem multitudinis immensitatem superant. His maris procellosi æstus non magis terrori est, quàm continens terra; & frigus Septentrionale suauius quàm aëris temperies: calamitas verò maxima est vita absque negotiis: & felicitatis apex belli tempora sunt. Quòd si quis mutilatus fuerit, parte reliqua integra præliatur: & vincentium persecutio non admittit finem: at si contigerit vt superentur, fugæ extremum inuasionis initium faciunt. Porro insanæ peruicacitatis præmia, & audaciæ honores, legibus apud ipsos sancitis, obtinent. quietem otiúmque morbum omnino iudicant. Qnapropter ab omni æuo superiore propinquum illis Regnum nacti, neque rationes inuenerunt quibus persuaderent, neque tantam in armis vim habuerunt, vt quiescere cogerent. Verùm diu noctúque, nulla interposita mora, perseuerantes excursionibus occur-
C rere opus erat: neque cibum sine armis sumere, neque galea depositâ securè requiescere licebat: sed tantum non armaturæ cohærentes ferrum gestare priscorum Acarnanum more oportebat. Idémque his vsuuenit quod in obicibus, quando mare variis impulsum ventis continuatos fluctus decumanos excitat. Nam quemadmodum ibi priusquam prior fluctus ad oppositos obices fractus sit, secundus occupat, & tertius deinceps: isque motus non intermittit, donec venti cessent: ita certè FRANCORVM animi rerum bellicarum amore ad insaniam concitati crebras edebant impressiones; ac priusquam primam aciem prorsus repulissent, Dux alter exercitus superincidebat. Verùm tandem oportuit hos fluctuum motus componi, sistíque firmiter. Enimuerò tùm Rex apparuit, qui insatiabilem in illis bellandi cupiditatem ad pacis desiderium conuertit: nec vllam artem aliam adhibuit, nisi quòd maiorem ipse ad pugnandum alacritatem, quàm ea quæ in illis fuit, præ se tulit. Itaque minimè ad manus venire & congredi sunt ausi: sed formido tantum quantum congressus & experimentum efficere potuit. Ac dextras quidem non ad hastilium iaculationem intendêre, sed ad pactorum & fœderum postulationem protenderunt. Cuius rei argumento est, quòd Rectores à nobis admiserint, tanquam eorum quæ agerentur inspectores: & belluina rabie abiecta, humanos discursus amplexati sunt, ac plus ha-

bendi cupidine relicta, iusiurandi religionem in honore habuerunt. Denique omninò etiam iuramentorum necessitate nulla vrgente, quietem adamarunt. sic peior à meliori coërceri assolet. Et nunc Imperator cùm non ingeniis FRANCORVM, verum timori Maiestatis suæ pacta conuenta illorum seruanda constituisset, in Pœonum ciuitatibus de summa rerum deliberat. At quos superioribus temporibus Principes habuerant, FRANCORVM subitus aduentus in se oculos conuertere cogens, ne scire quidem ab initio permisit: sed auditu solo subditi Rectoribus innotuerant. Quidam ergo victoriæ sine sudore partæ cupidus expleatur deliciis, vt nemo est qui non simplici stupore seruitutem confessus sit. Vtrumlibet ergo melius siue concitatos vincere, siue id efficere vt non concitentur; quisque vt volet ex propria fortuna & indole decernat, ita vt quodcumque superauerit, hoc amborum fiat. Plus enim iis quæ inuicem, & communibus contingunt commodis, quàm suis omnes gloriantur. FRANCI igitur tam graue seruitutis iugum subierunt. etenim hæc illis seruitus est, nullos habere quos deprædentur. A

EX PRISCI RHETORIS ET SOPHISTÆ HISTORIA,

B

Qua Legationem Theodosij Iunioris ad Attilam, & pleraque alia continet.

Ὅτι ὡς ἠγγέλθη τῷ Ἀττήλᾳ τὸν Μαρκιανὸν ἐς τὰ κατὰ τὴν ἕω ῥωμαϊκὰ παρεληλυθέναι βασίλεια μετὰ τὴν Θεοδοσίου τελευτήν, ἠγγέλθη δὲ αὐτῷ καὶ τὰ τῆς Ὠνωρίας περὶ γεγενημένα· πρὸς μὲν τὸν κρατοῦντα τῶν ἑσπερίων Ῥωμαίων ἔστελλε τοὺς διαλεξομένους μηδὲν Ὠνωρίαν πλημμελεῖσθαι, ἣν ἑαυτῷ πρὸς γάμον κατενεγγύησε. τιμωρήσειν γὰρ αὐτῇ εἰ μὴ καὶ τὰ τῆς βασιλείας ἀπολάβοι σκῆπτρα. ἔπεμπε δὲ καὶ πρὸς τοὺς ἑώους Ῥωμαίους τῶν ταχθέντων φόρων ἕνεκα. ἀπράκτων δὲ ἐξ ἀμφοτέρων τῶν αὐτοῦ ἐπανελθόντων πρέσβεων, (οἱ μὲν γὰρ τῆς ἑσπερίας ἀπεκρίναντο, Ὠνωρίαν αὐτῷ ἐς γάμον ἐλθεῖν μὴ δύνασθαι, ἐκδεδομένην ἀνδρί· σκῆπτρον δὲ αὐτῇ μὴ ὀφείλεσθαι· οὐ γὰρ θηλειῶν ἀλλὰ ἀρρένων ἡ τῆς ῥωμαϊκῆς βασιλείας ἀρχή· οἱ δὲ τῆς ἕω ἔφασαν οὐχ ὑποστήσεσθαι τὴν τοῦ φόρου ἀπαγωγὴν ἣν ὁ Θεοδόσιος ἔταξε· καὶ ἡσυχάζοντι μὲν δῶρα δώσειν, πόλεμον δὲ ἀπειλοῦντι ὅπλα καὶ ἄνδρας ἐπάξειν τῆς αὐτοῦ μὴ λειπομένους δυνάμεως) ἐμερίζετο τὴν γνώμην καὶ διηπόρει ποίοις πρότερον ἐπιθήσεται. καὶ ἔχειν αὐτῷ ἐδόκει καλῶς, πρὸς ἐπὶ τὸν μείζονα τρέπεσθαι πόλεμον, καὶ ἐς τὴν ἑσπέραν στρατεύεσθαι, τῆς μάχης αὐτῷ μὴ μόνον πρὸς Ἰταλιώτας, ἀλλὰ καὶ πρὸς Γότθους καὶ Φράγγους ἐσομένης· πρὸς μὲν τοὺς Ἰταλιώτας, ὥστε τὴν Ὠνωρίαν μετὰ τῶν χρημάτων λαβεῖν· πρὸς δὲ Γότθους χάριν Γεζερίχῳ κατατιθέμενον. C

Ὅτι τῷ Ἀττήλᾳ ἦν τοῦ πρὸς Φράγγους πολέμου πρόφασις ἡ τοῦ σφῶν βασιλέως τελευτή, καὶ ἡ τῆς ἀρχῆς τῶν ἐκείνου παίδων διαφορά· τοῦ πρεσβυτέρου μὲν Ἀττήλαν, τοῦ δὲ νεωτέρου Ἀέτιον ἐπὶ συμμαχίᾳ ἐπάγεσθαι ἐγνωκότος, ὃν κατὰ τὴν Ῥώμην εἴδομεν πρεσβευόμενον μήπω ἴουλον ἀρχόμενον, ξανθὸν τὴν κόμην ταῖς αὐτοῦ περικεχυμένην διὰ μέγεθος ὤμοις. θετὸν δὲ αὐτὸν ὁ Ἀέτιος ποιησάμενος παῖδα, καὶ πλεῖστα δῶρα δοὺς ἅμα τῷ βασιλεύοντι, ἐπὶ φιλίᾳ τε καὶ ὁμαιχμίᾳ ἀπέπεμψε. τούτων ἕνεκα ὁ Ἀττήλας τὴν ἐκστρατείαν ποιούμενος, αὖθις τῶν ἀμφ' αὐτὸν ἄνδρας ἐς τὴν Ἰταλίαν ἔπεμπεν ὥστε τὴν Ὀνωρίαν ἐκδιδόναι· εἶναι γὰρ αὐτῷ ἡρμοσμένην πρὸς γάμον τεκμήριον ποιούμενος τὸν παρ' αὐτῆς πεμφθέντα δακτύλιον, ὃν καὶ ἐπιδειχθησόμενον ἐστάλκει. παραχωρεῖν δὲ αὐτῷ τὸν Βαλεντινιανὸν καὶ τοῦ ἡμίσεως τῆς βασιλείας μέρους, ὡς καὶ τῆς Ὀνωρίας διαδεξαμένης μὲν παρὰ τοῦ πατρὸς τὴν ἀρχήν, ταύτης δὲ τῇ τοῦ ἀδελφοῦ ἀφαιρεθείσης πλεονεξίᾳ.

A ὡς δὲ οἱ ἑσπέριοι Ῥωμαῖοι τῆς προτέρας ἐχόμενοι γνώμης, πρὸς οὐδὲν τῶν αὐτῷ δεδογμένων ὑπήκουον, εἴχετο μᾶλλον τῆς τοῦ πολέμου παρασκευῆς, πᾶν δὲ τὸ τῶν μαχίμων ἀγείρων πλῆθος, &c.

Ὅτι οἱ ἑσπέριοι Ῥωμαῖοι ἐς δέος ἐλθόντες περὶ Μαρκελλίνου, μή ποτε αὐξανομένης αὐτῷ τῆς δυνάμεως καὶ ἐπ' αὐτοὺς ἀγάγοι τὸν πόλεμον, διαφόρως ταραττομένων αὐτοῖς τῶν πραγμάτων, τοῦτο μὲν ἐκ Βανδήλων, τοῦτο δὲ καὶ Αἰγιδίου, ἀνδρὸς ἐκ Γαλατῶν μὲν τῶν πρὸς τῇ ἑσπέρᾳ ὁρμωμένου, τῷ δὲ Μαιοριανῷ συστρατευσαμένου, καὶ πλείστην ἀμφ' αὐτὸν ἔχοντος δύναμιν, καὶ χαλεπαίνοντος διὰ τὴν τοῦ βασιλέως ἀναίρεσιν· ὃν τοῦ πρὸς Ἰταλιώτας τέως ἀπήγαγε πολέμου ἡ πρὸς Γότθους τοὺς ἐν Γαλατίᾳ διαφορά. περὶ γὰρ τῆς ὁμόρου πρὸς ἐκείνους διαφιλονεικῶν γῆς καρτερῶς ἐμάχετο· καὶ ἀνδρὸς ἔργα μέγιστα ἐν ἐκείνῳ ἐπεδείξατο τῷ πολέμῳ, τούτων δὴ ἕνεκα ἑσπέριοι Ῥωμαῖοι παρὰ τοὺς ἑῴους πρέσβεις ἔστελλαν, ὥστε αὐτοῖς καὶ τὸν Μαρκελλῖνον καὶ τοὺς Βανδήλους διαλλάξαι.

Versio Latina.

CVM primum Attilæ nuntiatum, Marcianum post Theodosij mortem ad Imperium euectum fuisse, nuntiatum præterea de Honoria; ad eum quidem qui B in Occidente rerum potiebatur misit Legatos, qui dicerent nullam Honoriæ iniuriam fieri quam sibi ipse despondisset: se porrò vltorem ei venturum, nisi hæreditaria Imperij portio ipsi redderetur. Ad Orientales autem Romanos Legationem misit propter tributa quæ constituta erant. Sed re infecta Legati vtrinque sunt reuersi. Etenim Imperator quidem Occidentis respondit, Honoriam ipsi nubere non posse, quæ iam alteri nupsisset: neque Imperium Honoriæ deberi. Virorum enim, non mulierum Romanum Imperium esse. At Orientales passuros se nunquam dixere tributi illationem, quam Theodosius pepigerat. Quiescenti munera largituros: bellum minanti, obiecturos arma virósque nequaquam ipsius copiis deteriores. Itaque Attila in varias distrahebatur sententias, hærebátque incertus quos primùm aggrederetur. Tandem satius ei visum est ad difficilius bellum sese conuertere, & in Occidentem copias ducere. Illic enim sibi rem fore non solùm cum Italis, sed etiam cum Gothis & Francis. Cum illis quidem, vt Honoriam cum thesauris acciperet vxorem: cum Gothis verò, vt à Geserícho gratiam iniret. At Francos bello lacessendi occasionem ei subministrabat Regis illorum obitus, & de Regno inter liberos eius orta dissensio. Quorum maior natu Attilam, minor Aëtium in auxilium vocare statuerat. Hunc nos Romæ Legationem obeuntem vidimus, adhuc imberbem: flaua coma, adeóque promissa, vt super humeros circumfusa esset. Eum Aëtius filium à se adoptatum, multísque cùm ab ipso, tum ab Imperatore ornatum muneribus, & amicum ac socium populi Rom. appellatum dimisit. His de causis expeditionem parans Attila, rursus C Legatos in Italiam misit qui Honoriam tradi poscerent: eam enim sibi desponsam esse. Cuius rei argumentum afferebat annulum sibi ab Honoria transmissum; quem etiam exhibendum dederat Legatis. Media quoque Imperij parte sibi vt Valentinianus cederet, petebat: quippe quam Honoria quidem à patre relictam hereditario iure accepisset: fratris autem auaritia eidem eripuisset. Sed cùm Occidentales Romani in eadem sententia perstarent, neque vllis eius postulationibus auscultarent, eo magis Attila apparatum belli vrgere cœpit, omni vndique militum multitudine conuocata, *&c.*

Occidentalibus Romanis Marcellini incrementa timorem iniiciebant, ne is tantis viribus auctus, bellum ipsis inferret. Prorsus enim tunc temporis res illorum variis modis perturbatæ erant, hinc Vandalis imminentibus, illinc Ægidio, viro ex Gallia oriundo, qui Maiorianum in bellis comitatus fuerat, magnásque circa se copias habebat, & ob Maioriani Imp. cædem erat infensus. Sed eum à bello Italis inferendo auocauerat ortum ipsi cum Gothis in Gallia discidium. De contermina enim regione cum illis certans, fortiter bellum gerebat, multáque viri strenui in eo bello facinora edidit. His de causis Occidentales Romani Legatos ad Orientales miserunt, vt Marcellinum & Vandalos pacatos sibi ac beneuolos redderent.

A

EX PANEGYRICO, QVEM APOLLINARIS SIDONIVS IVLIO VALERIO MAIORIANO AVG. DIXIT.

PVGNASTIS pariter, FRANCVS qua CLOIO patentes
Atrebatum terras peruaserat. Hîc coëuntes
Claudebant angusta vias, arcúque subactum
Vicum Helenam, fluménque simul sub tramite longo
Artus suppositis trabibus transmiserat agger.
Illic te posito, pugnabat ponte sub ipso
Maiorianus eques. Fors ripæ colle propinquo
Barbaricus resonabat hymen, Scythicísque choreis
Nubebat flauo similis noua nupta marito.
Hos ergo, vt perhibent, strauit. crepitabat ad ictus
Cassis, & oppositis hastarum verbera thorax
Arcebat squamis, donec conuersa fugatus
Hostis terga dedit. plaustris rutilare videres
Barbarici vaga festa tori, coniectáque passim
Fercula, captiuásque dapes, cirróque madente
Ferre coronatos redolentia serta lebetas.
Ilicet increscit Mauors, thalamíque refringit
Plus ardens Bellona faces. rapit esseda victor,
Nubentémque nurum. Non sic Pholoëtica monstra,
Atque Pelethronios Lapithas Semeleius Euan
Miscuit, Æmonias dum flammant orgia matres,
Et Venerem Martémque cient, ac prima cruentos
Consumunt ad bella cibos, Bacchóque rotato
Pocula tela putant, cùm crudescente tumultu
Polluit Æmathium sanguis Centauricus Othrym.
Nec plus nubigenûm celebrentur iurgia fratrum.
Hic quoque monstra domat, rutili quibus arce cerebri
Ad frontem coma tracta iacet, nudatáque ceruix
Setarum per damna nitet, tum lumine glauco,
Albet aquosa acies, ac vultibus vndique rasis,
Pro barba tenues perarantur pectine cristæ.
Strictiùs assutæ vestes procera coërcent
Membra virûm, patet iis altato tegmine poples,
Latus & angustam suspendit balteus aluum.
Excussisse citas vastum per inane bipennes,
Et plagæ præscisse locum, clypeósque rotare
Ludus, & intortas præcedere saltibus hastas,
Inque hostem venisse priùs, puerilibus annis
Est belli maturus amor. si fortè premantur
Seu numero, seu sorte loci, mors obruit illos,
Non timor. inuicti perstant, animóque supersunt
Iam prope post animam. Tales te teste fugauit,
Et laudante viros. --------

A

EX IORNANDE.

Libro de Geticæ Gentis origine ac rebus gestis.

MORTVO Alarico VVesegotha, Athaulfo eius consanguineo, & formâ & mente conspicuo, tradunt Regnum. Nam erat quamuis non adeo proceritate staturæ formatus, quantum pulchritudine corporis vultúque decorus. Qui suscepto Regno reuertens item ad Romam, si quid primùm remanserat, more locustarum erasit: nec tantùm priuatis diuitiis Italiam spoliauit, imò & publicis. Imperatore Honorio nihil resistere præualente, cuius & germanam Placidiam, Theodosij Imperatoris ex altera vxore filiam, vrbe captiuam abduxit. Quam tamen ob generis nobilitatem, formæque pulchritudinem, & integritatem castitatis attendens, in Foroliuij Æmiliæ ciuitate suo matrimonio copulauit: vt Gentes hac societate comperta, quasi adunata Gothis Republica, efficaciùs terrerentur. Honorjúmque Augustum, quamuis opibus exhaustum, tamen quasi cognatum grato animo derelinquens, GALLIAS tendit. Vbi cùm aduenisset, vicinæ gentes perterritæ in suis se finibus cœperunt continere, quæ dudum crudeliter Gallias infestassent, tam FRANCI, quàm BVRGVNDIONES. Nam
B VVandali & Alani permissu Principum Romanorum vtraque Pannoniâ resedêre, nec ibi sibi ob metum GOTHORVM arbitrantes tutum fore, si reuerterentur, ad Gallias transiêre. Sed mox à Galliis, quas ante non multum tempus occupassent, fugientes, Hispaniâ se reclusêre, adhuc memores ex relatione maiorum suorum, quid dudum Geberich Rex genti suæ præstitisset incommodi, vel quomodo eos virtute sua patrio solo expulisset. Tali ergo casu Galliæ Athaulfo patuêre venienti. Confirmato ergo Gothis Regno in Galliis, Hispanorum casu cœpit dolere, eósque deliberans à VVandalorum incursibus eripere, per suas opes Barcilonam cum certis fidelibus delectis, plebéque imbelli, interiores Hispanias introiuit. Vbi sæpè cum VVandalis decertans, tertio anno postquam Gallias Hispaniásque domuisset, occubuit, gladio ilio perforato Vernulfi, de cuius solitus erat ridere statura. Dehinc iam quartus ab Alarico Rex constituitur Valia, nimis destrictus & prudens, *&c.*

DEFVNCTO Valia, qui parum fuerat felix Gallis, prosperrimus, feliciórque Theodericus successit in Regno, homo summa moderatione compositus, animi corporísq; virilitate abundans. Contra quem, Theodosio & Festo Consulibus, pace rupta Romani, auxiliaribus secum iunctis, in GALLIAS arma mouerunt. Turbauerat namque eos Gothorum fœderatorum manus, quæ cum Cama Comite Constantinopoli se fœderasset. Aëtius ergo Patricius tunc præerat militibus, for-
C tissimorum Mœsiorum stirpe progenitus, in Dorostena ciuitate, à patre Gaudentio, labores bellicos tolerans, Reipubl. Romanæ singulariter natus. Qui cùm superbiam Sueuorum, FRANCORVMque barbariem immensis cædibus seruire Romano Imperio coëgisset, Hunnis quoque auxiliariis, Litorio ductante, contra Gothos Romanus exercitus mouit procinctum: diúque ex vtraque parte acie ordinata, cùm vtríque fortes, & neuter firmior esset, datis dextris, in pristinam concordiam redierunt, fœderéq; firmato, ab alterutro fida pace peracta, recessit vterque. Qua pacatur ATTILA Hunnorum omnium Dominus, & penè totius Scythiæ gentium solus in mundo regnator, qui erat famosa inter omnes gentes claritate mirabilis. Ad quem in Legationem remissus à Theodosio iuniore PRISCVS, tali voce inter alia refert: Ingentia siquidem flumina, id est Tysiam, Tibisiámque, & Driccam transeuntes, venimus in locum illum, vbi dudum Vidicula Gothorum fortissimus Sarmatum dolo occubuit. Indéque ad vicum, in quo Rex Attila morabatur, accessimus: vicum, inquam, ad instar ciuitatis amplissimæ, in quo lignea mœnia ex tabulis nitentibus fabricata reperimus; quorum compago ita solidum mentiebatur, vt vix ab intento posset iunctura tabularum comprehendi. Videres triclinia ambitu prolixiore distenta, porticúsque in omni decore dispositas. Area verò curtis ingenti ambitu cingebatur, vt amplitudo ipsa regiam Aulam

» ostenderet. Hæ sedes erant Attilæ Regis, Barbariam totam tenentis. hæc captis ci- A
» uitatibus habitacula præponebat.

Is namque Attila patre genitus Mundzueco, cuius fuêre germani Octar & Roas, qui ante Attilam Regnum Hunnorum tenuisse narrantur, quamuis non omninò cunctorum. Eorum ipse post obitum cum Bletta germano Hunnorum successit in Regnum: & vt antè expeditioni, quam parabat, par foret, augmentum virium parricidio quærit, tendens ad discrimen omnium nece suorum. Sed liberante iustitiâ detestabili remedio crescens, deformes exitus suæ crudelitatis inuenit. Bletta enim fratre fraudibus perempto, qui magnæ parti regnabat Hunnorum, vniuersum sibi populum subiugauit: aliarúmque gentium, quas tunc in ditione tenebat, numerositate collecta, primas mundi gentes, Romanos VVesegothásque subdere peroptabat. Cuius exercitus quingentorum millium esse numerus ferebatur. Vir in concussionem gentis natus in mundo, terrarum omnium metus: qui nescio qua sorte terrebat cuncta, formidabili de se opinione vulgata. Erat namque superbus incessu, huc atque illuc circumferens oculos, vt elati potentia ipso quoque motu corporis appareret. Bellorum quidem amator, sed ipse manu temperans, consilio validissimus, supplicantibus exorabilis, propitius in fide semel receptis. Formâ breuis, lato pectore, capite grandiori, minutis oculis, rarus barbâ, canis aspersus, simo naso, teter colore, originis suæ signa referens. Qui quamuis huius esset naturæ, vt semper magna confideret, addebat ei tamen
confidentiam gladius Martis inuentus, apud Scytharum Reges semper habitus. B
» Quem Priscus Historicus tali refert occasione detectum. Quum pastor, inquiens,
» quidam gregis vnam buculam conspiceret claudicantem, nec causam tanti vul-
» neris inueniret, sollicitus vestigia cruoris insequitur: tandémque venit ad gladium,
» quem depascens herbas bucula incautè calcauerat, effossúmque protinus ad At-
» tilam defert. Quo ille munere gratulatus, vt erat magnanimus, arbitratur se to-
» tius mundi Principem constitutum, & per Martis gladium potestatem sibi con-
» cessam esse bellorum.

Hvivs ergo mentem ad vastationem Orbis paratam comperiens Gizericus Rex VVandalorum, quem paulò antè memorauimus, multis muneribus ad VVesegotharum bella præcipitat, metuens ne Theodericus VVesegotharum Rex filiæ vlcisceretur iniuriam, quæ Hunericho Gizerici filio iuncta priùs quidem tanto coniugio lætaretur: sed postea, vt erat ille & in sua pignora truculentus, ob suspicionem tantummodò veneni ab ea parati, eam putatis naribus spolians decore naturali, patri suo ad Gallias remiserat, vt turpe funus miseranda semper offerret, & crudelitas, qua etiam mouerentur externi, vindictam patris efficaciùs impetraret. Attila igitur dudum bella concepta Gizerici redemptione parturiens, Legatos in Italiam ad Valentinianum Principem misit, serens Gothorum Romanorúmque discordiam, vt quos prælio non poterat concutere, odiis internis elideret: adserens se Reipub. eius amicitias in nullo violare, sed contra Theoderi-
cum VVesegotharum Regem sibi esse certamen, vnde eum excipi libenter op- C
taret. Cetera Epistolæ vsitatis salutationum blandimentis oppleuerat, studens fidem adhibere mendacio. Pari etiam modo ad Regem VVesegotharum Theodericum dirigit scriptum, hortans vt à Romanorum societate discederet, recoleretque prælia, quæ paulò antè contra eum fuerant concitata sub nimia feritate. Homo subtilis, antequam bella gereret, arte pugnabat. Tunc Valentinianus Imperator ad VVesegothas, eorúmque Regem Theodericum in his verbis Le-
» gationem direxit: Prudentiæ vestræ est, fortissime gentium, aduersus Vrbis con-
» spirare tyrannum, qui optat mundi generale habere seruicium, qui causas præ-
» lij non requirit: sed quicquid commiserit, hoc putat esse legitimum. Ambi-
» tum suum brachio metitur superbiâ licentiam satiat: qui ius fásque contem-
» nens, hostem se exhibet naturæ cunctorum. Etenim meretur hic odium, qui in
» commune omnium se approbat inimicum. Recordamini, quæso, quod certè
» non potest obliuisci. Ab Hunnis casus est fusus, sed quod grauiter agit, insidiis
» agit appetitum. Vnde, vt de nobis taceamus, potestis hanc inulti ferre superbiam?
» Armorum potentes, fauete propriis doloribus, & communes iungite manus. Au-
» xiliamini etiam Reipub. cuius membrem tenetis. Quàm sit autem nobis expetenda
» vel amplexanda societas, hostis interrogate consilia. His & similibus Legati Valen-

A tiniani Regem permouêre Theodericum. Quibus ille respondit: Habetis, inquit, " Romani, desiderium vestrum, fecistis Attilam & nobis hostem. Sequimur illum " quocumque vocauerit, & quamuis infletur de diuersis superbarum gentium vi- " ctoriis, norunt tamen Gothi confligere cum superbis. Nullum bellum dixerim " graue, nisi quod causa debilitat, quando nil triste pauet, cui maiestas arriserit. " Acclamant responso comites Ducis, lætum sequitur vulgus. Fit omnibus ambitus pugnæ, hostes iam Hunni desiderantur. Producitur itaque à Rege Theodorico VVesegotharum innumerabilis multitudo: qui quatuor filiis domi dimissis, id est Friderico, & Eurico, Rotemire, & Himmeric, secum tantùm Thorismund & Theodericum maiores natu participes laboris assumit. Felix procinctus, auxiliantium suaue collegium, habere & solatia illorum, quos delectat ipsa etiam simul subire discrimina. A parte verò Romanorum tanta Patricij Aëtij prouidentia fuit, cui tunc innitebatur Respub. Hesperiæ plagæ, vt vndique bellatoribus congregatis, aduersus ferocem & infinitam multitudinem non impar occurreret. His enim adfuêre auxiliares FRANCI, Sarmatæ, Armoritiani, Litiani, Burgundiones, Saxones, Riparioli, Briones, quondam milites Romani, tunc verò iam in numero auxiliatorum exquisiti, aliæque nonnullæ Celticæ vel Germanicæ nationes. Conuenitur itaque in CAMPOS CATALAVNICOS, qui & Mauricij nominantur, centum leugas, vt Galli vocant, in longum tenentes, & septua-B ginta in latum. Leuga autem Gallica mille & quingentorum passuum quantitate metitur. Fit ergo area innumerabilium populorum pars illa terrarum. Conferuntur acies vtræque fortissimæ, nihil subreptionibus agitur, sed apertum martem testantur. Quæ potest digna causa tantorum motibus inueniri? aut quod odium in se cunctos animauit armari? Probatum est humanum genus Regibus viuere, quando vnius mentis insano impetu strages fit facta populorum: & arbitrio superbi Regis momento deiicitur, quod tot seculis natura progenuit.

SED antequam pugnæ ipsius ordinem referamus, necessarium videtur dicere quæ in ipsis bellorum motibus accidêre: quia sicut famosum prælium, ita multiplex atque perplexum. Sangibanus namque Rex Alanorum, metu futurorum perterritus, Attilæ se tradere pollicetur, & Aurelianam ciuitatem Galliæ, vbi tunc consistebat, in eius iura transducere. Quod vbi Theodericus & Aëtius agnouêre, magnis aggeribus eandem vrbem ante aduentum Attilæ destruunt, suspectúmque custodiunt Sangibanum, & inter suos auxiliares medium statuunt cum propria gente. Igitur Attila Rex Hunnorum tali perculsus euentu, diffidens suis copiis, metuens inire conflictum, intúsque fugam reuoluens ipso funere tristiorem, statuit per haruspices futura inquirere. Qui more solito nunc pecorum fibras, nunc quasdam venas in abrasis ossibus intuentes, Hunnis infausta denuntiant. Hoc tamen quantulum prædixêre solatij, quòd summus hostium ductor de parte aduersa occumberet, relictâque victoriâ, sua morte triumphum fœdaret. Quúm-C que Attila necem Aëtij, quòd eius motibus obuiabat, vel cum sua perditione duceret expetendam, tali præsagio sollicitus, vt erat consiliorum in rebus bellicis exquisitor, circa nonam diei horam prælium sub trepidatione committit, vt si non secus cederet, nox imminens subueniret, conuerteret partes, vt diximus, in campos Catalaunicos.

ERAT autem positio loci decliui tumore, in modum collis excrescens. Quem vterque cupiens exercitus obtinere, quia loci opportunitas non paruum beneficium conferret: dextram partem Hunni cum suis, sinistram Romani & VVesegothæ cum auxiliariis occuparunt. Relictóque de cacuminis eius iugo certamine, dextrum cornu cum VVesegothis Theodericus tenebat, sinistrum Aëtius cum Romanis, collocantes in medio Sangibanum, quem superiùs retulimus præfuisse Alanis: prouidentes cautione militari, vt eum, de cuius animo minus præsumebant, fidelium turbâ concluderent. Facilè namque adsumit pugnandi necessitatem, cui fugiendi imponitur difficultas. E diuerso verò fuit Hunnorum acies ordinata, vt in medio Attila cum suis fortissimis locaretur; sibi potiùs Rex hac ordinatione prospiciens, quatenus inter gentis suæ robur positus, ab imminenti periculo redderetur exceptus. Cornua verò eius multiplices populi, & diuersæ nationes, quas ditioni suæ subdiderat, ambiebant. Inter quos Ostrogotharum præeminebat exercitus, VValamire & Theodemire & VVidemire germanis du-

stantibus, ipso etiam Rege, cui tunc seruiebant, nobilioribus; quia Amalorum generis eos potentia illustrabat. Erátque & Gepidarum agmine innumerabili Rex ille famosissimus Ardaricus, qui ob nimiam suam fidelitatem erga Attilam eius consiliis intererat. Nam perpendens Attila sagacitatem suam, eum & VValamirem Ostrogotharum Regem super ceteros Regulos diligebat. Erat namque VValimer secreti tenax, blandus alloquio, doli ignarus: Ardarich fide & consilio, vt diximus, clarus. Quibus non immeritò contra parentes VVesegothas debuit credere pugnatoribus. Reliqua autem, si dici fas est, turba Regum diuersarúmque nationum ductores, ac si satellites nutibus Attilæ attendebant, & vbi oculo annuisset, absque aliqua murmuratione cum timore & tremore vnusquisque adstabat, aut certè quod iussus fuerat, exsequebatur. Sed solus Attila Rex omnium Regum, super omnes & pro omnibus sollicitus erat. Fit ergo de loci, quem diximus, opportunitate certamen. Attila suos dirigit, qui cacumen montis inuaderent: sed à Thorismundo & Aëtio præuentus est, qui eluctati collis excelsa vt conscenderent, superiores effecti sunt; venientésque Hunnos montis beneficio facilè turbauêre. A

TVNC Attila, quum videret exercitum causâ præcedente turbatum, eum tali ex tempore credit alloquio confirmandum: Post victorias tantarum gentium, post Orbem, si consistatis, edomitum, ineptum iudicauerim tanquam ignaros rei verbis acuere. Quærat hoc aut nouus ductor, aut inexpertus exercitus. B Nec mihi fas aliquid vulgare dicere, nec vos oportet audire. Quid autem aliud vos, quàm bellare consueti? aut quid forti suauius, quàm vindictam manu quærere? Magnum munus à natura, animum vltione satiare. Aggrediamur ergo hostem alacres. audaciores sunt semper, qui inferunt bellum. Adunatas despicite dissonas gentes. Indicium pauoris est, societate defendi. En ante impetum terroribus iam feruntur, excelsa quærunt, tumulos capiunt, & sera pœnitudine in campis munitiones efflagitant. Nota nobis sunt, quàm sint leuia Romanorum arma. primo etiam non dico vulnere, sed ipso puluere grauantur. Dum inordinatè coeunt, & acies testudinémque connectunt, vos configite præstantibus animis, vt soletis: despicientésque eorum acies, Alanos inuadite, in VVesegothas incumbite. Indè nobis est citam victoriam quærere, vnde se continet bellum. Abscisis autem neruis, mox membra relabuntur: nec potest stare corpus, cui ossa subtraxeris. Consurgant animi, furor solitus intumescat. Nunc consilia Hunni, nunc arma depromite, aut vulneratus quis aduersarij mortem deposcat, aut illæsus hostium clade satietur. Victuros nulla tela conuenient, morituros & in otio fata præcipitant. Postremò cur fortuna Hunnos tot gentium victores asseret, nisi ad certaminis huius gaudia præparasset? Quis denique Mæotidarum iter aperiret, maioribus nostris tot seculis clausum ac secretum? Quis adhuc inermibus cedere faciebat armatos? C Faciem Hunnorum non poterit ferre adunata collectio. Non fallor euentu, hic campus est, quem nobis tot prospera promiserant. Primus in hostes tela coniiciam. Si quis potuerit Attila pugnante ocium ferre, sepultus est. His verbis accensi, in pugnam cuncti præcipitantur.

Et quamuis haberent res ipsæ formidinem, præsentia tamen Regis cunctationem hærentibus auferebat. Manu manibus congrediuntur. Bellum atrox, multiplex, immane, pertinax, cui simile nulla vsquam narrat antiquitas: vbi talia gesta referuntur, vt nihil esset, quod in vita sua conspicere potuisset egregius, qui huius miraculi priuaretur aspectu. Nam si senioribus credere fas est, riuulus memorati campi humili ripâ prolabens, peremptorum vulneribus sanguine multo prouectus, non auctus imbribus, vt solebat, sed liquore concitatus insolito, torrens factus est cruoris augmento. Et quos illic coëgit in aridam sitim vulnus inflictum, fluenta mixta clade traxerunt: ita constricti sorte miserabili sordebant, potantes sanguinem, quem fudêre sauciati. Hic THEODERICVS Rex, dum adhortans discurreret exercitum, equo depulsus, pedibúsque suorum conculcatus, vitam matura senectute conclusit. Alij verò dicunr eum interfectum telo Andagis, de parte Ostrogotharum, qui tunc Attilanum sequebantur regimen. Hoc fuit quod Attilæ præsagio haruspices priùs dixerant, quamquam ille de Aëtio suspicaretur. Tunc VVesegothæ diuidentes se ab Alanis, inuadunt Hunnorum

A norum cateruas; & penè Attilam trucidassent, nisi priùs prouidus fugisset, & se suósque ilico intra septa castrorum, quæ plaustris vallata habebat, reclusisset. Quamuis fragile munimentum, tamen quæsierunt subsidium vitæ, quibus paulò antè nullus poterat muralis agger obsistere. Thorismund autem Regis Theoderici filius, qui cum Aëtio collem anticipans, hostes superiori loco proturbauerat, credens se ad agmina propria peruenire, nocte cæca ad hostium carpenta ignarus incurrit. Quem fortiter dimicantē quidam capite vulnerato equo deiecit, suorúmque prouidentia liberatus, à præliandi intentione desiit. Aëtius verò similiter noctis confusione diuisus, quum inter hostes medios vagaretur, trepidus ne quid incidisset aduersi Gothis, inquirens, tandémque ad socia castra perueniens, reliquum noctis scutorum defensione transegit. Postera die luce orta, quum cadaueribus plenos campos aspicerent, nec audere Hunnos erumpere, suam arbitrantur esse victoriam. Scientésque Attilam non nisi magna clade confusum, bello confugisse, quum tamen nil ageret vel prostratus abiectum, sed strepens armis tubis canebat, incussionémque minabatur. Velut leo venabulis pressus, speluncæ aditus obambulans, nec audet insurgere, nec desinit fremitibus vicina terrere. Sic bellicosissimus Rex victores suos turbabat inclusus. Conueniunt itaque Gothi Romaníque, & quid agerent de superato Attila deliberant. Placet eum obsidione fatigari, qui annonæ copiam non habebat, quando ab ipsius sagit-
B tariis intra septa castrorum locatis, crebris ictibus arceretur accessus. Fertur autem desperatis in rebus prædictum Regem adhuc & in supremo magnanimem, equinis sellis construxisse piram, seséque, si aduersarij irrumperent, flammis iniicere voluisse; ne aut aliquis eius vulnere lætaretur, aut in potestatem hostium, tantarum gentium dominus, perueniret.

VERVM inter has obsidionum moras VVesegothæ Regem, filij patrem requirunt, admirantes eius absentiam, dum felicitas fuerit subsequuta. Quúmque diutiùs exploratum, vt viris fortibus mos est, inter densissima cadauera reperissent, cantibus honoratum, inimicis spectantibus abstulerunt. Videres Gothorum globos dissonis vocibus confragosos, adhuc inter bella furentia funeri reddidisse culturam. Fundebantur lacrymæ, sed quæ viris fortibus impendi solent. Nostra mors erat, sed Hunno teste gloriosa, vnde hostium putaretur inclinata fore superbia, quando Regis efferre cadauer cum suis insignibus inspiciebant. At Gothi Theoderico adhuc iusta soluentes, armis insonantibus regiam deferunt Maiestatem, fortissimúsque Thorismund benè gloriosus, ad manes carissimi patris, vt decebat filium, exequias est prosequutus. Quod postquam peractum est, orbitatis dolore commotus, & virtutis impetu, qua valebat, dum inter reliquias Hunnorum mortem patris vindicare contendit, Aëtium Patricium acsi seniorem, prudentiáque maturum, de hac parte consuluit, quid sibi esset in tempore faciendum. Ille verò metuens, ne Hunnis funditus interemptis à Gothis Romanorum premeretur Imperium, præbet hac suasione consilium, vt ad se-
C des proprias remearet, Regnúmque, quod pater reliquerat, arriperet, ne germani eius, opibus sumptis paternis, VVesegotharum Regnum peruaderent, grauitérque dehinc cum suis, & quod peius est, miserabiliter pugnaret. Quo responso non ambiguè, vt datum est, sed pro sua potiùs vtilitate suscepto, relictis Hunnis, redit ad Gallias. Sic humana fragilitas dum suspicionibus occurrit, magna rerum agendarum occasione intercipitur. In hoc enim famosissimo & fortissimarum gentium bello, ab vtriusque partibus CLXII. milia cæsa referuntur: exceptis XC. milibus Gepidarum & FRANCORVM, qui ante congressionem publicam noctu sibi occurrentes, mutuis concidêre vulneribus: Francis pro Romanorum, Gepidis pro Hunnorum parte pugnantibus. Attila igitur discessione cognita Gothorum, quod de inordinatis colligi solet, & inimicorum magis æstimans dolum, diutiùs se intra castra continuit. Sed vbi hostium absentiā sunt longa silentia consequuta, erigitur mens ad victoriam, gaudia præsumuntur, atque potentis Regis animus in antiqua fata reuertitur. Thorismund ergo patre mortuo in campis statim Catalaunicis, vbi & pugnauerat, regia Maiestate subuectus, Tolosam ingreditur. Hic licèt fratrum & fortium turba gauderet, ipse tamē sic sua initia moderatus est, vt nullius reperiret de Regni successione certamen, &c.

REVERSVS itaque Attila in sedes suas, & quasi ocij penitus, grauitérque

ferens à bello cessare, ad Orientis Principem Marcianum Legatos dirigit, Prouinciarum testans vastationem, quòd sibi promissa à Theodosio quondam Imperatore minimè persolueret, & inhumanior solito suis hostibus appareret. Hæc tamen agens, vt erat versutus & callidus, alibi minatus, alibi arma sua cõmouit, & quod restabat indignationi, faciẽ in VVesegothas intersit. Sed non eum quẽ de Romanis, reportauit euentũ. Nam per dissimiles anterioribus vias recurrens, Alanorum partem, trans flumen Ligeris considentem, statuit suæ redigere ditioni, quatenus mutata per ipsos belli facie, terribilior emineret. Igitur ab Dacia & Pannonia prouinciis, in quibus tunc Hunni cum diuersis subditis nationibus insidebant, egrediens Attila, in Alanos mouit procinctum. Sed Thorismund Rex VVesegotharum fraudem Attilæ non impari subtilitate persentiens, ad Alanos tota subtilitate priùs aduenit, ibique superuenientis iam Attilæ motibus præparatus occurrit, consertóque prælio, penè simili eum tenore, vt priùs in campis Catalaunicis, à spe remouit victoriæ, fugatúmque à partibus suis sine triumpho remittens, in sedes proprias fugere compulit. Sic Attila famosus, & multarum victoriarum dominus, dum quærit famam perditoris abiicere, & quod priùs à VVesegothis pertulerat abolere, geminatam sustinuit, ingloriúsque recessit. Thorismund verò, repulsis ab Alanis Hunnorum cateruis, sine aliqua suorum læsione Tolosam migrauit, suorúmque quieta pace composita, tertio anno regni sui ægrotans, dum sanguinem tollit de vena, ab Ascalcruo cliente inimicos nunciante, armis subtractis peremptus est. Vna tamen manu, quam liberam habebat, scabellum tenens, sanguinis sui extitit vltor, aliquantos insidiantes sibi extinguens, &c. A B

Post Maximum, iussu Marciani Imperatoris Orientalis, Maiorianus Occidentale suscepit Imperium gubernandum. Sed & ipse non diu regnans, dum contra Alanos, qui Gallias infestabant, mouisset procinctum, Dertonæ iuxta fluuium Ira cognomento occiditur. Cuius locum Seuerus inuasit, qui tertio anno Imperij sui Romæ obiit. Quod cernens Leo Imperator, qui in Orientali Regno Marciano successerat, Anthemium Patricium suum ordinans, Romæ Principem ordinauit. Qui veniens ilicò, Ricimerem generum suum contra Alanos direxit, virum egregium, & penè tunc in Italia ad exercitum singularem. Qui multitudinem Alanorum, & Regem eorum Beurgum, in primo statim certamine superatos, internecioni prostrauit. Evricvs ergo VVesegotharum Rex crebram mutationem Romanorum Principum cernens, Gallias suo iure nisus est occupare. Quod comperiens Anthemius Imperator, protinus solatia Britonum postulauit. Quorum Rex Riothimus cum XIV. millibus veniens, in Biturigas ciuitatem, Oceano è nauibus egressus, susceptus est. Ad quos Rex VVesegotharum Euricus innumerum ductans exercitum aduenit, diúque pugnans, Riothimum Britonum Regem, antequam Romani in eius societate coniungerentur, superauit. Qui ampla parte exercitus amissa, cum quibus potuit fugiens, ad Burgundionum gentem vicinam, Romanis in eo tempore fœderatam, aduenit. Euricus verò Rex VVesegotharum Aruernam Galliæ ciuitatem occupauit, Anthemio Principe iam defuncto: qui cum Ricimere genero suo intestino bello sæuiens, Romaniam triuisset. ipséque à genero peremptus, Regnum reliquit Olibrio. Et necdum Olibrio VIII. mense in Regnum ingresso obeunte, Glycerius apud Rauennam, plus præsumptione, quàm electione, Cæsar effectus est. Quem, anno vix expleto, Nepos Marcellini quondam Patricij sororis filius à Regno deiiciens, in Portu Romano Episcopum ordinauit. Tantas varietates mutationésq; Euricus cernens, vt diximus superiùs, Aruernam occupat ciuitatem, vbi tunc Romanorum Dux præerat Decius nobilissimus Senator, & dudum Auiti Imperatoris, qui ad paucos dies Regnum inuaserat, filius. Nam hic ante Olibrium paucos dies tenens Imperium, vltrò recessit Placentiam, ibique Episcopus est ordinatus. Huius ergo filius Decius diu certans cum VVesegothis, nec valens antestare, relicta patriâ, maximéque vrbe Aruernate hosti, ad tutiora se loca collegit. Quod audiens Nepos Imperator, præcepit Decio, relictis Galliis ad se venire, in locum eius Oreste Magistro militum ordinato, &c. C

Evricvs Rex VVesegotharum Romani Regni vacillationem cernens, Arelatum & Massiliam propriæ subdidit ditioni. Gesericus etenim Vandalorum Rex suis eum muneribus ad ista committenda illexit, quatenus ipse Leonis, vel Zenonis insidias, quas contra eum direxerant, præcaueret: egítque vt Orien-

A tale Imperium Ostrogothæ, Hesperium VVesegothæ vastarent, vt in vtraque Republica hostibus decernentibus, ipse in Africa quietus regnaret. Quod Euricus grato suscipiens animo, totas Hispanias Galliásque sibi iam iure proprio tenens, simul quoque & Burgundiones subegit, Arelatóque degens, decimonono anno regni sui vitâ priuatus est. Huic successit proprius filius ALARICVS, qui nonus in numero ab illo Alarico magno Regnum adeptus est VVesegotharum, &c.

THEODERICVS (Gothorum Rex) tertio anno ingressus in Italiam, Zenonis Imperatoris consulto priuatim habito, suæque gentis vestitum reponens, insigne regij amictus, quasi iam Gothorum Romanorúmque Regnator, adsumit. Missa Legatione ad LODOIN Francorum Regem, filiam eius AVDEFLEDAM sibi in matrimonio petit. Quam ille gratè libentérque concessit, suos filios ILDEBERTVM, & CHILDEBERTVM, & THVIDEBERTVM, credens hac societate cum gente Gothorum inito fœdere sociari. Sed non adeò pacis ad concordiam profuit ista coniunctio, quin sæpenumerò propter Gallorum terras grauiter inter se decertati sunt: & numquam Gothus Francis cessit, dum viueret Theodericus. Antequam ergo de Audefleda sobolem haberet, naturales ex concubina, quas genuisset adhuc in Mœsia, filias habuit: vnam nomine Theudigotham, & aliam Ostrogotham. Quas, mox vt in Italiam venit, Regibus in coniugio copula-B uit, id est vnam Alarico VVesegotharum, & aliam SIGISMVNDO Burgundionum. De Alarico ergo natus est Amalaricus. Quem auus Theodericus in annis puerilibus vtroque parente orbatum dum fouet atque tuetur, comperit Eutharicum VViterichi filium, Beremundi & Toresmundi abnepotem, Amalorum de stirpe descendentem, in Hispania degere, iuuenili ætate, prudentiâ & virtute, corporísque integritate pollentem. Ad se eum facit venire, eique Amalasuentham filiam suam in matrimonio iungit. Et vt ad plenum progeniem suam dilataret, Amalafredam germanam suam, matrem Theodati, qui postea Rex fuit, Africæ Regi VVandalorúmque coniugem dirigit Trasemundo: filiámque eius, neptem suam, Amalaburgam Thuringorum Regi consociat Hermenfrido.

EX VITA SANCTI CAESARII EPISCOPI ARELATENSIS,

Quam Cyprianus eius discipulus, & Messianus Presbyter, & Stephanus Diaconus, ad Cæsariam Abbatissam eiusdem Cæsarij sororem duobus Libris conscripserunt.

C

EX LIBRO I.

FRANCIS & Burgundionibus vrbem ARELATENSEM obsidentibus, Alarico Rege à fortissimo CLODOVEO Rege in conflictu perempto, Theodoricus Italiæ Rex, missis Ducibus suis, in eam Prouinciam ingressus erat. In hac ergo obsidione Monasterium, quod sorori eius (nempe Cæsarij) & ceteris Virginibus construebatur, magna ex parte destructum est, tabulis & cœnaculis Barbarorum ferocitate direptis, & euersis. Cùm autem vir Dei laborem, quem ipse accelerare iussisset, suáque manu & sudore promouisset, subrui videret, gemino quodam dolore correptus est. Tum enim Clericus quidam ciuis, & cognatus eius, se captum iri metuens, iuuenili leuitate permotus, malo dæmone beati viri odio eum incitante periculo, sese noctu à muro submisit, & proxima luce vltrò se dedit hostibus vrbem obsidione prementibus. Quod vbi GOTHI, qui erant inta oppidum, compererunt, incurrunt in sanctum virum. Populus, & in primis Iudæi impotenter insultant, motáque seditione, vociferantur Antistem vrbis proit-

dendæ causa conciuem suum ad hostes noctu ablegasse. Nullus hîc fidei, nullus probationi, nullus denique puræ conscientiæ relinquitur locus: Iudæis præsertim & hæreticis procaciter & sine intermissione clamantibus. Itaque ex Ecclesiæ domo extrahitur Antistes, atque in Palatio arctissimæ custodiæ traditur, vt noctu in Rhodanum demergatur, aut certè in castro Vgernensi detineatur: donec exilio mulctatus, prolixiores det pœnas. Domus itaque Ecclesiæ, & cubiculum Antistitis ab Arrianorum turbis occupatur. Sed ecce, dum Gothus quidam ceteris contradicentibus, in eius lectulo recumbit, diuinitus percutitur, & altera die excedit à viuis, ne quisquam deinceps serui Dei locum polluta conscientiâ violare auderet. A

SED cùm ex vtraq; ripa drumonem, qui hostium obsidione iniectus fuerat, Gothi Dei nutu erigere non valerent, nocte sanctum virum in Palatium reuocarunt: sed vsque adeò eius celantes personam, vt vtrum adhuc esset in viuis nullus Catholicorum scire posset. Dum ergo, diabolo exultante, & Iudæis plaudentibus, hæc geruntur, Iudæis etiam in nostros vtique, nulla cuiusquam habita ratione, perfidiæ probra iactantibus, nocte quadam vnus ex illis, ex eo loco quem ad agendas in muro excubias sortibus acceperat, ligatam saxo Epistolam, tanquam in hostes illud vibrans, in castra illorum coniicere conatus est. In qua nomen suum religionémque exprimens hortabatur, vt noctu eo loco, quo ipsi excubarent, scalas admouerent, vrbem ingressuri ea conditione, vt pro tanto beneficio, id redderent Iudæis, ne quisquam eorum aut caperetur, aut rerum suarum iacturam faceret. B Manè verò digressis nonnihil à muro hostibus, quidam è propugnaculo egressi Epistolam illam conspiciunt, tollunt secum, intra vrbem asportant, cunctísque in foro publicitus ostendunt. Mox auctor Epistolæ producitur, conuictúsque punitur. Sæua Iudæorum immanitas Deo & hominibus inuisa, tandem euidentissimè confunditur. Daniel noster, id est sanctus Cæsarius, è lacu Leonum educitur, Satraparum accusatio publicatur, completur in eorum auctore illud Propheticum, *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit.* Psal. 7.

Porro ARELATEM Gothis cum innumera captiuorum turba reuertentibus, replentur sacræ Basilicæ, repletur Ecclesiæ domus infidelium multitudine. Et cùm multa inopiâ laborarent, quæ ad victum vestitúmque pertinerent, affatim eis præbuit vir beatus, donec omnes ab ipso essent redempti eo argento, quod venerabilis EONIVS antecessor eius Ecclesiæ mensæ reliquerat: obseruans illud, quòd Dominus in paropside intinxit panem, non in vase argenteo, discipulísque præcepit ne possiderent aurum vel argentum. Hoc autem sanctum opus ita persecutus est, vt etiam ab illis quæ ad diuini ministerij dispensationem pertinent, non abstineret: thuribulis, calicibus, pateris pro eorum redemptione datis, excussísque à cancellorum columnis argenteis, &c. Nos quidem credimus, & confidimus in Domino, misericordiâ, fide, & precibus beati Cæsarij id effectum esse, vt ipsius temporibus obsessa sit ab hostibus ciuitas Arelatensis, vt tamen nec capi potuerit, nec prædæ patere. C Atque sic deinde à VVisegothis in Ostrogothorum ditionem peruenit. Hodiéque in Christi nomine paret clarissimo Regi CHILDEBERTO. vt possit de ea quoque dici: Transierunt de Gente in Gentem, & de Regno ad Populum alterum, & non permisit Deus sub illo hominem nocere Arelatensibus suis.

A

EX PROCOPII CAESARIENSIS HISTORIA DE BELLO GOTHORVM.

Græca studio breuitatis omissa sunt.

EX LIBRO I.

VITTIGES vbi Rauennam peruenit, Mathassuntham Amalassunthæ filiam, eximiæ pulchritudinis virginem, vxorem sibi vel nolentem quidem effecit: vt ex hac generis Theoderici coniunctione, Imperium sibi firmius stabilitum esset imposterum habiturus. Gothos deinde vndequaque contractos, arma equósque singulis turmis distribuendo, instruxit imprimis & exornauit, eos duntaxat, qui Gallias præ Francorum formidine custodirent, ad se reuocare non potuit. FRANCI autem isti, GERMANI quondam vocitabantur. Quemadmodum autem à principio fuerint id nomen sortiti, & Gallias deinde inuaserint, ac Gothis simul sint hostes effecti, mox explicaturus sum. Regio est omnis, quæ ab Oceano & Gadibus nauigantibus ad dexteram iacet, Europa, vt aliàs diximus, nuncupatur. Quæ verò est huic ex aduerso obiecta, Libya dicitur. Sed Asiam, hanc prisci dixere. De his indè, quæ vltra Libyam sunt, quod affirmare certius queam, nil habeo. Nam & vastæ excipiunt solitudines, & immensis spatiis vacua sunt hominibus loca: ex quibus etsi primus Nili fons nascitur, est tamen eius origo incognita, cùm inde in Ægyptum deferri id flumen affirment. Europa autem, quoad ipsum statum, & suum principium, post quidem Peloponeso persimilis, & vtrinque adiacet mari, cuius prima regio circa Oceanum est & Occidentem Solem, & Hispania dicitur ad vsque Alpes, quæ in Pyrenæis sunt montibus. Alpes verò dici in angustiis transitum, qui ea in regione sunt homines decreuerunt. A Pyrenæis autem montibus ad vsque Liguriæ terminos GALLIA dicitur. Vbi Alpes aliæ Gallos & Ligures dirimunt. Sed Gallia Hispaniis est longè potentior. Siquidem ab angusto cùm Europa ipsa incipiat, in immensam semper latitudinem funditur. Ex vtrisque his regionibus, altera quidem in Boream vergens Oceano circumcingitur mari: altera verò, quæ ad Notum ventum inclinat, mare Thyrrenum habet. In Galliis alia pleraque flumina sunt, sed Rhodanus imprimis & Rhenus hinc defluunt: diuersa tamen & contraria ab inuicem viâ labuntur. Rhodanus siquidem in mare Tyrrhenum exit, & in Oceanum Rhenus se immittit. Paludes præterea hisce in locis non paucæ, vbi primitus Germani, gens barbara, habitabant, nec magni tunc primùm momenti viri, qui FRANCI nunc vocitantur. His finitimi Arborichi accolæ erant, qui cum cetera Gallia, atque item Hispania, iampridem Romanis parebant. Post hos in Orientem Solem Thoringi barbari sunt, qui Cæsaris Augusti permissu sedes has tenuêre: & ab his Burgundiones haud procul, ad Notum ventum vergentes, inhabitant. Sueui deinceps & Alemani, gens valida, liberi omnes, & iamdiu ea incolunt loca. Temporis verò processu VISIGOTHI vi in Romanum Imperium facta, Hispanias omnes, & Gallias vltra Rhodanum flumen suæ ditioni subactas, vectigaléſque redditas tenuêre. Erant autem Arborichi Romanorum tunc milites, quos sibi Germani cùm obedientes facere & subditos vellent, vt qui finitimi essent, & pristinos vitæ mores penitus immutassent, eorum agros assiduò populari, & hos copiis vniuersis inuadere. Arborichi verò, cùm & virtutem præ se, & erga Romanos beneuolentiam ferrent, viros fortes eo in bello se præstiterunt. Cúmque his vim inferre Germani non possent, societatem vt secum saltem inirent, & mutua inter se facerent connubia, precabantur. Quas non inuiti conditiones Arbo-

(B and C margin letters appear beside the text.)

richi mox accepêre. Erant namque vtrique Christianæ fidei sectatores. Sic itaque vnum hi coeundo in populum, ad maximam potentiam euasere. Romanorum interea milites alij, qui in Galliæ finibus erant custodiæ gratiâ constituti, cùm neque Romam redire iam possent, nec ad hostes vt Arianos concedere, sese cum signis, & locum insuper quem pro Romanis seruarent, Arborichis Germanisque prodidere: ac potiùs mores continenter seruatos suos transmisêre ad posteros, atque adeo vt vel ad hanc nostram ætatem eodem tenore vel etiam cultu pristinos seruare ritus non dedignentur. Descripto namque ex numero ad id fermè tempus hi demonstrantur, quo taxati antiquitus militabant. Quandoquidem & suis productis nunc signis in aciem prodeunt, ac patriis vtuntur perpetuò legibus, Romanúmque habitum, vt in ceteris aliis, ita & soccis nunc seruant. A

ENIMVERO quamdiu Romanis Respublica eadem semper & firmior mansit, ad Rhodanum fluuium Imperator in Gallos potitus Imperio est. Vbi verò hanc Odoacer in tyrannidem vertit, nunc demum Visigothis tyranno hoc ipso cedente, vniuersâ ad vsq; Alpes, quæ à Liguribus Gallos disterminât, hi Galliam suæ ditionis fecêre. Odoacro deinde cadente, Thoringi Visigothique Germanorum vires iam auctas veriti, (nam & hominum abundabant hi multitudine, & robore præualebant, atque adeò, vt finitimos omnes apertiùs violarent) cum Theoderico & Gothis vt fœdera iungerent summo studio nitebantur. Sed Theodericus eorum repudiata societate, cum his tamen coniugia facere haudquaquam dedignabatur. Tunc itaque Visigothorum Duci iuniori Alarico Teudetusam filiam suam despondit & virginem. Hermenefredo autem Thuringo & Principi, Amalabergam Amalafridis sororis filiam nuptui tradit. Quo factum, vt Franci alienam in se violentiam veriti, à Theoderico, ne hunc bello per id tempus incesserent, abstinendo, Burgundiones oppugnatum mox ierint. Inter Francos deinde & Gothos, in Burgundionum malum, fœdus pactionésque fiunt hac lege, vt vtrique in hos copias mitterent oppugnatum, & vtri eorum alteris in expeditionem euntibus, Burgundionúmque euertentibus gentem, ipsorúmque terram in suam redigentibus potestatem, à conuentis deficerent: victores ipsi ab his, qui secum non militassent, certum auri pondus referrent. sic bello res captas vtrisque communes fore. Germanis igitur ingentibus copiis pro initis inuicem cum Gothis conuentionibus, aduersus Burgundiones iam prodeuntibus: Theodericus verbis quidem ad expeditionem se præparare, de industria tamen tempus in belli euentum extrahere, futuram fortunam opperiendo, vix tandem exercitibus missis Præfectis imperat, iter vt segniter facerent. Proinde si Francos victoriam retulisse acceperint, tunc prorsus iter accelerarent. Sin verò aduersi quippiam his accidisse didicerint, haudquaquam vltra progrederentur. Franci interea cum Burgundionibus soli manus conserúêre, & cùm bellatum nauiter esset, magna vtrinque fit cædes. Nam pede collato, ad multum diei fortiter est prælium gestum. Sed Franci demum vbi in fugam hostes penitus vertêre, in vltimas quas illi incolerent terras fugarunt, vbi & fugientibus pleraque erant & validiora ad receptum præsidia, quæ sola his saluti fuêre. ceteris hostes potiti. B C

HÆC victoria vbi ad aures est Gothorum perlata, quàm celerrimè ad socios & victores se conferendo, sui præsentiam faciunt, ab hísque increpiti, quòd prælio non tempore suo interfuissent, locorum causabantur difficultates, paratos se pactam pro pœna pecuniam statim dependere: qua ibidem depensa, terras ex hoste captas, vti conuentum iam antea fuerat, cum victoribus partiuntur. Qua in re cognita Theoderici prudentia est, qui sine vlla suorum iactura, modico auro persoluto, hostium sibi loca parauerit. Hac viâ Gothi Germaníque Galliis sunt in partem potiti. Germani deinde ad pristinas vireis accessione facta, Theoderici nulla habita ratione, & priore illa ex eo qua tenebantur neglecta formidine, aduersus Alaricum & Visigothos ductarunt exercitum. Quod vbi Alaricus comperit, Theodericum ad se celeriùs euocat, qui maximis statim cum copiis ad eius suppetias ire contendit. Visigothi intereà postquàm Germanos circa Carcasionem vrbem castra habere certiores sunt redditi, confestim his obuiam eunt, & positis castris quietos se continent. Sed cùm in ea obsidione temporis plurimùm contriuissent, tædere occæ-

A pit inertiæ, & ægrè ferre per hostes sua loca vastari, in prædámque omnia agi. Vnde & Alaricum contumeliâ & probris incessere, & quòd hostes reformidaret odisse, suíque Ducis cunctationem & segnitiem criminari, & identidem affirmare, posse se quidem & solos Germanos bello peruincere. Vnde suorum importunitate victus Alaricus, etsi haud dudum præsentibus Gothis, cogitur statim in aciem aduersus hostes prodire. Sed Germani in ea congressione superiores iam facti, Visigothorum vi maxima cæsa, Alaricum simul Ducem obtruncant, & Galliis maiorem in partem potiti, Carcasionem vrbem celerrimè obsident: vt in qua conditas esse regias opes acceperant, quas Alaricus quondam & senior, cùm Romam cepisset, abstulerat. In his ferunt Salomonis fuisse preciosissimam supellectilem, ac spectatu dignissimam, vt quam ingentis precij gemmis ornatam ex Hierosolymis dicunt aduexisse quondam Romanos. Visigothi igitur, qui eo prælio superfuêre, Gaselicum spurium Alarici filium Principem sibi pronunciando crearunt, cùm Amalaricus ex Alarici filia natus puer admodum esset. Theoderico deinde cum Gothorum exercitu aduentante, trepidanter Germani obsidionem soluerunt: indéque profecti, eam Galliarum & præter Rhodanum flumen mox occupant regionem, quæ in Oceanum vergit. Quos cùm bello depellere Theodericus nil posset, vt sibi haberent quæ iam occupassent permisit. ipse verò reliquam Galliarum tunc partem recuperauit. Gaselico itaque suo fato perfuncto, ad Alarici nepotem defertur imperium, cuius ille vt pueri adhuc procurationem gerebat. Theodericus verò Carcasione ex vrbe rebus omnibus, quæ ibi Gothorum Regibus seruabantur, secum auectis, celerrimè Rauennam reuertitur: Præfectisque & maximis copiis continenter in Gallias & Hispanias missis, Imperium ipse re ac factis administrando tenebat. Idque vt sibi perpetuò stabiliret prouidens, earum Prouinciarum Principes iussit vectigal vt sibi deferrent. Quo opportunè accepto, ne auaritiæ videretur intentus, Gothorum Visigothorúmque exercitibus munera in annos singulos mittere, eorúmque sibi animos conciliare. Vnde temporis progressu factum, vt Gothi Visigothíque (quandoquidem sub vnius imperio essent, terrásque easdem haberent) liberos suos mutuis affinitatibus iunxerint.

B

THEODERICVS interea ex humanis decedit. Tum FRANCI, vt neminem rati suis conatibus de cetero occursurum, aduersus Thoringos copias eduxerunt, & illorum Præfecto Hermenefrido occiso, hos in potestatem redactos suæ faciunt ditionis. Hermenefridi interea coniunx cum liberis latitando, ad Theodatum eius germanum fratrem, & Gothorum tunc Principem, venit. Germani deinde cum Burgundionibus, qui bello superfuêre, manus strenuè conserunt, & prælio facti superiores, illorum quidem tunc Principem in præsidio quodam coercitum, custodiendum tradunt. Burgundiones verò subactos, aduersus hostem, vt bello victos, secum militare mox cogunt: terrásque omnes, quas hi incolebant, sibi tributarias faciunt. Amalaricus autem Visigothorum Princeps, cùm in virilem iam euasisset ætatem, viribus Germanorum perterritus, THEODIBERTI sororem Germanis imperitantis duxit in coniugem, Galliámque cum Gothis & Atalarici nepote partitur. Sed pars ea, quæ circa Rhodanum est, Gothis sorte obuenit: quæ vltra fluuium erat, Visigothis in ditionem concessit. Conuentum est tamen, vt vectigal per Theodatum his imperatum, haud quaquam de cetero Gothis dependeretur, & res vt præterea omnes Amalarico ipsi restituerentur, quæ per Atalaricum fuerant ex Charsiana vrbe direptæ. Ceterùm, vbi vtræque hæ nationes affinitate inter se mutua coierunt, data viris singulis optio est, qui in vtrauis gente connubia fecerant, vtrum mallent vxorem sectari, an illam ad se domum traducere. Quo factum, vt fuerint plerique, qui vxores quò animus ferret traducerent, & qui aliò ab vxoribus traducerentur. Amalaricus demum, vt qui vxoris esset germano infensior redditus, ingenti ex eo calamitate afficitur. Vxorem siquidem cùm integræ erga Deum fidei suscepisset, & aliàs ipse Arrianæ hæreseos esset; haud quaquam sinebat legitimis hanc & veris ritibus vti, nec pro patriæ & optima sua consuetudine, Deum sibi propitiando vt coleret. Vnde cùm integerrima femina in viri mores concedere nollet, & contemptui haberi apud hunc cœpta, atque adeò vt ferendus de cetero non videretur, Theodeberto fratri vti se habuissent omnia nunciauit. Qua de

C

causa Germanicæ gentes Visigothíque inimicitias inter se contraxère, acrique ac diutino bello inter hos decertatum. Sed victus demum Amalaricus, cum magna suorum iactura occubuit. Theodibertus verò suis cum rebus omnibus sotore redempta, Galliæ partem quantamcumque sortiti Visigothi fuerant, recepit. Qui itaque Visigothorum ex gente bello deuicta reliqui ex ea clade fuère, ex Galliis cum vxoribus liberisque suis iam sedibus exciti, ad Theodem in Hispaniis tyrannidem exercentem se contulêre. Hoc pacto Gothi Germaníque potiti Galliâ sunt. Postremò Gothorum Dux Theodatus cùm Belisarium in Siciliam venturum iam crederet, cum Germanis paciscitur, vt Galliæ portionem, quæ Gothos contingeret, sibi haberent, & aureorum viginti milia his ab se conditionibus caperent, vt sibi auxilio forent, & aduersus Belisarium secum vnà susciperent bellum. Sed rebus ex conuento finem haud dum nactis, sortem Theodatus ipse fatalem impleuit. A

INTEREA Gothorum non pauci numero, & viri quidem fortissimi, quos Martias Gothus ductaret, eam Galliæ partem custodiebant, quam Gothorum esse iam diximus. Hos tamen Vittiges cùm indè tutò excire non posset, nec FRANCOS ad resistendum suffecturos putaret, vt Galliam statim Italiámque excursuris, si Romam ipse cum exercitu vniuerso contenderet, Gothorum ad se Primoribus conuocatis, orationem huiusmodi habuit: Non equidem, ô viri sanguine mihi propinquiores, quæ grata potiùs sint quàm vtilia commonefacturus, vos huc conuocaui: sed vt benignè auscultando præsentibus de rebus pro vestra nunc dignitate in medium consulatis. His namque, quibus facta iccirco non ex voto procedunt, quia necessitati haudquaquam cùm opus est parent, profectò vt moderari eundem in modum præsentia velle, nil prorsus conduxerit. Cetera quidem ad bellum parata nobis egregiè sunt. Sed Franci obstant, quibus iampridem nobis hostiliter aduersantibus, etsi cum magna nostra vt corporum, ita & rerum iactura ad resistendum tunc vires fuère, cùm aliundè nobis nil occursaret hostile: nunc tamen cùm in alios ire omninò cogimur hostes, cum Francis incœptum necessariò soluendum est bellum, & ea primùm de causa, quia si hostes nobis sint hi permansuri, cum Belisario contra nos arma sine mora consociabunt. Nam qui vnum eundémque habeant hostem, vt inuicem & beneuolentiam concilient, & fœdera inter se iungant, rerum natura ipsa induxerit. Proindè si in hostiles vtrosque exercitus seorsum & ipsi partitis copiis bellum his intulerimus, id proculdubiò relinquetur, vt ab vtrisque vincamur. Satius itaque erit, vt paulò imminuti, maiorem nostri Imperij partem firmiùs tueamur, quàm omnia possidere dum cupimus, cum totius Imperij viribus, hostium insultibus pereamus. Censeo igitur, Francis, vt Gallias sibi finitimas vltrò dedamus, & pecunias insuper omnes, quas Theodatus his se daturum promiserat: non solùm vt concepta in nos odia Franci deponant, sed nobiscum vnà id bellum suscipiant. Quemadmodum verò succedentibus rebus recuperaturi Gallias simus, nemo vestrûm nunc animo agitet. Vetus nimirum me subit dictum, quod vtique præsentibus rebus vt consulatur, iniungit. Hac Vittigis oratione Gothorum Proceribus audita, & conductura quæ dicerentur sat ratis, peractum hæc iri ex Ducis sententiâ placuit. Extemplò itaque Francorum ad gentem Oratores mittuntur, qui Gallias illis & pecunias dederent, societatémque facerent. Francorum autem Duces ILDIBERTVS, THEODIBERTVSque & CLOTARIVS tunc temporis erant: qui Galliis simul & pecuniâ à Gothis receptis, & his quidem pro cuiusque imperij portione partitis, amicos se Gothis fore quàm maximè profitentur. Clam tamen his se auxilia non ex Francis missuros, sed subditorum è nationibus aliis. Arma verò in Romanorum perniciem Gothis sociare nullo pacto se posse. quippe qui paulò antè Imperatori promiserint, in hoc bello illi se opem laturos. Oratores itaque, rebus ita confectis, quarum de causa mittebantur, Rauennam mox repetunt. Et Vittiges Martiam Præfectum ad se ex Galliis reuocat. B C

EX LIBRO II.

FRANCI interea certiores iam facti, Gothorum vires assiduis fuisse bellis debilitatas, per eosdémque facilè sibi confiderent maximam se Italiæ partem

A vendicaturos, molestè ferebant, si tamdiu de eius Prouinciæ Principatu hi bello decernerent, quæ sibi esset tam proxima, ipsi verò quiescendo & segniter omnia peragendo, nil cuiquam negocij exhiberent. Extemplò itaque iurisiurandi & fœderum prorsus obliti, quæ paulò antè vt cum Romanis ita & Gothis iniuerant (......) ad hominum milia centum contracto exercitu, THEODIBERTO Duce in Italiam veniunt. Sed maiorem in partem hi pedites erant, perpauci equites, & hi quidem hastati. ceteri verò nec arcus quidem, nec tela gestantes, sed ensem, & clypeum, securimque, cuius ferrum crassius erat, & vtrimque acutum, hasta verò breuior admodum. Hanc Franci securim in primo ipso congressu in hostem iacere consueuerunt, & eo impetu, vt hostium scuta perfringant, & ipsos simul interimant. Sic Franci Alpibus superatis, à Gallis Italos dirimentibus, in Liguriam peruenêre. Quorum leuitatem & audaciam primi omnium Gothi, qui in Liguria erant, nimium demirati, molestè hos & grauiter ferre, quòd cùm & loca ipsi his pleraque, & pecuniarum vim maximam polliciti antehac sæpè pro ineunda secum societate fuissent, adduci nunquam potuerint, pro ipsorum Gothorum promissis, quicquam vt rei exequerentur, nunc vltrò in Italiam veniant. Sed Gothi, qui in Piceno constiterant, vbi Theodibertum Francorum Ducem maximis adesse cum copiis accepêre, animo exhilarati, spéque B optima freti, maximum in modum efferri, & nullo negocio superaturos se Romanos putare. Franci verò in Liguria cùm interim essent, nil prorsus Gothis molestiæ intulêre, ne Padi se transitu prohiberent. Vbi verò ad eam Picentium partem se contulerunt, cuius flumini veteres Romani constrato pontem imposuêre, eius loci custodes cùm alia pleraque benignè his præbuissent, & Padum simul traiicerent, pro arbitrio ac liberè permiserunt. Tum Franci ponte præoccupato, & præsidio in potestatem redacto, vxores liberósque Gothorum, quos ibi deprehenderant, immolare, in eósque acriùs desæuire, corporáque in belli primitias in flumen iacere. Nam barbari hi, etsi Christum iam colerent, pleraque tamen priscæ opinionis & cultus vel ad id temporis seruant: nam & hostiis vtuntur humanis, nec piè quidem, nec pro vera Religione sacrificando, vaticiniis student. Gothi itaque quæ gerebantur animaduersis, ignauiter mox trepidare, & ad fugam intenti, sese intra muros recipere. Franci demum flumine Pado transmisso, Gothorum ad castra se conferunt: qui vtique volentes & hilares paulatim hos se adeuntes perbenignè suscipiunt, rati quidem iungendorum fœderum gratiâ hos ad se peruenisse. Postquàm verò Gothorum castra magnis Franci agminibus inuasêre, multitudine freti, inferre his bellum cœperunt, securésque iaculando, ingenti iacturâ afficere. Vnde mox Gothi castris exuti sese in fugam proripiunt, per mediáque Romanorum castra vadentes, rectà Rauennam & cursu citato contendunt. Quos fugientes Romani protinus conspicati, Belisarium adesse rebantur, & captis hostium castris sibi opitulatum venisse, ex C hisque vt bello victorem barbaros eiecisse. Eunt itaque vno agmine omnes, sese vt Belisario iungant, & celeri cursu & inexplorato, armati mox prodeunt. Hostium deinde, nil tale quippiam opinati, cùm in exercitum incidissent, nec retrò possent quà venerant se quoquam pacto recipere, in Thusciam omnes fugâ contendunt. Quò demum vbi est ventum, & in tuto iam constitêre, Belisarium de his faciunt statim, quæ sibi acciderant, certiorem.

FRANCI igitur Gothis, vt diximus, Romanisque superatis, captisque duorum exercituum, sed sine milite, castris, inuentam in his rerum necessariarum affluentissimam copiam præ hominum multitudine breui absumunt. Cúmque eius regionis in locis igne ferróque vastatis, præter boues & Padi fluminis aquam, nil prorsus aliud quippiam in cibum potúmve haberent, bouillisque carnibus ingurgitati, & aqua abundè epota, digerere affecto iam stomacho cibum nequirent, ventris statim profluuio disenteriæque morbo eorum pars maxima capitur. Quo malo cùm haudquaquam liberari præ rerum necessariarum inopiâ possent, tertiam ferunt Francorum exercitus partem interiisse: vnde cùm ad progrediendum nulla vis esset, eodem mansêre. Belisarius verò cùm Francorum exercitum adesse intellexisset, Ioannis Martiníque copias victas fugatásque esse, incertus quid ageret angebatur, vt qui ceteris copiis non parum timeret, & his præcipuè quæ Fesulas obsiderent, vt quibus propinquiores esse barbaros accepisset. Ita-

» que statim THEODIBERTO Francorum Duci Literas huiusmodi scripsit. VIRVM equidem, ô Theodiberte, qui virtutis sibi quippiam vendicet, mentiri ac fidem fallere nequaquam decere existimo, & eum præsertim, qui tantæ sit multitudinis Princeps: quinetiam iusiurandum literis traditum violare, pactionésque recens factas contemnere, nec abiectissimis quidem hominibus fuerit indecorum. In his omnibus quantum deliqueris, satis iam nosti, & eò magis, quò & bellum aduersus Gothos nobiscum vnà te suscepturum promiseras. Nunc verò, ne nostrum vtrisque auxilium ferres, non solùm haudquaquam procul & seorsum aliquo constitisti in loco, sed armis temerè ita desumptis, nos oppugnatum nunc venis. Desine ergo nobis arma inferre, & maximum Imperatorem lacessere, & eum afficere in præsenti iniuriâ, qui vicem reddere maioribus in rebus sat queat. Constat sanè id longè esse præstantius, sua vt quisque securè possideat, quàm dum aliena nimium appetit, vel de necessariis admodum rebus periclitetur. Hac Theodibertus perlecta Epistolâ diu animo fluctuatus, cognita sui temeritate, atque adeò grauiter ferens quòd nulla de causa, & deuastata in terra, tot hominum iacturam fecisset, cum his, qui sibi reliqui fuerant, protinus mouit, & domum raptim abire contendit. A

Ex Libro III.

GALLIARVM partem suæ quondam ditionis effectam in huius belli principio Gothi Germanis tradiderant, cùm minus se posse existimarent Romanis simul ac Germanis resistere. Id sanè factum non solùm nil prorsus Romani interpellarunt, sed vt Gallias sibi Germani haberent, Iustinianus vltrò permisit. Non enim illi has tutò se possessuros rebantur, nisi & Imperator vt suæ ditionis futuras perpetuò confirmasset. Quo factum, vt eo ex tempore Principes Germanorum Massiliam Phocensium quondam coloniam, & cetera circa id mare loca tenuerint, totiúsque eius oræ maritimæ potiti imperio sint. Vnde & Arelate nunc resident, ad certaminis equestris spectaculum. Aureum nummum natiuo è Galliarum metallo hi cudunt, non Romani Imperatoris, vt ceteri solent, imagine, sed sua impressa. Persarum siquidem Imperator, etsi ad arbitrium argenteum numisma facit, aureo tamen non illi fas est suam vt imponat effigiem: nec Barbarorum Princeps alius quisquam id facere ausit. Sed de his hactenus. Franci interea pleraque sibi & nullo iure in Venetos occupant loca, cùm nec Romani tueri ea iam possent; nec Gothis tantum virium esset, vt his vtrisque bellum inferrent, &c. B

THEVDIBERTVS interea Francorum Dux moritur, & Cotias, deinde Liguriæ loca nonnulla, & Alpes, Venetorúmque pleraque nullo sibi iure stipendiaria fecit. Sed Franci bellantium inter se studia, cùm propriam ad res gerendas oportunitatem fecissent, debellatorum ex bonis creuere, & eorumdem ex opibus aucti sunt. Nam Gothis castella nonnulla in Venetos impartiti, & maritima quædam Romanis loca, cetera suæ ditionis fecêre. Romanis itaque & Gothis, sicut diximus, armis inter se decernentibus, nec nouos alios hostes nactis, Gothi quidem & Franci ad colloquium venere, in idque conuentum, vt quoad Gothi prælio essent cum Romanis decertaturi, sua vtrique haberent, pacificéque inter se viuerent, nec quippiam integraretur hostile. Quòd si vnquam contigerit Iustinianum Totilam bello peruincere, tunc quidem vtrisque vt liceat sua sic moderari & regere, vt expedire fuerit ipsorum cuique visum. Theudiberto deinde THEVDIBALDVS filius in Regno successit, ad quem Imperator Leontium quemdam legauit, Consulari ex genere virum, secum aduersus Totilam Gothósque vt societatem iniret, & Italiæ locis insuper abstineret, quæ ille nimio inuadendi & indecentiùs studio tenebatur. Leontius itaque cùm ad Theudibaldum venisset, dicere ita exorsus est: Aliis fortè nonnullis spem præter euenisse aliquid potuit, in Romanos verò quæ per vos gesta fuere, nulli adhuc contigisse mortalium puto. Constat sanè Iustinianum Imperatorem non priùs se ad id bellum aduersus Gothos parasse, nec suscipere antea peroptasse, quàm Franci ipsi sub societatis & amicitiæ nomine ingenti ab se accepta pecuniâ, certamen id secum & se suscepturos pollicerentur. Hi tamen non solùm

A quæ polliciti sunt non exequenda duxere, sed tanta Romanos affecere iniuriâ, quanta ne suspicari quidem quispiam possit. Pater nimirum tuus Romanæ ditionis terras inuasit, ad se nihil penitus attinentes, vt quas vel absentibus à suis conatibus Francis, in potestatem, & maximo cum labore, summóque belli discrimine Iustinianus redegerat. A quo nunc venio ad te delegatus, non peracta, & iam præterita incusaturus, sed ea postulaturus moniturúsque, quæ tibi futura vsui sunt, consulturúsque denique tuam vt firmiùs serues felicitatem, & habere quæ sua sunt Romanos quandoque sinas. Nam & pusillæ rei plerumque iniusta possessio, vel magnas vires iam consecutos priuare præsentibus potuit bonis, vel maioribus antehac partis. Nam & prosperior cum iniquitate fortuna coire nil solet. Nunc verò rursum aduersus Totilam bellum nobiscum vt geras hortamur. Hoc pacto & patris exequi promissa nunc poteris, cùm liberos omnium maximè deceat, parentum delicta sarcire, si quid hos vspiam deliquisse contigerit, & aliàs benefactis quæ optimè gesserint confirmare. Quandoquidem sapientissimis viris id sit optandum quàm maximè, suorum maiorum rectè facta vt imitentur, praua verò rectiora vt liberi faciant. Ad hęc accedit, quòd ne inuitatis quidem Francis, id vobis necessariò bellum esset contra Gothos cum Romanis suscipiendum. Siquidem cum barbaris istis iam diu B vobis certamen est, qui à principio & hostes Francis fuere, ac suapte naturâ vt leues & infidi hostiliter, & implacabilem in modum per omne vos æuum antehac oppugnarunt. Nunc verò quandoquidem nos reformidant, haudquaquam dignum se ducunt vobis seruiliter adulari, quos fortè à nobis si vtcumque abducere poterunt, non longè post quid in Francos animi habeant patefecerint. Nam improbi homines nec in prospera quidem, nec in aduersa fortuna suos immutare mores sat possunt: quos tamen dum aduersi aliquid patiuntur, occulere solent, & ita vt dum finitimorum operâ indigent, cogente necessitate, vel suam quidem occultent improbitatem. Hæc ergo ipsi memoriâ repetendo, renouate cum Imperatore nunc fœdera, & in veteres hostes illatas quondam iniurias enixiùs vindicate. Hæc vbi Leontius perorauit, THEVDIBALDVS ita respondit: Socios nos aduersus Gothos nec rectè quidem, nec vestro merito vos inuocatis. Sunt namque nobis hoc tempore Gothi amicitiâ iuncti. Vnde si erga hos se instabiles præstiterint Franci, nec vobis quidem fideles erunt. Mens namque, quæ in amicos prauitatis & inconstantiæ semel arguitur, diuertere ab æquitatis via assiduò solet. Ad ea verò, quæ de occupatis per nos locis nunc meministis, responsuri id sumus. Patrem meum Theodibertum olim, nec finitimorum quempiam violandi studium habuisse, nec alienam inuasisse possessionem. Cui rei argumento ipse sum ego, qui ex eius hereditate nil sim opulentior factus. Non igitur ille hæc loca vt Romanis sublata tenebat, sed Totila ipso tunc possidente, ac palam prodente, accepit. Qua de re potiùs Iu-C stinianum oportuit Francis congratulari, quandoquidem qui rerum suarum fraudatores perspexerit re aliqua item per alios fraudari, lætari proculdubiò poterit, haudquaquam immeritò pœnas luisse hos ratus: ni fortè his demum inuideat, qui illatam sibi iniuriam vindicarint. Nam hostium æquitatem suam fecisse inuidiam, facere vt pleraque homines arbitrantur. Sed de his rebus cognitionem permittere Iudicibus possumus, vt si quid, quod Romanorum fuerit antehac ditionis, genitor meus abstulerit, sine vlla mora vel nolentes ipsi restituamus. De hisque Bysantium Oratores per nos non longè post transmittentur. Leontio igitur demum dimisso, ad Imperatorem iam quarto Lendardum legauit, &c.

A

EX AGATHIAE SCHOLASTICI HISTORIA

DE REBVS IVSTINIANI IMPERATORIS.

Ex Libro I.

SVNT FRANCI Italis accolæ, & contermini; olim dicti GERMANI. quod quidem satis constat. Nam circa Rhenum fluuium habitant, & Continentem ei adiacentem, maximámque Galliarum partem occupant, non quidem iam olim ab ipsis possessam, sed posteriùs acquisitam. Massiliam quoque vrbem tenent, Ionum coloniam. Hanc enim olim Phocenses ex Asia à Medis pulsi incoluerunt, Dario Hystaspis filio apud Persas regnante: & nunc ex Græcanica, est barbarica. Patria enim Reipublicæ administratione abiecta, imperantium legibus vtitur. Videtur verò etiam hodie non admodum pristina incolarum dignitate inferior. Sunt enim FRANCI non campestres, vt ferè plerique Barbarorum, sed & politiâ, vt plurimum, vtuntur Romana, & legibus iisdem: eandem etiam contractuum & nuptiarum rationem, & diuini numinis cultum tenent. Christiani enim omnes sunt, rectissiméque de Deo sentiunt. Habent & Magistratus in vrbibus, & Sacerdotes; festa etiam perindè atque nos celebrant. &, pro barbara natione, valde mihi videntur ciuiles & vrbani, nihilóque à nobis differre, quàm solummodò barbarico vestitu, & linguæ proprietate. Ego certè eos, cùm ob alia quibus præditi sunt bona, tum verò ob mutuam inter se iustitiam & concordiam, summoperè miror. Frequenter enim iam & olim, & mea ætate, modò inter tres, modò inter plures diuiso ipsis imperio, nunquam aduersus sese mutuò bellum mouisse, neque ciuili sanguine patriam inquinasse constat. Atqui fit ferè, vt vbi magni sunt exercitus, æqualis aut dubiæ inter se potentiæ, ibi etiam animi elatiores inflatioresque euadant, & ambitiosæ æmulationes, & de primo honoris gradu contentiones, aliique innumeri affectus tumultibus & seditionibus gignendis aptissimi suboriantur. Apud illos tamen, tametsi in quamplurimos Principatus eos esse diuisos contingat, nihil tale vsuuenit: sed si quæ fortè inter Principes oriatur controuersia, omnes quidem aciem instruunt, tanquam ad bellandum, rémque armis decernendam; deinde simul conueniunt. Conspicatæ verò sese vtrinque copiæ, statim obiecta offensione, ad concordiam redeunt, iubéntque vt Principes iure potiùs controuersias decernant; sin minus, vt singulari inter se certamine agant, & suorum ipsimet capitum periculum adeant. Neque enim æquitati, aut patriæ consuetudini consentaneum censent, vt priuatæ ipsorum simultatis causâ publicum labefactetur, ac subuertatur. Confestim itaque & exercitum soluunt, & arma deponunt, paceque redintegrata tutò rursus inter se commeant, sublatis è medio difficultatibus. Adeò apud illos subditi sunt iustitiæ & patriæ studiosi; Principes verò, vbi opus est, placidi & obsecundantes. Idcirco vtique & firmam degunt habentes potentiam, iisdem legibus vtentes, sua tuentes, nihilque amittentes, quamplurima verò acquirentes. Iustitia enim & amicitia vbi vigent, beatam firmámque efficiunt Rempublicam, & nequaquam hostibus expugnabilem. Franci itaque hoc modo optimè vitam suam instituentes, & sibiipsis & finitimis imperant. Filij patribus in Regnum succedunt. Sed eo tempore, quo Gothi Legationem ad eos miserunt, tres ipsis erant Principes. Neque verò abs re facturus mihi videor, si paulò altiùs repetito genere, breuissiméque enarratis iis qui antea eos rexerunt, in iis qui eo tempore imperabant digressionis finem fecero. B C

CHELDIBERTVS quidem, & LOTHARIVS, præterea verò THEODERICVS & CHLOTOMERVS, germani fratres fuerunt. Hi, mortuo patre CHLOTOÆO, in quatuor partes Regnum partiti, secundum vrbes & populos, itavt æquas singuli portiones, vt arbitror, acciperent. Non multo pòst tempore Chlo-

A Chlotomerus aduersus Burgusiones exercitum ducens, (natio autem hæc Gothica est, per se laboriosa, & bellica laude clara) in ipso prælio, pectus iaculo ictus, interiit. Quo humi iacente, Burgusiones promissam illiús laxámque comam, & ad scapulas vsque pertingentem, conspicati, confestim intellexerunt se Ducem hostium interfecisse. Solemne enim est Francorum Regibus, nunquam tonderi: sed à pueris intonsi manent. cæsaries tota decenter eis in humeros propendet. anterior coma è fronte discriminatâ in vtrumque latus deflexa. Neque verò, quemadmodum Turcis & Barbaris, impexa iis & squallida sordidáque est coma, vel complicatione indecenter cirrata, sed smigmata varia ipsi sibi adhibent, diligentérque curant; idque velut insigne quoddam eximiáque honoris prærogatiua Regio generi apud eos tribuitur. Subditi enim orbiculatim tondentur, neque eis prolixiorem comam alere facilè permittitur. Burgusiones itaque præsciso Chlotomeri capite, cùm illud copiis, quæ circum eum erant, ostentassent, magnam statim trepidationem desperationémque iniecerunt; adeóque eis animi metu ceciderunt, vt in posterum bellum detrectarent: & victores quidem ex animi sui sententia, & quibus oportere videbatur conditionibus & pactis, bello sese exsoluerunt. E Francico exercitu qui supererant, libentes in sua se receperunt. Cæso itaque Chlotomero, statim fratres ipsius, (neque enim vllos adhuc liberos susceperat) Regnum illius inter se sunt partiti. B Neque multò pòst Theodericus morbo correptus interiit, THEODIBERTO filio præter alia bona, etiam Principatus dignitate relicta.

THEODIBERTVS, accepto paterno Regno, & Alemannos, & alias nonnullas finitimas gentes subegit. Erat enim summoperè & audax & turbulentus, & periculorum præter modum amans. Cùm itaque Romanis bellum aduersus Totilam Gothorum Ducem esset ortum, Theodibertus hoc animo agitabat, summáque diligentiâ procurabat, vt interea dum in Italia Narses pariter & exercitus laborarent, occupatíque essent, ipse fortissimis validissimisque copiis coactis in Thraciæ regionem penetraret, eáque tota vastata & subiugata, Byzantium regiam vrbem bellum transferret. Hoc verò consilium suum adeò gnauiter reipsa, tantóque apparatu est prosecutus, vt etiam ad Gipedas & Langobardos, aliásque nonnullas finitimas gentes, Legationem instituerit, vt & hi in societatem belli venirent. Neque enim tolerandum esse censebat, quòd Imperator Iustinianus in Edictis Imperatoriis, Francici & Alemannici, necnon Gipedici & Langobardici, alióśque huiuscemodi titulos sibi vindicaret, perindè ac si omnes hasce gentes subiugasset. Quocirca & ipse grauiter hanc iniuriam ferebat, & alios vt communi secum iniuriâ contumeliáque affectos, ad indignationis societatem sollicitabat. Ego verò ita statuo, si hanc ille expeditionem suscepisset, audaciam ei suam nulli bono futuram fuisse; sed siue in Thraciam, siue in Illyrios venisset, in præsidiarias iis in locis Romanorum legiones incidisset, turpitérque periisset. Sed hoc ipsum quod eiuscemodi consilium animo concepisset, & vellet & optaret, omnémque quod C ad se attinet ad hoc lapidem mouisset; euidentissimo argumento esse potest, qualis ille vir, quámque ferox & arrogans fuerit. quippe qui furorem temeritatémque fortitudinem esse existimabat. Nisi enim vitæ finis conatus ipsius anteuertisset, expeditionem hanc aggressus fuisset. Nunc verò cùm venatum iuisset, taurus ei ingens, & excelsis cornibus præditus, occurrit, non domito cuidam & aratori tauro similis, sed siluester, & montanus, & quidquid obuium habet disperdens. Bubalos, vti arbitror, gens illa appellat. Plurimos verò fert illa regio. Densissimæ enim in ea sunt siluæ, horridi montes, & tractus frigidissimi, quibus omnibus gaudere solet hoc animal. Quem quidem taurum conspicatus Theodibertus è saltu quodam prosilientem, atque in se irruentem, constitit tanquam hastâ occursurus. Taurus verò iam propior factus, impetu cursus delatus in arborem quandam non ita magnam, fronte & cornibus eam ferit, & subuersa tota arbore, & in solum depressa, maximus quidam ex iis qui indè confracti erant ramus violentissimo ictu ita eius caput sauciauit, vt lethali intolerabilique plaga accepta, confestim supinus prociderit, ægréque à suis domum reportatus, eodem die è vita discesserit. THEODIBALDVS itaque eius filius in Regno succedit. Qui quidem tametsi iuuenis admodum, atque adhuc sub magistri cura institutionéque esset, patria tamen lex eum ad Regnum vocabat.

Eo itaque tempore, quo Teias excessit è viuis, & Gothicæ res peregrinis auxiliis egerent, THEODIBALDVS iste adolescentulus Francorum Rex erat. Sed & CHILDIBERTVS & CLOTHARIVS eius maximi patrui, prout leges Romanorum loquerentur, erant. Ad hos, vtpotè remotissimè indè degentes, Gothi nequaquam eundum censuerunt. Ad Theodibaldum verò apertè Legationem instituerunt; non tamen vniuersa natio, sed soli qui iuxta Padum fluuium degebant. Alij verò gaudebant quidem & rerum innouatione, & status immutatione: perculsi tamen erant, de euentu dubitantes, & fortunæ instabilitatem pertimescentes, & suspensis dubiisque animis obseruabant, sciscitabantúrque quid ageretur, statuentes iis qui potiores superioresque essent, sese adiungere. Aliorum verò Oratores cùm in Regis conspectum venissent, omnes etiam Primores Regni orabant, ne sese à Romanis oppressos despicerent; sed sociale cum ipsis bellum susciperent, & genti finitimæ atque amicæ suppetias ferrent, quæ alioqui in discrimine erat, ne funditus euerteretur. Ostendebant præterea hoc etiam ex illorum re maximè futurum, si non paterentur Romanos ad tantam potentiam euehi, sed potiùs omnibus viribus eorum incremento officerent. „ Si enim vniuersam gentem Gothicam deleuerint, statim etiam in vos, dicebant „ Oratores, exercitum ducent, & pristina bella instaurabunt. Neque enim illis est „ defutura speciosa aliqua causa, quam auaritiæ suæ prætexant. Quin potiùs iu- „ stum sese vobis inferre bellum putabunt, Marios quosdam, & Camillos, & Cæ- „ sarum plerosque recensentes, qui olim bella aduersus priscos Germanos gesse- „ runt, & trans Rhenum vniuersa occuparunt. Quocirca non vim illaturi vide- „ buntur, sed iustum bellum mouere, tanquam nihil alienum quæsituri, sed ma- „ iorum suorum possessiones recuperaturi. Tale porrò etiam nobis crimen obii- „ cient, quòd scilicet cùm Theodericus noster olim Princeps, & coloniæ dedu- „ cendæ auctor, non decenter Italiam occupasset, nostris quidem rebus nos spo- „ liarunt, maiorem gentis nostræ partem trucidarunt, vxores & liberos opulen- „ tiorum apud nos hominum atrociter sub hastam miserunt. Atqui Theodericus „ non vi captam, sed Zenonis antea ipsorum Regis permissu, sibi adiunxerat Ita- „ liam, nil Romanis eripiens, (iam enim eâ priuati erant) quin potiùs cæso Odoa- „ cro aduena Tyrrheno, quæ illius erant omnia occupauit belli iure. At postea- „ quam ipsi maior vim inferendi potestas fuit, mox nil iustè agere cœperunt: sed „ Theodato antea Amalasunthæ causâ infensi, idque initium occasionémque bel- „ li statuentes, deinceps in hunc vsque diem omnia violenter agere ac rapere non „ desistunt. Hi nimirum sunt sapientes & religiosi, quique soli se iustè Rempubli- „ cam administrare gloriantur. Ne igitur nos huiuscemodi malis affectos vecor- „ diæ nostræ serò pœniteat, anteuertendi nobis sunt hostes, neque negligenda est „ occasio, quæ modò sese offert, quin potiùs iustus in eos exercitus est mitten- „ dus, & ex nobis ipsis Dux aliquis rei bellicæ peritus ei præficiendus, qui bello „ aduersus Romanos optimè confecto, hinc eos quàm citissimè exigat, nostrásque nobis terras recuperet. Hoc enim facientes, & Gothicæ nationi summopere gratificabimini, seruatores, malorúmque profligatores declarati: vestrásque simul res in tuto collocaueritis, si nihil vobis amplius hostile ex vicinis reliquum fiat. Ad hæc immensa vobis fiet pecuniæ accessio, non solùm ex præda „ quam de Romanis facietis, sed & aliis quas nos persoluemus.

HÆC cùm dixissent Legati, Theodibaldo quidem (erat enim parum generosus, & belli imperitus, atque adeò morbidus etiam, corporéque inualido) eorum petitio non admodum probabatur, neque putabat oportere ob alienas calamitates, priuatis difficultatibus laboribúsque inuolui. LEVTHARIS verò & BVTILINVS, tametsi id Regi ipsorum minimè placebat, belli cum eis societatem inierunt. Erant hi duo germani fratres, genere quidem Alemanni, maximam verò apud Francos potentiam consecuti, adeò vt nationi ipsorum præessent, à Theodiberto primùm accensi. Alemanni autem, si Asinio Quadrato homini Italo, quique res Germanica accuratè conscripsit, credimus, conuenæ sunt, & miscellanei. quod & appellatio ipsa satis indicat. Hos antea Theodericus Gothorum Rex, cùm etiam vniuersa Italiâ potiretur, tributarios fecerat, totámque hanc gentem subegerat. Simulatque verò is è viuis excessit, atrocissimúmque bellum inter Iustinianum Romanorum Imperatorem & Gothos exarsisset:

A tum Gothi Francis adulantes, eorúmque amicitiam & beneuolentiam quibuscumque poterant modis sibi conciliantes, & aliis multis locis eiecti sunt, & Alemannicam gentem dimiserunt. Cogendas enim sibi tum temporis vndequaque vires suas putabant, subditósque, quotquot superuacanei neque admodum opportuni viderentur, missos faciendos. quippe qui non ampliùs de Principatu & gloria essent concertaturi, sed iam pro Italia ipsa, néve funditus delerentur, periculum adituri. Quocirca cùm futurum periculum ipsi animis suis percepissent & præuidissent, voluntatem suam ad necessitatem aggregarunt. Hoc itaque modo etiam Alemannorum nationem à Gothis dimissam in suam potestatem redegit. Quo mortuo, vt suprà dictum est, Theodibaldo filio vnà cum reliquis subditis etiam hi cesserunt. Sunt verò etiam his patria quædam instituta. in Reipublicæ verò administratione Francorum politiam sequuntur. tantùm in iis quæ ad Deum pertinent, sententiâ variant. Arbores enim quasdam colunt, & fluminum lapsus, & colles, & saltùs: atque his tanquam iusta facientes, equos aliáque quamplurima resectis capitibus immolant. Porrò consuetudo, quam cum Francis habent, ipsis conducit, in melius transferens, & quodammodo pertrahens cordatiores: & breui, vti spero, tempore hoc ipsum apud omnes euincet. Opinionis enim absurditas & vesania etiam ab ipsis, arbitror, qui ea imbuti sunt, nisi planè stolidi sint, cognoscitur & cernitur, faciléque iis eximi possit.

B LEVTHARIS itaque & BVTILINVS, vbi primùm exercitus contra Romanos ducere cœperunt, magna ambo spe erecti erant, tanquam non ampliùs eo in statu mansuri. Narsem enim exercitus Ducem ne primum quidem impetum sustinere posse credebant: omnem verò Italiam, vnà cum Sicilia, in ipsorum potestatem venturam. Mirari verò se Gothos dicebant, si tantopere homuncionem thalamo & vmbratili deliciosæque vitæ assuetum, nihilque masculum & virile præ se ferentem, reformidarent. Hi itaque sua gloriâ elati ac fastuosi, validis copiis coactis, exercitúque ex Alemannis & Francis ad duo & septuaginta strenuorum virorum millia collecto, sese ad bellum instruebant, veluti iamiam Italiam & Siciliam inuasuri. Narses verò Romanorum Dux, tametsi eorum consilia non planè habebat explorata, maxima tamen vtens prudentiâ, hostiúmque conatus semper anteuertere cupiens, statim oppida quædam in Tuscia, quæ adhuc in Gothorum potestate erant, summa vi subigere statuit, &c.

Vergente iam autumno, solstitio hiberno imminente, Narses belligerandum sibi per id tempus nequaquam videbatur. Re vera enim hoc pro FRANCIS futurum videbatur, quibus æstus valde est inimicus & grauis, neque libentes æstate bellum gerunt: brumæ verò tempore vegetantur, validioresque fiunt, & tunc commodissimè labores ferunt. Naturaliter enim ob patriæ algiditatem ita affecti sunt, vt eis cognatum quodammodo sit frigere. His itaque de causis protrahendum bellum, & in proximum ver differendum censebat. Dissipato itaque exercitu, & per Centuriones & Tribunos partito, vt in proximis Rauennæ oppidis & castellis hybernarent, iussit.

C

Ex Libro II.

INTEREA Barbari lentiùs procedentes, loca per quæ transibant omnia depopulabantur & vastabant. Romam verò, locáque vrbi circumiecta longissimè transgressi, vlteriùs tendebant; à dextra quidem Tyrrhenum mare, à sinistra autem Ionici sinus littora protensa habentes. Postquàm verò Samnium (locum ita dictum) venissent, tum partitis copiis, BVTILINVS quidem cum maiore validioréque exercitus parte Tyrrhenum littus legebat, & totam ferè Campaniam deprædabatur. quin & Lucaniam, & Brutios deindè inuasit, & ad fretum vsque, quod Siciliam insulam & fines Italiæ dirimit, peruenit. LEVTHARIS verò reliquas copias ducens, Apuliam & Calabriam infestabat, Hydruntem vsque progressus; quæquidem vrbs in littore Adriatici maris est sita, vnde Ionius sinus initium habet. Quotquot itaque eorum FRANCI erant indigenæ, multam reuerentiam pietatémque circa templa exercebant, vtpote rectam de Deo sententiam amplexi, vt suprà dixi, eadémque cum Romanis sacra colentes. Alemannica verò gens vniuersa,

(aliter enim hi circa Religionem sunt affecti) templa irreuerenter diripiebant, suisque ornamentis spoliabant. Multas quidem amulas sacras, siue vasa lustralia, & aspergilla ex puro auro, quamplurimos etiam calices & acerras, & quæcumque mysticis ceremoniis peragendis erant consecrata, spoliantes, propriis suis possessionibus adscribebant. Sed ne his quidem rebus contenti, tecta ipsa sacrorum templorum diruebant, & fundamenta subuertebant, cruoréque & sanie delubra circumfluebant, arua etiam segetésque polluebantur, cùm per eas passim cadauera insepulta sparsa iacerent. Sed non multò pòst diuina vindicta est subsecuta. Alij enim bello, alij morbo perierunt, neque quisquam eorum priori spe potitus est. Iniustitia enim & Dei contemptus, fugienda quidem semper & noxia est, præcipuè verò in præliis & conflictibus. Patriam enim patriáque instituta propugnare, eáque pessumdare molientibus obsistere, omnibúsque eos viribus propulsare, æquum sanè fuerit valdéque generosum: qui verò lucri causâ, & hostilitate quæ nulla iusta causâ nitatur, aliena inuadunt, eos à quibus nulla iniuriâ sunt prouocati infestantes, hi certè væsani impiique fuerint; neque quid ius ac fas sit norunt, neque iis curæ est an Deus maleficiis offendatur. Idcirco acerrimæ eos pœnæ manent, résque ipsis in extremas atque irremediabiles calamitates desinunt, tametsi ad breue aliquod tempus prosperè rem gerere videantur. Ac talia quidem etiam tunc Leutharim Butilinúmque sectantibus copiis euenêre. Nam hi rebus hisce perpetratis, cùm iam ingentem spoliorum vim coaceruassent, & iam præterlapso vere vigeret æstas; alteri quidem Ducum, Leuthari videlicet, in animo erat domum reuerti, & opimis spoliis suis frui: nunciisque ad fratrem suum missis, eum etiam ad domuitionem hortabatur, bello & incertis rerum futurarum euentibus valere iussis. Butilinus verò etiam iureiurando se Gotho obstrinxit, prælium aduersus Romanos cum ipsis aditurum. Cúmque illi per assentationem spargerent, sese eum Regem ipsorum designaturum, manendum sibi apud illos censuit, & se ad bellum instruxit. Leutharis verò cum suis copiis statim discessit: eo consilio, vt postquàm prædam omnem quàm tutissimè auexisset, domúmque venisset, tum exercitum fratri suo suppetias laturum mitteret. Sed ne ipsi quidem consilia sua ex animi sententiâ successerunt, neque fratri suo valdè auxiliari potuit. Nam ipsi, iam iter domum versus ingresso, nihil quidem aduersi ad Picenum agrum vsque accidit. Cùm autem eò progressus peruenisset, ipse quidem circa Fanum vrbem castra metatus est; emissis etiam statim suo more præcursoribus & speculatoribus ad tria hominum millia, qui non solùm anteriora loca explorarent, sed sicubi hostes comparerent, profligarent. Artabanes verò & Vldaches ille Hunnus, qui cum exercitu Romano pariter & Hunnico ad Pisaurum vrbem collecti erant, insidiis in transitu collocatis, hi, inquam, præcursores illos conspicati, in ipso Ionici sinus littore & crepidine euntes, egressi vrbe, aciéque optimè instructa, confertim in eos irruunt, ac multos quidem gladiis cædentes trucidant; non pauci cùm prærupta littoris præcipitia conscendissent, in decliue delati, proníque in mare prouoluti, & procellis abrepti perierunt. Alij itaque quamplurimos ita pereuntes conspicati, absque vllo ordine fugerunt, & cum ingenti clamore atque eiulatu ad exercitum delati perturbatione & tumultu omnia impleruntt, vt iamiam ingruentibus Romanis. Leutharis verò ad prælium se comparans, omnem exercitum mouebat. Illi arreptis armis aciem instruebant, densam pariter & in longum protensam. Hoc ergo pacto constitutis ipsis, neque opportuniore consilio in mentem veniente, plurimi captiui incustoditi relicti, hostium occupatione opportunè vsi, quàm celerrimè aufugerunt, & quicquid poterant spoliorum in proxima castella transtulerunt. Cùm verò Artabanes simul & Vldach impares sese committendo prælio censentes copias nequaquam educerent, tum FRANCI soluta acie in castra reuersi, cognouerunt quantam iacturam fecissent. Quocirca priusquàm grauius aliquod damnum acciperent, visum est eis consultum, si quàm citissimè motis à Fano vrbe castris, vltrà progrederentur. Statim itaque processerunt, relicto ad dextram Ionio sinu, & littorali vniuersa arenosáque viâ, ad radices Apennini montis iter fecerunt: atque ita rectà Æmiliam & Alpes Cottias versus euntes, ægrè Padum traiecerunt. Cùm verò in ditionem Venetam venissent, ad Cenestam vrbem per id tempus ipsis subditam stationem habuerunt, ibi deinceps in tuto commora-

A turi. Dolebant tamen, molestéque ferebant, & summum quendam mœrorem præ se ferebant, quòd ipsis perquàm exiguum è præda esset reliquum: videbantúrque sibi irritos inutilésque labores perpessi. Sed non his terminis ipsorum calamitas fuit circumscripta. Paulò enim pòst, pestilens quidam morbus repentè incidens, multitudinem absumpsit, & nonnulli quidem illorum ambientis aëris prauitatem incusabant, causam morbi ei adscribentes: alij verò, quòd continuis bellis & longis itineribus peractis, repentè ad otiosam mollémque vitam essent traducti, vitæ immutationem in causa esse putabant. At ipsam reuera originem, necessariámque causam mali, planè non intelligebant, quæ profectò erat iniustitia, & diuina pariter atque humana iura ab ipsis proculcata. Ipsum itaque Ducem videre erat euidenter pœnis diuinitus immissis obnoxium. Insaniâ enim manifestáque rabie, instar eorum qui mente capti furere solent, corripiebatur, multáque vertigine agitabatur, grauésque eiulatus edebat, modò pronus, modò in alterutrum latus in solum procidens, multámque ex ore spumam ciens: oculi etiam ipsi erant torui, horrendúmque in modum inuersi. Eò denique insaniæ venerat miser, vt ne à suis quidem membris degustandis abstineret. Assiduè enim mordicus brachiis suis inhærens, & carnes dentibus conuellens, eas instar feræ alicuius bestiæ dilaniabat, promanantem saniem lambens. Atque ita sui ipsius satur, paulatimque contabescens, miserrimè periit. Extincti verò sunt vniuersim B etiam ceteri, nihil penitus se remittente malo, donec omnes interierunt. Ac febre quidem plurimi pressi, sana tamen mente perierunt. Nonnullos autem grauissima apoplexia afflixit, alios capitis grauedo, alios delirium. variis enim morbis laborabant, sed omnibus in perniciem desinentibus. Leutharis itaque, quique eum sequebantur, expeditio huiusmodi calamitosum habuit exitum.

DVM verò hæc Venetiis contingunt, BVTILINVS alter Dux oppidis castellisque propemodum omnibus ad Siculum fretum vsque vastatis, statim quamcitissimè Campaniam versus & Romam se recepit, &c. His itaque singulis ita dispositis, omnia quàm optimè comparata censebat, tanquam in ipsius potestate futurum esset, bellum inchoare, neque priùs prælium committi posset, quàm ipsi liberet. Porrò quæ fratri suo Venetiis acciderant, necdum inaudierat. Mirabatur verò, quòd ei copias suas, vti inter ipsos conuenerat, non misisset, suspicióque ipsi incidebat non tam diu tardaturas fuisse, nisi eis aliquid sinistri aduersique accidisset: nihilominus tamen etiam sine illis victoriam se ab hostibus reportaturum censebat. quippe qui etiã ita copiarum multitudine esset superior. Qui enim ipsi reliquus erat exercitus, ad triginta bellatorum millia accedebat: Romanorum verò exercitus vix dum erat millium octodecim. Quocirca & ipse quàm optimè animatus erat, & vniuersum exercitum hortabatur, non de exigua aliqua re eo prælio decernendum esse, sed aut Italiam, inquit, cuius causâ venimus, obtinebimus, aut hoc vnum iamiam nobis reliquum erit, vt omnes inglorij moriamur. Illud itaque nos, potiùs, viri fortes, quàm hoc, velle de- C bemus. cùm in nostra manu sit positum, si strenui esse velimus, quæ optamus consequi. Butilinus itaque hisce aliisque verbis multitudinem hortari non desistebat. Hi verò bona spe fulti, arma vt cuique visum erat apparabant. Alibi enim secures multæ acuebantur, alibi patria hastilia, quæ ipsi ἄγγωνας vocant: alibi scuta confracta vt vsui essent reficiebantur, faciléque ipsis omnia instruebantur. Vilis enim est & neglecta huius nationis armatura, quæque variis opificibus non indigeat, sed facilè ab ipsis qui eâ vtuntur, si quid fortè fractum fuerit, refici potest. Loricas enim & ocreas non norunt. Capita plerique eorum non muniunt, pauci verò galeis tecti pugnant, pectoribus & tergoribus ad lumbos vsque sunt nudis: indè braccis siue femoralibus alij lineis, alij coriaceis cincti, tibias cooperiunt. Equis verò non vtuntur nisi admodum paucis, quippe qui ad pedestrem pugnam, quæ ipsis familiaris patriáque est, optimè sint exercitati. Ensis femori, & scutum sinistro lateri appendet. Arcubus aut fundis, vel aliis telis, quæ eminus iaciuntur, non vtuntur; sed ancipitibus securibus & angonibus, quibus præcipuè rem gerunt. Sunt verò angones hastæ quædam neque admodum paruæ, neque admodum magnæ, sed & ad iactu feriendum sicubi opus fuerit, & vbi comminus collato pede confligendum est, impetúsque faciendus, accommodatæ. Hæ pleraque sui parte ferro sunt obductæ, ita vt perparum ligni

à laminis ferreis nudum conſpiciatur, atque adeò vix tota imæ haſtæ cuſpis. ſupra verò ad extremitatem ſpiculi, adunci quidam mucrones vtrinque prominent, ex ipſo ſpiculo inſtar hamulorum reflexi, & deorſum vergentes. In conflictu itaque Francus miles hunc angonem iacit; quod quidem ſi corpori inflictum fuerit, adigitur quidem intrò, vti veriſimile eſt, cuſpis, neque is qui ictus eſt facilè telum euellere poteſt. obſtant enim acuminati illi hamuli altiùs carni inhærentes, & acerbos cruciatus excitant, adeò vt etiam ſi hoſtem nequaquam lethale vulnus accepiſſe contingat, ex eo tamen intereat. Si verò ſcuto impactum fuerit, ſtatim ex eo propendet, & circumagitur, infima ſui parte ſolum verrens & verſans. Is verò qui ictus eſt, neque telum ſcuto euellere valet, hamulis mordicus inhærentibus, neque enſe amputare, quòd nimirum ad lignum pertingere non poſſit, ferreis laminis quibus id obductum eſt obſiſtentibus. Quod ſimul ac viderit Francus, confeſtim pede inſultat, & proculcans imam haſtam, ſcutum pondere ſui corporis deprimit: itavt geſtantis manu ſeſe nonnihil laxante, ac remittente, caput & pectus nudentur. Tum ille nudum hoſtem neque munitum nactus facilè trucidat, ſiue ſecuri frontem feriens, ſiue alia haſtâ iugulum traiiciens. Ac talis quidem eſt Francorum armatura, atque ita ad prælium apparabantur. Narſes verò Romani exercitus Prætor vbi hæc cognouit, ſtatim & ipſe vniuerſo exercitu Româ educto, non procul ab hoſtibus caſtra locat, ſed vnde & ſtrepitus exaudiri, & vallum conſpici poſſet, &c.

BVTILINVS confeſtim copias in hoſtem eduxit, omnéſque magna animorum alacritate rectà in Romanos ferebantur, non quidem ſenſim & placidè ordinatéque, ſed nunciis animum ipſis aláſque addentibus, turbulentè ac præcipitanter, tanquam primo impetu quidquid hoſtium eſſet diſcerpturi. Erat autem ipſis forma aciei inſtar cunei, Λ literæ figuram præ ſe ferens, anteriore quidem ſui parte in acutum deſinens. Preſſa enim erat & denſa, ſcutis vndequaque inter ſe conſertis munita. dixiſſes ſuis caput ſua ſtructurâ efformare. Alæ verò vtrinque ex centuriis & decuriis in longum compoſitæ, & vt plurimum in obliquum protenſæ, paulatim ab ſeſe dilatabantur, & dirimebantur, in maximam latitudinem deſinentes: adeò vt locus intermedius vacuus relinqueretur, & nudata militum terga ſeriatim conſpicerentur. Auerſi enim inter ſe ſtabant, vt hoſtibus aduerſi eſſent, & ex tuto confligerent, ſcutis protecti, terga verò mutua illa inter ſe contrapoſitione tuerentur. Narſeti autem, & proſperam fortunam nacto, quíque quod facto erat opus optimè excogitarat, cuncta ex animi ſententiâ ſucceſsêre. Poſtquàm enim Barbari ingenti clamore vlulatúq; excitato concitatiùs proruentes impetum in Romanos fecerunt, confeſtim anteſignanos medio inter duo cornua loco ſtantes, perrumpentes in vacuum illum exercitus locum irruerunt. neque enim adhuc Heruli aduenerant. Et prima quidem barbarici exercitus pars, perfracta ordinum ſerie, & cæde non magna edita, in poſtremum aciei agmen delata eſt: nonnulli verò etiam vlteriùs progreſſi, tanquam Romanorum caſtra capturi. Tum Narſes inflexis ſenſim porrectiſque alis, inuerſa aciei fronte, equitibus ſagittariis mandat, vt vtrinque ſagittas in hoſtium terga mutuò emittant. quod & ipſi facilè præſtabant. Cùm enim Barbari pedites eſſent, ipſi ex equis editiores exiſtentes facillimè poterant ferire diſtantes expanſóſque, neque eis anteriùs officere valentes. Neque erat difficile, arbitror, equitibus ad extremitates conſtitutis, proximos ſibi & quàm maximè vicinos hoſtes ſagittas tranſmittere; eos verò, qui ex aduerſo conſpiciebantur, vulnerare. Traiiciebantur itaque Francis omni ex parte terga, Romanis quidem, qui ad dextrum cornu poſiti erant, hoſtem ea in parte inſectantibus: qui verò in ſiniſtro cornu erant, eos qui in altera. Cúmque ita tela alternatim vtraque ex parte in contrarium ferrentur, & quicquid obuium erat diſperderent, Barbari neque telorum ictus euitare poterant, neque vndè ferirentur ſatis animaduertebant, &c. Romani autem non ſolùm ſagittis eos interficiebant, ſed & grauioris & leuioris armaturæ milites inuecti, haſtas in eos torquebant, & contis profligabant, enſibúſque obtruncabant: equites etiam diductis alis eos circumueniebant, & concludebant. Si qui verò eorũ enſes effugerant, hi ipſi inſectantium vi compulſi præcipites in flumen ferebantur, Barbaris paſſim miſerrimè pereuntibus. Ipſe itaque Dux Butilinus cum vniuerſo exercitu ad internecionem periit, neque

A quisquam è Germanis ad suos est reuersus, præter quinque viros, quocumque tandem modo illi euaserint.

INTEREA dum hæc geruntur, THEODIBALDVS adolescens, qui finitimis Italiæ Francis imperabat, vt suprà est à me dictum, miserrimè iam è viuis excesserat, morbo quo indè ab ortu laborarat absumptus. Cùm verò CHILDIBERTVM & CHLOTARIVM, vt pote genere proximos, Lex patria ad hereditatem iuuenis vocaret, grauis statim inter eos contentio est orta, quæque parum aberat quin totum genus perderet. Childibertus enim iam senex erat, & præterquàm quòd grauis annis esset, accedebat etiam summa infirmitas: adeò vt ipsi totum corpus colliquatum tabidúmque esset. Neque vlla ei erat proles mascula quæ succederet in Regnum; sed filias tantùm habens consenuerat. Chlotarius verò valido adhuc erat corpore, neque admodum senex: primas tantùm rugas contraxerat, & filios habebat quatuor admodum iuuenes, atque animosos, & ad audendum promptos. Quocirca non adeunda dixit fratri bona Theodibaldi, quippe quòd breui etiam ipsum Childiberti Regnum ad se & filios suos esset deuoluendum. Neque eum fefellit sua spes. Senex enim ille sua sponte ipsi hereditate cessit: veritus, vti puto, viri potentiam, ipsiúsque inimicitiam declinare cupiens. Paulóque pòst ipse quidem excessit è viuis. Vniuersum verò Francorum Imperium, B ad solum Chlotarium est deuolutum. Hic itaque fuit Italicarum & Francicarum rerum status.

EX MENANDRI PROTECTORIS

HISTORIA.

ΟΤΙ Ἀμμίγος ὁ Φράγγος ἐστρατοπεδεύσατο ἄντικρυ τοῦ ποταμοῦ Ἀτίσου, ᾗ προσδόκιμοι ἦσαν οἱ Ῥωμαῖοι διαβήσεσθαι. ὁ δὲ Ναρσῆς τοῦτο ἐγνωκὼς, Παμφρόνιον ὃς ἐν τοῖς βασιλέως πατράσιν ἐτέλει, καὶ Βώνον προεστῶτα τῆς τοῦ βασιλέως περιουσίας, ἐκπέμπει πρεσβευσομένω ἄμφω ὡς Ἀμμίγον· ἐδήλωσέ τε αὐτῷ ἐκποδὼν γενέσθαι, καὶ μηδαμῶς πόλεμον αὖθις κινῆσαι κατὰ Ῥωμαίων. ἐκεχειρία γάρ τις ἐγεγόνει μεταξὺ τοῦ χρόνου Φράγγοις τε καὶ Ῥωμαίοις· ὁ δὲ Ἀμμίγος διὰ τῶν πρέσβεων ἀπεκρίνατο, ὡς οὐκ ἐνδώσοι ποτε, ἔστ' ἂν αὐτῷ τὸ ἀκόντιον οἷά τε ἔσται κραδαίνειν ἡ χείρ. Lib. 1.

Ὅτι ἐπὶ Ἰουστίνου τοῦ νέου οἱ τῶν Ἀβάρων πρέσβεις παρεγένοντο ἐν Βυζαντίῳ, τὰ συνήθη δῶρα ληψόμενοι, ἅπερ τῷ κατ' αὐτοὺς ἔθνει Ἰουστινιανὸς ὁ πρὸ τοῦ βασιλεὺς ἐδίδου· ἦσαν δὲ καλῴδιά τε χρυσῷ διαπεποικιλμένα, ἐς τὸ εἴργειν τι τῶν ἀποδιδρασκόντων ἐπινενοημένα, καὶ κλῖναι ὁμοίως καὶ ἄλλα τινὰ ἐς τὸ ἁβρότερον ἀνειμένα· τότε δὴ οὖν οἱ πρέσβεις τῶν Ἀβάρων εἰς πεῖραν ἰέναι τοῦ βασιλέως ἐβούλοντο, εἴ γε οὐκ ἄλλως δῶρα λαμβάνειν αὐτοὺς, καὶ τῇ Ῥωμαίων ῥᾳθυμίᾳ ἐπεντρυφᾶν, καὶ τὸ ἀμελὲς αὐτῶν οἰκεῖον τίθεσθαι κέρδος· καὶ δὴ παρὰ βασιλέα φοιτᾶν ἠξίουν. καὶ οὖν τοῦτο ἐφειμένον αὐτοῖς, ἔπι γε μὴν καὶ διὰ τῶν ἑρμηνέων ὅ, τι βούλονται λέγειν, τοιοῖσδε ἐχρήσαντο λόγοις. ( ) Οἱ μὲν τῶν Ἀβάρων πρέσβεις τοιαῦτα διεξῆλθον ἐπαμφοτερίζοντες τῇ γνώμῃ· τοῦτο μὲν γὰρ ἐδόκουν ἱκετεύειν, τοῦτο δὲ ἀπειλεῖν. ᾤοντο γὰρ ὡς ταύτῃ δεδίξονταί τε καὶ ἐκφοβήσουσι τὸν βασιλέα, καὶ ὡς ἐκ τούτου ἀναγκασθήσονται Ῥωμαῖοι ὥσπερ ὑποφόροι εἶναι Ἀβάρων. ὁ δὲ βασιλεὺς οὐδὲν ἕτερον ἢ ψόφον ἡγησάμενος τῶν Ἀβάρων ῥήματα, ἀντέλεξεν οὕτω. ( ) Τοιοῦτον ἐπισείσαντος φόβον τοῦ βασιλέως τοῖς πρέσβεσι τῶν Ἀβάρων, κατεγνωκότες ἐκ τῶν εἰρημένων οἱ βάρβαροι ὡς οὐκ ἀνέξεται σφῶν τῆς πλεονεξίας, καὶ ὡς οὐδὲν αὐτοῖς ἐκδοθήσεται, ὧν ἐκομίζοντο πρὸ τοῦ, καὶ ὡς τὸ λοιπὸν οὐκ ἐπιδραμοῦνται τὴν Ῥωμαϊκὴν, ἐν δυσθυμίᾳ τε ἐτύγχανον πολλῇ, καὶ ἀναλογιζόμενοι· ἦσαν, ὅποι τὰ παρόντα ἐκβήσεται. οὐδὲ γὰρ μένειν ἐν Βυζαντίῳ ἀνόνητα ἤθελον, οὔτε μὴν ἄπρακτοι ἀπιέναι ἐβου- Lib. 2.

C

λοιπόν. ὅμως δ᾽ οὖν τὴν κάκην αὖθις αἱρετώτερον ὑπῆρχεν ἀπονοστῆσαι ὡς τοὺς ὁμοφύλους· A
καὶ τοίνυν ἐνωθέντες ἐς τὴν Φράγγων χώραν ἀφίκοντο, τοῦ βασιλέως τὴν ἀπολογίαν θαυμάσαντες.

Ὅτι Ἀβάρων καὶ Φράγγων σπεισαμένων πρὸς ἀλλήλους, καὶ τῆς Εἰρήνης ἐμπεδώτατα ἐχούσης, ἐσήμηνεν ὁ Χαγανὸς Σιγισβέρτῳ τῷ τῶν Φράγγων ἡγεμόνι, οἷα λιμῷ πιεζομένης αὐτῷ τῆς στρατιᾶς· καὶ ὡς χρεὼν εἴη βασιλέα καθεστῶτα, καὶ πρός γε αὐτόχθονα, μὴ περιϊδεῖν στράτευμα ἔνσπονδον· ἔφασκε δὲ ὡς, εἴ γε ἐπιῤῥώσῃ τῶν Ἀβάρων τὸ στράτευμα τοῖς ἀναγκαίοις, οὐ πλέον ἢ τρεῖς ἡμέρας αὐτοῦ ἐνδιατρίψει, εἶτα ἀπαλλαγήσεται· ταῦτα ἐπεὶ ἀπήγγελτο τῷ Σιγισβέρτῳ, παραχρῆμα ὅ γε ἄλευρά τε ἔστελλε τοῖς Ἀβάροις καὶ ὄσπρια καὶ ὄϊς καὶ βόας.

Versio Latina.

AMINGVS Francus castra metatus est ex aduerso fluminis Athesis, quà Romanos traiecturos esse credebat. Quo cognito, Narses Pamphronium, qui vnus erat ex Imperatoris Patriciis, & Bonum Comitem rerum priuatarum, Legatos ad Amingum mittit. Per quos mandabat ei vt abscederet, neque bellum aduersus Romanos iterum excitaret. Nam tunc temporis inter Francos ac Romanos induciæ erant. B Sed Amingus per eosdem Legatos respondit, quandiu sibi manus vibrando iaculo idonea esset, numquam se Romanis cessurum esse.

Iustino iuniore imperante Auarum Legati Byzantium venerunt, vt consueta munera acciperent, quæ Iustinianus, qui ante Iustinum Imperium tenuerat, genti eorum dare erat solitus: fascias scilicet auro variegatas, ad vincienda ea quæ elabi solent excogitatas, lectos & alia huiusmodi ad delicatiorem cultum spectantia. Tunc ergo Auares Imperatoris animum explorare statuerant, vtrum sibi munera accipere vt antea sperandum esset, & Romanorum desidiæ insultare, atque ex eorum negligentia lucrum captare. Itaque Imperatoris adeundi sibi potestatem fieri poscebant. Quod cùm iis concessum fuisset, vtque per interpretem quicquid libitum esset proponerent, huiusmodi oratione sunt vsi. ( ) Hæc Legati Auarum ambiguâ sententiâ disseruerunt. nunc enim supplicare, nunc minari videbantur. Hoc quippe modo sperabant se metum ac terrorem iniecturos esse Imperatori, atque ita effecturos vt Romani ipsis quasi tributarij essent. Sed Imperator cùm orationem Auarum nihil aliud quàm sui contumeliam ac ludibrium continere sensisset, sic respondit. ( ) Postquam Imperator eiusmodi terrorem Legatis Auarum incussit, barbari cùm ex dictis cognouissent, Imperatorem auaritiam eorum minimè passurum esse, neque quicquam eorum quæ prius accipere consueuerant, datum iri, neque incursiones in Prouincias Orbis Rom. posthac faciendi sibi copiam fore, magnopere angebantur animo: & apud se cogitabant quo tandem casuræ res essent, & quis exitus earum esset futurus. C Nam neque Constantinopoli sine vllo fructu manere diutiùs, neque re infecta domum reuerti volebant. Tamen, vt in malis, satius eis visum est ad contribules suos redire. Quibus iuncti, in Francorum regionem abierunt, Imperatoris responsis obstupefacti.

Hac Legatio Auarum introducta est in Consistorium die VII. *post inaugurationem Iustini Iunioris, teste Corippo in Lib.* III.

CVM Auares & FRANCI fœdus inter se percussissent, & pax firmissima inter eos esset, Chaganus SIGISBERTO Francorum Duci significauit, exercitum suum fame laborare. Decere eum qui Rex esset, ac præterea indigena, minimè negligere exercitum fœdere coniunctum. Quòd si copias Auarum rebus necessariis reficere ac recreare vellet, spondebat Chaganus haud quaquam se vltra triduum in ea regione moraturum esse. Hæc vbi Sigisberto nunciata sunt, statim farinas & legumina, ouésque ac boues ad Auares misit.

A

EX THEOPHYLACTI SIMOCATTAE HISTORIARVM LIBRO VI.

Τρίτῃ δὲ ἡμέρᾳ καὶ οἱ τῆς Κελτικῆς Ἰβηρίας πρέσβεις εἰς τὸ βασίλειον παραγίγνονται ἄστυ. Φράγγοι δὲ ἄρα οὗτοι τῇ νεοτέρᾳ γλώττῃ κατονομάζονται· αἱ δὲ προσηγορίαι τοῖς πρέσβεσι Βόσος καὶ Βέττος· τούτους ὁ τοῦ ἔθνους δυνάστης, (ὄνομα Θεοδώριχος αὐτῷ) ἐς βασιλέα ἐξέπεμπεν. ἠξίου τε συνθήκης φορολογίας τῷ Ῥωμαϊκῷ συμμαχῆσαι, καὶ δῶρα ἀνελέσθαι πρὸς τὸν Χαγάνον τὸν πόλεμον. ὁ μὲν οὖν αὐτοκράτωρ τοὺς πρέσβεις φιλοφρονησάμενος δώροις, ἀπόμισθον τὴν ξυμμαχίαν ἐκέλευσε Φράγγοις ἐπιδέχεσθαι, ἀργυρολογεῖσθαι τὸ Ῥωμαϊκὸν ὑπὸ τῶν βαρβάρων οὐκ ἀνεχόμενος.

Versio Latina.

B DIE tertio Legati Celtiberorum qui hodie Franci dicuntur, Bosus & Bettus in vrbem regiam venerunt. Huius gentis Princeps Theodorichus tributum pro societate cum Romanis coeunda, & pretium pro bello aduersus Chaganum gerendo ab Imperatore poscebat. Sed Imperator Legatos humaniter muneratus, hortatur Francos vt citra pretium societatem inirent: cùm pati non posset barbaros à Romanis tributum exigere.

A

LAVS FRANCORVM.

Ex antiquo Codice Ms. Bibliothecæ Thuanæ.

Iisdem penè verbis concepta est Legis Salicæ Præfatio.

GENS FRANCORVM inclyta, auctore Deo condita, fortis in arma, corpore & candore egregia. Profunda in consilio, in pacis fœdere firma. Genere nobilis, audax, velox, & aspera. Nuper ad Catholicam fidem conuersa, immunis ab hæresi. Dum adhuc ritu detineretur barbarico, inspirante Deo inquirens scientiæ clauim, iuxta morum suorum qualitatem desiderans iustitiam, & custodiens pietatem, dictauit SALICAM LEGEM per Proceres ipsius Gentis, qui eiusdem tunc Rectores erant: id est, Guisogast, Saligast, Bodogast, & Vidogast, in locis denominatis Salicheim, Bodicheim, Guidocheim. At vbi fauente Deo LODOVEVS Rex Francorum, pulcher & inclitus, primus recepit Catholicum baptismum, quod minus in pace habebatur idoneum, à præcelsis Regibus, LODOVEO, LOTHARIO, HILDEBERTO, lucidè fuit emendatum præcurrente decreto. Viuat qui FRANCOS diligit. Christus eorum custodiat Rectores, eorum cor lumine suæ gratiæ repleat, exercitum protegat, fidei munia tribuat; pacis gaudia, & felicitatis tempora dominantium Dominus IESVS-CHRISTVS, eis sua propitiante pietate concedat. Hæc est enim Gens, quæ parua dum esset nunero, fortis viribus; & robore valida, Romanorum iugum durissimum de suis ceruicibus excussit pugnando. Quæ etiam post agnitionem veræ fidei, & post sacrosancti baptismi perceptionem, sanctorum Martyrum corpora, quæ Romani igne vel ferro trucidauerunt, FRANCI reperta super aurum & argentum & lapides preciosos collocantes, mirum in modum exornauerunt. B

GEORGII FLORENTII
GREGORII
TVRONENSIS
EPISCOPI.

HISTORIÆ FRANCORVM
LIBRII DECEM.

NVNC TANDEM POST EDITIONES OMNES
ope quinque vetustiss. Codd. Mss. diligenter
ac seriò emendati.

In emendando sequenti Opere quinque potissimùm Mss. Codd. iisque peroptimis, usus sum. Horum duo seruantur in Bibliotheca Thuana, reliquos subministrauit Alex. Petauij Regij Senatoris humanitas. Vidi quondam & alterum penes Guidonem Loiselium, Antonij F. Senatorem itidem Regium felicis memoriæ, qui omnium antiquissimus censeri potest: ut pote literis uncialibus, quas Gothicas dicunt, exaratus. Verùm hic duos tantùm priores Libros continet. Solus tamen Præfationem exhibuit, quæ hactenus in editionibus vulgatis desiderata fuerat. Habet præterea eiusmodi Titulum, GEORGII FLORENTII GREGORII EPISCOPI TVRONENSIS HISTORIA ECCLESIASTICA. *Quam quidem veram & genuinam esse Operis Inscriptionem facilè mihi persuadeo, tum quòd Auctor in eo multò plura de rebus Francorum Ecclesiasticis, quàm de militaribus aut ciuilibus referat, tum quòd Beda Presbyter suam quoque Gentis Anglorum Historiam simili de causa Ecclesiasticam postea appellauerit.*

A

GREGORII EPISPCOPI TVRONENSIS

VITAE BREVIARIVM,

Historiæ eius vulgò præfigi solitum.

GREGORIVS CELTICO *Galliarum tractu fuit exortus, Aruernicæ regionis indigena, patre Florentio, matre Armentaria procreatus. Quod & Fortunatus scribit his versibus:*

B

Forte decus generis Turonicensis apex.
Alpibus Aruernis veniens mons altior ipsis.

Et de Armentaria matre:

Felix bis merito sibi Macchabæa, vel orbi,
Nobilitas generis nobilior genitis:
Quæ septem palmas cœlo transmisit ab aluo;
Martyriíque decus protulit ille vterus.
Tu quoque prole potens rectè Armentaria felix,
Nec minor ex partu, quàm prior illa sinu.
Illa vetus numerò maior, tu maxima loco:
Quod poterant plures, vnicus hicce tuus.
Fœtu clara tuo geniti circundata fructu,
Est tibi Gregorius palma corona nouus.

Hic verè GREGORIVS, *id est, vigilans, vt ætatulæ robur habuit, literarum studiis mancipatur sub patruo Gallo Episcopo. Quo tempore Nicetius Lugdunensis Episcopus cùm vicinus esset ciuitatis, vbi parentes Gregorij habitarent, nescio quid excelsum in puero conspicatus, iussit puerum ad se acciri, & collobio se totum in exem-*

C

plum pudicitiæ contegens, vt ne summis quidem digitis iuuenculum contingeret, puero benedixit, atque prospera precatus est. Litterarum studiis instantius se applicat, eodem Gallo patruo magistro. Cúmque beatus Gallus ad emeritam beatæ vitæ coronam vocaretur, vir Domini Auitus adolescentem suscepit. Qui cùm eius ingenium morúmque habitudinem explorasset, magistrorum diligentiam adhibuit, & quanta vel ipsius industria, vel eorum sedulitas velocitate poterat, ad arcem sapientiæ prouexit. Porro autem in discendis litterarum studiis ea se discretione exercuit, vt vtraque nimietate careret: nec Poëtarum nænias ex toto horreret, nec tamen (vt plerísque mos est) his indecentius hærens, earum lenocinio mente ancillaretur. Tunc temporis apud Aruernum plerique in habitu religionis viri fulgebant, quos iuuenis nunc cum beato Auito, nunc semotim inuisebat, quatenus vel ab eis exempla pietatis assumeret, vel ipsis quod fortè deerat, mutua charitate præstaret. Anno centesimo septuagesimo secundo post transitum domini Martini, Sigeberto Rege anno duodecimo regnante, beatus Eufronius, qui inter virtutes consenescens tanta gratia donatus est, vt ei Prophetiæ spiritus inesse visus sit, appositus est ad patres suos.

Tempúsque aduenerat, vt Gregorius amore beati Martini dudum flagrans, & ad pastoralis officij ministerium idoneus Episcopus, cathedram eius vice sua regendam suscipere debuisset. Cùm igitur beatus Eufronius obisset, Turonici de eius successore tractaturi conueniunt. Sed facili discrimine suasum est cunctis, Gregorium in electione præferendum. Personam in loco frequentissimam iam olim sciebant, pluráque eius gesta viro digna conuenerant. Tunc verò cunctis in consona voce coeuntibus, cerneres Deo fauente causam prosperari. Nam Clericorum turba nobilibus viris constipata, plébsque rustica simul & vrbana pari sententia clamant; Gregorium decernendum, cùm claris meritis, tum quoque nobilitate pollentem, sapientia præcipuum, generositate primum, principibus notum, ac sua probitate reuerendum, omnibúsque officiis habilem. Legatio ad Regem dirigitur, cùm quidem Deo dispensante Gregorius coram reperitur. De hac igitur causa conuentus, quanta humilitate se excusare tentauit? quibus modis se subducere visus est? Sed quia velle Dei est, hinc cetera flectuntur. Hunc Rex auctoritate cogit, hunc Brunichildis Regina perurget. Sed quoniam discreta humilitas obedientiam non recusat, tandem aliquando assensus est. Quem (vt credo) ne qualibet occasione delatus profugeret, statim Egidius Remensis Archiepiscopus ordinauit, vt Fortunatus Poëta scribens ait, A B

Quem patris Egidij domino manus alma sacrauit,
Vt populum recreet, quem Radegundis amet.

Adeptus ergo Præsulatum, qualis vel quantus fuerit vt compendiose dicatur, & plures Ecclesiæ quas nouiter construxit, vel quarum sarta tecta restaurauerit, insinuant: & libri in laudem Sanctorum, vel in expositione sanctarum Scripturarum editi, quàm primùm demonstrant. In construendis verò spiritalibus templis, videlicet in custodia gregis, quàm certatim sese impenderit, vel ex hoc animaduertitur, quod nec ab ipsis quidem sanctis viris studium suæ prædicationis continuit. Multa quidem Gregorius (quæ insequi longum est) in salute languentium operabatur, quæ tamen sub obtentu Sanctorum, quorum reliquias perinde ferebat, à suis meritis excludere nitebatur: cùm quidem hæc tanto verius per ipsum fiebant, quanto ipse humiliùs aliis tribuebat. Virtus charitatis in illo præeminebat, adeo vt ipsis inimicis affectum dilectionis impenderet, vt sequenti patebit exemplo. Quodam enim tempore factum est, vt ad venerabilem matrem suam in Burgundia properaret: in siluis verò Abiegnis, quæ trans Verberim fluuium sitæ sunt, latrones incurrit. Qui tanto impetu super comitatum eius irruere visi sunt, vt non modò eos expoliare, sed & occidere velle putarentur. Quorum assultu Gregorius terreri non potuit, qui præsidio Martini circumseptus incedebat. Cuius mox auxilium flagitans, ita sibi adesse expertus est, vt latrones velocius quàm emerserint, fugam inirent. At Gregorius vsus consueta pietate, nec in perturbatione turbatus, fugientes reuocat, ad cibum & potum inimicos inuitat. C

Sedecim annos hic in Episcopatu exegerat, cùm æquiuocus eius, ille magnus Gregorius in Sede Apostolica subrogatur. Siquidem opinata res est, quòd dudum alter alteri peculiari sit amicitia deuinctus. Nec immerito tamen hunc Fortunatus Gregorio comparat Nazianzeno, tanquam ille datus sit Orienti; Romanensis autem, Meridiei; at hic noster, Occidenti. Cùm igitur sacra Apostolorum limina expetisset, magna cum reuerentia sanctus eum Papa excepit. Quem ad B. Petri confessionem introducens, à latere constitit, præstolans quo assurgeret. Interim autem, vt erat ingenio profundissimus, secretam Dei dispensationem admirans, considerabat in huiusmodi

A *hominem (erat enim statura breuis) tantam gratiam cœlitus profluxisse. Quod ille mox diuinitus persentiens, & ab oratione surgens, placidóque vt erat vultu, ad Papam respiciens,* Dominus, *inquit,* fecit nos, & non ipsi nos: idem in paruis, qui & in magnis. *Cùmque id sua cogitationi sanctus Papa responderi cognosceret, ipsa sua deprehensione gauisus, gratiam, quam hactenus in Gregorio mirabatur, in magna veneratione deinceps habere cœpit, sedémque Turonicam nobilitauit. Pauca hæc de nostro Præsule dicta sint. Non eum miraculorum ergo, quæ etiam reprobis dari solent, commendamus, sed ne hanc quidem gratiam illi defuisse monstramus. Ceterùm ad eius gloriam commendandam, illud sufficiat, quòd humili corde Christum secutus est, & quòd non sperauit in pecuniæ thesauris (hoc vtique est mirabilia fecisse) & quòd à peccatorum est laqueo custoditus. Super omnem quippe gloriam est, à peccatis protectio. Vigesimo & primo igitur Episcopatus sui anno, tanquam septenario annorum numero ter in fide sanctæ Trinitatis completo, appositus est patres suos, non tam dierum (quum ferme tricennalis ordinatus est) quàm perfectione plenus. Qui tamen non vsquequaque videtur clausus in tumulo, cui restat vt vel lingua viuat in mundo. Et quia (sicut credimus) cum*
B *Martino in cœlo est sociatus, sancto etiam corpore est illi in sepulchro vicinus. Porro Turonenses, ne diuinis muneribus videantur ingrati, semper necesse est vt retractent, quantopere sint à Deo suffulti. Datus namque est eis patronus, non qualiscunque, sed Martinus: de cuius laude quid primum, vel speciale dicatur, cùm vt scriptum est,* eius minima, aliorum maximis maiora *esse manifestum sit. Datus est eis & Gregorius vir non solùm sanctitate, sed & doctrina clarus, ne vrbs Turonica obscurior videretur, Scriptorum officio caruisse. Quin potiùs, sicut vrbs Romulea post Apostolos illustratur in altero Gregorio: ita & Turonica post Martinum decoratur in isto. Nec prætereundum, quomodo consuetam sibi humilitatem etiam in ipsa sepultura sua seruauerit. Nam in tali loco se sepeliri fecit, vbi semper omnium pedibus conculcaretur, & ipsa loci necessitas cogeret, ne vnquam in aliqua reuerentia haberi posset. Sed grex beati beati Martini talia non ferens, amicum Domini sui de loco leuauit, & edito sepulchro mausoleo, ad læuam sancti sepulchri digna reuerentiâ collocauit. Obiit autem quindecimo Calend. Decembris, videlicet intra Martinianam hebdomadam: vt solemnitatem Martini, quam heic iam ægrotans celebrare cœperat, Martino iunctus in cœlo consum-*
C *maret, præstante Domino Iesu Christo, qui viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.*

A

EX LIBRO SIGEBERTI GEMBLAC. DE ILLVSTRIBVS ECCLESIÆ SCRIPTORIBVS.

GREGORIVS *Turonensis Episcopus, vir magnæ nobilitatis & simplicitatis, scripsit multa simplici sermone. Scripsit duos Libros de Vita vel Memoria quorundam Confessorum. Scripsit Librum de Miraculis Sanctorum, de Miraculis Iuliani Martyris Briuatensis Librum vnum, de Miraculis S. Martini suo tempore ostensis Libros quatuor. Historiam Francorum paruo Libello breuiauit, eámque postmodum diffusius nouem* Libris digessit. Scripsit & Chronicum Ecclesiasticæ Historiæ.*

* Leg. Decem.

EX LIBRO TRITHEMII ABB. SPANHEIMENSIS DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS. B

GREGORIVS *Episcopus Turonensis, ex Monacho, discipulus quondam S. Auiti Præsulis Auernorum, vir doctus, & nobilis, mitis quoque & humilis, tantæ sanctitatis & puritatis extitit, vt etiam in vita miraculis coruscauerit. Hic Apostolorum Petri & Pauli limina visitans, à beato Papa Gregorio cum maxima reuerentia & charitate, vt verè sanctus susceptus est, & amicus singularis & vnicus ab eo dilectus. Scripsit simplici & aperto sermone nonnulla volumina. De quibus extant*

De laude sanctorum Martyrum	lib. 1.	*Hieronymus Presbyter.*
De vita quorundam Confessorum	lib. 1.	*Statueram illa tantum scri.*
De miraculis S. Iuliani Martyris	lib. 1.	*Magnum in nobis quo.*
De miraculis S. Martini	lib. 4.	*Omnibus Sanctis & in Christi.*
Historiæ Francorum	lib. 10.	*Scripturus bella Regum.*
Epitoma eiusdem	lib. 1.	
Chronica Ecclesiasticæ historiæ	lib. 1.	

C

Cetera quæ composuit, ad notitiam lectionis nostræ nondum venerunt. Claruit temporibus Mauricij Imperatoris, anno Domini DC.

A

INCIPIT PRÆFATIO GREGORII EPISCOPI TVRONENSIS ECCLESIÆ.

DECEDENTE, atque immò potiùs pereunte ab vrbibus Gallicanis liberalium culturâ litterarum, cùm nonnullæ res
B gererentur vel rectè, vel improbè, ac feritas Gentium desæuiret, Regum furor acueretur, Ecclesiæ impugnarentur ab Hæreticis, à Catholicis tegerentur, ferueret Christi fides in plurimis, tepesceret in nonnullis, ipsæ quoque Ecclesiæ vel ditarentur à deuotis, vel nudarentur à perfidis: nec reperiri posset quisquam peritus Dialectica in arte Grammaticus, qui hæc aut stilo prosaico, aut metrico depingeret versu: Ingemiscebant sæpiùs plerique dicentes; Væ diebus « nostris, quia periit studium litterarum à nobis, nec reperitur in po- « pulis, qui gesta præsentia promulgare possit in paginis. Ista etenim « atque his similia iugiter intuens dici, pro commemoratione præteritorum, vt notitiam attingerent venientium, etsi inculto affatu, nequiui tamen obtegere vel certamina flagitiosorum, vel vitam rectè viuentium. Et præsertim his inlicitus stimulis, quod à nostris fari plerumque miratus sum, quia philosophantem Rhetorem intelligunt pauci, loquen- « tem rusticum multi: libuit etiam animo, vt pro supputatione annorum ab ipso Mundi principio Libri primi poneretur initium. Cuius Capitula deorsum subieci.

C

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI I.

GREGORII EPISCOPI TVRONENSIS

HISTORIÆ FRANCORVM

LIBER PRIMVS.

SCRIPTVRVS bella Regum cum Gentibus aduersis, Martyrum cum Paganis, Ecclesiarum cum Hæreticis, prius fidem meam proferre cupio: vt qui legerit, me non dubitet esse Catholicum. Illud etiam placuit, propter eos qui appropinquante mundi fine desperant, vt collecta per Chronica vel per Historias anteriorum annorum summa, explanetur apertè, quot ab exordio mundi sint anni. Sed priùs veniam à legentibus precor, si aut in litteris, aut in syllabis Grammaticam artem excessero: de qua adplenè non sum imbutus. Illud tantùm studens, vt quod in Ecclesia credi prædicatur, sine aliquo fuco aut cordis hæsitatione retineam: quia scio peccatis obnoxium, per credulitatem puram obtinere posse veniam apud nostrum pium Dominum.

Credo ergo in Deum Patrem omnipotentem. Credo in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum Deum nostrum, natum à Patre, non factum: non post tempora, sed ante cunctum tempus semper fuisse cum Patre. Nec enim Pater dici potuerat, nisi haberet Filium: neque Filius esset, si Patrem vtique non haberet. Illos verò qui dicunt, *Erat quando non erat*, exsecrabiliter renuo: & ab Ecclesia

A segregari contestor. Credo Christum hunc Verbum esse Patris, per quem facta sunt omnia. Hunc Verbum carnem factum credo: cuius passione Mundus redemptus est: & humanitatem, non Deitatem subiacuisse passioni credo. Credo eum die tertia resurrexisse, hominem perditum liberasse, ascendisse in cœlos, sedere ad dexteram Patris: venturum ac iudicaturum viuos & mortuos. Credo sanctum Spiritum à Patre & Filio processisse, non minorem, & quasi antè non esset; sed æqualem, & semper cum Patre & Filio coæternum Deum, consubstantialem natura, æqualem omnipotentia, consempiternum essentia, vt nunquam sine Patre fuisse vel Filio, neque minorem Patre vel Filio. Credo hanc Trinitatem sanctam in distinctione subsistere personarum, & aliam quidem personam Patris, aliam Filij, aliam Spiritus sancti. In qua Trinitate vnam Deitatem, vnam potentiam, vnam essentiam esse confiteor. Credo beatam Mariam, vt virginem ante partum, ita virginem & post partum. Credo animam immortalem, nec tamen partem habere Deitatis. Et omnia quæ à trecentis decem & octo Episcopis Niceæ constituta sunt, credo fideliter. De fine verò mundi ea sentio quæ à prioribus didici. Antichristus verò primùm circumcisionem inducet, se asserens Christum: deinde in templo Hierosolymis statuam suam collocabit adorandam, sicut Dominum dixisse legimus: *Videbitis abominationem desolationis stantem in loco sancto*. Sed diem illam omnibus hominibus ignorari, ipse Dominus manifestat dicens: *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, neque*
B *Filius, nisi Pater solus*. Sed & hîc respondebimus Hæreticis, qui nos impugnant, asserentes minorem esse Filium Patre, qui hanc diem ignoret. Cognoscant ergo hunc filium, Christianum populum nuncupatum, de quo à Deo prædicitur; *Ego ero illis in patrem, & ipsi erunt mihi in filios*. Si enim hæc de vnigenito Filio prædixisset, nunquam ei Angelos præposuisset. Sic enim ait; *Neque Angeli cælorum, neque filius*. ostendens, non de vnigenito, sed de adoptiuo populo hæc dixisse. Noster verò finis, ipse Christus est, qui nobis vitam æternam, si ad eum conuersi fuerimus, larga benignitate præstabit.

De supputatione verò huius Mundi euidenter Chronicæ Eusebij Cæsariensis Episcopi, ac Hieronymi Presbyteri proloquuntur, & rationem de omnium annorum serie pandunt. Nam & Orosius diligentissimè hæc inquirens, omnem numerum annorum ab initio Mundi vsque ad suum tempus in vnum collegit. Hoc etiam & Victorius, cùm ordinem Paschalis sólemnitatis inquireret, fecit. Ergo & nos Scriptorum suprà memoratorum exempla sequentes, cupimus à primi Hominis conditione (si Dominus dignabitur suum commodare auxilium) vsque ad nostrum tempus cunctam annorum congeriem computare. Quod facilius adimplebimus, si ab ipso Adam sumamus exordium.

I. In principio Dominus cœlum terrámque, in Christo suo, qui est omnium principium, id est in Filio suo, formauit, qui post creata mundi elementa, glebam assumens fragillimam, hominem ad suam imaginem similitudinémque plasmauit, & insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est in animam viuen-
C tem. Cui dormienti ablata costa, mulier Eua creata est. Nec dubium enim est quòd hic primus homo Adam antequam peccaret, typum Domini nostri Redemptoris prætulisset. Ipse enim in sopore passionis obdormiens, de latere suo dum aquam cruorémque produxit, virginem immaculatámque Ecclesiam sibi exhibuit, redemptam sanguine, latice emundatam, non habentem maculam aut rugam: id est lymphis ablutam propter maculam, in cruce extensam propter rugam. Hi ergo primi homines in amœna Paradiso beatè viuentes, anguis astu illecti, diuina præcepta transiliunt. Eiectique ab angelica sede, mundi laboribus deputantur.

II. Cognita autem à consorte mulier concepit, peperitque duos filios. Sed dum Deus vnius sacrificium dignanter suscipit, alter inuidia inflammante tumescit, & in fratrem sanguinis effusionem nouus fratricida consurgens, fratrem opprimit, vincit, interimit.

III. Et hinc cunctum genus in facinus execrabile ruit: præter Enoch iustum, qui ambulans in viis Dei, ab ipso Domino propter iustitiam assumptus, de medio peccantis populi liberatur. Sic enim legimus: *Ambulauit Enoch cum Deo, & non comparuit, quia abstulit eum*.

IV. DOMINVS ergo commotus contra iniquitates populi non in suis semitis A gradientis, diluuium immisit, cunctámque animam viuentem de superficie terræ diluuio inundante deleuit. Tantúmque Noe fidelissimum ac peculiarem sibi, suíque typi speciem præferentem, cum sua & trium natorum coniugibus, posteritatis reparandæ gratia, in archa reseruauit. Increpant nos hîc Hæretici, *Cur Scriptura sacra Dominum dixisset iratum*. Cognoscant ergo, quia Dominus noster, non vt homo irascitur. commouetur enim vt terreat, pellit vt reuocet, irascitur vt emendet. Sed nec hoc ambigo, quòd species illa archæ typum matris gesserit Ecclesiæ. Ipsa enim inter fluctus & scopulos huius seculi transiens, nos ab imminentibus malis materno gestamine fouens, pio amplexu ac protectione defendit. Ab Adam ergo vsque ad Noe, generationes decem: id est, Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, Enoch, Matusalam, Lamech, Noe. In his ergo decem generationibus, inueniuntur anni mille ducenti quadraginta duo. Adam verò in terra Enachim sepultum, quæ prius Ebron vocabatur, liber Iesu Naue euidenter explanat.

V. HABEBAT ergo Noe post diluuium tres filios, Sem, Cham, & Iafeth. De Iafeth egressæ sunt Gentes, similiter & de Cham, & de Sem. Et sicut ait vetus Historia, ab his disseminatum est genus humanum sub vniuerso cœlo. Primogenitus verò Cham, Chus. Hic fuit totius artis Magicæ imbuente diabolo, & pri- B mus idololatriæ adinuentor. Hic primus statunculam adorandam diaboli instigatione constituit: qui & stellas, & ignem de cœlo cadere, falsa virtute hominibus ostendebat. Hic ad Persas transiit. Hunc Persæ vocitauere Zoroastrem, id est viuentem stellam. Ab hoc etiam ignem adorare consueti, ipsum diuinitus igne consumptum vt Deum colunt.

VI. CVMQVE multiplicati homines dispergerentur per vniuersas terras, egressi ab Oriente, Sennaar gramineum reperiunt campum. In quo ædificantes ciuitatem, turrem quæ cœlos attingeret nituntur struere. Quorum vanam cogitationem simul & linguam, ipsósque confutans Deus, per mundum latè patentem in vniuersa terra dispersit: vocatúmque est nomen ciuitatis BABEL, hoc est confusio, eo quòd ibi confudisset Deus linguas eorum. Hæc est Babylonia à Nembroth gygante ædificata, filio Chus. Et sicut Orosij narrat Historia, mira campi planitie in quadrum disposita est. Murus eius ex coctili latere infuso bitumine, in latum habet cubitos quinquaginta, altitudinis cubitos ducentos, in circuitu stadia quadringenta septuaginta. Vnum stadium habet aripennes quinque. Vicenæ quinæ portæ per vnumquodque latus sitæ sunt, quæ faciunt centum. harum portarum ostia miræ magnitudinis, ex ære fusili sunt formata. Multa & alia de hac ciuitate idem Historiographus narrat, addens, *Et cùm tanta fuisset honestas ædificij, attamen victa atque subuersa est.*

VII. PRIMVS autem filius Noe, Sem: de quo generatione decima, natus est Abraham. id est, Noe, Sem, Arphaxad, Sale, Heber, Falec, Ragau, Saruch, Tha- C re, qui genuit Abraham. In his decem generationibus, hoc est, à Noe vsque ad Abraham, inueniuntur anni DCCCCXLII. Eo tempore regnabat Ninus, qui ædificauit ciuitatem, quam Niniuem vocauit: cuius in tribus mansionibus spatium amplitudinis Ionas Propheta determinat. Huius quadragesimo tertio regni anno, natus est Abraham. Hic est Abraham, initium fidei nostræ. hic accepit repromissiones. Huic se Christus Dominus noster nasciturum, ac pro nobis passurum, in victimæ commutatione monstrauit, ipso in Euangeliis sic dicente, *Abraham exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est.* Hoc verò holocaustum in monte Caluariæ, quo Dominus crucifixus est, oblatum fuisse, Seuerus narrat in Chronica, sicut & hodiéque in ipsa Hierosolymorum vrbe celebre fertur. In hoc monte Crux sancta, in qua Redemptor affixus est, stetit, de qua & beatus ille cruor effluxit. Hic ergo Abraham accepit signum Circumcisionis, ostendens vt quod ille gessit in corpore, nos portemus in corde, dicente Propheta: *Circumcidite vos Deo vestro, & circumcidite præputium cordis vestri, & nolite sequi deos alienos.* Et iterum: *Omnis incircumcisus corde, non intret in sancta mea.* Hunc Abraham Deus post adiectam nomini syllabam, Patrem multarum Gentium nuncupauit.

VIII. IS cùm centum esset annorum, genuit Isaac. Porro Isaac sexagesimo ætatis anno, nati sunt filij gemini de Rebecca. Primus Esaü, qui & Edom, id est

A terrenus: qui propter gulam vendidit primogenita sua. Ipse est pater Idumæorum: de cuius generatione quarta, natus est Iobab. hoc est, Esaü, Raguel, Zara, Iobab, qui & Iob. Is vixit annos CCXLIX. octogesimo nono anno ab infirmitate liberatus est. post infirmitatem autem, CLXX. annis restituta in duplum omni facultate, cum tot quot perdiderat filiis iocundatus est.

IX. SECVNDVS autem filius Isaac, Iacob, dilectus Dei, sicut ait per Prophetam: *Iacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Hic post angelicam luctam vocatus est Israël, à quo Israëlitæ. Hic genuit duodecim Patriarchas, quorum hæc sunt nomina: Ruben, Simeon, Leui, Iudas, Isachar, Zabulon, Dan, Neptalim, Gad, & Aser. Post hos genuit Ioseph de Rachel, cùm esset nonagesimo secundo ætatis suæ anno. Hunc cæteris filiis plus dilexit. Habuit ex ea & Beniamin vltimum omnium. Ioseph autem, XVI. ætatis annum habens, typum præferens Redemptoris, vidit somnia quæ fratribus retulit: Quasi manipulos legens, quos suorum fratrum manipuli adorarent. Et iterum, Quasi Sol & Luna cum vndecim stellis prociderent ante eum. quæ res magnum ei cum fratribus odium generauit. Vnde & inflammati inuidia, triginta eum argenteis Ismaëlitis in Ægyptum transeuntibus vendiderunt. Imminente autem fame, cùm descendissent hi in Ægyptum, cogniti sunt à Ioseph, nec tamen ipsi Ioseph cognouerunt. Ipse tamen se his post multas fatigationes, & adducto Beniamin, declarauit. de Rachel enim
B matre sua natus & hic fuerat. Post hæc descendunt cuncti Israëlitæ in Ægyptum, & per Ioseph Pharaonis gratia vtuntur. Iacob autem post benedictos filios suos in Ægypto moritur, & in sepulchro patris sui Isaac sepelitur in terra Chanaan. Mortuo autem Ioseph atque Pharaone, subiicitur cuncta generatio seruituti, quæ per Moysen post decem plagas Ægypti liberatur, demerso Pharaone in mari Rubro.

X. ET quoniam de hoc maris transitu plures multa dixerunt, visum est, vt de situ loci illius, vel ipsius transitu, aliqua huic inseram lectioni. Nilus per Ægyptum, sicut optimè nostis, decurrit, & ipse eam impetu suo inrigat. vnde & Ægyptij *Nilicolæ* appellantur. Cuius nunc littora, multi locorum perlustratores, referta sacris Monasteriis dicunt esse. Super ripam verò eius non Babylonia, de qua suprà meminimus, sed Babylonia ciuitas collocatur: in qua Ioseph horrea miro opere de lapidibus quadris & cemento ædificauit: ita vt ad fundum capaciora, ad summum verò constricta sint, vt per paruulum foramen ibidem triticum iaceretur. Quæ horrea vsque hodie cernuntur. De hac ciuitate Rex ad persequendum Hebræos, cum exercitibus curruum, ac multa pedestri manu directus est. Antè dictus verò fluuius ab Oriente veniens, ad Occidentalem plagam versus Rubrum mare vadit: ab Occidente verò stagnum siue brachium de mari Rubro progreditur, & vadit contra Orientem, habens in longo milia circiter quinquaginta, in lato autem decem & octo. In huius stagni capite Clysma ciuitas ædificata est, non propter fertilitatem loci, cùm nihil sit plus sterile: sed propter portum,
C quia naues ab Indis venientes, ibidem ob portus opportunitatem quiescunt. Vbi comparatæ merces, per totam Ægyptum deportantur. Ad hoc stagnum per desertum Hebræi tendentes, vsque ad ipsum mare venerunt, inuentisque dulcibus aquis castrametati sunt. In hoc ergo arcto loco, tam ab eremo quàm ab ipso mari, consederunt, sicut scriptum est, *Audiens Pharao, quòd conclusisset eos mare atque desertum, nec esset eis via qua possent pergere, ad persequendum eos direxit.* Cúmque imminentibus his Moysi populus adclamasset, secundum iussum diuinitatis proiecta virga super mare, diuisum est. Illisque per sicca gradientibus, & vt Scriptura ait, *Muro aquarum vndique vallatis*, in littus illud quod est contra montem Syna inlæsi prorsus, demersis Ægyptiis, Moyse duce transgrediuntur. De quo transitu multa, vt dixi, narrantur. Sed nos quod à sapientibus, & certè illis hominibus qui in eodem loco accesserant, verum cognouimus, ea inserere studuimus paginæ. Aiunt enim sulcos, quos rotæ curruum fecerant, vsque hodie permanere: & quantum acies oculorum videre potest, in profundo cerni. Quos si modicum commotio maris obtexerit, illo quiescente rursum diuinitus renouantur vt fuerant. Dicunt alij, quòd ad ipsam ripam, facto modico per mare circuitu, vnde ingressi fuerant, sint reuersi. Alij verò adserunt, vnum cunctis ingressum: nonnulli, vnicuique Tribui suam patuisse viam. illud testimonium Psalterij

adducentes: *Qui diuisit mare Rubrum in diuisiones.* quas nos diuisiones spiritaliter, A
& non secundùm literam intelligere oportet. Sunt enim & in hoc seculo, quod figuraliter mare dicitur, multæ diuisiones. Non enim æqualiter possunt per vnam viam ad vitam cuncti transire. Alij autem transeunt in horam primam, id est qui renati per baptismum immaculati ab omni inquinamento carnis perdurare vsque ad vitæ præsentis exitum possunt. Alij ad horam tertiam, videlicet qui maiori ætate conuertuntur. Alij ad sextam, qui luxuriæ feruorem coercent: & per has quasque horas, sicut Euangelista commemorat, ad operam Dominicæ vineæ, secundùm fidem propriam conducuntur. Hæ sunt diuisiones, quibus per hoc mare transitur. Illud verò quòd ad mare vsque venientes, litus stagni tenentes reuertuntur, illud est quod Dominus ad Moysen dixit: *Reuersi castra metentur è regione Phiahiroth, quæ est inter Magdalum & mare contra Beelsefon.* Nec enim dubium est, quòd transitus ille maris, vel columna nubis typum gesserint nostri baptismatis, dicente beato Paulo Apostolo: *Nolo vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in Moysen baptizati sunt in nube & in mari.* Columna verò ignis, typum sancti Spiritus prætulit. A natiuitate ergo Abrahæ vsque ad egressum filiorum Israël ex Ægypto, vel transitum maris Rubri, qui fuit Moysi octogesimus annus, supputantur anni numero CCCCLXII.

XI. PER quadraginta annos Israëlitæ eremo vtuntur, imbuuntur legibus, probantur, victibúsque pascuntur angelicis. Deinceps enim post acceptam legem, transgressóque cum Iesu Naue Iordane, terram Repromissionis accipiunt. B

XII. POST cuius transitum, dum præcepta diuina postponunt, sæpè in alienigenarum seruitio subiugantur. Sed cùm conuersi ingemiscunt, tribuente Domino, per virorum fortium brachium liberantur. Post hæc per Samuelem, Regem (sicut reliquæ gentes habent) à Domino postulantes, accipiunt primum Saül, deinde Dauid. Ab Abraham ergo vsque ad Dauid generationes XIV. id est, Abraham, Isaac, Iacob, Iudas, Phares, Esrom, Aram, Aminadab, Naason, Salmon, Obeth, Iesse, Dauid. Dauid autem genuit Salomonem de Bersabee. Is per Nathan Prophetam, fratrem suum, & matrem, in Regno euectus est.

XIII. DEFVNCTO autem Dauid, cùm regnare cœpisset Salomon, apparuit ei Dominus, & quod peteret, vt indulgeat pollicetur. At ille terrenas diuitias postponens, sapientiam magis expetiit. Quod ratum Domino fuit, ita vt ab eodem audiret, *Quia non quæsisti Regna mundi, nec diuitias eius, sed postulasti sapientiam, ideo accipies eam. Ante te non fuit tam sapiens, sic & post te non erit.* Quod postea iudicium illud, quod inter duas mulieres de vno infante litigantes, intulit, comprobauit. Hic Salomon ædificauit Templum nomini Domini miro opere, multum ibi auri argentíque, æris ac ferri ingerens, ita vt diceretur à quibusdam, *Nunquam simile in mundo fuisse ædificium fabricatum.* Ab egressu ergo filiorum Israël ex Ægypto vsque ad ædificationem Templi, qui fuit annus septimus regni Salomonis, inueniuntur anni CCCCLXXX. sicut Regum testatur Historia.

XIV. POST mortem autem Salomonis, diuisum est per duritiam Roboæ Regnum in duas partes. Restiterunt duæ Tribus ad Roboam, quod *Iuda* appellabatur: ad Hieroboam autem, decem Tribus, quod *Israel* vocabatur. Post hæc C
igitur ad idololatriam declinantes, nec Prophetarum vaticinia, nec eorum interitus, nec cladis patriæ, nec ipsorum etiam Regum eos excidio domuerunt. Donec iratus contra eos Dominus, excitauit Nabuchodonosor, qui eos in Babyloniam cum omnibus Templi ornamentis captiuos abduxit. In qua captiuitate & Daniel Propheta eximius, inter esurientes leones inlæsus, & tres pueri in medio ignium rorulenti, abiere captiui. In hac captiuitate & Ezechiel prophetauit, & Esdras Propheta natus est. A Dauid autem vsque ad desolationem Templi, & transmigrationem in Babyloniam, generationes quatuordecim: id est, Dauid, Salomon, Roboam, Abia, Asa, Iosaphat, Ioram, Ozias, Ioathan, Achaz, Ezechias, Manasses, Amon, Iosias. In his ergo quatuordecim generationibus, anni inueniuntur numero CCCXL. De hac verò captiuitate per Zorobabel liberantur: qui postea & Templum & ciuitatem restituit. Sed hæc captiuitas typum illius captiuitatis (vt puto) gerit, in qua anima peccatrix abducitur. Quam nisi Zorobabel, id est Christus, liberauerit, horribiliter exsulabit. Ipse enim Dominus in Euangelio dicit: *Si vos Filius liberauerit, vere liberi eritis.* Ipse, oro, sibi in

A nobis templum, in quo dignetur habitare, constituat, in quo fides, vt aurum, luceat: in quo eloquium prædicationis, vt argentum splendeat: in quo omnia visibilis templi illius ornamenta, in nostrorum sensuum honestate clarescant. Bonæ etiam voluntati nostræ ipse salubrem effectum indulgeat. Quia nisi ipse ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam. Hæc verò captiuitas annis LXX. fuisse dicitur.

XV. REVERSI autem per Zorobabel (sicut diximus) nunc contra Deum murmurantes, nunc post idola corruentes, vel abominationes quæ gentes exercent imitantes, dum Dei Prophetas contemnunt, gentibus traduntur, subiugantur, intercidunt: donec ipse Dominus Patriarcharum, Prophetarúmque vocibus repromissus, Virginis Mariæ vtero per Spiritum sanctum inlapsus, ad redemptionem nasci, tam illius gentis, quàm omnium gentium dignaretur. A transmigratione ergo vsque ad natiuitatem Christi, generationes quatuordecim: id est, Iechonias, Salathiel, Zorobabel, Abiud, Eliachim, Azor, Sadoch, Achim, Eliud, Eleazar, Mathan, Iacob, Ioseph vir Mariæ, de qua Dominus noster Iesus Christus nascitur: qui Ioseph, quartus decimus computatur.

XVI. ERGO ne videamur vnius tantùm Hebrææ gentis habere notitiam, reliqua Regna, quæ, vel qualia Israëlitarum fuerint tempore, memoramus. Tempore Abrahæ Ninus regnabat super Assyrios: Sicyonios, Europs. Apud B Ægyptios autem sextadecima erat potestas, quam sua lingua *Dynastian* vocabant. Tempore Moysi, apud Argiuos regnabat septimus Tropas: in Attica, Cecrops primus: apud Ægyptios, Cenchris duodecimus, qui & in mari obrutus est Rubro. Apud Assyrios, sextusdecimus Agatadis, apud Sicyonios Maratis. Tempore verò Salomonis, quando regnabat super Israël, apud Latinos quintus regnabat Siluius: Lacedæmoniis, Fistus: Corinthiis, secundus Oxion: Ægyptiorum, Thebei. Centesimo vicesimo sexto anno super Assyrios, Eutropes: Atheniensibus secundus Agasastus. Tempore quo Amon regnabat super Iudæam, quando captiuitas in Babyloniam abiit: Macedoniis præerat Argeus: Lydorum, Gyges: Ægyptiorum, Vafres: apud Babyloniam, Nabuchodonosor, qui eos captiuos abduxit: Romanorum, sextus Seruius Tullus.

XVII. POST hos Imperatores, primus, Iulius Cæsar fuit, qui totius Imperij obtinuit Monarchiam: secundus, Octauianus, Iulij Cæsaris nepos, quem Augustum vocant: à quo & mensis *Augustus* est vocitatus. Cuius nonodecimo Imperij anno, Lugdunum Galliarum vrbem conditam manifestissimè reperimus: quæ postea inlustrata Martyrum sanguine, *Nobilissima* nuncupatur.

XVIII. ANNO quadragesimotertio Imperij Augusti, Dominus noster Iesus Christus (vt diximus) ex virgine Maria in Bethleem Dauid oppido, secundum carnem natus est: cuius immensum sidus Magi ab Oriente cernentes, cum muneribus veniunt, & puerum supplices oblatis donis adorant. Herodes verò ob zelum Regni sui, dum Deum Christum persequi nititur, paruulos infantes interimit. Ipse quoque postmodum iudicio diuino percussus est. C

XIX. DOMINO autem Deo nostro Iesu Christo pœnitentiam prædicante, baptismi gratiam tribuente, vel cœleste regnum cunctis gentibus promittente, atque prodigia & signa per populos operante: hoc est dum de aquis vina profert, dum febres extinguit, dum cæcis lumen tribuit, dum sepultis vitam restituit, dum obsessos ab immundis spiritibus liberat, dum leprosos miserabili turpentes cute reformat, ac dum alia signa multa faciens, manifestissimè se Deum populis esse declarat: in Iudæis ira succenditur, inuidia exagitatur, ac mens de sanguine Prophetarum pasta, vt iustum interimat, iniustè molitur. Ergo vt veterum Vatum complerentur Oracula, à discipulo traditur, à Pontificibus condemnatur, à Iudæis includitur, cum iniquis crucifigitur, à militibus emisso spiritu custoditur. His igitur actis, tenebræ super vniuersum mundum factæ sunt, & multi conuersi ingemiscentes, Iesum Filium Dei confessi sunt.

XX. ADPREHENSVS autem & Ioseph, qui eum aromatibus conditum in suo monumento recondidit, in cellulam includitur, & ab ipsis Sacerdotum Principibus custoditur, maiorem in eum habentes sæuitiam (vt gesta Pilati ad Tyberium Imperatorem missa referunt) quàm in ipsum Dominum, vt cùm ille à militibus, hic ab ipsis Sacerdotibus custodiretur. Sed resurgente Domino, custo-

dibus visione angelica territis, cùm non inueniretur in tumulo, nocte parietes A
de cellula, in qua Ioseph tenebatur, suspenduntur in sublimi; ipse verò de custodia, absoluente Angelo, liberatur, parietibus restitutis in locum suum. Cúmque Pontifices custodibus exprobrarent, & sanctum corpus ab eisdem instanter
» requirerent, dicunt eis milites: Reddite vos Ioseph, & nos reddimus Christum:
» sed vt verum agnoscimus, neque vos benefactorem Dei, neque nos Filium Dei
» reddere nunc valemus. Tunc illis confusis, milites sub hac excusatione liberatur.

XXI. FERTVR Iacobus Apostolus, cùm Dominum iam mortuum vidisset in cruce, detestatum esse atque iurasse, nunquam se comesturum panem, nisi Dominum cerneret resurgentem. Tertia demum die rediens Dominus, spoliato Tartaro cum triumpho, Iacobo se ostendens ait: *Surge Iacobe, comede, quia iam à mortuis resurrexi.* Hic est Iacobus Iustus, quem fratrem Domini nuncupant, pro eo quòd Ioseph fuerit filius, ex alia vxore progenitus.

XXII. DOMINICAM verò resurrectionem, die prima factam credimus, non septima, sicut multi putant. Hic est dies Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, quem nos propriè *Dominicum*, pro sancta eius Resurrectione vocamus. Hic primus lucem vidit in principio, & hic primus Dominum resurgentem contemplari meruit de sepulchro. A captiuitate verò Hierosolymæ & desolatione Templi, vsque ad Passionem Domini nostri Iesu Christi, id est vsque Tiberij septimo decimo anno, supputantur anni DCLXVIII. B

XXIII. RESVRGENS autem Dominus, per quadraginta dies cum discipulis de regno Dei disputans, videntibus illis in nube susceptus, euectúsque in cœlos, ad Patris dexteram residet gloriosus. Pilatus autem gesta ad Tiberium Cæsarem mittit, & ei tam de virtutibus Christi, quàm de passione vel resurrectione eius insinuat. Quæ gesta apud nos hodie retinentur scripta. Tiberius autem hoc ad Senatum recensuit. quod Senatus cum ira respuit, pro eo quòd non ad eum primitus aduenisset. Hinc etenim contra Christianos prima odiorum germina pullularunt. Pilatus autem non permanens impunitus, pro suæ malitiæ scelere, hoc est pro nece quam in Dominum nostrum Iesum Christum exercuit, propriis se manibus interficit. Quem Manichæum fuisse multi putant, secundum illud quod in Euangelio legitur: *Venerunt quidam de Galilæis, nunciantes ei, quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificiis eorum.* Sic & Herodes Rex, dum in Apostolos Domini sæuit, percussus diuinitus ob tanta scelera, intumescens ac scatens vermibus, accepto cultro vt malum purgaret, propriæ se manus ictu liberauit.

XXIV. BEATVS Petrus Apostolus sub Imperatore Claudio quarto ab Augusto, Romam adgreditur: ibique prædicans, in multis virtutibus manifestissimè Christum esse Dei Filium comprobauit. Ab illis enim diebus Christiani apud ciuitatem Romanam esse cœperunt. Cùm autem nomen Christi per populos magis ac magis dilataretur, oritur contra hæc antiqui serpentis inuidia, & totis se Imperatoris præcordiis immittit sæua malignitas. Nam Nero ille luxuriosus, C vanus atque superbus, virorum succuba, & rursus virorum appetitor, matris, sororum, ac proximarum quarumque mulierum spurcissimus violator, ad complendam malitiæ suæ molem, primus contra Christi cultum persecutionem excitat in credentes. Habebat enim secum Simonem Magum, virum totius malitiæ & omnis magicæ artis argumento magistrum. Hoc eliso per Apostolos Domini Petrum atque Paulum, commotus contra eos, quòd Christum Filium prædicarent, & idola adorare contemnerent, Petrum cruce, Paulum gladio iubet interfici. Ipse quoque excitatam super se seditionem fugere tentans, quarto ab Vrbe lapide propria se manu interfecit. Tunc & Iacobus frater Domini, & Marcus Euangelista, pro Christi nomine glorioso martyrio coronati sunt. Primus tamen omnium hanc viam Leuita Stephanus & Martyr intrauit. Magna post Iacobi Apostoli necem, Iudæos calamitas adsecuta est. Nam adueniente Vespasiano, & Templum incensum est, & sexcenta milia Iudæorum eo bello gladio & fame affecta sunt. Domitianus autem, secundus post Neronem, in Christianos sæuit: Ioannem Apostolum in insulam Pathmos relegat in exilium, & diuersas crudelitates in populos agitat. Post cuius mortem, beatus Ioannes Apostolus & Euangelista, de exilio rediit: qui senex & plenus dierum, perfectéque in Deum vitæ viuens, se deposuit in sepulchro. Hic fertur non gustare mortem, donec

A donec iterato Dominus iudicaturus adueniat, ipso in Euangeliis ita dicente; *Si eum volo manere donec veniam.*

XXV. Tertivs post Neronem persecutionem in Christianos Traianus mouet: sub quo beatus Clemens, tertius Romanæ Ecclesiæ Episcopus, passus est, & sanctus Simeon Hierosolymitanus Episcopus Cleophæ filius, pro Christi nomine crucifixus adseritur: & Ignatius Antiochensis Episcopus, Romam ductus bestiis deputatur. Hæc sub Traiani temporibus acta sunt.

XXVI. Post hunc Ælius Adrianus, Imperator creatus est. vnde & Hierosolyma Ælia ab Ælio Adriano vocatur, successore Domitiani, eò quòd eam reparauerit. Post has verò passiones Sanctorum, non fuit satis parti aduersæ, gentes incredulas contra Christicolas excitasse, nisi commoueret & in ipsis Christianis schismata. Concitat hæreses, & diuisa fides Catholica aliter aliterque disseritur. Nam sub Antonini Imperio Marcionitana & Valentiniana hæresis insana surrexit: & Iustinus Philosophus post scriptos Catholicæ Ecclesiæ libros, martyrio pro Christi nomine coronatur. In Asia autem, orta persecutione, beatissimus Polycarpus, Ioannis Apostoli & Euangelistæ discipulus, octogesimo ætatis suæ anno, velut holocaustum purissimum, per ignem Domino consecratur. Sed & in Galliis multi pro Christi nomine sunt per martyrium gemmis cœ-B lestibus coronati: quorum passionum Historiæ apud nos fideliter vsque hodie retinentur.

XXVII. Ex quibus & ille primus Lugdunensis Ecclesiæ Photinus Episcopus fuit, qui plenus dierum, diuersis affectus suppliciis, pro Christi nomine passus est. Beatissimus verò Irenæus huius successor Martyris, qui à beato Polycarpo ad hanc vrbem directus est, admirabili virtute enituit: qui in modici temporis spacio, prædicatione sua maximè in integrum ciuitatem reddidit Christianam. Sed veniente persecutione, talia ibidem Diabolus bella per tyrannum exercuit, & tanta ibi multitudo Christianorum ob confessionem Dominici nominis est iugulata, vt per plateas flumina currerent de sanguine Christiano: quorum nec numerum, nec nomina colligere potuimus. Dominus enim eos in libro vitæ conscripsit. Beatum Irenæum diuersis in sua carnifex præsentia pœnis affectum, Christo Domino per martyrium dedicauit. Post hunc & quadraginta octo Martyres passi sunt, ex quibus primum fuisse legimus Vetium Epagatum.

XXVIII. Sub Decio verò Imperatore multa bella aduersum nomen Christianum exoriuntur, & tanta strages de credentibus fuit, vt nec numerari queant. Babyllas Episcopus Antiochenus, cum fratribus paruulis, id est, Vrbano, Prilidano, & Epolono: & Sixtus Romanæ Ecclesiæ Episcopus, & Laurentius Archidiaconus, & Hippolytus ob Dominici nominis confessionem per martyrium consummati * sunt. Valentinianus & Nouatianus maximi tunc hæreticorum princi- * cõsumpti
C pes, contra fidem nostram inimico impellente grassantur. Huius tempore septem viri Episcopi ordinati ad prædicandum in Gallias missi sunt, sicut Historia passionis sancti Martyris Saturnini denarrat. Ait enim: Sub Decio & Grato "Consulibus, sicut fideli recordatione retinetur, primum ac summum Tholosa"na ciuitas sanctum Saturninum habere cœperat sacerdotem. Hi ergo missi sunt: "Turonicis, Gratianus Episcopus: Arelatensibus, Trophimus Episcopus: Narbonæ, Paulus Episcopus: Tholosæ, Saturninus Episcopus: Parisiacis, Dionysius Episcopus: Aruernis, Stremonius Episcopus: Lemouicinis, Martialis est destinatus Episcopus. De his verò, beatus Dionysius Parisiorum Episcopus, diuersis pro Christi nomine adfectus pœnis, præsentem vitam gladio imminente finiuit. Saturninus verò, iam securus de martyrio, dicit duobus Presbyteris suis: Ecce "ego iam immolor, & tempus meæ resolutionis instat. rogo, vt vsque dum de"bitum finem impleam, à vobis penitus non relinquar. Cúmque comprehensus "ad Capitolium duceretur, relictus ab his solus adtrahitur. Igitur cùm se ab illis cerneret derelictum, orasse fertur: Domine Iesu Christe exaudi me de cœlo "sancto tuo, vt nunquam Ecclesia de his ciuibus mereatur habere Pontificem in "sempiternum. Quod vsque nunc in ipsa ciuitate ita euenisse cognouimus. Hic "verò tauri furentis vestigiis alligatus, ac de Capitolio præcipitatus, vitam finiuit. Gratianus verò, Trophimus, Stremoniúsque, & Paulus, atque Martialis, in sum-

ma sanctitate viuentes, post acquisitos Ecclesiæ populos, ac fidem Christi per omnia dilatatam, felici confessione migrarunt. Et sic tam isti per martyrium, quàm hi per confessionem, relinquentes terras, in cælestibus pariter sunt coniuncti. A

XXIX. De horum verò discipulis quidam Biturigas ciuitatem adgressus, salutare omnium, Christum Dominum populis nunciauit. Ex his ergo pauci admodum credentes, Clerici ordinati, ritum psallendi suscipiunt: & qualiter Ecclesiam construant, vel omnipotenti Deo solemnia celebrare debeant, imbuuntur. Sed illis paruam adhuc ædificandi facultatem habentibus, ciuis cuiusdam domum, de qua Ecclesiam faciant, expetunt. Senatores verò, vel reliqui meliores loci, fanaticis erant tunc cultibus obligati: qui verò crediderant, ex pauperibus erant, iuxta illud Domini, quod Iudæis exprobrat dicens, *Quia meretrices & publicani præcedent vos in regno Dei.* Hi verò non obtenta à quo petierant domo, Leocadium quemdam primum Galliarum Senatorem, qui de stirpe Vetij Epagati fuit, quem Lugduno passum pro Christi nomine superiùs memorauimus, repererunt. Cui cùm petitionem suam, & fidem pariter intimassent, ille respondit: » Si domus mea, quam apud Bituricam vrbem habeo, huic operi digna esset, præsta» re non abnegarem. Illi autem audientes, pedibus eius prostrati, oblatis trecentis aureis cum disco argenteo, dicunt eam huic ministerio esse congruam. Qui acceptis de his tribus aureis pro benedictione, clementer indulgens reliqua, cùm adhuc esset in errorem idololatriæ implicitus, Christianus factus, domum suam fecit Ecclesiam. Hæc est nunc Ecclesia apud Biturigas vrbem prima, miro opere composita, & primi Martyris Stephani reliquiis inlustrata. B

XXX. Vicesimo septimo loco, Valerianus & Gallienus Romanum Imperium sunt adepti, qui grauem contra Christianos persecutionem suo tempore commouerunt. Tunc Romam Cornelius, Cyprianus Carthaginem felici sanguine inlustrarunt. Horum tempore & Chrocus ille Alamannorum Rex, commoto exercitu, Gallias peruagauit. Hic autem Chrocus multæ adrogantiæ fertur fuisse. Qui cùm nonnulla iniquè gessisset, per consilium (vt aiunt) matris iniquæ, collectam (vt diximus) Alamannorum gentem, vniuersas Gallias peruagatur, cunctásque ædes, quæ antiquitus fabricatæ fuerant, à fundamentis subuertit. Veniens verò Aruernos, delubrum illud, quod Gallica lingua *Vasso* Galatæ vocant, incendit, diruit, atque subuertit. Miro enim opere factum fuit atque firmatum; cuius paries duplex erat. Abintus enim de minuto lapide, à foris verò, quadris scalptis fabricatum fuit. habuit enim paries ille crassitudinem, pedes triginta. Intrinsecus verò marmore ac musiuo variatum erat. Pauimentum quoque ædis marmore stratum, desuper verò plumbo tectum.

XXXI. Ivxta hanc vrbem Liminius, Antolianúsque Martyres requiescunt, Ibi Cassius ac Victorinus in dilectione Christi fraterno affectu sociati, per effusionem cruoris proprij, cœlorum regna pariter sunt adepti. Nam refert antiquitas, Victorinum seruum fuisse antè dicti Templi Sacerdotis. Qui dum plerumque vicum quem *Christianorum* vocant, ad persequendos Christianos adit, Cassium reperit Christianum. Cuius prædicationibus atque miraculis motus, credidit Christo: relictísque fanaticis sordibus, ac baptismo consecratus, magnus in virtutum operatione enituit. Nec multò pòst, per martyrium (vt diximus) in terris sociati, ad cœlestia pariter regna migrauerunt. C

XXXII. Inrvent̃ibvs autem Alamannis in Gallias, sanctus Priuatus Gaballitanæ vrbis Episcopus, in crypta Memmatensis montis, vbi ieiuniis orationibúsque vacabat, reperitur, populi Gredonensis castri munitione conclusus. Sed dum oues suas bonus pastor lupis tradere non consentit, dæmoniis immolare compellitur. Quod spurcum ille tam execrans quàm refutans, tamdiu fustibus cæditur, quoadusque putaretur exanimis. Sed ex ipsa quassatione, interpositis paucis diebus, spiritum exhalauit. Chrocus verò apud Arelatensem Galliarum vrbem comprehensus, diuersis adfectus suppliciis, gladio verberatus interiit: non immeritò pœnas, quas sanctis Dei intulerat, luens.

XXXIII. Svb Diocletiano, qui tricesimo tertio loco Romanum rexit Imperiũ, grauis contra Christianos per annos IV. persecutio exagitata est: ita vt quadam vice in ipso sacratissimo die Paschæ, magni Christianorum populi ob veri Dei cultum interficerentur. Eo tempore, Quirinus Sisciensis Ecclesiæ sacerdos glorio-

A sum pro Christi nomine martyrium tulit. quem ligato ad collum molari saxo, in fluminis gurgitem sæuitia impulit paganorum. Igitur cùm cecidisset in gurgitem, diu super aquas diuina virtute ferebatur, nec sorbebant aquæ quem pondus criminis non premebat. Quod factum mirans multitudo populi circumstantis, despecto furore gentilium, ad liberandum propetant Sacerdotem. Hæc ille cernens, non passus est se à martyrio subtrahi, sed erectis ad cœlum oculis, ait: Iesu Domine, qui gloriosus resides ad dexteram Patris, ne patiaris me ab hoc stadio remoueri, sed suscipiens animam meam, coniungere me tuis Martyribus in requie sempiterna dignare. His dictis, reddidit spiritum. Cuius corpus à Christianis susceptum, venerabiliter sepulturæ mandatum est.

XXXIV. ROMANORVM tricesimus quartus Imperium obtinuit Constantinus, annis triginta regnans feliciter. Huius Imperij anno vndecimo, cùm post excessum Diocletiani pax reddita fuisset Ecclesiis, beatissimus Præsul Martinus apud Sabariam Pannoniæ ciuitatem nascitur, parentibus gentilibus, non tamen infimis. Hic Constantinus anno vicesimo Imperij sui, Crispum filium veneno, Faustam coniugem calente balneo interfecit, scilicet quòd proditores Regni eius esse voluissent. Huius tempore venerabile Crucis Dominicæ lignum per studium Helenæ matris eius repertum est, prodente Iuda Hebræo, qui post baptismum Quiriacus est vocitatus. Vsque hoc tempus Historiographus in Chronicis scribit Eusebius. A vicesimo primo enim eius Imperij anno Hieronymus Pres-
B byter addidit, indicans Iuuencum Presbyterum, Euangelia versibus conscripsisse, rogante supradicto Imperatore.

XXXV. SVB Constantis autem Imperio, Iacobus Niebenus fuit, ad cuius preces inclinatæ aures diuinæ clementiæ, multa pericula à ciuitate eius repulerunt. Sed & Maximinus Treuerorum Episcopus potens in omni sanctitate reperitur. Nonodecimo Constantini Iunioris anno, Antonius Monachus transiit, centesimo ætatis suæ anno. Beatissimus Hilarius Pictauiensis Episcopus, suasu hæreticorum exilio deputatur: ibique libros pro fide Catholica scribens, Constantio misit, qui quarto exilij anno eum absolui iubens, ad propria redire permisit.

XXXVI. TVNC iam & lumen nostrum exoritur, nouisque lampadum radiis Gallia perlustratur, hoc est, eo tempore beatissimus Martinus in Galliis prædicare exorsus est: qui Christum Dei Filium per multa miracula verum Deum in populis declarans, Gentilium incredulitatem auertit. Hic enim fana destruxit, hæresim oppressit, Ecclesias ædificauit: & cùm aliis multis virtutibus refulgeret, ad consummandum laudis suæ titulum, tres mortuos vitæ restituit. Quarto Valentiniani & Valentis anno, sanctus Hilarius apud Pictauos, plenus sanctitate & fide, multis vndique virtutibus editis, migrauit ad cœlos. Nam & ipse legitur mortuos suscitasse. Melania verò matrona nobilis, & incola vrbis Romanæ, Hierosolyma ob deuotionem abiit, Vrbano filio Romæ relicto. Quæ ita se in cuncta bonitate ac sanctitate omnibus præbuit, vt Tecla vocare-
C tur ab incolis.

XXXVII. POST mortem autem Valentiniani, Valens integri successor Imperij, Monachos ad militiam cogi iubet: nolentes fustibus præcipit verberari. Post hæc, bellum sæuissimum in Thracas Romani ingessere: in quo tanta strages fuit, vt Romani amisso equorum præsidio, pedibus fugerent. Cúmque à Gothis internecione maxima cæderentur, & Valens fugeret, sagitta sauciatus, paruum tugurium adgressus imminentibus hostibus, super se incensa casula, optata caruit sepultura. Sicque vltio diuina ob Sanctorum effusum sanguinem, tandem emissa processit. Hucusque Hieronymus. ab hoc verò tempore, Orosius Presbyter plus scripsit.

XXXVIII. IGITVR cùm Gratianus Imperator destitutam cerneret esse Rempublicam, Theodosium collegam Imperij facit. Hic Theodosius omnem spem atque fiduciam in Dei misericordiam ponit. Qui multas gentes non tam gladio, quàm vigiliis & oratione compescuit, Rempublicam confirmauit, Constantinopolim vrbem victor ingressus est. Maximus verò cùm per tyrannidem oppressis Britannis sumpsisset victoriam, à militibus Imperator creatus est. In vrbe Treuerica sedem instituens, Gratianum Imperatorem circumuentum dolis interfecit. Ad hunc Maximum beatus Martinus iam Episcopus venit. In loco ergo

Gratiani, Theodosius ille, qui totam spem in Deum posuerat, totum suscipit Imperium. Qui deinceps diuinis affatibus fretus, Maximum spoliatum Imperio interfecit. A

XXXIX. APVD Aruernos verò post Stremonium Episcopum prædicatorémque primus Episcopus Vrbicus fuit, ex Senatoribus conuersus, vxorem habens: quæ iuxta consuetudinem Ecclesiasticam, remota à consortio Sacerdotis religiosè viuebat. Vacabant enim ambo orationi, eleemosynis, atque operibus bonis. Cúmque hæc agerent, liuor inimici, qui semper est æmulus sanctitati, commouetur in feminam: quam in concupiscentiam viri succendens, nouam Euam efficit. Nam succensa mulier à libidine, operta peccati tenebris, pergit ad domum Ecclesiæ per tenebras noctis. Cúmque obserata omnia reperisset, pulsare fores Ecclesiæ domus cœpit, ac voces huiusmodi dare: Quousque Sacerdos, dormis? quousque ostia clausa non reseras? cur coniugem spernis? cur obduratis auribus, Pauli præcepta non audis? Scripsit enim: Reuertimini ad alterutrum, ne tentet vos Satanas. Ecce ego ad te reuertor, nec ad extraneum, sed ad proprium vas recurro. Hæc & his similia diu declamanti, tandem Sacerdotis tepescit religio. Iubet eam cubiculo intromitti, vsúsque concubitu eius discedere iubet. Dehinc tardiùs ad se reuersus, & de perpetrato scelere condolens, acturus pœnitentiam, diœcesis suæ Monasterium expetit: ibíque cum gemitu ac lachrymis quæ commiserat diluens, ad vrbem propriam est reuersus. Qui impleto vitæ cursu, migrauit à seculo. Nata est enim ab hoc conceptu filia, quæ in Religione permansit. Ipse quoque Sacerdos cum coniuge & filia in crypta Cantobennensi, iuxta aggerem Publianum est sepultus. In cuius loco Legonus Episcopus subrogatur. B

XL. QVO defuncto, sanctus Hillidius successit, vir eximiæ sanctitatis ac præclaræ virtutis: qui in tanta sanctitate emicuit, vt fama eius etiam extraneos fines adiret. Vnde factum est, vt ab Imperatoris Treuerici filia expetitus, vt spiritu immundo curaret. quod in Libro illo, quem de eius vita conscripsimus, memorauimus. Fuit autem (vt fama refert) valde senex & plenus dierum, plenúsque bonis operibus, qui felici consummatione vitæ huius perfunctus tramite migrauit ad Christum: sepultúsque in crypta, suburbano ciuitatis illius. Habuit autem & Archidiaconum nomine & merito Iustum, qui & cursum vitæ bonis consummans operibus, magistri tumulo sociatur. Iam verò post transitum beati Hillidij Confessoris, ad gloriosum eius sepulchrum tantæ virtutes apparent, vt nec scribi integrè queant, nec memoria retineri. Huic Sanctus Nepotianus successit.

XLI. IGITVR apud Aruernos sanctus Nepotianus quartus habebatur Episcopus. A Treueris verò Legati in Hispaniam mittebantur: ex quibus Artemius quidam admirabilis sapientiæ atque pulchritudinis, & prima ætate florens, vi febrium est correptus. Præcedentibus verò aliis, hic apud Aruernos ægrotus relinquitur. Nam eo tempore apud Treueros, sponsali erat vinculo nexus. A sancto autem Nepotiano visitatus, atque oleo sancto perunctus, tribuente Domino redditur sanitati. Qui cùm ab eodem sancto verbum prædicationis accepisset, oblitus tam sponsam terrenam, quàm facultates proprias, sanctæ copulatur Ecclesiæ, factúsque Clericus in tanta prælatus est sanctitate, vt beato Nepotiano successor existeret, ad regendas gregis Dominici caulas. C

XLII. PER idem tempus Iniuriosus quidam de Senatoribus Aruernis, cum magnis opibus, similem sibi in coniugio puellam expetiit, datóque arrabone, diem constituit nuptiarum. Erat autem vterque vnicus patri. Adueniente verò die, celebrata nuptiarum solemnitate, in vno strato ex more locantur. Sed puella grauiter contristata, auersa ad parietem, amarissimè flebat. Cui ille, Quid, inquit, turbaris? Indica quæso mihi. Illáque silente, adiecit: Obsecro te per Iesum Christum Filium Dei, vt mihi quid doleas sapienter exponas. Tunc illa conuersa ad eum ait, Si omnibus diebus vitæ meæ plangam, nunquid tantæ erunt lachrimæ, vt queant abluere tam immensum pectoris mei dolorem? Statueram enim, vt corpusculum meum immaculatum Christo à virili tactu seruarem: sed væ mihi! quæ taliter ab eo relicta sum, vt quod optabam perficere non valerem: & quod ab initio ætatis meæ seruaui, in hac nouissima die, quam videre non debueram, perdidi. Ecce enim relicta ab immortali Christo, qui mihi dotem promittebat

A paradisum, mortalis hominis sum sortita consortium: & pro rosis immarcescibilibus, arentium me rosarum non ornat, sed deformat spolium. Et cùm debui super quadrifluo agni flumine puritatis stolam induere: hæc mihi vestis onus exhibuit, non honorem. Sed quid amplius verba protrahimus? Infelix ego, quæ debui sorte mereri polos, hodie demergor in abyssos. O si mihi hæc futura erant, quare non dies vitæ meæ ipse fuit finis, qui fuit initium? O si ante introissem mortis ianuam, quàm lactis acciperem alimenta! O si mihi dulcium nutricum oscula in funere fuissent expensa! Horrent enim mihi terrenæ species, quia pro mundi vita transfixas manus suspicio Redemptoris. Nec cerno diademata gemmis insignibus coruscantia, cùm illam spineam miror mente coronam. Respuo longè latéque diffusa spatia terræ tuæ, quia amœnitatem concupisco paradisi. Horrent tua solaria, cùm Dominum residentem suspicio super astra. Talia cum magno fletu iactanti, commotus pietate iuuenis ait: Vnicos nos nobilissimi Aruernorum habuere parentes, & ad propagandam generationem coniungere voluerunt, ne recedentibus de mundo succederet hæres extraneus. Cui illa: Nihil est mundus, nihil sunt diuitiæ, nihil est pompa seculi huius: nihil est vita ipsa quâ fruimur. Sed illa magis vita quærenda est, quæ morte terminante non clauditur, quæ labe vlla non soluitur, nec aliquo occasu finitur: vbi homo in beatitudine æterna permanens, luce non occidente viuit. Et quod maius est his B omnibus, ipsius Domini præsentia, iugi perfruens contemplatione, in angelico translatus statu, indissolubili lætitia gaudet. Ad hæc ille: Dulcissimis, inquit, eloquiis tuis æterna mihi vita tanquam magnum iubar inluxit: & ideo si vis à carnali abstinere concupiscentia, particeps tuæ mentis efficiar. Illa respondit, Difficile est sexum virilem mulieribus ista præstare. Tamen si feceris, vt immaculati permaneamus in seculo, ego tibi partem tribuam dotis, quam promissam habeo à sponso Domino meo Iesu Christo, cui me & famulam deuoui esse & sponsam. Tunc ille armatus crucis vexillo, ait: Faciam quæ hortaris. Et datis inter se dextris, quieuerunt. Multos postea in vno strato recumbentes annos, vixerunt cum castitate laudabili. Quod postea in eorum transitu declaratum est. Nam cùm impleto certamine, puella migraret ad Christum, peracto vir funeris officio, cùm puellam in sepulchrum deponeret, ait: Gratias tibi ago æterne Domine noster, quia hunc thesaurum sicut à te commendatum accepi, ita immaculatum pietati tuæ restituo. Ad hæc illa subridens: Quid, inquit, loqueris quod non interrogaris? Illámque sepultam, ipse non post multum insequitur. Porro cùm vtriusque sepulchrum è diuersis parietibus collocatum fuisset, miraculi nouitas, quæ eorum castitatem manifestaret, apparuit. Nam facto mane cùm ad locum populi accederent, inuenerunt sepulchra pariter, quę longè inter se distare reliquerant: scilicet vt quos tenet socios cœlum, sepultorum hîc C corporum non separet monumentum. Hos vsque hodie, *Duos Amantes* vocitare loci incolæ voluerunt. Meminimúsque de his in libro Miraculorum.

XLIII. ARCADII verò & Honorij secundo Imperij anno, sanctus Martinus Turonorum Episcopus, plenus virtutibus & sanctitate, præbens infirmis multa beneficia, octogesimo & primo ætatis suæ anno, Episcopatus autem XXVI. apud Condatensem diœcesis suæ vicum, excedens à seculo feliciter migrauit ad Christum. Transiit autem media nocte, quæ Dominica habebatur, Attico Cæsaréoque Consulibus. Multi enim in eius transitu psallentium voces audierunt in cœlo. quod in libro virtutum eius primo pleniùs exposuimus. Nam cùm primitus sanctus Dei apud Condatensem (vt diximus) vicum, ægrotare cœpisset, Pictaui populi ad eius transitum sicut Turonici conuenerunt. Quo migrante, grandis altercatio in vtrumque surrexit populum. Dicebant enim Pictaui, Noster est Monachus, nobis Abbas extitit: nos requirimus commendatum. Sufficiat vobis, quòd dum esset in mundo Episcopus, vsi estis eius colloquio, participastis conuiuio, firmati fuistis benedictionibus, insuper & virtutibus iocundati. Sufficiant ergo vobis ista omnia, nobis liceat auferre vel cadauer exanimum. Ad hæc Turonici respondebant: Si virtutum nobis facta sufficere dicitis, scitote quia vobiscum positus, amplius est quàm hîc operatus. Nam vt prætermittamus plurima, vobis suscitauit duos mortuos, nobis vnum: & (vt ipse sæpè dicebat) maior ei virtus ante Episcopatum fuit, quàm post Episcopatum. Ergo necesse est, vt

» quod nobiscum non impleuit viuens, expleat vel defunctus. Vobis est enim abla- A
» tus, nobis à Deo donatus. Verùm si mos antiquitus institutus seruatur, in vrbe,
» qua ordinatus est, habebit Deo iubente sepulchrum. Certè si pro Monasterio pri-
» uilegium cupitis vindicare, scitote quia primùm ei Monasterium cum Mediola-
» nensibus fuit. His ergo litigantibus, sole ruente nox clauditur: corpúsque in medio positum, firmatis seris ab vtroque populo custoditur. Futurum, vt manè facto à Pictauis per violentiam auferretur. Sed Deus omnipotens noluit vrbem Turonicam proprio frustrare patrono. Denique nocte media omnis Pictaua somno phalanga comprimitur, nec vllus superfuit, qui ex hac multitudine vigilaret. Igitur vbi Turonici eos conspiciunt obdormisse, adprehensam sanctissimi corporis glebam, alij per fenestram eiiciunt, alij à foris suscipiunt: positúmque in naui cum omni populo, per Vingennam fluuium descendunt. Ingressique Ligeris alueum; ad vrbem Turonicam cum magnis laudibus psallentióque dirigunt copioso. De quorum vocibus Pictaui expergefacti, nihil de thesauro quem custodiebant habentes, cum magna confusione ad propria sunt reuersi. Quòd si quis requiret, cur post transitum Gratiani Episcopi, vnus tantùm, id est Litorius, vsque ad sanctum Martinum fuisset Episcopus, nouerit quia obsistentibus paganis, diu ciuitas Turonica sine benedictione sacerdotali fuit. Nam qui Christiani eo tempore videbantur, occultè & per latebras diuinum officium celebrabant. Nam si qui à paganis reperti fuissent Christiani, aut afficiebantur verberibus, aut gladio truncabantur. A Passione ergo Domini, vsque transitum sancti Martini, an- B
412. ni CCCCXII. computantur.

Explicitus est liber primus, continens annos V. M. D. XLVI. qui computantur à principio Mundi vsque ad transitum sancti Martini Episcopi.

GREGORII EPISCOPI TVRONENSIS HISTORIAE FRANCORVM LIBER SECVNDVS.

CAPITVLA LIBRI.

PROSEQVENTES ordinem temporum, mixtè confuséque, tam virtutes Sanctorum quàm strages gentium memoramus. Non enim irrationabiliter accipi puto, si felicem beatorum vitam inter miserorum memoremus excidia, cùm id non facilitas Scriptoris, sed temporum series præstet. Nam solicitus lector si inquirat strenuè, inueniet inter illas Regum Israeliticorum Historias, sub Samuel iusto, Phineem interisse sacrilegum: ac sub Dauid, quem fortem manu dicunt, Goliam allophylum corruisse. Meminerit etiam sub Heliæ eximij vatis tempore, qui pluuias cùm voluit abstulit, & cùm libuit arentibus terris infudit, qui viduæ paupertatem oratione locupletauit; quantæ populorum strages fuere, quantæ fames, vel quæ siccitas miseram oppressit humum. Quæ sub Ezechiæ tempore, cui Deus ad vitam XV. annos auxit, Hierosolyma mala pertulerit. Sed & sub Eliseo Propheta, qui mortuos vitæ restituit, & alia in populis miracula multa fecit, quantæ interneciones, quæ miseriæ ipsum Israeliticum populum oppresserunt. Sic & Eusebius, Seuerus, Hieronymúsque in Chronicis, atque Orosius, & bella Regum, & virtutes Martyrum pariter texuerunt. Ita & nos idcircò sic scripsimus, quo faciliùs seculorum ordo, vel annorum ratio, vsque ad nostra tempora tota reperia-
C tur. Venientes ergo per ante dictorum Auctorum Historias, ea quæ in posterum acta sunt, Domino iubente differemus.

I. IGITVR post excessum beati Martini Turonicæ ciuitatis Episcopi, summi & incomparabilis viri, de cuius virtutibus magna apud nos volumina retinentur, Briccius ad Episcopatum succedit. At verò Briccius iste cùm esset primæuæ ætatis iuuenis, sancto adhuc Martino viuenti in corpore multas tendebat insidias, pro eo quòd ab eodem plerumque cur faciles res sequeretur, arguebatur. Quadam autem die dum quidam infirmus medicinam à beato Martino expeteret, Briccium adhuc Diaconum in platea conuenit, cui simpliciter ait: Ecce ego " præstolor beatum virum, & nescio vbi sit, vel quid operis agat. Cui Briccius, Si, " inquit, delirum illum quæris, prospice eminus: ecce cœlum solitè sicut amens " respicit. Cúmque pauper ille occursu reddito quod petierat impetrasset, Briccium " Diaconum vir beatus alloquitur: En ego, Bricci, delirus tibi videor? Cúmque ille " confusus hæc audiens, dixisse se denegaret, ait vir sanctus: Nonne aures meæ " ad os tuum erant, cùm hæc eminus loquebaris? Amen dico tibi, quia obtinui " apud Deum, vt post me ad Pontificatus honorem accedas: sed noueris te in Episcopatu multa aduersa passurum. Briccius hæc audiens irridebat, dicens: Nonne " verum dixi istum delira verba proferre? Sed & Presbyterij honore præditus, sæ- "

piùs beatum virum conuiciis laceſſiuit. Adepto ergo conſentientibus ciuibus Pontificatus officio, orationi vacabat. Quia quanquam eſſet ſuperbus & vanus, caſtus tamen habebatur corpore. Triceſimo tertio verò ordinationis eius anno, oritur contra eum lamentabilis cauſa pro crimine. Nam mulier, ad quam cubicularij eius veſtimenta deferre ſolebant ad abluendum, quæ ſub ſpecie religionis erat veſte mutata, concepit & peperit. Qua de re ſurrexit omnis populus Turonorum in iram, & totum crimen ſuper Epiſcopum referunt, volentes eum vnanimiter lapidare. Dicebant enim, Diu pietas Sancti tuam celauit luxuriam: nec Deus nos diutius ſinit manus tuas indignas obſculando pollui. Illo quoque econtrario viriliter hæc negante, Adferte, inquit, infantem ad me. Cúmque oblatus fuiſſet infans, triginta dies ab ortu habens, ait ad eum Epiſcopus: Adiuro te per Ieſum Chriſtum filium Dei omnipotentis, vt ſi ego te generaui, coram cunctis edicas. Et ille, Non es, inquit, tu pater meus. Populis autem rogantibus vt quis eſſet pater, interrogaret: ait Sacerdos: Non eſt hoc meum. quod ad me pertinuit, ſollicitus fui. Vobis ſi aliquid ſuppetit, per vos quærite. Tunc illis magicis hæc artibus facta aſſeuerantes, inſurgunt contra eum in vna conſpiratione: & trahentes eum dicebant: Non diutius nobis falſo Paſtoris nomine dominaberis. Ille autem ad ſatisfaciendum adhuc populo, prunas ardentes in byrrum ſuum poſuit: & ad ſe ſtringens, vſque ad ſepulchrum beati Martini, vna cum populorum turbis accedit. Proiectíſque ante ſepulchrum prunis, veſtimentum eius inuſtum adparuit. B
Illo quoque ſic proſequente, Sicut iſtud veſtimentum ab his ignibus videtis illæſum, ita & corpus meum à mulieris coitu eſt impollutū. Illis verò non credentibus, ſed cōtradicentibus trahitur, calumniatur, eiicitur, vt ſermo Sancti adimpleretur: Noueris te in Epiſcopatu multa aduerſa paſſurū. Hoc enim eiecto, Iuſtinianum in Epiſcopatu conſtituunt. Denique Briccius Romanæ vrbis Papam expetiit, flens & eiulans, atque dicens: Meritò hæc patior, quia peccaui in Sanctum Dei, & eum delirum & amentem ſæpè vocaui: cuius videns virtutes, non credidi. Poſt cuius abſceſſum, aiunt Turonici Sacerdoti ſuo: Vade poſt eum, & exerce negocium tuum: quia ſi eum proſecutus non fueris, ad noſtrum omnium contemptum humiliaberis. Iuſtinianus verò egreſſus à Turonis, Vercellas Italiæ ciuitatem adgreſſus, iudicio Dei percuſſus, obiit peregrinus. Turonici eius obitum audientes, & in ſua malitia perdurantes, Armentium in eius loco conſtituunt. At Briccius Epiſcopus Romam veniens, cuncta quæ pertulerat Papæ refert. Qui ad Sedem Apoſtolicam reſidens, plerumque Miſſarum ſolennia celebrans, inibi quicquid in Sanctum Dei deliquerat, deflendo diluit. Septimo igitur regreſſus anno à Roma, cum auctoritate Papæ illius, Turonos redire diſponit: & veniens ad vicum, cuius nomen eſt Laudiacum, ſexto ab vrbe miliario, manſionem accepit. Armentius verò febre corripitur, & media nocte ſpiritum exhalauit. Quod protinus Briccio Epiſcopo per viſum reuelatum eſt. Qui ait ſuis, Surgite velocius, vt ad tumulandum fratrem noſtrum Turonicum Pontificem occurramus. C Cúmque illi venientes portam ciuitatis ingrederentur, ecce iſtum per aliam portam mortuum efferebant. Quo ſepulto, Briccius in cathedram ſuam regreſſus eſt, ſeptem poſtea feliciter viuens annos. Cui poſt XLVII. Epiſcopatus annum defuncto, ſanctus Euſtochius ſucceſſit, magnificæ ſanctitatis vir.

II. Post hæc Vandali à loco ſuo digreſſi, cum Gunderico Rege in Gallias ruunt. Quibus valde vaſtatis, Hiſpanias appetunt. Hos ſecuti Sueui, id eſt, Alamanni, Galliciam adprehendunt. Nec multò pòſt, ſcandalum inter vtrunque oritur populum, quoniam propinqui ſibi erant. Cúmque ad bellum armati procederent, ac iamiamque in conflictu parati eſſent, ait Alamannorum Rex: Quouſque bellum ſuper cunctum populum commouetur? Ne pereant quæſo populi vtriuſque phalangæ: ſed procedant duo de noſtris in campum cum armis bellicis, & ipſi inter ſe confligant. Tunc ille, cuius puer vicerit, regionem ſine certamine obtinebit. Ad hæc cunctus conſenſit populus, ne vniuerſa multitudo in ore gladij rueret. His enim diebus Gundericus Rex obierat, in cuius loco Traſimundus obtinuerat Regnum. Confligentibus verò pueris, pars Vandalorum victa ſuccubuit. interfectóque puero, placitum egrediendi Traſimundus ſpopondit, vt ſcilicet præparatis itineris neceſſariis, ſe à finibus Hiſpaniæ remoueret. Per idem verò tempus perſecutionem in Chriſtianos Traſimundus exercuit, ac totam Hiſ-

A paniam, vt ad perfidiam Arrianæ sectæ consentiret, tormentis ac diuersis mortibus impellebat. Vnde factum est, vt puella quædam religiosa, prædiues opibus, ac secundum seculi dignitatem nobilitate Senatoria florens: & (quod his omnibus est nobilius) fide Catholica pollens, Deóque omnipotenti inreprehensibiliter seruiens, ad hanc quæstionem adduceretur. Cúmque Regis fuisset oblata conspectibus, cœpit eam primùm ad rebaptizandum blandis sermonibus inlicere. Quæ cùm venenosum eius iaculum fidei parma propelleret, præcepit Rex facultates eius auferri, quæ iam mente possidebat regna paradisi: deinde suppliciis adplicatam, sine spe præsentis vitæ torqueri. Quid plura? Post multas quæstiones, post ablatos terrenarum diuitiarum thesauros, cùm ad hoc frangi non posset, vt beatam scinderet Trinitatem, ad rebaptizandum inuita deducitur. Cúmque in illud cœnosum lauacrum vi cogeretur immergi, ac proclamaret, Patrem cum Filio, ac Spiritum sanctum vnius credo esse substantiæ essentiæque: digno aquas vnguine cunctas infecit, id est fluxu ventris aspergit. Exhinc ad legitimam deducta quæstionem, post eculeos, post flammas & vngulas, Christo Domino capitis decisione dicatur. Post hæc prosequentibus Alamannis vsque ad Traductam, transito mari Vandali per totam Africam ac Mauritaniam sunt dispersi.

B III. SED quoniam eorum tempore persecutio in Christianos inualuit, sicut superiùs mentio facta est, videtur vt aliqua ex his quæ circa Dei Ecclesias intulerunt, vel quemadmodum de Regno expulsi sint, memorare. Defuncto igitur Trasimundo, post scelera quæ in Sanctis Dei exercuit, Honoricus mente crudelior Africanum occupat Regnum, atque ex electione Vandalorum ipsis præponitur. Cuius sub tempore quanti Christianorum populi, pro ipso Christi sacratissimo nomine cæsi sint, ab hominibus non potest comprehendi. Testis est tamen Africa quæ misit, & Christi dextera, quæ gemmis immarcescibilibus coronauit. Legimus tamen quorundam ex ipsis Martyrum passiones, ex quibus quædam replicanda sunt, vt ad ea quæ spopondimus veniamus. Igitur Cirola falsò vocatus Episcopus, hæreticorum tunc maximus habebatur assertor. Cúmque ad persequendum Christianos Rex per diuersa transmitteret, sanctum Eugenium Episcopum, virum inenarrabili sanctitate, qui tunc ferebatur magnæ prudentiæ esse, in suburbano ciuitatis suæ reperit persecutor. Quem ita violenter rapuit, vt nec ad hortandum gregem Christi, vllum abire permitteret. Ille verò cùm se videret abduci, Epistolam ciuibus pro custodienda fide Catholica, hoc modo transmisit: Dilectissimis & in Christi amore dulcissimis filiis & filiabus Ecclesiæ mihi à Deo commissæ, Eugenius Episcopus. Regalis emanauit auctoritas, & pro exercenda fide Catholica, edicto nos à Carthagine venire præcepit. Et ideo ne abiens à vobis Ecclesiam Dei in ambiguo, hoc est, in suspenso dimitterem, aut oues Christi non verus pastor silentio relinquerem, necessarium duxi has pro me

C vicarias vestræ dirigere sanctitati: in quibus non sine lachrimis peto, hortor, moneo, & satis abundéque obtestor per Dei maiestatem, & per tremendum iudicij diem, atque aduentus Christi terribilem claritatem, vt fixiùs teneatis Catholicam fidem, adserentes Filium Patri esse æqualem, & Spiritum sanctum eandem habere cum Patre & Filio deitatem. Seruate itaque vnici baptismatis gratiam, custodientes chrismatis vnctionem. Nemo post aquam reuertatur ad aquam, renatus ex aqua. Nutu enim Dei sal in aqua conficitur: sed si in aquam redactum fuerit, omnis species eius confestim euacuatur. Vnde non immeritò Dominus in Euangelio ait, *Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?* Et vtique hoc est infatuari, velle secundo condiri, cùm semel factum sufficiat. Non audistis Christum dicentem: *Qui semel lotus est, non habet necessitatem iterum lauandi?* Ideóque fratres, & filij filiæque meæ in Domino, non vos contristet absentia mea, quin Catholicæ disciplinæ adhæreatis. Ego vos nec longinquitate aliqua obliuiscor, nec morte à vobis diuellor. Scitote quia quocunque me fecerint diuidi agones, mecum est palma: si ad exilium abiero, beati Ioannis Euangelistæ exemplum: si ad mortis exitium, viuere mihi Christus est & mori lucrum. Si rediero, fratres, implebit Deus desiderium vestrum. Attamen sufficit modò, quòd vobis non tacui, monui, instruxi, quomodo potui: idcóque immunis sum à sanguine omnium pereuntium, & scio quia aduersus eos legentur litteræ istæ ante tribunal Christi; cùm vene-

» rit reddere vnicuique secundum opera sua. Si reuersus fuero, fratres, videbo A
» vos in hac vita: si non reuersus fuero, videbo vos in futura. Dico tamen vobis,
» valete, orate pro nobis, & ieiunate: quia ieiunium & eleemosyna semper Do-
» minum ad misericordiam deflexerunt. Mementote esse scriptum in Euangelio, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: timete autem eum qui postquam occiderit corpus, habet potestatem & animam perdere & mittere in gehennam.* Ductus itaque sanctus Eugenius ad Regem cum illo Arrianorum Episcopo, pro fide Catholica decertauit. Cúmque eum de sanctæ Trinitatis mysterio potentissimè deuicisset, & insuper multas per eum virtutes Christus ostenderet, in maiorem insaniam idem Episcopus inuidiâ inflammante, succenditur. Erant enim tunc temporis cum sancto Eugenio viri prudentissimi atque sanctissimi, Vindemialis & Longinus Episcopi, pares gradu, & virtute non impares. Nam sanctus Vindemialis eo tempore ferebatur mortuum suscitasse: Longinus autem multis infirmis salutem tribuit. Eugenius quoque non solùm visibilium oculorum cæcitatem, sed etiam mentium depellebat. Quod cernens ille nequam Arrianorum Episcopus, vocatum ad se quendam hominem, ab illo quo ipse viuebat errore de-
» ceptum, ait: Non patior, quòd hi Episcopi multa in populo signa depromunt, il-
» lósque cuncti me neglecto sequuntur. Adquiesce nunc his quæ præcipio, & ac-
» ceptis quinquaginta aureis, sede in platea per quam nobis est transitus: & manum
» super clausos oculos ponens, me prætereunte cum reliquis exclama in magna B
» virtute, dicens: Te beatissime Cirola, nostræ Religionis Antistes, deprecor, vt
» respiciens manifestes gloriam ac virtutem tuam, vt oculos meos aperiens, merear
» lucem videre quam perdidi. Qui iussa complens, residénsque in platea, transeun-
» te hæretico cum sanctis Dei, iste qui Deum irridere cogitabat, exclamat in ma-
» gna virtute dicens: Audi me beatissime Cirola, audi me sancte Sacerdos Dei,
» respice cæcitatem meam. Experiar ego medicamenta, quæ sæpè cæci reliqui à
» te meruerunt, quæ leprosi experti sunt, quæ ipsi etiam mortui præsenserunt.
» Adiuro te per ipsam virtutem quam habes, vt mihi desideratam restituas lucem,
» quia graui sum cæcitate percussus. Veritatem enim nesciens, verum dicebat: quia cæcauerat eum cupiditas, & virtutem Dei omnipotentis irridere per pecuniam æstimabat. Tunc hæreticorum Episcopus paululum se diuertit, quasi in virtute triumphaturus, elatus vanitate atque superbia, posuit manum suam super
» oculos eius dicens; Secundum fidem nostram, qua rectè Deum credimus, ape-
» riantur oculi tui. Et mox vt hoc nefas erupit, risus mutatur in planctum, & dolus Episcopi est patefactus in publico. Nam tantus dolor oculos miseri illius inuasit, vt eos digitis vix comprimeret, ne creparent. Denique clamare cœpit mi-
» ser, ac dicere: Væ mihi misero! quia seductus sum ab inimico legis diuinæ. Væ
» mihi! quia Deum per pecuniam irridere volui, & quinquaginta aureos accepi,
» vt hoc facinus perpetrarem. Ad Episcopum autem aiebat: Ecce aurum tuum,
» redde lumen meum, quod dolo tuo perdidi. Vósque rogo, gloriosissimi Christia-
» ni, ne despiciatis miserum, sed velociter succurrite pereunti. Verè enim cogno- C
» ui, quia Deus non irridetur. Tunc sancti Dei misericordia moti, Si, inquiunt, cre-
» dis, omnia possibilia sunt credenti. At ille clamabat voce magna: Qui non credi-
» derit Christum Filium Dei & Spiritum sanctum æqualem habere substantiam at-
» que deitatem cum Deo Patre, hodie quæ ego perfero patiatur. Et adiecit, Credo
» Deum Patrem omnipotentem, credo Filium Dei Christum Iesum æqualem Pa-
» tri, credo Spiritum sanctum Patri & Filio consubstantialem atque coæternum.
» Hæc illi audientes, & se inuicem honore mutuo præuenientes, oritur inter eos sancta contentio, quis oculis eius signum beatæ crucis imponeret. Vindemialis verò ac Longinus Eugenium, ille autem econtra eos exorat, vt manus imponerent cæco. Quod cùm fecissent, & manus suas super caput eius tenerent, sanctus
» Eugenius crucem super oculos cæci faciens, ait: In nomine Patris & Filij & Spi-
» ritus sancti veri Dei, quem trinum in vna æqualitate atque omnipotentia confitemur, aperiantur oculi tui. Et statim ablato dolore, ad pristinam rediit sanitatem. Manifestissimè autem patuit per huius cæcitatem, qualiter hæreticorum Episcopus oculos cordium misero assertionis suæ velabat amictu, ne veram lucem illi liceret fidei oculis contemplari. O miserum! qui non ingressus per ianuam, id est per Christum, qui est ianua vera, lupus magis gregi quàm custos effectus

A est: & pacem fidei, quam in credentium cordibus debuerat accendere, prauitate cordis sui conabatur extinguere. Sancti verò Dei alia signa in populis multa fecerunt, & erat vox vna populi dicentis, Verus Deus Pater, verus Filius, verus Deus Spiritus sanctus, vna fide colendus, vno timore metuendus, eodémque honore venerandus. Nam quæ Cirola adserit, falsa esse cunctis est manifestum. Videns autem Honoricus Rex, assertiones suas per Sanctorum fidem gloriosam taliter denudari, nec erigi sectam erroris, sed potiùs destrui: fraudémque Pontificis sui in hoc scelere fuisse detectam, Sanctos Dei post multa tormenta, post eculeos, post flammas, post vngulas, iussit interfici. Beatum verò Eugenium decollari iussit, sub ea specie, vt si in ea hora, qua ensis super ceruicem eius incumbebat, non reuerteretur ad hæreticorum sectam, non occideretur, ne eum pro Martyre excolerent Christiani; sed exilio damnaretur. quod ita factum esse manifestum est. Nam cùm imminenti morte, interrogatus fuisset, si mori pro fide Catholica destinaret, respondit: Hæc enim est sempiterna vita, pro iustitia mori. Tunc suspenso gladio, apud Albigensem Galliarum vrbem exilio deputatus est: vbi & finem vitæ præsentis fecit. Ad cuius nunc sepulchrũ multæ virtutes creberrimè ostenduntur. Sanctum verò Vindemialem gladio percuti præcepit. quod & impletum est in hoc certamine. Octauianus verò Archidiaconus, & multa milia virorum ac mulierum, hanc fidem adserentium, interempta atque debilitata

B sunt. Sed pro amore gloriæ, nihil erant hæc supplicia Confessoribus sanctis, qui in paucis vexati, in multis benè se nouerant disponendos, iuxta illud Apostoli: *Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelatur in Sanctis.* Multi tunc errantes à fide, accipientes diuitias, inseruerunt se doloribus multis. Infelix autem quidam Episcopus nomine Reuocatus, eo tempore est reuocatus à fide Catholica. Tunc & sol teter apparuit obscuratus, ita vt vix ab eo pars vel tertia eluceret. Credo namq; pro tantis sceleribus & effusione sanguinis innocentis. Honoricus verò post tantum facinus, arreptus à Dæmone, qui diu de Sanctorum sanguine pastus fuerat, propriis se morsibus laniabat. in quo etiam cruciatu, vitam indignam iusta morte finiuit. Huic Childericus successit, quo defuncto, Gelesimiris Regnum suscipit. Ipse quoque à Republica superatus, vitam Principatúmque finiuit. & sic Regnum decidit Vandalorum.

IV. MVLTÆ enim hæreses eo tempore Dei Ecclesias impugnabant, de quibus plerumque vltio diuina data est. Nam & Athanaricus Gothorum Rex magnam excitauit persecutionem: qui multos Christianorum diuersis pœnis adfectos, gladio detruncabat: sed & nonnullos exilio datos, fame variísque cruciatibus enecabat. Vnde factum est, vt exigente iudicio Dei pro effusione sanguinis iusti, à Regno depelleretur, & esset exsul à patria, qui Dei Ecclesias impugnabat. Nunc verò ad superiora redeamus.

C V. IGITVR rumor erat Chunos in Gallias velle prorumpere. Erat autem tunc temporis apud Tungros oppidum Seruatius eximiæ sanctitatis Episcopus, qui vigiliis ac ieiuniis vacans, crebro lachrimarum imbre perfusus, Domini misericordiam precabatur, ne vnquam gentem hanc incredulam, sibíque semper indignam in Gallias venire permitteret. Sed sentiens per spiritum, pro delictis populi, sibi hoc non fuisse concessum, consilium cepit* vt expeteret vrbem Romanam, scilicet vt adiunctis Apostolicæ virtutis patrociniis, quæ humiliter ad Dei misericordiam flagitabat, mereretur faciliùs obtinere. Accedens ergo ad beati Apostoli tumulum, deprecabatur auxilium bonitatis eius, in multa abstinentia, maxima inedia se consumens, ita vt biduò triduóque sine vllo cibo potúque maneret, nec esset interuallum aliquod in quo ab oratione cessaret. Cúmque ibidem multorum dierum spacia in tali afflictione moraretur, fertur hoc à beato Apostolo accepisse responsum: Quid me, vir sanctissime, inquietas? Ecce enim apud Domini deliberationem prorsus sancitum est, Chunos in Gallias aduenire, eásque maxima tempestate debere depopulari. Nunc igitur sume consilium, accelera velociter, ordina domum tuam, sepulturam compone: require linteamina munda. Ecce enim migrabis à corpore, nec videbunt oculi tui mala quæ facturi sunt Chuni in Galliis, sicut locutus est Dominus Deus noster. Hoc à sancto Apostolo Pontifex responso suscepto, iter accelerat, Galliásque velociter repetit: veniénsque ad vrbem Tungrorum, quæ erant necessaria sepulturæ secum citiùs leuat: valéque dicens

* al. consil. habuit expetendi.

Clericis, ac reliquis ciuibus vrbis, denunciat cum fletu & lamentatione, quia A non visuri essent vltra faciem illius. At illi cum eiulatu magno & lachrimis eum prosequentes, supplicabant humili prece dicentes, Ne derelinquas nos Pater sancte, ne obliuiscaris nostri Pastor bone. Sed cùm eum fletibus reuocare non possent, accepta benedictione cum osculis redierunt. Hic verò ad Traiectensem vrbem accedens, modica pulsatus febre, recessit à corpore. Ablutúsque à fidelibus, iuxta ipsum aggerem publicum est sepultus. Cuius beatum corpus qualiter post multorum temporum spacia sit translatum, in libro Miraculorum scripsimus.

VI. IGITVR Chuni à Pannoniis egressi (vt quidam ferunt) in ipsa sanctæ Paschæ vigilia, ad Metensem vrbem, reliqua depopulando, perueniunt: tradentes vrbem incendio, & populum in ore gladij trucidantes, ipsósque Sacerdotes Domini ante sacrosancta altaria perimentes. Nec remansit in ea locus inustus, præter Oratorium beati Stephani primi Martyris ac Leuitæ. De quo Oratorio quæ à quibusdam audiui, narrare non distuli. Aiunt enim, priusquam hi hostes venirent, vidisse virum fidelem in visu quasi conferentem cum sanctis Apostolis Petro ac Paulo, beatum Leuitam Stephanum de hoc excidio, ac dicentem: Oro domini mei, vt non permittatis obtentu vestro Metensem vrbem ab inimicis exuri, quia locus in ea est, in quo paruitatis meæ pignora continentur: sed potius sentiant se populi aliquid me posse cum Domino. Quòd si tantum facinus B populi supercreuit, vt aliud fieri non possit, nisi ciuitas tradatur incendio, saltem vel Oratorium non cremetur. Cui illi aiunt, Vade in pace, dilectissime frater, Oratorium tantum tuum carebit incendio. Pro vrbe verò non obtinebimus, quia Dominicæ sanctionis super eam sententia iam processit. Inualuit enim peccatum populi, & clamor malitiæ eorum ascendit coram Deo. ideo ciuitas hæc cremabitur incendio. Vnde proculdubio est, quòd horum obtentu vrbe vastata, Oratorium permansit inlæsum.

VII. ATTILA verò Chunorum rex, à Metensi vrbe egrediens, cùm multas Galliarum ciuitates opprimeret, Aurelianis adgreditur, eámque maximo arietum impulsu nititur expugnare. Erat autem eo tempore beatissimus Anianus in supradicta vrbe Episcopus, vir eximiæ prudentiæ, ac laudabilis sanctitatis, cuius virtutum gesta nobiscum fideliter retinentur. Cúmque inclusi populi suo Pontifici quid agerent acclamarent, ille fisus in Deo, monet omnes in orationem prosterni, & cum lachrimis præsens semper in necessitatibus Domini auxilium implorare. Denique his vt præceperat deprecantibus, ait Sacerdos: Aspicite de muro ciuitatis, si Dei miseratio iam succurrat. Suspicabatur enim per Domini misericordiam, Aëtium aduenire, ad quem & Arelatem abierat, prius suspectus futuri. Aspicientes autem de muro, neminem viderunt. Et ille, Orate, inquit, fideliter. Dominus enim liberabit vos hodie. Orantibus autem illis, ait, Aspicite iterum. Et cùm aspexissent, neminem viderunt qui ferret auxilium. Ait eis C tertiò, Si fideliter petitis, Dominus velociter adest. At illi cum fletu & eiulatu magno, Domini misericordiam implorabant. Exacta quoque oratione, tertiò iuxta senis imperium aspicientes de muro, viderunt à longe quasi nebulam de terra consurgere. Quod renunciantes, ait Sacerdos, Domini auxilium est. Interea iam trementibus ab impetu arietum muris, iámque ruituris, ecce Aëtius & Theudo * Gothorum Rex ac Thorismodus filius eius, cum exercitibus suis ad ciuitatem adcurrunt, aduersúmque hostem eiiciunt, repellúntque. Itaque liberata obtentu beati Antistitis ciuitate, Attilam fugant, qui Mauriacum campum adiens, se præcingit ad bellum. Quod hi audientes, se contra eum viriliter præparant. His diebus Romam sonus adiit, Aëtium in maximo discrimine inter phalangas hostium laborare. Quo audito, vxor eius anxia, atque mœsta, assiduè Basilicam sanctorum Apostolorum adibat, atque vt virum suum de hac expectatione susciperet sospitem precabatur. Quæ cùm die noctúque hæc ageret, quadam nocte homo pauperculus, crapulatus à vino, in angulo Basilicæ beati Petri Apostoli obdormiuit. Clausis autem ex more ostiis à custodibus, non est eiectus. De nocte verò consurgens, relucentibus per tota ædis spacia lychnis, pauore perterritus, aditum, per quem foris euaderet, quærit *. Verùm vbi primi atque alteriùs ostij claustra pulsat, & obserata cuncta cognoscit, solo decubuit, trepidus præstolans locum,

* al. Theodorus, & Theodoricus.

* al quærit aditum per fores vt euaderet.

A locum, vt conuenientibus ad matutinos hymnos populis, hic liber abscederet. Interea vidit duas personas se inuicem venerabiliter salutantes, sollicitósq; de suis esse prosperitatibus. Tunc qui erat senior, ita exorsus est: Vxoris Aëtij lachrimas diutius sustinere non patior. Petit enim assiduè, vt virum suum de Galliis reducam " incolumem, cùm aliud exinde fuisset apud diuinum iudicium præfinitũ. sed tamen " obtinui immensam pietatem pro vita illius. Et ecce nunc illuc propero, viuentem " eum exindè reducturus. Veruntamen obtestor, vt qui hæc audierit, sileat, archa- " númq; Dei vulgare non audeat, ne pereat velociter è terra. Ille autẽ hæc audiens, " silere non potuit, sed mox inlucescente cœlo, omnia quæ audierat, matrifamiliæ pandit: expletísque sermonibus lumine caruit oculorum. Igitur Aëtius cum Francis Gothísque coniunctus, aduersus Attilam confligit. At ille ad internecionem vastari suum cernens exercitum, fuga dilabitur. Theudo verò Gothorum Rex huic certamini succubuit. Nam nullus ambigit, Chunorum exercitum obtentu memorati Antistitis fuisse fugatum. Veruntamen Aëtius Patricius cum Thorismodo victoriam obtinuit, hostésque deleuit. Expletóque bello ait Aëtius Thorismodo, Festina velociter redire in patriam, ne insistente germano, patris Regno priueris. Hæc " ille audiens, cum velocitate discessit, quasi anticipaturus fratrem, & prior patris cathedram adepturus. Simili & Francorum Regem dolo fugauit. Illis autem recedentibus, Aëtius spoliato campo, victor in patriam cum grandi est reuersus spolio. Attila verò cum paucis reuersus est, nec multò pòst Aquileia à Chunis capta, in-

B censa atque diruta, Italia peruagata atque subuersa est. Thorismodus, de quo suprà meminimus, Alamannos * bello edomuit: ipse deinceps, post multas lites & bella, à fratribus oppressus ac iugulatus interiit. *al. Alanos.

VIII. IGITVR his ita digestis, ac per ordinem expletis, quid de Aëtio suprà memorato Renati Frigeridi * narrat Historia tacere nefas putaui. Nã cùm in duodecimo Historiarum libro referat, post Honorij excessum, Valentinianum puerulum, vno tantum lustro peracto, à consobrino Theodosio Imperatorem fuisse creatum, & apud vrbem Romam tyrannum Ioannem in Imperium surrexisse, Legatósque eius à Cæsare fuisse despectos, adiecit: Dum hæc ita gererentur, Legati ad tyrannum reuersi sunt, mandata atrocia * reportantes. Quibus permotus Ioannes, " Aëtium id temporis curam Palatij gerentem, cum ingenti auri pondere, ad Chunos transmittit, notos sibi obsidiatus sui tempore, & familiari amicitia deuinctos, cum mandatis huiusmodi. Cùm primùm partes aduersæ Italiam ingressæ forent, " ipse à tergo adoriretur, se à fronte venturũ. Et quia de hoc viro consequenter plura " memoranda sunt, genus morésq; ordiri placet. Gaudẽtius pater, Scythiæ prouinciæ " primoris loci, à domesticatu exorsus militiam vsque ad Magisterij equitum culmen " prouectus est. Mater Itala, nobilis ac locuples femina. Aëtius filius, à puero Prætorianus, tribus annis Alarici obses, dehinc Chunorum, post hæc Carpilionis gener, ex Comite domesticorum, & Ioannis cura * Palatij. Medij corporis, virilis habitudinis, decenter formatus, quo neque infirmitudini esset, neque oneri. Animo

*al. Frigiredi.

*al. atrociora portantes.

C alacer, membris vegetus, eques promptissimus, sagittarum iactu peritus, conto impiger, bellis aptissimus, pacis artibus celebris, nullius auaritiæ, minimæ cupiditatis, bonis animi præditus, nec impulsoribus quidem prauis ab instituto suo deuians, " iniuriarum patientissimus, laboris adpetens, impauidus periculorum, famis sitísque " atque vigiliarum tolerantissimus. Cui ab ineunte ætate prædictum liquet, quantæ " potentiæ fatis destinaretur, temporibus suis locísque celebrandus. Hæc supradictus Historiographus de Aëtio narrat. Adultus autem Valentinianus Imperator, metuens ne se per tyrannidem Aëtius opprimeret, eum nullis causis extantibus interemit. Ipse postmodum Augustus, dum in campo Martio pro tribunali residens, concionaretur ad populum, Occylla buccellarius Aëtij ex aduerso veniens, eum gladio perfodit. Talis vtrisque extitit finis.

*al. curam Palatij gerere cœpit.

IX. DE Francorum verò Regibus, quis fuerit primus à multis ignoratur. Nam cùm multa de eis Sulpitij Alexandri narret Historia, non tamen Regem primum eorum vllatenus nominat: sed Duces eos habuisse dicit. Quæ tamen de eisdem referat, memorare videtur. Nam cùm dicit, Maximum intra Aquileiam, amissa omni spe Imperij quasi amentem residere, adiungit: Eo tempore Genobaldo, Marcomere, & Sunnone Ducibus, FRANCI in Germaniam prorupere, ac pluribus mortalium limite inrupto cæsis fertiles maximè pagos depopulati, Agrippinensi etiam "

* al. Namminus. Coloniæ metum incussere. Quod vbi Treueros perlatum est, Nannius * & Quin- A
tinus militiæ Magistri, quibus infantiam filij & defensionem Galliarum Maximus
commiserat, collecto exercitu apud Agrippinam conuenêre. Sed onusti præda ho-
stes, Prouinciarum opima depopulati, Rhenum transiere, pluribus suorum in Ro-
mano relictis solo, ad repetendam depopulationem paratis: cum quibus congres-
sus Romanis accommodus fuit, multis Francorum apud Carbonariam ferro per-
emptis. Cúmque consultaretur de successu, an in FRANCIAM transire deberent,
Nannius abnuit, quia non imparatos & in locis suis indubiè fortiores futuros scie-
* al. Nouesium. bat. Quod cùm Quintino & reliquis viris militaribus displicuisset, Nannio Mogon-
tiacum reuerso, Quintinus cum exercitu circa Niuisium * castellum Rhenum
transgressus, secundis à fluuio castris, casas habitatoribus vacuas atque ingentes
vicos destitutos offendit. Franci enim simulato metu, se in remotiores saltus rece-
perant, concidibus per extrema siluarum procuratis. Itaque vniuersis domibus
exustis, in quas sæuire stoliditas ignaua victoriæ cõsummationem reponebat, noctẽ
sollicitam milites sub armorum onere duxerant. Ac primo diluculo, Quintino præ-
lij duce ingressi saltus, in medium fere diem implicantes se erroribus viarum, toto
peruagati sunt. Tandem cùm ingentibus septis omnia à solido clausa offendissent,
in palustres campos, qui siluis iungebantur, prorumpere molientibus hostium rari
apparuêre. Qui coniunctis arborũ truncis, vel concidibus superstantes, velut è fa-
stigiis turrium, sagittas tormentorum ritu effudere, inlitas herbarum venenis, vt
summæ cuti, neq; lethalibus inflicta locis vulnera, haud dubiæ mortes sequerẽtur. B
Dehinc maiori multitudine hostiũ circumfusus exercitus, in aperta cãporum, quæ
libera Franci reliquerant, auidè effusus est. Ac primi equites voraginibus immersi,
permixtis hominum iumentorũmq; corporibus, ruinâ inuicẽ suorum oppressi sunt.
Pedites etiam, quos nulla onera equorũ calcauerant, implicati limo, ægrè explicã-
tes gressum, rursus se qui paulo antè vix emerserant, siluis trepidantes occulebant.
Perturbatis ergo ordinibus cæsæ legiones, Heraclio Iouinianorum Tribuno, ac pe-
ne omnibus qui militibus præerant, extinctis. paucis effugium tutum nox & lati-
bula siluarum præstitere. Hæc in tertio Historiæ libro narrauit. In quarto verò li-
bro cùm de interfectione Victoris filij Maximi tyranni narraret, ait: Eo tẽpore Car-
ietto & Syrus in locum Nãneni subrogati in Germania cũ exercitu opposito Frãcis
diuersabantur. Et post pauca, cum Frãci de Germania prædas tulissent, adiecit: Ni-
hil Arbogastes differre volens commonet Cæsarem pœnas debitas à Francis exigẽ-
das, nisi vniuersa quæ superiori anno cæsis legionibus diripuerant, confestim resti-
tuerent, auctorésq; belli traderent, in quos violatæ pacis perfidia puniretur. Hæc
acta cũ Duces essent, retulit: & deinceps ait, Post dies pauculos Marcomere & Sun-
none Francorũ Regalibus transacto cursim conloquio, impetratísq; ex more obsidi-
bus, ad hiemandum Treueros concessit. Cùm autem eos Regales vocet, nesci-
mus vtrum Reges fuerint, an vices tenuerint Regum. Idem tamen Scriptor, cùm
necessitates Valentiniani Augusti commemorat, hæc adiungit: Dum diuersa in C
Oriente per Thracas geruntur, in Gallia status publicus perturbatur. Clauso
apud Viennã Palatij ædibus Principe Valentiniano, & pene infra priuati modũ re-
dacto, militaris rei cura Frãcis satellitibus tradita, ciuilia quoq; officia trãsgressa in
coniurationẽ Arbogastis: nullúsq; ex omnib. sacramẽtis militiæ obstrictis reperieba-
tur, qui familiari Principis sermoni aut iussis obsequi auderet. Dehinc refert, quòd
eodem anno Arbogastes Sunnonem & Marcomerem Subregulos Francorũ genti-
libus odiis insectans, Agrippinam rigente maximè hieme petiit: ratus tuto omnes
Frãciæ recessus penetrandos vrendósq; cùm decussis foliis nudæ atq; arentes siluæ
* Bructeros insidiantes occulere nõ possent. Collecto ergo exercitu, transgressus Rhenum, Bri-
cteros * ripæ proximos, pagũ etiam quem Chamaui incolũt, depopulatus est, nullo
vnquã occursante, nisi quod pauci ex Ampsiuariis & Chattis Marcomere Duce in
vlteriorib. colliũ iugis apparuere. Iterũ hîc relictis tã Ducibus quã Regalibus, aper-
tè Frãcos Regẽ habere designat. huiusq; nomẽ prætermittẽs ait: Dehinc Eugenius
tyrãnus, suscepto expeditionali procinctu, Rheni limitẽ petit, vt cũ Alamannorũ &
Francorũ Regibus vetustis fœderibus ex more initis, immensũ ea tẽpestate exerci-
tũ gentibus feris ostentaret. Hæc suprascriptus Historiographus de Frãcis disseruit.
Renatus Profuturus Frigeridus, cuius suprà meminimus, cùm Romã refert à Go-
this captã atq; subuersam, ait: Interea Respendial Rex Alamannorum, Goare ad

A Romanos transgresso, de Rheno agmen suorum conuertit, Vandalis Francorum bello laborantibus. Godigisilo Rege absumpto, acie viginti ferme militibus ferro peremptis, cunctis Vandalorum ad internecionem delendis, ni Alanorum vis in tempore subuenisset. Mouet nos hæc causa, quòd cùm aliarum gentium Reges nominat, cur non nominet & Francorum. Tamen cùm ait, quòd Constantinus assumpta tyrannide, Constantium filium ad se de Hispaniis venire iussisset, ita disseruit: Accito Constantinus tyrannus de Hispaniis Constante filio itémque tyranno, quo de summa rerum consultarent præsentes, factum est vt Constans instrumento aulæ, & coniuge sua Cæsaraugustæ dimissis, Gerõtio intra Hispanias omnibus creditis, ad patrem continuato itinere decurreret. Qui vbi in vnum venere, interiectis diebus plurimis, nullo ex Italia metu, Constantinus gulæ & ventri deditus, redire ad Hispanias filium monet. Qui præmissis agminibus, dum cum patre resideret, ab Hispania nuncij commeant, à Gerontio maximum vnum è clientibus suis Imperio præditum, atque in se comitatu gentium Barbararũ accinctum parari. Quo exterriti, Edobecco ad Germanas gentes præmisso, Constans, & Præfectus iam Decimius Rusticus ex Officiorum Magistro petunt Gallias cum Francis & Alamannis, omnique militum manu, ad Constantinum iamiámque redituri. Item cùm Constantinum obsideri scribit, ita dicit: Vix dum quartus obsidionis Constantini mensis agebatur, cùm repente ex vlteriori Gallia nuncij veniunt, Iouinum adB sumpsisse ornatus regios: & cum Burgundionibus, Alamannis, Francis, Alanis, omnique exercitu imminente obsidentibus, ita acceleratis moris, reserata vrbe Constantinus deditur. Confestímq; ad Italiã directus, missis à Principe obuiam percussoribus, suprà Mincium flumen capite truncatus est. Et post pauca idem refert: Hisdem diebus Præfectus tyrannorum Decimius Rusticus Agroetius ex Primicerio Notariorum Iouini, multíque nobiles apud Aruernos capti à Ducibus Honorianis, & crudeliter interempti sunt. Treuerorum ciuitas à Francis direpta incensáque est secunda inruptione. Cùm autem Asterius codicillis Imperialibus Patriciatum sortitus fuisset, hæc adiũgito: Eodẽ tẽpore Castinus domesticorũ Comes, expeditione in Francos suscepta, ad Gallias mittitur. Hæc hi de Francis dixere. Orosius autẽ & ipse Historiographus in septimo Operis sui libro, ita cõmemorat: Stilico cõgregatis gentibus Francos proterit, Rhenum transit, Gallias peruagatur, & ad Pirenæos vsque perlabitur. Hanc nobis notitiam de Francis memorati Historici reliquere, Regibus non nominatis. Tradunt enim multi eosdem de Pannonia fuisse digressos. Et primùm quidẽ litora Rheni amni, incoluisse *: dehinc transacto Rheno, Thoringiam * transmeasse, ibique iuxta pagos vel ciuitates, Reges Crinitos super se creauisse, de prima, & (vt ita dicam) nobiliori suorum Familia. Quod postea probatum Chlodouei victoriæ tradidere, idque in sequenti digerimus. Nam & in Consularibus * legimus, Theodomerẽ Regem Francorum, filium Richimeris quondã, & Ascilam matrẽ eius, gladio interfectos. Ferunt etiam tunc, CHLOGIONEM vtilem C ac nobilissimum in gente sua Regem Francorum fuisse, qui apud Dispargum castrũ habitabat, quod est in termino Thoringorum *. In his autem partibus, id est ad meridionalem plagam, habitabant Romani vsque Ligerim fluuium. Vltra Ligerim verò Gothi dominabantur. Burgundiones quoque Arrianorum sectam sequentes, habitabant trans Rhodanum, qui adiacet ciuitati Lugdunensi. Chlogio autem missis exploratoribus ad vrbem Camaracum, perlustrata omnia ipse secutus, Romanos proterit, ciuitatem adprehendit: in qua paucum tempus residens, vsque Suminam * fluuium occupauit. De huius stirpe quidam MEROVEVM Regem fuisse adserunt, cuius fuit filius CHILDERICVS.

*incubuisse
* Edit. Morel. Thongriam.
* Thongrorum.
* Summã.
CHILDERICVS.

x. SED hæc generatio fanaticis semper cultibus visa est obsequium præbuisse, nec prorsus agnouere Deum: sibique siluarum atque aquarum, auium, bestiarúmque, & aliorum quoque elementorum finxere formas, ipsásque vt Deum colere, eisque sacrificia delibare consueti. O si eorum fibras cordium vox illa terribilis attigisset, quæ per Moysem populo locuta est, dicens: *Non sint tibi dij alij præter me. Non facies tibi sculptile, neque adorabis omnem similitudinem quæ in cælo sunt, & quæ in terra, & quæ versantur in aquis: non facies ea, & non coles ea.* Et illud, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, ac per nomen eius iurabis.* Quid si intelligere potuissent, quæ pro vituli conflatilis veneratione Israëliticum populum vltio subsecuta compresserit, cùm post epulum & canti-

CHILDERICVS. ca, post luxurias atque saltationes, cùm ore immundo proferrent de eodem sculptili; *Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti*: ceciderε ex eis viginti quatuor milia hominum. Quid de his, qui initiati Beelphegor cum Moabitidibus scortis commixti, à proximis cæsi & prostrati sunt? In qua plaga Phinees sacerdos interemptis adulteris, sedauit furorem Dei, & reputatum est illi ad iustitiam. Quid si & illa eorum auribus inlata fuissent, quæ Dominus per Dauid intonat, dicens: *Quia omnes dij gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit*. Et, *Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominũ. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis*. Vel illud: *Confundantur omnes qui adorant sculptile, & qui gloriantur in simulachris suis*. Et iterum quod Abacuc Propheta testatur dicens: *Quid prodest sculptile quod sculpserunt, & finxerunt? Illud conflatile fantasma, mendacium est, hoc autem productio argenti & auri; & omnis spiritus non est in eis. Dominus autem in templo sancto suo: sileat à facie eius vniuersa terra*. Sed & alius Propheta dicit: *Dij qui cælum & terram non fecere, pereant à terra, & de his quæ sub cælis sunt*. Item illic: *Hæc dicit Dominus creans cælos, ipse Deus formans terram, & quæ in ea sunt: ipse plastes eius, non in vanum fundauit eam, vt habitaretur creauit eam. Ego Dominus, hoc mihi nomen est, gloriam meam alteri non dabo, neque virtutem meam sculptilibus, quæ ab initio transiere*. Et alibi: *Nunquid sunt in sculptilibus gentium qui pluant?* Et per Isaiam iterum dicit: *Ego primus & nouissimus, & absque me non est Deus, & formator, quem ego non nouerim. Plasta idoli omnes nihil sunt, & amantissima eorum non proderunt eis. Ipsi sunt testes eorum, quia non vident neq; intelligunt, & confundantur in eis: ecce omnes participes eius confundentur. fabri enim sunt ex hominibus. Quis formauit Deum, & sculptile conflauit ad nihil vtile? in prunis & malleis formauit illud, & operatus est in brachio fortitudinis suæ. Similiter & artifex lignarius, in circino tornauit illud, & fecit imaginem viri quasi speciosi hominis habitantis in domo. Succidit lignum, operatus est, fecit sculptile, & adorauit vt Deum. Clauis & malleis compaginauit, vt non dissoluatur. Portata tolluntur, quia incedere non valent: reliquum verò ligni, factum est hominibus in focum, & calefacti sunt. Ex alio verò Deum fecit, & sculptile sibi: curuatur ante illud, & adorauit illud, & obsecrat dicens: Libera me, quia Deus meus es tu. medietatem eius igni combussi, & coxi super carbones eius panes, coxi carnes, & comedi, & de reliquo eius idolum faciam. Ante truncum ligni procidam: pars eius cinis est. Cor insipiens adorauit illud, & non liberauit animam suam: neque dicit, forte mendacium est in dextra mea*. Hæc autem Francorum generatio non intellexit primum, intellexerunt autem postea, sicut sequens Historia narrat.

XI. AVITVS enim vnus ex Senatoribus, & vt valde manifestum est, ciuis Aruernus, cùm Romanum ambisset Imperium, luxuriosè agere volens, à Senatoribus eiectus, apud Placentiam vrbem Episcopus ordinatur. Comperto autem, quòd adhuc indignans Senatus, vita eum priuare vellet, Basilicam sancti Iuliani Aruerni Martyris cum multis muneribus expetiuit: sed impleto in itinere vitæ cursu obiit, delatúsq; ad Briuatensem vicũ, ad pedes antedicti Martyris est sepultus. Cui Martianus successit. In Galliis autem Egidius ex Romanis Magister militum datus est.

XII. CHILDERICVS verò cùm esset nimia in luxuria dissolutus, & regnaret super Francorum gentem, cœpit filias eorum stuprosè detrahere. Illique * ob hoc indignantes, de Regno eum eiiciunt. Comperto autem, quòd eum etiam interficere vellent, Thoringiam petiit, relinquens ibi hominem sibi charum †, qui virorum furentium animos verbis lenibus mollire possit. Dans etiam signum, quando redire possit in patriam. Id est, diuiserunt simul vnum aureum, & vnam quidem partem secum detulit Childericus, aliam verò amicus eius retinuit, dicens: Quando hanc partem tibi misero, partésque coniunctæ vnum effecerint solidum, tunc tu securo animo in patriam repedabis. Abiens ergo in Thoringiam, apud Regem Bisinum vxorémque eius Basinam latuit. Denique Franci hoc eiecto, EGIDIVM sibi, quem superius Magistrum militum à Republica missum diximus, vnanimiter Regem adsciscunt. Qui cùm octauo anno super eos regnaret, amicus ille fidelis, pacatis occultè Francis, nuncios ad Childericum cum parte illa diuisi solidi, quam retinuerat, mittit. Ille verò certa cognoscens indicia, quòd à Francis desideraretur, ipsis etiam rogantibus, à Thoringia regressus, in Regnum suum est restitutus. His ergo regnantibus, simul Basina illa, quam suprà memorauimus, relicto viro suo, ad Childericum venit. Qui cùm sollicitè interrogaret, qua de causa ad eum de tanta regione

* al. illi quoque.
† nomine Viomadum

A venisset, respondisse fertur: Noui, inquit, vtilitatem tuam, quòd sis valde strenuus, ideóque veni vt habitem tecum. Nam noueris, si in transmarinis partibus aliquem cognouissem vtiliorem te, expetissem vtique cohabitationem eius. At ille gaudens, eam sibi in coniugio copulauit. Quæ concipiens, peperit filium, vocauítque nomen eius Chlodoueum. Hic fuit magnus & pugnator egregius. CHILDERICVS.

XIII. APVD Aruernum verò post transitum sancti Artemij, Venerandus è Senatoribus Episcopus ordinatur. Qualis autem fuerit hic Pontifex, testatur Presbyter Paulinus dicens: Si enim hos videas dignos Dominò Sacerdotes, vel Exuperiũ Tholosæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdegalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel Dynamium Ecolismæ, vel Venerandum Aruernis, vel Alethium Cadurcis, vel nunc Pegasium Petrocoriis, vtcunque se habent seculi mala, videbis profectò dignissimos totius fidei religionisque custodes. Hic in ipsa Dominici Natalis vigilia transisse refertur. Mane autem facto, processio solennitatis funeris eius obsequium fuit. Post cuius obitum fœda apud ciues pro Episcopatu intentio * vertebatur. Cúmque partes inter se diuisæ, alium aliúmque eligere vellent, magna conlisio erat populi. Residentibus tamen Episcopis, die Dominico, mulier quædam velata atque deuota Deo, audenter ad eos ingreditur: quæ ait, Audite me, Sacerdotes Domini: scitote enim, quod non est in his beneplacitum Deo, quos hi ad Sacerdotium elegere. Ecce enim Dominus hodie ipse sibi prouidebit Antistitem: itaque nolite conturbare neque conlidere populum, sed patientes estote parumper. Dominus enim nunc diriget, qui regat Ecclesiam hanc. His itaque mirantibus hæc verba, subitò Rusticus nomine, qui erat ex ipsa vrbis Aruernæ diœcesi Presbyter, aduenit. ipse enim iam mulieri per visionem fuerat indicatus. Quo viso, ait: En ipsum, quem elegit Dominus. Ecce qualem vobis Dominus Pontificem destinauit. hic ordinetur Episcopus. Hæc ea loquente, omnis populus cuncta intentione postposita, clamauit, dignum ac iustum esse. Qui in cathedra positus, septimus in eodem loco Pontificatus honorem, populo gaudente, suscepit.

*al. contentio.

B

XIV. APVD vrbem verò Turonicam, defuncto Eustochio Episcopo, septimo decimo sacerdotij sui anno, quintus post beatum Martinum Perpetuus ordinatur. Qui cùm virtutes assiduas ad sepulchrum eius fieri cerneret, Cellulam, quæ super eum fabricata fuerat, videns paruulam, indignam talibus miraculis iudicauit. Qua submota, magnam ibi Basilicam, quæ vsque hodie permanet, fabricauit: quæ habetur à ciuitate passus quingentos quinquaginta. habet in longum pedes centum quinquaginta quinque, in latum sexaginta. habet in altum vsque ad cameram, pedes quadraginta quinque. Fenestras in altario triginta duas, in capso viginti, columnas quadraginta vnam: in toto ædificio, fenestras quinquaginta duas, columnas centum viginti: ostia octo, tria in altario, quinque in capso. Solennitas enim ipsius Basilicæ triplici virtute pollet: id est, dedicatione templi, translatione corporis Sancti, vel ordinatione eius Episcopatus. Hanc enim quarto Nonas Iulias obseruabis: depositionem verò eius tertio Idus Nouembris esse cognoscas. Quòd si fideliter celebraueris, & in præsenti seculo, & in futuro, patrocinia beati Antistitis promereberis. Et quoniam camera Cellulæ illius prioris, eleganti opere fuerat fabricata, indignum duxit Sacerdos, vt opera eius deperirent. sed in honore beatorum Apostolorum Petri & Pauli aliam construxit Basilicam, in qua cameram illam affixit. Multas & alias Basilicas ædificauit, quæ vsque hodie in Christi nomine constant.

C

XV. EO tempore & Basilica beati Symphoriani Augustodunensis Martyris, ab Eufronio Presbytero ædificata est. Et ipse Eufronius, huius deinceps vrbis Episcopatum sortitus est. Hic enim marmor, quod super sanctum sepulchrum beati Martini habetur, cum grandi deuotione transmisit.

XVI. SANCTVS verò Namatius, post obitum Rustici Episcopi, apud Aruernos in diebus illis octauus erat Episcopus. Hic Ecclesiam, quæ nunc constat, & veterrima intra muros ciuitatis habetur, suo studio fabricauit, habentem in longum pedes centum quinquaginta, in latum pedes sexaginta, in altum infra capsum vsque cameram, pedes quinquaginta: in ante absidem rotundam habens, ab vtroque latere ascellas eleganti constructas opere, totúmque ædificium in modum crucis habetur expositum. Habet fenestras quadraginta duas, columnas septuaginta, ostia octo. Terror

CHILDERICVS. namque ibidem Dei, & claritas magna conspicitur: & verè plerunque inibi odor quasi aromatum suauissimus aduenire à religiosis sentitur. Parietes ad altarium opere sarsurio, ex multo marmorum genere exornatos habet. Exacto ergo in duodecimo anno beatus Pontifex ædificio, Bononiam ciuitatem Italiæ Sacerdotes dirigit, vt ei reliquias sanctorum Vitalis & Agricolæ exhibeant, quos pro nomine Christi Dei nostri manifestissimè crucifixos esse cognouimus. A

XVII. CVIVS coniux Basilicam sancti Stephani suburbano murorum ædificauit. Quam cùm fucis colorum adornare vellet, tenebat librum in sinu suo, legens Historias Actionis antiquas, pictoribus indicās quæ in parietibus fingere deberenr. Factum est autem quadam die, vt sedente illa in Basilica, ac legente, adueniret quidam pauper ad orationem: & aspiciens eam in veste nigra, senio iam prouectam, putauit esse vnam de egentibus, protulitque quadram panis, & posuit in sinu eius, & abscessit. Illa verò non dedignans munus pauperis, qui personam eius non intellexit, accepit & gratias egit, reposuitque hanc suis epulis anteponens, & benedictionem ex ea singulis diebus sumens, donec expensa est.

*al. Adouacrius. XVIII. IGITVR Childericus Aurelianis pugnas egit. Odoacrius * verò cum Saxonibus Andegauum venit. Magna tunc lues populum deuastauit. Mortuus est autem Egidius, & reliquit filium Syagrium nomine. Quo defuncto, Odoacrius de Andegauo & aliis locis obsides accepit. Brittanni de Biturica à Gothis expulsi sunt, multis apud Dolensem vicum peremptis. Paulus verò Comes cum Romanis ac Francis, Gothis bella intulit, & prædas egit. Veniente verò Odoacrio Andegauis, Childericus Rex sequenti die aduenit, interemptóque Paulo Comite, ciuitatem obtinuit. Magno ea die incendio domus Ecclesiæ concremata est. B

XIX. HIS ita gestis, inter Saxones & Romanos bellū gestum est. Sed Saxones terga vertentes, multos de suis, Romanis insequentibus, gladio reliquerunt. Insulæ eorum eum multo populo interempto, à Francis captæ atque subuersæ sunt. Eo anno mense nono terra tremuit. Odoacrius cum Childerico fœdus iniit. Alamannósque, qui partem Italiæ peruaserant, subiugarunt.

XX. EORICHVS autem Gothorum Rex Victorium Ducem super septem ciuitates præposuit, anno quartodecimo regni sui. Qui protinus Aruernis adueniens, ciuitatem addere voluit. Vnde & cryptæ illæ vsque hodie perstant, ad Basilicam sancti Iuliani: & columnas, quæ sunt in æde positæ, exhiberi iussit. Basilicam sancti Laurétij & sancti Germani Licaniacensis vici iussit ædificari. Fuit autem Aruernis annis nouem. Super Eucherium verò Senatorem calumnias deuoluit: quem in carcere positum, nocte extrahi iussit, ligatúmque iuxta parietem antiquum, ipsum parietem super eum elidi iussit. Ipse verò dum nimium esset in amore mulierum luxuriosus, & ab Aruernis vereretur interfici, Romam aufugit: ibique similem tentans exercere luxuriam, lapidibus est obrutus. Post cuius excessum regnauit Eorichus annos quatuor. obiit autem anno XXVII. regni sui. Fuit etiam & tunc terræ motus magnus.

XXI. DEFVNCTO autem apud Aruernos Namatio Episcopo, Eparchius successit vir sanctissimus atq; religiosus. Et quia eo tempore Ecclesia paruam infra muros vrbis possessionem habebat, ipsi Sacerdoti in ipso, quod modò *Salutatorium* dicitur, mansio erat, atque ad gratias Deo tempore nocturno reddendas ad altarium Ecclesiæ consurgebat. Factum est autem, vt nocte quadam ingrediens, plenam Ecclesiam dæmonibus reperiret, ipsúmque principem in modum ornatæ mulieris in » throni illius cathedram residentem. Cui ait Pontifex, O meretrix execranda, non » sufficit tibi loca cuncta variis pollutionibus inficere, adhuc & cathedram à Domi» no consecratam fœtida sessionis tuæ accessione coinquinas? Abscede à domo Dei, » ne à te amplius polluatur. Cui ait, Et quia mihi meretricis nomen imponis, mul» tas tibi parabo insidias ob desideria mulierum. Et hæc dicens, sicut fumus euanuit. Veruntamen Sacerdos tentatus est per commotionem corporis ad concupiscentiam: sed signo crucis sanctæ munitus, nihil ei inimicus nocere potuit. Ferunt etiam ipsum in arce Cantobennici montis Monasterium collocasse, vbi nunc Oratorium est, & ibi se diebus Quadragesimæ sanctæ recludere. Die autem Cœnæ Dominicę, cum magno psallentio comitantibus Clericis, ciuibúsque, ad Ecclesiā suam reuertebatur. Quo migrante, Sidonius ex Præfecto substituitur, vir C

A secundum seculi dignitatem nobilissimus, & de primis Galliarum Senatoribus: CHILDERICVS.
ita vt filiam sibi Auiti Imperatoris in matrimonio sociaret. Huius tempore, cùm adhuc apud vrbem Aruernam Victorius (cuius suprà meminimus) moraretur, fuit in Monasterio beati Cyriaci, vrbis ipsius Abbas, Abraham nomine: qui fide atque operibus Abrahæ illius prioris refulgebat, sicut in libro vitæ eius scripsimus.

XXII. SANCTVS verò Sidonius tantæ facundiæ erat, vt plerumque ex improuiso luculentissimè quæ voluisset, nulla obsistente mora, componeret. Contigit autem quadam die, vt ad festiuitatem Basilicæ Monasterij, cuius suprà meminimus, inuitatus accederet: ablatóque sibi nequiter libello, per quem sacrosancta solemnia agere consueuerat, ita paratus à tempore cunctum festiuitatis opus explicuit, vt ab omnibus miraretur, nec putaretur ab adstantibus ibidem hominem locutum fuisse, sed Angelum. Quod in præfatione libri, quem de Missis ab eo compositis coniunximus, pleniùs declarauimus. Cùm autem esset magnificæ sanctitatis, atque (vt diximus) ex Senatoribus primis, plerumque nesciente coniuge, vasa argentea auferebat à domo, & pauperibus erogabat. Quod illa cùm cognosceret, scandalizabatur in eum: sed tamen dato egenis precio, species domi restituebat.

XXIII. CVMQVE ad Officium Dominicum fuisset mancipatus, & sanctam ageret in seculo vitam, surrexere contra eum duo Presbyteri, & ablata ei omni potestate à rebus Ecclesiæ, arctum ei victum & tenuem relinquentes, ad summam eum contumeliam redegere. Sed non longi temporis spacio inultam eius iniuriam diuina voluit sustinere clementia. Nam vnus ex his nequissimis & indignis dici Presbyteris, cùm ante noctem minatus fuisset eum de Ecclesia vel extrahere, signum ad Matutinas audiens fuisse commotum, feruens felle cõtra sanctum Dei surrexit, hoc iniquo corde explere cogitans, quod die præcedente tractauerat. Ingressus autem in secessum suum, dum ventrem purgare nititur, spiritum exhalauit. Expectabat enim puer à foris cum cereo dominum egressurum. Iámque aduenerat lux, & satelles eius, id est alius Presbyter, mittit nuncium, dicens: Veni, ne tardaueris, vt quæ nobis die hesterna conuenerant, pariter expleamus. Sed cùm responsa dare differret exanimis, eleuato puer velo ostij, reperit dominum super cellulam secessus defunctum. Vnde indubitatum est, non minoris criminis hunc reum esse, quàm Arrium illum, cui similiter in secessu fuere interna deposita per partes inferiores egesta: quia nec istud sine hæresi potest accipi, vt in Ecclesia non obediatur Sacerdoti Dei, cui ad pascendum oues commissæ sunt: & ille se ingerat potestati, cui neque à Deo, neque ab hominibus aliquid est commissum. Dehinc beatus Sacerdos, vno adhuc manente nihilominus inimico, suæ restituitur potestati. Factum est autem post hæc, vt accedente febre ægrotare cœpisset. Cui rogat suos, vt eum in Ecclesiam ferrent. Cúmque illuc inlatus fuisset, conueniebat ad eum multitudo virorum ac mulierum, simúlque etiam & infantium plangentium atque dicentium: Cur nos deseris Pastor bone, vel cui nos quasi orphanos derelinquis? Nunquid erit nobis post transitum tuum vita? nunquid erit postmodum qui nos sapientiæ sale sic condiat? aut ad Dominici nominis timorem talis prudentiæ ratione redarguat? Hæc & his similia, populis cum magno fletu dicentibus, tandem Sacerdos Spiritu in se sancto influente respondit: Nolite timere ô populi, ecce frater meus Aprunculus viuit, & ipse erit Sacerdos vester. Qui non intelligentes, putabant eum loqui aliquid in extasi. Quo migrante, Presbyter ille nequam, alter ex duobus qui remanserat, protinus omnem facultatem Ecclesiæ, tanquam si iam Episcopus esset, inhians cupiditate, præoccupat, dicens: Tandem respexit in me Deus, cognoscens me iustiorem esse Sidonio, largitúsque est mihi hanc potestatem. Cúmque per totam vrbem superbus ferretur, adueniente die Dominico, qui imminebat post transitum sancti viri, præparato epulo, iussit cunctos ciues in domo Ecclesiæ inuitari: despectisque senioribus, primus recumbit in toro. Cui oblato pincerna poculo ait: Domine mi, vidi somnium, quod si permittis edicam. Videbam hac nocte Dominica, & ecce erat domus magna, & in domo erat thronus positus, in quo quasi iudex residebat, cunctis potestate præstantior: cui adsistebant multi Sacerdotum in albis vestibus, sed & promiscuæ populorum turbæ

CHILDERICVS. valde innumerabiles. Verùm cùm hæc trepidus contemplarer, conspicio eminus inter eos beatum adstare Sidonium, & cum Presbytero illo tibi charissimo, A
» qui ante hos paucos annos de hoc mundo migrauit, adtentè litigantem. Quo de-
» uicto, iubet Rex vt in imis carceris angustiis retrudatur. Ablatóque isto, con-
» tra te iterum suggerit, dicens: Te in eo scelere propter quod ille prior damna-
» tus fuerat, fuisse participem. Verùm vbi iudex, quem ad te transmitteret, sol-
» licitè cœpit inquirere, ego me inter reliquos occulere cœpi, & à tergo statui,
» tractans apud memetipsum, ne fortè ego, qui notus sum homini, mittar. Dum
» hæc mecum tacitus voluerem, amotis omnibus remansi solus in publico: vo-
» catúsque à iudice, propiùs accedo. Cuius virtutem atque splendorem contuens,
» cœpi hebes effectus, titubare præ metu. Et ille, Ne timeas puer, inquit: sed va-
» de, dic Presbytero illi: Veni ad respondendam causam, quia Sidonius te accer-
» siri deprecatus est. Tu verò ne moram facias ad eundum, quia sub grandi testi-
» ficatione mihi præcepit Rex ille tibi hæc loqui, dicens, Si tacueris, morte pessi-
» ma morieris. Hæc eo loquente, exterritus Presbyter, elapso de manu calice, reddidit spiritum. Ac de recubitu ablatus, mortuus sepulturæ mandatus est, possessurus infernum cum satellite suo. Tale iudicium super contumaces Clericos Dominus in hunc prætulit mundum, vt vnus Arrij sortiretur mortem, alius tanquam Simon Magus, Apostoli sancti oratione ab excelsa arce superbiæ præceps allideretur. Qui non ambiguntur pariter possidere tartarum, qui simul egerunt nequiter contra sanctum Episcopum suum. B Interea cùm iam terror Francorum resonaret in his partibus, & omnes eos amore desiderabili cuperent regnare, sanctus Aprunculus Lingonicæ ciuitatis Episcopus, apud Burgundiones cœpit haberi suspectus. Cúmque odium de die in diem cresceret, iussum est vt clam gladio feriretur. Quo ad eum perlato nuncio, nocte à castro Diuionensi per murum demissus, Aruernos aduenit, ibique iuxta verbum Domini, quod posuit in ore sancti Sidonij, vndecimus datur Episcopus.

XXIV. SED tempore Sidonij Episcopi, magna Burgundiam fames oppressit. Cúmque populi per diuersas regiones dispergerentur, nec esset vllus qui pauperibus alimoniam largiretur, Ecdicius quidam ex Senatoribus huius propinquus, magnam tunc rem in Deo confisus fecisse perhibetur. Nam inualescente fame, misit pueros suos cum equis & plaustris, per vicinas sibi ciuitates, vt eos qui hac inopia vexabantur, sibi adducerent. At illi euntes, cunctos pauperes quotquot inuenire potuerunt, adduxere ad domos eius. Ibique eos per omne tempus sterilitatis pascens, ab interitu famis exemit. Fuerúntque (vt multi aiunt) amplius quàm quatuor milia promiscui sexus. Adueniente autem vbertate, ordinata iterum euectione, vnumquemque in loco suo restituit. Post quo-
» rum discessum, vox ad eum è cœlis lapsa peruenit, dicens: Ecdici, Ecdici, quia
» fecisti rem hanc, tibi & semini tuo panis non deerit in sempiternum, eo quòd
» obedieris verbis meis, & famem meam refectione pauperum satiaueris. C Quem Ecdicium miræ velocitatis fuisse, multi commemorant. Nam quadam vice multitudinem Gothorum cum decem viris fugasse perscribitur. Sed & sanctus Patiens Lugdunensis Episcopus, simile huic in ipsa fame populis præstitisse perhibetur beneficium. Extat enim hodiéque apud nos beati Sidonij Episcopi Epistola, in qua eum declamatoriè conlaudauit.

XXV. HVIVS tempore & Euarix Rex Gothorum, excedens Hispanum limitem, grauem in Galliis super Christianos intulit persecutionem. Truncabat passim peruersitati suæ non consentientes, Clericos carceribus subigebat: Sacerdotes verò, alios dabat exilio, alios gladio trucidabat. Nam & ipsos sacrorum templorum aditus spinis iusserat obserari, scilicet vt raritas ingrediendi, obliuionem faceret fidei. Maximè tunc Nouempopulanæ geminæque Germaniæ* vrbes, ab hac tempestate depopulatæ sunt. Extat hodiéque & pro hac causa ad Basilium Episcopum nobilis Sidonij ipsius Epistola, quæ hæc ita loquitur. Sed persecutor non post multum tempus, vltione diuina percussus interiit.

* Aquitaniæ, leg. putat Papyr. Mass. in Hist. Calam. Galliæ.

XXVI. POST hæc beatus Perpetuus Turonicæ ciuitatis Episcopus, impletis triginta in Episcopatu annis, in pace quieuit. In cuius loco Volusianus vnus ex Senatoribus, subrogatus est. Sed à Gothis suspectus habitus, Episcopatus sui anno septimo, in Hispanias est quasi captiuus abductus, sed protinus vitam finiuit.

A In cuius loco Verus succedens, septimus post beatum Martinum ordinatur Episcopus.

XXVII. His ita gestis, mortuo Childerico, regnauit CHLODOVEVS* filius eius pro eo. Anno autem quinto regni eius, Siagrius Romanorum Rex, Egidij filius, ad ciuitatem Suessionas, quam quondam suprà memoratus Egidius tenuerat, sedem habebat. Super quem Chlodoueus cum Ragnachario* parente suo, qui & ipse Regnum tenebat, veniens, campum vt pugnaret præparari sibi deposcit. Sed nec iste distulit, ac resistere metuit. Itaque inter se vtrisque pugnantibus, Siagrius elisum cernens exercitum, terga vertit, & ad Alaricum Regem, Tholosam cursu veloci perlabitur. Chlodoueus verò ad Alaricum mittit, vt eum redderet: alioquin nouerit, sibi bellum ob eius retentionem inferri. At ille metuens, ne propter eum iram Francorum incurreret (vt Gothorum pauere mos est) vinctum Legatis tradidit. Quem Chlodoueus receptum, custodiæ mancipari præcepit: Regnóque eius accepto, eum gladio clam feriri mandauit. Eo tempore multæ Ecclesiæ à Chlodouei exercitu deprædatæ sunt, quia erat ille adhuc fanaticis erroribus inuolutus. Igitur de quadam Ecclesia vrceum miræ magnitudinis ac pulchritudinis hostes abstulerant, cum reliquis Ecclesiastici ministerij ornamentis. Episcopus autem Ecclesiæ illius, missos ad Regem direxit, poscens vt si aliud de sacris vasis recipere non mereretur, saltem vel vrceum Ecclesia sua reciperet. Hæc audiens Rex, ait nuncio; Sequere nos vsque Suessio- "
B nas, quia ibi cuncta quæ acquisita sunt, diuidenda erunt. Cúmque mihi vas il- "
lud sors dederit, quæ Papa poscit, adimpleam. Dehinc adueniens Suessionas, "
cuncto onere prædæ in medium posito, ait Rex: Rogo vos, ô fortissimi prælia- "
tores, vt saltem mihi vas istud (hoc enim de vrceo suprà memorato dicebat) ex- "
tra partem concedere non abnuatis. Hæc Rege dicente, illi, quorum erat mens "
sanior, aiunt: Omnia, gloriose Rex, quæ cernimus, tua sunt: sed & nosipsi tuo "
sumus dominio subiugati. Nunc quod tibi beneplacitum videtur, facito. nullus "
enim potestati tuæ resistere valet. Cùm illi hæc ita dixissent, vnus Francus leuis, "
inuidus, ac cerebrosus, cum voce magna, eleuatam bipennim vrceo impulit, dicens: Nihil hinc accipies, nisi quæ tibi sors vera largitur. Ad hæc obstupefa- "
ctis omnibus, Rex iniuriam suam patientiæ lenitate coercuit: acceptúmque vrceum nuncio Ecclesiastico reddidit, seruans abditum sub pectore vulnus. Transacto verò anno, iussit omnem cum armorum apparatu aduenire phalangam, ostensuram in campo Martio suorum armorum nitorem. Verùm vbi cunctos circuire deliberat, venit ad vrcei percussorem, cui ait: Nullus tam inculta, vt tu, detu- "
lit arma. nam neque tibi hasta, neque gladius, neque bipennis est vtilis. Et ad- "
prehensam bipennim eius in terram deiecit. At ille cùm paululum inclinatus fuisset ad colligendum eam, Rex eleuatis manibus, bipennim suam capiti eius defixit. Sic, inquit, tu apud Suessionas in vrceo illo fecisti. Quo mortuo, reliquos "
abscedere iubet. Magnum sibi per hanc causam timorem statuens. Multa deinde
C bella, victoriásque fecit. Nam decimo regni sui anno, Thoringis bellum intulit, eosdémque suis ditionibus subugauit.

XXVIII. FVIT autem & Gundivicus* Rex Burgundionum, ex genere Athanarici Regis persecutoris, de quo suprà meminimus. Huic fuerunt quatuor filij, Gundobadus*, Godegisilus, Hilpericus, & Godomarus. Igitur Gundobadus Hilpericum fratrem suum interfecit gladio, vxorémque eius ligato ad collum lapide, aquis immersit. Huius duas filias exilio condemnauit: quarum senior, mutata veste Mucuruna*, iunior Chrotildis* vocabatur. Porrò Chlodoueus, dū Legationem in Burgundiam sæpiùs mittit, Chrothildis puella reperitur à Legatis eius. Qui cùm eam vidissent elegantem atque sapientem, & cognouissent quòd de regio esset genere, nunciauerunt hæc Chlodoueo Regi. Nec moratus ille, ad Gundobadum Legationem dirigit, eam sibi in matrimonio petens. Quod ille recusare metuens, tradidit eam viris: illíque accipientes puellam, Regi velociùs repræsentant. Qua visa, Rex valde gauisus, suo eam coniugio sociauit, habens iam de concubina filium nomine THEODORICVM.

XXIX. IGITVR ex Chrothilde Regina habuit filium primogenitum. Quem cùm mulier baptismo consecrare vellet, prædicabat assiduè viro dicens: Nihil "
sunt Dij quos colitis, qui neque sibi, neque aliis poterunt subuenire. Sunt enim "

CHLODOVEVS I.
* al. Hludouuicus
* al. Ragenhario
* Gundeuchus
* Gundobaldus,
* al. Chrona, & Corona.
* Hrodhildis

CHLODOVEVS I.

aut ex lapide, aut ex ligno, aut ex metallo aliquo sculpti. Nomina verò quæ eis indidistis, homines fuere, non dij. Vt Saturnus, qui filio ne à Regno depelleretur, per fugam elapsus adseritur. Vt ipse Iupiter, omnium stuprorum spurcissimus perpetrator, incestator virorum, propinquarum derisor, qui nec ab ipsius sororis propriæ potuit abstinere concubitu, vt ipsa ait: Iouisque & soror & coniunx. Quid Mars Mercuriúsque potuere, qui potiùs sunt magicis artibus præditi, quàm diuini numinis potentiam habuere? Sed ille magis coli debet, qui cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, verbo ex non extantibus procreauit. Qui Solem lucere fecit, & cœlum stellis ornauit. Qui aquas reptilibus, terras animantibus, aëra volatilibus adimpleuit. Cuius nutu terræ frugibus, pomis arbores, vuis vineæ decorantur. Cuius manu genus humanum creatum est. Cuius largitione ipsa illa creatura omnis homini suo, quem creauit, & obsequio & beneficio famulatur. Sed cùm hæc Regina diceret, nullatenus ad credendum Regis animus mouebatur. sed dicebat: Deorum nostrorum iussione, cuncta creantur ac prodeunt. Deus verò vester nihil posse manifestatur, & quod magis est, nec de Deorum genere esse probatur. Interea Regina fidelis filium ad baptismum exhibet: adornari Ecclesiam velis præcipit atque curtinis, quo faciliùs vel hoc mysterio prouocaretur ad credendum, qui flecti prædicatione non poterat. Baptizatus autem puer, quem INGOMEREM vocitauerunt, in ipsis sicut regeneratus fuerat albis obiit. Qua de causa commotus felle Rex, non segniter increpabat Reginam, dicens; Si in nomine Deorum meorum puer fuisset dicatus, vixisset vtique: nunc autem quia in nomine Dei vestri baptizatus est, viuere omninò non potuit. Ad hæc Regina, Deo, inquit, omnipotenti creatori omnium gratias ago, qui me non vsquequaque iudicauit indignam, vt de vtero meo genitum regno suo dignaretur adscire. Mihi autem dolore huius causæ animus non adtingitur, quia scio in albis ab hoc mundo vocatum, Dei obtutibus nutriendum. Post hunc verò genuit alium filium, quem baptizatum CHLODOMEREM vocauit. Et hic cùm ægrotare cœpisset, dicebat Rex: Non potest aliud fieri, nisi & de hoc, sicut & de fratre eius, contingat, vt baptizatus in nomine Christi vestri, protinus moriatur. Sed orante matre, Domino iubente conualuit.

XXX. REGINA verò non cessabat prædicare, vt Deum verum cognosceret, & idola negligeret. Sed nullo modo ad hæc credenda poterat commoueri, donec tandem aliquando bellum contra Alamannos commoueretur: in quo compulsus est confiteri necessitate, quod priùs voluntate negauerat. Factum est autem, vt confligente vtroque exercitu, vehementer cæderentur: atque exercitus Chlodouei valde ad internecionem ruere cœpit. Quod ille videns, eleuatis ad cœlum oculis, compunctus corde, commotus in lachrymis ait: Iesu Christe, quem Chrothildis prædicat esse filium Dei viui, qui dare auxilium laborantibus, victoriámque in te sperantibus tribuere diceris, tuæ opis gloriam deuotus efflagito: vt si mihi victoriam super hos hostes indulseris, & expertus fuero illam virtutem, quam de te populus tuo nomini dicatus probasse se prædicat, credam tibi, & in nomine tuo baptizer. Inuocaui enim Deos meos, sed vt experior, elongati sunt ab auxilio meo: vnde credo eos nullius esse potestatis præditos, qui sibi obedientibus non succurrunt. Te nunc inuoco, & tibi credere desidero, tantum, vt eruar ab aduersariis meis. Cúmque hæc diceret, Alamanni terga vertentes, in fugam labi cœperunt. Cúmque Regem suum cernerent interemptum, Chlodouei se ditionibus subdunt, dicentes: Ne amplius, quæsumus, pereat populus: iam tui sumus. At ille prohibito bello, coarctatóque populo, cum pace regressus, narrauit Reginæ qualiter per inuocationem nominis Christi victoriam meruit obtinere. Actum anno XV. regni sui.

XXXI. TVNC Regina accersiri clam sanctum Remigium Remensis vrbis Episcopum iubet, deprecans vt Regi verbum salutis insinuaret. Quem Sacerdos accersitum, secretiùs cœpit instigare, vt Deum verum factorem cœli & terræ crederet, idola negligeret, quæ neque sibi, neque aliis prodesse possunt. At ille ait: Libenter te, sanctissime Pater, audiam. sed restat vnum, quod populus, qui me sequitur, non patitur relinquere Deos suos. Sed vado, & loquor eis iuxta verbum tuum. Conueniens autem cum suis, priusquàm ille loqueretur, præcurrente potentia Dei, omnis populus pariter adclamauit: Mortales Deos abigimus,

A pie Rex, & Deum, quem Remigius prædicat, immortalem sequi parati sumus. Nunciantur hæc Antistiti, qui gaudio magno repletus, iussit lauacrum præparari. Velis depictis adumbrantur plateæ Ecclesiæ, curtinis albentibus adornantur, baptisterium componitur, balsama diffunditur, micant flagrantes odore cerei, totúmque Templum baptisterij diuino respargitur ab odore. Talémque ibi gratiam adstantibus Deus tribuit, vt æstimarent se Paradisi odoribus conlocari. Rex ergo prior poposcit se à Pontifice baptizari. Procedit nouus Constantinus ad lauacrum, deleturus lepræ veteris morbum, sordentésque maculas gestorum antiquorum recenti latice deleturus. Cui ingresso ad baptismum, sanctus Dei sic infit ore facundo: Mitis depone colla Sicamber, adora quod incendisti, incende quod adorasti. Erat enim sanctus Remigius Episcopus egregiæ scientiæ, & Rhetoricis adprimè imbutus studiis: sed & sanctitate ita prælatus, vt Siluestri virtutibus æquaretur. Est enim nunc Liber vitæ eius, qui eum narrat mortuum suscitasse. Igitur Rex omnipotentem Deum in Trinitate confessus, baptizatus est in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, delibutúsque sacro chrismate cum signaculo crucis Christi. De exercitu verò eius baptizati sunt amplius tria millia. Baptizata est & soror eius ALBOFLEDIS, quæ non post multum tempus migrauit ad Dominum. Pro qua cùm Rex contristaretur, sanctus Remigius consolatoriam misit Epistolam, quæ hoc modo sumpsit exordium: Angit me, & satis me B angit vestræ causa tristitiæ, quòd bonæ memoriæ germana vestra transiit Albofledis. Sed de hac re consolari possumus, quia talis de hoc mundo migrauit, vt suspici magis debeat quàm lugeri. Conuersa est enim & alia soror eius LANTHILDIS nomine, quæ in hæresim Arrianorum dilapsa fuerat, quæ confessa æqualem Filium Patri, & Spiritui sancto, chrismata est.

XXXII. TVNC Gundobadus & Godegisilus fratres, Regnum circa Rhodanum aut Ararim cum Massiliensi Prouincia retinebant. Erant autem tam illi quàm populi eorum, Arrianæ sectæ subiecti. Cúmque se inuicem impugnarent, audiens Godegisilus Chlodouei Regis victorias, misit ad eum Legationem occultè, dicens: Si mihi ad persequendum fratrem meum præbueris auxilium, vt eum bello interficere, aut de Regno eiicere possim, tributum tibi quale tu ipse velis iniungere, annis singulis dissoluam. Quod ille libenter accipiens, auxilium ei vbicumque necessitas posceret, repromisit. Et statuto tempore contra Gundobadum exercitum commouit. Quo audito, Gundobadus ignorans dolum fratris, misit ad eum, dicens: Veni in adiutorium meum, quia Franci se commouent contra nos, & regionem nostram adeunt vt eam capiant. Ideóque simus vnanimes aduersus gentem inimicam nobis, ne separati inuicem, quod aliæ gentes passæ sunt, perferamus. At ille, Vadam, inquit, cum exercitu meo, & tibi auxilium præbebo. Mouentésque simul hi tres exercitum, id est Chlodoueus C contra Gundobadum, & Godegisilus cum omni instrumento belli, ad castrum cui Diuione nomen est, peruenerunt. Confligentésque super Oscaram fluuium, Godegisilus Chlodoueo coniungitur, ac vterque exercitus Gundobadi populum atterit. At ille dolum fratris, quem non suspicabatur, aduertens, terga dedit, fugámque iniit, Rhodanitidésque ripas percurrens, Auenionem vrbem ingreditur. Godegisilus verò obtenta victoria, promissa Chlodoueo aliqua parte Regni sui, cum pace discessit; Viennámque triumphans, tanquam si iam totum possideret Regnum, ingreditur. Auctis adhuc Chlodoueus Rex viribus, post Gundobadum abiit, vt eum de ciuitate extractum interimeret. Quod ille audiens, pauore perterritus, metuebat ne ei mors repentina succederet. Habebat tamen secum virum inlustrem Aredium, strenuum atque sapientem, ad quem ad se accersitum ait; Vallant me vndique angustiæ, & quid faciam ignoro, quia venerunt hi Barbari super nos, vt nobis interemptis regionem totam euertant. Ad hæc Aredius ait, Oportet te lenire feritatem hominis huius, ne pereas. Nunc ergo, si placet in oculis tuis, ego à te fugere, & ad eum transire consimulo. Cúmque ad eum accessero, ego faciam vt neque te, neque hanc euertat regionem. Tantum, vt quod tibi per meum consilium demandauerit, implere studeas, donec causam tuam Dominus prosperam facere sua pietate dignetur. Et ille, Faciam, inquit, quæcumque mandaueris. Hæc eo dicente, vale dicens, Aredius discessit: & ad Chlodoueum regem abiens, ait, Ecce ego humilis seruus tuus, piis-

CHLODOVEVS I. sime Rex, ad tuam potentiam venio, relinquens illum miserrimum Gundobadum. A Quia si me pietas tua recipere * dignatur, integrum in me famulum atque fidelem, & tu & posteri tui habebitis. Quem ille promptissimè colligens, secum retinuit. Erat enim iocundus in fabulis, strenuus in consiliis, iustus in iudiciis, & in commisso fidelis. Denique Chlodoueo cum omni exercitu circa muros vrbis residente, ait Aredius: Si dignanter, ô Rex, gloria celsitudinis tuæ paucos humilitatis meæ sermones velit accipere, consilio licèt non egeatis, tamen fide integra ministrabo: idémque vel tibi congruum, vel ciuitatibus erit, per quas transire deliberas. Cur, inquit, retines exercitum, cùm loco firmissimo tuus resideat inimicus? Depopularis agros, prata depascis, vineas dissipas *, olineta succidis, omnésque regionis fructus euertis. Interim & illi nocere nihil præuales. Mitte potius Legationem, & tributum, quod tibi annis singulis dissoluat, impone: vt & regio salua sit, & tu tributa dissoluenti perpetuo domineris. Quòd si noluerit, tunc quod libuerit facies. Quo consilio Rex accepto, hostem patriæ redire iubet ad propria. Tunc missa Legatione ad Gundobadum, vt ei per singulos annos tributa imposita reddere debeat, iubet. At ille & de præsenti soluit, & deinceps soluturum esse se promittit.

* al. respicere

* al. desecas

XXXIII. POST hæc resumptis viribus, iam despiciens Regi Chlodoueo tributa promissa dissoluere, contra Godegisilum fratrem suum exercitum commouit, cúmque apud Viennam ciuitatem inclusum obsedit. Verùm vbi minori populo B alimenta deficere cœperunt, timens Godegisilus, ne ad se vsque fames extenderetur, iussit minores ab vrbe populos expelli. Quo facto, expulsus est inter ceteros artifex ille ab vrbe, cui de aquæductu cura manebat. Ille verò indignans, quòd fuerat eiectus ab vrbe cum ceteris, ad Gundobadum furibundus vadit, indicans qualiter ciuitatem inrumpens, vltionem exerceret in fratrem. Illo quoque duce, exercitu per aquæductum directo, multis cum ferreis vectibus præcedentibus (erat autem spiraculum illius lapide magno conclusum) quo cum vectibus illis per magisterium artificis repulso, ciuitatem introeunt: illisque de muro sagittantibus, hi terga præueniunt. Dato autem de medio ciuitatis sono buccinæ, obsidentes portas capiunt, apertisque pariter ingrediuntur. Cúmque inter duas has acies populus vrbis ab vtroque exercitu cæderetur, Godegisilus ad Ecclesiam hæreticorum confugit, ibique cum Episcopo Arriano interfectus est. Denique Franci, qui apud Godegisilum erant, in vnam se turrim congregant. Gundobadus autem iussit, ne vni quidem ex ipsis aliquid noceretur, sed adprehensos eos Tolosæ in exilium ad Alaricum Regem transmisit, interfectis Senatoribus Burgundionibúsque qui Godegisilo consenserant. Ipse verò regionem omnem, quæ nunc BVRGVNDIA dicitur, in suo dominio restaurauit. Burgundionibus leges mitiores instituit, ne Romanos opprimerent.

XXXIV. CVM autem cognouisset assertiones hæreticorum nihil esse, à sancto Auito Episcopo Viennensi, Christum Filium Dei, & Spiritum sanctum æqualem Patri confessus, clam vt chrismaretur expetiit. Cui ait Sacerdos; Si verè credis hoc, quod nos ipse Dominus edocuit, exequere. Ait autem; *Si quis me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui est in cælis. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui est in cælis.* Sic & ipsis sanctis ac dilectis suis beatis Apostolis, cùm de futuræ persecutionis tentationibus doceret, insinuauit, dicens: *Adtendite vobis ab hominibus, tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ante Reges & Præsides stabitis propter me in testimonium illis & gentibus.* Tu verò cùm sis Rex, & à nullo adprehendi formides, seditionem pauescis populi, ne Creatorem omnium in publico fatearis. Relinque hanc stultitiam, & quod corde te dicis credere, ore profer in plebe. Sic etenim & beatus Apostolus ait: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sic & Propheta ait: *Confitebor tibi Domine in Ecclesia magna, in populo graui laudabo te.* Et iterum: *Confitebor tibi in populis Domine, Psalmum dicam nomini tuo inter gentes.* Metuens enim populum, ô Rex, ignoras quia satius est vt populus sequatur fidem tuam, quàm tu infirmitati faueas populari? Tu enim es caput populi, non populus caput tuum. Si enim ad bellum proficiscaris, tu præcedis cateruas hostium, & illæ quò abieris, subsequuntur. Vnde melius est, vt te præcedente cognoscant veritatem, quàm te C

pereunte

A pereunte permaneant in errore. Nam Deus non irridetur. Nec enim diligit illum, qui propter terrenum regnum, eum non confitetur in seculo. Ista ille ratione confusus, vsque ad exitum vitæ suæ in hac insania perdurauit, nec publicè æqualitatem Trinitatis voluit confiteri. Magnæ enim facundiæ erat tunc temporis beatus Auitus. Námque insurgente hæresi apud vrbem Constantinopolitanam, tam illa quam Eutychus, quàm illa quam Sabellius docuit, id est nihil diuinitatis habuisse Dominum nostrum Iesum Christum: rogante Gundobado Rege, ipse contra eas scripsit. Extant exinde nunc apud nos Epistolæ admirabiles, quæ sicut tunc hæresim oppresserunt, ita nunc Ecclesiam Dei ædificant. Scripsit enim Homiliarum librum vnum, de Mundi principio, & de diuersis aliis conditionibus libros sex versu compaginatos: Epistolarum libros nouem, inter quas supradictæ continentur Epistolæ: referens * in quadam homilia, quam de Rogationibus scripsit, has ipsas Rogationes, quas ante Ascensionis Dominicæ triumphum celebramus, à Mamerto ipsius Viennensis vrbis Episcopo, cui & hic eo tempore præerat, institutas fuisse, dum vrbs illa multis terreretur prodigiis. Nam terræ motu frequenter quatiebatur: sed & ceruorum atque luporum feritas, portas ingressa, per totam, (vt scripsit) vrbem, nihil metuens oberrabat. Cúmque hæc per anni circulum gererentur, aduenientibus Paschalis solemnitatis diebus, expectabat misericordiam Dei plebs tota deuotè, vt vel hic magnæ solemnitatis dies huic terrori terminum daret. Sed in ipsa gloriosæ noctis vigi- B lia, dum Missarum celebrarentur solemnia, subitò Palatium regale intramuraneum diuino igne succenditur, pauore omnibus perterritis, & Ecclesiam egressis, credentibus, ne aut hoc incendio vrbs tota consumeretur, aut certè disrupta tellure dehisceret; sanctus Sacerdos prostratus ante altare, cum gemitu & lachrymis, Domini misericordiam imprecatur. Quid plura? penetrauit excelsa poli oratio Pontificis inclyti, restinxitque domus incendium flumen profluentium lachrymarum. Cúmque hæc agerentur, adpropinquante Ascensione, (vt iam diximus) maiestatis Dominicæ, indixit populis ieiunium, instituit orandi modum, edendi seriem, erogandi hilarem dispensationem. Cessantibus quoque exinde terroribus, per cunctas Prouincias dispersa facti fama, cunctos Sacerdotes imitari commonuit quod Sacerdos fecit ex fide. Quæ vsque nunc in Christi nomine, per omnes Ecclesias in compunctione cordis & contritione spiritus celebratur.

* al. refert enim in

XXXV. IGITVR Alaricus Rex Gothorum, cùm videret Chlodoueum Regem gentes assiduè debellare, Legatos ad eum dirigit, dicens: Si frater meus vellet, « insideret animo, vt nos Deo propitio pariter videremus. Quod Chlodoueus non « respuens, ad eum venit. Coniunctique in insula Ligeris, quæ erat iuxta vicum Ambaciensem territorij vrbis Turonicæ, simul locuti, comedentes pariter ac bibentes, promissa sibi amicitia pacifici discesserunt.

XXXVI. MVLTI iam tunc ex Galliis habere Francos dominos summo deside- C rio cupiebant. Vnde factum est, vt Quintianus Rutenorum Episcopus, per hoc odium ab vrbe depelleretur. Dicebant enim ei: Quia desideriũ tuum est, vt Fran- « corũ dominatio possideat terram hanc. Post dies autem paucos, orto inter eum & « ciues scandalo, Gothos, qui in hac vrbe morabantur, suspicio attigit exprobrantibus ciuibus, quòd velit se Francorum ditionibus subiugare. Consilióque accepto, cogitauerunt eum perfodere gladio. Quod cum viro Dei nunciatum fuisset, de nocte consurgens cum fidelissimis ministris suis, ab vrbe Rutena egrediens, Aruernis aduenit. Ibique à sancto Eufrasio Episcopo, qui quondam Aprunculo Diuionensi successerat, benignè susceptus est: largitisque ei tam domibus quàm agris & vineis, secum retinuit, dicens; Sufficit huius facultas Ecclesiæ vt vtrum- « que sustineat: tantum charitas, quam beatus Apostolus prædicat, permaneat in- « ter Sacerdotes Dei. Sed & Lugdunensis Episcopus largitus est ei aliqua posses- « sionis Ecclesiæ suæ, quam in Aruerno habebat. Reliqua verò de sancto Quintiano, tam insidiæ quas pertulit, quàm illa quæ per eum Dominus operari dignatus est, scripta sunt in libro Vitæ eius.

XXXVII. IGITVR Chlodoueus Rex ait suis: Valde molestè fero, quòd hi Ar- « riani partem teneant Galliarum. Eamus cum Dei adiutorio, & superatis redigã- « mus terram in ditionem nostram. Cúmque placuisset omnibus hic sermo, com- «

CHLODOVEVS I.

moto exercitu Pictauos dirigit. ibi tunc Alaricus commorabatur. Sed quoniam pars hostium per territorium Turonicum transibat, pro reuerentia beati Martini dedit edictum, vt nullus de regione illa aliud quàm herbarum alimenta aquámque præsumeret. Quidam autem de exercitu, inuento cuiusdam pauperis fœno, ait, Nónne Rex herbam tantum præsumi mandauit, & nihil aliud? Et hoc, inquit, herba est. Non enim erimus transgressores præcepti eius, si eam præsumimus. Cúmque vim faciens pauperi, fœnum virtute tulisset*, factum peruenit ad Regem. Quo dicto citiùs gladio perempto, ait, Et vbi erit spes victoriæ, si beatus Martinus offenditur? Satisque fuit exercitui, nihil vlterius ab hac regione præsumere. Ipse verò Rex direxit nuncios ad beatam Basilicam, dicens; Ite, & forsitan aliquod victoriæ auspicium ab æde sancta suscipietis. Tunc datis muneribus, quæ loco sancto exhiberent, ait; Si tu Dominus mihi adiutor es, & gentem hanc incredulam, sempérque æmulam tibi, meis manibus tradere decreuisti, in ingressu Basilicæ sancti Martini dignare propitius reuelare, vt cognoscam, quia propitius dignaberis esse famulo tuo. Maturantibus autem pueris, & ad locum accedentibus, iuxta imperium Regis, dum sanctam ingrederentur Basilicam, hanc Antiphonam ex improuiso Primicerius qui erat, imposuit: *Præcinxisti me Domine virtute ad bellum: supplantasti insurgentes in me subtus me, & inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti.* Quod psallentium audientes, Domino gratias agentes, & vota beato Confessori promittentes, læti nuntiauerunt Regi. Porrò ille cùm ad fluuium Vigennam cum exercitu aduenisset, per quem locum transire deberet, penitus ignorabat. Intumuerat enim ab inundatione pluuiarum. Cúmque illa nocte Dominum deprecatus fuisset, vt ei vadum quo transire possit dignaretur ostendere, mane facto cerua miræ magnitudinis ante eos nutu Dei flumen ingreditur: illáque vadante, populus quo transire possit, agnouit. Veniente autem Rege apud Pictauos, dum eminus in tentoriis commoraretur, pharus ignea de Basilica sancti Hilarij egressa, visa est ei tanquam super se aduenire, scilicet vt lumine beati Confessoris adiutus Hilarij, liberiùs hæreticas acies, contra quas sæpè idem Sacerdos pro fide conflixerat, debellaret. Contestatus est autem omni exercitui, vt nec ibi quidem aut in via aliquem exspoliarent, aut res cuiusquam diriperent. Erat in his diebus vir laudabilis sanctitatis Maxentius Abbas reclausus in Monasterio suo ob Dei timorem, intra terminum Pictauensem. Cuius Monasterij nomen lectioni non indidimus, quia locus ille vsque hodie *Cellula sancti Maxentij* vocatur. Cuius Monachi cùm hostium cuneum vnum ad Monasterium cernerent propinquare, Abbatem exorant, vt de Cellula sua egrederetur ad consulendum eis*. Illóque demorante, hi timore perculsi eum aperto ostio producunt de Cellula sua. At ille in occursum hostium, quasi pacem rogaturus, pergit intrepidus. Vnus autem ex his euaginato gladio, vt caput eius libraret, manus ad aurem erecta diriguit, gladiúsque retrorsum ruit. At ipse ad pedes beati viri veniam deposcens sternitur. Quod videntes reliqui, cum timore maximo ad exercitum redierunt, timentes ne & ipsi pariter interirent. Huius verò brachium beatus Confessor cum oleo benedicto contrectans, imposito signo crucis restituit sanum. Eiúsque obtentu Monasterium permansit inlæsum. Multásque & alias virtutes operatus est, quas si quis diligenter inquiret, Librum Vitæ illius legens, cuncta reperiet. Interea Chlodoueus Rex cum Alarico Rege Gothorum in campo Vogladése, decimo ab vrbe Pictaua miliario conuenit: & confligentibus his eminus, resistunt* comminus illi. Cúmque secundum consuetudinem Gothi terga vertissent, ipse Rex Chlodoueus victoriam, Domino adiuuante, obtinuit. Habebat autem in adiutorium suum filium Sigiberti Claudi, nomine Chlodericum. Hic Sigibertus pugnans contra Alamannos apud Tulbiacense* oppidum, percussus in geniculum claudicabat. Porro Rex cùm fugatis Gothis Alaricum Regem interfecisset, duo ex aduerso subitò aduenientes, cum contis vtraque ei latera feriunt. Sed auxilio tam loricæ quàm velocis equi, ne periret, exemptus est. Maximus ibi tunc Aruernorum populus, qui cum Apollinare venerat, & primi qui erant ex Senatoribus, corruerunt. De hac pugna Amalaricus filius Alarici in Hispaniam fugit, Regnúmque patris sagaciter occupauit. Chlodoueus verò filium suum Theodoricum per Albigensem ac Rutenam ciuitatem ad Aruernos dirigit. Qui abiens, vrbes illas à finibus Gothorum vsque Burgundionum terminum,

* al. vi abstulisset.

* al. consolandum eos.

* al. consistunt

* al. Dubiacense

A patris sui ditionibus subiugauit. Regnauit autem Alaricus viginti duos annos. Chlodoueus verò apud Burdegalensem vrbem hyemem agens, cunctos thesauros Alarici à Tholosa auferens, Ecolisinam * venit. Cui Dominus tantam gratiam tribuit, vt in eius contemplatione muri sponte corruerent. Tunc exclusis Gothis, vrbem suo dominio subiugauit. Patrata post hæc victoria, Turonos regressus est, multa sanctæ Basilicæ beati Martini munera offerens. CHLODOVEVS I.

* al. Ecolismam, & Engolismã

XXXVIII. IGITVR ab Anastasio Imperatore codicillos de Consulatu accepit, & in Basilica beati Martini tunica blatea indutus est & chlamyde, imponens vertici diadema. Tunc ascenso equo, aurum argentúmque in itinere illo, quod inter portam atrij & Ecclesiam ciuitatis est, præsentibus populis manu propria spargens, voluntate benignissima erogauit, & ab ea die tanquam Consul & Augustus est vocitatus. Egressus autem à Turonis Parisius venit, ibique cathedram Regni constituit. Ibi & Theodoricus ad eum venit.

XXXIX. DENIQVE migrante Eustochio Turonorum Episcopo, octauus post sanctum Martinum Licinius Turonicis Episcopus ordinatur. Huius tempore bellum superius scriptum gestum est. Et huius tempore Chlodoueus Rex Turonos venit. Hic fertur in Oriente fuisse, ac loca visitasse Sanctorum, ipsamque adiisse Hierosolymam, & loca passionis ac resurrectionis Dominicæ, quæ in Euangeliis legimus, sæpè vidisse.

B XL. CVM autem Chlodoueus Rex apud Parisius moraretur, misit clam ad filium Sigiberti, dicens; Ecce pater tuus senuit, & pede debili claudicat. Si ille, inquit, moreretur, rectè tibi cum amicitia nostra Regnum illius redderetur. Qua ille cupiditate seductus, patrem molitur occidere. Cúmque ille egressus de Colonia ciuitate, transacto Rheno, per Buchoniam siluam ambulare disponeret, meridie in tentorio suo obdormiens, immissis super eum filius percussoribus, eum ibidem interfecit, tanquam Regnum illius possessurus. Sed iudicio Dei in foueam, quam patri hostiliter fodit, incidit. Misit igitur nuncios ad Chlodoueum Regem, de patris obitu nunciantes, atque dicentes: Pater meus mortuus est, & ego thesauros cum Regno eius penes me habeo. Dirige tuos ad me, & ea quæ tibi de thesauris illius placent, bona voluntate transmittam. Et ille, Gratias, inquit, tuæ voluntati ago, & rogo vt venientibus nostris patefacias, cuncta ipse deinceps possessurus. Quibus venientibus iste patris thesauros pandit. Qui dum diuersa respicerent, ait; In hanc arcellulam solitus erat pater meus numismata auri congerere. Immitte, inquiunt illi, manum tuam vsque ad fundum, vt cuncta reperias. Quod cùm fecisset, & esset valde clinus, vnus eleuata manu bipennem cerebro eius inlisit. & sic quæ in patrem egerat indignus incurrit. Quod audiens Chlodoueus, quòd scilicet interfectus esset Sigibertus, & filius eius, in eundem locum adueniens conuocat omnem populum illum, dicens: Audite quid contigerit. dum ego, inquit, per C Scaldem fluuium nauigarem, Chlodericus filius parentis mei, patrem suum insequebatur, verbo ferens, quòd ego eum interficere vellem. Cúmque ille per Buchoniam siluam fugeret, immissis super eum latrunculis, morti tradidit, & occidit. Ipse quoque dum thesauros eius aperit, à nescio quo percussus interiit. Sed in his ego nequaquam conscius sum. Nec enim possum sanguinem parentum meorum effundere. quod fieri nefas est. Sed quia hæc euenerunt, consilium vobis præbeo, si videtur acceptum, conuertimini ad me, vt sub mea sitis defensione. At illi ista audientes, plaudentes tam palmis quàm vocibus, eum clypeo euectum super se Regem constituunt. Regnúmque Sigiberti acceptum cum thesauris, ipsos quoque suæ ditioni adsciuit. Prosternebat enim quotidie Deus hostes eius sub manu ipsius, & augebat Regnum eius, eo quòd ambularet recto corde coram eo, & faceret quæ placita erant in oculis eius.

XLI. POST hæc ad Chararicum Regem dirigit. Quando autem cum Siagrio pugnauit, hic Chararicus euocatus ad auxilium * Chlodouei eminus stetit, neutram adiuuans partem: sed euentum rei expectans, vt cui eueniret victoria, cum illo & hic amicitiam conligaret. Ob hanc causam contra eum indignans Chlodoueus abiit, quem circumuentum dolis cepit cum filio, vinctósque totondit, & Chararicum quidem Presbyterum, filium verò eius Diaconum ordinari iubet. Cúmque Chararicus de humilitate sua conquereretur, & fleret, filius

* al. solatium

CHLODOVEVS I. eius dixisse fertur: In viridi, inquit, ligno hæ frondes succisæ sunt, nec omnino arescunt, sed velociter emergent vt crescere queant. Vtinam tam velociter qui hæc fecit, intereat! Quod verbum sonuit in aures Chlodouei, quòd scilicet minarentur sibi cæsariem ad crescendum laxare, ipsúmque interficere. At ille iussit eos pariter capite plecti. Quibus mortuis, Regnum eorum cum thesauris & populis acquisiuit. A

XLII. ERAT autem tunc Ragnacharius * Rex apud Camaracum, tam effrenis in luxuria, vt vix vel propinquis quidem parentibus indulgeret. Is habebat Faronem Consiliarium simili spurcitia lutulentum. De quo fertur, cùm aliquid aut cibi aut muneris vel cuiuslibet rei Regi allatum fuisset, dicere solitum: Hoc sibi suóque Faroni sufficere. Pro qua re Franci maxima indignatione tumebant. Vnde factum est, vt datis aureis sibi armillis vel baltheis, Chlodoueus (sed totum adsimilatum auro. erat enim æreum deauratum sub dolo factum) hæc dedit leudibus eius, vt super eum inimicarentur. Porro cùm exercitum contra eum commouisset, & ille speculatores plerumque ad cognoscendum transmitteret, reuersis nunciis interrogat, Quàm valida hæc manus foret. Qui responderunt, Tibi tuóque Faroni maximum est supplementum. Veniens autem Chlodoueus, bellum contra eum instruit. At ille deuictum cernens exercitum suum, fuga labi parat. Sed ab exercitu comprehensus, ac ligatis post tergum manibus, in conspectu Chlodouei vnà cum Richario fratre suo perducitur. Cui ille, Cur, inquit, humiliasti genus nostrum, vt te vinciri permitteres? Melius enim tibi fuerat mori. Et eleuatam securem capiti eius defixit. Conuersúsque ad fratrem eius, ait; Si tu auxilium fratri tribuisses, alligatus vtique non fuisset. Similiter & hunc securi percussum interfecit. Post quorum mortem, cognoscunt proditores eorum, aurum quod à Rege acceperant esse adulterum. Quod cùm Regi dixissent, ille respondisse fertur: Meritò, inquit, tale aurum accipit, qui dominum suum ad mortem propria voluntate deducit. Hoc illis quòd viuerent, debere sufficere; ne malè proditionem dominorum suorum luituri, inter tormenta deficerent. Quod illi audientes, optabant gratiam adipisci: illud sibi adserentes sufficere, si viuere mererentur. Fuerunt autem supradicti Reges propinqui huius. Quorum frater Regnomeris nomine apud Cinomannis * ciuitatem ex iussu Chlodouei interfectus est. Quibus mortuis, omne Regnum eorum & thesauros Chlodoueus accepit. Interfectisque & aliis multis Regibus & parentibus suis primis, de quibus zelum habebat, ne ei Regnum auferrent, Regnum suum per totas Gallias dilatauit. Tamen congregatis suis, quadam vice dixisse fertur de parentibus quos ipse perdiderat: Væ mihi! qui tanquam peregrinus inter extraneos remansi, & non habeo de parentibus, qui mihi, si venerit aduersitas, possit aliquid adiuuare. Sed hoc non de morte horum condolens, sed dolo dicebat, si fortè potuisset adhuc aliquem reperire, vt interficeret. B

* al. Ragenharius

* al. Cenomanis

XLIII. HIS transactis, apud Parisius obiit: sepultúsque in Basilica sanctorum Apostolorum, quam cum Chrothilde Regina *ipse* construxerat. Migrauit autem post Vogladense bellum anno quinto. Fuerúntque omnes dies regni eius, triginta anni. Ætas tota, quadraginta quinque anni. A transitu ergo sancti Martini, vsque ad transitum Chlodouei Regis, qui fuit vndecimus annus Episcopatus Licinij Turonici sacerdotis, supputantur anni CXII. Chrothildis autem Regina, post mortem viri sui Turonos venit: ibique ad Basilicam sancti Martini deseruiens, cum summa pudicitia atque benignitate in hoc loco commorata est omnibus diebus vitæ suæ, raro Parisius visitans. C

EXPLICIT LIBER II.

A

GREGORII EPISCOPI TVRONENSIS HISTORIAE FRANCORVM LIBER TERTIVS.

Capitvla Libri.

VELIM si placet, parumper conferre quæ Christianis beatam confitentibus Trinitatem prospera successerint, & quæ Hæreticis eandem scindentibus fuerint in ruinam. Omittamus autem qualiter illam Abraham veneratur ad ilicem, Iacob prædicat in benedictione, Moyses cognoscit in sente, populus sequitur in nube, eandémque pauescit in monte: vel qualiter eam Aaron portat in logio, aut Dauid vaticinatur in Psalmo, orans innouari se per spiritum rectum, nec sibi auferri Spiri-

tum sanctum, atque se confirmari per spiritum principalem. Magnum & ego hîc cerno mysterium, quòd scilicet quem Hæretici minorem adserunt, principalem vox Prophetica nunciauit. Sed his, (vt diximus) omissis, ad nostra tempora reuertamur. Arrius enim, qui huius iniquæ sectæ primus iniquúsque inuentor fuit, interioribus in secessum depositis, infernalibus ignibus subditur. Hilarius verò beatus indiuiduæ Trinitatis defensor, propter hanc in exilium deditus, & patriæ paradiso restauratur. Hanc Chlodoueus Rex confessus, ipsos Hæreticos adiutorio eius oppressit, Regnúmque suum per totas Gallias dilatauit. Alaricus hanc denegans, à Regno & populo, atque ab ipsa, (quod magis est) vita multatur æterna. Dominus autem se verè credentibus, etsi insidiante inimico aliqua perdant, hîc centuplicata restituit. Hæretici verò nec adquirunt, sed quod videntur habere aufertur ab eis. Probauit hoc Godegisili, Gundobadi, atque Godomari interitus, qui & patriam simul & animas perdiderunt. Nos verò vnum atque inuisibilem, immensum, incomprehensibilem, inclytum, perennem, atque perpetuum Dominum confitemur vnum in Trinitate propter personarum numerum, id est Patris & Filij & Spiritus sancti: confitemur & trinum in vnitate, propter æqualitatem substantiæ, deitatis, omnipotentiæ, vel virtutis, qui est vnus summus atque omnipotens Deus in sempiterna secula regnans. A

THEODORICVS. CHLODOMERIS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS.

I. DEFVNCTO igitur Chlodoueo Rege, quatuor filij eius, id est THEODORICVS*, CHLODOMERIS, CHILDEBERTVS, atque CHLOTHARIVS, Regnum eius accipiunt, & inter se æqua lance diuidunt. Habebat iam tunc Theodoricus filium nomine Theodobertum, elegantem atque vtilem. Cúmque magna virtute pollerent, & eis de exercitu robur copiosum inesset, Amalaricus filius Alarici, Rex Hispaniæ, sororem eorum in matrimonium postulat. Quod illi clementer indulgent, & eam ipsi in regionem Hispaniæ cum magnorum ornamentorum mole transmittunt. B

* al. Theudericus.

II. LICINIO autem vrbis Turonicæ defuncto Episcopo, Dinifius cathedram Pontificalem ascendit. Apud Aruernos verò post obitum beati Aprunculi, sanctus Eufrasius duodecimus Episcopus habebatur. Hic quatuor annos post Chlodouei obitum vixit, vicesimo quinto Episcopatus sui anno transiens. Cúmque populus sanctum Quintianum, qui de Ruteno eiectus fuerat, elegisset, Alchima, & Placidina vxor, sorórque Apollinaris, ad sanctum Quintianum venientes, dicunt: Sufficiat domine sancte, senectuti tuæ, quòd es Episcopus ordinatus. Permittat, inquiunt, pietas tua seruo tuo Apollinari, locum huius honoris adipisci. Ille verò cùm ad hunc apicem ascénderit, sicut tibi placitum fuerit, obsequetur: tu quoque imperabis, & ille tuæ parebit in omnibus iussioni. Tantum vt humili suggestioni nostræ aurem tuæ benignitatis accommodes. Quibus ille, Quid ego, inquit, præstabo, cuius potestati nihil est subditum? Sufficit enim vt orationi vacans, quotidianum mihi victum præstet Ecclesia. Illæ autem hæc audientes, Apollinarem ad Regem dirigunt. Qui abiens oblatis multis muneribus, in Episcopatu successit, quo quatuor abutens mensibus, migrauit à seculo. Cùm autem hæc Theodorico nunciata fuissent, iussit inibi sanctum Quintianum constitui, & omnem ei potestatem tradi Ecclesiæ, dicens: Hic ob nostri amoris zelum ab vrbe sua eiectus est. Et statim directi nuncij, conuocatis Pontificibus & populo, eum in cathedram Aruernæ Ecclesiæ locauerunt. Qui quartusdecimus illi Ecclesiæ præpositus est. Reliqua verò quæ gessit, tam virtutes quàm tempus migrationis eius, scripta sunt in Libro, quem de eius Vita composuimus. C

Vide inf. l. 12.

III. HIS gestis, Dani cum Rege suo nomine Chochilaicho*, euectu nauali per mare Gallias appetunt. Egressique ad terras, pagum vnum de Regno Theodorici deuastant atque captiuant: oneratisque nauibus tam de captiuis, quàm de reliquis spoliis, reuerti ad patriam cupiunt. Sed Rex eorum in litus residebat, donec naues altum mare comprehenderent, ipse deinceps secuturus. Quod cùm Theodorico nunciatum fuisset, quòd scilicet regio eius fuerit ab extraneis deuastata, Theodobertum* filium suum in illas partes cum valido exercitu ac magno armorum apparatu direxit. Qui interfecto Rege, hostes nauali prælio superatos opprimit, omnémque rapinam terræ restituit.

* al. Rhodolaico,

* al. Theudbertum

IV. PORRO tunc apud Thoringos tres fratres Regnum gentis illius retine-

A bant: id est, Badericus, Herminefredus*, atque Bertharius. Denique Herminefredus Bertharium fratrem suum vi opprimens, interfecit. Is moriens Radegundem filiam orphanam dereliquit. Reliquit autem & alios filios, de quibus in sequentibus scribemus. Herminefredi verò vxor iniqua atque crudelis, Almaberga* nomine, inter hos fratres bellum ciuile disseminat. Nam veniens quadam die ad conuiuium vir eius, mensam mediam opertam reperit. Cúmque vxorem, quid sibi hoc velit interrogaret, respondit Qui, inquit, à medio Regno spoliatur, decet eum mẽsæ medium habere nudatum. Talibus & his similibus ille permotus, contra fratrem insurgit, ac per occultos nuncios Theodoricum Regem ad eum persequendum inuitat, dicens; Si hunc interficis, regionem hanc pari sorte diuidemus. Ille autem gauisus hæc audiens, cum exercitu ad eum dirigit. Coniunctique simul, fidem sibi inuicem dantes, egressi sunt ad bellum. Confligentésque cum Baderico, exercitum eius adterunt, ipsúmque obtruncant gladio. & obtenta victoria, Theodoricus ad propria est reuersus. Protinus Herminefredus oblitus fidei suæ, quod Regi Theodorico indulgere pollicitus est, implere despexit, ortáque est inter eos grandis inimicitia.

THEODORICVS. CHLODOMERIS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS.

*al. Hermenfridus.

*al. Amalaberga.

V. IGITVR, mortuo Gundobado, Regnum eius Sigimundus filius eius obtinuit, Monasteriúmque Agaunense solerti cura cum domibus Basilicísque ædificauit. Qui perdita priori coniuge filia Theodorici Regis Italici, de qua filium
B habebat nomine Sigiricum, aliam duxit vxorem: quæ validè contra filium eius (sicut nouercarum mos est) malignari ac scandalizare cœpit. Vnde factum est, vt vna solennitatum die, cùm puer super eam vestimenta matris agnosceret, commotus felle diceret ad eam: Non enim eras digna, vt hæc indumenta tua terga contegerent, quæ dominæ tuæ, id est matris meæ fuisse noscuntur. At illa furore succensa, instigat verbis dolosis virum suum, dicens: Hic iniquus Regnum tuum possidere desiderat, téque interfecto, id vsque Italiam dilatare disponit. Scilicet vt Regnum, quod auus eius Theodoricus Italiæ tenuit, & iste possideat. Scit enim quòd te viuente hæc non potest adimplere, & nisi tu cadas, ille non surget. His & huiuscemodi ille incitatus verbis, vxoris iniquæ consilio vtens, iniquus extitit parricida. Nam sopitum vino dormire post meridiem filium iubet. Cui dormienti, orarium sub collo positum, ac sub mento ligatum, trahentibus ad se inuicem duobus pueris, suffocatus* est. Quo facto, pater serò iam pœnitens, super cadauer exanime ruens, flere cœpit amarissimè. Ad quem senex quidam sic dixisse fertur: Te, inquit, plange amodo, qui per consilium nequam factus es parricida sæuissimus. Nam hunc, qui innocens iugulatus est, necessarium non est plangi. Nihilominus ille ad sanctos Agaunenses abiens, per multos dies in fletu & ieiuniis durans, veniam precabatur, psallentium ibi assiduum instituens. Lugduno regressus est, vltione diuina de vestigio eum prosequente. Huius filiam Rex Theodoricus accepit.

*al. sugillatus.

C VI. CHROTHILDIS verò Regina Chlodomerem, & reliquos filios suos adloquitur, dicens: Non me pœniteat, charissimi, vos dulciter enutrisse: indignamini, quæso, iniuriam meam, & patris matrísque meæ mortem sagaci studio vindicate. Hæc illi audientes, Burgundias petunt, & contra Sigimundum & fratrem eius Godomarum dirigunt. Deuictóque exercitu eorum, Godomarus terga vertit. Sigimundus verò dum ad sanctos Agaunenses fugere nititur, à Chlodomere captus cum vxore & filiis captiuus abducitur; atque infrà terminum Aurelianensis vrbis in custodia positus detinetur. Discedentibúsque his Regibus, Godomarus resumptis viribus Burgundiones colligit, Regnúmque recipit. Contra quem Chlodomeris iterum ire disponens, Sigimũdum interficere destinauit. Cui à beato Auito Abbate Nutiacensi magno tunc temporis sacerdote, dictum est: Si, inquit, respiciens Deum, emendaueris consilium tuum, vt hos homines interfici non patiaris, erit Deus tecum, & abiens victoriam obtinebis. Si verò eos occideris, tu ipse in manus inimicorum traditus, simili sorte peribis: fiétque tibi vxorique & filiis tuis, quod feceris Sigimundo & coniugi ac liberis eius. Sed ille auscultare despiciens consilium eius, ait; Stultum enim consilium esse puto, vt inimicis domi relictis, contra reliquos eam: eisque à tergo, hoc à fronte surgente, inter duos hostium cuneos ruam. Satiùs enim & faciliùs victoria patrabitur, si vnus ab alio separetur. quo interfecto, facilè & alius morti poterit destinari. Statímque in-

THEODORICVS. CHLODOMERIS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS.

*al. solatiū.
*al. Visorentiam.

terfecto Sigimundo cum vxore & filiis, apud Columnam Aurelianensis vrbis vicum, in puteum iactari præcipiens, Burgundias petiit, vocans in suppetias* Theodoricum Regem. Ille autem iniuriam soceri sui vindicare volens, ire promisit. Cúmque pariter apud Visorontiam * locum vrbis Viennensis coniuncti fuissent, cum Godomaro confligunt. Cúmque Godomarus cum exercitu terga vertisset, & Chlodomeris insequeretur, ac de suis non modico spacio elongatus esset, adsimilantes illi signum eius, dant ad eum voces dicentes: Huc, huc conuertere, tui enim sumus. At ille credens, abiit, inruítque in medium inimicorum suorum. Cuius amputatum caput, & conto defixum, eleuant in sublime. Quod Franci cernentes, atque cognoscentes Chlodomerem interfectum, reparatis viribus Godomarum fugant, Burgundiones opprimunt, patriámque in suam redigunt potestatem. Nec moratus Chlotharius, vxorem germani sui Gundeucam nomine, sibi in matrimonium sociauit. Filios quoque eius Chrothildis* Regina, exactis diebus luctus, secum recepit ac tenuit. Quorum vnus Theodoualdus*, alter Guntharius, tertius Chlodoaldus vocabatur. Godomarus iterum Regnum recepit. A

*al. Chrodigildis.
*al. Theotbaldus.

VII. POST Theodoricus non immemor periurij Herminefredi Regis Thoringorum, Chlotharium fratrem suum in solatium suum euocat, & aduersum eum ire disponit: promittens Regi Chlothario partem prædæ, si eis munus victoriæ diuinitus conferretur. Conuocatis igitur Francis, dicit ad eos; Indignamini quæso, tam meam iniuriam, quàm interitum parentum vestrorum, ac recolite Thoringos quondam super parentes nostros violenter aduenisse, ac multa illis intulisse mala. Qui datis obsidibus, pacem cum his inire voluerunt. Sed illi obsides ipsos diuersis mortibus peremerunt: & inruentes super parentes nostros, omnem substantiam abstulerunt. Pueros per neruos femorum ad arbores appendentes, puellas amplius ducentas crudeli nece interfecerunt: ita vt ligatis brachiis super equorum ceruicibus, ipsique acerrimo stimulo moti per diuersa petentes, diuersas in partes feminas diuiserunt. Aliis verò super orbitas viarum extensis, sudibúsque in terram confixis, plaustra desuper onerata transire fecerunt, confractísque ossibus, canibus auibúsque eas in cibaria dederunt. Nunc autem Herminefredus, quod mihi pollicitus est fefellit, & omninò hæc adimplere dissimulat. Ecce verbum directum habemus. eamus cum Dei adiutorio contra eos. Quod illi audientes, & de tanto scelere indignantes, vno animo eadémque sententia, Thoringiam petiuerunt. Theodoricus autem Chlotharium fratrem suum, & Theodobertum filium in solatium adsumens, cum exercitu abiit. Thoringi verò venientibus Francis dolos præparant. In campo enim, in quo certamen agi debebat, fossas effodiunt: quarum ora operta denso cespite, planum adsimulant campum. In has ergo foueas, cùm pugnare cœpissent, multi Francorum equites corruerunt. & fuit eis valde impedimentum. Sed pòst, cognitum hunc dolum, obseruare cœperunt. Denique cùm se Thoringi cædi vehementer viderent, fugato præ timore Herminefredo Rege ipsorum, terga vertunt, & ad Onestrudem fluuium vsque perueniunt. Ibique tanta cædes ex Thoringis facta est, vt alueus fluminis congerie cadauerum repleretur: & Franci tanquam per pontem aliquem super ea in littus vlterius transirent. Patrata ergo victoria, regionem illam capessunt, & in suam redigunt potestatem. Chlotharius verò rediens, Radegundem filiam Bertharij Regis secum captiuam abduxit, sibique eam in matrimonium sociauit. Cuius fratrem postea iniustè per homines iniquos occidit. Illa quoque ad Deum conuersa, mutata veste Monasterium sibi intra Pictauensem vrbem construxit. Quæ orationibus, ieiuniis atque eleemosynis prædita in tantum emicuit, vt magna in populis haberetur. Cùm autem adhuc supradicti Reges in Thoringia essent, Theodoricus Chlotharium fratrem suum occidere voluit. Et præparatis occultè cum armis viris, eum ad se vocat quasi secretiùs cum eo aliquid tractaturus. Expansóque in parte domus illius tentorio, de vno pariete in alterum, armatos post eum stare iubet. Cúmque tentorium illud esset breuius, pedes armatorum apparuere detecti. Quod cognoscens Chlotharius, cum suis armatus ingressus est domum. Theodoricus verò intelligens hunc hæc cognouisse, fabulam fingit, & alia ex aliis loquitur. Denique nesciens qualiter dolum suum deliniret, discum ei magnum argenteum pro gratia dedit. Chlotharius verò vale dicens, & promu-

Onstrud fl. Thoring.

A nere gratias agens, ad metatum regressus est. Theodoricus verò queritur ad suos, nulla extanti causa suum perdidisse catinum: & ad filium suum Theodobertum ait: Vade ad patrem tuum, & roga vt munus quod ei dedi tibi sua voluntate concedat. Qui abiens, quod petiit impetrauit. In talibus enim dolis Theodoricus callidus erat. THEODORICVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS.

VIII. IDEM verò regressus ad propria, Herminefredum ad se data fide securum venire præcepit, quem & honorificis ditauit muneribus. Factum est autem, dum quadam die per murum ciuitatis Tulbiacensis * confabularentur, à nescio quo impulsus de altitudine muri ad terram corruit, ibique spiritum exhalauit. Sed quis eum inde deiecerit, ignoramus. Multi tamen adserunt Theodorici in hoc dolum manifestissimè patuisse. * hod. Zulich.

IX. CVM autem adhuc Theodoricus in Thoringia esset, Aruernis sonuit eum interfectum fuisse. Archadius quoque vnus ex Senatoribus Aruernis, CHILDEBERTVM inuitat, vt regionem illam deberet accipere. Ille quoque nec moratus, Aruernis vadit. Tantàque in illa die condensa fuit nebula, vt nihil suprà * duas iugeri partes discerni posset. Dicere enim erat solitus Rex; Velim vnquam Aruernam Lemanem, quæ tantæ iocunditatis gratia refulgere dicitur, oculis cernere. Sed non ei à Deo concessum est. Cúmque portæ ciuitatis obseratæ essent, & vnde ingrederetur peruium patulum non haberet, incisa Archadius sera vnius portæ, eum ciuitati intromisit. Dum hæc agerentur, nunciatur Theodoricum viuum de Thoringia fuisse regressum. * al. super duabus iugeri partibus.

B

X. QVOD certissimè Childebertus cognoscens, ab Aruerno rediit, & in Hispaniam propter sororem suam CHROTHILDEM dirigit. Hæc verò multas insidias ab Amalarico viro suo propter fidem Catholicam patiebatur. Nam plerunque procedente illa ad sanctam Ecclesiam, stercora & diuersos fœtores super eam proiici imperauit. Ad extremum autem tanta eam crudelitate dicitur cæcidisse, vt infectum de proprio sanguine sudarium fratri transmitteret. Vnde ille maximè commotus, Hispanias appetiit. Amalaricus verò hęc audiens, naues ad fugiendum parat. Porrò imminente Childeberto, cũ Amalaricus nauẽ deberet ascendere, ei in mentem venit, multitudinem se preciosorum lapidum in suo thesauro reliquisse. Cúmque ad eosdem petendos in ciuitatem regrederetur, ab exercitu à portu exclusus est. Videns autem se non posse euadere, ad Ecclesiam Christianorum confugere cœpit. Sed priusquam limina sancta contingeret, vnus emissa manu lancea eum mortali ictu sauciauit. ibique decedens, reddidit spiritum. Tunc Childebertus cum magnis thesauris sororem assumptam secum adducere cupiebat. Quæ nescio quo casu in via mortua est, & postea Parisius adlata, iuxta patrem suum Chlodoueum sepulta est. Childebertus verò inter reliquos thesauros ministeria Ecclesiarum preciosissima detulit. Nam sexaginta calices, quindecim paternas, viginti Euangeliorum capsas detulit, omnia ex auro puro ac gemmis preciosis ornata. sed non est passus ea confringi. Cuncta enim Ecclesiis & Basilicis Sanctorum dispensauit, ac tradidit.

C

XI. POST hæc Chlotharius & Childebertus Burgundias petere destinant. Conuocatúsque Theodoricus in auxilium eorum, ire noluit. Franci verò, qui ad eum aspiciebant, dixerunt: Si cum fratribus tuis in Burgundiam ire despexeris, te relinquimus, & illos satius sequi præoptamus. At ille infideles sibi existimans, Aruernis ait; Me sequimini, & ego vos inducam in patriam, vbi aurum & argentum accipiatis, quantum vestra potest desiderare cupiditas. de qua pecora, de qua mancipia, de qua vestimenta in abundantiam adsumatis. tantum hos ne sequamini. His promissionibus hi inlecti, suam voluntatem facere promittunt. Ille verò illuc transire disponit, promittens iterum atque iterum exercitui, cunctam regionis prædam cum hominibus in suas regiones transferri permittere. Chlotharius verò & Childebertus in Burgundiam dirigunt, Augustodunúmque obsidentes, cunctam fugato Godomaro Burgundiam occupauerunt.

XII. THEODORICVS verò cum exercitu Aruerno veniens, totam regionem deuastat ac proterit. Interea Archadius sceleris illius auctor, cuius ignauia regio deuastata est, Bituriges vrbem petiit. Erat autem tunc temporis vrbs illa in regno Childeberti Regis. Placidina verò mater eius, & Alchima soror patris eius,

THEODORICVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS.

comprehensæ apud Cadurcum vrbem, rebus ablatis exilio condemnatæ sunt. A Rex igitur Theodoricus ad vrbem Aruernam vsque accedens, in vici illius suburbano castra fixit. Beatus verò Quintianus his diebus erat Episcopus. Interea exercitus cunctam circuit miseram regionem illam, cuncta delet, vniuersa debellat. De quibus nonnulli ad Basilicam sancti Iuliani perueniunt, confringunt ostia, seras remouent: résque pauperum, quæ ibidem fuerant adgregatæ, diripiunt, & multa in hoc loco perpetrant mala. Veruntamen auctores scelerum à spiritu immundo correpti, infestis dentibus propriis se morsibus laniabant, clamantes, atque dicentes: Cur nos Martyr sancte sic crucias? Sicut in Libro virtutum eius conscripsimus.

XIII. LOVOLAVTRVM autem castrum hostes expugnant, Proculúmque Presbyterum, qui quondam sancto Quintiano iniuriam intulerat, ad altarium Ecclesiæ miserabiliter interficiunt. Et credo ob illius causam, quòd fuerit ipsum castrum in manibus traditum iniquorum. quod vsque in illa die defensatum est. Nam cùm illud hostes expugnare non possent, & ad propria iam redire disponerent, audientes hæc obsessi, iam læti atque securi decipiuntur, sicut ait Apostolus: *Cùm dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus superueniet interitus.* Denique per ipsius Proculi Presbyteri seruum, iam securi populi traduntur in manus hostium. Cúmque vastato castello ducerentur captiui, immanis pluuia, quæ B per triginta dies fuerat abnegata, descendit. Tunc obsessi Meroliacensis castri, ne captiui abducerentur, redemptione data liberantur. Sed hæc ignauia eorum effecit. castrum enim propria natura munitum erat. Nam centenorum aut eo ampliùs pedum ab exciso vallatur lapide, sine murorum structione. In medio autem ingens stagnum aquæ, liquore gratissimum. Ab alia verò parte fontes vberrimi, ita vt per portam riuus diffluat aquæ viuæ. Sed in tam grandi spacio munitio ista distenditur, vt manentes intra murorum septa terram excolant, frugésque in abundantia colligant. Huius munitionis tutamine elati, qui obsessi erant, egressi foras, vt adreptum aliquid prædæ, iterum se infra castelli septa reconderent, ab hostibus comprehensi sunt. Erant autem quinquaginta * viri. Tunc ante ora parentum, vinctis post tergum manibus oblati, imminente iam gladio, adquieuerunt obsessi, ne hi interficerentur, singulos trientes dare in redemptionem suam. Theodoricus autem ab Aruerno discedens, Sigiualdum parentem suum in ea quasi pro custodia dereliquit. Erat autem ibi tunc temporis quidam Litigius ex minoribus, qui magnas sancto Quintiano parabat insidias. Et cùm se sanctus Episcopus pedibus eius prosterneret, nunquam vt se ei subderet mouebatur: ita vt & quadam vice vxori quæ sanctus fecerat, pro ridiculo indicaret. Quæ melioris intelligentiæ modo commota, ait: Si ita es hodie pessundatus, nunquam erigeris. Die autem tertia, aduenientes nuncij de præsentia Regia, vinctum cum vxore ac liberis pariter abduxerunt. Qui abiens, nunquam Aruerno regressus est.

* al. quingenti.

XIV. MVNDERICVS igitur, qui se parentem Regum adserebat, elatus super- C biâ, ait: Quid mihi & Theodorico Regi? Sic enim mihi solium Regni debetur, vt illi. Egrediar, & colligam populum meum, atque exigam sacramentum ab eis, vt sciat Theodoricus quia Rex sum ego, sicut & ille. Et egressus, cœpit seducere populum suum dicens: Princeps ego sum, sequimini me, & erit vobis benè. Sequebatur autem eum rustica multitudo, vt plerumque fragilitati humanæ conuenit, dantes sacramentum fidelitatis, & honorantes eum vt Regem. Quod cùm Theodoricus comperisset, mandatum misit ad eum dicens: Accede ad me, & si tibi aliqua de dominatione Regni nostri portio debetur, accipe. Dolosè enim hæc Theodoricus dicebat, scilicet vt cùm ad eum venisset, interficeretur. Ille verò noluit, dicens: Ite, renunciate Regi vestro, quia Rex sum, sicut & ille. Tunc Rex commoueri iussit exercitum, quo oppressus vi puniretur. Quod ille cognoscens, & se non præualens defensare, Victoriaci castri muros expetens, cum rebus omnibus in eo se studuit communire, his secum quos se duxerat adgregatis. Igitur commoto exercitu castrum vallat, ac per septem dies obsedit. Mundericus autem repugnabat cum suis, dicens: Stemus fortes, & vsque ad mortem pariter dimicemus, & non subdamur inimicis. Cúmque exercitus à circuitu in contra iacula transmitteret, nec aliquid præualeret, nunciaue-

A runt hæc Regi. At ille misit quendam de suis Aregisilum * nomine, dixitque ei: THEODORICVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS. * al. Archisilum.
Vides, inquit, quòd præualeat hic perfidus in contumacia sua. vade & redde ei sacramentum, vt securus egrediatur. Cùm autem egressus fuerit, interfice eum, & dele memoriam eius à Regno nostro. Qui abiens, fecit iuxta quod ei præceptum fuerat. Dederat tamen priùs signum populo, dicens: Cùm ego hæc & hæc locutus fuero, statim irruentes interficite eum. Ingressus autem Aregisilus, ait Munderico: Quousque hîc resides, tanquam vnus ex insipientibus? Nunquid poteris diu Regi resistere? Ecce ablato tibi cibo, cùm te fames oppresserit, vltro egredieris, & traderis in manus inimicorum, & morieris quasi vnus ex canibus. Audi potiùs consilium meum, & subde te Regi, vt viuere possis tu & filij tui. Tunc ille his mollitus sermonibus ait: Si egredior, comprehensus à Rege interficior & ego, & filij mei, vel omnes amici mei qui mecum sunt adgregati. Cui Aregisilus ait: Noli timere, sed si vis egredi, accipe sacramentum de hac culpa, & sta securus coram Rege: ne timeas, sed eris cum eo sicut priùs fuisti. Ad hæc Mundericus respondit: Vtinam securus sim, quòd non interficiar! Tunc Aregisilus positis super altare * sanctum manibus, iurauit ei vt securus egrederetur. *al altariū.
Dato igitur sacramento, egrediebatur Mundericus de porta castelli, tenens manum Aregisili. Populus autem exspectabat à longe, aspiciens eum. Tunc pro signo ait Aregisilus, Quid aspicitis tam intentè, ô populi? numquid non vidistis
B priùs Mundericum? Et statim inruit populus in eum. At ille intelligens, ait, Euidentissimè cognosco, quòd feceris per hoc verbum signum populis ad me interficiendum: veruntamen dico tibi, quia periuriis me decepisti, te viuum vltra nullus aspiciet. Et emissa lancea in scapulas eius, perfodit eum, ceciditque, & mortuus est. Euaginatóque deinceps Mundericus gladio cum suis, magnam stragem de populo illo fecit, & vsque quo spiritum exhalauit, interficere quemcunque adsequi potuisset, non destitit. Quo interfecto, res eius fisco conlatæ sunt.

XV. THEODORICVS verò & Childebertus fœdus inierunt, & dato sibi sacramento, vt neuter contra alterum moueretur, obsides adinuicem acceperunt, quò faciliùs fimarentur quæ fuerant dicta. Multi tunc filij Senatorum in hac obsidione dati sunt. Sed orto iterum inter Reges scandalo, ad seruitium publicum sunt addicti. Et quicunque eos ad custodiendum accepit, seruos sibi ex his fecit. Multi tamen ex eis per fugam elapsi, in patriam redierunt, nonnulli in seruitio sunt retenti. Inter quos Attalus nepos beati Gregorij Lingonici Episcopi, ad publicum seruitium mancipatus est, custósque equorum destinatus. Erat enim intra Treuerici termini territorium, cuidam Barbaro seruiens. Denique beatus Gregorius ad inquirendum eum pueros destinauit. quo inuento, obtulerunt homini munera. Sed respuit ea, dicens: Hic de tali generatione decem auri libris redimi debet. Quibus redeuntibus, Leo quidam ex coquina domini sui
C ait: Vtinam me permitteres! & forsitan ego poteram eum reducere de captiuitate. Gauiso autem domino, directus venit ad locum. voluítque puerum clam abstrahere, sed non potuit. Tunc locato secum homine quodam, ait: Veni mecum, & vænunda me in domo Barbari illius. Sitque tibi lucrum precium meum. tantum liberiorem aditum habeam faciendi id quod decreui. Accepto verò sacramento, homo ille abiit, & vendito eo duodecim aureis discessit. Sciscitatus est autem emptor à rudi famulo, quid operis sciret. Respondit, In omnibus, quæ mandi debent in mensis dominorum, valde scitus sum operari: nec metuo quòd reperiri possit similis meis in hac scientia. Verùm enim dico tibi, quia etiam si Regi epulum cupias præparare, fercula regia componere possum. nec quisquam me melius. Et ille, Ecce enim dies Solis adest (sic enim barbaries diem Dominicum vocitare consueta est.) In hac die vicini atque parentes mei inuitabuntur in domo mea, rogo vt facias mihi prandium quod admirentur, & dicant, quia in domo Regis melius non aspeximus. Et ille, Iubeat, inquit, dominus meus congregari pullorum gallinaceorum multitudinem, & faciam quæ præcipis. Præparatis ergo quæ dixerat puer, inluxit Dominica dies, fecítque epulum magnum deliciísque refertum. Epulantibus autem omnibus, & laudantibus prandium, parentes illius discesserunt. Dominus enim dedit gratiam puero huic, & accepit potestatem super omnia quę habebat dominus suus in promptu. Diligebátque eum valde, & omnibus qui cum eo erant ipse dispensabat cibaria & pulmenta. Post anni

THEODORICVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS.

verò curriculum, cùm iam securus esset dominus illius de eo, abiit in pratum A quod erat domui proximum, cum Attalo puero custode equorum; & decubans in terra cum eo à longe, auersis dorsis, vt non cognosceretur quòd loquerentur simul, dicit puero: Tempus est enim, vt iam cogitare de patria debeamus. Ideóque moneo te, vt hac nocte cùm equos ad claudendum adduxeris, sopore non deprimaris: sed cùm primùm te vocitauero, adsis, & ambulemus. Vocauerat enim Barbarus ille parentum multos suorum ad epulum, inter quos erat & gener eius, qui acceperat filiam illius. Media autem nocte à conuiuio surgentibus, & quieti datis, prosecutus est Leo generum domini sui cum potu, porrigens ei bibere. In metatu eius ait ad eum homo: Dic tu, ô creditor soceri mei, si valeas, quando voluntatem adhibebis, vt adsumptis equis eius eas in patriam tuam? Hoc quasi ioco delectans, dixit. Similiter & ille ilocaliter veritatem respondens, ait: Hac nocte delibero, si Dei voluntas fuerit. Et ille, Vtinam, inquit, custodiant me famuli mei, ne aliquid de rebus meis adsumas. Et ridentes discesserunt. Dormientibus autem cunctis, vocauit Leo Attalum ex stratu suo. Interrogat, si haberet gladium? Respõdit: Non est mihi, nisi tantum lancea paruula. At ille ingressus mansionem domini sui, apprehendit scutum eius ac frameam. Quo interrogante, quis esset, aut quid sibi velit? respondit: Ego sum Leo seruus tuus, & suscito Attalum, vt surgat velocius, & deducat equos ad pastum. detinetur enim sopore, quasi ebrius. Qui ait, Fac vt libet. Et hæc dicens, obdormiuit. Ille verò egressus foras, muniuit puerum armis: inuenítque ianuas atrij diuinitus reseratas, quas in initio noctis cum cuneis B malleo percussis obserauerat pro custodia caballorum. Et gratias agens Domino, sumptis reliquis equis secum, discesserunt: vnum etiam volucrum, cum vestimentis tollentes. Venientes autem ad Mosellam fluuium, cùm transirent illum, & detinerentur à quibusdam, relictis equis & vestimentis, enatantes super parma positi amnem, in vlteriorem egressi sunt ripam. Et inter obscura noctis ingressi siluam, latuerunt. Tertia enim nox aduenerat, quòd nullum cibum gustantes iter terebant. Tunc nutu Dei reperta arbore plena pomis, quam vulgo prunum vocant, comedunt, & parumper sustentati ingressi sunt iter. Campaniæ. Quibus pergentibus, audiunt pedibulum equitum currentium, dixerúntque: Prosternamur terræ, ne appareamus hominibus venientibus. Et ecce ex improuiso stirps rubi magnus adfuit, post quem transeuntes, proiecerunt se terræ cum gladiis euaginatis, scilicet vt si aduerterentur, confestim se quasi ab improbis framea defensarent. Veruntamen cùm venissent in locum illum, coram stirpe spineo restiterunt. Dixitque vnus, dum equi vrinam proiicerent, Væ mihi! quia fugiunt hi detestabiles, nec reperiri possunt. Verùm dico per salutem meam, quia si inuenirentur, vnum patibulo condẽnari, & alium gladiorum ictibus in frusta discerpi iuberem. Erat enim Barbarus ille, qui hæc aiebat, dominus eorum, de Rhemensi vrbe veniens, & hos inquirens. Et reperisset vtique in via, si nox obstaculum non præbuisset. Tunc motis equis discesserunt. Hi autem nocte ipsa adtigerunt ad vrbem, ingresśique inuenerunt hominem quem sciscitati sunt, Vbinam esset domus Paulelli Presbyteri. Indicauítque C eis. Qui dum per plateam præteriret, signum ad Matutinas motum est. Erat enim dies Dominica. Pulsantésque ianuam Presbyteri, ingressi sunt. Exposuitque de domino suo. Cui ait Presbyter, Vera est enim visio mea. Nam videbam duas in hac nocte columbas aduolare, & consedere in manu mea. Ex quibus vna alba, alia autem nigra erat. Dixerúntque pueri Presbytero, Indulgeat Dominus pro die sua sancta. Nam nos rogamus, vt aliquid victus præbeas. quarta enim inlucescit dies, quòd nihil panis pulmentique gustauimus. Occultatis autem pueris, præbuit eis infusum cum vino panem, & abiit ad Matutinas. Secutúsque est & Barbarus, iterum inquirens pueros. Sed inlusus à Presbytero, regressus est. Presbyter enim amicitiam cum beato Gregorio antiquam habebat. Tunc resumptis pueri epulo viribus, per duos dies in domo Presbbyteri commorantes, abscesserunt. & sic vsque ad sanctum Gregorium perlati sunt. Gauisus autem Pontifex visis pueris, fleuit super collum Attali nepotis sui. Leonem autem à iugo seruitutis absoluens, cum omni generatione sua, dedit ei terram propriam, in qua cum vxore ac liberis liber vixit omnibus diebus vitæ suæ.

XV. SIGIVALDVS autem cùm in Aruerno habitaret, multa mala in ea faciebat. Nam & res diuersorum peruadebat, & serui eius non desistebant à furtis, homi-

A homicidiis, ac super numerum diuersis sceleribus. nec vllus mutire ausus erat coram eis. Vnde factum est, vt ipse villam Bulgiatensem, quam quondam Benedictus Tetradius Episcopus Basilicæ sancti Iuliani reliquerat, temerario ausu peruaderet. Sed cùm ingressus in domum illam fuisset, statim amens effectus, lecto decubuit. Tunc mulier admonita per Sacerdotem, eleuatum in basternam, vt in aliam villam transferret, sanum recepit. Et accedens, exposuit ei omnia quæ pertulerat. Quod ille audiens, vota beato Martyri vouens, ea quæ vi abstulerat, duplicata restituit. Meminimus & huius virtutis in Libro Miraculorum sancti Iuliani.

THEODORICVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS.

XVII. IGITVR Dinifio Episcopo apud Turonos decedente, Ommatius tribus annis præfuit. Hic enim ex iussu Chlodomeris Regis, cuius suprà meminimus, ordinatus est. Illo quoque migrante, Leo septem mensibus ministrauit. Hic fuit vir strenuus atque vtilis in fabrica operis lignarij. Quo defuncto, Theodorus & Proculus Episcopi, qui de partibus Burgundiæ aduenerant, ordinante Chrothilde Regina tribus annis Turonicam rexerunt Ecclesiam. Quibus defunctis, Francilio ex Senatoribus substituitur. Anno igitur tertio Episcopatus sui, cùm Dominici Natalis nox alma populis effulsisset, idem Pontifex priusquam ad vigilias descenderet, iussit sibi poculum ministrari. Adueniens autem puer, sine mora porrexit. Quo hausto, mox spiritum fudit: vnde indubitatum est veneno eum fuisse necatum. Quo decedente, Iniuriosus vnus è ciuibus, quindecimus post beatum Martinum, cathedram Pontificalem sortitus est.

B

XVIII. DVM autem Chrothildis * Regina Parisius moraretur, videns Childebertus, quòd mater sua filios Chlodomeris (quos suprà memorauimus) vnico affectu diligeret, inuidia ductus, ac metuens ne fauente Regina admitterentur in Regnum, misit clam ad fratrem suum Chlotharium Regem dicens: « Mater nostra filios fratris nostri secum retinet, & vult eos Regno donari: debes velociter adesse Parisius, & habito communi consilio pertractari oportet, quid de his fieri debeat: Vtrum incisa cæsarie, vt reliqua plebs habeantur, an certè his interfectis Regnum germani nostri inter nosmetipsos æqualitate habita diuidatur. » De quibus ille verbis valde gauisus, Parisius venit. Iactauerat enim Childebertus verbum in populo: ob hoc hos coniungi Reges, quasi paruulos illos eleuaturos in Regno. Coniuncti autem miserunt ad Reginam, quæ tunc in ipsa vrbe morabatur, dicentes: Dirige paruulos ad nos, vt sublimentur in Regno. At illa gauisa, nesciens dolum illorum, dato pueris esu potúque, direxit eos, dicens: « Non me puto amisisse filium, si vos videam in eius Regno substitui. » Qui abeuntes, adprehensi sunt statim, ac separati à pueris & nutritoribus suis. Custodiebantur vtrique seorsum pueri, & seorsum hi paruuli. Tunc Childebertus atque Chlotharius miserunt Archadiũ, cuius suprà meminimus, ad Reginam, cum forcipe atque euaginato gladio. Qui veniens ostendit Reginæ vtraque, dicens: « Voluntatem tuam, ô gloriosissima Regina, filij tui Domini nostri expetunt, quid de pueris agendum censeas, vtrum incisis crinibus eos viuere iubeas, an vtrumque iugulari? » At illa exterrita nuncio, & nimium felle commota, præcipuè cùm gladium cerneret euaginatum ac forcipem, amaritudine præuenta, ignorans in ipso dolore quid diceret, ait simpliciter: « Satius enim mihi est, si ad Regnum non eriguntur, mortuos eos videre, quàm tonsos. » At ille parum admirãs dolorem eius, nec scrutans quid deinceps plenius pertractaret, venit celeriter nuncians, ac dicens: « Fauente Regina opus cœptum perficite. Ipsa enim vult expleri consilium vestrum. » Nec mora, apprehensum Chlotharius puerum seniorem, brachio elisit in terra, defigénsque cultrum in axillam * crudeliter interfecit. Quo vociferante, frater eius ad pedes Childeberti prosternitur: adprehensisque eius genibus, aiebat cum lachrymis: « Succurre piissime pater, ne & ego peream sicut frater meus. » Tunc Childebertus lachrymis respersa facie ait: « Rogo dulcissime frater, vt eius mihi vitam tua largitate concedas: & quæ iusseris pro eius anima conferam, tantùm ne interficiatur. » At ille furore actus, ait: « Aut eiice eum à te, aut certè pro eo morieris. Tu, inquit, es incestator huius causæ, & tam velociter de fide resilis? » Hæc ille audiens, repulsum à se puerum proiicit ad eum. Ipse verò excipiens transfixum cultro in latere, sicut fratrem priùs fecerat, iugulauit. Deinde pueros cum nutritiis peremerunt. Quibus interfectis, Chlotharius ascensis equis

C

* al. ascellã.

THEODORICVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS. abscessit, paruipendens de interfectione nepotum. Sed & Childebertus in suburbana concessit. Regina verò compositis corpusculis feretrò, cum magno psallentio, immensóque luctu, vsque ad Basilicam sancti Petri prosecuta, vtrumque pariter tumulauit. quorum vnus decem annorum erat, aliùs verò septennis. Tertium verò Chlodoaldum comprehendere non potuerunt, quia per auxilium virorum fortium liberatus est. Is postposito Regno terreno, ad Dominum transiit, & sibi manu propria capillos incidens, Clericus factus est: bonísque operibus insistens, Presbyter ab hoc mundo migrauit. Hi quoque Regnum Chlodomeris inter se æqua lance diuiserunt. Chrothildis verò Regina talem se tantámque exhibuit, vt ab omnibus honoraretur: assidua in eleemosynis, pernox in vigiliis, in castitate atque omni honestate puram se semper exhibuit. Prædia Ecclesiis, Monasteriis vel quibuscunque locis sanctis necessaria prouidit, larga ac prona voluntate distribuit: vt putaretur eo tempore non Regina, sed propria Dei ancilla ipsi sedulò deseruire. Quam non Regnum filiorum, non ambitio seculi, nec facultas extulit ad ruinam, sed humilitas euexit ad gratiam. A

XIX. ERAT enim tunc & beatus Gregorius apud vrbem Lingonicam, magnus Dei Sacerdos, signis & virtutibus clarus. Sed quia huius Pontificis meminimus, gratum arbitratus sum, vt situm loci Diuionensis, in quo maximè erat assiduus, huic inseram lectioni. Est autem castrum firmissimis muris, in media planitie & satis iocunda compositum. Terra valde fertilis atque fœcunda, ita vt aruis semel scissis vomere, semina iaciantur, & magna fructuum opulentia subsequatur. A B
*al. Oscarũ. Meridie habet Oscarum * fluuium, piscibus valde prædiuitem. Ab Aquilone verò alius fluuiolus venit, qui per portam ingrediens, ac sub pontem decurrens, per aliam rursus portam egreditur, totum munitionis locum placida vnda circumfluens. Ante portam autem molina mira volocitate diuertit. Quatuor portæ à quatuor plagis mundi sunt positæ; totúmque ædificium triginta tres turres exornant. Murus verò illius de quadris lapidibus vsque in viginti pedes, desuper à minuto lapide ædificatus habetur: habens in altum pedes triginta, in latum pedes quindecim. Quæ cur non ciuitas dicta sit, ignoro. Habet enim in circuitu preciosos fontes. A parte autem Occidentis montes sunt vberrimi, vineísque repleti, *al. Scanolonum. qui tam nobile incolis falernum porrigunt, vt respuant Scalonum *. Nam veteres ferunt ab Aureliano hoc Imperatore fuisse ædificatum.

XX. THEODORICVS autem filio suo Theodoberto VVisigardem cuiusdam Regis filiam desponsauerat.

XXI. GOTHI verò cùm post Chlodouei mortem multa de his, quæ ille acquisierat, peruasissent, Theodoricus Theodobertum, Chlotharius verò GVNTHARIVM seniorem filium suum, ad hæc requirenda transmittunt. Sed Guntharius vsque Rutenos accedens, nescio qua faciente causa, regressus est. Theodobertus verò vsque ad Biterrensem ciuitatem abiens, Deas castrum obtinuit, atque hinc prædam diripuit. Deinde ad aliud castrum nomine Caprariam Legatos mittit, C
dicens, nisi se illi subdant, omnem locum illum incendio concremandum, eósque qui ibidem resident captiuandos.

XXII. ERAT autem ibidem tunc matrona Deuteria nomine, vtilis valde atque sapiens, cuius vir apud Biterris vrbem concesserat. Quæ misit nuncios ad Regem, dicens; Nullus tibi, Domine piissime, resistere potest. cognoscimus Dominum nostrum. Veni, & quod fuerit beneplacitum in oculis tuis, facito. Theodobertus autem ad castrum veniens, cum pace ingressus est; subditúmque sibi cernens populum, nihil inibi malè gessit. Deuteria verò ad occursum eius venit. at ille speciosam eam cernens, amore eius capitur, suóque eam copulauit stratui.

XXIII. IN illis diebus, Theodoricus parentem suum Sigiualdum occidit gladio, mittens occultè ad Theodobertum, vt & ille Giualdum filium eius neci daret, quem tunc secum habebat. Sed quia eum de sacro fonte exceperat, perdere noluit. Literas verò, quas ei pater transmiserat, ipsi ad legendum dedit, dicens: Fuge hinc, quia patris mei præceptum accepi, vt te interficiam. Si verò ille defunctus fuerit, & me regnare audieris, tunc securus ad me reuerteris. Quod audiens, gratias agens, & vale dicens, abscessit. Arelatensem enim tunc vrbem Gothi peruaserant; de qua Theodobertus obsides retinebat. Ad eam Giualdus confugit. Sed parum se ibidem cernens esse munitum, Latium petiit, ibique & latuit.

A Dum hæc agerentur, nunciatur Theodoberto patrem suum grauiter ægrotare, & ad quem nisi velociùs properaret, vt eum inueniret viuũ, à patruis suis excluderetur, & vltra illuc non rediret. At ille his auditis, cunctis postpositis illuc dirigit, Deuteria cum filia sua Aruerno relicta. Cúmque abiisset, Theodoricus non post multos dies obiit, vicesimotertio regni sui anno. Consurgentes autem Childebertus & Chlotharius contra Theodobertum, Regnum eius auferre voluerunt. Sed ille, muneribus placatis, à leodibus* suis defensatus est, & in Regno stabilitus. Mittens postea Aruernum, Deuteriam exindè accersiuit, eámque sibi in matrimonio sociauit. THEODORICVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS. *al. leudibus.

XXIV. VIDENS autem Childebertus, quòd ei præualere non potuisset, Legationem ad eum misit, & ad se venire præcepit, dicens: Filios non habeo, te tanquam filium habere desidero. Quo veniente, tantis eum muneribus ditauit, vt ab omnibus miraretur. Nam de rebus bonis tam de armis, quàm de vestibus, vel reliquis ornamentis quæ Regem habere decet, terna ei paria condonauit: similiter & de equis atque catenis. Hæc audiens Giualdus, quòd scilicet Theodobertus Regnum patris obtinuisset, ad eum de Italia rediit. Cui ille congaudens, ac deosculans, tertiam partem ei de muneribus, quæ à patruo acceperat, est largitus: & omnia, quæ in fisco suo pater suus posuerat, de rebus Sigiualdi patris eius, ipsi reddi præcepit.

B XXV. AT ille in Regno firmatus, magnum se atque in omni bonitate præcipuum reddidit. Erat enim Regnum cum iustitia regens, Sacerdotes venerans, Ecclesias munerans, pauperes releuans, & multa multis beneficia pia ac dulcissima accommodans voluntate. Omne tributum, quod in fisco suo ab Ecclesiis in Aruerno sitis reddebatur, clementer indulsit.

XXVI. DEVTERIA verò cernens filiam suam adultam valde esse, timens ne eam concupiscens Rex sibi adsumeret, in basterna positam indomitis bobus coniunctis eam de ponte præcipitauit, quæ in ipso flumine spiritum reddidit. hoc apud Viridunum ciuitatem actum est.

XXVII. CVMQVE iam septimus annus esset, quòd VVisigardem desponsatam haberet, & eam propter Deuteriam accipere nollet, coniuncti Franci contra eum valde scandalizabantur, Quare sponsam suam relinqueret? Tunc commotus, relicta Deuteria, de qua paruulum filium habebat THEODOVALDVM* nomine, VVisigardem duxit vxorem. Quam nec multo tempore habens, defuncta illa, aliam accepit. Veruntamen Deuteriam vltra non habuit. *al Theodobaldum.

XXVIII. CHILDEBERTVS autem & Theodobertus commouentes exercitum, contra Chlotharium ire disponunt. Ille autem hæc audiens, æstimans se horum exercitum non sustinere, in siluam confugit. Et concides magnas in siluis illis fecit, totámque spem suam in Dei pietatem transfundens. Sed & Chrothildis Regina hæc audiens, beati Martini sepulchrum adiit, ibíque in oratione prosternitur, C & tota nocte vigilat, orans ne inter filios suos bellum ciuile consurgeret. Cúmque hi venientes cum exercitibus suis, eum obsiderent, tractantes illum die sequenti interficere; mane facto, in loco quo erant congregati orta tempestas tentoria dissipauit, res diripuit, & cuncta subuertit, immixtáque fulgura cum tonitruis ac lapidibus super eos descendunt. Ipsi quoque super infectam grandine humum in faciem proruunt, & à lapidibus descendẽtibus grauiter verberantur. Nullum enim eis tegumen remanserat, nisi parmæ tantùm: hoc maximè metuentes, ne ab ignibus cœlestibus cremarentur. Sed & equites eorum ita dispersi sunt, vt vix in vicesimo quoq; reperirentur stadio. Multi enim prorsus ex eis non sunt inuenti. Tunc illi (vt diximus) à lapidibus cæsi & humo prostrati, pœnitentiam agebant, ac precabantur veniam à Deo, quòd ista contra sanguinem suum agere voluissent. Super Chlotharium verò neque vna quidem pluuiæ gutta decidit, aut aliquis sonitus tonitrui est auditus: sed nec anhelitum vllius venti in illo loco sensere. Hi quoque mittentes nuncios ad eum, pacem & concordiam petierunt. qua data, ad propria sunt regressi. Quod nullus ambigat, hanc per obtentum Reginæ, beati Martini fuisse virtutem.

XXIX. POST hæc Childebertus Rex in Hispaniam abiit. quam ingressus cum Chlothario, Cæsar augustanam ciuitatem cum exercitu vallant atque obsident. At illi in tanta humilitate ad Deum conuersi sunt, vt induti ciliciis, abstinentes

CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS. THEODOBERTVS.

à cibis & poculis, cum tunica beati Vincentij Martyris, muros ciuitatis psallendo circuirent. Mulieres quoque amictæ nigris palliis, dissoluta cæsarie, superposito cinere, vt eas putares virorum funeribus deseruire, plangendo sequebantur. Et ita totam spem locus ille ad Domini misericordiam * retulit, vt diceretur ibidem Niniuitarum ieiunium celebrari: nec æstimaretur aliud posse fieri, nisi eorum precibus, diuina misericordia inflecteretur. Hi autem qui obsidebant, nescientes quid obsessi agerent, cùm viderent sic murum circuiri, putabant eos aliquid agere maleficij. Tunc adprehensum vnum de ciuitate rusticum, ipsi interrogant, » Quid hoc esset quod agerent? Qui ait: Tunicam beati Vincentij deportant, & » cum ipsa vt eis Dominus misereatur, exorant. Quod illi timentes, se ab ea ciui» tate remouerunt. tamen acquisita maxima Hispaniæ parte, cum magnis spoliis in Gallias redierunt. A

* al. Dominum misericordiæ.

XXX. POST Amalaricum verò, Theuda Rex ordinatus est in Hispaniis. Quo interfecto, Theodogisilum leuauerunt Regem. Is dum ad cœnam cum amicis suis epularetur, & esset valde lætus, cereis subitò extinctis, in recubitu ab inimicis gladio percussus interiit. Post quem Agila Regnum accepit. Sumpserant enim Gothi hanc detestabilem consuetudinem, vt si quis eis de Regibus non placuisset, gladio eum adpeterent: & qui libuisset animo, hunc sibi statuerent Regem.

XXXI. ET quia Theodoricus Rex Italiæ Chlodouei Regis sororem in matrimonio habuit, mortuus paruulam filiam cum vxore reliquit. Hæc autem cùm adulta facta esset, per leuitatem animi sui, relicto matris consilio, quæ ei Regis filium prouidebat, seruum suum Trauuilanem nomine accepit, & cum eo ad ciuitatem, qua defensari posset, aufugit. Cúmque mater eius contra eam valde » frenderet, peterétque ab ea, ne humiliaret diutius nobile genus, sed dimisso ser» uo similem sibi de genere regio, quem prouiderat, deberet accipere, nullate» nus voluit adquiescere. Tunc mater eius contra eam frendens, exercitum commouit. At illi venientes super eos, Trauuilanem interfecerunt gladio, ipsam quoque cædentes in domum matris reduxerunt. Erant autem sub Arriana secta viuentes. Et quia consuetudo eorum est, vt ad altarium venientes, de alio calice Reges communicent, & de alio populus minor, venenum in calice illo posuit, de quo mater communicatura erat. Quo illa hausto, protinus mortua est. Non enim dubium est, tale maleficium esse de parte diaboli. Quid contra hæc miseri Hæretici respondebunt, vt in sancta eorum locum habeat inimicus? Nos verò Trinitatem in vna æqualitate pariter & omnipotentia confitentes, etiam si mortiferum bibamus, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, veri atque incorruptibilis Dei, nihil nos nocebit. Indignantes ergo Itali contra hanc mulierem, Theodatum Regem Tusciæ inuitantes, super se Regem statuunt. Hic verò cùm didicisset quæ meretrix ista commiserat, qualiter propter seruum quem acceperat in matrem extiterat parricida, succenso vehementer balneo, eam in eodem cum vna puella includi præcepit. Quæ nec mora, in arduos vapores ingressa, in pauimento corruens, mortua atque consumpta est. Quod cognoscentes hi Reges, Childebertus & Chlotharius, consobrini eius, necnon & Theodobertus, quòd scilicet tam turpi fuerit interfecta supplicio, ad Theodatum » Legationem dirigunt, exprobrantes de morte eius, atque dicentes; Si hæc quæ » egisti, nobiscum non composueris, Regnum tuum auferemus, & simili pœ» na te damnabimus. Tunc ille timens, quinquagena eis milia aureorum transmisit. Childebertus autem, vt erat semper contra Chlotharium Regem inuidus atque versutus, cum Theodoberto nepote suo coniunctus, diuiso inter se hoc auro, nihil exinde dare Regi Chlothario voluerunt. At ille super thesauros Chlodomeris adgressus, multum illis ampliùs quàm hi fraudauerant, abstulit.

(In the margin: B beside the first line of XXXI; C beside the line "eodem cum vna puella includi præcepit".)

XXXII. THEODOBERTVS verò in Italiam abiit, & exinde multum adquisiuit. Sed quia loca illa (vt fertur) morbida sunt, exercitus eius in diuersis febribus corruens, vexabatur. Multi enim ex his, in illis locis mortui sunt. Quod videns Theodobertus, ex ea reuersus est, multa secum spolia ipse vel sui deferentes. Dicitur tamen tunc temporis vsq; Ticinum accessisse ciuitatem, in qua Buccellinum rursum direxit. Qui minore illa Italia capta, atq; in ditionibus Regis antedicti redacta, ma-

A iorem petiit: in qua contra Bellissarium multis vicibus pugnans, victoriam obtinuit. Cúmque Imperator vidisset, quòd Bellissarius crebriùs vinceretur, amoto eo, Narsetem in eius locum statuit. Bellissarium verò Comitem stabuli, quasi pro humilitate quod prius fuerat, posuit. Buccelinus verò contra Narsetem magna certamina gessit, capta omni Italia, vsque in mare terminum dilatauit. Thesauros verò magnos ad Theodobertum de Italia direxit. Quod cùm Narses Imperatori posuisset in notitiam, Imperator conductis precio gentibus, Narseti solatium mittit, confligénsque postea victus abscessit. Deinceps verò Buccelinus Siciliam occupauit, de qua etiam tributa exigens, Regi transmisit. Magna enim ei felicitas in his conditionibus fuit. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS. THEODOBERTVS.

XXXIII. ASTERIOLVS tunc & Secundinus magni cum Rege habebantur. Erat autem vterque sapiens, & rhetoricis imbutus litteris. Sed Secundinus plerumque Legationem Imperatori à Rege missus intulit. Et ob hoc iactantiam sumpserat, ac nonnulla contra rationem exercebat. Qua de causa factum est, vt inter illum atque Asteriolum, lis sæua consurgeret: quæ vsque ad hoc profecit, vt oblitis verborum obiectionibus, propriis se manibus verberarent *. Cúmque hæc per Regem pacificata fuissent, & Secundinus adhuc de sua cæde timeret *, nata est inter eos rursum contentio *. Et Rex suscipiens Secundini causam, Asteriolum in eius potestatem dedit. Qui valde humiliatus est, & ab honore depositus, sed per

*al. lacerarent.
*al. tumeret.
*al. intétio

B VVisigardem Reginam iterum est restitutus. Mortua autem illa, consurgens iterum Secundinus, eum interfecit. Nam hic moriens filium dereliquit. Qui cùm creuisset, & esset adultus, cœpit patris sui velle iniuriam vindicare. Tunc Secundinus timore perterritus, dum de villa in villam ante eum fugeret, cùm se iam videret eo imminente non posse euadere, ne in manus inimici corrueret, veneno se (vt dicitur) interfecit.

XXXIV. DESIDERATVS autem Viridunensis Episcopus, cui Theodoricus Rex multas inrogauit iniurias, cùm post multa exitia, damna, atque ærumnas, ad libertatem propriam iam Domino iubente rediisset, & Episcopatu, (vt diximus) apud Virdunensem vrbem potiretur, videns habitatores eius valde pauperes atque destitutos, dolebat super eis. Et cùm ipse per Theodoricum de rebus suis remansisset extraneus, nec haberet de proprio qualiter eos consolaretur, bonitatem & clementiam circa omnes Theodoberti Regis cernens, misit ad eum Legationem dicens: Fama bonitatis tuæ in vniuersam terram vulgatur, cùm tanta sit tua largitas, « vt etiam non petentibus opem præstes. Rogo si pietas tua habet aliquid de pecu- « nia, nobis commodes, qua ciues nostros releuare valeamus. Cúmque hi negotium « exercentes, sponsionem * in ciuitate nostra sicut reliquæ habent, præstiterint, pe- « cuniam tuam cum vsuris legitimis reddemus. Tunc ille pietate commotus, septem ei milia aureorum præstitit. Quæ ille accipiens, per ciues suos erogauit. At illi ne-

*al responsum.

C gocia exercentes, diuites per hoc effecti sunt, & vsque hodie magni habētur. Cúmque antedictus Episcopus debitam pecuniam obtulisset Regi, respondit Rex: Non « habeo necessarium hoc recipere: illud mihi sufficit, si dispensatione tua pauperes « qui opprimebantur inopia, per tuam suggestionem, vel per meam largitatem sunt « releuati. Et nihil exigens, antedictos ciues diuites fecit. »

XXXV. DEFVNCTO autem apud vrbem supradictam memorato Antistite, Agiricus quidam è ciuibus in cathedram eius subrogatur. Siagrius autem filius eius reminiscens iniurias patris, qualiter à Siriualdo ad Regem Theodoricum incusatus, non solùm spoliatus, verùm etiam suppliciis affectus fuisset, oppressum cum armata manu Siriualdum taliter interfecit. Tunc mane facto, cùm nebula esset condensa, & vix adhuc disrumpentibus tenebris aliquid quis posset discernere, venit ad villam eius in Diuionensi territorio, cui nomen est Floriacus. Egressóque domum vno amicorum, putantes ipsum Siriualdum esse, interfecerunt eum: & reuertentibus quasi victoriam obtinuissent de inimico, indicat eis vnus ex familia, non eos dominum interfecisse, sed subditum. At illi regressi, requirentes eum, cellulam, in qua dormire solitus erat, repertam adgrediuntur. Ad cuius ostium diutissimè pugnantes, nihil ei poterant præualere. Dehinc erutum ab vno latere parietem ingredientes, gladio eum interimunt. Post mortem enim Theodorici hic interfectus est.

XXXVI. HIS denique gestis, Theodobertus Rex ægrotare cœpit. Ad quem me-

CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS. THEODOBERTVS.

dici multa studia impenderunt: sed nihil valuit, quia eũ iam Dominus vocari iubebat. Ergo cùm diutissimè ægrotasset, ab ipsa infirmitate deficiẽs, reddidit spiritum. Franci verò cum Parthenium in odio magno haberent, pro eo quòd eis tributa antedicti Regis tẽpore inflixisset, eum persequi cœperunt. Ille verò in periculo positum se cernens, confugium ab vrbe facit, & à duobus Episcopis suppliciter exorat, vt eum ad vrbem Treuericam deducentes, populi sæuientis seditionem sua prædicatione comprimerent. Quibus euntibus, nocte dum in stratu suo decumberet, subitò per somnium vocem magnam emittit dicens: Heu! heu! succurrite qui adestis, & auxilium ferte pereunti. A quo clamore expergefacti qui aderãt, interrogant, Quid hoc esset? Respondit ille, Ausanius amicus meus cum Papianilla coniuge, quos olim interfeci, ad iudicium me arcessebant, dicentes; Veni ad respondendum, quia causaturus es nobiscum coram Domino. Zelo enim ductus ante annos aliquot coniugem innocentem amicúmque peremerat. Igitur accedentibus Episcopis ad antedictam vrbem, cùm strepentis populi seditionem ferre non possent, eum in Ecclesia abdere voluerunt, scilicet ponentes eum in arca, & desuper sternentes vestimenta quæ erant ad vsum Ecclesiæ. Populus autem ingressus, perscrutatúsque vniuersos angulos Ecclesiæ, cùm nihil reperisset, frendens egrediebatur. Tunc vnus ex suspicione locutus ait: En arca, in qua non est inquisitus aduersarius noster. Dicentibus verò custodibus, nihil in ea aliud nisi ornamenta Ecclesiæ contineri, illi clauem postulant, aientes; Nisi reseraueritis velociùs, ipsi eam sponte confringimus. Denique reserata arca, amotis linteaminibus, inuentum extrahunt, plaudentes atque dicentes: Tradidit Deus inimicum nostrum in manibus nostris. Tunc cædentes eum pugnis, sputísque perungentes *, vinctis post tergum manibus ad columnam lapidibus obruunt. Fuit autem in cibis valde vorax: sed quæ sumebat, quò celeriùs ad manducandum commoueretur, sumpto aloe velociter digerebat, sed & strepitus ventris absque vlla auditorum reuerentia in publico emittebat. Hoc ergo exitu consummatus interiit.

* al. perurgentes.

XXXVII. GRAVIS eo anno & solito asperior hyems * fuit, ita vt torrentes concatenati gelu, peruium populis iter tanquam reliqua humus præberent. Aues quoque rigore affectæ vel fame, absque vllo hominum dolo, cùm magnæ essent niues, manu capiebantur. A transitu igitur Chlodouei vsque in transitum Theodoberti, computantur anni triginta septem. Mortuo ergo Theodoberto, quarto decimo Regni sui anno, regnauit THEODOVALDVS filius eius pro eo.

* al. Grauẽ hiemem fecit.

EXPLICIT LIBER III.

GREGORII EPISCOPI TVRONENSIS HISTORIAE FRANCORVM LIBER QVARTVS.

CAPITVLA LIBRI.

I. IGITVR Chrothildis Regina plena dierum, bonisque operibus prædita, apud vrbem Turonicam obiit, tempore Iniuriosi Episcopi: quæ Parisius cum magno psallentium præconio deportata, in sacrario Basilicæ sancti Petri, ad latus Chlodouei Regis sepulta est, à filiis suis Childeberto atque Chlothario Regibus. Nam Basilicam illam ipsa construxerat, in qua & Genouefa beatissima est sepulta.

II. DENIQVE Chlotharius Rex indixerat, vt omnes Ecclesiæ Regni sui tertiam partem fructuum fisco dissoluerent. Quod licèt inuiti, cùm omnes Episcopi consensissent atque subscripsissent, viriliter hoc beatus Iniuriosus respuens, subscribere dedignatus est, dicens: Si volueris res Dei tollere, Dominus Re- « gnum tuum velociter auferet: quia iniquum est vt pauperes, quos tuo debes « alere horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur. Et iratus contra Regem, nec « vale dicens, abscessit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem beati Martini, misit post eum cum muneribus, veniam precans, & hoc quod fecerat damnans, simúlque rogans, vt pro se virtutem beati Martini Antistitis exoraret.

III. CHLOTHARIVS denique ipse Rex de diuersis mulieribus septem filios habuit, id est de Ingunde, GVNTHARIVM, CHILDERICVM, CHARIBERTVM, GVNTCHRAMNVM, SIGIBERTVM, & CHLOTSINDAM filiam. De Aregunde verò sorore Ingundis, CHILPERICVM. De Chunsena habuit CHRAMNVM. Quæ autem causa fuerit, vt vxoris suæ sororem acciperet, dicam. Cùm iam Ingundem in coniugio accepisset, & eam vnico amore di-

CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS. THEODOVALDVS. ligeret, suggestionem ab ea accepit dicente: Fecit Dominus meus de ancilla sua quod libuit, & suo me strato * adsciuit. Nunc ad complendam mercedem, quid famula tua suggerat, audiat Dominus meus Rex. Precor vt sorori meæ seruæ vestræ vtilem atque habentem virum ordinare dignemini, vnde non humilier, sed potiùs exaltata seruire fideliùs possim. Quod ille audiens, cùm esset nimium luxuriosus, in amorem Aregundis incenditur, & ad villam, in qua ipsa residebat, dirigit, eámque sibi in matrimonio sociauit. Qua accepta, ad Ingundem rediens ait: Tractaui mercedem illam implere, quam me tua dulcedo expetiit. Et requirens virum diuitem atque sapientem, quem tuæ sorori deberem adiungere, nihil melius quàm meipsum inueni. Itaque noueris, quia eam coniugem accepi. quod tibi displicere non credo. At illa: Quod bonum, inquit, videtur in oculis Domini mei, faciat; tantum ancilla tua cum gratia Regis viuat. Guntharius verò, Chramnus, atque Childericus, viuente patre mortui sunt. Exitum verò Chramni in posterum scribemus. Alboinus quoque Rex Longobardorum Chlotsindam filiam Regis accepit. Obiit autem Iniuriosus Episcopus vrbis Turonicæ, decimo & septimo Episcopatus sui anno. Cui Baudinus ex domestico Chlothanij Regis successit, sextus decimus post exitum beati Martini.

* al. stratui A

IV. CHANAO quoque Britannorum Comes tres fratres suos interfecit. Volens autem adhuc Macliauum interficere, comprehensum atque catenis oneratum in carcere retinebat. Qui per Felicem Namneticum Episcopum à morte liberatus est. Post hæc iurauit fratri suo, vt ei fidelis esset. sed nescio quo casu sacramentum inrumpere voluit. Quod Chanao sentiens, iterum eum persequebatur. At ille, cùm se euadere non posse videret, post alium Comitem regionis illius fugit, nomine Chonomorem. Is cùm sentiret persecutores eius adpropinquare, sub terra eum in loculo abscondit, componens desuper ex more tumulum, paruúmque ei spiraculum reseruans, vnde halitum resumere posset. Aduenientibus autem persecutoribus eius, dixerunt: Ecce hic Macliauus mortuus atque sepultus iacet. Quod illi audientes, atque gaudentes, & super tumulum illum bibentes, renunciauerunt fratri, eum mortuum esse. Quod ille audiens, Regnum eius integrum accepit. Nam semper Britanni sub Francorum potestate post obitum Regis Chlodouei fuerunt, & Comites, non Reges appellati sunt. Macliauus autem de sub terra consurgens, Veneticam vrbem expetiit, ibique tonsoratus, & Episcopus ordinatus est. Mortuo autem Chanaone, hic apostatauit, & demissis capillis, vxorem, quam post clericatum reliquerat, cum Regno fratris simul accepit. Sed ab Episcopis excommunicatus est. Cui qualis fuerit interitus, sequenter scribemus. Obiit autem Baudinus Episcopus anno VI. Episcopatus sui: in cuius locum Guntharius Abbas subrogatur XVII. post transitum sancti Martini. B

V. DENIQVE cùm beatus Quintianus, (sicut suprà diximus) ab hoc mundo migrasset, sanctus Gallus in eius cathedram, Rege opitulante, substitutus est. Huius tempore, cùm lues illa, quam Inguinariam vocant, per diuersas regiones desæuiret, & maximè tunc Arelatensem Prouinciam depopularetur, sanctus Gallus non tantùm pro se, quantùm pro populo suo trepidus erat. Cúmque die noctúque Dominum deprecaretur, vt viuens plebem suam vastari non cerneret, per visum noctis apparuit ei Angelus Domini, qui tam cæsariem quàm vestem in similitudine niuis candidam efferebat. & ait ad eum: Benè enim facis, ô Sacerdos, quòd sic Dominum pro populo tuo supplicas. Exaudita est enim oratio tua, & ecce eris cum populo tuo ab hac infirmitate liberatus, nullúsque te viuente in regione ista ab hac strage deperiet. Nunc autem ne timeas: post octo verò annos time. Vnde manifestum fuit, transactis his annis, eum à seculo discessurum. Expergefactus autem, & Deo gratias pro hac consolatione agens, quòd eum per cælestem nuncium confortare dignatus est, Rogationes illas instituit, vt media Quadragesima psallendo, ab Basilicam beati Iuliani Martyris itinere pedestri venirent. Sunt autem in hoc itinere, quasi stadia CCCLX. Tunc etiam in subita contemplatione, parietes vel domorum vel Ecclesiarum signati videbantur. Vnde à rusticis hæc scriptio *Thau* vocabatur. Cùm autem regiones alias (vt diximus) lues illa consumeret, ad ciuitatem Aruernam, sancti Galli intercedente oratione, non attigit. Vnde hæc non paruam censeo gratiam, qui hoc me- C

A fuit, vt pastor positus oues suas deuorari defendente Domino non videret. Cùm autem ab hoc mundo migrasset, & ablutus in Ecclesiam deportatus fuisset, Cato Presbyter continuò à Clericis de Episcopatu laudes accepit: & omnem rem Ecclesiæ tanquam si iam esset Episcopus, in suam redegit potestatem. Ordinatores remouet, ministros respuit, cuncta per se ordinat.

VI. EPISCOPI tamen qui aduenerant sanctum Gallum sepeliendum, postquam eum sepelierant, dixerunt Catoni Presbytero: Videmus quia te elegit pars maxima populorum: veni, consenti nobis, & benedicentes consecremus te ad Episcopatum. Rex verò paruulus est, & si qua tibi adscribitur culpa, nos suscipientes te sub defensione nostra, cum Proceribus & primis Regni Theodoualdi Regis agemus, ne tibi vlla excitetur iniuria. Nos quoque (intantum fideliter crede, vt spondeamus pro te) omnia etiam si damni aliquid superuenerit, de nostris propriis facultatibus id reddituros. At ille cothurno vanæ conflatus gloriæ ait: Nostis enim fama currente, me ab initio ætatis meæ semper religiosè vixisse, vacasse ieiuniis, eleemosynis delectatum fuisse, continuatas sæpiùs exercuisse vigilias, psallentio verò iugi crebra perstitisse statione nocturna. Nec me Dominus Deus meus patitur hac ordinatione priuari, cui tantum famulatum exhibui. Nam & ipsos Clericatus gradus canonica sum semper institutione sortitus. Lector decem annis fui, Subdiaconatus officium quinque annis ministraui, Diaconatui verò quindecim annis mancipatus fui, Presbyterij autem iam honore viginti an-
B nis potior. Quid enim mihi nunc restat, nisi vt Episcopatum, quem fidelis seruitus promeretur, accipiam? Vos igitur reuertimini ad ciuitates vestras, & si quid vtilitati vestræ competit, exercete. Nam ego canonicè adsumpturus sum hunc honorem. Hæc audientes Episcopi, & in eum vanam gloriam execrantes, discesserunt.

VII. IGITVR cum consensu Clericorum ad Episcopatum electus, cùm adhuc non ordinatus cunctis ipse præesset, Cautino Archidiacono diuersas minas intendere cœpit, dicens: Ego te remouebo, ego te humiliabo, ego tibi multas neces impendi præcipiam. Cui ille, Gratiam, inquit, tuam, Domine piissime, habere desidero: quam si mereor, vnum tibi beneficium præstabo. Sine vllo enim labore tuo, & absque vllo dolo, ego ad Regem pergam, & Episcopatum tibi obtinebo, nihil petens nisi vt promerear gratiam tuam. At ille suspicans eum sibi velle inludere, hæc valde despexit. Hic verò cùm se cerneret humiliari, atque calumniæ subiici, languore simulato, & per noctem ciuitatem egrediens, Theodoualdum Regem petiit, adnuncians transitum sancti Galli. Quod ille audiens, vel qui cum eo erant, conuocatis Sacerdotibus apud Metensem ciuitatem, Cautinus Archidiaconus Episcopus ordinatur. Cùm autem venissent nuncij Catonis Presbyteri, hic iam Episcopus erat. Tunc ex iussu Regis traditis ei Clericis, & omnibus quæ hi de rebus Ecclesiæ exhibuerant, ordinatisque qui cum eo pergerent Episcopis, & Camerariis, Aruernos eum direxerunt. Qui à Clericis &
C ciuibus libenter exceptus, Episcopus Aruernis est datus. Grandes posteà inter ipsum & Catonem Presbyterum inimicitiæ ortæ sunt: quia nullus vnquam potuit flectere Catonem, vt Episcopo suo subditus esset. Nam & diuisio Clericorum facta est, & alij Cautino Episcopo erant subditi, alij Catoni Presbytero. quod eis fuit maximum detrimentum. Cautinus autem Episcopus videns eum nullâ ratione posse flecti, vt sibi esset subditus, tam ei quàm amicis eius, vel quicumque ei consentiebant, omnes res Ecclesiæ abstulit, reliquitque eos inanes ac vacuos. Quicumque tamen ex ipsis ad eum conuertebantur, iterum quod perdiderant recipiebant.

VIII. REGNANTE verò Agilane apud Hispaniam, cùm populum grauissimo dominationis suæ iugo attereret, exercitus Imperatoris Hispanias est ingressus, & ciuitates aliquas peruasit. Interfecto autem Agilane, Athanagildus Regnum accepit. Qui multa bella contra ipsum exercitum postea egit, & eos plerumque deuicit, ciuitatésque, quas malè peruaserant, ex parte auferens de potestate eorum.

IX. THEODOVALDVS verò cùm iam adultus esset, Vuldetradam* duxit vxorem. Hunc Theodoualdum ferunt mali fuisse ingenij, ita vt iratus cuidam, quem suspectum de rebus suis habebat, fabulam fingeret, dicens: Serpens ampullam

*al. Valdetradam

CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS. THEODOVALDVS

vino plenam reperit, per cuius os ingressus, quod intus habebatur auidus hausit. A
A quo inflatus vino, exire per aditum quo ingressus fuerat, non valebat. Veniens verò vini dominus, cùm ille exire niteretur, nec posset, ait ad serpentem: Euome prius quod inglutisti, & tunc poteris abscedere liber. Quæ fabula magnum ei timorem atque odium præparauit. Sub eo enim & Bucellinus, cùm totam Italiam in Francorum Regnum redegisset, à Narsete interfectus est, Italia ad partem Imperatoris capta. nec fuit qui eam vltra reciperet. Sub huius tempore vuas in arbore, quam sambucum vocamus, absque vitis coniunctione natas vidimus: & flores ipsarum arborum, quæ nigra, (vt nostis) grana proferre solitæ sunt, racemorum grana dederunt. Tunc & in circulum Lunæ quintæ, stella ex aduerso veniens introisse visa est. Credo hæc signa mortem ipsius Regis adnunciasse. Ipse verò valde infirmatus, à cinctura deorsum se volutare non poterat. Qui paulatim decidens, septimo regni sui anno mortuus est: Regnúmque eius Chlotharius Rex accepit, copulans Vuldetradam vxorem eius strato suo. Sed increpitus à Sacerdotibus, reliquit eam, dans ei Gariualdum Ducem, dirigénsque Aruernum Chramnum filium suum.

x. Eo anno rebellantibus Saxonibus, Chlotharius Rex, commoto contra eos exercitu, maximam eorum partem deleuit: peruagans totam Thoringiam ac deuastans, pro eo quòd Saxonibus suppetias præstitissent*. B

*al. solacium præbuissent.

xi. DECEDENTE verò apud vrbem Turonicam Gunthario Episcopo, per emissionem, (vt ferunt) Cautini Episcopi, Cato Presbyter ad gubernandam Turonicæ vrbis Ecclesiam petebatur. Vnde factum est, vt coniuncti Clerici cum Leubaste Martyrario & Abbate, cum magno apparatu Aruernum properarent. Cúmque Catoni Regis voluntatem patefecissent, suspendit eos à responso paucis diebus. Hi verò regredi cupientes, dicunt; Pande nobis voluntatem tuam, vt sciamus quid debeamus sequi: alioquin reuertimur ad propria. Non enim nostra te voluntate expetiuimus, sed Regis præceptione. At ille, vt erat vanæ gloriæ cupidus, adunata pauperum caterua, clamorem dari præcepit his verbis: Cur nos deseris bone pater filios, quos nunc vsque educasti? Quis nos cibo potúque reficiet, si tu abieris? Rogamus ne nos relinquas, quos alere consuesti. Tunc ille conuersus ad Clerum Turonicum ait; Videtis nunc, fratres charissimi, qualiter hæc multitudo pauperum me diligit. non possum eos relinquere, & ire vobiscum. Istud hi responsum accipientes, regressi sunt Turonis. Cato autem amicitias cum Chramno nexuerat, promissionem ab eo accipiens, vt si contigerit in articulo temporis illius Regem mori Chlotharium, statim eiecto Cautino ab Episcopatu iste præponeretur Ecclesiæ. Sed qui cathedram beati Martini contemptui habuit, quam voluit non accepit. Impletúmque est in eo quod Dauid cecinit dicens: *Noluit benedictionem, & prolongabitur ab eo.* Erat enim vanitatis cothurno elatus, nullum sibi putans in sanctitate haberi præstantiorem. Nam quadam vice conducta pecunia mulierem clamare fecit in Ecclesia, quasi per energiam, & se Sanctum magnum, Deóque charum confiteri. Cautinum autem Episcopum omnibus sceleribus criminosum, indignúmque qui Sacerdotium debuisset adipisci. C

xii. Denique Cautinus adsumpto Episcopatu, talem se reddidit, vt ab omnibus execraretur, vino vltra modum deditus. Nam plerumque in tantum infundebatur potu, vt de conuiuio vix à quatuor portaretur. Vnde factum est vt epilepticus fieret in sequenti. quod sæpius populis manifestatum fuit. Erat enim & auaritiæ in tantum incumbens, vt cuiuscumque possessionis fines eius termino adhæsissent, interitum sibi putaret si ab eisdem aliquid non minuisset: & à maioribus quidem cum rixa & scandalo auferebat, à minoribus autem violenter diripiebat. Quibus & à quibus, (vt Sollius noster ait) nec dabat precia contemnens, nec accipiebat instrumenta desperans. Erat enim tunc temporis Anastasius Presbyter, ingenuus genere, qui per Chartas gloriosæ memoriæ Chrothildis Reginæ, proprietatem aliquam possidebat. Quem plerumque conuentum Episcopus rogabat humiliter ac suppliciter, vt ei Chartas supradictæ Reginæ daret, sibique possessionem hanc subderet. Sed ille cùm voluntatem Sacerdotis sui implere differret, eúmque Episcopus nunc blanditiis prouocaret, nunc minis terreret, ad vltimum inuitum vrbi exhiberi præcepit, ibique impudenter tene-

A ri: & nisi Instrumenta daret, iniuriis adfici, & fame necari iussit. Sed ille virili repugnans spiritu, nunquam præbuit Instrumenta, dicens: Satius sibi esse ad tempus inedia tabescere, quàm sobolem in posterum miseram derelinqui. Tunc ex iussu Episcopi traditur custodibus, vt nisi has Chartulas proderet, fame necaretur. Erat enim ad Basilicam sancti Cassij Martyris crypta antiquissima abditissimáque, vbi erat sepulchrum magnum ex marmore Pario, in quo grandæui cuiusdam hominis corpus positum videbatur. In hoc sepulchro super sepultum viuens Presbyter sepelitur, operitúrque lapide, quo prius sarcophagum fuit obtectum, datis ante ostium custodibus. Sed custodes fidi, quòd lapide premeretur, cùm esset hyems, accenso igne, vino sopiti calido obormiunt. At Presbyter tanquam nouus Ionas velut de ventre inferi, ita de conclusione tumuli Domini misericordiam flagitabat. Et quia spaciosum erat (vt diximus) sarcophagum, etsi se integrum vertere non poterat, manus tamen in parte qua voluisset liberè extendebat. Manabat enim ex ossibus mortuis (vt ipse referre erat solitus) fœtor lethalis, qui non solùm externa, verùm etiam interna viscerum quatiebat. Cúmque pallio aditus narium obseraret, quamdiu flatum continere poterat, nihil pessimum sentiebat. Vbi autem se quasi suffocari putabat, remoto paululum ab ore pallio, non modò per os, aut per nares, verùm etiam per ipsas (vt ita dicam) aures, odorem pestiferum hauriebat. Quid plura? Quando diuinitati (vt credo)
B condoluit, manum dexteram ad spondam sarcophagi tendit, reperitque vectem, qui decedente opertorio, inter ipsum ac labium sepulchri remanserat. Quem paulatim commouens, sensit cooperante Dei adiutorio lapidem amoueri. Verùm vbi ita remotus fuit, vt Presbyter caput foras educeret, maiorem quo totus egrederetur aditum liberiùs patefecit. Interea operientibus nocturnis tenebris diem, nec adhuc vsquequaque diffusis, aliud cryptæ ostium petit. Erat enim seris fortissimis clauisque firmissimis obseratum. Verumtamen non erat ita læuigatum, vt inter tabulas aspicere homo non posset. Ad hos aditus Presbyter caput reclinat, aduertitque hominem viam prætereuntem. Hunc, licèt voce tenui, vocat. Exaudit ille, nec mora, securem manu tenens, sudes ligneas, quibus seræ continebantur, incidit: aditúmque Presbytero patefecit. At ille de nocte consurgens, ad domum pergit, satis virum obsecrans, ne de eo cuiquam aliquid enarraret. Domum igitur suam ingressus, inquisitis Chartis, quas ei memorata Regina tradiderat, ad Chlotharium Regem defert, indicans qualiter ab Episcopo suo viuens sepulturæ fuerat mancipatus. Stupescentibus autem omnibus, & dicentibus, nunquam vel Neronem vel Herodem tale facinus perpetrasse, vt homo viuens sepulchro reconderetur, aduenit ad Chlotharium Regem Cautinus Episcopus. Sed accusante Presbytero, victus confusúsque discessit. Presbyter autem acceptis à Rege præceptionibus, res suas vt libuit defensauit, posseditque,
C ac suis posteris dereliquit. In Cautino autem nihil sancti, nihil pensi fuit. De omnibus enim scripturis tam Ecclesiasticis quàm secularibus, adplenè immunis fuit. Iudæis valde charus ac subditus erat, non pro salute, vt pastoris cura debet esse sollicita, sed pro comparandis speciebus, quas cùm hic blandiretur, & illi se adulatores manifestissimè declararent, maiori quàm constabant precio vænundabat.

CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS.

XIII. CHRAMNVS verò his diebus apud Aruernum residebat. Multæ enim causæ tunc per eum irrationabiliter gerebantur, & ob hoc celeriùs ablatus * est de mundo. Multum enim maledicebatur à populo. Nullum autem hominem diligebat, à quo consilium bonum vtiléque posset accipere. Nisi collectas viles personas ætate iuuenili fluctuantes fouebat & diligebat, eorúmque consilium audiens: ita vt filias Senatorum dans prædonibus *, eisdem vi detrahi iuberet. Firminum à Comitatu vrbis grauiter iniuriatum abegit, & Salustium Euodij filium subrogauit. Sed Firminus cum socru sua, Ecclesiam petiit. Erant autem Quadragesimæ dies: & Cautinus Episcopus Briuatensem diœcesim psallendo adire disposuerat, iuxta institutionem sancti Galli, sicut suprà scripsimus. Egressus est igitur Episcopus ab vrbe cum magno fletu, metuens ne aliquid in itinere aduersi perferret. intendebat enim & ipse Rex Chramnus minas. Qui dum iter ageret, misit Rex Imnacharium & Scaptarium primos de latere suo, dicens: Ite, & vi abstrahite Firminum, Cæsariámque socrum eius de Ecclesia. Descendente verò Epi-

* al. ob hoc acceleratus

* al. præceptionibus, id est, rescriptis.

CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS.

ſcopo cum pſallentio, (ſicut ſuprà memorauimus) hi qui miſſi fuerant à Chramno, ingrediuntur Eccleſiam, ac Firminum Cæſariámque variis conlocutionum dolis mulcere tentant. Verùm vbi diutiſſimè, alia ex aliis deambulantes per Eccleſiam colloquuntur, & in hoc qui confugerant, intenderent ex animo quæ dicebantur, ad regias ædis ſacræ, quæ tunc reſeratæ fuerant, adpropinquant. Tunc Imnacharius Firminum, Scaptarius Cæſariam adprehenſos inter brachia, ab Eccleſia eiiciunt, paratis pueris qui ſuſciperent. quos ſtatim in exilium direxerunt. Sed die altera depreſſis ſomno cuſtodibus, ipſi ſe liberos ſentientes, ad beati Iuliani Baſilicam confugiunt, & ſic ab exilio liberantur. res tamen eorum fiſco conlatæ ſunt. Cautinus autem Epiſcopus cùm ſuſpectus eſſet, quòd & ipſe iniuriaretur, ac memoratum iter terens equum haberet ſtratum, vidit poſt tergum homines venientes cum caballis, qui ad occurſum eius veniebant, & ait: Væ mihi! quia hi ſunt quos Chramnus direxit ad me comprehendendum. Et aſcenſo equo, relicto pſallentio, ſolus vſque in porticum Baſilicæ ſancti Iuliani, ambobus vrgens calcaneis cornipedem, penè exanimis percurrit. Sed nos hæc narrantes, Saluſtij ſententiam, quam in detractores Hiſtoriographorum protulit, memoramus. Ait enim: Arduum videtur res geſtas ſcribere, primùm, quòd facta dictis exæquanda ſunt: deinde quia plerique delicta quæ reprehenderis, maleuolentia & inuidia dicta putant. Sed cœpta ſequamur. A

XIV. IGITVR Chlotharius poſt mortem Theodoualdi, cùm Regnum Franciæ ſuſcepiſſet, atque illud circumiret, audiuit à ſuis in iterata inſania efferueſcere Saxones, ſibique eſſe rebelles, & quòd tributa, quæ annis ſingulis conſueuerant miniſtrare, contemnerent reddere. His incitatus verbis, ad eos dirigit. Cúmque iam prope terminum illorum eſſet, Saxones Legatos ad eum mittunt, dicentes: Non enim ſumus contemptores tui, & ea quæ fratribus ac nepotibus tuis reddere conſueuimus, non negamus, & maiora adhuc ſi quæſieris reddemus. Vnum tantùm expoſcimus, vt ſit pax, ne tuus exercitus & noſter populus conlidatur. Hæc audiens Chlotharius Rex, ait ſuis: Benè loquuntur hi homines, non incedamus ſuper eos, ne fortè peccemus in Deum. At illi dixerunt: Scimus enim eos eſſe mendaces, nec omnino quod promiſerint impleturos. eamus ſuper eos. Rurſum Saxones obtulerunt medietatem facultatis ſuæ pacem petentes. Et Chlotharius Rex ait ſuis: Deſiſtite quæſo ab his hominibus, ne ſuper nos Dei ira concitetur. Quod illi non adquieuerunt. Rurſum Saxones obtulerunt veſtimenta, pecora, vel omne corpus facultatis ſuæ, dicentes: Hæc omnia tollite cum medietate terræ noſtræ: tantùm vxores & paruulos noſtros relinquite liberos, & bellum inter nos non committatur. Franci autem nec hoc adquieſcere voluerunt. Quibus ait Chlotharius Rex: Deſiſtite queſo, deſiſtite ab hac intentione. Verbum enim directum non habemus. Nolite ad bellum ire, in quo diſperdamini. Tamen ſi abire volueritis ſpontanea voluntate, ego non ſequar. Tunc illi irà commoti contra Chlotharium Regem, ſuper eum inruunt: & ſcindentes tentorium eius, ipſum quoque conuiciis exaſperantes, ac vi detrahentes interficere voluerunt, ſi cum illis abire differret. Hæc videns Chlotharius, inuitus abiit cum eis. At illi inito certamine, maxima ab aduerſariis internecione cæduntur: tantáque ab vtroq; exercitu multitudo cecidit, vt nec æſtimari nec numerari penitus poſſit. Tunc Chlotharius valde confuſus pacē petiit, dicens, ſe non ſua voluntate ſuper eos veniſſe. Qua obtẽta, ad propria rediit. B C

XV. TVRONICI autem audientes regreſſum fuiſſe Regem de cæde Saxonum, facto conſenſu in Eufronium Preſbyterum, ad eum pergunt. Datáque ſuggeſtione, reſpondit Rex: Præceperam enim vt Cato Presbyter illic ordinaretur, & cur eſt ſpreta iuſſio noſtra? Reſponderunt ei: Petiuimus enim eum, ſed noluit venire. Hæc illis dicentibus, aduenit ſubitò Cato Presbyter, deprecans Regem, vt eiecto Cautino, ipſum Aruerno iuberet inſtitui. Quod Rege inridente, petiit iterum vt Turonis ordinaretur, quod antè deſpexerat. Cui Rex ait: Ego primum præcepi, vt Turonis te ad Epiſcopatum conſecrarent: ſed quantum audio, deſpectui habuiſti Eccleſiam illam, ideóque elongaberis à dominatione eius. & ſic confuſus abſceſſit. De ſancto vero Eufronio interrogans, dixerunt, eum nepotem eſſe beati Gregorij, cuius ſuprà meminimus. Reſpondit Rex; Prima hæc eſt & magna generatio. Fiat voluntas Dei, & beati Martini electio compleatur. Et data præceptione, XVIII. poſt beatum Martinum ſanctus Eufronius ordinatur Epiſcopus.

XVI.

A XVI. CHRAMNVS autem apud Aruernos diuersa (vt diximus) exercebat mala, semper aduersus Cautinum Episcopum inuidiam tenens. Eo tempore grauiter ægrotauit, ita vt capilli eius à nimia febre deciderent. Habebat autem tunc secum virum magnificum, & in omni bonitate perspicuum, ciuem Aruernum, Anscouindum * nomine, qui eum vi ab hac malitia quærebat auertere, sed non poterat. Habebat enim & Leonem Pictauensem, ad omnia mala perpetranda grauem stimulum, qui nominis sui tanquam leo erat in omni cupiditate sæuissimus. Hic fertur quadam vice dixisse, quòd Martinus & Martialis Confessores Domini, nihil fisci viribus vtile reliquissent. Sed statim percussus à virtute Confessorum, surdus & mutus effectus, amens est mortuus. Venit enim miser ad Basilicam sancti Martini Turonis, celebrauitque vigilias, dedit munera: sed non eum respexit virtus consueta. Cum ipsa enim qua venerat infirmitate, regressus est. Chramnus autem ab Aruerno regressus, ad Pictauorum ciuitatem venit. Vbi cùm in magna potentia resideret, seductus per malorum consilium, ad Childebertum patruum suum transire cupit, patri insidias parare disponens. Ille verò dolosè quidem, sed suscipere illum promittit, quem monere spiritaliter debuerat, ne patri existeret inimicus. Tunc per occultos nuncios inter se coniurati, contra Chlotharium vnanimiter conspirarunt. Sed nec memor fuit Childebertus, quòd quotiescumque aduersus fratrem suum egit, semper confusus abscessit. Chramnus verò
B hoc fœdere inito, Lemouicinum rediit, & illud, per quod prius ambulauerat in Regno patris sui, in sua dominatione redegit. Tunc Aruernus populus infra muros tenebatur inclusus, & diuersis infirmitatibus oppressus grauiter interibat. Porro Chlotharius Rex duos filios suos, id est Charibertum & Guntchramnum, ad eum dirigit. Qui per Aruernum venientes, audientésque quòd in Lemouicino esset, vsque ad montem, quem Nigrum nomine dicunt, accedunt, eúmque reperiunt. Figentésque tentoria, contra se resederunt, mittentes Legationem, vt res paternas, quas malè peruaserat, reddere deberet: sin autem aliud, campum præpararet ad bellum. Cúmque ille patri subditum se esse confingeret, diceretque; Omne quod circumiui, laxare non potero: sed sub mea hoc potestate cum gratia patris mei cupio retinere. illi vt prælium hoc inter ipsos diiudicaret, postulant. Cúmque moto vtrique exercitu cum magno armorum apparatu ad bellum conuenissent, subitò exorta tempestas cum graui coruscatione atque tonitruo, eos ne pugnarent inhibuit. Redeuntes autem ad castra, Chramnus dolosè per extraneam personam, patris mortem fratribus pronunciat. Eo enim tempore bellum contra Saxones, quod supra diximus, gerebatur. At illi timentes, cum summa velocitate Burgundiam redierunt. Chramnus verò cum exercitu post eos dirigens, vsque ciuitatem Cauillonensem venit, eámque obsidens adquisiuit. Exinde vsque Diuionense castrum pertendit, ibique cùm die Dominico aduenisset, quid gestum fuerit
C dicam. Erat ibi tunc sanctus Tetricus Episcopus, cuius in superiori libello memoriam fecimus. Positis Clerici tribus libris super altarium, id est Prophetiæ, Apostoli, atque Euangeliorum, orauerunt ad Dominum, vt Chramno quid eueniret ostenderet: aut si ei felicitas succederet, aut certè si regnare posset, diuina potentia declararet. Simúlque vnam habentes conuenientiam, vt vnusquisque in Libro quod primum aperiebat, hoc ad Missas etiam legeret. Aperto ergo primum omnium Prophetarum Libro, reperiunt: *Auferam maceriam eius, & erit in desolationem: pro eo quod debuit facere vuam, fecit autem labruscam.* Reseratóque Apostoli Libro inueniunt: *Ipsi enim diligenter scitis fratres, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Cùm dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus illis superueniet interitus: sicut dolores parturientis, & non effugient.* Dominus autem per Euangelium ait: *Qui non audit verba mea, adsimilabitur viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam: descendit pluuia, aduenerunt flumina, flauerunt venti, & inruerunt in domum illam, & cecidit, & facta est ruina eius magna.* Chramnus verò ad Basilicas ab antedicto Sacerdote susceptus est, ibique comedens panem ad Childebertum pertendit. Intra tamen muros Diuionenses non est permissus intrare. Fortiter tunc Rex Chlotharius contra Saxones decertabat. Saxones enim (vt adserunt) per Childebertum commoti atque indignantes contra Francos superiori anno, exeuntésque de regione sua in Franciam venerunt, & vsque ad Nutiam * ciuitatem prædas egerunt, nimiúmque grande scelus perpetrati sunt.

* al. Ascouindum

* al. vsque Diuitiam, Deutz, è regione Colon. Agripp.

CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS.

XVII. TVNC Chramnus, iam accepta VVilicharij filia, Parisius accedens, secum Childebertum Regem constringit in fide atque charitate, iurans se patri esse certissimum inimicum. Childebertus autem Rex, dum Chlotharius contra Saxones decertaret, in Campaniam Remensem accedit, & vsque Remos ciuitatem properans, cuncta prædis atque incendio deuastauit. Audierat enim fratrem suum à Saxonibus fuisse peremptum, & Regno suo cuncta subiici æstimans, quæ adire potuit, vniuersa peruasit. A

XVIII. TVNC & Austrapius Dux Chramnum metuens, in Basilicam sancti Martini confugit. Cui tali in tribulatione posito, non defuit diuinum auxilium. Nam cùm Chramnus ita eum constringi iussisset, vt nullus illi alimenta præbere præsumeret; & ita arctiùs custodiretur, vt nec aquam quidem ei haurire liceret, quo faciliùs compulsus inediâ, ipse sponte sua de Basilica sancta periturus exiret: accedens quidam, vasculum illi cum aqua semiuiuo detulit ad potandum. Quo accepto, velociter iudex loci aduolauit, ereptúmque de manu eius, terræ diffudit. Quod velox Dei vltio, & beati Antistitis virtus est subsecuta. Ea namque die iudex, qui ista gesserat, correptus à febre, nocte media expirauit. Nec peruenit in crastinum, ad illam horam qua in Basilica sancti poculum de manu excusserat fugitiui. Post istud miraculum, omnes ei opulentissimè quæ erant necessaria detulerunt. Redeunte autem in Regnum suum Rege Chlothario, magnus cum eo est habitus. B Tempore verò eius, ad Clericatum accedens apud Sellense castrum, quod in Pictaua habetur diœcesi, Episcopus ordinatur. futurum, vt decedente Pientio Antistite, qui tunc Pictauam regebat Ecclesiam, ipse succederet. Sed Rex Charibertus in aliud vertit sententiam. Denique cùm Pientius Episcopus ab hac luce migrasset, apud Parisius ciuitatem Pascentius, qui tunc Abbas erat basilicæ sancti Hilarij, ei succedit, ex iussu Regis Chariberti, clamante Austrapio, sibi hunc redhiberi locum. Sed parum ei iactati profuere sermones. Ipse quoque regressus ad castrum suum, mota super se Theifalorum seditione, quos sæpè grauauerat, lancea sauciatus crudeliter vitam finiuit. Diœceses verò suas Ecclesia Pictaua recepit.

XIX. TEMPORE quoque Chlotharij Regis, sanctus Dei Medardus Episcopus, consummato boni operis cursu, & plenus dierum, sanctitate præcipuus, diem obiit. Quem Chlotharius Rex cum summo honore apud Suessionas ciuitatem sepeliuit, & Basilicam super eum fabricare cœpit: quam postea SIGIBERTVS filius eius expleuit atque composuit. Ad cuius beatum sepulchrum, vidimus vinctorum compedes atque catenas disruptas confractásque iacere: quæ vsque hodie in testimonium virtutis eius, ad ipsum beati sepulchrum reseruantur. Sed ad superiora redeamus.

XX. CHILDEBERTVS igitur Rex ægrotare cœpit, & cùm diutissimè apud Parisius lectulo decubasset, obiit: & ad Basilicam beati Vincentij, quam ipse construxerat, est sepultus. Cuius Regnum & thesauros CHLOTHARIVS Rex accepit. VVltrogotham verò, & filias eius duas, in exilium posuit. Chramnus autem patri repræsentatur, sed postea infidelis extitit. Cúmque se cerneret euadere non posse, C Britannias petiit: ibique cum Chonobro Britannorum Comite, ipse vel vxor eius ac filiæ, latuerunt. VVilicharius autem socer eius ad Basilicam sancti Martini confugit. Tunc sancta Basilica à peccatis populi ac ludibrijs, quæ in ea fiebant, per VVilicharium coniugémque eius succensa est. quod non sine graui suspirio memoramus. Sed & ciuitas Turonica ante annum iam igni consumpta fuerat, & totæ Ecclesiæ in eadem cõstructæ, desertæ relictæ sunt. Protinus B. Martini Basilica, ordinante Chlothario Rege, stanno cooperta est, & in illa qua prius fuerat elegantia reparata. Tunc duæ acies locustarum apparuerunt, quæ per Aruernum atque Lemouicinum transeuntes (vt ferunt) Romaniacum campum venerunt, in quo prælio magno inter se acto maximè sunt conlisæ. Chlotharius autem Rex contra Chramnum frendens, cum exercitu aduersus eũ in Britanniam dirigit. Sed nec ille contra patrem egredi timuit. Cúmq; in vno campo conglobatus vterque resideret exercitus, & Chramnus cum Britannis contra patrem aciem instruxisset, incũbente nocte à bello cessatum est. Ea quoque nocte Chonober Comes Britannorum dicit ad Chramnum: „ Iniustum censeo, te cõtra patrem tuum debere egredi. Permitte „ me hac nocte, vt inruam super eum, ipsúmque cum toto exercitu prosternam. Quod Chramnus (vt credo) virtute Dei præuẽtus, fieri non permisit. Mane autem

A facto vterque commoto exercitu ad bellum contra se properant. Ibátque Chlotharius Rex tanquam nouus Dauid contra Absalonem filium pugnaturus, plangens atque dicens: Respice Domine de cœlo, & iudica causam meam, quia iniustè à filio iniurias patior: respice & iudica iustè, illúdque impone iudicium, quod quondam inter Absalonem & patrem eius Dauid posuisti. Confligentibus igitur pariter, Britannorum Comes terga vertit, ibique & cecidit. Denique Chramnus fugam iniit, naues in mari paratas habens. Sed dum vxorem & filias suas liberare voluit, ab exercitu patris oppressus, captus, atque ligatus est. Quod cùm Chlothario Regi nunciatum fuisset, iussit eum cum vxore & filiabus igni consumi. Inclusique in tugurio cuiusdam pauperculæ, Chramnus super scamnum extensus orario suggillatus est. & sic postea super eos incensa casula, cum vxore & filiabus interiit.

CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS.

XXI. REX verò Chlotharius anno quinquagesimo primo regni sui, cum multis muneribus limina B. Martini expetiit, & adueniens Turonis ad sepulchrum antedicti Antistitis, cunctas actiones, quas fortasse negligenter egerat, replicans, & orans cum grandi gemitu, vt pro suis culpis beatus Confessor Domini misericordiam exoraret, & ea quæ inrationabiliter commiserat, suo obtentu dilueret. Exin regressus, quinquagesimo primo regni sui anno, dum in Cotia silua venationem exerceret, à febre corripitur, & exinde Compendium villam rediit. In qua cùm grauiter vexaretur à febre, aiebat: Vua! quid putatis, qualis est ille Rex cœlestis, B qui sic tam magnos Reges interficit? In hoc enim tædio positus, spiritum exhalauit. Quem quatuor filij sui cum magno honore Suessionas deferentes, in Basilica beati Medardi sepelierunt. Obiit autem post vnum decurrentis anni diem, quo Chramnus fuerat interfectus. An. 558.

XXII. CHILPERICVS verò post patris funera, thesauros qui in villa Brannaco * erant congregati, accepit, & ad Francos vtiliores petiit, ipsósque muneribus mollitos sibi subdidit. Et mox Parisius ingreditur, sedémque Childeberti Regis occupat. Sed non diu hoc ei licuit possidere. Nam coniuncti fratres eius, eum exinde repulere. Et sic inter se hi quatuor, id est Charibertus, Guntchramnus, Chilpericus, atque Sigibertus, diuisionem legitimam faciunt. Deditque sors CHARIBERTO Regnum Childeberti, sedémque habere Parisius: GVNTCHRAMNO verò Regnum Chlodomeris, ac tenere sedem Aurelianensem: CHILPERICO verò, Regnum Chlotharij patris eius, cathedrámque Suessionas habere: SIGIBERTO quoque, Regnum Theodorici, sedémque habere Mettensem.

* al. Brinaco

XXIII. NAM post mortem Chlotharij Regis Chuni Gallias adpetunt. Contra quos Sigibertus exercitum dirigit, & gesto contra eos bello, vicit atque fugauit. Sed postea Rex eorum amicitias cum eodem per Legatos meruit. Dum autem cum eis turbatus esset Sigibertus, Chilpericus frater eius Remos peruadit, & alias ciuitates, quæ ad eum pertinebant, abstulit. Ex hoc enim inter eos (quod peius est) bellum ciuile surrexit. Rediens autem Sigibertus victor à Chunis, Suessionas ciuitatem occupat, ibique inuentum THEODOBERTVM Chilperici Regis C filium, adprehendit, & in exilium transmittit. Accedens autem contra Chilpericum, bellum commouit: quo victo atque fugato, ciuitates suas in suam dominationem restituit. Theodobertum verò filium illius apud Ponticonem villam custodiri iussit per annum integrum. Quem postea, vt erat clemens, muneribus ditatum patri reddidit sanum: dato tamen sibi sacramento, ne vnquam contra eum agere deberet. quod postea peccatis facientibus est inruptum.

XXIV. CVM autem Guntchramnus Rex Regni partem, sicut fratres sui, obtinuisset, amoto Agrœcula * Patricio, Celsum Patritiatus honore donauit, virũ procerum statu, in scapulis validum, lacerto robustum, in verbis tumidum, in responsis opportunum, iuris lectione peritũ. Cui tanta deinceps habendi cupiditas extitit, vt sæpiùs Ecclesiarum res auferẽs, suis ditionibus subiugarit. Nam cùm audisset quadam vice Esaiæ Prophetæ lectionem in Ecclesia legi, in qua ait; *Væ his qui iungunt domum ad domum, & agrum ad agrum copulant vsque ad terminum loci*, exclamasse fertur: Incongruè hoc Væ mihi & filiis meis! Sed reliquit filium, qui absque liberis functus, maximam partem facultatis Ecclesiis, quas pater expoliauerat, dereliquit.

* al. Agricola

XXV. GVNTCHRAMNVS autem Rex bonus, primo Venerandam cuiusdam suorum ancillam, pro concubina thoro subiunxit, de qua GVNDOBALDVM filium suscepit. Postea verò Mercatrudem filiam Magnarij in matrimonium acce-

CHARIBERTVS. GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. SIGIBERTVS.

pit. Gundobaldum verò filium suum Aurelianis transmisit. Æmula autem Mercatrudis post habitum filium, in huius mortem grassatur: & transmissum (vt aiunt) venenum in potum ei dari curauit. Quo mortuo, ipsa iudicio Dei filium suum quem habebat perdidit, & odium Regis incurrit: dimissaque ab eodem, non multo pòst tempore mortua est. Post quam Rex Austrigildem cognomento Bobilam * accepit, de qua iterum duos filios habuit, quorum senior CHLOTHARIVS, iunior CHLODOMERIS dicebatur. A

*al. Bobilanam

XXVI. PORRO Charibertus Rex Ingobergam accepit vxorem: de qua filiam habuit, quæ postea in Cantia virum accipiens est deducta. Habebat tunc temporis Ingoberga in seruitium suum duas puellas pauperis cuiusdam filias, quarum prima vocabatur Marcouefa, religiosam vestem habens: alia verò Merofledis. In quarum amore Rex valdè detinebatur. Erant enim, vt dicebatur, artificis lanarij filiæ. Æmula ex hoc Ingoberga, quòd à Rege diligerentur, patrem earum secretiùs operari fecit, futurum vt dum hæc Rex cerneret, odio filias eius haberet. Quo operante vocauit Regem. Ille autem sperans aliquid noui videre, aspicit hunc eminus lascias * regias componentem. Quod videns commotus in ira, reliquit Ingobergam, & Merofledem accepit. Habuit & aliam puellam opilionis filiam nomine Theodegildem, de qua & fertur filium habuisse, qui vt processit ex aluo, protinus delatus est ad sepulchrum. Huius Regis tempore apud vrbem Sanctonicam Leontius congregatis Prouinciæ suæ Episcopis, Emerium ab Episcopatu depulit, B adserens non canonicè eum fuisse hoc honore donatum. Decretum enim Regis Chlotharij habuerat, vt absque Metropolitani consilio benediceretur, qui nō erat præsens. Quo eiecto, consensum fecere in Heraclium tunc Burdegalensis vrbis Presbyterum. Quod Regi Chariberto subscriptum propriis manibus per nuncupatum Presbyterum transmiserunt. Qui veniens Turonis, rem gestam beato Eufronio pandit, deprecans vt hoc consensum subscribere dignaretur. quod vir Dei manifestè respuit. Igitur postquam Presbyter Parisiacæ vrbis portas ingressus Regis præsentiam adiit, hæc effatus est: Salue Rex gloriose. sedes enim Apostolica eminentiæ tuæ salutem mittit vberrimam. Cui ille. Nunquid, ait, Turonicam adisti vrbem, vt Papæ illius nobis salutem deferas? Pater (inquit Presbyter) tuus Leontius cum Prouincialibus suis salutem tibi mittit, indicans Æmulum (sic enim vocitare consueuerant Emerium in infantia sua) eiectum ab Episcopatu, pro eo quòd prætermissa canonum sanctione vrbis Sanctonicæ Episcopatum ambiuit. Ideòque consensum ad te direxerunt, vt alius in loco eius substituatur: quo fiat, vt dum transgressores canonum regulariter arguuntur, Regni vestri potentia æuis prolixioribus propagetur. Hęc eo dicente, frendens Rex eum à suis conspectibus extrahi iussit, & plaustro spinis suppleto * imponi desuper, & in exilium protrudi præcepit, dicens: Putásne quòd non est super quisquam de filiis Chlotharij Regis, qui patris facta custodiat, quod hi Episcopum, quem eius voluntas elegit, absque nostro iudicio proiecerunt? Et statim directis viris religiosis, Episcopum in loco restituit, dirigens etiam quosdam de Camerariis suis, qui exactis à Leontio Episcopo C mille aureis, reliquos iuxta possibilitatem condemnarent Episcopos. & sic patris * est vltus iniuriam. Post hæc Marcouefam, Merofledis scilicet sororem, coniugio copulauit. Pro qua causa à sancto Germano Episcopo excommunicatus vterque est. Sed cùm eam Rex relinquere nollet, percussa iudicio Dei obiit. Nec multò pòst & ipse Rex post eam decessit Charibertus. Cuius post obitum, Theodegildis vna Reginarum, eius nuncios ad Guntchramnum Regem dirigit, se vltro offerens matrimonio eius. Quibus Rex hoc reddidit in responsis: Accedere ad me ei non pigeat cum thesauris suis. Ego enim accipiam eam, faciámque magnam in populis, vt scilicet maiore mecum honore quàm cum germano meo, qui nuper defunctus est, potiatur. At illa gauisa, collectis omnibus, ad eum profecta est. Quod cernens Rex, ait: Rectius est enim, vt hi thesauri penes me habeantur, quàm apud hanc, quæ indignè germani mei thorum adiuit. Tunc ablatis multis, paucis relictis, Arelatensi eam Monasterio destinauit. Hæc verò ægrè adquiescens ieiuniis ac vigiliis adfici, per occultos nuncios Gothum quemdam adiuit, promittens si se in Hispanias deductam coniugio copularet, quòd cum thesauris suis de Monasterio egrediens, libenti eum animo sequeretur. Quod ille nihil dubitans, repromisit. Cúmque hæc collectis rebus, factísque volucris, à Cœnobio pararet egredi, anticipauit

*al. lanas, f. fascias

*al. opleto

*al. Principis

A voluntatem eius industria Abbatissæ: deprehensáque fraude, eam grauiter cæsam custodiæ mancipare præcepit, in qua vsque ad exitum vitæ præsentis, non mediocribus adtrita passionibus, perdurauit. GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. SIGIBERTVS.

XXVII. PORRO Sigibertus Rex, cùm videret, quòd fratres eius indignas sibimet vxores acciperent, & per vilitatem suam etiam ancillas in matrimonium sociarent, Legationem in Hispaniam mittit, & cum multis muneribus Brunichildem Atanagildi Regis filiam petiit. Erat enim puella elegans opere, venusta aspectu, honesta moribus atque decora, prudens consilio, & blanda conloquio. Quam pater eius non denegans, cum magnis thesauris antedicto Regi transmisit. Ille verò congregatis Senioribus secum, præparatis epulis, cum immensa lætitia atque iocunditate eam accepit vxorem. Et quia Arrianæ legi subiecta erat, per prædicationem Sacerdotum, atque ipsius Regis commonitionem conuersa, beatam in vnitate confessa Trinitatem credidit, atque chrismata est, quæ in nomine Christi Catholica perseuerauit.

XXVIII. QVOD videns Chilpericus Rex, cùm iam plures haberet vxores, sororem eius Galsuintham * expetiit, promittens per Legatos, se alias relicturum: tantum condignam sibi, Regisque prolem mereretur accipere. Pater verò eius has promissiones accipiens, filiam suam, sicut anteriorem, similiter ipsi cum magnis opibus destinauit. Nam Galsuintha ætate senior quàm Brunechildis erat. B Quæ cùm ad Chilpericum Regem venisset, cum grandi honore suscepta, eiúsque est sociata coniugio. A quo etiam magno amore diligebatur. detulerat enim secum magnos thesauros. Sed per amorem Fredegundis, quam prius habuerat, ortum est inter eos grande scandalum. Iam enim in lege Catholica conuersa fuerat, & chrismata. Cúmque se Regi quereretur assiduè iniurias perferre, diceretque nullam se dignitatem cum eodem habere, petiit, vt relictis thesauris quos secum detulerat, liberam redire permitteret ad patriam. Quod ille per ingenia dissimulans, verbis eam lenibus demulsit. Ad extremum eam suggillari iussit à puero, mortuámque reperit in strato. Post cuius obitum, Deus virtutem magnam ostendit. Lychnus enim ille, qui fune suspensus coram sepulchro eius ardebat, nullo tangente, fune disrupto in pauimentum corruit: & fugiente ante eum duritia pauimenti, tanquam in aliquod molle elementum descendit, atque medius est suffossus, nec omnino contritus. quod non sine magno * miraculo videntibus fuit. Rex autem cùm eam mortuam deflesset, post paucos dies Fredegundem recepit in matrimonio. Post quod factum, reputantes eius fratres, quòd sua emissione antedicta Regina fuerit interfecta, eum à Regno deiiciunt. Habebat autem tunc Chilpericus tres filios de Audouera priore Regina sua: id est THEODOBERTVM, cuius supra meminimus, MEROVEVM *, atque CHLODOVEVM. Sed ad cœpta redeamus.

* al. Galsuendam

* al. grandi

* al. MIROVECVM,

C XXIX. CHVNI verò iterum in Gallias venire conabantur. Aduersus quos Sigibertus cum exercitu dirigit, habens secum magnam multitudinem virorum fortium. Cúmque confligere deberent, isti magicis artibus instructi, diuersas eis fantasias ostendunt, & eos valde superant. Fugiente autem exercitu Sigiberti, ipse inclusus à Chunis retinebatur, nisi postea (vt erat elegans & versutus) quos non potuit superare virtute prælij, superauit arte donandi. Nam datis muneribus fœdus cum Rege iniit, vt omnibus diebus vitæ suæ nulla inter se prælia commouerent. Idque ei magis ad laudem, quàm ad aliquod pertinere obprobrium, iusta ratione pensatur. Sed & Rex Chunorum multa munera regi Sigiberto dedit. Vocabatur autem Caganus *. omnes enim Reges gentis illius hoc appellantur nomine.

* al. Chaganus.

XXX. SIGIBERTVS verò Rex Arelatensem vrbem capere cupiens, Aruernos commoueri præcepit. Erat enim tunc Firminus Comes vrbis illius, qui cum ipsis in capite abiit. Sed & de alia parte Adouarius * cum exercitu aduenit. Ingressique vrbem Arelatensem, sacramenta pro parte Sigiberti Regis exegerunt. Quod cùm Guntchramnus Rex comperisset, Celsum Patritium cum exercitu illuc dirigit. Qui abiens, Auennicam vrbem abstulit. Accedens autem Arelatem, & vallans eam, impugnare exercitum Sigiberti, qui intra muros continebatur, cœpit. Tunc Sabaudus Episcopus dixit ad eos: Egredimini foras, & inite certamen, quia « non poteritis sub murorum conclusione degentes, neque nos, neque vrbis istius «

* al. Esdouarius

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. SIGIBERTVS.

subiecta defendere. Quòd si vos Deo propitio illos deuinciritis, nos fidem quam promisimus custodiemus: si verò illi contra vos inualuerint, ecce reseratas reperietis portas. Ingredimini, ne pereatis. Hoc illi dolo delusi, egressi foras bellum parant. sed superati ab exercitu Celsi, fugam ineunt, venientésque ad vrbem, portas reperiunt obseratas. Cúmque exercitus à tergo iaculis foderetur, opperiretúrque lapidibus ab vrbanis, ad amnem Rhodanum dirigunt, ibique parmis superpositis, vlteriorem ripam expetunt. Sed multos ex his violentia amnis direptos enecauit, fecitque Rhodanus tunc Aruernis, quod fecisse quondam Simois legitur de Troianis, A

-----correpta sub vndis
Scuta virûm, galeásque & fortia corpora voluit.
Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Qui vix nandi (vt diximus) impulsu, parmarúmque adiuti adminiculo, litoris alterius plana contingere potuerunt. Qui nudati à rebus, ab equis destituti, non sine grandi contumelia patriæ restituti sunt. Firmino tantùm & Adouario discedendi via indulta est. Multi ibi tunc viri ex Aruernis, non solùm torrentis impetu rapti, verùm etiam gladiorum ictibus sunt prostrati. Ac sic Guntchramnus Rex recepta vrbe illa, iuxta consuetudinem bonitatis suæ, Auennicam ditionibus fratris sui restituit.

XXXI. IGITVR in Galliis magnum prodigium de Taureduno castro apparuit, quod super Rhodanum fluuium in monte collocatum erat. Qui cùm per dies amplius sexaginta nescio quem mugitum daret, tandem scissus atque separatus mons ille ab alio monte sibi propinquo, cum hominibus, Ecclesiis, opibúsque ac domibus in fluuium ruit, exclusóque amnis illius littore, aqua retrorsum petiit. Locus etenim ille ab vtraque parte montibus inclausus erat, inter quorum angustias torrens defluit. Inundans ergo superiorem partem, quæ ripæ insidebat, operuit atque deleuit. Adcumulata enim aqua erumpens deorsum, inopinatos reperiens homines, vt desuper fecerat, ipsos enecauit, domos euertit, iumēta deleuit, & quæ cuncta littoribus illis insidebant, vsque ad Genuam * ciuitatem, violentia atq; subita inundatione diripuit vel subuertit. Traditur à multis tantam congeriem inibi aquæ fuisse, vt in ante dictam ciuitatem super muros ingrederetur. Quod dubium non est, quia (vt diximus) Rhodanus in locis illis inter angustias montium defluit, nec habuit in latere, cùm fuit exclusus, quò se diuerteret: commotúmque montem qui descenderat adsemel erupit, & sic cuncta deleuit. Quod cùm factum fuisset, triginta Monachi, vnde castrum ruerat, aduenerunt: & terram illam, quæ monte diruente remanserat, fodientes, æs siue ferrum reperiunt. Quod dum agerent, mugitum montis, vt priùs fuerat, audierunt. Sed dum à sæua cupiditate retinerētur, pars illa, quæ nondum ruerat, super eos cecidit, quos operuit atque interfecit, nec vltra inuenti sunt. Similiter & ante cladem Aruernam, magna regionem illam prodigia terruerunt. Nam plerumque tres aut quatuor splendores magni circa Solem apparuerunt, quos rustici Soles vocabant dicentes: Ecce tres vel quatuor Soles in cœlo. Quadam tamen vice in Calen. Octob. ita Sol obscuratus apparuit, vt nec quarta quidem pars in eodem lucens remaneret, sed teter atque decolor apparens quasi saccus videbatur. Nam & stella, quam quidam Cometem vocant, radium tanquam gladium habens super regionem illam, per annum integrum apparuit, & cœlū ardere visum est, & multa alia signa apparuere. In Ecclesia verò Aruerna, dum matutinæ celebrarentur vigiliæ in quadam festiuitate, auis corydalus * (quam aludā vocamus) ingressa, omnia luminaria quę lucebant, alis superpositis in tanta velocitate extinxit, vt putares ea in vnius hominis manu posita, aqua fuisse submersa. In Sacrarium autem sub velo trāsiens, cicindelem extinguere voluit. sed ab ostiariis prohibita atque occisa est. Simile & in Basilica beati Andreæ de lychnis lucentibus auis alia fecit. Iam verò adueniente ipsa clade, tanta strages de populo illo facta est per totam regionem illam, vt nec numerari possit quantæ ibidem ceciderint legiones. Nam cùm iam sarcofagi aut tabulæ defecissent, decem aut eo amplius in vna humi fossa sepeliebantur. Numerata sunt autē quadam Dominica in vna beati Petri Basilica, trecenta defunctorum corpora. erat enim & ipsa mors subita. Nam nascente in inguine aut in ascella vulnere in modum serpentis, ita inficiebantur homines illi à veneno, vt die altera aut tertia spiritum exhalarent. Sed & sensum vis illa veneni auferebat ab homine. Tunc & B C

* al. Ienobā
* al. coradallus

A Cato Presbyter mortuus est. Nam cùm de hac lue multi fugissent, ille tamen populum sepeliens, & Missas viriliter dicens, nunquam ab eo loco discessit. Hic autem Presbyter multæ humanitatis, & satis dilector pauperum fuit: & credo hæc causa ei, si quid superbiæ habuit, medicamentum fuit. Cautinus autem Episcopus, cùm diuersa loca hanc cladem timens circumisset, ad ciuitatem regressus est, & hanc incurrens, parasceue Passionis Dominicæ obiit. Nam ipsa hora & Tetradius consobrinus eius mortuus est. Tunc & Lugdunum, Bitorix, Cauillonum, atque Diuionum, oppida, ab hac infirmitate valde depopulata sunt. GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. SIGIBERTVS.

XXXII. Eo autem tempore * mortuo apud Hispaniam Athanagildo Rege, Leuua cum Leuuiheldo fratre Regnum accepit. Defuncto igitur Leuuane, Leuuiheldus frater eius totum Regnum occupauit. Qui vxore mortua, Gunsuinthā * Reginæ Brunichildis matrem accepit, duos filios de prima vxore habens, quorum vnus Sigiberti, alius Chilperici filiam desponsauit. Ille quoque inter eos Regnum æqualiter diuisit, interficiens omnes illos qui Reges interimere consueuerant, non relinquens ex eis mingentem ad parietem. * al. Ergo vt ad historiā recurramus, mortuo. * al. Grandi suuintam.

XXXIII. DEFVNCTO igitur apud vrbem Constantinopolitanam Iustiniano Imperatore, Iustinus ambiuit Imperium, vir in omni auaritia deditus, contemptor pauperum, Senatorum spoliator. Cui tanta fuit cupiditas, vt arcas iuberet fieri ferreas, B in quibus numismatis aurei talenta congereret. Quem etiam ferunt in hæresin Pelagianam dilapsum. Nam non post multum tempus, demens effectus, Tyberium Cæsarem sibi adsciuit ad defensandas Prouincias suas, hominem iustum, eleemosynarium, æquiter & discernentem, obtinentémq; victorias: quod omnibus supereminet bonis, etiam verissimum Christianum. Denique Sigibertus Rex Legatos ad Iustinianum Imperatorem misit, pacem petens, id est VVarinarium Francum, & Firminum Aruernum. Qui euntes euectu nauali, Constantinopolitanam sunt vrbē ingressi, locutíque cum Imperatore, quæ petierunt obtinuerunt. Ad sequentem tamen annum in Galliam sunt regressi. Post hæc autem Antiochia Ægypti, & Apamia Syriæ, maximæ ciuitates, à Persis captæ sunt, & populus captiuus abductus. Basilica tunc sancti Iuliani Antiochensis Martyris graui incendio concremata est. Ad Iustinum autem Imperatorem Persæ, Armeni, cum magno serici intexto pondere venerunt, petentes amicitias eius, atque narrantes, se Imperatori Persarum esse infensos. Venerunt ad eos Legati eius, dicentes: Sollicitudo Imperialis sciscitatur, si fœdus initum cum eo custodiatis intactum. Respondentibus illis, omnia ab his pollicita inlibata seruari; dixerunt Legati, In hoc apparebit eius amicitias vos custodire, si ignem vt ille veneratur, adorauerітis. Respondente populo, nequaquam se hæc facturum, ait Episcopus, qui coram erat: Quæ est in igne deitas, vt venerari queat? quem Deus ad vsus hominum procreauit, qui fomentis accenditur, aqua restinguitur: adhibitus vrit, neglectus tepescit. Hæc & C his similia Episcopo prosequente, Legati furore succensi, eum conuitiis, ac fustibus cædunt. Cernens autem populus Sacerdotem suum sanguine cruentum, super Legatos inruunt, manus iniiciunt interimúntque, & (sicut diximus) huius Imperatoris amicitias petierunt.

XXXIV. PALLADIVS autem Brittiani * quondam Comitis ac Cæsariæ filius Comitatum in vrbe Gaballitana Sigiberto Rege impertiente promeruit. Sed orta contentio inter ipsum & Parthenium Episcopum, valde populum collidebat. Nam plerunque conuitiis ac diuersis opprobriis ac criminibus obruebat Episcopum, peruadens res Ecclesiæ, spoliánsque homines eius. Vnde factum est, vt hac contentione crescente, cùm ad præsentiam iam dicti Principis properassent, & diuersa ibi inuicem obiectarent, mollem Episcopum, effœminatum Palladius vocitaret: Vbi sunt mariti tui, cum quibus stuprosè ac turpiter viuis? Sed hæc in Sacerdotem verba prolata, diuina confestim vltio subsequens aboleuit. Nam anno sequenti remotus à Comitatu Palladius Aruernum regressus est. Romanus verò Comitatum ambiuit. Factum est autem, vt quadam die in vrbe Aruerna vterque coniungeretur, & altercantibus inter se pro hac actione Comitatus, audiuit Palladius se à Sigiberto Rege debere interfici. Sed falsa hæc & maximè à Romano emissa deprehensa sunt. Tunc ille timore perterritus ita in angustiam grauem redactus est, vt minaretur se propria dextra perimere. * al. Britannı.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. SIGIBERTVS.

Cúmque à matre vel à cognato suo Firmino intentè adtenderetur, ne perficeret quod mente amara conceperat, per interualla horarum elapsus à matris aspectu, ingressus cubiculum, accepto spatio solitudinis, euaginato gladio, cornuáque ensis pedibus calcans, acumen ad pectus erexit, impressúsque desuper gladius ab vna ingressus mamilla in spatulam dorsi egressus est. Erectus iterum similiter altera mamilla perfossus cecidit, & mortuus est, quod non sine diaboli opere perfectum scelus mirati sumus. Nam prima eum plaga interficere potuit, si non diabolus sustentaculum præbuisset, quòd hæc nefanda perageret. Currit mater exanimis, & suprà filij corpusculum orbata collabitur; atque omnis familia voces planctus emittit. Veruntamen ad Monasteriũ Chronensium * delatus sepulturæ mandatur, sed non iuxta Christianorum cadauera positus, sed nec Missarum solemnia meruit. Quod non ob aliam causam, nisi ob iniuriam Episcopi hæc ei euenisse probantur.

* al. Chrononensem.

XXXV. ALBOINVS * verò Longobardorum Rex, qui Chlothosindam * Regis Chlotharij filiam habebat, relicta regione sua, Italiam cum quatuor milium * Longobardorum gente petiit. Nam commoto exercitu, cum vxoribus & liberis abiere, illic manere deliberantes. Quam regionem ingressi, maximè per septem annos peruagantes, spoliatis Ecclesiis, Sacerdotibus interfectis, in suam redigunt potestatem. Mortua autem Chlothosinda vxore Alboini, aliam duxit coniugem: cuius patrem ante paucum tempus interfecerat. Qua de causa mulier in odio rem per virum habens, locum operiebatur, in quo posset iniurias patris vlcisci. Vnde factum est, vt vnum ex famulis concupiscens, virum veneno necaret. Quo defuncto, cum famulo abiit: sed adprehensi, pariter interfecti sunt. Longobardi deinceps alium super se Regem statuunt.

* al. Albuinus.
* al. Chlodsuuindam.
* al. cum omni illa Lógob. gête

XXXVI. EVNIVS quoque cognomento Mummolus, à Rege Guntchramno Patritiatum promeruit. De cuius militiæ origine, altius quædam repetenda putaui. Hic etenim Peonio * patre ortus, Autisiodorensis vrbis incola fuit. Peonius verò huius municipij Comitatum regebat. Cúmque ad renouandam actionem, munera Regi per filium transmisisset, ille datis rebus paternis, Comitatum patris ambiuit, supplantauítque genitorem quem subleuare debuerat. Ex hoc verò gradatim proficiens, ad maius culmen euectus est. Igitur prorumpentibus Longobardis in Gallias, Amatus, Patritius, qui nuper Celsi successor extiterat, contra eos abiit. Commissóque bello, terga vertit. cecidítque ibi. Tantámque stragem tunc Longobardi feruntur fecisse de Burgundionibus, vt non possit colligi numerus occisorum. oneratíque præda discesserunt iterum in Italiam. Quibus discedentibus, Eunius qui & Mummolus, arcessitus à Rege, Patritiatus culmen meruit. Inruentibus iterum Longobardis in Gallias, & vsque Muscias * Calmes accedentibus, quod adiacet ciuitati Ebredonensi, Mummolus exercitum mouet, & cum Burgundionibus illuc proficiscitur. Circundatísque Longobardis cum exercitu, factísque concidibus, per deuia siluarum inruit super eos: multos interfecit, nonnullos cepit, & Regi direxit Quos ille per loca dispersos custodire præcepit, paucis quodammodo per fugam elapsis, qui patriæ nunciarent.

* al. Pœnio
* al. Mustias

XXXVII. FVERVNTQVE in hoc prælio Salonius * & Sagittarius fratres atque Episcopi, qui non cruce cœlesti muniti, sed galea aut lorica seculari armati, multos manibus propriis (quod peius est) interfecisse referuntur. Hæc prima Mummoli in certamine victoria fuit. Post hæc Saxones, qui cum Longobardis in Italiam venerant, iterum prorumpunt in Gallias, & infrà territorium Reginsem, id est apud Staplonem villam, castra ponunt, discurrentes per villas vrbium vicinarum, diripientes prædas, captiuos abducentes, vel etiam cuncta vastantes. Quod cùm Mummolus comperisset, exercitum mouet, inruénsque super eos, multa ex his milia interfecit, & vsque ad vesperam cædere non destitit, donec nox finem faceret. Ignaros enim repererat homines, & nihil de his quæ accesserunt autumantes. Mane autem facto, statuunt Saxones exercitum, præparantes se ad bellum. Sed intercurrentibus nunciis, pacem fecerunt. Datísque muneribus Mummolo, relicta vniuersa regionis præda, cum captiuis discesserunt. Iurantes prius, quòd ad subiectionem Regum solatiúmque Francorum redire deberent in Galliis. Igitur regressi Saxones in Italiam, ad-

* al. Saluinus.

A sumptis secum vxoribus atque paruulis, vel omni supellectile facultatis, redire in Gallias destinantes, scilicet vt à Sigiberto Rege collecti, in loco, vnde egressi fuerant, stabilirentur. Feceruntque ex se duos (vt aiunt) cuneos: & vnus quidem per Niceam vrbem, alius verò per Ebredunensem venit: illam reuera tenentes viam, quam anno superiore tenuerant. Coniunctique sunt in Aruernico * territorio. Erat enim tunc tempus messium, & locus ille maximè fructus terræ sub dio habebat, nec quicquam ex his domi incolæ recondiderant. Denique accedentes in areas, segetes inter se diuidunt. Colligentésque ac triturantes, frumenta comedebant. nihil ex his eis qui laborauerant relinquentes. Verùm postquam expensis fructibus ad litus Rhodani amnis accesserunt, vt transacto torrente, Regno se Regis Sigiberti conferrent, occurrit eis Mummolus, dicens: Non transibitis torrentem hunc. Ecce regionem domini mei Regis depopulastis, collegistis segetes, pecora deuastastis, tradidistis domus incendiis, olíueta ac vineta succidistis. Non ascenditis, nisi satisfaciatis prius his quos exiguos reliquistis. Alioquin non effugitis manus meas, nisi ponam gladium super vos, & vxores & paruulos vestros, & vlciscar iniuriam domini mei Guntchramni Regis. Tunc illi timentes valde, dantes multa numismatis aurei milia pro redemptione sua, transire permissi sunt: & sic Aruernis peruenerunt. Erat tunc vernum tempus. Proferebant ibi regulas æris incisas pro auro. Quas quisque videns, non dubitabat aliud,
B nisi quòd aurum probatum atque examinatum esset. Sic enim coloratum ingenio nescio quo fuit. Vnde nonnulli hoc dolo seducti, aurum dantes, & æs accipientes, pauperes facti sunt. Hi verò ad Sigibertum Regem transeuntes, in loco, vnde prius egressi fuerant, stabiliti sunt.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. SIGIBERTVS.

* al. Auennico.

XXXVIII. In regno autem Sigiberti Regis, remoto ab honore Iouino rectore Prouinciæ, Albinus in loco eius subrogatur. Magnam inter eos inimicitiam hæc causa congessit. Igitur aduenientibus ad cataplum Masiliensium nauibus transmarinis, Vigilij Archidiaconi homines septuaginta vasa, quæ vulgò Orcas vocant, olei liquaminis furati sunt, nesciente domino. Negociator autem cùm cognouisset sibi rem furto ablatam fuisse, inquirere diligenter cœpit, quo furtum in loco fuisset reconditum. Hæc inquirens, audiit à quodam, quòd homines Vigilij Archidiaconi perpetrassent. Perueniunt hæc ad Archidiaconum, qui inquirens & inueniens, nequaquam publicare, sed excusare suos cœpit, dicens: Nunquam de domo mea egressus est, qui tale, auderet admittere. Taliter, inquam, excusante Archidiacono, negociator ad Albinum pergit, causam exerit, & Archidiaconum in crimine fraudis huius mixtum accusat. Die autem sancto Natalis Dominici Episcopo in Ecclesia adueniente, Archidiaconus indutus alba adest, Episcopum, vt mos est, inuitans ad altare debere procedere, ac solennitatem diei sancti opportuno debere tempore celebrare. Nec mora, Albinus de sede exiliens, adprehensum Archidiaconum detrahit, pugnis
C calcibúsque cædit, & custodia carcerali coarctat. Pro quo nunquam obtinere potuerunt, non Episcopus, non ciues, non vllus maior natu, non ipsa vox totius populi adclamantis, vt datis fideiussoribus, diem sanctum Archidiacono liceat cum reliquis celebrare, atque accusatio causæ in posterum debere audiri. Sed nec ob ipsa sacrosancta solemnia metum habuit, vt ministrum Dominici altaris tali in die non auderet adripere. Quid plura? Quatuor milibus solidorum Archidiaconum condemnauit. Quod in præsentia Regis Sigiberti veniens, quadrupla satisfactione, insequente Iouino, composuit.

XXXIX. Post hæc tres Longobarborum Duces, id est Amo, Zaban, ac Rhodanus, Gallias inruperunt. Et Amo quidem Ebredunensem carpens viam, vsque Machao villam * Auennici territorij, quam Mummolus munere meruerat regio, accessit, ibique fixit tentoria. Zaban verò per Diensem descendens vrbem, vsque Valentiam venit: ibique & castra posuit. Rhodanus autem Gratianopolitanam vrbem adgressus est, ibique papiliones extendit. Et Amo quoque Arelatensem debellauit Prouinciam, cum vrbibus quæ circumsitæ sunt. Et vsque ipsum Lapideum campum, qui adiacet vrbi Massiliensi, accedens, tam de pecoribus, quàm de hominibus denudauit. Aquinsibus autem obsidionem parauit, de quibus viginti duabus libris argenti acceptis abscessit. Sicque & Rhodanus ac Zaban in locis, quibus accesserant, fecerunt. Quæ cùm Mummolo perlata fuissent, exercitum

* al. Machouillam.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. SIGIBERTVS. *al. Hiserā.

mouit, & Rhodano, qui Gratianopolitanam vrbem debellabat, occurrit. Sed cùm A Eseram * fluuium exercitus laboriosè transiret, nutu Dei animal amnem ingreditur, vadum ostendit: & sic populus liber in vlteriorem ripam egreditur Quod videntes Longobardi, nec morati, euaginatis gladiis hos adpetunt. Commissóque bello, intantum cæsi sunt, vt Rhodanus sauciatus lancea, ad montium excelsa confugeret. Exindè cum quingentis viris, qui ei remanserant, per deuia siluarum prorumpens, ad Zabanem peruenit, qui tunc vrbem Valentiam obsidebat: narrauitque ei omnia quæ acta fuerant. Tunc datis pariter cunctis in præda, ad Ebredunensem vrbem regressi sunt: ibíque eis cum innumero exercitu Mummolus in faciem venit Commissóque prælio, Lōgobardorum phalangæ vsq; ad internecionem cæsæ. cum paucis Duces in Italiam sunt regressi. Cúmque vsque Sigusium * vrbem perlati fuissent, & eos incolæ loci durè susciperent, præsertim cùm Sisinnius Magister militum à parte Imperatoris in hac vrbe resideret, simulatus Mummoli puer in conspectu Zabanis Sisinnio literas protulit, salutémque ex nomine Mummoli dedit, dicens: En ipsum in proximo. Quod audiens Zaban, cursu veloci ab vrbe ipsa digressus, præteriit. His auditis, Amo collecta omni præda, in itinere proficiscitur. Sed resistentibus niuibus, relicta præda, vix cum paucis erumpere potuit. Exterriti enim erant virtute Mummoli.

* al. Siosiū f. lib. 11. c. 45.

XL. MVLTA enim Mummolus bella gessit, in quibus victor extitit. Nam post mortem Chariberti, cùm Chilpericus Turonos ac Pictauis peruasisset, quæ Sigiberto Regi per pactum in parte venerant, coniunctus Rex ipse cum Guntchramno fratre suo, Mummolum eligunt, qui has vrbes ad verum dominum reuocare deberet. Qui Turonos veniens, fugato exinde Chlodoueo Chilperici filio, exactis à populo ad partem Regis Sigiberti sacramentis, Pictauum accessit. Sed Basilius ac Sigarius * Pictaui ciues, collecta multitudine, resistere voluerunt. Quos de diuersis partibus circundatos oppressit, obruit, interemit. Et sic Pictauum accedens, sacramenta exegit. Hæc interim de Mummolo dicta sufficiant. reliqua in posterum sunt digerenda. B

* al. Siagrius.

* al. Andarcis & Anparchi.

XLI. De Andarchij * verò interitu locuturus, prius genus ordiri placet & patriam. Hic igitur (vt adserunt) Felicis Senatoris seruus fuit, qui ad obsequium domini deputatus, ad studia literarum cum eo positus, benè institutus emicuit. Nam de operibus Virgilij, Legis Theodosianæ libris, artémque Calculi adplenè eruditus est. Hac igitur scientia tumens, despicere dominum cœpit: & se patrocinio Lupi Ducis, cùm ad vrbem Massiliensem ex iussu Regis Sigiberti accederet, commendauit. De qua regressus, hunc secum abire præcepit, insinuauítque eum diligenter Sigiberto Regi, atque ad seruiendum tradidit. Quem ille per loca diuersa dirigens, locum præbuit militandi. Ex hoc quasi honoratus habitus, Aruernum venit: ibique cum Vrso ciue vrbis eius amicitias inligat. Interim vt erat acris ingenij, filiam eius desponsare desiderans, loricam (vt ferunt) in libellari, quo carthæ abdi solitæ sunt, recondidit: dicens mulieri, coniugi vtique Vrsi, Quia multitudinem aureorum meorum amplius quàm sexdecim milia in hoc libellari reconditam tibi commendo. Quod tuum esse poterit, si mihi filiam tuam præstiteris desponsare. Sed C

quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?-------

Promisit mulier hæc simpliciter credens, absente viro, huic desponsare puellam. At ille regressus ad Regem, præceptionem ad iudicem loci exhibuit, vt puellam hanc suo matrimonio sociaret, dicens; Quia dedi arram in desponsatione eius. Negauit autem vir ille, dicens: Quia neque te noui vnde sis, neque aliquid de rebus tuis habeo. Qua intentione pullulante, ac vehementiùs increscente, Andarchius expetiit Vrsum in Regis præsentiam arcessire. Cúmque venisset apud villam Brennacum, * requirit hominem alium Vrsum nomine. quem ad altarium clam abductum, iurare fecit ac dicere: Per hunc locum sanctum, & reliquias Martyrum beatorum, quia si filiam meam tibi in matrimonio non tradidero, sexdecim milia solidorum tibi satisfacere non morabor. Stabant enim testes in sacrario, auscultantes occultè verba loquentis, sed personam quæ loqueretur penitus non videntes. Tunc Andarchius demulsit verbis lenibus Vrsum, fecitque eum sine Regis præsentia reuerti ad patriam. Factóque ex hoc iuramen-

* al. Brinnā

A to, breue sacramentorum Regi illi protulit discedenti, dicens: Hæc & hæc mihi Vrsus scripsit: & ideo gloriæ vestræ præceptionem deposco, vt filiam suam mihi tradat in matrimonio. Alioquin res mihi liceat eius possidere, donec sexdecim milibus solidorum acceptis, me ab hac causa remoueā. Tunc adeptis præceptionibus, Aruernum rediit: ostendit iudici iussionem Regis. Vrsus autem se in Vellauum territorium contulit. Cúmque res eius huic consignarentur, & hic in Vellauum accessit. Ingressúsque vnam Vrsi domum, cœnam sibi præcepit præparari, atque aquas, quibus ablueretur, calefieri iubet. Sed cùm serui domus minimè rudi domino parerent, alios fustibus, alios virgis cædit, nonnullis capita percutiens sanguinem elicuit. Turbata ergo familia, præparatur cœna. Abluitur hic aquis calidis, inebriatur vino, & se collocat super stratum. Erant autem cum eo septem pueri tantùm. Cúmque non minùs somno quàm vino sepulti altiùs obdormissent, congregata familia, ostia domus, quæ erat ex ligneis fabricata tabulis, claudit. Acceptísque clauibus, metas annonæ, quæ aderant, elidit. Ac circa domum adgregat aceruos annonæ, quæ tunc in manipulis erat: ita vt operta ex his domus cerneretur omnino. Tunc immisso per partes diuersas igne, cùm iam super hos infelices materia ædificij exusta dirueret, excitantur ad emissas voces. Sed non fuit qui exaudiret, donec tota domo adusta, ipsos pariter ignis absorberet. Vrsus verò metuens, Basilicam sancti Iuliani expetiit: datísque Regi muneribus, res suas in soliditate recepit.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. SIGIBERTVS.

B XLII. CHLODOVEVS verò Chilperici filius de Turonico eiectus, Burdegalam abiit. Denique cùm apud Burdegalensem ciuitatem nullo prorsus inquietante resideret, Sigulfus quidam à parte Sigiberti se super eum obiecit. Quem fugientem cum tubis & buccinis quasi labentem ceruum fugans, insequebatur. Qui vix ad patrem regredi liberum habuit aditum. Tamen per Andegauis regressus, ad eum rediit. Cùm autem contentio inter Guntchramnum & Sigibertum Reges verteretur, Guntchramnus Rex apud Parisius omnes Episcopos Regni sui congregat, vt inter vtrosque quid veritas haberet, edicerent. Sed vt bellum ciuile in maiore pernicitate cresceret, eos audire peccatis facientibus distulerunt. Chilpericus autem Rex in ira commotus, per THEODOBERTVM filium suum seniorem, qui à Sigiberto quondam * adprehensus sacramentum dederat vt ei fidelis esset, ciuitates eius peruadit, id est Turonus, & Pictauis, vel reliquas citra Ligerim sitas. Qui Pictauis veniens, contra Gundobaldum * Ducem pugnauit. Terga autem vertente exercitu partis Gundobaldi, magnam ibi stragem de populo ille fecit. Sed & Turonicam regionem maxima parte incendit, & nisi ad tempus manus dedissent, totam continuò debellasset. Commoto autem exercitu Lemouicinum, Cadurcinum, vel reliquas illorum Prouincias * peruadit, vastat, euertit, Ecclesias incendit, ministeria detrahit, Clericos interficit, Monasteria virorum deiicit, puellas deludit, & cuncta deuastat. Fuitque illo in tempore peior in Ecclesiis gemitus, quàm tempore persecutionis Diocletiani.

* al. aliquando.

* al. Gunuualdum.

* illarum propinquas

C XLIII. Et adhuc obstupescimus & admiramur, cur tantæ super eos plagæ inruerint. Sed recurramus ad illud quod parentes eorum egerunt, & isti perpetrant. Illi post prædicationem Sacerdotum, de fanis ad Ecclesias sunt conuersi: isti quotidie de Ecclesiis prædas detrahunt. Illi Sacerdotes Domini ex toto corde venerati sunt, & audierunt: isti non solùm non audiunt, sed etiam persequuntur. Illi Monasteria & Ecclesias ditauerunt: isti eas diruunt, ac subuertunt. Quid de Lata Monasterio referam, in quo beati Martini habentur reliquiæ? Cùm ad eum vnus cuneus hostium aduentaret, & fluuium, qui propinquus est, transire disponeret, vt Monasterium expoliaret, clamauerunt Monachi, dicentes: Nolite ô barbari, nolite huc transire. Beati enim Martini istud est Monasterium. Hæc audientes, eorum multi compuncti à Dei timore regressi sunt. Viginti tamen ex ipsis, qui non metuebant Deum, neque beatum Confessorem honorabant, ascendentes nauem illuc transgrediuntur, & inimico stimulante Monachos cædunt, Monasterium euertunt, résque diripiunt: de quibus facientes sarcinas, naui imponunt. Ingressique fluuium, protinus vibrante carina huc illúcque feruntur. Cúmque amisso auxilio * remorum, hastilibus lancearum in fundum aluei defixis remeare conarentur, nauis sub pedibus eorum dehiscit, & vniuscuiusque

* al. solatio.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. SIGIBERTVS.

ferrum, quod contra se tenebat, pectori defigitur. transuerberatique cuncti à propriis iaculis interimuntur. Vnus tantùm ex ipsis, qui eos increpabat, ne ista committerent, remansit inlæsus. Quòd si hoc quis fortuitu euenisse iudicat, cernat vnum insontem plurimis euasisse de noxiis. Quibus interfectis, Monachi ipsos & res suas ex alueo detrahentes, illos sepelientes, res domi restituunt. A

XLIV. DVM hæc agerentur, Sigibertus Rex gentes illas, quæ vltra Rhenum habentur, commouet, & bellum ciuile ordiens, contra fratrem suum Chilpericum ire destinat. Quod audiens Chilpericus, ad fratrem suum Guntchramnum Legatos mittit. Qui coniuncti pariter fœdus ineunt, Vt nullus fratrem suum perire sineret. Sed cùm Sigibertus gentes illas adducens venisset, & Chilpericus de alia parte cum suo exercitu resideret, nec haberet Rex Sigibertus super fratrem iturus, vbi Segonam fluuium transmearet, fratri suo Guntchramno mandat, dicens: Nisi me permiseris per tuam sortẽ hunc fluuium transire, cum omni exercitu meo super te pergam. Quod ille timens, fœdus cum eodem iniit, eúmque transire permisit. Denique sentiens Chilpericus, quòd scilicet Guntchramnus scilicet relicto eo ad Sigibertum transisset, castra mouit, & vsque ad Aualocium Carnotensem vicum abiit. Quem Sigibertus insecutus, campum sibi præparari petiit, ciuitatésque eius, quas Theodobertus malè peruaserat, reddidit: deprecans vt nullo casu culparentur earum habitatores, quos ille iniustè igni ferróque obprimens adquisierat. Vicos quoque, qui circa Parisius erat, maxima tunc flamma consumpsit, & tam domus quàm res reliquæ ab hoste direptæ sunt, vt etiam & captiui ducerentur. Obtestabatur enim Rex, ne hæc fierent: sed furorem gentium, quæ de vlteriore Rheni amnis parte venerant, superare non poterat. Sed omnia patienter ferebat, donec redire posset ad patriam. Tunc ex gentibus illis contra eum quidam murmurauerunt, cur se à certamine subtraxisset. Sed ille, vt erat intrepidus, ascenso equo ad eos dirigit, eósque verbis lenibus demulsit. multos ex eis postea lapidibus obrui præcipiens. Sed nec hoc sine beati Martini fuisse virtute ambigitur, vt hi sine bello pacificarentur. Nam in ipsa die, qua hi pacem fecerunt, tres paralytici ad beati Basilicam sunt erecti. Quod in sequentibus libris Domino iuuante disseremus. B

XLV. DOLOREM enim ingerit animo, ista ciuilia bella referre. Nam post annum iterum Chilpericus ad Guntchramnum fratrem suum Legatos mittit, dicens: Veniat frater mecum, & videamus nos, & pacificati persequamur Sigibertum inimicum nostrum. Quod cùm fuisset factum, séque vidissent, ac muneribus honorassent, commoto Chilpericus exercitu vsque Rhemos accessit, cuncta incendens atque debellans. Quod audiens Sigibertus, iterum conuocatis gentibus illis, quarum suprà memoriam fecimus, Parisius venit, & contra fratrem suum ire disponit: mittens nuncios Dunensibus vel Turonicis, vt contra Theodobertum ire deberent. Quod illi dissimulantes, Rex Godegisilum & Guntchramnum Duces in capite dirigit. Qui commouentes exercitum, aduersus eum pergunt. At ille derelictus à suis, cum paucis remansit. Sed tamen ad bellum exire non dubitat. Ineuntes autem prælium, Theodobertus victus, in campo prosternitur, & ab hostibus exanime corpus (quod dici dolor est) spoliatur. Tunc ab Aunulfo quodam collectus, ablutúsque, ac dignis vestibus est indutus, & ad Ecolimensem ciuitatem sepultus. Chilpericus verò cognoscens, quòd iterum se Guntchramnus cum Sigiberto pacificasset, se infra Tornacenses muros cum vxore & filiis communiuit. C

XLVI. IN eo anno fulgur per cœlum discurrisse visum est, sicut quondam ante mortem Chlotharij factum vidimus. Sigibertus verò obtentis ciuitatibus illis, quæ circa Parisius sunt positæ, vsque Rothomagensem vrbem accessit, volens easdem vrbes hostibus cedere. Quod ne faceret, à suis prohibitus est. Regressus inde, Parisius est ingressus: ibique ad eum Brunichildis cum filiis venit. Tunc Franci, qui quondam ad Childebertum aspexerant seniorem, ad Sigibertum Legationem mittunt, vt ad eos veniens, derelicto Chilperico, super se ipsum Regem stabilirent. Ille verò hæc audiens, misit qui fratrem suum in suprà memorata ciuitate obsiderent, ipse illuc properare deliberans. Cui sanctus Germanus Episcopus dixit: Si abieris, & fratrem tuum interficere nolueris, viuus & victor redibis.

A redibis. Sin autem aliud cogitaueris, morieris. Sic enim Dominus per Salomonem dixit: *Foueam quam fratri tuo parabis, in eam corrues.* Quod ille, peccatis facientibus, audire neglexit. Veniente autem illo ad villam, cui nomen est Victoriacum, collectus est ad eum omnis exercitus, impositúmque super clypeo, sibi Regem statuunt. Tunc duo pueri cum cultris validis, quos vulgus *Scramasaxos* * vocant, infectis veneno, maleficati à Fredegunde Regina, cum aliam causam suggerere simularent, vtraque ei latera feriunt. At ille vociferans, atque corruens, non post multo spacio emisit spiritum. Ibique & Charegisilus * Cubicularius eius corruit. Ibi & Sigila, qui quondam ex Gothia venerat, multum laceratus est: & postea ab Chilperico Rege comprehensus, incensis cum cauteriis candentibus omnibus iuncturis, ac membratim separatus, crudeliter vitam finiuit. Fuit autem Charegisilus ille tam leuis opere, quàm grauis cupiditate. De minimis consurgens, magnus per adulationes cum Rege effectus est. Competitor rerum alienarum, testamentorúmque effractor. Cui talis fuit vitæ exitus, vt non mereretur voluntatem propriam morte imminente complere *, qui aliorum voluntates sæpè destruxerat. Chilpericus autem in ancipiti casu defixus, in dubium habebat, an euaderet, an periret, donec ad eum missi veniunt de fratris obitu nunciantes. Tunc egressus à Tornaco cum vxore & filiis, eum vestitum apud Lambros vicum sepeliuit. Vnde postea B Suessionas in Basilica sancti Medardi, quam ipse ædificauerat, translatus, secus Chlotharium patrem suum sepultus est. Obiit autem XIIII. regni sui anno, ætate quadragenaria. A transitu ergo Theodoberti senioris vsque ad exitum Sigiberti, supputantur anni XXIX *. Inter exitum verò eius & nepotis sui Theodoberti, fuere dies XVIII. Mortuo autem Sigiberto, regnauit CHILDEBERTVS filius eius pro eo. A principio autem Mundi vsque ad diluuium, anni bis mille ducenti quadraginta duo. A diluuio autem vsque ad Abraham, anni DCCCCXLII. Ab Abraham verò vsque ad egressum filiorum Isrel ex Ægypto, anni CCCCLXII. Ab egressu filiorum Israël ex Ægypto vsque ad ædificationem Templi Salomonis, anni CCCCLXXX. Ab ædificatione ergo Templi vsque ad desolationem eius, & transmigrationem in Babyloniam, anni CCCLXI. A transmigratione igitur vsque ad passionem Domini, anni DCXLVIII. A passione Domini vsque ad transitum sancti Martini, anni CCCCXII. A transitu sancti Martini vsque ad transitum Chlodouei Regis, anni CXII. A transitu Chlodouei Regis vsque ad transitum Theodoberti, anni XXXVII *. A transitu Theodoberti vsque ad exitum Sigiberti, anni XXIX. Quod sunt simul anni, quinquies mille septingenti quadraginta * quatuor.

GVNTCHRAMNVS CHILPERICVS. SIGIBERTVS.

* Schramsax. i. vulnifici cultelli.

* al. Harigisilus.

* al. compellere.

* al. XXVIII.

* al. XXXIV.

* al. septuaginta.

C

EXPLICIT LIBER IV.

GREGORII EPISCOPI TVRONENSIS HISTORIAE FRANCORVM

LIBER QVINTVS.

CAPITVLA LIBRI.

* al. Merouechus.

* al. Turonus.

TÆDET me bellorum ciuilium diuersitates, quæ Francorum gentem & Regnum valde proterunt, memorare. In quo, quod peius est, tempore illud quod Dominus de dolorum prædixit initio, iam videmus: *Consurget pater in filium, filius in patrem; frater in fratrem, proximus in propinquum.* Debebant enim eos exempla anteriorum Regum terrere, qui vt diuisi, statim ab inimicis sunt interempti. Quotiens & ipsa Vrbs vr-

A bium, & totius mundi caput, iniens bella ciuilia, ruit. Quo cessante, rursum quasi ab humo surrexit. Vtinam & vos, ô Reges, in his præliis, in quibus parentes vestri desudauerunt, exerceremini! vt gentes vestra pace conterritæ, vestris viribus premerentur. Recordamini, quid caput victoriarum vestrarum Chlodoueus fecerit, qui diuersos * Reges interfecit, noxias gentes elisit, patrias subiugauit: quarum Regnum vobis integrum inlæsumque reliquit. Et cùm hoc faceret, neque aurum, neque argentum, sicut nunc in thesauris vestris habebat. Quid agitis? quid quæritis? quid non abundatis? In domibus deliciæ supercrescunt. In promptuariis vinum, triticum, oleúmque redundat. In thesauris aurum atque argentum coaceruatur. Vnum vobis deest, quòd pacem non habentes, Dei gratia indigetis. Cur vnus tollit alteri suum? Cur alter concucupiscit alienum? Cauete illud, quæso, Apostoli: *Si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.* Scrutamini diligenter veterum scripta & videbitis quid ciuilia parturiant. Requirite quid de Carthaginensibus scribat Orosius: qui cùm post septingentos annos subuersam dicat ciuitatem & regionem eorum, addidit: Quæ res eam tandiu seruauit? concordia. Quæ res eam post tanta destruxit tempora? discordia. Cauete discordiam, cauete bella ciuilia, quæ vos populúmque vestrum expugnant. Quid aliud sperandum erit, nisi cùm exercitus vester ceciderit, vos sine solatio relicti, atque à gentibus aduersis oppressi protinus corruatis? Si te, ô Rex bellum ciuile delectat, illud quod B Apostolus in homine agi meminit, exerce, vt spiritus concupiscat aduersus carnem, & vitia virtutibus cedant, & tu liber capiti tuo, id est Christo, seruias, qui quondam radici malorum seruieras compeditus.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

* al. aduersos.

I. IGITVR interempto Sigiberto Rege apud Victoriacum villam, Brunichildis Regina cum filiis Parisius residebat. Quod factum cùm ad eam perlatum fuisset, & conturbata dolore ac luctu, quid ageret, ignoraret, Gundobaldus Dux adprehensum CHILDEBERTVM filium eius paruulum furtim abstulit: ereptúmque ab imminenti morte, collectísque gentibus, super quas pater eius Regnum tenuerat, Regem instituit, vix lustro ætatis vno iam peracto. qui die Dominici Natalis regnare cœpit. Anno igitur primo Regni eius, Chilpericus Rex Parisius venit, adprehensámque Brunichildem, apud Rothomagensem ciuitatem in exilio trusit, thesauròsque eius, quos Parisius detulerat, abstulit. Filias verò eius Meledis vrbe teneri præcepit. Tunc Roccolenus cum Cenomannicis Toronis venit, & prædas egit, & multa scelera fecit. Quod in sequenti, qualiter à virtute beati Martini pro tantis malis quæ gessit, percussus interiit, memorabimus.

II. CHILPERICVS verò filium suum Merouecum * cum exercitu Pictauis dirigit. At ille relicta ordinatione patris, Toronis venit, ibique & dies sanctos Paschæ tenuit. Multum enim regionem illam exercitus eius vastauit. Ipse verò simulans ad matrem suam ire velle, Rothomagum petiit, & ibi Bruni- C childi Reginæ coniungitur. Eam quoque sibi in matrimonio sociauit. Hæc audiens Chilpericus, scilicet quòd contra fas legémque canonicam vxorem patrui accepisset, valde amarus, dicto citiùs ad suprà memoratum oppidum dirigit. At illi cùm hæc cognouissent, quòd eosdem separare decerneret, ad Basilicam sancti Martini, quæ super muros ciuitatis ligneis tabulis fabricata est, confugium faciunt. Rex verò adueniens, cùm in multis ingeniis eos exinde auferre niteretur, & illi dolosè eum putantes facere non crederet, iurauit eis dicens: Si, inquit, Dei voluntas fuerit, ipse hos separare non conaretur. Hæc illi sacramentis accipientes, de Basilica egressi sunt. Exosculatísque, & dignanter acceptis, epulatus est cum eis. Post dies verò paucos adsumpto secum Rex Meroueo, Suessionas * rediit.

* al. Merouechum.

* al. Sessiones.

III. CVM autem ibidem commorarentur, collecti aliqui de Campania, Suessionas vrbem adgrediuntur. Fugatáque ex ea Fredegunde Regina, atque Chlodoueo filio Chilperici, volebant sibi subdere ciuitatem. Quod vt Chilpericus Rex comperit, cum exercitu illuc dirigit, mittens nuncios, ne sibi iniuriam facerent, & excidium de vtroque eueniret exercitu. Illi autem hæc negligentes, præparantur ad bellum. Commissóque prælio, inualuit pars Chilperici, atque fugauit partem

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

sibi aduersam, multos ex ea strenuos atque vtiles viros prosternens. fugatísque reliquis Suessionas ingreditur. Quæ postquam acta sunt, Rex propter coniugationem Brunichildis suspectum habere cœpit Merouеum filium suum, dicens, hoc prælium eius nequitia surrexisse. Spoliatúmque armis, datis custodibus, liberè custodiri præcepit, tractans quid de eo in posterum ordinaret. Godinus autem, qui de sorte Sigiberti se ad Chilpericum transtulerat, & multis ab eo muneribus locupletatus est, caput belli istius fuit: sed in campo victus, primus fuga dilabitur. Villas verò, quas ei Rex à fisco in territorio Suessionico indulserat, abstulit, & Basilicæ contulit beati Medardi. Ipse quoque Godinus non post multum tempus repentina morte præuentus, interiit. Cuius coniugem Rauchingus accepit, vir omni vanitate repletus, superbia tumidus, elatione proteruus: qui se ita cum subiectis agebat, vt non cognosceret in se aliquid humanitatis habere, sed vltra modum humanæ malitiæ atque stultitiæ in suos desæuiens, nefanda mala gerebat. Nam si ante eum (vt adsolet) conuiuio vtentem puer cereum tenuisset, nudari eius tibias faciebat, atque tamdiu in his cereum comprimi, donec lumine priuaretur. Iterũ cùm inluminatus fuisset, similiter faciebat, vsque dum totæ tibiæ famuli tenentis exurerentur. Quòd si vocem emittere, aut se de loco illo alia in parte mouere conatus fuisset, nudus ilico gladius imminebat: fiebátque vt hoc fiente, iste magna lætitia exultaret. Aiebant enim quidam, eo tempore duos de famulis eius, vt sæpè contingit, mutuo se amore dilexisse, virum scilicet & puellam. Cúmque hæc dilectio per duorum annorum aut eo ampliùs spacia traheretur, coniuncti pariter Ecclesiam petierunt. Quod cùm Rauchingus comperisset, accedit ad Sacerdotem loci: rogat sibi protinus reddi suos famulos excusatos. Tunc Sacerdos ait ad eum: Nosti enim quæ veneratio debeat impendi Ecclesiis Dei. Non enim poteris eos accipere, nisi vt fidem facias de permanente eorum coniunctione: similiter & vt de omni pœna corporali liberi maneant, repromittas. At ille, cùm diu ambiguus cogitatione siluisset, tandem conuersus ad Sacerdotem, posuit manus suas super altare cum iuramento, dicens: Quia numquam erunt à me separandi, sed potiùs ego faciam, vt in hac coniunctione permaneant: quia quanquam mihi molestum fuerit, quòd absque mei consilij conuenientia ista sint gesta, illud tamen libens amplector, quòd nec hic ancillam alterius, neque hæc extranei seruum acceperit. Credidit Sacerdos ille simpliciter promissioni hominis callidi, reddiditque homines excusatos. Quibus ille acceptis, & gratias agens, abscessit ad domum suam: & statim iussit elidere arborem, truncatámq; columnam eius pro capite cuneo scissam præcepit excauari. Effossáque in altitudine trium aut quatuor pedum humo, deponi vas iubet in foueam. Ibique puellam vt mortuam componens, puerum desuper iactare præcepit: positóque opertorio, fossam humo repleuit, sepeliuitq; eos viuentes, dicens; Quia non frustraui iuramentum, vt non separarentur hi in sempiternum. Quæ cùm Sacerdoti nunciata fuissent, cucurrit velociter: & increpans hominem, vix obtinuit vt detegerentur. Verumtamen puerum viuum extrahit, puellam verò reperit suffocatam. In talibus enim operibus valde nequissimus erat, nullam aliam habens potiùs vtilitatem, nisi in cachinnis aut dolis, omnibúsque peruersis rebus. Vnde non immerito taliter excessit à vita, qui talia gessit cùm frueretur hanc vitam. quod in posterum digesturi sumus. Siggo quoque Referendarius, qui annulum Regis Sigiberti tenuerat, & ab Chilperico Rege ita prouocatus erat, vt seruitium, quod tempore fratris sui habuerat, obtineret, ad Childebertum Regem Sigiberti filium relicto Chilperico transiuit. résque eius, quas in Suessionico habuerat, Ansoualdus obtinuit. Multi autem & alij de his, qui se de Regno Sigiberti ad Chilpericum tradiderant, recesserunt. Vxor quoque Siggonis non post multo temporis spacio obiit. Sed ille aliam rursus accepit.

IV. His diebus Roccolenus ab Chilperico missus, Turonis aduenit cum magna iactantia, & vltra Ligerim castra ponens, nuncios ad nos direxit, vt scilicet Guntchramnum, qui tunc de morte Theodoberti impetebatur, à Basilica sancta deberemus extrahere. Quod si non faceremus, & ciuitatem, & omnia suburbana eius iuberet incendio concremare. Quo audito, misimus ad eum Legationem, dicentes: Hæc ab antiquo facta non fuisse, quæ hîc fieri deposcebat: sed

A nec modò permitti posse, vt Basilica sancta violaretur. Quod si fieret, nec sibi fore prosperum, nec Regi qui hæc iussa mandasset: metueretque magis sanctitatem Antistitis, cuius virtus hesterna die paralytica membra direxisset. Nihil ex his ille formidans, cùm in domo Ecclesiæ vltra Ligerim resideret, domum ipsam, quæ clauis adfixa erat, dissecat. Ipsos quoque clauos Cenomannici, qui tunc eodem aduenerant, impletis follibus portant, annonas euertunt, & cuncta deuastant. Sed dum hæc Roccolenus agit, à Deo percutitur, morbóque regio croceus effectus, mandata aspera remittit, dicens; Nisi hodie proieceritis Guntchramnum " Ducem de Basilica, ita cuncta virentia quæ sunt circa vrbem deuastabo, vt dignus " fiat aratro locus ille. Interim aduenit dies sanctus Epiphaniæ. & hic magis ac magis " torqueri cœpit. Tunc accepto à suis consilio, amne transacto, ad ciuitatem accedit. Denique cùm psallentes de Ecclesia egressi ad sanctam Basilicam properarent: hic post crucem præcedentibus signis, equo superpositus ferebatur. Verùm vbi Basilicam sanctam introiit, mox furor minantis intepuit *, regressúsque ab Ecclesia, nihil cibi ea die accipere potuit. Exinde cùm valde anhelus esset, Pictauis abiit. Erant enim dies sancti Quadragesimæ, in qua fœtus cuniculorum sæpe comedit. Dispositis verò actionibus, quibus in Calendis Martiis ciues Pictauos vel affligeret, vel damnaret, pridie animam reddidit. & sic superbia, tumórque quieuit.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

* al. Increpuit.

B v. Eo tempore Felix Namneticæ vrbis Episcopus literas mihi scripsit, plenas obprobriis, scribens etiam fratrem meum ob hoc interfectum, eò quòd ipse cupidus Episcopatus, Episcopum interfecisset. Sed vt hæc scriberet, villam Ecclesiæ concupiuit. Quam cùm dare nollem, euomuit in me (vt dixi) plenus furore, obprobria mille. Cui aliquando ergo respondi; Memento dicti Prophetici: Væ his qui " iungunt domum ad domum, & agrum ad agrum copulant! nunquid soli inhabita- " bunt terram? O si te habuisset Massilia Sacerdotem, nunquam naues oleum, aut " reliquas species detulissent, nisi tantùm chartam quo maiorem opportunitatem " scribendi ad bonos infamandos haberes. Sed paupertas chartæ finem imponit ver- " bositati. immensæ enim erat cupiditatis atq; iactantiæ. Sed ego ista postponens, ne illi similis appaream, illud explicabo, qualiter germanus meus ab hac luce migrauerit, & quam velocem in percussorem eius Dominus præstiterit vltionem. Consenescente beato Tetrico Ecclesiæ Lingonicæ Sacerdote, cùm Lampadium Diaconum (quem creditorem habuit) deiecisset, & frater meus dum pauperibus, quos ille malè spoliauerat, opitulari cupiens consensisset in eius humiliationem, odium ex hoc incurrit. Interea beatus Tetricus à sanguine sauciatur. Cui cùm nulla medicorum fomenta valerent, conturbati Clerici, & à pastore vt pote destituti, Mondericum expetunt. Qui à Rege indultus ac tonsoratus, Episcopus ordinatur, sub ea specie, vt dum beatus Tetricus viueret, hic Ternodorense castrum vt Archipres-
C byter regeret, atque in eo commoraretur: migrante verò decessore, iste succederet. In quo castro dum habitaret, iram Regis incurrit. Adserebatur enim contra eum, quòd ipse Sigiberto Regi aduersus fratrem suum Guntchramnum venienti, alimenta & munera præbuisset. Igitur extractus à castro, in exilium super ripam Rhodani in turri quadam arcta atque detecta retruditur: in qua per duos ferè annos cum grandi cruciatu commoratur. Obtinente beato Nicetio Episcopo, Lugdunum regreditur: habitauítque cum eo per duos menses. Sed cùm obtinere non posset à Rege, vt in locum vnde deiectus fuerat restitueretur, nocte per fugam lapsus ad Sigiberti Regnum transiit, & apud Arisitensem vicum Episcopus instituitur, habens sub se plus minus diœceses quindecim, quas primùm Gothi quidam tenuerant, nunc verò Dalmatius Ruthenensis Episcopus vendicabat. Quo abeunte, iterum Lingonici Siluestrum propinquum, vel nostrum, vel beati Tetrici, Episcopũ expetunt. Sed vt eum peteret, fratris mei hoc instinctu fecerunt. Interea transeunte beato Tetrico, hic tonso capite Presbyter ordinatur, accepta omni potestate de rebus Ecclesiæ: qui verò vt benedictionem Episcopalem Lugduni accipiat, iter parat. Quæ dum aguntur, ipse, quia iam diu epilepticus erat, ab hoc morbo correptus, asperiùs extra sensum factus, & per dies duos assiduè dans mugitum, tertia die spiritum exhalauit. Quibus peractis, Lampadius (vt superiùs diximus) ab honore & facultate priuatus in odio Petri Diaconi, cum filio Siluestri coniungitur, machinans atque confirmans patrem suum ab ipso fuisse maleficiis in-

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

terfectum. At ille ætate iuuenis, sensu leuis, contra eum commouetur, ipsum A impetens publicè patricidam. Porrò ille hæc audiens, facto placito in præsentia sancti Nicetij Episcopi auunculi matris meæ, Lugdunum dirigitur: & ibi Siagrio Episcopo coram adstante, & aliis Sacerdotibus multis cum secularium Principibus, se sacramento exuit: nunquam se in mortem Siluestri mixtum fuisse. Post duos verò annos instigatus iterum à Lampadio filius Siluestri, adsequutus in via Petrum Diaconum, lancea sauciatum interfecit. Quod cùm factum fuisset, de eo loco eleuatus, & ad Diuionense delatus castrum, secus sanctum Gregorium proauum nostrum sepelitur. Iste vero fugam iniens, ad Chilpericum Regem transiit, facultatibus suis fisco Regis Guntchramni dimissis. Cúmque per diuersa vagaretur pro commisso scelere, nec ei esset locus firmus ad commorandum: tandem (vt credo) contra eum sanguine insonte ad diuinam potentiam proclamante, in quodam loco, dum iter ageret, innocentem hominem euaginato gladio interemit. Cuius parentes condolentes propinqui exitum, commota seditione, extractis gladiis, eum in frusta concidunt, membratímq; dispergunt. Talem iuxta iudicium Dei exitum miser accepit, vt qui propinquũ innocentem interemerat, ipse nocens diutiùs non maneret. Nam tertio hæc ei euenerunt anno. Denique Siluestri post transitum, Lingonici iterum Episcopum flagitantes, Pappolum, qui quondam Archidiaconus Augustodunensis fuerat, accipiunt. Qui multa (vt adserunt) egit iniqua, quæ à nobis prætermittuntur, ne detractores fratrum esse videamur. B Tamen qualem habuerit exitum, non omittam. Anno octauo Episcopatus sui, dum dœceses ac villas Ecclesiæ circumiret, quadam nocte dormienti apparuit „ illi beatus Tetricus vultu minaci. Cui ita; Quid tu, inquit, hic Pappole? vt quid „ sedem meam polluis? vt quid Ecclesiam peruadis? vt quid oues mihi creditas sic „ dispergis? Cede loco, relinque sedem, abscede longiùs à regione. Et hæc dicens, virgam, quam habebat in manu, pectori eius cum ictu valido impulit. In quo ille euigilans, dum cogitat quid hoc esset, ficta in loco illo defigitur, ac dolore maximo cruciatur. Abhorret cibum potúmque, & mortem iam sibi proximam præstolatur. Quid plura? Tertia die cùm sanguinem ore proiiceret, expirauit. Exinde elatus Lingonas, est sepultus. In cuius locum Mummolus Abbas, quem Bonum cognomento vocant, Episcopus substituitur. Quem multi magnis laudibus prosequuntur, esse eum castum, sobrium, moderatum, ac in omni bonitate promptissimum: amantem iustitiam, charitatem, omni intentione diligentem. Qui accepto Episcopatu, cognoscens quòd Lampadius multùm de rebus fraudasset Ecclesiæ, ac de spoliis pauperum agros, vineásque, vel mancipia congregasset, eum ab omni re nudatum à præsentia sua iussit abigi. Qui nunc in maxima paupertate degens, manibus propriis victum quærit. Hæc de his sufficiant.

VI. ANNO verò quo suprà, id est quo mortuo Sigiberto Childebertus filius eius regnare cœpit, multæ virtutes ad sepulchrum beati Martini apparuerunt, quas in illis libellis scripsi, quos de ipsis Miraculis componere tentaui. Et licèt sermone rustico, tamen celare passus non sum, quæ aut ipse vidi, aut à fidelibus relata cognoui. C Hic tantum quid negligentibus euenerit, qui post virtutem cœlestem terrena medicamenta quæsierunt, exsoluam. quia sicut per gratiam sanitatum, ita & per castigationem stultorum virtus eius ostenditur. Leonastes Biturigus Archidiaconus decidentibus cataractis, lumine caruit oculorum. Qui cùm per multos medicos ambulans, nihil omnino visionis recipere posset, accessit ad Basilicam beati Martini: vbi per duos aut tres menses consistens, & ieiunans assiduè, lumen vt reciperet flagitabat. Adueniente autem festiuitate, clarificatis oculis cernere cœpit. Regressus quoque domum, vocato quodam Iudæo, ventosas, quorum beneficio oculis lumen augeret, humeris superponit. Decedente quoque sanguine, rursus in recidiuam cæcitatem redigitur. Quod cùm factum fuisset, rursum ad templum sanctum regressus est. Ibique iterum longo spatio commoratus, lumen recipere non meruit. Quod ei ob peccatum non præstitum reor, iuxta illud Dominicum oraculum; *Qui habet, dabitur ei, & abundabit: & qui non habet, ipsum quod habet auferetur ab eo.* Et illud; *Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne quid tibi deterius eueniat.* Nam perstitisset hic in sanitate, si Iudæum non induxisset super diuinam virtutem. Tales enim & monet & arguit Apostolus, dicens; *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ*

A *cum iniquitate? aut quæ societas lucis cum tenebris? Quæ autem communicatio Christi cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? quis autem consensus Templo Dei cum idolis? Vos estis enim templum Dei viui: propterea exite de medio eorum, & separamini ab his, ait Dominus.* Ideo doceat vnumquemque Christianum hæc causa, vt quando cœlestem accipere meruerit medicinam, terrena non requirat studia.

VII. SED & illud commemorare libet, qui vel quales viri hoc anno à Domino sunt conuocati. Vnde magnum eum & Deo acceptabilem ego censeo, qui tales de nostra terra suo paradiso collocauit. Nam benedictus Senoch Presbyter, qui apud Turonos morabatur, sic migrauit à seculo. Fuit autem genere Theifalus, & in Turonico Clericus factus, in Cellulam, quam ipse inter parietes antiquos composuerat, se remouit: collectisque Monachis, Oratorium, quod multo tempore dirutum fuerat, reparauit. Idem super infirmos multas virtutes fecit, quas in Libro Vitæ eius scripsimus.

VIII. EO anno & beatus Germanus Parisiorum Episcopus transiit. In cuius exequiis, multis virtutibus, quas in corpore gesserat, hoc miraculum confirmationem fecit. Nam carcerariis adclamantibus, corpus in platea adgrauatum est. Solutisque eisdem, rursum sine labore leuatur. Ipsi quoque, qui soluti fuerant, in obsequium funeris vsque ad Basilicam, in qua sepultus est, liberi peruenerunt. Ad sepulchrum autem eius multas virtutes, Domino tribuente, credentes experiuntur: ita vt quisque si iusta petierit, velociter exoptata reportet. Si quis tamen B strenuus virtutes illius, quas in corpore fecit, sollicitè vult inquirere, Librum Vitæ illius, qui à Fortunato Presbytero compositus est, legens cuncta reperiet.

IX. EODEM quoque anno & Caluppa reclausus obiit. Hic autem ab infantia sua semper religiosus fuit, & apud Monasterium Melitense termini Aruerni conuersus, in magna se humilitate fratribus præbuit, sicut in Libro Vitæ eius scripsimus.

X. FVIT autem in Biturico termino reclausus nomine Patroclus, Presbyterij honore præditus, miræ sanctitatis ac religionis, vir magnæ abstinentiæ. Qui plerumque ab inedia, diuersis incommodis vexabatur. Vinum, siceram, vel omne quod inebriare potest, non bibebat, præter aquam parumper melle linitam: sed nec pulmento aliquo vtebatur. Cuius victus erat panis in aquam infusus, atque sale respersus. Huius oculi nunquam caligauerunt. Erat autem in oratione assiduus: quam si parumper prætermisisset, aut legebat aliquid, aut scribebat. Frigoriticis, pustulis laborantibus, vel reliquis morbis, sæpè per orationem remedia conferebat. Sed & alia signa multa fecit, quæ per ordinem longum est enarrare. Cilicium semper puro adhibebat corpori. Qui octogenaria ætate abscedens à seculo, migrauit ad Christum. Scripsimus & de huius Vita libellum.

XI. ET quia semper Deus noster Sacerdotes suos glorificare dignatur, quid Aruerno de Iudæis hoc anno contigerit, pandam. Cùm eosdem plerumque beatus Auitus Episcopus commoneret, vt relicto velamine legis Mosaicæ, spiritaliter lecta intelligerent, & Christum filium viuentis Dei Prophetica & legali C auctoritate promissum, corde purissimo in sacris literis contemplarentur: manebat in pectoribus eorum, iam non dicam velamen illud quo facies Moysi obumbrabatur, sed paries. Sacerdote quoque orante, vt conuersi ad Dominum, velamen ab eis literæ rumperetur, quidam ex his ad sanctum Pascha, vt baptizaretur, expetiit: renatúsque Deo per baptismi sacramentum, cum albatis reliquis in albis & ipse procedit. Ingredientibus autem populis portam ciuitatis, vnus Iudæorum super caput conuersi Iudæi oleum fœtidum diabolo instigante diffudit. Quod cùm cunctus abhorrens populus voluisset eum vrgere lapidibus, Pontifex vt fieret non permisit. Die autem beato, quo Dominus ad cœlos post redemptum hominem ascendit gloriosus, cùm Sacerdos de Ecclesia ad Basilicam psallendo procederet, inruit super Synagogam Iudæorum multitudo sequentium, destruénsque à fundamentis, campi planitiæ locus adsimilatur. Alia autem die Sacerdos eis legatos mittit, dicens: Vi ego vos confiteri Dei filium non impello, sed tamen prædico, & salem scientiæ vestris pectoribus trado. Pastor sum enim Dominicis ouibus superpositus, & de vobis ille verus Pastor, qui pro nobis passus est, dixit habere se alias oues, quæ non sunt ex ouili suo, quas eum oporteat adducere, vt fiat vnus grex & vnus pastor. Ideóque si vultis credere, vt ego, estote

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

vnus grex, custode me posito: sin verò aliud, abscedite à loco. Illi autem diu A æstuantes atque dubitantes, tertia die (vt credo) obtentu Pontificis coniuncti in vnum, ad eum mandata remittunt dicentes: Credimus Iesum Filium Dei viui nobis Prophetarum vocibus repromissum, & ideo petimus vt abluamur baptismo, ne in hoc delicto permaneamus. Gauisus autem nuncio Pontifex, nocte sancta Pentecostes vigiliis celebratis, ad baptisterium foras muraneum egressus est: ibique omnis multitudo coram eo prostrata, baptismum flagitauit. At ille præ gaudio lachrymans, cunctos aqua abluens, chrismate liniens, in sinu matris Ecclesiæ congregauit. Flagrabant cerei, lampades refulgebant, albicabat tota ciuitas de grege candido. Nec minus fuit vrbi gaudium, quàm quondam Spiritu sancto descendente super Apostolos, Hierusalem videre promeruit. Fueruntautem qui baptizati sunt, amplius quingenti. Hi verò qui baptismum percipere noluerunt, discedentes ab illa vrbe, Massiliæ redditi * sunt.

* al. redierunt

XII. TRANSIIT post hæc & Brachio Abbas Cellulæ Manatensis. Fuit autem genere Thoringus, in seruitium Sigiualdi quondam Ducis venationem exercens, sicut alibi scripsimus.

XIII. ERGO vt ad propositum reuertamur, Chilpericus Rex Chlodoueum filium suum Turonis transmisit, qui congregato exercitu inter terminum Turonicum & Andegauum vsque Santonas transiit, eámque peruasit. Mummolus verò Patritius Guntchramni Regis, cum magno exercitu vsque Lemouicinum B transiit: & contra Desiderium Ducem Chilperici Regis bellum gessit. In quo prælio cecidere de exercitu eius quinque millia, de Desiderij verò viginti quatuor millia. Ipse quoque Desiderius fugiens vix euasit. Mummolus verò Patritius per Aruernum rediit, eámque per loca exercitus eius deuastauit, & sic in Burgundiam peraccessit.

XIV. POST hæc Meroueus cùm in custodia à patre retineretur, tonsoratus est, mutatáque veste, qua Clericis vti mos est, Presbyter ordinatur, & ad Monasterium Cenomannicum, quod vocatur Aninsula, dirigitur, vt ibi sacerdotali erudiretur regula. Hæc audiens Guntchramnus Boso, qui tunc in Basilica sancti Martini (vt diximus) residebat, misit Riculfum Subdiaconum, vt ei consilium occultè præberet expetendi Basilicam sancti Martini. Qui cùm abiisset, ab alia parte Gaulenus * puer eius aduenit. Cúmque paruum solatium qui eum ducebant haberent, ab ipso Gauleno in itinere excussus est, opertóque capite, indutúsque veste seculari, beati Martini templum expetiit. Nobis autem Missas celebrantibus, in sanctam Basilicam, aperta reperiens ostia, ingressus est. Post Missas autem petiit, vt ei eulogias dare deberemus. Erat autem tunc nobiscum Ragnemodus * Parisiacæ sedis Episcopus, qui sancto Germano successerat. Quod cùm refutaremus, ipse clamare cœpit & dicere; Quòd non rectè eum à communione sine fratrum conniuentia suspenderemus. Illo autem hæc dicente, cum C consensu fratris, qui præsens erat, contestata causa canonica, eulogias à nobis accepit. Veritus autem sum, ne dum vnum à communione suspendebam, in multos existerem homicida. Minabatur enim aliquos de populo nostro interficere, si communionem nostram non meruisset. Multas tamen pro hac causa Turonica regio sustinuit clades. His diebus Nicetius vir neptis meæ, propriam habens causam, ad Chilpericum Regem abiit cum Diacono nostro, qui Regi fugam Merouei narraret. Quibus visis, Fredegundis Regina ait: Exploratores sunt, & ad sciscitandum quid agat Rex aduenerunt, vt sciant quid Meroueo renuncient. Et statim exspoliatos in exilium retrudi præcepit, de quo mense septimo relaxati sunt. Igitur Chilpericus nuncios ad nos direxit, dicens: Eiicite apostatam illum de Basilica: sin autem aliud, totam regionem illam igni succendam. Cúmque nos rescripsissemus, Impossibile esse quod temporibus Hæreticorum non fuerat, Christianorum nunc temporibus fieri; ipse exercitum commouet, & illuc dirigit. Anno autem secundo Childeberti Regis, cùm videret Meroueus patrem suum in hac deliberatione intentum, adsumpto secum Guntchramno Duce, ad Brunichildem pergere cogitat, dicens: Absit vt propter meam personam Basilica domni Martini violentiam perferat, aut regio eius per me captiuitati subdatur. Et ingressus Basilicam, dum vigilias ageret, res quas secum habebat ad sepulchrum beati Martini exhibuit, orans vt sibi Sanctus succurreret, atque ei

* al. Gailenus

* al. Reginmodus

A concederet gratiam suam, vt Regnum accipere posset. Leudastes tunc Comes, cùm multas ei in amore Fredegundis insidias tenderet, ad extremum pueros eius, qui in pago egressi fuerant, circumuentos dolis gladio trucidauit, ipsúmque interimere cupiens, si reperire loco opportuno potuisset. Sed ille consilio vsus Guntchramni, & se vlcisci desiderans, redeunte Mareleifo archiatro de præsentia Regis, comprehendi præcepit: cæsúmque grauissimè, ablato auro argentóque eius, & reliquis rebus quas secum exhibebat, nudum reliquit. Et interfecisset vtique, si non inter manus cædentium elapsus, Ecclesiam expetisset. Quem nos postea indutum vestimentis, obtenta vita Pictauum remisimus. Meroueus verò de patre atque nouerca multa crimina loquebatur. Quæ cùm ex parte vera essent, credo acceptum non fuisse Deo, vt hæc per filium vulgarentur, sicut in sequentibus cognoui. Quadam enim die ad conuiuium eius adscitus, dum pariter sederemus, suppliciter petiit aliqua ad instructionem animæ legi. Ego verò reserato Salomonis libro, versiculum qui primus occurrit arripui, qui hæc continebat: *Oculum qui aduersus aspexerit patrem, effodiant eum corui de conuallibus.* Illo quoque non intelligente, consideraui hunc versiculum à Domino præparatum. Tunc direxit Guntchramnum puerum ad mulierem quandam sibi iam cognitam à tempore Chariberti Regis, habentem spiritum Phytonis, vt ei quæ erant euentura narraret. Adserebat præterea ipsam sibi ante hoc tempus, non

B solùm annum, sed & diem & horam, in qua Rex Charibertus obiret, denunciasse. Quæ hæc ei per pueros mandata remisit: Futurum est enim vt Rex Chilpericus hoc anno deficiat, Meroueus inclusis fratribus omne capiat Regnum. Tu verò Ducatum totius Regni eius annis quinque tenebis. Sexto verò anno in vna ciuitatum, quæ super Ligeris alueum sita est, in dextra eius parte, fauente populo Episcopatus gratiam adipisceris, ac senex & plenus dierum ab hoc mundo migrabis. Cúmque hæc pueri redeuntes omninò nunciassent, statim ille vanitate elatus, tanquam si iam in cathedra Turonicæ Ecclesiæ resideret, ad me hæc detulit verba. Cuius ego inridens stultitiam, dixi: A Deo hæc poscenda sunt. Nam credi non debent quæ diabolus repromittit. Ille autem ab initio mendax est, & in veritate nunquam stetit. Illo quoque cum confusione discedente, valde inridebam hominem, qui talia credi putabat. Denique quadam nocte vigiliis in Basilica sancti Antistitis celebratis, dum lectulo decubans obdormissem, vidi Angelum per aëra volantem. Cúmque super sanctam Basilicam præteriret, voce magna ait: Heu! heu! percussit Deus Chilpericum, & omnes filios eius: nec superabit de his qui processerunt ex lumbis eius, qui regat Regnum illius in æternum. Erant ei eodem tempore de diuersis vxoribus filij quatuor, exceptis filiabus. Cùm autem hæc in posterum impleta fuissent, tunc ad liquidum cognoui, falsa esse quæ promiserant arioli. Igitur commorantibus his apud Basilicam sancti Martini, misit ad Guntchramnum Bosonem Fredegundis Regina, quæ ei iam

C pro morte Theodoberti patrocinabatur, occultè, dicens: Si Meroueum eiicere potueris de Basilica vt interficiatur, magnum de me munus accipies. At ille præstò putans esse interfectores, ait ad Meroueum: Vt quid hîc quasi segnes & timidi residemus, & vt hebetes circa Basilicam occulimur? Veniant enim equi nostri, & acceptis accipitribus, cum canibus exerceamur venatione, spectaculisque patulis iocundemur. Hoc enim aiebat callidè, vt eum à sancta Basilica separaret. Guntchramnus verò alias sanè bonus (nam in periuriis nimium præparatus erat) veruntamen nulli amicorum sacramentum dedit, quod non protinus omisisset. Egressi itaque de Basilica, (vt diximus) ad Iocundiacensem domum ciuitati proximam progressi sunt. Sed à nemine Meroueus noscitus est. Et quia impetebatur tunc Guntchramnus de interitu, vt diximus, Theodoberti, misit Chilpericus Rex Epistolam scriptam ad sepulchrum sancti Martini, quæ habebat insertum, vt ei beatus Martinus rescriberet, vtrum liceret extrahi Guntchramnum de Basilica eius, an non. Sed Baudinus Diaconus, qui hanc Epistolam exhibuit, chartam puram cum eadem quam detulerat ad sanctum tumulum misit. Cúmque per triduum expectasset, & nihil rescripti reciperet, rediuit ad Chilpericum. Ille verò misit alios, qui à Guntchramno sacramenta exigerent, vt sine eius scientia Basilicam non relinqueret. Qui ambienter iurans, pallam altaris fideiussorem dedit, nunquam se exinde sine iussione regia egressurum.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS CHILDEBERTVS.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

Merouęus verò non credens Phytonissæ, tres libros super Sancti sepulchrum posuit, id est Psalterij, Regum, Euangeliorum: & vigilans tota nocte, petiit vt sibi beatus Confessor, quid eueniret ostenderet, & vtrum possit Regnum capere, an non, vt Domino indicante cognosceret. Post hæc continuato triduo in ieiuniis, vigiliis, atque orationibus, ad beatum tumulum iterum accedens, reuoluit librum qui erat Regum. Versus autem primus paginæ, quam reserauit, hic erat: *Pro eo quod dereliquistis Dominum Deum vestrum, & ambulastis post Deos alienos, nec fecistis rectum ante conspectum eius, ideo tradidit vos Dominus Deus vester in manibus inimicorum vestrorum.* Psalterij autem versus hic est inuentus: *Veruntamen propter dolositatem posuisti eis mala: deiecisti eos, dum alleuarentur. Quomodo facti sunt in desolationem? Subitò defecerunt: perierunt propter iniquitates suas.* In Euangeliis autem hoc est repertum: *Scitis quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur.* In his responsionibus ille confusus, flens diutissimè ad sepulchrum beati Antistitis, adsumpto secum Guntchramno Duce cum quingentis aut eo amplius viris, discessit. Egressus autem Basilicam sanctam, cùm iter ageret per Autissiodorense territorium, ab Erpone Duce Guntchramni Regis comprehensus est. Cúmque ab eo detineretur, casu nescio quo dilapsus, Basilicam sancti Germani ingressus est. Audiens hæc Guntchramnus Rex, in ira commotus Erponem septingentis aureis damnat, & ab honore remouet, dicens: Retinuisti (vt ait frater meus) inimicum suum. Quod si hoc facere cogitabas, ad me eum debuisti prius adducere: sin autem aliud, nec tangere debueras quem tenere dissimulabas. Exercitus autem Chilperici Regis vsque Turonis accedens, regionem illam in prædas mittit, succendit, atque deuastat: nec rebus sancti Martini pepercit, sed quod manu tetigit, sine vllo Dei intuitu, aut timore, diripuit. Merouęus prope duos menses ad antedictam Basilicam residens, fugam iniit, & ad Brunichildem Reginam vsque peruenit. sed ab Austrasiis non est collectus. Pater verò eius exercitum contra Campanenses commouit, putans eum ibidem occultari. sed nihil nocuit, nec eum potuit reperire.

XV. ET quia tempore illo, quo Alboinus in Italiam ingressus est, Chlotharius & Sigibertus Suauos, & alias gentes in loco illo posuerunt; hi qui tempore Sigiberti regressi sunt, id est qui cum Alboino fuerant, contra hos consurgunt, volentes eos à regione illa extrudere, ac delere. At illi obtulerunt eis tertiam partem terræ, dicentes: Simul viuere sine conlisione possumus. Sed illi contra eos irati, eo quòd ipsi hoc antea tenuissent, nullatenus pacificare voluerunt. Dehinc obtulerunt eis iterum isti medietatem: post hæc duas partes, sibi tertiam relinquentes. Nolentibus autem illis, obtulerunt cum terra omnia pecora, tantum vt à bello cessarent. Sed nec hoc illi adquiescentes, certamen expetunt. Et inter se ante certamen, qualiter vxores Suauorum diuiderent, & qui quam post eorum exitum acciperet, tractant, putantes eos iam quasi interfectos habere. Sed Domini miseratio, quæ iustitiam facit, in aliam partem voluntatem eorum retorsit. Nam confligentibus illis: erant autem viginti sex milia Saxonum, ex quibus viginti milia ceciderunt: Suauorum quoque sex milia, ex quibus quadringenti & octoginta tantùm prostrati sunt: reliqui verò victoriam obtinuerunt. Illi quoque qui ex Saxonibus remanserant, detestati sunt; nullum se eorum barbam, neque capillos incisurum, nisi priùs se de aduersariis vltum irent. Quibus iterum decertantibus, in maiore excidio corruerunt. & sic à bello cessatum est.

XVI. IN Britanniis hæc acta sunt. Macliauus quondam & Bodicus Britannorum Comites, sacramentum inter se dederant, vt qui ex eis superuiueret, filios partis alterius tanquam proprios defensaret. Mortuus autem Bodicus reliquit filium Theodoricum nomine. Quo, Macliauus oblitus sacramenti, expulso à patria, Regnum patris eius accepit. Hic verò multo tempore profugus vagúsque fuit. Qui tandem miserante Deo, collectis secum à Britannia viris, se super Macliauum obiecit, eúmque cum filio eius Iacob gladio interemit. Partémque Regni, quam quondam pater eius tenuerat, in sua potestate restituit. Partem verò aliam VVarocus Macliaui filius vindicauit.

XVII. GVNTCHRAMNVS verò duos Magnacharij * quondam filios interfecit gladio, pro eo quòd in Austrigildem Reginam, eiúsque sobolem, multa de-

* al. Magioharij

A testabilia atque exsecranda proferrent. facultatésque eorum fisco suo redegit. GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.
Ipse quoque duos filios suos subito morbo obpressos perdidit. de quorum funere valde contristatus est, eò quòd orbatus absque liberis remansisset. Eo anno dubietas Paschæ fuit. In Galliis verò nos cum multis ciuitatibus, XIV. Calendas Maias sanctum Pascha celebrauimus. Alij verò cum Hispanis, XII. Calendas Aprilis solemnitatem hanc tenuerunt. Tamen, vt ferunt, fontes illi, qui in Hispaniis nutu Dei complentur, in nostro Pascha repleti sunt.

XVIII. CAINONE verò Toronico vico, dum ipso glorioso Resurrectionis Dominicæ die Missæ celebrarentur, Ecclesia contremuit, populúsque conterritus à pauore, vnam vocem dedit dicens, quòd Ecclesia caderet. Cunctique ab ea etiam effractis ostiis per fugam lapsi sunt. Magna post hæc lues populum deuastauit. Post hæc Guntchramnus Rex ad Childebertum nepotem suum Legatos mittit, pacem petens, ac deprecans eum videre. Tunc ille cum Proceribus suis ad eum venit. Qui ad pontem, quem Petreum vocant, coniuncti sunt, consalutantes atque inuicem osculantes se. Guntchramnus Rex ait, "Euenit impulsu peccatorum meorum, vt absque liberis remanerem; & ideò peto, vt hic nepos meus mihi sit filius. Et imponens eum super cathedram suam, cunctum ei Regnum tradidit dicens: Vna nos parma protegat, vnáque hasta defendat. Quòd si filios habuero, te nihilominus tanquam vnum ex his reputabo, vt illa cum
B meis, tecúmque permaneat charitas, quam tibi hodie ego polliceor teste Deo." Proceres verò Childeberti similiter pro eodem polliciti sunt. Et manducantes simul atque bibentes, dignisque se muneribus honorantes, pacifici discesserunt: ad Chilpericum Regem Legationem mittentes, vt redderet quod de eorum Regno minuerat. Quod si differret, campum præpararet ad bellum. Quod ille despiciens, apud Suessionas atque Parisius circos ædificare præcepit, eos populis spectaculum præbens.

XIX. HIS ita gestis, audiens Chilpericus, quòd Prætextatus Rothomagensis Episcopus contra vtilitatem suam populis munera daret, eum ad se arcessiri præcepit. Quo discusso, reperit cum eodem res Brunichildis Reginæ commendatas: ipsisque ablatis, eum in exilio vsque ad sacerdotalem audientiam retineri præcepit. Coniuncto autem Concilio, exhibitus est. Erant autem Episcopi, qui aduenerant, apud Parisius in Basilica sancti Petri Apostoli. Cui Rex ait: "Quid tibi visum est, ô Episcope, vt inimicum meum Meroueum, qui filius esse debuerat, cum amita sua, id est patrui sui vxore, coniungeres? An ignarus eras, quæ pro hac causa Canonum statuta sanxissent? Etiam non hîc solum excessisse probaris, sed etiam cum illo egisti, datis muneribus, vt ego interficerer. Hostem autem filium patri fecisti, seduxisti pecunia plebem, vt nullus mecum fidem habitam custodiret: voluistique Regnum meum in manu alterius tradere." Hæc eo dicente, infremuit multitudo Francorum, voluitque ostia Basilicæ rumpere,
C quasi vt extractum Sacerdotem lapidibus vrgeret. sed Rex prohibuit fieri. Cúmque Prætextatus Episcopus ea, quæ Rex dixerat, facta negaret, aduenerunt falsi testes, qui ostendebant species aliquas, dicentes: "Hæc & hæc nobis dedisti, vt Merouei fidem promittere deberemus." Ad hæc ille dicebat: "Verum enim dicitis, vos à me sæpiùs muneratos. sed non hæc causa extitit, vt Rex eiiceretur à Regno. Nam & cùm vos mihi & equos optimos, & res alias præberetis; nunquid poteram aliud facere, nisi & ego vos simili sorte remunerarem?" Recedente verò Rege ad metatum suum, nos collecti in vnum sedebamus in secretario Basilicæ beati Petri. Confabulantibúsque nobis, subito aduenit Aëtius Archidiaconus Parisiacæ Ecclesiæ. salutatisque nobis, ait: "Audite me, ô Sacerdotes Domini, qui in vnum collecti estis. Aut enim hoc tempore exaltabitis nomen vestrum, & bonæ famæ gratia refulgebitis: aut certè nullus vos amodo pro Dei Sacerdotibus est habiturus, si personas vestras sagaciter non erigitis, aut fratrem perire permittitis." Hæc eo dicente, nullus Sacerdotum ei quicquam respondit. Timebant enim Reginæ furorem, cuius instinctu hæc agebantur. Quibus intentis, & ora digito comprimentibus, ego aio: "Adtenti estote quæso sermonibus meis, ô sanctissimi Sacerdotes Dei, & præsertim vos qui familiariores esse Regi videmini. Adhibete ei consilium sanctum atque sacerdotale, ne exardescens in ministrum Dei, pereat ab ira eius, & Regnum perdat, & gloriam." Hæc me dicente, sile-

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

bant omnes. Illis verò silentibus, adieci: Mementote Domini mei Sacerdotes, A verbi Prophetici quod ait, *Si viderit speculator iniquitatem hominis, & non dixerit, reus erit animæ pereuntis.* Ergo nolite silere, sed prædicate, & ponite ante oculos Regis peccata eius, ne fortè ei aliquid mali contingat, & vos rei sitis pro anima eius. An ignoratis quid nouo gestum fuerit tempore, quomodo adprehensum Sigimundum Chlodomeris retrusit in carcerem? dixitque ei Auitus Dei Sacerdos: Ne iniicias manum in eum, & cùm Burgundiam petieris, victoriam obtinebis. Ille verò abnuens quæ ei à Sacerdote dicta fuerant, abiit, ipsúmque cum vxore & filiis interemit. Petiitque Burgundiam: ibique oppressus ab exercitu, interemptus est. Quid Maximus Imperator? nonne cùm beatum Martinum compulisset communicare cuidam homicidæ Episcopo: & ille quo faciliùs addictos morti liberaret, Regi impio consensisset, prosequente Regis æterni iudicio, ab Imperio depulsus Maximus, morte pessima condemnatus est? Hæc me dicente, non respondit vllus quicquam. Sed erant omnes intenti & stupentes. Duo tantùm adulatores ex ipsis (quod de Episcopis dici dolendum est) nuntiauerunt Regi dicentes, quia nullum maiorem inimicum in suis causis, quàm me, haberet. Illicò vnus ex Aulicis, cursu rapido ad me repræsentandum dirigitur. Cúmque venissem, stabat Rex iuxta tabernaculum ex ramis factum, & ad dexteram eius Bertchramnus Episcopus, ad læuam verò Ragnemodus stabat: & erat ante eos scamnum pane desuper plenum, cum diuersis ferculis. Visóque me, Rex ait: O Episcope, iustitiam cunctis largiri debes, & ecce ego iustitiam à te non ac- B cipio: sed (vt video) consentis iniquitati, & impletur in te prouerbium illud, quòd coruus oculum corui non eruet. Ad hæc ego. Si quis de nobis, ô Rex, iustitiæ tramitem transcendere voluerit, à te corrigi potest. Si verò tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, sed si volueris, audis: si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronunciauit esse Iustitiam? Ad hæc ille, vt erat ab adulatoribus contra me accensus, ait: Cum omnibus enim inueni iustitiam, & tecum inuenire non possum. Sed scio quid faciam, vt noteris in populis, & iniustum te esse omnibus perpatescat. Conuocabo enim populum Turonicum, & dicam eis, Vociferamini contra Gregorium quòd sit iniustus, & nulli hominum iustitiam præstet. Illis quoque hæc clamantibus, respondebo, Ego qui Rex sum, iustitiam cum eodem inuenire non possum: & vos qui minores estis, inuenietis? Ad hæc ego: Quòd sim iniustus, tu nescis. scit ille conscientiam meam, cui occulta cordis sunt manifesta. Quòd verò falso clamore populus te insultante vociferatur, nihil est, quia sciunt omnes à te hæc emissa. Ideóque non ego, sed potiùs tu in adclamatione notaberis. Sed quid plura? Habes legem & canones: hæc te diligenter rimari oportet. & tunc quæ præceperint, si non obseruaueris, noueris tibi Dei iudicium imminere. At ille, quasi me demulcens, (quod dolosè faciens, putabat me non intelligere) conuersus ad iuscellum quod coram C eo erat positum, ait: Propter te hæc iuscella paraui, in quibus nihil aliud præter volatilia, & parumper ciceris continetur. Ad hæc ego, cognoscens adulationes eius, dixi: Noster cibus esse debet, facere voluntatem Dei, & non his deliciis delectari: vt ea quæ præcepit nullo casu prætermittamus. Tu verò, qui alios de iustitia culpas, pollicere prius quòd legem & canones non omittas: & tunc credimus quòd iustitiam prosequaris. Ille verò porrecta dextera, iurauit per omnipotentem Deum, quòd ea quæ lex & canones edocebant, nullo prætermitteret pacto. Post hæc accepto pane, hausto etiam vino, discessi. Ea verò nocte, decantatis nocturnalibus hymnis, ostium mansionis nostræ grauibus audio cogi verberibus. Missóque puero, nuncios Fredegundis Reginæ adstare cognosco. Quibus introductis, salutationem Reginæ suscipio. Deinde precantur pueri, vt in eius causis contrarius non existam, simúlque ducentas argenti promittunt libras, si Prætextatus me impugnante obprimeretur. Dicebant enim: Iam omnium Episcoporum promissionem habemus, tantùm tu aduersus non incedas. Quibus ego: Si mihi mille libras auri argentique donetis, nunquid aliud facere possum, nisi quod Dominus agi præcipit? Vnum tantùm polliceor, quòd ea quæ ceteri secundum canonum statuta consenserint, sequar. At illi non intelligentes quæ dicebam, gratias agentes discesserunt. Mane autem facto, aliqui de Episcopis ad me venerunt, simile mandatum ferentes. Quibus ego similia respondi. Conuenientibus

A nientibus autem nobis in Basilica sancti Petri, mane Rex adfuit, dixitque; Episcopus enim in furtis deprehensus ab Episcopali officio, vt auellatur, Canonum auctoritas sanxit. Nobis quoque respondentibus; Quis ille Sacerdos esset, cui furti crimen inrogaretur: respondit Rex, Vidistis enim species quas nobis furto abstulit. Ostenderat enim nobis ante diem tertiam Rex duo volucra, speciebus & diuersis ornamentis referta: quæ adpretiabantur amplius quàm tria milia solidorum. Sed & sacculum cum numismatis auri pondere tenentem quasi milia duo. Hæc enim dicebat Rex, sibi ab Episcopo fuisse furata. Qui respondit; Recolere vos credo, discedente à Rothomagensi vrbe Brunichilde Regina, quòd venerim ad vos. Dixiq; vobis, quia res eius, id est quinque sarcinas commendatas haberem: & frequentiùs aduenire pueros eius ad me, vt ea redderem, & nolui sine consilio vestro. Tu autem dixisti mihi, O Rex, eiice hæc à te, & reuertantur ad mulierem res eius: ne inimicitia inter me & Childebertum nepotem meum pro his rebus debeat pullulare. Reuersus ergo ad vrbem, vnum volucrum tradidi pueris. non enim valebant amplius ferre. Reuersi iterum requirebant alia. Iterum consiliatus sum * magnificentiam vestram. Tu autem præcepisti dicẽs: Eiice, eiice hæc à te, ô Sacerdos, ne faciat scandalum hæc causa. Iterum tradidi eis duo ex his: duo autem alia remanserunt mecum. Tu autem, quid nunc calumniaris, & me furti arguis, cùm hæc causa non ad furtum, sed ad custodiam debeat deputari? Ad hæc Rex; Si hoc depositum penes

B te habebatur ad custodiendum, cur soluisti vnum ex his, & limbum aureis contextum filis in partes dissecasti, & dedisti per viros qui me à Regno deiicerent? Prætextatus Episcopus respondit: Iam dixi tibi superiùs, quia munera eorum acceperam. Ideoque cùm non haberem de præsenti quod darem, hinc præsumpsi, & eis vicissitudinem munerum tribui. Proprium mihi esse videbatur quod filio meo Merouco erat, quem de lauacro regenerationis excepi. Videns autẽ Rex Chilpericus, quòd eum his calumniis superare nequiret, adtonitus valdè ac conscientia confusus, discessit à nobis. Vocauitque quosdam de adulatoribus suis, & ait; Victum me verbis Episcopi fateor, & vera esse quæ dicit scio. Quid nunc faciam, vt Reginæ de eo voluntas adimpleatur? Et ait, Ite, & accedentes ad eum dicite, quasi consilium ex vobismetipsis dantes: Nosti quòd sit Rex Chilpericus pius atque compunctus, & citò flectatur ad misericordiã. Humiliare sub eo, & dicito, ab eo obiecta à te perpetrata fuisse. Tunc nos prostrati omnes coram pedibus eius, dari tibi veniã impetramus. His seductus Prætextatus Episcopus, pollicitus est se ita facturum. Mane autem facto, conuenimus ad consuetum locum. Adueniẽnsque & Rex, ait ad Episcopum: Si munera pro muneribus his hominibus es largitus, cur sacramenta postulasti, vt fidem Merouco seruarent? Respondit Episcopus, Petij, fateor, amicitias eorum haberi cum eo: & non solùm hominem, sed si fas fuisset, Angelum de cœlo euocassem, qui esset adiutor ei. Filius enim mihi erat (vt sæpè dixi) spiritalis ex lauacro. Cúmq;

C hæc altercatio altiùs tolleretur, Prætextatus Episcopus prostratus solo, ait: Peccaui in cœlum & coram te, ô Rex misericordissime. Ego sum homicida nefandus, ego te interficere volui, & filium tuum in solio tuo erigere. Hæc eo dicente, prosternitur Rex coram pedibus Sacerdotum, dicens: Audite, ô piissimi Sacerdotes, reum crimen exsecrabile confitentem. Cúmque nos flentes Regem eleuassemus à solo, iussit eum à Basilica egredi. Ipse verò ad metatum discessit, transmittens Librum Canonum, in quo erat quaternio nouus adnexus, habens Canones quasi Apostolicos, continentes hæc: Episcopus in homicidio, adulterio, & periurio deprehensus, à Sacerdotio diuellatur. His ita lectis, cùm Prætextatus staret, stupẽs Bertchramnus Episcopus ait; Audi, ô frater & coepiscope, quia Regis gratiam non habes: ideóque nec nostra charitate vti poteris, priusquam Regis indulgentiam merearis. His ita gestis, petiit Rex, vt aut tunica eius scinderetur, aut centesimus octauus Psalmus, qui maledictiones Scharioticas continet, super caput eius recitaretur: aut certè iudicium contra eum scriberetur, ne in perpetuum communicaret. Quibus conditionibus ego restiti, iuxta promissum Regis, vt nihil extra Canones gereretur. Tunc Prætextatus Episcopus à nostris oculis raptus, in custodiam positus est. De qua cùm fugeret nocte, grauissimè cæsus, in insulam maris quod adiacet ciuitati Constantinæ in exilio est detrusus. Post hæc sonuit, quòd Meroueus iterum Basilicam sancti Martini conaretur expetere. Chilpericus verò custodiri Basilicam iubet, & omnes claudi aditus. Custodes autem vnum ostium, per quod pauci Clerici ad officium in-

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

* al. consului

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

grederentur, relinquentes, reliqua ostia clausa tenebant. Quod non sine tædio populis fuit. Cùm autem apud Parisius moraremur, signa in cœlo apparuerunt, id est viginti radij à parte Aquilonis: qui ab Oriente surgentes, ad Occidentem properabant. Ex quibus vnus prolixior, & aliis supereminens, vt est in sublime elatus, mox defecit. & sic reliqui, qui secuti fuerāt, euanuerunt. Credo interitum Merouei pronunciasse. Meroueus verò dum in Remensi Campania latitaret, nec palam se Austrasiis crederet, à Tarabannensibus circumuentus est, dicentibus, Quòd relicto patre eius Chilperico, ei se subiugarent, si ad eos accederet. Qui velociter adsumptis secum viris fortissimis, ad eos venit. Hi præparatos detegentes dolos, in villam eum quandam concludunt, & circūseptum cum armatis, nuncios patri dirigunt. Quod ille audiens, illuc properare destinat. Sed hic cùm in hospitiolo quodam retineretur, timens ne ad vindictam inimicorum multas lueret pœnas, vocato ad se Galleno familiari suo, ait: Vna nobis vsque nunc & anima & consilium fuit. Rogo ne patiaris me manibus inimicorum tradi, sed accepto gladio inruas in me. Quod ille nec dubitans, eum cultro confodit. Adueniente autem Rege, mortuus est repertus. Extiterunt tunc qui adsererent verba Merouei, quæ superiùs diximus, à Regina fuisse conficta. Meroueum verò eius fuisse iussu clam interemptum. Gailenum verò adprehensum, abscissis manibus & pedibus, auribus, & narium summitatibus, & aliis multis cruciatibus adfectum, infeliciter necauerunt. Grindionem quoque intextum rotæ, in sublime sustulerunt. Gucilionem, qui quondam Comes Palatij Sigiberti Regis fuerat, abscisso capite interfecerunt. Sed & alios multos, qui cum eodem venerant, crudeli nece diuersis mortibus adfecerunt. Loquebantur etiam tunc homines, in hac circumuentione Egidium Episcopum & Guntchramnum Bosonem fuisse maximum caput, eò quòd Guntchramnus Fredegundis Reginæ occultis amicitiis potiretur pro interfectione Theodoberti: Egidius verò, quòd etiam longo tempore esset ei charus.

XX. CVM autem Iustinus Imperator amisso sensu amens effectus esset, & per solam Sophiam Augustam eius Imperium regeretur, populi (vt in superiore Libro iam diximus) Tiberium Cæsarem elegerunt, vtilem, strenuum, atque sapientem, eleemosynarium, inopúmque optimum defensorem. Qui cùm multa de thesauris, quos Iustinus congregauit, pauperibus erogaret, & Augusta illa eum frequentiùs increparet, quòd Rempublicam redegisset in paupertatem, diceretque; Quod ego multis annis congregaui, tu infra paucum tempus prodigè dispergis: aiebat ille. Non deerit fisco nostro. tantum pauperes eleemosynam accipiant, aut captiui redimantur. Hic est enim magnus thesaurus, dicente Domino; *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea corrumpit, & vbi fures non effodiunt nec furantur.* Ergo de hoc, quod Deus dedit, congregemus pauperes in cœlo, vt Dominus nobis augere dignetur in seculo. Et quia, vt diximus, magnus & verus Christianus erat, dum hilari distributione pauperibus opem præstat, magis ac magis ei Dominus subministrat. Nam deambulans per Palatium, vidit in pauimento domus tabulam marmoream, in qua Crux Dominica erat sculpta, & ait; Cruce tua, Domine, frontem nostram munimus & pectora, & ecce crucem sub pedibus conculcamus. Et dicto citiùs, iussit eam auferri. Defossâque tabula atque erecta, inueniunt subter & aliam hoc signum habentem. Nunciantésque iussit & illam auferre. Qua amota, reperiunt & tertiam. Iussúque eius & hæc aufertur. Qua ablata, inueniunt magnum thesaurum habentem supra mille auri centenaria. Sublatóque auro, pauperibus adhuc abundantiùs, vt consueuerat, subministrat. Nec ei Dominus aliquid deficere permittebat pro bona voluntate sua. Quid deinde in posterum ei Dominus transmiserit, non omittam. Narses ille Dux Italiæ, cùm in quadam ciuitate domum magnam haberet, in Italiam cum multis thesauris ingressus, ad supra memoratam vrbem aduenit: ibique in domo sua occultè cisternam magnam fodit, in qua multa milia centenariorum auri argentique reposuit. Ibique interfectis consciis, vni tantummodo seni per iuramentum condita commendauit. Defunctóque Narsete, hæc sub terra latebant. Cúmque supradictus senex huius eleemosynas assiduè cerneret, pergit ad eum, dicens: Si, inquit, mihi aliquid prodest, magnam rem tibi, Cæsar, edicam. Cui ille, Dic, ait, quod volueris. Proderit enim tibi, si quiddam nobis profuturum esse narraueris. Thesaurum, inquit, Narsetis reconditum habeo, quod in extremo vitæ positus celare non possum. Tunc Cæsar Tiberius gauisus, mittit vsque ad locum pueros suos. Præcedente verò sene, hi sequuntur ad-

A tonitі. Peruenientésque ad cisternam, deopertam ingrediuntur. In qua tantum auri argentique reperiunt, vt per multos dies vix euacuaretur à deportantibus. Ex hoc ille ampliùs hilari erogatione dispensauit egenis. GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

XXI. IGITVR contra Salonium Sagittariúmque Episcopos tumultus exoritur. Hi enim à sancto Nicetio Lugdunensi Episcopo educati, Diaconatus officium sunt sortiti. Huiúsque tempore Salonius Ebredunensis vrbis, Sagittariúsque Vapigensis Ecclesiæ, Sacerdotes statuuntur. Sed adsumpto Episcopatu in proprium relati arbitrium, cœperunt in persuasionibus, cædibus, homicidiis, adulteriis, diuersisque in sceleribus, insano furore grassari: ita vt quodam tempore celebrante Victore Tricastinorum Episcopo solemnitatem natalitij sui, emissa cohorte, cum gladiis & sagittis inruerent super eum. Venientésque, sciderunt vestimenta eius, ministros cæciderunt, vasa & omnem adparatum prandij auferentes, relinquentes Episcopum in grandi contumelia. Quod cùm Rex Guntchramnus comperisset, congregari Synodum apud vrbem Lugdunensem iussit. Coniunctique Episcopi cum Patriarcha Nicetio beato, discussis causis, inuenerunt eos de his sceleribus, quibus accusabantur, valde conuictos: præceperuntque, vt qui talia commiserant Episcopatus honore priuarentur. At illi cùm adhuc propitium sibi Regem esse nossent, ad eum accedunt, implorantes se iniustè remotos, sibique tribui licentiam, vt ad Papam vrbis Romanæ accedere debeant. Rex verò annuens petitionibus eorum, datis Epistolis eos abire permisit.

B Qui accedentes coram Papa Ioanne, exponunt se nullius rationis existentibus causis dimotos. Ille verò Epistolas ad Regem dirigit, in quibus locis suis eosdem restitui iubet. Quod Rex sine mora, castigatis priùs illis verbis multis, impleuit. Sed nulla (quod peius est) fuit emendatio subsecuta. Tamen Victoris Episcopi pacem petierunt, traditis hominibus quos in seditionem direxerant. Sed ille recordatus præcepti Dominici, non debere reddi inimicis mala pro bonis, nihil his mali faciens, liberos abire permisit. Vnde in posterum à communione suspensus est, pro eo quòd publicè accusans, clam inimicis pepercisset absque consilio, quibus accusauerat, fratrum. Sed per fauorem Regis iterum in communionem reuocatus est. Hi verò in maioribus sceleribus quotidie miscebantur: & in præliis illis, sicut iam supra meminimus, quæ Mummolus cum Longobardis gessit, tanquam vnus ex laicis, accincti arma, plurimos propriis manibus interfecerunt. In ciues verò suos nonnullos commoti felle, verberantes fustibus vsque ad effusionem sanguinis, sæuiebant. Vnde factum est, vt clamor populi ad Regem denuò procederet. Eosdémque Rex arcessiri præcepit. Quibus aduenientibus, noluit suis obtutibus præsentari, scilicet vt priùs habita audientia, si idonei inuenirentur, sic Regis præsentiam mererentur. Sed Sagittarius felle commotus, hanc rationem durè suscipiens, vt erat leuis ac vanus, & in sermonibus inrationabilibus profluus, declamare plurima de Rege cœpit, ac dicere; quòd filij eius « Regnum capere non possent, eò quòd mater eorum ex familia Magnacharij quon- «

C dam adscita, Regis thorum adiisset. ignorans quòd prætermissis nunc generibus feminarum, Regis vocitantur liberi qui de Regibus fuerint procreati. His auditis, Rex commotus valde, tam equos quàm pueros, vel quæcumque habere potuerant, abstulit. Ipsósque in Monasteriis à se longiori accessu dimotis, in quibus pœnitentiam agerent, includi præcepit, non ampliùs quàm singulos eis Clericos relinquens: iudices locorum terribiliter commonens, vt ipsos cum armatis custodire debeant, ne cui ad eos visitandos vllus pateat aditus. Superstites enim erant his diebus filij Regis, ex quibus senior ægrotare cœpit. Accedentes autem ad Regem familiares eius, dixerunt: Si propitius audire dignaretur Rex ver- « ba seruorum suorum, loquerentur in auribus tuis. Qui ait, Loquimini quæ- « libet. dixerúntque; Ne forte innocentes hi Episcopi exilio condemnati fuis- « sent, & peccatum Regis augeatur in aliquo: & ideo filius Domini nostri pereat. « Qui ait: Ite quantociùs, & laxate eos, deprecantes vt orent pro paruulis no- « stris. Quibus abeuntibus, dimissi sunt. Egressi igitur de Monasteriis, coniuncti « sunt pariter, & se osculantes, eò quòd olim à se visi non fuerant, ad ciuitates suas regressi sunt. Et intantum compuncti sunt, vt viderentur nunquam à psallentio cessare, celebrare ieiunia, eleemosynas exercere, librum Dauidici carminis explere per diem, noctésque in hymnis ac lectionibus meditando

Sup. lib. 4. c. 37.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

deducere. Sed non diu hæc sanctitas inlibata permansit. conuersique sunt iterum retrorsum. Et ita plerumque noctes epulando atque bibendo ducebant, vt Clericis Matutinas in Ecclesia celebrantibus, hi pocula poscerent, & vina libarent. Nulla prorsus de Deo erat mentio, nullus omninò cursus memoriæ habebatur. Renidente aurora surgentes à cœna, mollibus se indumentis operientes, somno vinóque sepulti, vsque ad horam diei tertiam dormiebant. Sed nec mulieres deerant, cum quibus polluerentur. Exurgentes igitur abluti balneis, ad conuiuium discumbebant: de quo vespere surgentes, cœnæ inhiabant vsque ad illud lucis tempus quod superius diximus. Sic faciebant singulis diebus, donec ira Dei irruit super eos. quod in posterum memoraturi sumus. A

XXII. TVNC Vinnochus Britto in summa abstinentia à Britanniis venit Turonis, Hierosolymis ire cupiens, nullum aliud vestimentum nisi de pellibus ouium lana priuatis habens. Quem nos quo faciliùs teneremus, quia nobis religiosus valde videbatur, Presbyterij gratia honorauimus. Ingetrudis autem religiosa consuetudinem habebat, aquam de sepulcro sancti Martini colligere. Qua aqua deficiente, rogat vas cum vino ad beati tumulum deportari. Transacta autem nocte, id exinde, hoc Presbytero præsente, adsumi mandauit: & ad se delato,
» ait Presbytero; Aufer hinc vinum, & vnam tantùm guttam de aqua benedicta,
» vnde parum superest, funde. Quod cùm fecisset, mirum dictu! vasculum, quod semiplenum erat, ad vnius guttæ descensum impletum est. Idem bis aut ter vacuatum per vnam tantùm guttam est impletum. Quod non ambigitur & in hoc beati Martini fuisse virtutem. B

XXIII. HIS ita gestis, SAMSON filius Chilperici Regis iunior, à dysenteria & febre comprehensus, rebus humanis excessit. Hic verò, cùm Chilpericus Rex apud Tornacum à fratre obsideretur, natus est. quem mater ob metum mortis à se abiecit, & perdere voluit. Sed cùm non potuisset, obiurgata à Rege, eum baptizari præcepit. Qui baptizatus, & ab ipso Episcopo susceptus, lustro vno nec perfecto, defunctus est. Nam & mater eius Fredegundis in his diebus grauiter ægrotauit, sed conualuit.

XXIV. POST hæc in nocte, quæ erat III. Idus Nouembris, apparuit nobis beati Martini vigilias celebrantibus magnum prodigium. Nam in medio Lunæ stella fulgens visa est elucere: & super ac subter Lunam aliæ stellæ propinquæ apparuerunt. Sed & circulus ille, qui pluuiam plerumque significat, circa eam apparuit. Sed quæ hæc figurauerint, ignoramus. Nam & Lunam hoc anno sæpè in nigredinem versam vidimus, & ante Natalem Domini grauia fuerunt tonitrua. Sed & splendores illi circa Solem, sicut iam ante cladem Aruernam fuisse commemorauimus, quos rustici *Soles* vocant, apparuerunt. & mare vltra modum egressum adserunt. & multa alia signa apparuerunt.

XXV. GVNTCHRAMNVS Boso Turonis cum paucis armatis veniens, filias suas, quas in Basilica sancta reliquerat, vi abstulit, & eas vsque Pictauis ciuitatem, quæ erat Childeberti Regis, perduxit. Chilpericus quoque Rex Pictauum peruasit, atque nepotis sui homines ab eius sunt hominibus effugati. Ennodium ex Comitatu ad Regis præsentiam perduxerunt. Quo exilio damnato, facultates eius fisco subdiderunt. Sed post annum, & patriæ & facultatibus redditus est. Guntchramnus Boso relictis filiabus suis in Basilica beati Hilarij, ad Childebertum Regem transiit. C

XXVI. ANNO quoque tertio Childeberti Regis, qui erat Chilperici & Guntchramni septimus decimus annus, cùm Dacco * Dagarici quondam filius, relicto Rege Chilperico, huc illúcque vagaretur, à Dracoleno Duce, qui dicebatur Industrius, fraudulenter adprehensus est. Quem vinctum ad Chilpericum Regem Brannacum deduxit, dato ei sacramento, quòd vitam illius cum Rege * obtineret. Sed oblitus sacramenti, egit cum Principe, nefarias res adserens, vt moreretur. Ille quoque cùm vinctus detineretur, & cerneret se penitus non euasurum, à Presbytero Rege nesciente pœnitentiam petiit. Qua accepta, interfectus est. Cùm autem idem Dracolenus velociter reuerteretur in patriam, his diebus Guntchramnus Boso filias suas à Pictauo auferre conabatur. Quod audiens Dracolenus, se super eum obiecit. Sed illi, sicut erant parati resistentes, se defensare nitebantur. Guntchramnus verò misit vnum de amicis suis ad eum, dicens: Va-

* al. Tacco Tagarici

* al. apud Regem

A do, & dic ei: Scis enim quòd fœdus inter nos initum habemus. rogo vt te de meis GVNT-
remoueas insidiis. Quantum vis, de rebus tollere non prohibeo: tantùm mihi, CHRAM-
etsi nudo, liceat cum filiabus meis abscedere quo voluero. At ille, vt erat vanus NVS.
ac leuis: Ecce, inquit, funiculum, in quo alij culpabiles ligati, ad Regem me du- CHILPE-
cente directi sunt: in quo & hic hodie ligandus, illuc deducetur & vinctus. Et hæc RICVS.
cùm dixisset, calcaneorum ictibus vrgens equum, ad illum veloci cursu dirigit: & CHILDE-
casso eum verberans ictu, hastili diuiso ensis ad terram ruit. Guntchramnus verò BERTVS.
cùm super se mortem cerneret imminere, inuocato nomine Domini, & virtute magna beati Martini, eleuatóque conto, Dracolenum arctat in faucibus. Suspensúmque de equo sursum, vnus de amicis suis eum lancea latere verberatum finiuit. Fugatísque sociis, ipsóque spoliato, Guntchramnus cum filiabus liber abscessit. Post hæc Seuerus socer eius à filiis apud Regem grauiter accusatur. Hæc ille audiens, cum magnis muneribus ad Regem petit. Qui in via adprehensus & spoliatus, atque in exilium deductus, morte pessima vitam finiuit. Sed & duo filij eius, Burgolenus & Dodo, ob crimen maiestatis læsæ iudicio mortis [illegible] vnus ab exercitu vi oppressus est; alius in fuga adprehensus, truncatis manibus & pedibus interiit. Résque omnes tam eorum quàm patris, fisco conlatæ fuerunt. Erant enim eis magni thesauri.

XXVII. DEHINC Turonici, Pictaui, Baiocassini, Cenomannici, & Andegaui,
B cum aliis multis in Britanniam ex iussu Chilperici Regis abierunt; & contra Varochum filium quondam Macliaui ad Vicinoniam fluuium resident. Sed ille dolosè per noctem super Saxones Baiocassinos irruens, maximam exinde partem interfecit. Post die autem tertia, cum Ducibus Regis Chilperici pacem faciens, & filium suum in obsidatum donans, sacramento se constrinxit, quòd fidelis Regi Chilperico esse deberet. Venetos quoque ciuitatem refudit, sub ea conditione, vt si mereretur eam per iussionem Regis regere, tributa vel omnia quæ exindè debebantur, annis singulis nullo admonente dissolueret. Quod cùm factum fuisset, exercitus ab eo loco remotus est. Post hæc Chilpericus Rex de pauperibus & iunioribus Ecclesiæ vel Basilicæ bannos iussit exigi, pro eo quòd in exercitu non ambulassent. Non enim erat consuetudo, vt hi vllam exsoluerent publicam functionem. Post hæc Varochus obliuiscens promissionis suæ, volénsque inrumpere quod fecerat, Eunium Episcopum Veneticæ vrbis ad Chilpericum Regem dirigit. At ille irâ commotus, obiurgatum eum exilio damnari præcepit.

XXVIII. ANNO quoque quarto Childeberti, qui fuit decimus octauus Guntchramni & Chilperici Regum, apud Canillonum ciuitatem Synodus acta est, ex iussu Principis Guntchramni. Discussísque diuersis causis contra Salonium & Sagittarium Episcopos, iteratur illa antiqua calamitas, obiiciuntur eis crimina: & non solùm de adulteriis, verumetiam de homicidiis accusantur. Sed hæc per pœnitentiam purgari censentes Episcopi, illud est additum, quòd essent rei maie-
C statis, & patriæ proditores. Qua de causa ab Episcopatu deiecti*, in Basilicam beati Marcelli sub custodia detruduntur. Ex qua per fugam lapsi, discesserunt per diuersa vagantes, donec in ciuitatibus eorum alij subrogati sunt.

*al. discincti,

XXIX. CHILPERICVS verò Rex descriptiones nouas & graues in omni Regno suo fieri iussit. Qua de causa multi relinquentes ciuitates suas, vel possessiones proprias, alia Regna petierunt: satiùs ducentes alibi peregrinari, quàm tali periculo subiacere. Statutum enim fuerat, vt possessor de propria terra, vnam amphoram vini per aripenne redderet. Sed & aliæ functiones infligebantur multæ, tam de reliquis terris, quàm de mancipiis, quod impleri non poterat. Lemouicinus quoque populus cùm se cerneret tali fasce grauari, congregatus in Calendis Martiis, Marcum Referendarium, qui hæc agere iussus fuerat, interficere voluit. & fecisset vtique, nisi eum Episcopus Ferreolus ab imminenti discrimine liberasset. Arreptis quoque libris descriptionum, incendio multitudo coniuncta concremauit. Vnde multùm molestus Rex, dirigens de latere suo personas, immensis damnis populum adflixit, suppliciis conterruit, morte mulctauit. Ferunt etiam tunc Abbates atque Presbyteros ad stipites extensos diuersis subiacuisse tormentis. Calumniantibus Regalibus Missis, quòd in seditione populi ad incendendos libros satellites* adfuissent, acerbiora quoque deinceps infligentes tributa.

*id est, adiutores

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

XXX. BRITANNI quoque grauiter regionem Redonicam vastauerunt, incendio, præda, captiuitate. Qui vsque Cornutium vicum debellando progressi sunt. Eunius verò Episcopus de exilio reductus, Andegauo ad pascendum delegatur, nec ad ciuitatem suam Veneticam redire permittitur. Dippolenus verò Dux contra Britannos dirigitur, & loca aliqua Britanniæ ferro incendióque obprimit. Quæ res maiorem insaniam excitauit. A

XXXI. DVM hæc gererentur in Galliis, Iustinus impleto Imperij octauo decimo anno, amentiam, quam incurrerat, cum vita finiuit. Quo sepulto, Tiberius Cæsar arripuit iam olim adgressum Imperium. Sed cùm eum secundum consuetudinem loci ad spectaculum Circi præstolaretur populus processurum, parare ei cogitans pro parte Iustiniani insidias, qui tunc nepos Iustini habebatur: ille per loca sancta processit. Completáque oratione, vocato ad se Vrbis Papa, cum Consulibus ac Præfectis, Palatium est ingressus. Dehinc indutus purpurâ, diademate coronatus, throno Imperiali impositus, cum immensis laudibus Imperium confirmauit. Factionarij quoque operientes ad circum, cùm cognouissent quæ acta fuerant, pudore confusi sine effectu regressi sunt. nihil homini, qui in Deo spem posuerat, aduersari valentes. Transactis igitur paucis diebus, adueniens Iustinianus, pedibus se proiecit Imperatoris, quindecim ei centenaria auri deferens ob meritum gratiæ. Quem ille secundum patientiæ suæ ritum colligens, in Palatium iussit adsistere. Sophia verò Augusta, immemor promissionis, quam quondam in Tiberium habuerat, insidias ei tentauit intendere. Procedente autem eo ad villam, vt iuxta ritum imperialem XXX. diebus ad vindemiam iocundaretur, vocato clam Iustiniano, Sophia voluit eum erigere in Imperio. Quo comperto, Tiberius cursu veloci ad Constantinopolitanam ciuitatem regreditur. Adprehensámque Augustam, ab omnibus thesauris spoliauit, solum ei victus quotidiani alimentum relinquens. Segregatisque pueris eius ab ea, alios posuit de fidelibus suis, mandans prorsus vt nullus de anterioribus ad eam haberet accessum. Iustinianum verò obiurgatum tanto in posterum amore dilexit, vt filio eius filiam suam promitteret: rursúmque filio suo filiam eius expeteret. Sed non est res sortita effectum. Exercitus eius Persas debellauit, victórque regressus, tantam molem prædæ detulit, vt crederetur cupiditati humanæ posse sufficere. Viginti elephanti capti ad Imperatorem deducti sunt. B

XXXII. BRITANNI eo anno valde infesti circa vrbem fuere Namneticam atque Redonicam. Qui immensam auferentes prædam, agros peruadunt, vineas à fructibus vacuant, & captiuos abducunt. Ad quos cùm Felix Episcopus Legationem misisset, emendare promittentes, nihil de promissis implere voluerunt.

XXXIII. APVD Parisius autem mulier quædam ruit in crimen, adserentibus multis, quasi quòd relicto viro cum alio misceretur. Igitur parentes illius accesserunt ad patrem dicentes. "Aut idoneam redde filiam tuam, aut certè moriatur, ne stuprum hoc generi nostro notam infligat. Noui, inquit pater, ego filiam meam benè idoneam, nec est verum verbum hoc, quod mali homines proloquuntur. Tamen ne crimen consurgat vlteriùs, innocentem eam faciam sacramento. Et illi; Si, inquiunt, est innoxia, super tumulum hoc beati Dionysij Martyris sacramentis adfirma. Faciam, inquit pater. Tunc inito placito, ad Basilicam Martyris sancti conueniunt, eleuatisque pater manibus super altarium, iurauit, filiam non esse culpabilem. Econtrario verò periurasse eum alij à parte viri pronunciant. His ergo altercantibus, euaginatis gladiis in se inuicem proruunt, atque ante ipsum altarium se trucidant. Erant autem maiores natu & primi apud Chilpericum Regem. Sauciantur multi gladiis, respergitur sancta humano cruore Basilica, ostia iaculis fodiuntur & ensibus, atque vsque ad ipsum sepulcrum tela iniqua deseuiunt. Quod dum vix mitigatur, locus officium perdidit, donec ista omnia ad Regis notitiam peruenirent. Hi verò properantes ad præsentiam Principis, non recipiuntur in gratiam, sed ad Episcopum loci illius remitti eos iussum est: vt si de hoc facinore culpabiles non inuenirentur, sociarentur communioni. Tunc ab Episcopo Ragnemodo*, qui Parisiacæ Ecclesiæ præerat, componentes quæ malè gesserant, in communionem Ecclesiasticam sunt recepti. Mulier verò non post multis diebus cùm ad iudicium vocaretur, laqueo vitam finiuit. C

* al. Reginmodo

XXXIV. ANNO quinto Childeberti Regis, Aruernorum regionē diluuia magna

A presserunt, ita vt per dies duodecim non cessaret à pluuia. Tantáque inundatione Limane * est infusum, vt multos ne sementem iacerent prohiberet. Flumina quoque, Liger, Flauarisque, quem Elaurem vocitant, vel reliqui torrentes decurrentes in eum, ita intumuerunt, vt terminos, quos nunquam excesserant, præterirent. Quæ grande de pecoribus excidium, de culturis detrimentum, de ædificiis fecêre naufragium. Pari modo Rodanus cum Arari coniunctus, ripas excedēs, graue damnum populis intulit, muros Lugdunensis ciuitatis aliqua ex parte subuertit. Quiescentibus verò pluuiis, arbores denuò floruerunt. Erat enim mensis September. In Turonico verò eo anno mane priusquam dies inlucesceret, fulgor per cœlum cucurrisse visus est, & ad Orientis plagam cecidisse. Sed & sonitus tanquam deruentis arboris, per totam terram illam auditus est. Quod ideò non est de arbore æstimandum, quia in quinquaginta aut ampliùs miliaria est auditum. Ipso anno grauiter vrbs Burdegalensis à terræ motu concussa est, mœniáque ciuitatis in discrimine euersionis extiterunt. Atque ita omnis populus metu mortis exterritus est, vt si non fugeret, putaret se cum vrbe dehiscere. Vnde & multi ad ciuitates alias transierunt. Qui tremor ad vicinas ciuitates porrectus est, & vsque Hispaniam attigit, sed non tam validè. Tamen de Pyrenæis montibus immensi lapides sunt commoti, qui pecora hominésque prostrauerunt. Nam & vicos Burdegalenses incendium diuinitus ortum exussit, ita vt subitò comprehensæ igni tam domus quàm areæ cum annonis, incendio cremarentur. nullum penitus
B incitamentum habens ignis alieni, forsitan iussione diuina. Nam & Aurelianensis ciuitas graui incendio conflagrauit, intantum vt ditioribus nihil penitus remaneret: & si aliquis ab igne quicquam eripuit, ab insistentibus furibus est direptum. Apud terminum Carnotenum, verus de effracto pane sanguis effluxit. Grauiter tunc & Biturica ciuitas à grandine verberata est.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

*ita dicitur & sup. lib. 3. c. 9.

XXXV. SED hæc prodigia grauissima lues est subsecuta. Nam discordantibus Regibus, & iterum bellum ciuile parantibus, dysentericus morbus penè Gallias totas præoccupauit. Erat enim his qui patiebantur, valida cum vomitu febris, renúmq; nimius dolor, caput graue vel ceruix. Ea verò quæ ex ore proiiciebantur, colore croceo, aut certe viridia erant. A multis autem adserebatur, venenum occultum esse. Rusticiores verò, *corales* hoc *pusulas* nominabant. Quod non est incredibile, quia missæ in scapulis siue cruribus ventosæ, procedentibus erumpentibúsque vesicis, decursa sanie multi liberabantur. Sed & herbæ, quæ venenis medentur, potui sumptæ, plerísque præsidia contulerunt. Et quidem primùm hæc infirmitas à mense Augusto initiata, paruulos adolescentes arripuit, letóque subegit. Perdidimus dulces & charos nobis infantulos, quos aut gremiis fouimus, aut vlnis baiulauimus, aut propria manu ministratis cibis ipsos studio sagaciore nutriuimus. Sed abstersis lachrimis cum beato Iob diximus: ***Dominus dedit, Dominus abstulit: quomodo Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum in secula.*** Igitur in his diebus Chilpericus Rex grauiter ægrotauit. Quo con-
C ualescente, filius eius iunior, necdum ex aqua & Spiritu sancto renatus, ægrotare cœpit. Quem in extremis videntes, baptismo abluerunt. Quo parumper meliùs agente, frater eius senior nomine CHLODOBERTVS ab hoc morbo corripitur. Ipsúmque in discrimine mortis Fredegundis mater cernens, serò pœnitens ait ad Regem: Diu nos malè agentes pietas diuina sustentat. Nam sæpè nos febribus & aliis malis corripuit, & emendatio non successit. Ecce iam perdimus filios: Ecce iam eos lachrymæ pauperum, lamenta viduarum, suspiria orphanorum interimunt. nec spes remanet cui aliquid congregemus. Thesaurizamus, nescientes cui congregemus ea. Ecce thesauri remanent à possessore vacui, rapinis ac maledictionibus pleni. Nunquid non exundabant promptuaria vino? nunquid non horrea replebantur frumento? nunquid non erant thesauri referti auro, argento, lapidibus pretiosis, monilibus, vel reliquis imperialibus ornamentis? Ecce quod pulchrius habebamus, perdimus. Nunc si placet venite, incendamus omnes descriptiones iniquas: sufficiátque fisco nostro, quod suffecit patri Regique Chlothario. Hæc effata Regina, pugnis verberans pectus, iussit libros exhiberi, qui de ciuitatibus suis per Marcum venerant: proiectísque in ignem, iterum ad Regem conuersa, Quid tu, inquit, moraris? Fac quod vides à me fieri, si dulces natos perdimus, vel pœnam perpetuam euadamus. Tunc Rex compunctus corde

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS. * al. Brinniaco.

tradidit omnes libros descriptionum igni, conflagratisque illis misit qui futuras prohiberent descriptiones. Post hæc infantulus iunior dum nimio labore tabescit, extinguitur. Quem cum maximo mœrore deducentes à villa Brennaco * Parisius, ad Basilicam sancti Dionysij sepelire mandauerunt. Chlodobertum verò componentes in feretro, Suessionas ad Basilicam sancti Medardi duxerunt: proiicientésque eum ad sanctum sepulcrum, vouerunt vota pro eo. Sed media nocte anhelus iam & tenuis spiritum exhalauit. Quem in Basilica sanctorum Crispini atque Crispiniani Martyrum sepelierunt. Magnus quoque hic planctus omni populo fuit. Nam viri lugentes, mulierésque lugubribus vestimentis indutæ, vt solet in coniugum exequiis fieri, ita hoc funus sunt prosecutæ. Multa postea Chilpericus Rex Ecclesiis siue Basilicis, vel pauperibus est largitus.

XXXVI. His diebus Austrigildis Guntchramni Principis Regina, ab hoc morbo consumpta est. Sed priusquam nequam spiritum exhalaret, cernens quòd euadere non posset, alta trahens suspiria, voluit lethi sui habere participes, agens vt in exequiis eius aliorum funera plangerentur. Fertur enim Herodiano more Regem petiisse dicens: Adhuc spes viuendi fuerat, si non inter iniquorum medicorum manus interissem. Nam potiones ab illis acceptæ, mihi vi abstulerunt vitam, & fecerunt me hanc lucem velociter perdere. Et ideo ne inulta mors mea prætereat, quæso & cum sacramenti interpositione coniuro, vt cùm ab hac luce discessero, statim ipsi gladio trucidentur: vt sicut ego ampliùs viuere non queo, ita nec illi post meum obitum glorientur, sed sit vnus dolor nostris pariter ac eorum amicis. Hæc effata, infelicem animam tradidit. Rex verò peracto ex more iustitio, obpressus iniquæ coniugis iuramento, impleuit præceptum iniquitatis. Nam duos medicos, qui ei studium adhibuerant, gladio feriri præcepit. Quod non sine peccato factum fuisse, multorum censet prudentia. B

XXXVII. Hac itaque ægritudine & Nantinus Egolismensis Comes exinanitus interiit. Sed quæ contra Sacerdotes vel Ecclesias Dei egerit, altiùs repetenda sunt. Deniq; Maracharius auunculus eius, diu in ipsa vrbe vsus est Comitatu. Quo officio expleto, Ecclesiæ sociatur, Clericúsque factus ordinatur Episcopus. Qui multùm vigilanter, vel Ecclesias, vel Ecclesiæ domos, & erigens, & componens, septimo Sacerdotij anno iniecto ab inimicis in caput piscis veneno, simpliciter accipiens crudeliter enecatur. Sed non diu inultã eius mortẽ pertulit diuina clementia. Nam Frontonius, cuius consilio hoc scelus est perpetratũ, adsumpto confestim Episcopatu, vno in eo degens anno, præcurrente iudicio Dei interiit. Cuius post obitum Heraclius Burdegalensis Presbyter, qui quondam Legatus Childeberti senioris fuerat, Episcopus ordinatur. Nantinus verò ob requirendam auunculi sui mortem, Comitatum in ipsa vrbe expetiit. Quo accepto, multas Episcopo iniurias inrogauit. Aiebat enim; Homicidas illos, qui auunculum meum interfecerunt, tecum retines: sed & Presbyteros huic noxæ admixtos, ad conuiuium recipis. Deinde inimicitia increscente paulatim cœpit villas Ecclesiæ, quas Maracharius testamento scripto reliquerat, violenter inuadere, adserens non debere Ecclesiam eius facultatem adipisci, à cuius Clericis testator fuerat interfectus. Post ista verò iam aliquibus ex laicis interfectis, addidit vt adprehensum Presbyterum adligaret, ac conto perfoderet. Cui adhuc viuenti retortis post tergum manibus, adpenso ad stipitem, elicere quærebant, si in hac causa fuisset admixtus. Quod cùm ille negaret, profluente cruore de vulnere, reddidit spiritum. Qua de causa commotus Episcopus, iussit eum ab Ecclesiæ foribus prohiberi. Conuenientibus autem apud ciuitatem Sanctonas Sacerdotibus, deprecabatur Nantinus, vt pacem Episcopi mereretur, promittens se omnes Ecclesiæ res, quas sine ratione abstulerat, redditurum, atque humilem exhibere se Sacerdoti. At ille fratrum iussioni obaudire procurans, cuncta quæ petebantur indulsit. Causam tamen Presbyteri omnipotenti Deo commendans, Comitem in charitate recepit. Qui post ista regessus vrbem, domos illas, quas malè peruaserat, spoliat, elidit, ac deficit dicens; Et si hoc ab Ecclesia recipitur, vel desertum inueniatur. Qua de causa iterum motus Episcopus, eum à communione suspendit. Quæ dum aguntur, impleto beatus Pontifex vitæ cursu, migrauit ad Dominum. Nantinus quoque ab aliquibus Episcopis, intercedentibus præmiis atque adulationibus, communicatur. Post paucos verò menses à supradicto morbo corripitur. qui nimia C

A exustus febre, clamauit dicens: Heu! heu! ab Heraclio Antistite exuror, ab illo ad iudicium vocor. Cognosco facinus, reminiscor me iniustè iniurias intulisse Pontifici: mortem deprecor, ne diutiùs crucier hoc tormento. Hæc cùm maxima in febre clamaret, deficiente robore corporis, infelicem animam fudit, indubia relinquens vestigia, hoc ei ad vltionem beati Antistitis euenisse. Nam exanimum corpus ita nigredinem duxit, vt putares eum prunis superpositum fuisse combustum. Ergo omnes hæc obstupescant, admirentur, & metuant, ne inferant iniurias Sacerdotibus, quia vltor est Dominus seruorum suorum sperantium in se.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

XXXVIII. Hoc tempore & beatus Martinus Galliciensis Episcopus obiit, magnum populo illi faciente planctum. Nam Pannoniæ ortus fuit, & exinde ad visitanda loca sancta in Orientem properans, intantum se literis imbuit, vt nulli secundus suis temporibus haberetur. Exinde Galliciam venit, vbi cùm beati Martini reliquiæ portarentur, Episcopus ordinatur. In quo Sacerdotio impletis plus minus triginta annis, plenus virtutibus migrauit ad Dominum. Versiculos, qui super ostium sunt à parte Meridiana in Basilica sancti Martini, ipse composuit.

XXXIX. Magna eo anno in Hispaniis Christianis persecutio fuit: multique exiliis dati, facultatibus priuati, fame decocti, carcere mancipati, verberibus adfecti,
B ac diuersis suppliciis trucidati sunt. Caput quoque huius sceleris Goisuintha fuit, quam post Athanagildi Regis connubium, Rex Leuuigildus * acceperat. Sed quæ Dei seruis notam humilitatis inflixerat, prosequente vltione diuina, ipsa quoque est omnibus populis facta notabilis. Nam vnum oculum nubes alba contegens, lumen quod mens non habebat pepulit à palpebris. Erant autem Leuuigildo Regi ex alia vxore duo filij, quorum senior Sigiberti, iunior Chilperici Regis filiam desponsauerat. Sed Ingundis Sigiberti Regis filia magno apparatu in Hispanias directa, ab auia Goisuintha cum gaudio magno suscipitur. Quam nec passa est in Religione Catholica diu commorari, sed vt rebaptizaretur in Arriana hæresi, blandis cœpit sermonibus inlicere. Sed illa viriliter reluctans, cœpit dicere: Sufficit satis me ab originali peccato baptismo salutari semel ablutam fuisse, & sanctam Trinitatem in vna æqualitate esse confessam. Hæc me credere ex toto corde confiteor, nec vnquam ab hac fide ibo retrorsum. Hæc illa audiens, iracundiæ furore succensa, adprehensam per comam capitis puellam in terram conlidit, & diu calcibus verberatam, ac sanguine cruentatam, iussit spoliari, & piscinæ immergi. Sed (vt adserunt multi) nunquam animum suum à fide nostra reflexit. Leuuigildus autem dedit eis vnam de ciuitatibus, in qua residentes regnarent. Ad quam cùm abiissent, cœpit Ingundis prædicare viro suo, vt relicta hæresis fallacia, Catholicæ Legis veritatem agnosceret. Quod ille diu refutans,
C tandem commotus ad eius prædicationem, conuersus est ad Legem Catholicam: ac dum chrismaretur, Ioannes est vocitatus. Quod cùm Leuuigildus audisset, cœpit causas quærere, qualiter eum perderet. Ille verò hæc intelligens, ad partem se Imperatoris iungit, ligans cum Præfecto eius amicitias, qui tunc Hispaniam impugnabat. Leuuigildus autem direxit ad eum nuncios, dicens; Veni ad me, quia extant causæ quas conferamus simul. Et ille, Non ibo, quia infensus es mihi, pro eo quòd sim Catholicus. At ille datis Præfecto Imperatoris triginta milibus solidorum, vt se ab eius solatio reuocaret, commoto exercitu contra eum venit. Herminigildus verò vocatis Græcis, contra patrem egreditur, relicta in vrbe coniuge sua. Cúmque Leuuigildus ex aduerso veniret, relictus à solatio, cùm videret nihil se præualere posse, Ecclesiam, quæ erat propinqua, expetiit dicens; Non veniat super me pater meus. nefas est enim aut patrem à filio, aut filium à patre interfici. Hæc audiens Leuuigildus, misit ad eum fratrem eius, qui dato sacramento, ne humiliaretur, ait; Tu ipse accede, & prosternere pedibus patris nostri, & omnia indulget tibi. At ille poposcit patrem suum vocari. Quo ingrediente, prostrauit se ad pedes illius. Ille verò adprehensum osculatus est eum, & blandis sermonibus delinitum duxit ad castra. Oblitúsque sacramenti, innuit suis, & adprehensum spoliauit eum indumentis suis, induitque illum veste vili. Regressúsque ad vrbem Toletum, ablatis pueris eius, misit eum in exilium cum vno tantùm puerulo.

* al. Leuuihildus, & Leuuichildus.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. SIGIBERTVS. XL. IGITVR post mortem filiorum Chilperici, Rex mense Octobri in Cotia silua plenus luctu cum coniuge residebat. Tunc CHLODOVEVM filium suum Brennacum *, faciente Regina, transmisit, vt scilicet ipse ab hoc interitu deperiret. Grauiter ibi his diebus morbus ille, qui fratres interfecerat, sæuiebat: sed nihil ibidem incommodi pertulit. Ipse enim Rex Calam Parisiacæ ciuitatis villam aduenit. Post paucos verò dies Chlodoueum ad se venire præcepit. Cui qualis interitus fuerit, dicere non pigebit. Igitur cùm in supradicta villa apud patrem habitaret, cœpit immaturè iactare vel dicere: Ecce mortuis fratribus meis ad me restitit omne Regnum. Mihi vniuersæ Galliæ subiicientur, imperiúmque vniuersum mihi fata largita sunt. Ecce inimicis in manu positis, inferam quæcunque placuerit. Sed & de nouerca sua Fredegunde Regina non condecibilia detrectabat. Quæ illa audiens, pauore nimio terrebatur. Post dies verò aliquos, adueniens quidam ait Reginæ, Vt orbata filiis sedeas, dolus id Chlodouei est operatus. Nam ipse concupiscens vnius ancillarum tuarum filiam, maleficiis tuos per matrem eius filios interfecit. Ideóque moneo, ne speres de te meliùs, cùm tibi spes, per quam regnare debueras, sit ablata. Tunc Regina timore perterrita, & furore succensa, noua orbitate compuncta, adprehensa puella, in quam oculos iniecerat Chlodoueus, & grauiter verberata, incidi comam capitis eius iussit: abscissam sudi impositam defigi ante metatum præcepit Chlodouei. Matre quoque puellæ religata, & tormentis diu cruciata, elicuit ab ea professionem quæ hos sermones veros esse firmaret. Regi exinde hæc & alia huiuscemodi insinuans, vindictam de Chlodoueo poposcit. Tunc Rex in venationem directus, eum præcepit arcessiri secretiùs. Quo adueniente, ex iussu Regis adprehensus in manicis à Desiderio atque Bobone Ducibus, nudatur armis & vestibus, ac vili indumento contectus, Reginæ vinctus adducitur. At illa in custodia eum retineri præcepit, elicere ab eo cupiens, si hæc ita vt audierat se haberent, vel cuius consilio vsus fuerit, aut cuius hæc instinctu fecisset, vel cum quibus maximè amicitias conligasset. At ille reliqua denegans, amicitias multorum detexit. Denique post triduum, Regina vinctum iussit eum transire Matronam fluuium, & in villa, cui Noceto nomen est, custodiri. In qua custodia cultro percussus, interiit: ipsóque in loco sepultus est. Interea aduenerunt nuncij ad Regem qui dicerent, quòd ipse se ictu proprio perfodisset: & adhuc ipsum cultrum, de quo se perculit, in loco stare vulneris adfirmabant. Quibus verbis Rex Chilpericus inlusus, nec fleuit, quem ipse (vt ita dicam) morti tradiderat, instigante Regina. Seruientes quoque illius per diuersa dispersi sunt. Mater autem eius crudeli morte necata: soror illius in Monasterium reclusa, à pueris Reginæ transmittitur. in quo nunc veste mutata consistit. Opésque eorum omnes Reginæ delatæ sunt. Mulier, quæ super Chlodoueum locuta fuerat, diiudicatur incendio concremari. Quæ cùm duceretur, reclamare cœpit misera, se mendacia protulisse. Sed nihil proficientibus verbis, ligata ad stipem, viuens exuritur flammis. Thesaurarius Chlodouei à Cuppane stabuli Comite de Biturico retractus, vinctus Reginæ transmissus est, diuersis cruciatibus exponendus. Sed eum Regina & à suppliciis, & à vinculis iussit absolui, liberúmque nobis obtinentibus abire permisit.

*Brinnaco.

XLI. POST hæc Elasius Catalaunensis Episcopus propter causas Brunichildis Reginæ in Hispanias in Legationem directus, correptus à febre nimia, spiritum exhalauit: & exindè delatus mortuus, ad ciuitatem suam sepultus est. Eonius quoque Episcopus, quem Legatum Britannorum suprà meminimus, ad ciuitatem suam regredi non permissus, vt Andegauis pasceretur de publico, à Rege præceptum est. Qui Parisius adueniens, dum die Dominica sancta solemnia celebraret, emissa cum hinnitu voce terræ corruit. Erumpente verò ab ore eius & naribus sanguine, inter manus deportatus est. Sed conualuit. Nimium enim vino deditus erat, & plerúmque ita deformiter inebriabatur, vt gressum facere non valeret.

XLII. MIRVS Rex Gallicienfis Legatos ad Guntchramnum Regem direxit. Cúmque per Pictauum terminum præterirent, quem tunc Chilpericus Rex tenebat, nunciata sunt ei. At ille sub custodia sibi eos exhiberi præcepit, & Parisius custodiri. Eo tempore apud Pictauensem ciuitatem lupus ex siluis veniés, per portam ingressus est: clausisque portis infrà muros ipsius vrbis oppressus, occisus est.

A Adserebant enim quidam & cœlum ardens se vidisse. Liger fluuius maior ab anno superiore fuit, postquam ei Caris torrens se adiunxit. Ventus Auster nimium violenter cucurrit, ita vt siluas prosterneret, domos erueret, sepes efferret, ipsósque homines ad internecionem vsque volutaret. Erat enim spatium eius in latitudinem quasi iugera septem. Longitudo autem non potuit æstimari. Nam & galli plausum cantus in initio noctis sæpè dederunt. Luna contenebricata est, & Cometes stella apparuit. Grauis autem lues in populo subsecuta est. Legati autem Sueuorum post annum dimissi, ad propria redierunt.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

XLIII. MAVRILIO Cadurcensis vrbis Episcopus grauiter ægrotabat ab humore podagrico. Sed super hos dolores, quos ipse humor commouit, magnos sibi cruciatus addebat. Nam sæpè candens ferrum tibiis ac pedibus defigebat, quò faciliùs cruciatum sibi ampliùs adderet. Sed cùm Episcopatum eius multi expeterent, ipse Vrsicinum, qui quondam Referendarius Vltrogothæ Reginæ fuerat, elegit. Quem dum adhuc viueret, benedici deprecans, migrauit à seculo. Fuit autem valde eleemosynarius, in Scripturis Ecclesiasticis valde instructus, ita vt seriem diuersarum generationum, quæ in libris veteris Testamenti describitur, quod à multis difficile retinetur, hic plerunque memoria recenseret. Fuit etiam & in iudiciis iustus, ac defendens pauperes Ecclesiæ suæ de manu malorum iudicum, iuxta illud Iob: *Conseruaui egenum de manu potentis: & inopi, cui non erat adiutor, auxiliatus sum. Os viduæ benedixit me, cùm essem oculus cæcorum, pes claudorum, &* B *inualidorum pater.*

XLIV. LEVVIGILDVS* verò Rex Agilanem Legatum ad Chilpericum mittit, virum nullius ingenij aut dispositionis ratione peritum, sed tantùm voluntate in Catholica lege peruersum. Quem cùm via Turonis detulisset, lacessire nos de fide, & impugnare Ecclesiastica dogmata cœpit. Iniqua enim, inquit, fuit antiquorum Episcoporum lata sententia, qua æqualem adseruit Filium Patri. Nam qualiter, inquit, poterit esse Patri æqualis in potestate, qui ait, *Pater maior me est*? Non est ergo æquum, vt ei similis æstimetur quo se minorem dicit, cui tristitiam mortis ingemit, cui postremò moriens spiritum quasi nulla præditus potestate commendat. Vnde patet eum & ætate & potestate paterna minorem. Ad hæc ego interrogo, si crederet Iesum Christum filium Dei esse, si eumdémque esse Dei sapientiam, si lumen, si veritatem, si vitam, si iustitiam fateretur? Qui ait, Credo hæc omnia esse Filium Dei. Et ego, Dic ergo mihi, quando Pater sine sapientia? quando sine lumine, quando sine vita, quando sine veritate, quando sine iustitia fuerit? Sicut enim Pater sine istis esse non potuit, ita & sine Filio esse non potuit. Quæ maximè ad Dominici nominis mysterium coaptantur. Sed nec Pater esset vtique, si Filium non haberet. Quod autem eum dixisse ais; *Pater maior me est*, scias eum hoc ex adsumptæ carnis humilitate dixisse, vt cognoscas non potestate, sed humilitate te fuisse redemptum. Nam tu qui dicis; *Pater maior me est*, oportet te meminisse C quod alibi ait: *Ego & Pater vnum sumus*. Nam & mortis timor & commendatio spiritus ad infirmitatem corporis est referenda: vt sicut verus Deus, & verus homo credatur. Et ille: Cuius quis implet voluntatem, eo & minor est. Semper Filius minor est Patre, quia ille facit voluntatem Patris, nec Pater illius voluntatem facere comprobatur. Ad hæc ego, Intellige quia Pater in Filio, & Filius in Patre, in vna semper deitate subsistit. Nam vt cognoscas Patrem Filij facere voluntatem, si in te fides Euangelica manet, audi quid ipse Iesus Deus noster cùm ad resuscitandum venit Lazarum ait; *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me: & ego sciebam quia semper me audis. Sed propter turbam quæ circumstat, dixi, vt credant quia tu me misisti.* Sed & cùm ad passionem venit, ait; *Pater clarifica me claritate quam habui apud temetipsum, priusquam mundus fieret.* Cui Pater de cœlo respondit; *Et clarificaui, & iterum clarificabo.* Æqualis est ergo Filius in deitate, non minor: sed neque aliquid minus habens. Nam si Deum confiteris, necesse est integrum fatearis, & nihil egentem. Si verò integrum esse negas, Deum esse non credis. Et ille: Ex adsumpto homine cœpit Dei Filius vocitari. Nam erat quando non erat. Et ego, Audi Dauid dicentem ex Persona patris: *Ex vtero ante luciferum genui te.* Et Ioannes Euangelista ait: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc ergo Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: per quem facta sunt omnia.* Nam vos cæcati veneno persuasionis, nihil dignum de Deo sentitis. Et ille: Nun-

*Leuuieldus. Leuuihildis.

GVNTCHRAMNVS CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

quid & Spiritum sanctum Deum dicitis, aut æqualem Patri Filióque decernitis? Cui ego, Vna in tribus est voluntas, potestas, operatio: vnus Deus in trinitate, & trinus in vnitate. Tres personæ, sed vnum regnum, vna maiestas, vna potentia omnipotentiáque. Et ille: Spiritus sanctus, inquit, quem æqualem Patri profertis ac Filio, vtrisque minor accipitur: quia & à Filio promissus, & à Patre legitur missus. Nemo enim promittit, nisi quod suæ dominationi subsistit: & nemo " mittit, nisi inferiorem se, sicut ipse ait in Euangelio: *Nisi ego abiero, Paraclitus ille* " *non veniet: si autem abiero, mittam illum ad vos.* Ad hæc ego respondi; Benè Fi" lius ante passionem ait, quia nisi ille ad Patrem victor remeauerit, ac proprio san" guine redempto mundo dignum Deo ex homine præparet habitaculum, non po" test sanctus Spiritus idem Deus in pectore fanatico, & originalis criminis labe in" fecto, descendere. *Spiritus enim sanctus*, ait Salomon, *fugiet fictum.* Tu autem si " spem aliquam resurrectionis habes, noli loqui aduersus Spiritum sanctum; quia " iuxta sententiam Domini, *Spiritum sanctum blasphemanti non remittetur, neque in hoc* " *seculo, neque in futuro.* Et ille: Deus est qui mittit, non est Deus qui mittitur. Ad " hæc ego interrogo, si crederet doctrinam Petri Paulique Apostolorum? Res" pondente autem eo, Credo. adieci. Cùm argueret Petrus Apostolus Ana" niam pro fraude fundi, vide quid dicat; *Quid tibi visum est mentiri Spiritui* " *sancto? Non es enim mentitus hominibus, sed Deo.* Et Paulus, cùm gratiarum spiri" tualium distingueret gradus, *Hæc omnia*, inquit, *operatur vnus atque idem Spiri*" *tus, diuidens vnicuique prout vult.* Qui enim quod voluerit facit, in nullius redi" gitur potestatem. Nam vos (vt superiùs dixi) nihil rectè de Trinitate sancta senti" tis, & quàm iniqua sit huius sectæ peruersitas, ipsius auctoris vestri, id est Arrij " expressit interitus. Ad hæc ille respondit: Legem, quam non colis, blasphema" re noli. Nos verò quæ creditis, etsi non credimus, non tamen blasphemamus: " quia non deputatur crimini, si & illa & illa colantur. Sic enim vulgato sermone " dicimus, Non esse noxium si inter gentilium aras & Dei Ecclesiam quis transiens " vtraque veneretur. Cuius ego stultitiam cernens, aio. Vt video, & gentilium de" fensorem, & hæreticorum adsertorem te esse manifestas, cùm & Ecclesiastica dog" mata maculas, & paganorum spurcitias prædicas adorari. Satiùs, inquio, faceres, si " ea te armaret fides, quam Abraham ad ilicem, Isaac in ariete, Iacob in lapide, " Moyses vidit in sente. Quam Aaron portauit in logio, Dauid exultauit in tympano, " Salomon prædicauit in intellectu. Quã omnes Patriarchæ, Prophetæ, siue lex ipsa, " vel oraculis cecinit, vel sacrificiis figurauit. Quã & nunc presens suffragator Marti" nus noster vel possedit in pectore, vel ostendit in opere: vt & tu conuersus crederes " inseparabilem Trinitatem, & accepta à nobis benedictione, purgatóque à malæ " credulitatis veneno pectore, delerentur iniquitates tuæ. At ille furore cõmotus, & " nescio quid quasi insanus frendens, ait: Ante anima ab huius corporis vinculis emi" cet, quàm ab vllo religionis vestrę Sacerdote benedictionem accipiam. Et ego, Nec " nostram Dominus religionem siue fidem ita tepescere faciat, vt distribuamus " sanctum eius canibus, ac preciosarum margaritarum sacra porcis squalentibus ex" ponamus. Ad hæc ille relicta altercatione surrexit, & abiit. Sed post hæc cùm in Hispanias reuersus fuisset, infirmitate debilitatus, ad nostram religionem necessitate cogente conuersus est.

XLV. PER idem tempus Chilpericus Rex scripsit indiculum, Vt sancta Trinitas non in personarum distinctione, sed tantùm Deus nominaretur: adserens indignum esse, vt Deus persona, sicut homo carneus nominetur. Adfirmans etiam ipsum esse Patrem qui est Filius, idémque ipsum esse Spiritum sanctum, qui Pa" ter & Filius. Sic, inquit, Prophetis ac Patriarchis apparuit, sic eum ipsa lex nun" ciauit. Cúmque hæc mihi recitari iussisset, ait: Sic, inquit, volo vt tu & reliqui do" ctores Ecclesiarum credatis. Cui ego respondi: Hac credulitate relicta, pie Rex, " hoc te oportet sequi, quod nobis post Apostolos alij doctores Ecclesiæ reliquerunt, " quod Hilarius Eusebiúsque docuerunt; quod & in baptismo es confessus. Tunc " iratus Rex ait, Manifestum est mihi in hac causa Hilarium Eusebiúmque validos " inimicos haberi. Cui ego respondi, Obseruare te conuenit, neque Deum, neque " Sanctos eius habere offensos. Nam scias, quia in persona alter Pater, alter Filius, " alter Spiritus sanctus. Non Pater adsumpsit carnem, neque Spiritus, sed Filius: vt

qui

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

A qui erat Dei Filius, ipse ad redemptionem hominis Filius haberetur & virginis. Non Pater passus neque Spiritus sanctus, sed Filius: vt qui carnem adsumpserat in mundo, ipse offerretur pro mundo. De personis verò quod ais, non corporaliter, sed spiritaliter sentiendum est. In his ergo tribus personis, vna gloria, vna æternitas, vna potestas. At ille commotus, ait: Sapientioribus te hæc pandam, qui mihi consentiant. Et ego, Nunquam erit sapiens, sed stultus, qui hæc quæ proponis sequi voluerit. Ad hæc ille frendens, siluit. Non post multos verò dies adueniente Saluio Albigense Episcopo, hæc ei præcepit recenseri, deprecans vt sibi consentaneus fieret. Quod ille audiens, ita respuit, vt si chartam, in qua hæc scripta tenebantur, potuisset adtingere, in frusta discerperet. Et sic Rex ab hac intentione quieuit. Scripsit alios libros idem Rex versibus, quasi Sedulium secutus: sed versiculi illi nulli penitus metricæ conueniunt rationi. Addidit autem & literas literis nostris, id est ω sicut Græci habent, *ae*, *the*, *vuui*: quarum characteres hi sunt: ω. ⏀. z. Π. Et misit epistolas in vniuersas ciuitates Regni sui, vt sic pueri docerentur, ac libri antiquitus scripti, planati pumice rescriberentur.

XLVI. AGROECVLA autem Cabilonensis Episcopus hoc obiit tempore: fuítque homo valde elegans ac prudens, genere Senatorio. Multa in ciuitate illa ædificia fecit, domos composuit, Ecclesiam fabricauit, quam columnis fulciuit, variauit
B marmore, musiuo depinxit. Magnæ autem abstinentiæ fuit. Nam nunquam prandio vsus est, nisi tantùm cœna: ad quam sic temporiuè residebat, vt Sole stante consurgeret. Humanitatis exiguæ, facundiæ verò magnæ erat. Obiit autem Episcopatus anno quadragesimo octauo, æui autem octogesimotertio. Cui Flauius Referendarius Guntchramni Regis successit.

XLVII. EO tempore & Dalmatius Ruthenæ ciuitatis Episcopus migrauit à seculo, vir in omni sanctitate præcelsus, abstinens vel à cibis, vel à cōcupiscentiis carnis: valde eleemosynarius, & cunctis humanus, in oratione & vigiliis satis stabilis. Ecclesiam construxit. Sed dum eam ad emendationem sæpiùs destruxit, incompositam dereliquit. Post cuius obitum, multi (vt fit) Episcopatum petebant. Transobadus verò Presbyter, qui quondam Archidiaconus eius fuerat, maximè in hoc intendebat, fidus quòd filium suum cum Gogone, qui tunc Regis erat nutritius, commendauerat. Condiderat autem Episcopus testamentum, in quo Regi Sexenium, qui post eius obitum acciperet, indicabat: adiurans terribilibus sacramentis, vt in Ecclesia illa non ordinaretur extraneus, non cupidus, non coniugali vinculo nexus: sed ab his omnibus expeditus, qui in solis tantùm Dominicis laudibus degebat, substitueretur. Transobadus autem Presbyter epulum in ipsa vrbe Clericis præparat. Residentibus autem illis, vnus Presbyterorum cœpit Antistitem memoratum impudicis blasphemare sermonibus, & vsque ad hoc erupit, vt eum
C delirum & fatuum nominaret. Hæc eo dicente, pincerna poculum oblaturus aduenit. At ille aceptum dum ori proximat, tremere cœpit. Laxatóque de manu calice, super alium, qui sibi erat proximus, caput reclinans, reddidit spiritum. Ablatúsque ab epulo ad sepulchrum, humo contectus est. Post hæc relecto testamento Antistitis, in præsentia Childeberti Regis ac Procerum eius, Theodosius, qui tunc Archidiaconatu vrbis illius potiebatur, Episcopus ordinatus est.

XLVIII. AVDIENS autem Chilpericus omnia mala quæ faciebat Leudastes Ecclesiis Turonicis, & omni populo, Ansoualdum illuc dirigit. Qui veniens ad festiuitatem sancti Martini, data nobis & populo optione, Eunomius in Comitatum erigitur. Denique Leudastes cernens se remotum, ad Chilpericum dirigit dicens: Vsque nunc, ô piissime Rex, custodiui ciuitatem Turonicam. Nunc autem me ab actione remoto, vide qualiter custodiatur. Nam noueris, quia Gregorius Episcopus eam ad filiū Sigiberti tradere destinat. Quod audiens Rex, ait: Nequaquā, sed quia remotus es, ideo hæc adponis. Et ille, Maiora, inquit, de te ait Episcopus. Dicit enim Reginā tuam in adulterio cum Episcopo Bertchramno * misceri. Tunc iratus Rex, cæsum pugnis & calcibus, oneratum ferro, recludi præcepit in carcere. Sed quia Liber finem postulat, narrare aliqua de eius actionibus libet. Sed priùs videtur, genus ac patriam moréſque ordiri. Cracina Pictauensis insula vocitatur, in qua à fiscalis vinitoris seruo Leocadio nomine nascitur. Exinde ad seruitium

* Bertrāno.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

arceſſitus, culinæ regiæ deputatur. Sed quia lippis erat in adoleſcentia oculis, quibus fumi acerbitas non congruebat, amotus à piſtillo promouetur ad cophinum. Sed dum inter fermentatas maſſas ſe delectari conſimulat, ſeruitium fugam iniens dereliquit. Cúmque bis aut tertiò reductus à fugæ lapſu teneri non poſſet, auris vnius inciſione multatur. Dehinc cùm notam inflictam corpori occulere nulla auctoritate valeret, ad Marcoueifam Reginam, quam Charibertus Rex nimium diligens, in loco ſororis thoro adſciuerat, fugit. Quæ libenter eum colligens, prouocat, equorúmque meliorum deputat eſſe cuſtodem. Hinc iam obſeſſus vanitate, ac ſuberbiæ deditus, Comitatum ambit ſtabulorum. Quo accepto, cunctos deſpicit ac poſtponit. Inflatur vanitate, luxuria diſſoluitur, cupiditate ſuccenditur, & in cauſis patronæ alumnus proprius huc illúcque defertur. Cuius poſt obitum refertus prædis, locum ipſum cum Rege Chariberto oblatis muneribus tenere cœpit. Poſt hæc, peccatis populi ingruentibus, Comes Turonis deſtinatur. Ibique ſe amplius honoris glorioſi ſupercilio iactat, ibi ſe exhibet rapacem prædis, turgidum rixis, adulteriis lutulentum: vbi ſeminando diſcordias, & inferendo calumnias, non modicos theſauros adgregauit. Poſt obitum verò Chariberti, cùm in Sigiberti ſortem ciuitas illa veniſſet, tranſeunte eo ad Chilpericum, omnia quæ iniquè aggregauerat, à fidelibus nominati Regis direpta ſunt. Peruadente igitur Chilperico Rege per Theodobertum filium vrbem Turonicam, cùm iam ego Turonis aduenissem, mihi à Theodoberto ſtrenuè commendatur; vt ſcilicet Comitatu, quem priùs habuerat, potiretur. Multum ſe nobis humilem ſubditúmque reddebat, iurans ſæpiùs ſuper » ſepulchrum ſancti Antiſtitis: Nunquam ſe contra rationis ordinem eſſe ventu- » rum: ſéque mihi tam in cauſis propriis, quàm in Eccleſiæ neceſſitatibus in om- » nibus eſſe fidelem. Timebat enim quod poſtea euenit, ne vrbem illam iterum Rex Sigibertus in ſuum dominium reuocaret. Quo defuncto, ſuccedente iterum Chilperico in Regnum, iſte in Comitatum accedit. Adueniente autem Turonis Merouco, omnes res eius vſquequaque diripuit. Sed dum Sigibertus duos annos Turonis tenuit, hic in Britanniis latuit. Qui adſumpto, vt diximus, Comitatu, in tali leuitate elatus eſt, vt in domo Eccleſiæ cum thoracibus atque loricis, præcinctus pharetra, & contum manu gerens, capite galeato ingrederetur: de nullo ſecurus, quia omnibus erat aduerſus. Iam ſi in iudicio cum ſenioribus vel laicis, vel Clericis reſediſſet, & vidiſſet hominem iuſtitiam proſequentem, protinus agebatur in furias, ructabat conuicia in ciues: Preſbyteros manicis iubebat extrahi, milites fuſtibus verberari: tantáque vtebatur crudelitate, vt vix referri poſſit. Diſcedente autem Merouco, qui res eius diripuerat, nobis calumniator exiſtit, adſerens fallaciter Meroueum noſtro vſum conſilio, vt res eius auferret. Sed poſt inlata damna, iterat iterum ſacramenta, pallámque ſepulchri beati Martini fideiuſſorem donat, ſe nobis nunquam aduerſaturum.

XLIX. SED quoniam longum eſt per ordinem proſequi periuria, vel reliqua mala eius, veniamus ad illud, qualiter me voluit iniquis ac nefariis calumniis ſubplantare, vel qualiter in eum vltio diuina deſcendit, vt illud adimpleretur: *Omnis ſubplantans ſubplantabitur.* Et iterum, *Qui fodit foueam, incidet in eam.* Igitur poſt multa mala quæ in me meóſq; intulit, poſt multas direptiones rerum Eccleſiaſticarum, adiuncto ſibi Riculfo Preſbytero, ſimili malitia peruerſo, ad hoc erupit vt diceret, me crimen in Fredegundem Reginam dixiſſe: adſerens ſi Archiaconus meus Platto, aut Gallienus amicus noſter, ſubderentur pœnæ, conuincerent me vtique hæc locutum. Tunc Rex iratus (vt ſuprà diximus) iuſſit eum pugnis calcibúſque cæſum, oneratum catenis, recludi in carcerem. Nam Riculfum Clericum ſe habere dicebat, per quem hæc loquutus fuiſſet. Hic verò Riculfus Subdiaconus, ſimili leuitate perfacilis, ante hunc annum conſilio cum Leudaſte de hac cauſa habito, cauſas offenſionis requirit, quibus ſcilicet me offenſo, ad Leudaſtem tranſiret. Nactúſque tandem, ipſum adiuit, ac per menſes quatuor dolis omnibus ac muſcipulis præparatis, ad me cum ipſo Leudaſte reuertitur, deprecans vt eum debeam recipere excuſatum. Feci, fateor, & occultum hoſtem publicè in domum ſuſcepi. Diſcedente verò Leudaſte, ipſe ſe pedi- » bus meis ſternit, dicens: Niſi ſuccurras velociter, periturus ſum. Ecce in- » ſtigante Leudaſte, locutus ſum quod loqui non debui. Nunc verò aliis me

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

A Regnis emitte. Quod nisi feceris, à regalibus comprehensus, mortales pœnas sum luiturus. Cui ego aio, Si quid incongruum rationi effatus es, sermo tuus in caput tuum erit. Nam ego alteri te Regno non mittam, ne suspectus habear coram Rége. Post ista Leudastes extitit accusator eius, dicens se sermones iam dictos à Riculfo audisse Subdiacono. At ille iterum vinctus, relaxato Leudaste, custodiæ deputatur, dicens, Gallienum eadem die & Platonem Archidiaconos fuisse præsentes, cùm hæc est Episcopus eloquutus. Sed Riculfus Presbyter, qui iam promissionem de Episcopatu à Leudaste habebat, intantum elatus fuerat, vt Magi Simonis superbiæ æquaretur. Qui tertio aut eo ampliùs mihi sacramentum super sepulchrum S. Martini dederat, in die sexta Paschæ intantum me conuiciis & sputis egit, vt vix manibus temperaret, fidus scilicet doli quem præparauerat. In crastina autem die, id est sabbati, in ipso Pascha, venit Leudastes in vrbem Turonicam. Adsimulánsque aliud negocium agere, adprehensos Platonem Archidiaconum, & Gallienum in vincula connectit: catenatósque ac exutos veste iubet eos ad Reginam deduci. Hæc ego audiens, dum in domo Ecclesiæ residerem, mœstus turbatúsque, ingressus oratorium, Dauidici carminis sumo librum, vt scilicet apertus aliquem consolationis versiculum daret. In quo ita repertum est; *Eduxit eos in spe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare.* Interea ingressi in fluuium super pontem, qui duabus lintribus tenebatur, nauis illa, quæ Leudastem vehebat, demergitur: & nisi nandi fuisset adminiculo liberatus, cum sociis forsitan interisset. Nauis verò alia, quæ huic innexa erat, quæ & vinctos vehebat, super aquas Dei auxilio eleuatur. Igitur deducti ad Regem qui vincti fuerant, incusantur instanter, vt capitali sententia finirentur. Sed Rex recogitans, absolutos à vinculo, libera custodia reseruat inlæsos. Ad ciuitatem verò Turonicam Berulfus Dux cum Eunomio Comite fabulam fingit, quòd Guntchramnus Rex capere vellet Turonicam ciuitatem. Et idcirco ne aliqua negligentia accederet, oportere ait vrbem custodia consignari. Ponunt portis dolosè custodes, qui ciuitatem tueri adsimulantes, me vtique custodirent. Mittunt etiam qui mihi consilium ministrarent, vt occultè adsumptis melioribus rebus Ecclesiæ, Aruernum fugâ secederem. Sed non adquieui. Igitur Rex arcessitis Regni sui Episcopis, causam diligenter iussit exquiri. Cúmque Riculfus Clericus sæpiùs discuteretur occultè, & contra me vel meos multas fallacias promulgaret, Modestus quidam faber lignarius ait ad eum: O infelix, qui contra Episcopum tuum tam contumaciter ista meditaris? Satius tibi erat silere: & petita venia Episcopi gratiam impetrares. Ad hæc ille clamare cœpit voce magna, ac dicere: En ipsum qui mihi silentium indicit, ne prosequar veritatem: en Reginæ inimicum, qui causam criminis eius non sinit inquiri. Nuntiantur protinus hæc Reginæ. Adprehenditur Modestus, torquetur, flagellatur: & in vincula compactus, custodiæ deputatur. Cúmque inter duos custodes catenis & cippo teneretur vinctus, media nocte dormientibus custodibus, orationem fudit ad Dominum, vt dignaretur eius potentia miserum visitare: & qui innocens colligatus fuerat visitatione Martini Præsulis ac Medardi absolueretur. Mox disruptis vinculis, confracto cippo, reserato ostio, sancti Medardi Basilicam nocte nobis vigilantibus introiuit. Congregati igitur apud Brennacum villam Episcopi, in vnam domum residere iussi sunt. Dehinc adueniente Rege, data omnibus salutatione, ac benedictione accepta, resedit. Tunc Bertchramnus Burdegalensis ciuitatis Episcopus, cui hoc cum Regina crimen impactum fuerat, causam proponit, méque interpellat, dicens, à me sibi ac Reginæ crimen obiectum. Negaui ego in veritate me hæc locutum, & audisse quidem hæc alios, me non excogitasse. Nam extra domum rumor in populo magnus erat dicentium: Cur hæc super Sacerdotē Dei obiiciuntur? cur alia Rex prosequitur? Nunquid potuit Episcopus talia dicere vel de seruo? Heu! heu! Domine Deus, largire auxilium seruo tuo. Rex autem dicebat: Crimen vxoris meæ, meum habetur obprobrium. Si ergo censetis vt super Episcopū testes adhibeantur, ecce adsunt. Certè si videtur vt hæc non fiant, & in fidē Episcopi cōmittantur, dicite: libenter audiam quæ iubetis. Mirati sunt omnes Regis prudentiā, vel patientiam simul. Tunc cunctis dicentib.; Non potest persona inferior super Sacerdotē credi, restitit ad hoc causa, vt dictis Missis, in tribus altarib. me de his verbis exuerē sacramēto. Et licèt Canonibus essent contraria, pro causa tamen Regis impleta sunt. Sed nec hoc sileo, quòd RIGVNTHIS Regina condolens

GVNTHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

doloribus meis, ieiunium cum omni domo sua celebrauit, quousque puer nunciaret, me omnia sic impleſſe, vt fuerant instituta. Igitur regreſſi Sacerdotes ad Regem, aiunt; Impleta ſunt omnia ab Epiſcopo, quæ imperata ſunt, ô Rex: quid nunc ad te, niſi vt cum Bertchramno accuſatore fratris communione priueris? Et ille, Non inquit, ego niſi audita narraui. Quærentibus illis, Quis hæc dixerit? reſpondit, Se hæc à Leudaſte audiſſe. Ille autem ſecundum infirmitatem vel conſilij, vel propoſitionis ſuæ, iam fugam inierat. Tunc placuit omnibus Sacerdotibus, vt ſator ſcandali, inficiator Reginæ, accuſator Epiſcopi, ab omnibus arceretur Eccleſiis, eò quòd ſe ab audientia ſubtraxiſſet. Vnde & Epiſtolam ſubſcriptam aliis Epiſcopis, qui non adfuerant, tranſmiſerunt. Et ſic vnuſquiſque in locum ſuum regreſſus eſt. Leudaſtes verò hæc audiens, Baſilicam ſancti Petri Pariſius expetiit. Sed cùm audiſſet edictum Regis, vt in ſuo Regno à nullo colligeretur: & præſertim quòd filius eius, quem domi reliquerat, obiiſſet, Turonis occulte veniens, quæ optima habuit in Biturico, tranſpoſuit. Proſequentibus verò regalibus pueris, ipſe per fugam labitur. Capta quoque vxor eius, in pagum Tornacenſem exilio retruditur. At Riculfus Clericus ad interficiendum deputatur: pro cuius vita vix obtinui. tamen de tormentis excuſare non potui. Nam nulla res, nullum metallum, tanta verbera potuit ſuſtinere, ſicut hic miſerrimus. Ab hora tertia diei, reuinctis poſt tergum manibus, ſuſpenſus ad arborem dependebat: ad horam verò nonam depoſitus, extenſus ad trocleas, cædebatur fuſtibus, virgis, ac loris duplicibus, & non ab vno vel duobus, ſed quot accedere circa miſeros potuiſſent artus, tot cæſores erant. Cùm autem iam in diſcrimine eſſet, tunc aperuit veritatem, & arcana doli publicè patefecit. Dicebat enim ob hoc Reginæ crimen obiectum, vt eiecta de Regno, interfectis fratribus & patre, Chlodoueus Regnum acciperet, Leudaſtes Ducatum: Riculfus verò Preſbyter, qui iam à tempore beati Eufronij Epiſcopi amicus erat Chlodouei, Epiſcopatum Turonicum ambiret, huic Riculfo Clerico Archidiaconatu promiſſo. Nos verò cum Dei gratia Turonis reuerſi, inuenimus Eccleſiam conturbatã per Riculfum Preſbyterum. Nam hic ſub Eufronio Epiſcopo de pauperibus prouocatus, Archidiaconus ordinatus eſt. Exinde ad Preſbyterium admotus, receſſit ad propria, ſemper elatus, inflatus, præſumptuoſus. Nam me adhuc commorante cum Rege, hic quaſi iam eſſet Epiſcopus, in domum Eccleſiæ ingreditur impudenter, argentum deſcribit Eccleſiæ, reliquáſq; res ſub ſuam redigit poteſtatẽ. Maiores Clericos muneribus ditat, largitur vineas, prata diſtribuit: minores verò fuſtibus plagíſq; multis, etiã manu propria adfecit, dicens; Recognoſcite dominũ veſtrum, qui victoriam de inimicis obtinuit, cuius ingenium Turonicam vrbem ab Aruernis populis emendauit. Ignorans miſer, quòd præter quinque Epiſcopos, reliqui omnes qui Sacerdotium Turonicum ſuſceperunt, parentum noſtrorum proſapiæ ſunt coniuncti. Illud ſæpè ſuis familiaribus dicere erat ſolitus, Quòd hominem prudentem non aliter niſi in periuriis quis decipere poſſit. Sed cùm me reuerſum adhuc deſpiceret, nec ad ſalutationem meam ſicut reliqui ciues fecerãt, adueniret, ſed magis me interficere minitaretur, cum conſilio comprouincialium eum in Monaſterium remoueri præcipio. Cúmque ibidem arctiùs diſtringeretur, intercedentibus Felicis Epiſcopi miſſis, qui memoratæ cauſæ fautor extiterat, circumuento periuriis Abbate, fugâ elabitur, & vſque ad Felicem accedit Epiſcopum: eúmque ille ambienter colligit, quem execrari debuerat. Leudaſtes verò in Bituricum pergens, omnes theſauros, quos de ſpoliis pauperum detraxerat, ſecum tulit. Nec multò pòſt inruentibus Bituricis cum iudice loci ſuper eum, omne aurum argentúmque vel quod ſecum detulerat, abſtulerunt, nihil ei niſi quod ſuper ſe habuit relinquentes: ipſámque abſtuliſſent vitam, niſi fuga fuiſſet elapſus. Reſumptis dehinc viribus, cum aliquibus Turonicis iterum inruit ſuper prædones ſuos: interfectóque vno, aliqua de rebus ipſis recepit, & in Turonicum reuertitur. Audiens hæc Berulfus Dux, miſit pueros ſuos cum armorum adparatu, ad comprehendendum eum. Ille verò cernens ſe iam iámque capi, relictis rebus, Baſilicam ſancti Hilarij Pictauenſis expetiit. Berulfus verò Dux res captas Regi tranſmiſit. Leudaſtes enim egrediebatur de Baſilica, & inruens in domos diuerſorum, prædas publicas exercebat. Sed & in adulteriis ſæpè infrà ipſam ſanctam porticum deprehenſus eſt. Commota autem Regina, quòd ſcilicet locus Deo ſacratus taliter pollueretur, iuſſit eum à Baſilica ſancti eiici.

A Qui eiectus, ad hospites suos iterum in Bituricum expetit, deprecans se occuli ab eis. GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

L. Et licet de beati Saluij Episcopi conlocutione superiùs memorare debueram, sed quia mente excessit, esse sacrilegum non arbitror, si in posterum scribatur. Igitur cùm vale post Synodum memoratam Regi iam dicto, ad propria redire vellemus, non antè discedere placuit, nisi hunc virum libatis osculis linqueremus. Quem quæsitum in atrio Brinnacensis domus reperi. Cui dixi, quia iam eram ad propria rediturus. Tunc remoti paululum, dum hinc indè sermocinaremur, ait mihi, Vidésne super hoc tectum quæ ego suspicio? Cui ego, Video enim supertegulum, quod nuper Rex poni præcepit. Et ille, Aliud, inquit, non aspicis? Cui ego, Nihil aliud, inquam, video. Suspicabar enim quòd aliquid iocolariter loqueretur. Et adieci, Si tu aliquid magis cernis, enarra. At ille alta trahens suspiria ait, Video ego euaginatum iræ diuinæ gladium super domum hanc dependentem. Veruntamen non fefellit dictio Sacerdotem. Nam post dies viginti, duo filij Regis, quos superiùs mortuos scripsimus, obierunt.

Explicitus est Liber quintus, finitus in anno quinto Childeberti Regis.

B

GREGORII EPISCOPI TVRONENSIS HISTORIAE FRANCORVM LIBER SEXTVS.

Inchoatus ab anno sexto Childeberti Regis.

Capitvla Libri.

 A

I. ANNO igitur sexto Regni sui Childebertus Rex, reiecta pace Guntchramni Regis, cum Chilperico coniunctus est. Non post multum tempus Gogo moritur, in cuius locum Vuandelinus subrogatur. Mummolus à Regno Guntchramni fugâ dilabitur, & se infra murorum Auennicorum munitionem concludit. Apud Lugdunum Synodus Episcoporum coniungitur, diuersarum causarum altercationes incidens, negligentioresque iudicio damnans. Synodus ad Regem reuertitur, multa de fuga Mummoli Ducis, nonnulla de discordiis tractans.

II. INTEREA Legati Chilperici Regis, qui ante triennium ad Tiberium Imperatorem abierant, regressi sunt, non sine graui damno atque labore. Nam cùm Massiliensem portum propter Regum discordias adire ausi non essent, Agathen vrbem, quæ in Gothorum Regno sita est, aduenerunt. Sed priusquã littus adtingerent, nauis acta vento, impulsa terris in frusta minuitur. Legati verò cum pueris se in periculo cernentes, arreptis tabulis vix ripæ relati sunt, multis puerorũ amissis. C Sed plurimi euaserunt. Res autem, quas vndæ littori inuexerant, incolæ rapuerunt. Ex quibus quod melius fuit recipientes, ad Chilpericum Regem retulerunt. Multa tamen ex his Agathenses secum retinuerunt. Tunc ego Nouigentum villam, ad occursum Regis abieram: ibique nobis Rex missorium magnum, quod ex auro gemmisque fabricauerat in quinquaginta librarum pondere, ostendit, dicens: Ego hæc ad exornandam atque nobilitandam Francorum gentem feci. Sed & plurima adhuc, si vita comes fuerit, faciam. Aureos etiam singularum librarum pondere, quos Imperator misit, ostendit, habentes ab vna parte iconem Imperatoris pictam, & scriptum in circulo, TIBERII CONSTANTINI PERPETVI AVGVSTI. Ab alia verò parte habentes quadrigam & ascensorem, continentésque scriptum, GLORIA ROMANORVM. Multa autem & alia ornamenta, quæ à Legatis sunt exhibita, ostendit.

III. DENIQVE cùm apud eandem villam commoraretur, Egidius Remensis Episcopus cum primis Childeberti Proceribus in Legationem ad Chilpericum Regem venit. Ibique conlocutione facta, vt ablato Guntchramni Regis Regno, hi se coniungere debeant in pace, ait Chilpericus Rex; Filij mihi peccatis

A increſcentibus non remanſerunt, nec mihi nunc alius ſupereſt hæres, niſi fratris mei Sigiberti filius, id eſt Childebertus Rex. Ideóque in omnibus quæ laborare potuero, hic hæres exiſtat. Tantum dum aduixero, liceat mihi ſine ſcrupulo aut diſceptatione cuncta tenere. At illi gratias agentes, pactionibus ſubſcriptis ea quæ locuti fuerant firmauerunt, & ad Childebertum cum magnis muneribus ſunt regreſſi. Quibus diſcedentibus, Chilpericus Rex Leudoualdum Epiſcopum cum primis Regni ſui direxit. Qui dato ſuſceptóque de pace ſacramento, pactionibúſque firmatis, munerati regreſſi ſunt.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

IV. LVPVS verò Dux Campanenſis, cùm iam diu à diuerſis fatigaretur & ſpoliaretur aſſiduè, & præſertim ab Vrſione & Bertefredo *, [illegible] extremum conuentione facta vt occideretur, commouerunt exercitum contra eum. Quod cernens Brunichildis Regina, condolens fidelis ſui inſecutiones iniuſtas, præcingens ſe viriliter, inrupit medios hoſtium cuneos, dicens; Nolite, ô viri, nolite malum hoc facere, nolite perſequi innocẽtem. Nolite pro vno homine committere prælium, quo ſolatium regionis intereat. Hæc illa loquente, reſpondit Vrſio: Recede à nobis, ô mulier, ſufficiat tibi ſub viro tenuiſſe Regnum. Nunc autem filius tuus regnat, Regnúmque eius non tua, ſed noſtra tuitione ſaluatur. Tu verò recede à nobis, ne te vngulæ equorum noſtrorum cum terra confodiant. Hæc & alia cùm diutiſſimè inter ſe protuliſſent, obtinuit Reginæ induſtria ne pugnarent. Tamen ab illo loco diſcedentes, inruerunt in domos Lupi. Et direpto omni

B præſidio, fingentes ſe illud in theſauro Regis recondere, ſuis eum domibus intulerunt. intendentes Lupo minas, atque dicentes: Viuus virtutem noſtram non euadet. At ille cernens ſe in diſcrimine, tutata infra vrbis Lugduni clauati muros coniuge ſua, ad Guntchramnum Regem confugit. A quo benignè ſuſceptus, cum eo latuit, expectans vt Childebertus ad legitimam perueniret ætatem.

*al. Berahtfrido,

V. IGITVR Chilpericus Rex, cùm adhuc apud ſupradictam villam moraretur, impedimenta moueri præcipiens, Pariſius venire diſponit. Ad quem cùm iam vale dicturus accederem, Iudæus quidam Priſcus nomine, qui ei ad ſpecies coemendas familiaris erat, aduenit. Cuius cæſarie Rex blandè adprehenſa manu, ait ad me, dicens: Veni, Sacerdos Dei, & impone manum ſuper eum. Illo autem renitente, ait Rex; O mens dura, & generatio ſemper incredula, quæ non intelligit Dei filium ſibi Prophetarum vocibus repromiſſum: non intelligit Eccleſiaſtica myſteria in ſuis ſacrificiis figurata. Hæc eo dicente, Iudæus ait; Deus non eget coniugio, neque prole ditatur, neque vllum conſortem regni habere patitur, qui per Moyſen ait: *Videte, videte, quia ego ſum Dominus, & abſque me non eſt Deus. Ego occidam, & viuere faciam: percutiam, & ego ſanabo.* Ad hæc Rex ait: Deus ab ſpiritali vtero Filium genuit ſempiternum, non ætate iuniorem, non poteſtate minorem. De quo ipſe ait, *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Hunc ergo ante ſecula natum, in nouiſſimis ſeculis mundo miſit ſanatorem, ſicut ait

C Propheta tuus; *Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos.* Quod autem ais, quia ipſe non generet, audi Prophetam tuum dicentem ex voce Dominica: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam?* Hæc enim de populo, qui in eum per fidem renaſcitur, ait. Ad hæc Iudæus reſpondit, Nunquid Deus homo fieri potuit, aut de muliere naſci? verberibus ſubdi? morte damnari? Ad hæc Rege tacente, in medium me ingerens dixi: Vt Deus Dei filius homo fieret, non ſuæ, ſed noſtræ neceſſitatis extitit cauſa. Nam captiuum peccato hominem, & diaboli ſeruitute ſubiectum redimere non potuerat, niſi hominem adſumpſiſſet. Ego verò non de Euangeliis & Apoſtolo quæ non credis, ſed de tuis libris teſtimonia præbens, proprio te mucrone confodiam, ſicut quondam Dauid Goliam legitur trucidaſſe. Igitur quod Deus homo futurus eſſet, audi Prophetam tuum: *Et Deus, inquit, & homo, & quis cognouit eum?* Et alibi: *Hic Deus noſter, & non reputabitur alius præter eum, qui inuenit omnem viam ſcientiæ, & dedit illam Iacob puero ſuo, Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt & cum hominibus conuerſatus eſt.* Quod autem de Virgine naſcitur, audi ſimiliter Prophetam tuum dicentem; *Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus.* Quòd verberibus ſubdi, quòd clauis adfigi deberet, & aliis iniuriis vel ſubiacere, vel adfici, alius Propheta ait: *Foderunt manus meas*

& pedes meos: diuiserunt sibi vestimenta mea, &c. Et iterum, *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Et quod per ipsum crucis patibulum labentem mundum & diaboli ditioni subiectum restitueret in regno suo, idem Dauid ait; *Dominus regnauit à ligno.* Non quòd antea non regnauerit apud Patrem, sed super populum, quem à diaboli seruitute liberauerat, rude regnum accepit. Iudæus ad hæc respondit: Quæ Deo fuit necessitas, vt ista pateretur? Cui ego, Iam dixi tibi. Deus hominem creauit innoxium, sed astu serpentis circumscriptus, præuaricator præcepti factus est: & ideo à sede Paradisi eiectus, mundanis laboribus deputatus est. Qui per mortem vnigeniti Dei Christi, Deo reconciliatus est Pat[illegible] Iudæus dixit, Non poterat Deus mittere Prophetas aut Apostolos, qui eum ad viam reuocarent salutis, nisi ipse humiliatus fuisset in carne? Ad hæc ego: A principio genus semper deliquit humanum: quem nunquam terruit nec submersio diluuij, nec incendium Sodomæ, nec plagæ Ægypti, nec miraculum maris Iordanisque diuisi. Qui semper legi Dei restitit, Prophetis non credidit: & non solùm non credidit, verùm etiam ipsos prædicatores pœnitentiæ interemit. Ideo nisi ipse ad eum descendisset redimere, hæc explere non poterat alter. Cuius nos natiuitate renati, baptismo abluti, vulnere curati, resurrectione erecti, ascensione glorificati sumus. Quòd autem morbis nostris mederi venturus erat, Propheta tuus ait: *Liuore eius sanati sumus.* Et alibi, *Ipse peccata nostra portabit, & orabit pro transgressoribus.* Et iterum, *Sicut ouis ad occisionem ductus est: & quasi agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. In humiliatione iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit? Dominus exercituum nomen eius.* De hoc & Iacob ille, de cuius te iactas venisse generatione, in illa filij sui Iudæ benedictione, quasi ad ipsum Christum filium Dei loquens, ait; *Adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda. de germine fili mi ascendisti, recubans dormisti quasi leo, quasi catulus leonis. Quis suscitabit eum? Pulchriores oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.* Quis, inquit, suscitabit eum? Et licèt ipse dixerit, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam,* tamen Paulus Apostolus ait: *Qui non crediderit, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus esse non poterit.* Hæc & alia nobis dicentibus, nunquam compunctus est miser ad credendum. Tunc Rex silente illo, cùm videret eum his sermonibus non compungi, ad me conuersus, postulat vt accepta benedictione discederet. Ait enim, Dicam, inquit, tibi, ô Sacerdos, quod Iacob dixit ad Angelum qui ei loquebatur; *Non dimittam te nisi benedixeris mihi.* Et hæc dicens, aquam manibus porrigi iubet. Quibus ablutis, facta oratione, accepto pane, gratias Deo agentes, & ipsi accepimus, & Regi porreximus. Haustóque mero, vale dicentes, discessimus. Rex verò ascenso equo Parisius est regressus, cum coniuge & filia, & omni familia sua.

VI. FVIT autem apud vrbem Nicensem eo tempore Hospitius reclausus magnæ abstinentiæ, qui constrictus catenis ad purum corpus ferreis, induto desuper cilicio, nihil aliud quàm purum panem cum paucis dactylis comedebat. In diebus autem Quadragesimæ, de radicibus herbarum Ægyptiarum, quibus Eremitæ vtuntur, exhibentibus sibi negociatoribus alebatur. Et primùm quidem ius, in quo coxerant, hauriens, ipsas sumebat in posterum. Magnas enim per eum Dominus virtutes dignatus est operari. Nam quodam tempore reuelante sibi Spiritu sancto aduentum Longobardorum in Gallias, hoc modo prædixit: Venient, inquit, Longobardi in Gallias, & deuastabunt ciuitates septem, eo quòd increuerit malitia eorum in conspectu Domini: quia nullus est intelligens, nullus est qui faciat bonum, quo ira Dei placetur. Est enim omnis populus infidelis, periuriis deditus, furtis obnoxius: in homicidiis promptus, à quibus nullus iustitiæ fructus vllatenus gliscit. Non decimæ dantur, non pauper alitur, non tegitur nudus, non peregrinus hospitio recipitur, aut cibo sufficienti satiatur. Ideo hæc plaga superuenit. Nunc autem dico vobis, Congerite omnem substantiam vestram intra murorum septa, ne à Longobardis diripiatur: & vosipsos in locis firmissimis communite. Hæc eo loquente, omnes obstupefacti, & vale dicentes, cum magna admiratione ad propria sunt regressi. Monachis quoque dixit; Abscedite & vos à loco, auferentes vobiscum quæ habetis. Ecce enim appropinquat gens, quam prædixi. Dicentibus autem illis, Non relinquimus te

A sanctissime Pater, ait. Nolite timere pro me. Futurum est enim, vt inferant mihi iniurias, sed non nocebunt vsque ad mortem. Discedentibus autem Monachis, venit gens illa: & dum cuncta quæ reperit vastat, peruenit ad locum vbi sanctus Dei reclausus erat. At ille per fenestram turris ostendit se eis. Illi verò circumeuntes turrem, aditum, per quem ingrederentur ad eum, inuenire non poterant. Tunc duo ascendentes detexerunt tectum, & videntes eum cinctum catenis, indutúmque cilicio, dicunt; Hic malefactor est, & homicidium fecit; ideo in his ligaminibus vinctus tenetur. Vocatóque interprete, sciscitantur ab eo, Quid mali fecerit, vt tali supplicio arctaretur. At ille fatetur, se homicidam esse, omnisque criminis reum. Tunc vnus extracto gladio, vt in caput eius libraret, dextera in ipso ictu suspensa diriguit, nec eam ad se potuit reuocare. Tunc gladium laxans, terræ deiecit. Hæc videntes socij eius, clamorem in cœlum dederunt, flagitantes à sancto, vt quid agi oporteret, clementer insinuaret. Ipse verò imposito salutis signo, brachium sanitati restituit. Ille autem in eodem loco conuersus tonsurato capite fidelissimus Monachus nunc habetur. Duo verò Duces, qui eum audierunt, incolumes patriæ redditi sunt. Qui verò contempserunt præceptum eius, miserabiliter in ipsa Prouincia sunt defuncti. Multi autem ex ipsis à dæmoniis correpti, clamabant: Cur nos sancte & beatissime sic crucias & incendis? Sed imposita eis manu, mundabat eos. Post hæc homo erat Andegauensis

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

B incola, qui per nimiam febrem eloquium pariter auditúmque perdiderat. Et cùm de febre conualuisset, surdus permanebat ac mutus. Igitur Diaconus ex Prouincia illa Romam directus est, vt beatorum Apostolorum pignora, vel reliquorum Sanctorum, qui vrbem illam muniunt, exhiberet. Qui cùm ad parentes infirmi illius peruenisset, rogant vt eum sibi comitem itineris sumere dignaretur: confisi quòd si beatissimorum Apostolorum adiret sepulchra, protinus posset adsequi medicinam. Euntibus autem illis, venerunt ad locum vbi beatus Hospitius habitabat. Quo salutato ac deosculato, causas itineris Diaconus pandit, ac proficisci se Romam indicat, seséque his qui sancto viro de naucleris amici essent commendari deposcit. Cúmque ibi adhuc moraretur, sensit vir beatus per Spiritum Domini adesse virtutem. Et ait Diacono; Infirmum, qui comes tui nunc est itineris, rogo vt meis conspectibus repræsentes. At ille nihil moratus, velociter ad metatum vadit, inuenitque infirmum febre plenum, qui per nutum aures suas dare tinnitum indicabat. Adprehensúmque ducit ad sanctum Dei. At ille adprehensa manu cæsarie, adtraxit caput illius in fenestram, assumptóque oleo benedictione sanctificato, tenens manu sinistra linguam eius, ori verticique capitis infudit, dicens: In nomine Domini mei Iesu Christi aperiantur aures tuæ, reserétque os tuum virtus illa quæ quondam ab homine surdo & muto noxium eiecit dæmonium. Et hæc dicens, interrogat nomen. Ille verò clara

C voce ait, Pir dicor. Cùm hæc vidisset Diaconus, ait: Gratias tibi immensas refero Christe, qui talia per seruum tuum dignaris ostendere. Quærebam Petrum, quærebam Paulum, Laurentiúmque, vel reliquos qui Romam proprio cruore inlustrant: hîc omnes reperi, hîc cunctos inueni. Hæc eo cum maximo fletu & admiratione dicente, vir Dei omni intentione vanam vitans gloriam, ait: Sile, sile, dilectissime frater, non hæc ego facio, sed ille qui mundum ex nihilo condidit: qui pro nobis hominem suscipiens, cæcis visum, surdis auditum, mutis præstat eloquium. Qui leprosis cutem pristinam, mortuis vitam, & omnibus infirmis adfluentem medicinam indulget. Tunc Diaconus gaudens, & vale dicens, abscessit cum comitibus suis. Quibus discedentibus, homo quidam Dominicus (sic enim erat viro nomen) à natiuitate cæcus, aduenit ad istius miraculi virtutem probandam. Qui dum in Monasterio duobus aut tribus mensibus resideret, orationi ac ieiuniis vacans, tandem vocat eum ad se vir Dei, & ait: Vis recipere visum? Cui ille ait, Voluntas, inquit, mea erat, ignota cognoscere. Nam quæ sit lux ignoro. Vnum tantum scio, quòd ab omnibus conlaudatur. Ego autem ab initio ætatis meæ vsque nunc videre non merui. Tunc cum oleo benedicto super oculos eius crucem sanctam faciens, ait: In nomine Iesu Christi Redemptoris nostri, aperiantur oculi tui. Et statim aperti sunt oculi eius: & erat admirans, cernénsque magnalia Dei quæ in hoc mundo videbat. Dehinc mulier quædam, quæ, vt ipsa reclamabat, tria habebat dæmonia, ad eum adducta est. Quam

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

cùm tactu sacro benedixisset, atque ex oleo sancto crucem fronti eius imposuisset, eiectis dæmonibus purgata discessit. Sed & aliam puellam ab spiritu immundo vexatam benedictione sanauit. Cùm autem iam dies obitus eius adpropinquaret, vocauit ad se Præpositum Monasterij, dicens: Exhibe ferramentum, & inrumpe parietem, & mitte nuncios ad Episcopum ciuitatis, vt veniat ad me sepeliendum. Die enim tertia ab hoc egredior mundo, & vado in requiem destinatam, quam mihi Dominus repromisit. Hæc eo dicente, misit Præpositus ad Episcopum ciuitatis Nicensis, qui ei hæc nunciarent. Post hæc Crescens quidam venit ad fenestram, & videns eum catenis vinctum, vermibus plenum, ait: O domine mi, qualiter tam valida tormenta tolerare tam fortiter potes? Cui ille ait, Confortat me ille, pro cuius nomine hæc patior. Dico autem tibi, quia iam absoluor ab his vinculis, & vado in requiem meam. Adueniente autem die tertia, deposuit catenas quibus vinctus erat, prostrauit se in orationem. Et cùm diutissimè cum lachrimis orasset, conlocans se super scamnum, extensis pedibus, eleuatisque ad cœlum manibus, gratias agens Deo, tradidit spiritum. Et statim omnes vermes illi, qui sanctos artus perforabant, euanuerunt. Adueniens autem Austadius Episcopus, beatum corpus studiosissimè sepulturæ mandauit. Hæc omnia ab ipsius ore cognoui, quem superiùs mutum & surdum ab eo sanatum exposui. Qui multa mihi & alia de eius virtutibus narrauit. Sed prohibuit me res illa loqui, quia audiui Vitam ipsius à multis fuisse conscriptam.

VII. Eo tempore Ferreolus Vcecensis Episcopus, magnæ vir sanctitatis, obiit, plenus sapientia & intellectu. Qui Libros aliquos Epistolarum, quasi Sidonium secutus, composuit. Post cuius obitum, Albinus ex Præfecto per Dinamium Rectorem Prouinciæ extra Regis consilium suscepit Episcopatum. Quo non amplius quàm tribus vtens mensibus, cùm ad hoc causa restitisset, vt remoueretur, defunctus est. Iouinus iterum, qui quondam Prouinciæ Rector fuerat, regium de Episcopatu præceptum accipit. Sed præuenit eum Marcellus Diaconus, Felicis Senatoris filius. Qui conuocatis comprouincialibus, per consilium Dinamij Episcopus ordinatus est. Sed & ipse vi pulsatus, deinceps à Iouino, vt remoueretur, conclusus in ciuitate, virtute se defensare nitebatur. sed cùm non valeret, muneribus vicit.

VIII. OBIIT & Eparchius reclausus Egolismensis, vir magnificæ sanctitatis, per quem Deus multa miracula ostendit: de quibus relictis plurimis, pauca perstringam. Petrogoricæ vrbis incola fuit, sed post conuersionem Clericus factus, Egolismam veniens, Cellulam sibi ædificauit. In qua collectis paucis Monachis, in oratione morabatur assiduè: & si ei aliquid auri argentique offerebatur, aut in necessitatibus pauperum, aut in redemptione captiuorum distribuebat. Panis in Cellula illa eo viuente coctus nunquam fuit, sed à deuotis, cùm necessitas exegisset, inferebatur. Magnam enim cateruam populorum de oblationibus deuotorum redemit: pusularum malarum venenum crucis signo sæpè compressit: dæmonas de obsessis corporibus oratione abegit: & Iudicibus plerumque vt culpabilibus ignoscerent, dulcedine profusa imperauit potiùs quàm rogauit. Nam ita erat dulcis adloquio, vt ei negare non possent, cùm fuisset indulgentiam deprecatus. Quodam verò tempore, dum pro furto quis ad pendendum deduceretur, qui & in aliis multis sceleribus tam in furtis, quàm in homicidiis accusabatur ab incolis criminosiùs, & hæc ei nunciata fuissent: misit Monachum suum ad deprecandum Iudicem, vt scilicet culpabilis ille vitæ concederetur. Sed insultante vulgo atque vociferante, quòd si hic dimitteretur, neque regioni, neque Iudici possit esse consultum, dimitti non potuit. In terra extenditur, ad trocleas virgis ac fustibus cæditur, & patibulo condemnatur. Cúmque mœstus Monachus Abbati renunciasset, Vade, inquit, adtende à longe, quia scito quòd quem homo reddere noluit, Dominus suo munere donabit. Tu verò cùm eum cadere videris, protinus adprehensum adducito in Monasterium. Monacho verò iussa complente, ille prosternitur in oratione: & tam diu in lachrimis ad Dominum fudit preces, quoadusque disrupto obice cum catenis terræ restitueretur adpensus. Tunc Monachus adprehensum eum, Abbatis conspectibus incolumem repræsentat. At ille gratias Deo agens, Comitem arcessiri iubet, dicens: Semper me benigno animo solitus eras audire, fili dilectissime. Et cur hodie induratus,

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

A hominem, pro cuius vita rogaueram, non laxasti? At ille, Libenter te, inquit, audio, sancte Sacerdos. Sed insurgente vulgo, aliud facere non potui, timens super me seditionem moueri. Et ille, Tu, inquit, me non audisti, Deus autem audire dignatus est: & quem tu tradidisti morti, ille vitæ restituit. En, inquit, coram te adstat sanus. Hæc eo dicente, prosternitur ad pedes Comitis stupentis, quòd videbat viuere quem in mortis interitu reliquisset. Hæc ego ab ipsius Comitis ore cognoui. Sed & alia multa fecit, quæ insequi longum putaui. Post quadraginta quatuor verò annos reclusionis suæ parumper febre pulsatus, tradidit spiritum. Protractúsque à Cellula, sepulturæ mandatus est. Magnus autem conuentus (vt diximus) de redemptis, in eius processit exequiis.

IX. DOMNOLVS verò Cenomannorum Episcopus ægrotare cœpit. Tempore enim Chlotharij Regis apud Parisius ad Basilicam sancti Laurentij gregi Monasteriali præfuerat. Sed quoniam Childeberto seniore viuente semper Chlothario Regi fidelis extitit, & nuncios illius ad speculandum missos crebriùs occulebat, præstolabatur Rex locum, in quo Pontificatus honorem acciperet. Migrante autem Auenniensis ciuitatis Pontifice, istum illuc dare deliberauerat. Sed beatus Domnolus hæc audiens, ad Basilicam sancti Martini Antistitis, quò tunc Chlotharius Rex ad orationem venerat, accessit: & nocte tota in vigiliis excubans, per priores qui aderant Regi suggestionem intulit, vt non quasi captiuus ab eius elongaretur aspectu: nec permitteret simplicitatem illius inter Senato-
B res sophisticos ac Iudices philosophicos fatigari, adserens hunc locum humilitatis sibi esse potiùs, quàm honoris. Ad hæc Rex annuens, migrante Innocentio Cenomannorum Episcopo, ipsum Ecclesiæ illi Antistitem destinauit. Iam adsumpto Episcopatu, talem se tantúmque præbuit, vt in summæ sanctitatis culmen euectus, debili vsum gressuum, cæco restitueret visum. Qui post viginti duos Episcopatus annos, dum se cerneret morbo regio calculóque grauissimè fatigari, Theodulfum Abbatem in locum suum prælegit. Cuius adsensui Rex præbuit voluntatem. Sed non multum post tempus mutata sententia, in Badegisilum domus regiæ Maiorem transfertur electio. Qui tonsuratus, gradus quos Clerici sortiuntur ascendens, post quadraginta dies migrante Sacerdote successit.

X. HIS diebus Basilica sancti Martini à furibus effracta fuit. Qui ponentes ad fenestram absidæ cancellum, qui super tumulum cuiusdam defuncti erat, ascendentes per eum, effracta vitrea sunt ingressi. Auferentésque multum auri argentique, & palliorum holosericorum, abierunt: non metuentes super sanctum sepulchrum pedem ponere, vbi vix vel os adplicare præsumimus. Sed virtus Sancti voluit hanc temeritatem etiam cum iudicio manifestare terribili. Nam hi perpetrato scelere ad Burdegalensem ciuitatem venientes, orto scandalo, vnus alterum interemit. Sicque patefacto opere, furtum repertum est; ac de hospitali eorum argentum communitum, & pallia sunt extracta. Quod cùm Regi Chil-
C perico nunciatum fuisset, iussit eos alligari vinculis, & suo conspectui præsentari. Tunc ego metuens, ne ob illius causam homines morerentur, qui viuens in corpore pro perditorum vita sæpiùs deprecatus est, Epistolam Regi precationis transmisi, ne nobis non accusantibus, ad quos prosecutio pertinebat, hi interficerentur. Quod ille benignè suscipiens, vitæ restituit. Species verò, quæ dissipatæ fuerant, studiosissimè componens, loco sancto reddi præcepit.

XI. APVD Massiliensem verò vrbem Dinamius Rector Prouinciæ, grauiter insidiari Theodoro Episcopo cœpit. At ille ad Regem properare disponens, comprehensus ab eo, in medio ciuitatis tenetur: & grauiter iniuriatus, tandem laxatus est. Clerici autem Massilienses dolum cum Dinamio moliebantur, vt ab Episcopatu eiiceretur. Sed dum ad Regem Childebertum ambularet, cum Iouino Expræfecto à Guntchramno Rege detineri iubetur. Quod audientes Massilienses Clerici, gaudio magno repleti, quòd iam teneretur, iam deputaretur exilio, quòd iam in hoc res perstitisset, vt nunquam Massiliam reuerteretur, domos Ecclesiæ adprehendunt, ministeria describunt, regestoria reserant, promptuaria expoliant, omnésque res Ecclesiæ tanquam si iam mortuus esset Episcopus, peruadunt. diuersa crimina de Pontifice proloquentes, quæ falsa, Christo auspice, deprehendit. Childebertus verò postquàm cum Chilperico pacificatus

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

est, Legatos ad Guntchramnum Regem mittit, vt medietatem Massiliæ, quam ei post obitum patris sui dederat, reddere deberet. Quod si nollet, nouerit se multa perditurum pro partis istius retentione. Sed ille cùm hæc reddere nollet, vias claudi præcepit, vt nulli per Regnum eius transeundi aditus panderetur. Hæc cernens Childebertus, Gundulfum ex domestico Ducem factum, de genere Senatorio, Massiliam dirigit. Qui cùm non auderet ambulare iam per Guntchramni Regnum, Turonis venit. Quem benignè susceptum, recognosco matris meæ auunculum esse; retentúmque mecum quinque diebus, impositisque necessariis, abire permisi. Ille verò progressus, Massiliam ingredi, obsistente Dinamio non valebat. Sed nec Episcopus, qui iam tunc cum Gundulfo venerat, in Ecclesia sua recipiebatur. Dinamius autem vnà cum Clericis portas obserat vrbis, insultans pariter, ac vtrumque despiciens, Episcopum scilicet & Gundulfum. Tandem ad colloquium Ducis adscitus, in Basilicam beati Stephani, quæ vrbi est proxima, venit. Ostiarij enim custodiebant ædis ingressum, vt introeunte Dinamio, valuæ protinus clauderentur. Quo facto, exclusæ armatorum turbæ post Dinamium ingredi nequiuerunt. Quo non intelligente, dum diuersa inter se super altarium conferunt, recedentes ab altario, salutatorium ingrediuntur. Introeuntem cum his Dinamium, nudatúmque iam à suorum solatio terribiliter increpant. Fugatisque satellitibus, qui cum armis eo adducto circumstrepebant, seniores ciuium ad se Dux vnà cum Episcopo collegit, vt ciuitatem ingrederetur. Tunc Dinamius hæc omnia cernens, veniam petens, datis Duci multis muneribus, reddito etiam sacramento, se fidelem Episcopo deinceps Regique futurum, suis induitur indumentis. Tunc reseratis tam portarum quàm sacrarum ædium valuis, ingrediuntur vtrique ciuitatem, Dux scilicet & Episcopus, cum signis & laudibus, diuersisque honorum vexillis. Clerici autem, qui sceleri huic mixti fuerant, quorum caput Anastasius Abbas & Proculus Presbyter erant, intra Dinamij tecta confugiunt, petentes ab eo opem refugij, à quo fuerant incitati. Multi tamen eorum per idoneos fideiussores dimissi, ad Regem iussi sunt ambulare. Interea Gundulfus subiugata ciuitate in Childeberti Regis ditionem, restitutóque in locum suum Antistite, ad Regem Childebertum regressus est. Sed Dinamius immemor fidei, quam Childeberto Regi promiserat, ad Guntchramnum Regem nuncios dirigit, dicens: Quod partem sibi
» debitam ciuitatis per Episcopum perderet, nec vnquam Massiliensem vrbem
» suo potiretur dominio, nisi hic euellatur ab ea. At ille ira commotus, iubet contra fas religionis, vt Pontifex summi Dei arctatus vinculis sibi exhiberetur, di-
» cens: Trudatur exilio inimicus Regni nostri, ne nobis nocere amplius valeat. Sed cùm Episcopus de his suspectus esset, nec facilè posset ab vrbe erui, aduenit festiuitas dedicationis Oratorij ruris suburbani. Cúmque ad hæc festa egressus ciuitatem properaret, subitò armati cum magno fremitu ab occultis insidiis scatentes, sanctum vallant Antistitem: deiectúmque ab equo, fugant omnes comites eius, seruientes alligant, Clericos cædunt, ipsúmque super miserabilem imponentes caballum, nullum de suis sequi permittentes, ad Regis deducunt præsentiam. Cúmque per Aquensem præterirent vrbem, Piencus Episcopus loci, condolens fratri, datis Clericis ad solatium, impositisque necessariis, abire permisit. Dum hæc agerentur, Clerici iterum Massilienses domos Ecclesiæ reserant, arcana rimantur, & alia describunt, alia suis domibus inferunt. Episcopus verò ad Regem deductus, nec culpabilis inuentus, ad ciuitatem suam redire permissus, cum grandi est à ciuibus laude susceptus. Ex hoc autem grauis inimicitia inter Guntchramnum Regem, & Childebertum nepotem suum exoritur: disruptóque fœdere sibi inuicem insidiabantur.

XII. IGITVR Chilpericus Rex cernens has discordias inter fratrem ac nepotem suum pullulare, Desiderium Ducem euocat, iubétque vt aliquid nequitiæ inferat fratri. At ille, commoto exercitu, Regnoualdo * Duce fugato, Petrogoricum peruadit. Exactóque sacramento, Aginnum pergit. Hæc audiens vxor Regnoualdi, quòd scilicet fugato viro suo, hæ ciuitates in potestatem Regis Chilperici redigerentur, Basilicam sancti Martyris Caprasij expetiit. Sed extracta exinde, & spoliata facultate ac solatio famulorum, datis fideiussoribus Tholosam dirigitur. Ibique iterum in Basilica sancti Saturnini ingressa residebat.

* al. Reginualdo

Desi-

A Desiderius verò cunctas ciuitates, quæ in parte illa ad Regem Guntchramnum aspiciebant, abstulit, & ditionibus Regis Chilperici subegit. Berulfus verò Dux, cùm Bituricas mussitare, quòd Turonicum terminum ingrederentur, audisset, exercitum commouet, & se in ipsos fines statuit. Grauiter tunc pagi Isiodorensis ac Berrauensis vrbis Turonicæ deuastati sunt. Sed & postea crudeliter, qui in hac obsidione adesse non poterant, sunt damnati. Bladastes verò Dux in Vasconiam abiit, maximámque partem exercitus sui amisit. GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

XIII. LVPVS verò vrbis Turonicæ ciuis, cùm vxore perdita ac liberis Clericatum expeteret, à fratre Ambrosio prohibitus est, timens ne hæredem institueret Dei Ecclesiam, si ei coniungeretur. Rursúmque illi vxorem prouidit, & diem in quo ad sponsalia donanda coniungerent, malè suasus frater indicit. Dehinc ad Cainonense castrum, vbi hospitium habebant, pariter aduenerunt. Sed vxor Ambrosij cùm esset adultera, & alium amore lupanario exoso marito diligeret, insidias viro tetendit. Cúmque hi germani pariter epularentur, & nocte vsque ad ebrietatem vino maduissent, in vno strato pariter quieuerunt. Tunc mœchus vxoris Ambrosij nocte veniens, quiescentibus cunctis, & vino depressis, accensis igne paleis, vt videret quid ageret, extracto gladio, Ambrosium in capite librat, ita vt descendens per oculos gladius, ceruical capitis amputaret. In quo ictu expergefactus Lupus, & se in sanguinem volutari decernens, exclamat voce magna dicens: Heu! heu! succurrite. frater meus interfectus est. Mœchus
B verò, qui iam perpetrato scelere discedebat, hæc audiens, regressus ad lectum, Lupum adit. Quo repugnante, multis plagis laceratum oppressit, & mortali ictu sauciatum, semiuiuum reliquit. Sed nullus de familia sensit. Mane autem facto, stupebant omnes de tanto scelere. Lupus tamen adhuc viuens inuentus, sicut actum fuerat referens, spiritum exhalauit. Sed nec longum meretrix lugendi sumpsit spatium: sed paucis diebus interpositis, coniuncta mœcho discessit.

XIV. ANNO igitur septimo Childeberti Regis, qui erat Chilperici & Guntchramni vicesimus & primus, mense Ianuario, pluuiæ, coruscationes, atque tonitrua grauia fuerunt. Flores in arboribus ostensi sunt. Stella, quam cometem superiùs nominaui, adparuit, ita vt in circuitu eius magna nigredo esset. Et illa tanquam in foramine aliquo posita, ita inter tenebras relucebat, scintillans, spargénsque comas. Prodibat autem ex ea radius miræ magnitudinis, qui tanquam fumus magnus incendij adparebat à longe. Visa est autem ad partem Occidentis in hora noctis prima. In die autem sancto Paschæ apud Suessionas ciuitatem cœlum ardere visum est, ita vt duo apparerent incendia. & vnum erat maius, aliud verò minus. Post duarum verò horarum spacium coniuncta sunt simul: factáque pharo * magna, euanuerunt. In Parisiaco verò termino, verus sanguis ex nube defluxit, & super vestimenta multorum hominum cecidit, & ita tabe maculauit, vt ipsi propria indumenta horrentes abnuerent. Tribus enim locis in termino ciuitatis illius hoc prodigium adparuit. In Siluanectensi verò
C territorio hominis cuiusdam domus, cùm ille mane surgeret, sanguine respersa abintus adparuit. Magna igitur eo anno lues in populo fuit, valitudines variæ, milinæ * cum pusulis & vesicis, quæ multum populum adfecerunt morte. Multi tamen adhibentes studium, euaserunt. Audiuimus enim eo anno in Narbonensem vrbem inguinarium morbum grauiter desæuire, ita vt nullum esset spacium, cùm homo correptus fuisset ab eo.

* al. factóque igni magno,

* al. malignæ

XV. FELIX verò Episcopus Namneticæ ciuitatis in hanc valetudinem corruens, grauiter ægrotare cœpit. Tunc vocatis ad se Episcopis qui propinqui erant, supplicat vt consensum, quem in Burgundionem nepotem suum fecerat, suis subscriptionibus roborarent. Quod cùm factum fuisset, eum ad me dirigunt. Erat tunc temporis Burgundio quasi annorum vigintiquinque. Qui veniens, rogat vt accedens vsque Namnetas, Episcopum eum in locum auunculi, qui adhuc superstes erat, tonsoratum consecrare deberem. Quod ego abnui, quia Canonibus non conuenire cognoui. Consilium tamen præbui, dicens: Habemus scriptum « in Canonibus, fili, Non posse quemquam ad Episcopatum accedere, nisi priùs « Ecclesiasticos gradus regulariter sortiatur. Tu ergo, dilectissime, reuertere illuc, « & pete vt ipse te qui elegit debeat tonsorare. Cúmque Presbyterij honorem ac- « ceperis, ad Ecclesiam assiduus esto. Et cùm eum Deus migrare voluerit, tunc «

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

facilè Episcopalem gradum ascendes. At ille regressus, consilium acceptum adimplere dissimulauit, eo quòd Felix Episcopus ab incommodo leuiùs agere videretur. Sed postquam febris discessit, tibiæ eius ab humore pusulas emiserunt. Tunc cantharedarum cataplasmam nimium validam ponens, computrescentibus tibiis, anno Episcopatus sui tricesimo tertio, ætate septuagenaria, vitam finiuit. Cui Nonnichius consobrinus, Rege ordinante, successit. A

XVI. AVDIENS autem Pappolenus eius obitum, neptem illius, de qua separatus fuerat, recepit. Ante hoc autem tempus desponsatam eam habuerat. Sed dissimulante de nuptiis Felice Episcopo, hic cum magna cohorte veniens, ab Oratorio puellam abstraxit, & in Basilicam beati Albini confugit. Tunc Felix Episcopus ira commotus, circumuentam puellam dolis, à marito separauit. Mutatáque veste, apud Vasatensem vrbem in Monasterio posuit. Sed illa occultos puero nuncios dirigit, vt scilicet eam ereptam à loco, in quo posita erat, acciperet. Quod ille non abnuens, adsumptam de Monasterio puellam suo coniugio copulauit, regalibúsque munitus præceptionibus, timere parentum distulit minas.

XVII. REX verò Chilpericus multos Iudæorum eo anno baptizari præcepit, ex quibus plures excepit è sancto lauacro. Nonnulli tamen eorum corpore tantùm, non corde abluti, ad ipsam, quam priùs perfidiam habuerant, Deum mentiti regressi sunt; ita vt & Sabbatum obseruare, & diem Dominicum honorare viderentur. Priscus verò ad cognoscendam veritatem nulla penitus potuit ratione deflecti. Tunc iratus Rex, iussit eum custodiæ mancipari, scilicet vt quem credere voluntariè non poterat, saltem credere faceret vel inuitum. Sed ille datis quibusdam muneribus, spatium postulat, donec filius eius Massiliensem Hebræam accipiat. Pollicetur dolosè se deinceps quæ Rex iusserat impleturum. Interea oritur intentio inter illum & Phatiren ex Iudæo conuersum, qui iam Regis filius erat ex lauacro. Cúmque die sabbati Priscus præcinctus orario, nullum in manus ferens ferramentum, Mosaicas leges quasi impleturus secretiora competeret, subito Phatir adueniens, ipsum gladio cum sociis qui aderant iugulauit. Quibus interfectis, ad Basilicam sancti Iuliani cum pueris suis, qui ad propinquam plateam erant, confugit. Cúmque ibidem residerent, audiunt, quòd Rex domino vitæ cesso*, famulos tanquam malefactores à Basilica tractos iuberet interfici. Tunc vnus ex his euaginato gladio, domino suo iam fugato, socios suos interficit. Ipse postmodum cum gladio de Basilica egressus: sed inruente super se populo, crudeliter interfectus est. Phatir autem accepta licentia, ad Regnum Guntchramni, vnde venerat, est regressus. Sed non post multos dies à parentibus Prisci interfectus est. B

*al. dominum illorum præcipiebat cædi, famulos verò

XVIII. IGITVR Legati Chilperici Regis, id est Ansoaldus* & Domigiselus, qui ad conspiciendam dotem in Hispanias fuerant missi, regressi sunt. His diebus Leuuichildus Rex in exercitu contra Hermenichildum filium suum residebat: cui & Emeritam ciuitatem abstulit. Nam hic qualiter cum Ducibus Imperatoris Tiberij fuerit coniunctus, iam superiùs exposuimus. Nam & Legatis hæc causa innexuit moras, vt tardiùs regrederentur. Quibus visis, ego sollicitus eram qualiter in ipsis Christianis, qui pauci in eo loco remanserant, fides Christi ferueret. Cui » hæc Ansoaldus respondit: Christiani, qui nunc apud Hispanias commorantur, » Catholicam fidem integrè seruant. Sed Rex nouo nunc ingenio eam nititur ex» turbare, dum dolosè & ad sepulchra Martyrum, & in Ecclesiis religionis nostræ » orare confingit. Dicit enim: Manifestè cognoui esse Christum Filium Dei æqua» lem Patri, sed Spiritum sanctum Deum penitus esse non credo, eo quòd in nullis » legatur codicibus Deus esse. Heu! heu! quàm iniquam sententiam, quàm venenosum sensum, quàm prauam mentem! Et vbi est illud quod Dominus ait, *Spiritus Deus est?* Et illud Petri, quod ad Ananiam ait, *Quid tibi visum est tentare Spiritum sanctum? Non es hominibus mentitus, sed Deo.* Vbi est & illud quòd Paulus mystica dona commemorans, ait: *Hæc enim operatur vnus atque idem spiritus, diuidens vnicuique prout vult.* Qui enim operatur quod vult, nulli cognoscitur esse subiectus. Accedente autem Ansoaldo ad Chilpericum Regem, Legatio Hispanorum est subsecuta. Quæ de Chilperico ad Childebertum accedens, in Hispanias est regressa. C

*al. Ansoualdus

XIX. APVD Pontem verò Vrbiensem ciuitatis Parisiacæ Chilpericus Rex custodes posuerat, vt insidiatores de Regno fratris sui, ne nocerent aliquid, arceren-

A tur. Quo Asclepius ex Duce præcognito, nocte inruẽs, interfecit omnes, pagúmque ponti proximum grauiter depopulatus est. Cúmque hæc Regi Chilperico nunciata fuissent, mittit nuncios Comitibus, Ducibúsque, & reliquis Agentibus, vt collecto exercitu in Regnum germani sui inruerent. Sed prohibitus est consilio bonorum, ne faceret, dicentium sibi: Illi peruersè egerunt, tu verò sapienter age. Mitte fratri nuncios, & si iniuriam tuam emendare voluerit, nihil mali queras: si verò noluerit, tractabis deinceps quid sequaris. Et sic ratione accepta prohibito exercitu Legationem fratri dirigit. Sed ille cuncta emendans, fratris quæsiuit integrè charitatem. GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

XX. Eo anno Chrodinus obiit, vir magnificæ bonitatis & pietatis, eleemosynarius valde, pauperúmque refector, profluus ditator Ecclesiarum, Clericorúmque nutritor. Nam sæpè à nouo fundans villas, ponens vineas, ædificans domos, culturas erigens, vocatis Episcopis, quorum erat parua facultas, dato epulo, ipsas domos cum cultoribus & culturis, cum argento, peristromatibus, vtensilibus, ministris & famulis, benignè distribuebat, dicens: Sint hæc Ecclesiæ data, vt dum de his pauperes reficiuntur, mihi veniam obtineant apud Deum. Multa autẽ & alia bona de hoc viro audiuimus, quæ insequi lõgum est. Transiit autem ætate septuagenaria*. *al. octuagenaria.

XXI. Hæc in hoc anno iteratò signa adparuerunt. Luna eclypsim passa est. Intra Turonicum territorium*, verus de effracto pane sanguis effluxit. Muri vrbis Suessionicæ corruerunt. Apud Andegauam vrbem terra tremuit. Infra muros verò Burdegalensis oppidi ingressi lupi canes deuorauerunt, nequaquam hominem metuentes. Per cœlum ignis discurrere visus est. Sed & Vasatensis ciuitas incendio concremata est, ita vt Ecclesiæ vel domus Ecclesiasticæ vastarentur. Ministerium tamen omne ereptum fuisse cognouimus. B *al. terminum,

XXII. Rex igitur Chilpericus peruasis ciuitatibus fratris sui, nouos Comites ordinat, & cuncta iubet sibi vrbium tributa deferri. Quod ita impletum fuisse cognouimus. His diebus adprehensi sunt duo homines à Nonnichio Lemouicinæ vrbis Comite, deferentes ex nomine Charterij Petrogoricæ vrbis Episcopi literas, quæ multa improperia loquebantur in Regem. In quibus inter reliqua erat insertum, quasi quereretur Sacerdos, se à paradiso ad inferos descendisse. Scilicet quòd à Regno Guntchramni in Chilperici fuerit ditiones commutatus. Has literas cum his hominibus iam dictis Comes sub ardua custodia Regi direxit. Rex verò patienter propter Episcopum mittit, quo eum suo conspectui præsentarent, discussurus vtique si vera essent quæ ei opponebantur, an non. Adueniente verò Episcopo, Rex homines illos cum literis repræsentat. Interrogat Sacerdotem, si ab eo directæ fuerint? Negat ille à se directas. Interrogantur verò homines, à quo eas acceperint. Frontonium Diaconum proferunt. Interrogatur de Diacono. Sacerdos respondit, sibi eum esse præcipuum inimicum, nec dubitari debere ipsius esse nequitias, qui contra eum sæpiùs causas commouisset iniquas. Adducitur Diaconus sine mora, interrogatur à Rege, confitetur super Episcopum dicens: Ego hanc Epistolam Episcopo iubente dictaui. Proclamante verò Episcopo, & dicente, quòd sæpiùs hic ingenia quæreret, qualiter eum ab Episcopatu deiiceret: Rex misericordia motus, commendans Deo causam suam, cessit vtrisque, deprecans clementer Episcopum pro Diacono, & supplicans vt pro se Sacerdos oraret. & sic cum honore vrbi remissus est. Post duos verò menses Nonnichius Comes, qui hoc scandalum seminauerat, sanguine percussus interiit. Résque eius, quia absque liberis erat, diuersis à Rege concessæ sunt. C

XXIII. Dehinc Chilperico Regi, post multa funera filiorum, filius nascitur. Ex hoc iubet Rex omnes custodias relaxari, vinctos absolui, compositionésque negligentum fisco debitas præcepit omnino non exigi. Sed magnum deinceps dolum hic intulit infans.

XXIV. Nova iterum contra Theodorum Episcopum bella consurgunt. Nam Gundobaldus, qui se filium Chlotharij Regis esse dicebat, de Constantinopoli veniens, Massiliam est aduectus. De cuius origine quædam strictim libuit memorare. Hic cùm natus esset in Galliis, & diligenti curâ nutritus (vt Regum istorum mos est) crinium flagellis per terga demissis, literis eruditus, Childeberto Regi à matre repræsentatur, dicente ea: Ecce, inquit, nepotem tuum Chlotharij Regis filium. Et quia inuisus habetur patri, suscipe eum, quia caro tua est. Quem ille, eo

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

quòd ei filij non essent, accipiens, retinebat secum. Nunciantur hæc Regi Chlothario, misitque fratri nuncios, dicens: Dimitte puerum, vt veniat ad me. Nec moratus ille, iuuenem fratri direxit. Quo viso, Chlotharius iussit tonderi comam capitis eius, dicens: Hunc ego non generaui. Igitur post Chlotharij Regis obitum, à Chariberto Rege susceptus est. Quem Sigibertus arcessitum iterum amputauit comam capitis eius, & misit eum in Agrippinensem ciuitatem, quæ nunc Colonia dicitur. Ille quoque ab eo loco delapsus, demissis iterum capillis, ad Narsetem abiit, qui tunc Italiæ præerat. Ibi accepta vxore, filios procreauit, & ad Constantinopolim accessit. Indè (vt ferunt) post multa tempora, à quodam inuitatus vt veniret in Gallias, Massiliam adpulsus, à Theodoro Episcopo susceptus est. Et ab eodem etiam acceptis equis, Mummolo Duci coniunctus est. Erat autem tunc Mummolus in ciuitate Auennica, sicut suprà iam diximus. Guntchramnus verò Dux adprehensum Theodorum Episcopum, in custodiam pro hac causa detrusit, reputans cur hominem extraneum intromisisset in Gallias, voluissétque Francorum Regnum Imperialibus per hæc subdere ditionibus. At ille Epistolam (vt aiunt) manu maiorum Childeberti Regis subscriptam, protulit, dicens: » Nihil per me feci, nisi quæ mihi à dominis nostris & senioribus imperata » sunt. Custodiebatur igitur Sacerdos in cellula, nec permittebatur Ecclesiæ propinquare. Quadam verò nocte, dum attentiùs oraret ad Dominum, refulsit cellula nimio splendore, ita vt Comes, qui erat custos eius, ingenti pauore terreretur. B Visúsque est super eum lucis immensæ globus per duarum horarum spacium. Mane autem facto, narrabat hæc Comes ille ceteris qui cum eo erant. Post hæc autem ductus est ad Guntchrammum Regem cum Epiphanio Episcopo, qui tunc Longobardos fugiens, Massiliæ morabatur: scilicet quòd & ipse conscius huius causæ fuisset. Discussi igitur à Rege, in nullo inuenti sunt crimine. Rex tamen iussit eos sub custodia degere, in qua post multa supplicia, Epiphanius Episcopus obiit. Gundobaldus verò in insulam maris secessit, expectans euentum rei. Guntchramnus verò Dux cum Duce Guntchramni Regis res Gundobaldi diuisit, & secum Aruerno detulit immensum, vt ferunt, argenti pondus, & auri, & reliquarum rerum.

XXV. ANNO octauo Childeberti Regis, pridie Calendas Februarias, cùm die Dominico ad vrbem Turonicam ad Matutinas signum commotum fuisset, & populus surgens ad Ecclesiam conueniret; cœlo nubilo cum pluuia, globus magnus igneus de cœlo dilapsus in spacio multo cucurrit in aëra. Qui tantam lucem dedit, vt tanquam media die omnia cernerentur. Quo iterum in nubem suscepto, nox successit. Aquæ verò extra solitum inualuerunt. Nam tantam inundationem Sequana Matronáque circa Parisius intulerunt, vt inter ciuitatem & Basilicam sancti Laurentij naufragia sæpè contingerent.

XXVI. GVNTCHRAMNVS quoque Dux Aruernum cum supradictis thesauris reuersus, ad Childebertum Regem abiit. Cúmque exinde regrederetur cum vxore & filiis, à Guntchramno Rege comprehensus retinebatur, dicente sibi Re- C ge: » Tua inuitatio Gundobaldum adduxit in Gallias, & ob hoc ante hos annos ab» isti Constantinopolim. Cui ille, Mummolus, inquit, Dux tuus ipse suscepit eum, » & in Auenione secum retinuit. Nunc autem permitte me, & adducam ipsum ti» bi, & tunc immunis ero ab his quæ reputantur mihi. Cui Rex ait: Non permit» tam te abire, nisi dignas luas pœnas pro his quæ commisisti. At ille cernens se » morti propinquum, ait: Ecce filium meum, suscipe illum, & sit obses pro his quæ » promitto domino meo Regi. Et nisi Mummolum adducam tibi, perdam paruu» lum meum. Tunc Rex permisit eum abire, retento secum eius infantulo. At ille adsumptis secum Aruernis atque Vellauis, Auenionem abiit. Sed astu Mummoli, naues in Rhodano infirmæ paratæ sunt. Ascendentésque simpliciter, vt in medio amnis venerunt, impletis nauibus mergebantur. Tunc in periculo positi, alij nando euaserunt, nonnulli verò arreptis ipsarum nauium tabulis attigerunt littus. Plerique autem, quorum minor fuit astutia, in amne demersi sunt. Guntchramnus verò Dux aduenit Auenionem. Prouiderat enim Mummolus, postquam infra muros vrbis illius est ingressus, vt quia pars parua residebat, quæ non vallabatur à Rhodano, educta ex eo parte, locus ille totus hoc alluuio muniretur. In quo loco fossas magnæ profunditudinis fodit, præparatósque dolos aqua de-

A currens operuit. Tunc adueniente Guntchramno, ait ex muro Mummolus: Si fides est integra, veniat ille ab vna parte ripæ, ego ex alia, & quod voluerit eloquatur. Quò cùm conuenissent, ait Guntchramnus econtra, (hoc enim brachium fluminis inter vtrumque erat positum:) Si licet, inquit, vadam, quia sunt aliqua quę inter nos secretiùs conferantur. Cui ille: Veni, ait, ne timeas. Ingressus cùm vno amicorum suorum, vt erat loricæ pondere adgrauatus: illico amicus ille, vt foueam amnis attigit, sub aquis demersus, nusquam comparuit. Guntchramnus verò cùm demergeretur, atque portaretur ab vnda veloci, vnus de astantibus porrecta manui eius hasta, eum littori reddidit. Et tunc inlatis sibi conuiciis, ipse & Mummolus discesserunt. Obsidente quoque Guntchramno ipsam vrbem cum exercitu Guntchramni Regis, nunciata sunt hæc Childeberto. At ille irâ commotus, cur hæc non iussus ageret, Gundulfum superiùs dictum illuc direxit. Qui amota obsidione, Mummolum Aruernos adduxit. sed post paucos dies Auenionem regressus est. GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

XXVII. CHILPERICVS Rex pridie quàm Pascha celebraretur, Parisius abiit. Et vt maledicto, quod in pactione sua & fratrum suorum conscriptum erat, Vt nullus eorum Parisius sine alterius voluntate ingrederetur, carere posset, reliquiis Sanctorum multorum præcedentibus, vrbem ingressus est. diésque Paschæ cum multa iocunditate tenuit, filiúmque suum baptismo tradidit. Quem Ragnemo-
B dus ipsius vrbis Sacerdos de lauacro sancto suscepit, ipsúmque THEODORICVM vocitari præcepit.

XXVIII. MARCVS quoque Referendarius, cuius suprà meminimus, post congregatos de iniquis descriptionibus thesauros, subito lateris dolore detentus, caput totondit, atque pœnitentiam accipiens, spiritum exhalauit. résque eius fisco conlatæ sunt. Nam magni ibidem thesauri ex auro argentóque, & multarum specierum reperti sunt. Nihil exinde secum aliud portans, nisi animæ detrimentum.

XXIX. LEGATI de Hispaniis reuersi nihil certi renunciauerunt, eò quòd Leuuichildus contra filium suum seniorem in exercitu resideret. In Monasterio autem beatæ Radegundis, puella quædam nomine Disciola, quæ beati Saluij Albigensis Episcopi neptis erat, obiit hoc modo. Cùm ægrotare cœpisset, & ei assiduè sorores aliæ deseruirent, venit dies ille quo migraret à corpore. & circa horam nonam ait sororibus: Ecce iam leuiorem me sentio, ecce nihil doleo. Nunc autem non est necesse sollicitudini vestræ, vt mihi curæ aliquid impendatis. sed potiùs discedite à me, quò faciliùs sopori relaxer. Hæc audientes sorores eius, recesserunt parumper à Cellula. Et post paululum aduenerunt. Deniq; stantibus illis coram ea, expectabant quid ab illa locutionis audirent. Ipsa autem expansis manibus benedictionem à nescio quo efflagitans, ait: Benedic, inquit, mihi, sancte ac famule Dei excelsi. Ecce enim iam tertio fatigaris hodie mei causa. Et cur Sancte
C pro infirma muliercula crebras iniurias sustines? Interrogantibus verò illis, ad quem hæc verba proferret, penitus non est effata. Tunc facto modico interuallo, emisit vocem magnam cum risu. & sic tradidit spiritum. Et ecce quidam energumenus, qui tunc ad beatæ crucis gloriam mundandus aduenerat, arrepta manibus cæsarie, conlisit se in terram, dicens: Heu! heu! heu nobis! qui tale damnum perpessi sumus. Vel licuisset prius causas inquirere, & sic de potestate nostra fuisset ablata hæc anima. Inquirentibus verò his qui aderant, quod esset hoc verbum quod loquebatur, respondit: Ecce animam puellæ Michaël Angelus suscepit, & ipse eam ad cœlos euehit. Princeps verò noster, quem vos diabolum nominatis, nihil in ea participatur. Post hæc corpus aquis ablutum ita candore niueo refulgebat, vt nullum linteum reperire Abbatissa potuisset in promptu, quod corpore candidius cerneretur. Induta tamen linteis mundis, sepulturæ mandata est. Nam & alia puella huius Monasterij visum vidit, quod sororibus retulit. Putabat, inquit, se iter aliquod conficere, & erat ei votum vt ad fontem viuum gradiens perueniret. Cúmque viam nesciret, vir quidam se obuiam obtulit, dicens: Si, inquit, vis ad fontem viuum accedere, ego ero præuius itineris tui. At illa gratias agens, sequebatur præcedentem. Quibus ambulantibus peruenerunt ad fontem magnum, cuius aquæ tanquam aurum splendebant, herbæ verò in modum diuersarum gemmarum vernante luce radiabant. Et ait vir ad eam: Ecce fontem viuum, quem multo labore quæsisti. Satiare nunc ab eius fluentis, vt fiat tibi fons aquæ viuæ sa-

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

lientis in vitam æternam. Cúmque illa auidè ex his aquis hauriret, ecce ab alia parte veniebat Abbatissa: & denudatam puellam induit veste regia, quæ tanta luce, auróque, & monilibus refulgebat, vt vix posset intendi, dicente sibi Abbatissa: Sponsus enim tuus mittit tibi hæc munera. Hæc cùm puella vidisset, compuncta est corde, & post dies paucos rogauit Abbatissam, vt sibi in qua includeretur Cellulam præpararet. At illa velociter perfecta ait: Ecce, inquit, Cellulam, » quid nunc desideras? Puella verò petiit, vt recludi permitteretur. Quod cùm ei præstitum fuisset, congregatis virginibus cum magno psallentio, accensis lampadibus, tenente sibi beata Radegunde manum, ad locum vsque perducitur. Et sic vale faciens omnibus, & osculans singulas quasque, reclusa est. Obstructóque aditu, per quem ingressa fuerat, ibi nunc orationi ac lectioni vacat. A

XXX. Hoc anno Tiberius Imperator migrauit à seculo, magnum luctum relinquens populis de obitu suo. Erat enim summæ bonitatis, in eleemosynis promptus, in iudiciis iustus, in iudicando cautissimus, nullum despiciens, sed omnes in bona voluntate complectens, omnes diligens, ipse quoque diligebatur ab omnibus. Hic cùm ægrotare cœpisset, & se iam viuere desperaret, vocauit Sophiam » Augustam dicens: Ecce iam impletum sentio tempus vitæ meæ, nunc cum con» silio tuo eligam, qui Reipublicæ præesse debeat. At illa Mauricium quemdam » elegit, dicens: Valde strenuus & sagax est vir iste. Nam & sæpiùs contra inimi» cos Reipublicæ dimicans, victorias obtinuit. Hæc enim dicebat, vt isto transeunte, huius coniugio necteretur. Sed Tiberius postquam consensum cognouit Augustæ de huius electione, iussit exornari filiam suam ornamentis Imperialibus, & » vocato Mauricio ait: Ecce cum consensu Sophiæ Augustæ ad Imperium eligeris: » in quo vt firmior sis, filiam meam tradam tibi. Et accedente puella, tradidit eam » pater Mauricio, dicens: Sit tibi Imperium meum cum hac puella concessum. Vte» re ea felix, memor semper vt æquitate & iustitia delecteris. At ille accepta puella, duxit eam ad domum suam, & transacta solemnitate nuptiarum, Tiberius obiit. Igitur celebrato iustitio, Mauricius indutus diademate & purpura, ad Circum processit. Acclamatisque sibi laudibus, largitis populo muneribus, in Imperio confirmatur. B

XXXI. DENIQVE Chilpericus Rex Legatos nepotis sui Childeberti suscepit. Inter quos primus erat Egidius Remensis Episcopus. Quibus intromissis ad Re» gem, data suggestione dixerunt: Pacem, quam cum domino nostro nepote tuo » fecisti, petit à te omnimodis conseruari. Cum fratre verò tuo pacem habere non » potest, quia partem Massiliæ ei post mortem abstulit patris, fugacésque suos re» tinet, nec eos vult ei remittere. Ideo Childebertus nepos tuus charitatem, quam » nunc tecum retinet, integrè vult seruare. Et ille, In multis, inquit, frater meus » accessit culpabilis. Nam si ordinem rationis filius meus Childebertus inquirat, » cognoscet protinus, quòd huius conludio pater eius est interfectus. Hæc eo di» cente, Egidius Episcopus ait: Si cum nepote tuo coniungeris, & ipse coniungi» tur tibi; commoto exercitu, vltio quæ debetur super eum velociùs inferetur. C Quòd cùm iuramento firmassent, obsidésque inter se dedissent, discesserunt. Igitur fidens in promissis eorum Chilpericus, commoto Regni sui exercitu, Parisius venit. Vbi cùm resedisset, magnum dispendium rerum incolis intulit. Berulfus verò Dux cum Turonicis, Pictauis, Andegauisque, atque Namneticis, ad terminum Bituricum venit. Desiderius verò & Bladastes cum omni exercitu Prouinciæ sibi commissæ, ab alia parte Bituricum vallant, multùm vastantes per quas venerunt regiones. Chilpericus verò iussit exercitum, qui ad eum accessit, per Parisius transire. Quo transeunte, & ipse transiit, atque ad Mecledonense castrum abiit, cuncta incendio tradens, atque deuastans. Et licèt exercitus nepotis sui ad eum non venisset, tamen Duces & Legati eius cum ipso erant. » Tunc misit nuncios ad supradictos Duces, dicens: Ingredimini Bituricum, & » accedentes vsque ad ciuitatem, sacramenta fidelitatis exigite de nomine nostro. Biturici verò cum quindecim milibus ad Mecledonense* castrum confluunt, ibique contra Desiderium Ducem confligunt. Factáque est ibi strages magna, ita vt de vtroque exercitu ampliùs quàm septem milia cecidissent. Duces quoque cum reliqua parte populi, ad ciuitatem peruenerunt, cuncta diripientes vel deuastantes. Talisque depopulatio inibi acta est, qualis nec antiquitus est audita

* al. Medolonense

A fuisse, vt nec domus remaneret, nec vinea, nec arbores, sed cuncta succiderent, incenderent, debellarent. Nam & ab Ecclesiis auferentes sacra ministeria, ipsas incendio cremabant. Guntchramnus verò Rex cum exercitu contra fratrem suum aduenit, totam spem in Dei iudicio collocans. Qui die vna iam vespere misso exercitu, maximam partem de germani sui exercitu interfecit. Mane autem concurrentibus Legatis, pacem fecerunt, pollicentes alter alterutrum, vt quicquid Sacerdotes vel Seniores populi iudicarent, pars parti componeret quæ terminum legis excesserat. & sic pacifici discesserunt. Chilpericus verò Rex cùm exercitum suum à prædis arcere non posset, Rothomagensem Comitem gladio trucidauit. & sic Parisius rediit, omnem relinquens prædam, captiuósque relaxans. At isti, qui Bituricas obsidebant, accepto mandato vt reuerterentur ad propria, tantas prædas secum sustulerunt, vt omnis regio illa vnde egressi sunt, valde putaretur euacuata, vel de hominibus, vel de ipsis pecoribus. Ingressus quoq; exercitus Desiderij atque Bladastis per Turonicum, incendia, prædas, & homicidia tanta fecerunt, sicut solet contra inimicos fieri. Nam & captiuos abduxerunt, de quibus spoliatos plurimos postea dimiserunt. Subsecutus est morbus pecorum hanc cladem, ita vt vix vnicum remaneret: nouúmque esset, si aliquis aut iumentum videret, aut cerneret buculam. Sed dum hæc agerentur, Childebertus Rex cum exercitu suo vno in loco residebat. Nocte autem quadam commoto exercitu, magnum murmur contra Egidium Episcopum & Duces Regis minor populus eleuauit, ac vociferari cœpit, & publicè proclamare: Tollantur à facie Regis, qui Regnum eius venundant, ciuitates illius dominationi alterius subdunt, populum ipsius Principis alterius ditionibus tradunt. Dum hæc & his similia vociferando proferrent, facto mane adprehenso armorum adparatu, ad tentorium Regis properant. scilicet vt adprehensis Episcopo & Senioribus, vi obprimerent, verberibus adficerent, gladiis lacerarent. Quo comperto, Sacerdos fugam iniit, ascensóque equo ad vrbem propriam tendit. At populus ille cum clamore sequebatur, proiiciens post eum lapides, euoménsque conuicia. Fuit tunc ei hæc causa præsidium, quòd hi paratos equos non habebant. Attamen lassatis sociorum equis, solus pertendit Episcopus, tanto timore perterritus, vt vnam caligam de pede elapsam colligere non curaret. Et sic vsque ciuitatem veniens, se infra murorum Remensium septa conclusit.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

B

XXXII. Ante paucos autem menses Leudastes in Turonicum cum præcepto Regis aduenit, vt vxorem acciperet, ibique commoraretur. Sed & nobis Epistolam Sacerdotum manu subscriptam detulit, vt in communionem reciperetur. Sed quoniam literas Reginæ non vidimus, cuius causa maximè à communione remotus fuerat, ipsum recipere distuli, dicens: Cùm Reginæ mandatum suscepero, tunc eum recipere non morabor. Interea ad eam dirigo. quæ mihi scripta remisit, dicens: Compressa à multis, aliud facere non potui, nisi vt eum abire permitterem. Nunc autem rogo, vt pacem tuam non mereatur, neque eulogias de manu tua suscipiat, donec à nobis quid agi debeat pleniùs pertractetur. At ego hæc scripta relegens, timui ne interficeretur. Accersitóque socero eius, hæc ei innotui, obsecrans vt se cautum redderet, donec Reginæ animus leniretur. Sed ille consilium meum, quod pro Dei intuitu simpliciter insinuaui, dolosè suscipiens, cùm adhuc nobis esset inimicus, noluit agere quæ mandaui. Impletúmque est illud prouerbium, quod quendam senem narrantem audiui: Amico inimicóque bonum semper præbe consilium, quia amicus accipit, inimicus spernit. Spreto ergo hoc consilio, ad Regem dirigit, qui tunc cum exercitu in pago Megledunensi * degebat. Deprecatúsque est populum, vt Regi preces funderet, vt eius præsentiam mereretur. Deprecante igitur omni populo, Rex se videndum ei præbuit. Prostratúsque pedibus eius, veniam flagitauit. Cui Rex, Cautum, inquit, te redde paulisper, donec visa Regina conueniat, qualiter ad eius gratiam reuertaris, cui multum inueniris esse culpabilis. At ille, vt erat incautus ac leuis, in hoc fidens, quòd Regis præsentiam meruisset, Rege Parisius reuertente, die Dominico in Ecclesia sancta Reginæ pedibus prouoluitur, veniam deprecans. At illa frendens & execrans aspectum eius, à se repulit. fusisque lachrimis ait: Et quia non extat de filiis qui criminis mei causas inquirat, tibi eas, Iesu Domine, inquirendas committio. Prostratáque pedibus Regis, ad-

C

* al Melodunense.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

iecit; Væ mihi! quæ video inimicum meum, & nihil ei præualeo! Tunc repulso eo à A loco sancto, Missarum solennia celebrata sunt. Igitur egresso Rege cum Regina de Ecclesia sancta, Leudastes vsque ad plateam est prosecutus, inopinans quid ei accideret: domúsque negotiantum circumiens, species rimatur, argentum pensat, atque diuersa ornamenta prospicit, dicens: Hæc & hæc comparabo, quia multum mihi aurum argentúmque resedit. Ista illo dicente, subitò aduenientes Reginæ pueri voluerunt eum vincire catenis. Ille verò euaginato gladio, vnum verberat. Reliqui exinde succensi felle, adprehensis parmis & gladiis super eum inruerunt. Ex quibus vnus librans ictum, maximam partem capitis eius à capillis & cute detexit. Cúmque per pontem vrbis fugeret, elapso inter duos axes, qui pontem faciunt, pede, effracta obpressus est tibia. Ligatísque post tergum manibus, custodiæ mancipatur. Iussitque Rex vt studeretur * à medicis, quoadusque ab his ictibus sanatus, diuturno supplicio cruciaretur. Sed cùm ad villam fiscalem ductus fuisset, & computrescentibus plagis extremam ageret vitam, iussu Reginæ in terram proiicitur resupinus. Positóque ad ceruicem eius vecte immenso, ab alio ei gulam verberant. Sicque perfidam agens vitam, iusta morte finiunt.

* id est, curaretur.

XXXIII. Anno nono Childeberti Regis partem Massiliæ Guntchramnus Rex ipsi nepoti suo refudit. Legati Principis Chilperici de Hispaniis regressi, nunciauerunt Prouinciam Carpitaniam grauiter à locustis fuisse vastatam, ita vt non arbor, non vinea, non silua, non fructus aliquis, aut quicquam viride remaneret, B quod non à locustis euerteretur. Aiebant enim, inimicitias illas, quæ inter Leuuichildum & filium suum pullulauerant, vehementer augeri. Loca enim eius lues vastabat. Sed maximè circa vrbem Narbonensem validiùs desæuiebat, etiam tertio anno, quòd ibidem adprehenderat & requieuerat. Populíque reuertentes à fuga, iterum morbo consumpti sunt. Nam & Albigensis ciuitas maximè ab hoc incommodo laborabat. His diebus adparuerunt à parte Aquilonis nocte media radij multi, fulgore nimio relucentes, qui ad se venientes iterum separabantur, vsquequo euanuerunt. Sed & cœlum ab ipsa Septentrionali plaga ita resplenduit, vt putaretur auroram producere.

XXXIV. Legati iterum ab Hispania venerunt, deferentes munera, & placitum accipientes cum Chilperico Rege, vt filiam suam secundum conniuentiam anteriorem, filio Regis Leuuichildi tradere deberet in matrimonium. Denique dato placito, & omnibus pertractatis, Legatus ille reuersus est. Sed Chilperico Regi egresso de Parisius, vt in pagum Suessionicum accederet, nouus luctus aduenit. Filius enim eius, quem anno superiore sacro baptismate abluerat, à dysenteria correptus, spiritum exhalauit. Hoc enim fulgor ille, quem superiùs ex nube dilapsum memorauimus, figurauit. Tunc cum immenso fletu regressi Parisius, sepelierunt puerum, mittentes post Legatum, vt reuerteretur, scilicet vt placitum C quod posuerat prolongaret, dicente Rege: „Ecce planctum in domo sustineo, „& qualiter nuptias filiæ celebrabo? Voluit enim tunc aliam filiam illuc dirigere, quam de Audouera habebat, & eam in Monasterio Pictauensi posuerat. Sed illa distulit, resistente præcipuè beata Radegunde, & dicente: „Non est enim „dignum, vt puella Christo dicata iterum ad seculi voluptates reuertatur.

XXXV. Dvm autem hæc agerentur, nunciatur Reginæ puerum, qui mortuus fuerat, maleficiis & incantationibus fuisse subductum: ibique Mummolum Præfectum, quem iam diu Regina inuisum habebat, conscium esse. Vnde factum est, vt epulante eo in domo sua, quidam de Aulicis Regis puerum dilectum sibi, quià dysenteria correptus fuerat, lamentaretur. Cui Præfectus respondit: „Habetur „mihi herba in promptu, de qua si dysentericus hauriat, quamlibet desperatus sit, „mox sanatur. Nunciatis his Reginæ, maiore furore succenditur. Interea adprehensas mulieres vrbis Parisiacæ tormentis applicat, ac verberibus cogit fateri quæ nouerant. At illæ confitentur se maleficas esse, & multos occumbere letho se fecisse testatæ sunt. addentes illud, quod nulla ratione credi patior. Filium, aiunt, tuum, ô Regina, pro Mummoli Præfecti vita donauimus. Tunc Regina tormentis grauioribus mulieribus adfectis, alias enecat, alias incendio tradit, alias rotis ossibus confractis innectit. & sic Compendium villam vna cum Rege secessit. Ibique vniuersa Regi, quæ de Præfecto audierat, reuelauit. Rex verò missis pueris,

A iussit eum arcessiri, discussúmque catenis onerant, & suppliciis subdunt. Trabi post tergum reuinctis manibus adpenditur, & ibi quid maleficij nouerit, interrogatur. Sed nihil de his, quæ superiùs memorauimus, confitetur. Hoc tamen protulit, sæpiùs se inunctiones & potiones, quæ ei Regis Reginæque gratiam præberent, ab his mulieribus suscepisse. Depositus igitur de pœna, vocat ad se lictorem, dicens; Nuncia Domino meo Regi, quia nihil mali sentio de his quæ inlata sunt. His auditis Rex, Verum ne est, inquit, hunc esse maleficum, si de his nihil est læsus pœnis? Tunc extensus ad trocleas, tamdiu loris triplicibus cæsus est, quoadusque ipsi lassarentur tortores. Post hæc sudes vngulis manuum pedúmque defigunt. Cúmque in hoc causa ageretur, vt ad decidendam ceruicem eius gladius immineret, à Regina vitam obtinuit. Sed non fuit minor morte humilitas subsecuta. Nam impositus plaustro, ad Burdegalensem vrbem, in qua ortus fuerat, ablata omni facultate, transmittitur. In via verò ictuatus sanguine, vix accedere quò iussus est valuit. sed non post multum tempus spiritum exhalauit. Post hæc Regina adprehenso puerul thesauro, tam vestimenta quàm reliquas species, vel ex serico, aut quocunque vellere inuenire potuit, igne consumpsit. quod ferunt quatuor plaustra leuasse. Aurum verò & argentum fornace conflatum reposuit, ne aliquid integrum remaneret, quod ei planctum filij in memoriam reuocaret.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

XXXVI. ÆTHERIVS verò Lixoensis Episcopus, cuius suprà meminimus, hoc B ordine à ciuitate sua vel expulsus est, vel receptus. Clericus quidam extitit ex Cenomannica vrbe, luxuriosus nimis, amatórque mulierum, & gulæ, ac fornicationis, omnique immunditiæ valde deditus. Hic mulieris cuiusdam sæpiùs scorto commixtus, comam capitis totondit, mutatóque virili habitu, secum in aliam ciuitatem deduxit, vt suspicio adulterij auferretur, cùm inter incognitos deuenisset. Erat enim mulier ingenua genere, & de bonis orta parentibus. Comperto autem post dies multos propinqui eius quæ acta fuerant, ad vlciscendam humilitatem generis sui velociùs properant, repertúmque Clericum vinctum custodiæ mancipant. mulierem verò igni consumunt. Et sicut cogit auri sacra fames, Clericum sub precio venundari procurant: ea videlicet ratione, vt aut esset qui redimeret, aut certè morti addiceretur obnoxius. Cúmque hæc Ætherio Episcopo delata fuissent, misericordiâ motus, datis viginti aureis, eum ab imminenti exemit interitu. Igitur postquam vitæ donatus est, profert se literarum esse doctorem, promittens Sacerdoti, quòd si ei pueros delegaret, perfectos eos in literis redderet. Gauisus auditu Sacerdos, pueros ciuitatis collegit, ipsique delegat ad docendum. Denique cùm iam honoraretur à ciuibus, & Pontifex ei aliquid terræ vinearúmque largitus fuisset, ac per domos parentum eorum quos erudiebat inuitaretur, reuersus ad vomitum, vnius puerul matrem, immemor anterioris iniuriæ, concupiscit. Quod cùm pudica viro mulier declarasset, coniuncti parentes eius grauissimis Clericum tormentis subdentes, interimere voluerunt. C Quem Sacerdos iterum misericordiâ motus, castigatum verbis lenibus liberauit, honoríque restituit. Sed mens læua nunquam ad bonitatem potuit inclinari, sed potiùs factus est eius inimicus, à quo sæpiùs fuerat de morte redemptus. Coniunctus est enim Archidiacono ciuitatis, & se Episcopatu dignum proferens, Episcopum molitur occidere. Locatóque Clerico, qui eum bipenne percuteret, ipsi vbique discurrunt, mussitant, amicitias clam inligant, proferunt præmia, vt si Sacerdos obiret, ipse succederet. Sed misericordia Domini anticipauit eorum perfidiam, crudelitatémque iniquorum hominum veloci pietate repressit. Die verò, quo Sacerdos operarios in agro adgregauerat ad sulcandum, Clericus antedictus cum securi prosequitur Sacerdotem, nihil de his penitus scientem. Tandem igitur hæc aduertens: Quid tu, inquit, me attentiùs cum hac bipenne prosequeris? At ille timore perterritus, ad genua viri prouoluitur, dicens: Fortis esto Sacerdos Dei. Nam scias me emissum ab Archidiacono ac præceptore, vt te securi percuterem. Quod cùm sæpiùs facere voluissem, & ictum dextra suspensa librarem, tegebantur tenebris oculi mei, & aures obserabantur, totúmque corpus tremore quatiebatur. Sed & manus absque virtute erant, & quæ optabam implere non poteram. Cùm verò manus deposuissem, nihil mali sentiebam omnino. Cognoui enim quoniam tecum est Dominus, eo quòd non potui ali-

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS. quid tibi nocere. Hæc eo dicente, fleuit Sacerdos, imponens silentium Clerico: A reuersúsque domum cœnæ discubuit. Qua exacta, in strato suo quieuit, habens circa lectum suum multos lectulos Clericorum. Denique diffisi hi de Clerico, per se nefas perficere cogitantes, noua argumenta machinantur, per quæ aut eum vi extinguerent, aut certè crimen quo à Sacerdotio diuelleretur imponerent. Interea quiescentibus cunctis, media ferè nocte cubiculum Sacerdotis inrumpunt, exclamantes voce magna, atque dicentes; Vidisse se mulierem à ,, cubiculo egredi, ipsámque ob hoc dimisisse, dum ad Episcopum festinassent. Et ,, sanè pars hæc & consilium diaboli fuit, vt in tali ætate crimen imponerent Sacerdoti, qui erat fere LXX. annorum. Nec mora, coniuncto secum antedicto Clerico, adligatur Sacerdos catenis ab eius manibus, de cuius collo sæpiùs vincula discusserat, & arduæ custodiæ mancipatur ab eo, quem de cœnosis carceribus plerumque liberauerat. At ille cognoscens inimicos sibi vehementer inualuisse, Domini misericordiam cum lachrimis in vincula compactus exorat. Mox opprimuntur somno custodes, solutisque diuinitus vinclis, de custodia procedit innoxius, noxiorum frequentissimus liberator. Deinde dilapsus, ad Regnum Guntchramni Regis transiit. Quo discedente, liberiùs iam coniuncti satellites, ad Regem Chilpericum properant pro Episcopatu petendo, multa crimina de Episcopo prolo- ,, quentes. Addentes ista: In hoc cognosce, Rex gloriosissime, vera esse hæc quæ ,, dicimus, quia mortem pro sceleribus timens ad fratris tui transiit Regnum. B Quod ille non credens, hos ad ciuitatem redire iubet. Dum hæc agerentur, mœsti ciues de Pastoris absentia, cognoscentes omnia quæ de eo acta fuerant per inuidiam & auaritiam perpetrata, adprehenso cum satellite Archidiacono, iniuriæ subdentes, ad Regem petierunt, vt acciperent Sacerdotem suum. At Rex Legatos fratri suo dirigit, adserens nihil se criminis in Episcopo reperisse. Tunc Guntchramnus Rex, vt erat benignus & profluus ad miserandum, multa ei munera contulit, dans etiam Epistolas per omnes Episcopos Regni sui, vt peregrinum aliquo pro Dei intuitu consolarentur. Tunc circumiens ciuitates, tanta ei à Sacerdotibus Dei collata sunt, tam in vestibus quàm in auro, vt vix ciuitati quæ meruerat posset inferri. Impletúmque est illud quod ait Apostolus: *Quia diligentibus Deum omnia concurrunt in bonum.* Nam huic peregrinatio diuitias attulit, & exilium opes multas inuexit. Post hæc regrediens, à ciuibus cum tali honore susceptus est, vt pro gaudio flerent, & benedicerent Deum, qui tandem Ecclesiæ tantum restituit Sacerdotem.

XXXVII. LVPENTIVS verò Abbas Basilicæ sancti Priuati Martyris vrbis Gabalitanæ, à Brunichilde Regina arcessitus, aduenit. Incusatus enim (vt ferunt) fuerat ab Innocentio supradictæ vrbis Comite, quòd prophanum aliquid effatus de Regina fuisset. Sed discussis causis, cùm nihil de crimine maiestatis conscius esset inuentus, discedere iussus est. Verùm, vbi viam carpere cœpit, iterum ab antedicto Comite captus, & ad Ponticonem villam deductus, multis suppliciis C est adfectus. Dimissúsque iterum vt rediret, cùm super Axonam fluuium tentorium tetendisset, iterum inruit super eum inimicus eius. Cuius vi oppressi amputatum caput in culeum oneratum lapidibus posuit, & flumini dedit. reliquum verò corpus vinctum cum saxo immersit gurgiti. Post dies verò paucos adparuit quibusdam pastoribus, & sic extractum à flumine sepulturæ mandatum est. Sed dum necessitates funeris pararentur, & ignoraretur quis esset è populo, præsertim cùm caput truncati non inueniretur, subitò adueniens aquila leuauit culeum à fundo fluminis, & ripæ deposuit. Admirantésque qui aderant, adprehenso culeo dum sollicitè quid contineret inquirunt, caput truncati reperiunt. & sic cum reliquis artubus est sepultum. Nam ferunt nunc & lumen ibi diuinitus adparere. & si infirmus ad hunc tumulum fideliter deprecatus fuerit, accepta sospitate recedit.

XXXVIII. THEODOSIVS Rutenorum Episcopus, qui sancto Dalmatio successerat, diem obiit. In qua Ecclesia intantùm pro Episcopatu intentiones & scandala orta conualuerunt, vt penè sacris ministeriorum vasis & omni facultate meliori nudaretur. Veruntamen Transobadus* Presbyter reiicitur, & Innocentius Gabalitanorum Comes eligitur ad Episcopatum, opitulante Brunichilde Regina. Sed adsumpto Episcopatu, confestim Vrsicinũ Cadurcinæ vrbis Episco-

* al. Trusibaldus.

A pum lacessere cœpit, dicens, quia diœceses Rutenæ Ecclesiæ debitas retineret. Vnde factum est, vt diuturna intentione gliscente, post aliquot annos coniunctus Metropolitanis cum suis Prouincialibus apud vrbem Aruernam residens, iudicium emanaret: scilicet vt parochias, quas numquam Rutena Ecclesia tenuisse recolebatur, reciperet. Quod ita factum est. GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

XXXIX. REMIGIVS Biturigum Episcopus obiit. Cuius post transitum graui incendio pars maxima ciuitatis cremata est: ibique illa, quæ hostilitati resederant, perierunt. Post hæc Sulpitius in ipsa vrbe ad Sacerdotium, Guntchramno Rege fauente, præeligitur. Nam cùm multi munera offerrent, hæc Rex Episcopatum quærentibus respondisse fertur: Non est Principatus nostri consuetudo, Sacerdotium venundare sub precio, sed nec vestrum, eum præmiis comparare: ne & nos turpis lucri infamia notemur, & vos Mago Simoni comparemini. Sed iuxta Dei præscientiā Sulpitius vobis erit Episcopus. Et sic ad Clericatum deductus, Episcopatum Ecclesiæ supradictæ suscepit. Est enim vir valde nobilis, & de primis Senatoribus Galliarum, in literis benè eruditus rhetoricis, in metricis verò artibus nulli secundus. Hic Synodum illam, cuius suprà meminimus, pro parochiis Cadurcinis fieri commonuit.

XL. LEGATVS verò Oppila nomine de Hispaniis aduenit, multa munera Chilperico Regi deferens. Timebat enim Rex Hispanorum, ne Childebertus B exercitum ad vlciscendam sororis suæ iniuriam commoueret, quia Leuuichildus adprehensum filium suum Herminichildum, qui sororem Childeberti Regis acceperat, retruserat in custodiam, ipsa muliere cum Græcis relicta. Igitur cùm die sancto Paschæ hic Legatus Turonis aduenisset, sciscitati sumus, vtrum nostræ religionis esset. Respondit, Se hoc credere, quod Catholici credunt. Exinde procedens nobiscum ad Ecclesiam, Missarum solennia tenuit, sed neque pacem cum nostris fecit, neque de sacrificiis communicauit. Cognitúmque est, mendacium esse quod dixerat, se esse Catholicum. Nihilominus ad conuiuium inuitatus adfuit. Cúmque ego sollicitus requirerē, quid crederet, respondit: Credo Patrem & Filium & Spiritum sanctum vnius esse virtutis. Cui ego respondi: Si hæc, vt adseris, credis, quæ obstitit causa vt de sacrificiis, quæ Deo offerimus, communicare differres? Et ille: Quia, inquit, gloriam non rectè respondetis. Nam iuxta Paulum Apostolum, nos dicimus, Gloria Deo Patri per Filium: vos autem dicitis, Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Cùm doctores Ecclesiarum doceant, Patrem per Filium nunciatum fuisse in mundo, sicut ipse Paulus ait: *Regi autem seculorum immortali, inuisibili, soli Deo, honor & gloria in secula seculorum, per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et ego respondi, Patrem per Filium adnunciatum nulli Catholico esse incognitum reor. Sed sic prædicauit Patrem in seculo, vt & se virtutibus ostenderet Deum. Deo autem Patri hæc necessitas fuit, Filium mittendi ad C terras, vt ostenderet Deum: vt quia mundus Patriarchis, & Prophetis, atque ipsi latori legis non crediderat, saltem vel Filio crederet. Ideóque necesse est, vt sub significatione personarum, gloria detur Deo. Dicimus ergo, Gloria Deo Patri, qui misit Filium: gloria Deo Filio, qui sanguine suo redemit mundum: gloria Deo Spiritu sancto, qui sanctificat hominem iam redemptum. Nam tu qui dicis, Gloria Patri per Filium, adimis gloriam Filio, quasi ipse non sit gloriosus cum Patre: propterea quòd eum adnunciauit in mundo. Nunciauit, vt diximus, Filius Patrem in mundo, sed multi non crediderunt, dicente Ioanne Euangelista: *In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Nam tu qui Paulo Apostolo derogas, & sensum eius non intelligis, percipe quàm cautè loquitur & iustè, vt recipere quis potest. Aduerte, qualiter prædicat inter gentes incredulas, vt nulli onus graue videatur imponere, sicut quibusdam dicit: *Lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis. Perfectorum est enim solidus cibus.* Sed & aliis dicit: *Nihil vobis prædicaui, nisi Christum, & hunc crucifixum.* Nunc autem quid vis, ô tu hæretice? quia Paulus Christum tantum crucifixum prædicauit, resurrexisse tu dubitas? Aduerte potiùs cautelam eius, & vide astutiam, quid aliis dicit quos robustiores videbat in fide: *Et si*, inquit, *nouimus Iesum Christum, crucifixum, nunc autem iam non nouimus.* Nega ergo tu accusator Pauli, si tanta mentem dementia cepit, quia nec crucifixus est. Sed quæso relinque ista, & audi con-

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

filiū melius. Adhibe collyria oculis lippis, & lucem prædicationis Apostolicæ percipe. Secundum homines enim loquebatur Paulus humiliùs, vt eos ad celsioris fidei fastigia subleuaret, sicut alibi ait; *Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem.* Nunquid homo mortalis non est daturus gloriam Filio, quem ipse Pater non semel, sed bis & tertiò glorificauit è cœlo? Ausculta quid de cœlis loquitur, cùm idem Filius descendente Spiritu sancto sub Ioannis manu baptizaretur: *Hic est*, ait, " *Filius meus dilectus, in quo benè complacui.* Certè si obpilatas habes aures vt ista non " audias, crede Apostolis quid in monte audierint, cùm transfiguratus Iesus in glo" ria loqueretur cum Moyse & Helia. Nempe de nube splendida Pater ait: *Hic est* " *Filius meus charissimus, ipsum audite.* Ad hæc hæreticus respondit; Nihil in his te" stimoniis Pater de gloria loquitur Filij, nisi tantum ipsum Filium monstrat. Et " ego: Si enim ista sic recipis, proferam tibi aliud testimonium, in quo Pater red" didit Filium gloriosum. Veniente autem Domino ad passionem, cùm ille dice" ret; *Pater glorifica Filium tuum, vt Filius tuus glorificet te*, quid ei Pater respondit " de cœlo? Nonne ait, *Et glorificaui, & iterum glorificabo?* Ecce enim Pater glorifi" cat eum propria voce, & tu ei gloriam conaris adimere? Voluntatem quidem osten" dis, sed potestas nulla suppetit. Nam qui Pauli Apostoli accusator existis, audi ip" sum, imò Christum in ipso loquentem: *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus* " *Christus in gloria est Dei Patris.* Quòd si nunc communis est cum Patre gloria, & in " ipsa qua nunc Pater est gloria commoratur, qualiter eum tu quasi inglorium ex- B " honoras? aut cur non erit ei reddenda gloria inter homines, qui pari gloria cum " Patre regnat in cœlis? Confitemur ergo Christum Filium Dei Deum verum. Ideó" que quia deitas vna, vna erit & gloria. Post hæc dato silentio, ab altercatione cessatum est. Ille quoque ad Chilpericum Regem accedens, oblatis muneribus quæ Rex Hispanorum miserat, in Hispaniam est regressus.

XLI. COMPERTO autem Chilpericus Rex, quòd Guntchramnus frater eius cum Childeberto nepote suo pacem fecerat, & ciuitates quas violenter inuaserat ei simul vellent auferre; cum omnibus thesauris suis in Cameracensem vrbem discessit, & omnia quæ melius habere potuerat secum tulit. Misitque ad Duces & Comites ciuitatum nuncios, vt muros componerent vrbium, résque suas cum vxoribus & filiis infra murorum munimenta concluderent, atque ipsi, si necessitas exigeret, repugnarent viriliter, ne his pars aduersa noceret. Illud addens; Et " si aliquid perdideritis, cùm de inimicis vlciscemur, maiora conquiretis. nesciens patrationem victoriarum in manu Dei consistere. Deinde sæpiùs exercitum commouet, & iterum infra terminum requiescere iubet. His diebus ei filius natus est, " quem in villa Victoriacense nutrire præcepit, dicens: Ne fortè dum publicè vide" tur, aliquid mali incurrat, & moriatur.

XLII. CHILDEBERTVS verò Rex in Italiam abiit. Quod cùm audissent Longobardi, timentes ne ab eius exercitu cæderentur, subdiderunt se ditioni eius, multa ei dantes munera, ac promittentes se parti eius esse fideles atque subiectos. Patratísque cum his omnibus quæ voluit Rex, in Gallias est regressus, atque exercitum commoueri præcepit, quem in Hispaniam dirigi iussit. sed quieuit. Ab Imperatore autem Mauricio ante hos annos quinquaginta milia solidorum acceperat, vt Longobardos de Italia extruderet. Audito autem Imperator, quòd cum his in pace coniunctus est, pecuniam repetebat. Sed hic fidus à solatiis, ne responsum quidem pro hac re voluit reddere. C

*al. inferius XLIII. IN Gallicia quoque nouæ res actæ sunt, quæ desuperiùs * memorabuntur. Igitur cùm Herminichildus (sicut suprà diximus) patri infensus esset, & in ciuitate quadam Hispaniæ cum coniuge resideret, solatio fretus Imperatoris, atque Mironis Galliciensis Regis, patrem ad se cum exercitu venire cognouit, consiliúmque iniit qualiter venientem aut repelleret, aut necaret. Nesciens miser iudicium sibi imminere diuinum, qui contra genitorem quamlibet hæreticum talia cogitaret. Habito ergo tractatu de multis virorum milibus, trecentos viros elegit armatos, & infra castrum Osser, in cuius Ecclesia fontes diuinitus complentur, includit: vt scilicet primo impetu ab his pater territus ac lassatus, faciliùs ab inferiore manu, quæ erat plurima, vinceretur. Denique his dolis Leuuichildus " Rex cognitis, cogitatione maxima fatigatur. Si, inquit, illuc cum omni exercitu " abiero, conglobatus in vnum exercitus aduersariorum iaculis crudelissimè sauciatur.

A ciatur. Si verò cum paucis vadam, virorum fortium manum nequeo superare. Tamen cum omnibus ibo. Et accedens ad locum viros protriuit, castrúmque combussit, sicut iam superiùs memoratum est. Patrata quoque victoria, cognouit Mironem Regem contra se cum exercitu residere. Quo circundato, sacramenta exigit, sibi in posterum fore fidelem. Et sic datis sibi inuicem muneribus, vnusquisque ad propria est regressus. Sed Miro postquam in patriam rediit, non multos post dies conuersus ad lectum, obiit. Infirmatus enim ab aquis Hispaniæ fuerat malis, aëribúsque incommodis. Quo defuncto, filius eius Eurichus Leuuichildi Regis amicitias expetit. Datóque vt pater fecerat sacramento, Regnum Galliciense suscepit. Hoc verò anno cognatus eius Auduca, qui sororem illius despōsatam habebat, cum exercitu venit. Adprehensúmq; Clericum facit, ac Diaconatus siue Presbyterij ei imponi honorē iubet. Ipse verò accepta soceri sui vxore, Galliciense Regnum obtinuit. Leuuichildus verò filium suum Herminichildum cepit, & secum vsq; Toletū adduxit, condemnans eum exilio. Vxorem tamen eius à Græcis eripere non potuit.

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

XLIV. LOCVSTÆ quoque de Carpitania Prouincia, quam per quinque vastauerant annos, hoc anno progressæ, aggerémque publicum tenentes, ad aliam se Prouinciam, quæ huic vicina erat Prouinciæ, contulerunt. Quarum spacium, in centū quinquaginta extenditur milia longitudo: latitudo verò in centum milibus terminatur. Hoc anno multa prodigia adparuerunt in Galliis, vastationésq; multæ fuerunt in populo. Nam mense Ianuario rosæ visæ sunt. Circa Solem quoque circulus B magnus adparuit diuersis coloribus mixtus, vt solet in illo cœlestis Iris ambitu, pluuia discedente, monstrari. Pruina grauiter vineas exussit. Tempestas etiam subsecuta vineas segetésque per plurima loca vastauit, residuum quoque grandinis siccitas immensa consumpsit. Exiguúsque fructus in aliquibus vineis visus, in aliis verò nullus, ita vt irati contra Deum homines patefactis aditibus vinearum, pecora vel iumenta intromitterent, noxias sibi immiscentes miseri preces, atque dicentes: „Nusquam in his vineis palmes nascatur in sempiternum. Arbores verò, quæ mense Iulio poma protulerunt, mense Septembri fructus alios ediderunt. Morbus pecorum iteratus inualuit, ita vt vix quicquam remaneret.

XLV. INTERIM aduenientibus Kalendis Septembris, Gothorum magna Legatio ad Regem Chilpericum accedit. Ipse verò iam regressus Parisius, familias multas de domibus fiscalibus auferre præcipit, & in plaustris componi. Multos quoque flentes & nolētes abire, in custodiam retrudi iussit, vt eos faciliùs cum filia transmittere posset. Nam ferunt multos sibi ob hanc amaritudinem vitam laqueo extorsisse, dum de parentibus propriis auferri metuebant. Separabatur autem filius à patre, mater à filia, & cum graui gemitu ac maledictionibus discedebant. Tātúsque planctus in vrbe Parisiaca erat, vt planctui compararetur Ægyptio. Multi verò meliores natu, qui vi compellebantur abire, testamenta condiderunt, résque suas Ecclesiis deputantes, atque petentes, vt cùm in Hispanias puella introisset, statim testamenta illa tanquam si iam essent sepulti, reserarentur. Interea Legati Regis Childeberti Parisius aduenerunt, contestantes Chilperico Regi, vt nihil de C ciuitatibus, quas de Regno patris sui tenebat, auferret, aut de thesauris eius in aliquo filiam muneraret: ac non mancipia, non equos, non iuga boum, neque aliquid huiuscemodi de his auderet attingere. De quibus Legatis vnum ferunt clam interemptum. Sed nescitur à quo. Suspicio tamen vertebatur ad Regem. Promittens verò Chilpericus Rex, nihil de his contingere, conuocatis melioribus Francis, reliquisque fidelibus, nuptias celebrauit filiæ suæ. Traditáque Legatis Gothorum, magnos ei thesauros dedit. Sed & mater eius immensum pondus auri argentíque, siue vestimentorum protulit, ita vt videns hæc Rex, nihil sibi remansisse putaret. Quem cernens Regina commotum, conuersa ad Francos, ita ait: „Ne putetis, ô viri, quicquam hic de thesauris anteriorum Regū haberi. Omnia enim quæ cernitis de mea proprietate oblata sunt, quia mihi gloriosissimus Rex multa largitus est. Et ego nōnulla de proprio cōgregaui labore; & de domibus mihi cōcessis, tā de fructibus, quàm de tributis, plurima reparaui. Sed & vos plerunq; me munerib. vestris ditastis, de quibus sunt ista quæ nūc corā videtis. Nā hic de thesauris publicis nihil habetur.“ Et sic animus Regis delusus est. Nam tanta fuit multitudo rerū, vt aurū argentúmque, & reliqua ornamenta, quinquaginta plaustra leuarent. Franci verò multa munera obtulerunt: alij aurum, alij argentum, nonnulli equos, plerique vestimenta: &

GVNTCHRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

vnusquisq; vt potuit donatiuum dedit. Iam vero vale faciens puella, post lachrimas & oscula, cùm de porta egrederetur, vno carrucæ effracto axe, omnes *Mala hora* dixerunt. Quod à quibusdam pro auspicio susceptum est. Denique hæc de Parisius progressa, octauo ab vrbe miliario tentoria figi præcepit. Surgentes enim quinquaginta viri de nocte, adprehensis centum equis optimis, totidemq; frenis aureis, ac duabus catenis magnis, ad Childebertum Regem fuga dilapsi abierunt. Sed & per totum iter cùm labi quis potuisset, effugiebat, ferens secum quæ arripere potuisset. Adparatus quoq; magnus & expensæ de diuersis ciuitatibus in itinere congregata sunt. In quo nihil de fisco suo Rex dari præcepit, nisi omnia de pauperum coniecturis. Sed quoniã suspicio erat Regi, ne frater aut nepos aliquas insidias puellæ in via pararet, vallatam ab exercitu pergere iussit. Erant autẽ cum ea viri magnifici, Bobo Dux filius Mummoleni, cũ vxore, quasi paranymphus, Domogisilus, & Ansoaldus; Maior domus Vuaddo *, qui olim Santonicum rexerat Comitatum. Reliquum verò vulgus, super quatuor milia erat. Ceteri autẽ Duces & Camerarij, qui cum ea properauerant, de Pictauo regressi sunt. Isti verò iter conficientes, pergebant vt poterant. Per quam viam tanta spolia tantæque prædæ factæ sunt, vt vix valeant enarrari. Nam hospiticla pauperum spoliabant, vineas deuastabant, ita vt incisis caudicibus cum vuis auferrent: leuantes pecora, vel quicquid inuenire potuissent, nihilque per viam qua gradiebantur relinquentes. Impletúmque est quod dictum est per Iohel Prophetam: *Residuum locustæ comedit eruca, & residuum erucæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* Ita & hoc actum est tempore, vt residuum pruinæ protereret tempestas, & residuum tempestatis exureret siccitas, & residuum siccitatis auferret hostilitas.

* al. Vado.

XLVI. His itaque cum hac præda pergentibus, Chilpericus, Nero nostri temporis & Herodes, ad villam Calensem, quæ distat ab vrbe Parisiaca quasi centũ stadiis, accedit, ibique venationes exercet. Quadam verò die regressus de venatione, iam subobscura nocte, dum de equo susciperetur, & vnam manum super scapulam pueri retineret, adueniens quidam, eum cultro percutit sub ascellam, iteratóq; ictu ventrem eius perforat. Statimq; profluente copia sanguinis tam per os quàm per aditum vulneris, iniquũ fudit spiritum. Quam verò malitiã gesserit, superior lectio docet. Nam regiones plurimas sæpiùs deuastauit, atque succendit. De quibus nihil doloris, sed lætitiã magis habebat, sicut quondam Nero cùm inter incendia Palatij tragœdias decantaret. Persæpè homines pro facultatibus eorum iniustè puniuit. In cuius tempore pauci quodãmodo Episcopatum Clerici meruerunt. Erat enim gulæ deditus, cuius Deus venter fuit. nullúmque se asserebat esse prudentiorẽ. Confecitque duos libros, quasi Sedulium meditatus, quorum versiculi debiles nullis pedibus subsistere possunt: in quibus dum non intelligebat, pro longis syllabas breues posuit, & pro breuibus longas statuebat. Et alia opuscula, vel Hymnos, siue Missas, quæ nulla ratione suscipi possunt. Causas pauperum exosas habebat, Sacerdotes Domini assiduè blasphemabat: nec aliunde magis dum secretus esset, exercebat ridicula vel iocos, quàm de Ecclesiarum Episcopis. Illum ferebat leuem, alium superbum: illum abundantem, istum luxuriosum. Illum asserebat elatum, hunc tumidum. nullã rem plus odio habens quàm Ecclesias. Aiebat enim plerumque; *Ecce pauper remansit fiscus noster, ecce diuitiæ nostræ ad Ecclesias sunt translatæ. Nulli penitus, nisi soli Episcopi regnant. Periit honor noster, & translatus est ad Episcopos ciuitatum.* Hæc agens assiduè, testamenta, quæ in Ecclesiis conscripta erant, plerumque disrupit: ipsásque patris sui præceptiones, putans quod non remaneret qui voluntatem eius seruaret, sæpè calcauit. Iam de libidine atque luxuria non potest reperiri in cogitatione, quod non perpetrasset in opere. Nouáque semper ad lædendũ populum ingenia perquirebat. Nam si quos hoc tempore culpabiles reperisset, oculos eis iubebat erui, & in præceptionibus, quas ad Iudices pro suis vtilitatibus dirigebat, hæc addebat: *Si quis Præcepta nostra contempserit, oculorum euulsione mulctetur.* Nullum vnquam purè dilexit, à nullo dilectus est. Ideóque cùm spiritum exhalasset, omnes eum reliquerunt sui. Malulfus autem Siluanectensis Episcopus, qui iam tertia die in tentorio residebat, & ipsum videre non poterat, vt eum interemptum audiuit, aduenit: ablutúmque vestimentis melioribus induit. Nocte in hymnis deducta, in naui leuauit, & in Basilica sancti Vincentij, quæ est Parisius, sepeliuit, Fredegunde Regina in Ecclesia derelicta.

EXPLICIT LIBER VI.

A

GREGORII EPISCOPI TVRONENSIS HISTORIAE FRANCORVM LIBER SEPTIMVS.

Capitvla Libri.

I. LICET sit studium, Historiam prosequi, quam priorum Librorum ordo reliquit, tamen priùs aliqua de beati Saluij Episcopi obitu exposcit loqui deuotio, qui hoc anno obiisse probatur. Hic enim (vt ipse referre erat solitus) diu in habitu seculari commoratus, cum Iudicibus seculi mundiales causas est executus: nunquam tamen se in his concupiscentiis obligans, quibus adolescentum animus solitus est implicari. Iam cùm diuini spiramenti odor interna viscerum adtigisset, relicta seculari militia Monasterium expetiuit. Intellexítque vir iam tunc diuinitati deditus, melius esse vti paupertate cum Dei timore, quàm seculi pereuntis lucra sectari. In quo Monasterio diu sub Regula à patribus instituta versatus est. Iam verò cùm in robore maiori tam intellectus quàm ætatis euectus esset, defuncto Abbate qui huic Monasterio præerat, alendi gregis suscipit officium. B Et qui se magis Fratribus publicum pro correctione reddere debuerat, fit adsumpto honore remotior. Ilico sibi secretiorem Cellulam quærit. Nam in priore (vt ipse adserebat) ampliùs quàm nouem vicibus nimia exesus abstinentia, pellem corporis demutauit. Denique accepto honore, cùm in hac contentiùs parsimonia orationi & lectioni vacaret, illud plerunque reuoluebat, meliùs sibi fieri si esset inter Monachos occultus, quàm nomen acceperit Abbatis in populos. Quid plura? Includitur, vale dicens Fratribus, sibíque ipsis vale dicentibus. In qua inclusione in omni abstinentia magis quàm priùs egerat commoratur: studens pro charitatis obsequio, vt cùm quisque venisset extraneus, & orationem tribueret, & eulogias gratia plenissima ministraret, quæ multis infirmis plerumque salutem integram detulerunt. Quodam autem tempore, febre nimia exhaustus, anhelus iacebat in lectulo. Et ecce subitò, magno lumine Cellula clarificata contremuit. At ille extensis ad cœlum manibus, cum gratiarum actione spiritum exhalauit. Mixto quoque vlulatu Monachi cum ipsius genetrice corpus defuncti extrahunt, aqua diluunt, vestimentis induunt, & feretro superponunt, atque in psallentio fletúque labentem exigunt noctem. Mane autem facto, funeris officio præparato, corpus moueri cœpit in feretro. Et ecce malis rubescentibus, vir quasi de graui somno suscitatus excutitur, apertísque oculis & manibus „ eleuatis, ait; O Domine misericors, quid fecisti mihi, vt me in hunc tenebrosum „ mūdanæ habitationis locum redire permitteres; cùm mihi melior esset in cœlo tua „ misericordia, quàm istius mundi vita nequissima? Stupentibus autem suis, & interrogantibus, quid fuerit tale prodigium, nihil interrogantibus ille respondit. C Surgens autem de feretro, nihil mali sentiens de incommodo quo laborauerat, triduo absque cibi ac poculi perstitit alimento. Die autem tertio, conuocatis Mo„ nachis & matre ait: Audite ô dilectissimi, & intelligite, quia nihil est quod „ cernitis in hoc mundo: sed sunt iuxta id quod Salomon Propheta cecinit, omnia „ vanitas. Felix est enim qui ea agere potest in seculo, vt gloriam Dei cernere „ mereatur in cœlo. Et cùm hæc diceret, dubitare cœpit, vtrum loqueretur am„ plius an sileret. Quo tacente, implicitus Fratrum precibus, vt quid vidisset ex„ poneret, ait; Cùm me ante hos quatuor dies contremiscente Cellula exanimem vi„ distis, adprehensus à duobus Angelis in cœlorum excelsa sublatus sum, ita vt non „ solùm hoc squalidum seculum, verùm etiam Solem ac Lunam, nubes & sidera „ sub pedibus habere putarem. Deinde per portam luce ista clariorem introductus „ sum in illud habitaculum, in quo omne pauimentum erat quasi aurum argentúm„ que renitens, lux ineffabilis, amplitudo inenarrabilis: quā ita multitudo promiscui „ sexus obtexerat, vt longitudo ac latitudo cateruæ prorsus peruideri non possit. „ Cúmque nobis via inter comprimentes ab his qui præcedebant Angelis parare„ tur, peruenimus ad locum quem iam de longinquo contemplabamur: in quo

A superpendebat nubes omni luce lucidior. In quo non Sol, non Luna, non astrum cerni poterat, sed super his omnibus naturali luce splendidiùs effulgebat. Et vox procedebat de nube, tanquam vox aquarum multarum. Ibi etiam me peccatorem humiliter salutabant viri in veste Sacerdotali ac seculari, quos mihi qui præcedebant enarrauerunt esse Martyres ac Confessores, quos hîc summo excolimus famulatu. Stans igitur in loco, in quo iussus sum, operuit me odor nimiæ suauitatis, ita vt ab hac suauitate refectus, nullum adhuc cibum potúmque desiderem. Et audiui vocem dicentem, Reuertatur hic in seculum, quoniam necessarius est Ecclesiis nostris. Vox enim audiebatur. Nam qui loqueretur, penitus cerni non poterat. Et ego prostratus super pauimentum, cum fletu dicebam: Heu! heu Domine! cur mihi hæc ostendisti, si ab his frustrandus eram? Ecce hodie eiicis me à facie tua, vt reuertar ad seculum fragile, & huc vltra redire non valeam. Ne quæso Domine, auferas misericordiam tuam à me, sed deprecor vt permittas me hîc habitare, ne illuc decidens peream. Et ait vox quæ loquebatur mihi: Vade in pace. Ego enim sum custos tuus, donec reducam te in hunc locum. Tunc relictus à comitibus meis, descendens cum fletu, per portam qua ingressus fueram huc sum regressus. Hæc eo loquente, stupentibus cunctis qui aderant, cœpit iterum Sanctus Dei cum lachrimis dicere: Væ mihi qui tale mysterium ausus sum reuelare! Ecce B enim odor suauitatis, quem de loco sancto hauseram, & in quo per hoc triduum sine vllo cibo potúq; sustentatus sum, recessit à me. Sed & lingua mea grauibus est operta vulneribus, & ita tumefacta, vt omne os meũ videatur implere. Et scio quia non fuit beneplacitum Domino Deo meo, vt hæc arcana vulgarentur. Sed tu nosti Domine, quia in simplicitate cordis hæc feci, non in iactantia mentis. Sed quæso indulgeas, & non me derelinquas iuxta pollicitationem tuam. Et hæc dicens siluit, & accepit cibum potúmque. Ego verò hæc scribens, vereor ne alicui legenti sit incredibile, iuxta id quod Salustius Historiã scribens ait, vbi de virtute atque gloria bonorum memor est: *Quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit: suprà ea veluti ficta pro falsis ducit.* Nam testor Deum omnipotentem, quia ab ipsius ore omnia quæ retuli audita cognoui. Post multum verò tempus ipse vir beatus Cellula sua extractus, ad Episcopatum electus, inuitus est ordinatus. In quo (vt opinor) decimum annum cùm ageret, inualescente apud Albigensem vrbem inguinario morbo, & maxima iam parte de populo illo defuncta, cùm iam pauci de ciuibus remanerent, vir beatus tanquam bonus pastor, nunquam ab illo loco recedere voluit: sed semper hortabatur eos qui relicti erant, orationi incumbere, ac vigiliis instanter insistere, & bona semper tam in operibus quàm in cogitatione versare, dicens: Hæc agite, vt si vos Deus de hoc mundo migrare voluerit, non in iudicium, sed in requiem introire possitis. Cùm autem (vt credo) iam reuelante Domino, tempus suæ vocationis agnosceret, ipse sibi sarcofagum composuit, C corpus abluit, vestem induit: & sic intentum semper cœlo beatum spiritum exhalauit. Fuit autem magnæ sanctitatis, minimæque cupiditatis, aurum nunquam habere volens. Nam si coactus accepisset, protinus pauperibus erogabat. Cuius tempore cùm Mummolus Patritius multos captiuos ab ea vrbe duxisset, prosecutus ille omnes redemit. Tantámque ei Dominus gratiam cum populo illo tribuit, vt ipsi etiam qui captiuos duxerant, & de precio ei concederent, & in reliquo munerarent. & sic patriæ suæ captiuos libertati pristinæ restaurauit. Multáque de hoc viro bona audiui. Sed dum ad Historiæ cœptum reuerti cupio, plurima prætermitto.

II. DEFVNCTO igitur Chilperico, inuentáque quam diu quæsierat morte, Aurelianenses cum Blesensibus iuncti super Dunenses inruunt, eósque inopinantes proterunt, domos annonásque, vel quæ mouere facilè non poterant, incendio tradunt, pecora diripiunt, atque res quas leuare poterant, sustulerunt. Quibus discedentibus, coniuncti Dunenses cum reliquis Carnotenis, de vestigio subsequuntur, simili sorte eos adficientes qua ipsi adfecti fuerant: nihil in domibus, vel extra domos, vel de domibus relinquentes. Cúmque adhuc inter se iurgia commouentes desæuirent, & Aurelianenses contra hos arma concuterent, intercedentibus Comitibus pax vsque in audientiam data est: scilicet vt in die quo iudicium erat futurum, pars, quæ contra partem iniustè exarserat, iustitia mediante componeret. Et sic à bello cessatum est.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS.

III. VEDASTVS cognomento Auo, qui ante hos annos Lupum Ambrosiúmque pro amore vxoris Ambrosij interfecerat, & ipsam sibi (quæ consobrina sua esse dicebatur) in matrimonium acceperat, dum multa scelera infrà Pictauum terminum perpetraret, quodam loco cum Childerico Saxone coniunctus, dum se inuicem conuiciis lacessirent, vnus ex pueris Childerici Auonem hasta transfixit. Qui ad terram ruens, plerisque adhuc ictibus sauciatus, iniquam animam sanguine defluente refudit. Fuítque vltrix diuina maiestas sanguinis innocentis, quem propria effuderat manu. Multa enim furta, homicidia, adulteriáque miserrimus sæpè commiserat, quæ silere meliùs puto. Composuit tamen filiis Saxo ille mortem eius. A

IV. INTEREA Fredegundis Regina iam viduata Parisius aduenit, & cum thesauris, quos intra murorum septa concluserat, ad Ecclesiam confugit, atque à Ragnemodo fouetur Episcopo. Reliquos verò thesauros, qui apud villam Calam remanserant, in quibus erat missorium illud aureum, quod nuper fecerat, thesaurarij leuauerunt: & ad Childebertum Regem, qui tunc apud Meldensem commorabatur vrbem, velociter transierunt.

V. FREDEGVNDIS igitur Regina accepto consilio, Legatos ad Guntchramnum Regem mittit, dicens: Veniat dominus meus, & suscipiat Regnum fratris sui. Est, inquit, mihi infans paruulus, quem in eius vlnis ponere desiderans, meipsam eius humilio ditioni. Comperto autem Guntchramnus Rex de fratris excessu, amarissimè fleuit. Moderato quoque planctu, commoto exercitu Parisius dirigit. Cúmque ille intra muros susceptus fuisset, Childebertus Rex nepos eius ab alia aduenit parte. B

VI. SED cùm eum Parisiaci recipere nollent, Legatos ad Guntchramnum Regem dirigit, dicens: Scio, piissime pater, non latere pietatem tuam, qualiter vtrumque vsque præsens tempus pars obpresserit inimica, vt nullus de rebus sibi debitis possit inuenire iustitiã. Idcirco supplex nunc deprecor, vt placita, quę inter nos post patris mei obitum sunt innexa, custodiantur. Tunc Guntchramnus Rex Legatis illius ait: O miseri & semper perfidi, nihil in vobis verum habentes, neque in promissis permanentes! Ecce omnibus quæ mihi polliciti estis relictis, cum Chilperico Rege nouam pactionem scripsistis, vt me à Regno depulso, ciuitates meas inter se diuiderent. Ecce pactiones ipsas, ecce manus vestræ subscriptiones, quibus hanc conniuentiam cõfirmastis. Et qua nunc fronte quæritis, vt nepotem meum Childebertum suscipere debeam, quem mihi vestra peruersitate voluistis facere inimicũ? Cui Legati dixerunt: Si tantum mentem iracundia cepit, vt nihil nepoti tuo de his quę pollicitus es indulgeas; vel illa quæ de Regno Chariberti debentur auferre desiste. Quibus ille ait: Ecce pactiones quæ inter nos factæ sunt, vt quisquis sine fratris voluntate Parisius vrbem ingrederetur, amitteret partem suam, essétque Polioctus Martyr cum Hilario atque Martino Confessorib. iudex ac retributor eius. Post hæc ingressus est in eam germanus meus Sigibertus, qui iudicio Dei interiens, amisit partem suam. Similiter & Chilpericus gessit. Per has ergo transgressiones amiserunt partes suas. Ideóque quia illi iuxta Dei iudicium & maledictiones pactionum defecerunt, omne Regnum Chariberti cum thesauris eius meis ditionibus, lege opitulante, subiiciam: nec exinde alicui quicquam nisi spontanea voluntate indulgeam. Absistite igitur vos semper mendaces ac perfidi, & hæc Regi vestro referte. C

VII. QVIBVS discedentibus, Legati iterum Childeberti ad antedictum Regem veniunt, Fredegundem Reginam requirentes, atque dicentes: Redde homicidam, quæ amitam meam suggillauit, quæ patrem interfecit, & patruum: quæ ipsos quoque consobrinos meos gladio interemit. At ille, In placito, inquit, quod habemus, cuncta decernimus, tractantes quid oporteat fieri. Nam Fredegundẽ patrocinio suo fouebat, ipsámque sæpiùs ad conuiuium euocans, promittebat se ei fieri maximum defensorẽ. Quadã verò die dum pariter ad mensã epularentur, Regina cõsurgens, & vale dicens, à Rege detinebatur dicente sibi, Adhuc aliquid cibi sume. Cui illa, Indulge, inquit, deprecor domine mi, quia iuxta consuetudinem mulierum accidit mihi, vt pro conceptu surgam. Hæc ille audiens, obstupuit, sciens quartum esse mẽsem, ex quo alium ediderat filium. tamen permisit eam consurgere. Priores quoq; de Regno Chilperici, vt erat Ansoualdus, & reliqui, ad filiũ eius, qui erat (vt superiùs diximus) quatuor mensium, se collegerunt. Quem CLOTHARIVM vocitauerunt,

A exigentes sacramenta per ciuitates, quæ ad Chilpericum priùs aspexerant, vt scilicet fideles esse debeant Guntchramno Regi, ac nepoti suo Chlothario. Guntchramnus verò Rex omnia, quæ fideles Regis Chilperici, non rectè diuersis abstulerant, iustitia intercedente restituit. Multa & ipse Ecclesiis conferens, testamenta quoque defunctorum, qui Ecclesias hæredes instituerant, & ab Chilperico compressa fuerant, restaurauit. Multisque se benignum exhibens, ac multa pauperibus tribuens. GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS.

VIII. SED quia non erat fidus ab omnibus inter quos venerat, armis se muniuit, nec vnquam ad Ecclesiam, aut reliqua loca, quò ire delectabat, sine grandi pergebat custodia. Vnde factum est, vt quadam die Dominica, postquam Diaconus silentium populis, vt Missæ auscultarentur, indixit: Rex conuersus ad populum diceret: Adiuro vos, ô viri cum mulieribus qui adestis, vt mihi fidem inuiolatam seruare dignemini, nec me (vt fratres meos nuper fecistis) interimatis. Liceátque mihi vel tribus annis nepotes meos, qui mihi adoptiui facti sunt filij, enutrire, ne fortè contingat (quod Diuinitas æterna non patiatur) vt cum illis paruulis, me defuncto, simul pereatis. cùm de genere nostro robustus non fuerit qui defenset. Hæc eo dicente, omnis populus orationem pro Rege fudit ad Dominum.

B IX. DVM hæc agerentur, Riguntis Chilperici Regis filia, cum thesauris suprà scriptis, vsque Tholosam accessit. Et cernens se iam ad terminum Gothorum esse propinquam, moras innectere cœpit, dicentibus sibi tum præterea suis, oportere eam ibidem commorari, cùm ipsi fatigati de itinere vestimenta haberent inculta, calciamenta scissa: ipsósque equorum atque carrucarum adparatus adhuc, sicut plaustris euecti erant, seorsum esse disiunctos. Oportere potiùs omnia hæc priùs diligenter stabiliri, & sic in itinere proficisci, ac suscipi cum omni elegantia ab sponso: ne fortè si inculti inter Gothos adparerent, inriderentur ab ipsis. Dum ergo his retardarentur ex causis, mors Chilperici Regis in aures Desiderij Ducis inlabitur. Ipse quoque collectis secum viris fortissimis, Tholosam vrbem ingreditur, repertósque thesauros abstulit de potestate Reginæ, & in domum quandam sub sigillorum munitione, ac virorum fortium custodia, mancipat. deputans Reginæ victum arctum, donec ad vrbem regrederetur.

X. IPSE verò ad Mummolum, cum quo fœdus ante duos annos inierat, properauit. Morabatur tunc Mummolus infra muros Auennicæ vrbis cum Gundobaldo, cuius in Libro superiore meminimus. Qui coniunctus cum supradictis Ducibus, Lemouicinum accedens, Briuam Curretiam vicum, in quo sanctus Martinus nostri (vt aiunt) Martini discipulus requiescit, aduenit. Ibique parmæ superpositus, Rex est eleuatus. Sed cùm tertiò cum eodem girarent, cecidisse fertur: ita vt vix manibus circumstantium sustentari potuisset. Deinde ibat per ciuitates in circuitu positas. Riguntis verò in Basilica sanctæ Mariæ Tholosæ, in

C quam Ragnoualdi * vxor (cuius suprà meminimus) Chilpericum metuens confugerat, residebat. Ragnoualdus verò de Hispaniis rediens, vxori facultatíque restituitur. Legationis enim causâ Hispaniam petierat, à Rege Guntchramno directus. Magno ea tempestate incendio Basilica antedicti Martini beati apud Briuam vicum ab imminenti hoste cremata est, ita vt tam altarium quàm columnæ, quæ de diuersis marmorum generibus aptatæ erant, ab igne dissoluerentur. Sed ita hæc ædes in posterum à Ferreolo Episcopo reparata est, tanquam si nihil mali pertulerit. Vehementer enim admirantur venerantúrque hunc Sanctum incolæ, eò quòd plerumque virtutes eius experiantur. * al. Regnoualdi

XI. ERAT enim, cùm hæc agebantur, mensis decimus. Tunc adparuerunt in caudicibus vinearum palmites noui cum vuis deformatis: in arboribus flores. Farus magna per cœlum discurrens, quæ priusquam lux in die fieret, latè mundum illuminauit. Adparuerunt etiam in cœlo & radij. A parte Septentrionali, columna ignea quasi de cœlo pendens per duarum horarum spacium visa est, cui stella magna superposita erat. In Andegauo autem terra tremuit. & multa alia signa adparuerunt, quæ (vt opinor) ipsius Gundobaldi interitum nunciauerunt.

XII. IGITVR Guntchramnus Rex Comites suos ad comprehendendas ciuitates, quas quondam Sigibertus de Regno Chariberti fratris sui acceperat, direxit: vt exigentes sacramenta, suis eas ditionibus subiugarent. Turonici verò

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS.

atque Pictaui ad Childebertum Sigiberti filium transire voluerunt. Sed commoti Biturici contra eos venire disponunt, atque intra terminum Turonicum incendia facere cœperunt. Tunc Maroialensem Ecclesiam termini Turonici, in qua sancti Martini reliquiæ habebantur, incendio concremarunt. Sed virtus beati adfuit, vt in tam valido incendio pallulæ, quæ super altarium fuerant positæ, non consumerentur ab igne. Et non solùm ipsæ, sed etiam herbulæ olim collectæ, altarióque locatæ, nequaquam exustæ sunt. Quæ incendia videntes Turonici, Legationem mittunt, dicentes; Melius sibi esse ad tempus Guntchramno Regi subdi, quàm cuncta incendio aut ferro vastari.

XIII. CONFESTIM autem post mortem Chilperici, Gararicus Dux Lemouicas accesserat, & sacramenta ex nomine Childeberti susceperat. Exinde Pictauos veniens, ab ipsis receptus est, & ibi morabatur. Audiens autem quæ Turonici patiebantur, mittit Legationem, obtestans ne nos ad partem Guntchramni Regis tradere deberemus, si nobis vellemus esse consultum: sed meminerimus potiùs Sigiberti, qui quondam genitor Childeberti fuit. Nos verò hæc rursum Episcopo & ciuibus mandata remisimus, quòd nisi se ad tempus Guntchramno Regi subderent, similia paterentur. Adserentes hunc esse nunc patrem super duos filios, Sigiberti scilicet & Chilperici, qui ei fuerant adoptati: & sic tenere Regni Principatum, vt quondam Chlotharius Rex fecerat pater eius. His quoque non acquiescentibus, Gararicus de ciuitate egreditur, quasi exercitum adducturus. in vrbe verò Eberonem Cubicularium Childeberti Regis relinquens. Sicharius verò cum Vuillachario Aurelianensi Comite, qui tunc Turonis accesserat, exercitum contra Pictauos commouit, vt scilicet ab vna parte Turonici, ab alia Biturici commoti cuncta vastarent. Qui cùm ad terminum propinquassent, ac domos cremare cœpissent, miserunt ad eos Pictaui Legatos, dicentes; Petimus, vt vsque in placito, quod inter se Guntchramnus & Childebertus Reges habent, sustineatis. Quòd si conuenit, vt pagos hos Rex Guntchramnus accipiat, non resistimus: sin aliud, Dominum nostrum recognoscimus, cui seruire pleniùs debeamus. Ad hæc illi responderunt: Nihil ad nos de hac causa pertinet, nisi tantùm iussa Principis adimplere. Nam si nolueritis, cuncta vt cœpimus deuastamus. Cúmque in hoc res ageretur, vt vniuersa incendio, prædæ, atque captiuitati traderentur: eiectis de ciuitate hominibus Childeberti, sacramenta Guntchramno Regi dederunt, non longo tempore ea custodientes.

XIV. IGITVR adueniente placito, directi sunt à Childeberto Rege Egidius Episcopus, Guntchramnus Boso, Sigiualdus, & alij multi, ad Guntchramnum Regem. Ingressisque ad eum, ait Episcopus: Gratias agimus Deo omnipotenti, ô piissime Rex, quòd te post multos labores regionibus tuis Regnóque restituit. Cui Rex ait: Illi enim dignæ sunt gratiæ referendæ, qui est Rex regum, & Dominus dominorum: qui hæc sua miseratione operari dignatus est. Nam non tibi, cuius consilio doloso ac periuriis regiones meæ anno superiore incensæ sunt, qui nunquam fidem integram cum vllo homine habuisti, cuius dolositas vbique dispergitur, qui non Sacerdotem, sed inimicum Regni nostri te esse declaras. Ad hæc verba Episcopus iracundiâ commotus siluit. Vnus autem ex Legatis dixit: Supplicat nepos tuus Childebertus, vt ciuitates, quas pater eius tenuit, reddi iubeas. Ad hæc ille respondit: Iam dixi vobis priùs, quia pactiones nostræ mihi hæc conferunt: ideóque eas reddere nolo. Alius quoque Legatorum ait: Rogat nepos tuus vt Fredegundem maleficam, per quam multi Reges interfecti sunt, reddi iubeas, ad vlciscendam mortem patris, patrui, & consobrinorum suorum. Ait ille: Tradi ei, inquit, in potestatem non poterit, quia filium Regem habet. Sed & ea quæ contra illam adseritis, vera esse non credo. Post hos Guntchramnus Boso, quasi aliquid suggesturus, ad Regem accedit. Et quia sonuerat Gundobaldum manifestè Regem leuatum, anticipans Rex verba eius ait: O inimici regionis Regnique nostri, qui propterea ante hos annos Orientem adgressus es, vt Ballomerem quemdam (sic enim vocabat Rex Gundobaldum) super Regnum nostrum adduceres: semper perfide, & nunquam custodiens quæ promittis. Cui ille: Tu, inquit, Dominus & Rex regali in solio resides, & nullus tibi ad ea quæ loqueris, ausus est respondere. Insontem enim me de hac causa profiteor. At si aliquis est similis mihi, qui hoc crimen impingat occultè, veniat

Ballomer i. falsus dominus, pseudoprinceps.

A nunc palam, & loquatur. Tu, ô Rex piissime, ponens hoc in Dei iudicio, vt ille discernat cùm nos in vnius campi planitie viderit dimicare. Ad hæc cunctis silentibus, addidit Rex: Omnibus autem hæc causa animos accendere debet, vt repellatur à finibus nostris aduena, cuius pater molendina gubernauit: & (vt verè dicam) pater eius pectinibus insedit, lanásque composuit. Et quamquam possit fieri, vt vnus homo vtriusque artificij magisterio subderetur, ad increpationem tamen Regis quidam ex ipsis respondit: Ergo duos, vt adseris, patres hic homo habuit, lanarium simul molendinariúmque. Absit à te, ô Rex, vt tam incultè loquaris. Non enim auditum est, vnum hominem præter spiritalem causam, duos habere posse pariter genitores. Dehinc cùm multi soluerentur in risu, respondit alius Legatorum dicens: Vale dicimus tibi ô Rex. Nam quia reddere noluisti ciuitates nepotis tui, scimus saluam esse securim, quæ fratrum tuorum capitibus est defixa: celeriùs tuum librabit defixa cerebrum. Et sic cum scandalo discesserunt. Tunc Rex his verbis succensus, iussit super capita euntium proiici equorum stercora, putrefactas hastulas, paleas, ac fœnum putredine dissolutum, ipsúmque fœtidum vrbis lutum. Quibus de rebus maculati grauiter, non sine immensa iniuria atque contumelia abierunt.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS.

XV. RESIDENTE verò Fredegunde Regina in Ecclesia Parisiaca, Leonardus ex domestico, qui tunc ab vrbe Tholosa aduenerat, ingressus ad eam, causas contumeliæ, iniuriásque filiæ eius narrare cœpit, dicens: Quia iuxta imperium tuum
B accessi cum Regina Rigunthe, ac vidi humilitatem eius, & qualiter expoliata est à thesauris & omnibus rebus: ego verò per fugam dilapsus, veni nunciare Dominæ meæ quæ gesta sunt. Hæc illa audiens, furore commota, iussit eum in ipsa Ecclesia spoliari, nudatúmque vestimentis ac baltheo, quod ex munere Chilperici Regis habebat, discedere à sua iubet præsentia. Coquos quoque siue pistores, vel quoscumque de hoc itinere regressos esse cognouit, cæsos, spoliatósque, ac demanicatos reliquit. Nectarium autem Baudegisili Episcopi fratrem nefandis accusationibus cum Rege * tentauit obruere, adserens eum de thesauro Regis mortui multa portasse. Sed & de promptuariis tam tergora quàm vina multa eum abstulisse dicebat. petens vt vinctus carceralibus tenebris truderetur. Sed patientia Regis, fratrisque auxilium fieri non permisit. Multa quidem ibi vana exercens, non metuebat Deum, in cuius Ecclesia petebat auxilium. Habebat tunc temporis secum Audonem Iudicem, qui ei tempore Regis in multis consenserat malis. Ipse enim cum Mummolo Præfecto multos de Francis, qui tempore Childeberti Regis senioris ingenui fuerant, publico tributo subegit. Qui post mortem Regis ab ipsis spoliatus ac denudatus est, vt nihil ei, præter quod super se auferre potuit, remaneret. Domos enim eius incendio subdiderunt. Abstulissent vtique & ipsam vitam, ni cum Regina Ecclesiam expetisset.

* i. apud Regem.

XVI. PRÆTEXTATVM verò Episcopum ægrè suscipit, quem ciues Rothomagenses post excessum Regis de exilio expetentes, cum grandi lætitia & laude
C ciuitati suæ restituerunt. Post reditum verò suum, ad vrbem Parisiacam aduenit, ac se Guntchramno Regi repræsentauit, exorans vt causam suam diligenter exquireret. Adserebat enim Regina, eum non debere recipi, qui fuisset per iudicium quadraginta quinque Episcoporum à Sacerdotali officio segregatus. Cúmque Rex pro hac causa Synodum excitare vellet, Ragnemodus huius vrbis Episcopus, pro omnibus responsum reddidit, dicens: Scitote ei pœnitentiam indictam à Sacerdotibus, non tamen eum prorsus ab Episcopatu remotum. Et sic à Rege susceptus, atque conuiuio eius adscitus, ad vrbem suam regressus est.

XVII. PROMOTVS verò, qui in Dunensi castro, ordinante Sigiberto Rege, Episcopus fuerat institutus, & post mortem Regis amotus fuerat, eo quòd castrũ illud esset diœcesis Carnotenæ, contra quem ita iudicium latum fuerat, vt Presbyterij tantum officio fungeretur, accessit ad Regem, deprecãs vt ordinationem Episcopatus in antedicto castro reciperet. Sed obsistẽte Pappolo Carnotenæ vrbis Episcopo, ac dicente, quia diœcesis meæ est, ostendente præsertim iudicio Episcoporum, nihil aliud potuit obtinere cum Rege, nisi ea quæ sub ipsius castri termino propria habebat reciperet, in qua cũ genitrice adhuc superstite moraretur.

XVIII. COMMORANTE verò Rege apud vrbem Parisiacam, venit quidam pauper, dicens: Audi Rex verba oris mei. Noueris enim quia Faraulfus Cubi-

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS.

cularius quondam fratris tui quærit te interficere. Audiui enim consilium eius, vt eunte te matutina oratione ad Ecclesiam, aut cultro adpeteret, aut hasta transfoderet. Obstupefactus autem Rex, misit vocari eum. Quo negante de his, Rex metuens, armis se valde muniuit. Nec penitus ad loca sancta, vel aliò, nisi vallatus armatis atque custodibus procedebat. Faraulfus autem non post multum tempus mortuus est. A

XIX. CVM autem clamor fieret magnus aduersus eos, qui potentes cum Rege fuerant Chilperico, scilicet quòd abstulissent vel villas, vel res reliquas de rebus alienis: omnia quæ iniustè ablata fuerant Rex reddi præcepit, sicut iam superiùs indicatum est. Fredegundem quoque Reginam ad villam Rotoialensem, quæ in Rothomagensi termino sita est, abire præcepit. Secutique sunt eam omnes meliores natu Regni Chilperici Regis. Ibique relinquentes eam cum Melanio Episcopo, qui de Rothomago submotus fuerat, ad filium eius se transtulerunt: promittentes quòd ab eis studiosissimè nutriretur.

XX. POSTQVAM autem Fredegundis Regina ad supradictam villam abiit, cùm esset valde mœsta, quòd ei potestas ex parte fuisset ablata, meliorem se existimans Brunichilde, misit occultè Clericum sibi familiarem, qui eam circumuentam dolis interimere posset: videlicet vt cùm se subtiliter in eius subderet famulatum, ab ea credi posset, & sic clam percelleretur. Veniens igitur Clericus cum diuersis ingeniis se eidem commendauit, dicens: „A facie Fredegundis Reginæ fugio,„ deposcens auxilium tuum. Cœpit se etiam omnibus reddere humilem, charum, obedientem, ac Reginæ priuatum. Sed non longo tempore interposito, intellexerunt eum dolosè transmissum. Vinctúsque ac cæsus, cùm rem patefecisset occultam; redire permissus est ad patronam. Referénsque quæ acta fuerant, effatus quòd iussa patrare non potuisset, manuum ac pedum abscissione mulctatur. B

XXI. HIS ita gestis, cùm Rex Guntchramnus Cabillonum regressus, mortem fratris conaretur inquirere, & Regina crimen super Eberulfum Cubicularium imposuisset. (Rogatus enim fuerat ab ea, vt post mortem Regis cum ipsa resideret. sed obtinere non potuit.) Hæc ergo inimicitia pullulante adseruit Regina ab eodem Principem fuisse interfectum, ipsúmque multa de thesauris abstulisse, & sic in Turonicum transisse. Ideóque si Rex mortem fratris desideraret vlcisci, nouerit huius causæ hunc esse signiferum. Tunc Rex iurauit omnibus Optimatibus, „Quòd non modò ipsum, verùm etiam progeniem eius in nonam generationem deleret, vt per horum necem consuetudo auferretur iniqua, ne Reges amplius interficerentur. Quod cùm Eberulfus comperisset, Basilicam sancti Martini, cuius res sæpè peruaserat, expetiuit. Tunc data occasione vt custodiretur, Aurelianenses atque Blesenses vicissim ad has excubias veniebant. Impletisque quindecim diebus, cum multa præda reuertebantur: adducentes iumenta, pecora, vel quodcumque diripere potuissent. Illi verò, qui beati Martini iumenta abduxerant, commota altercatione, se inuicem lanceis transfixerunt. Duo qui mulas diripiebant, in domum vicini cuiusdam accedentes, potum rogare cœperunt. Cúmque ille se habere negaret, eleuatis lanceis vt eum transfoderent, hic extracto gladio vtrumque perfodit. ceciderúntque ambo, & mortui sunt. Iumenta tamen sancti Martini reddita sunt. Tantáque ibi tunc mala per hos Aurelianenses gesta sunt, vt nequeant explicari. C

XXII. DVM autem hæc agerentur, res ipsius Eberulfi diuersis conceduntur. Aurum argentúmque, vel alias meliores species, quas secum retinebat, in medio exposuit. Quod verò commendatum * habuit, publicatum est; Greges etiam equorum, porcorum, iumentorúmque diripiuntur. Domus verò inframuranea, quam de dominatione Ecclesiæ abstulerat, referta annonis, vino, atque tergoribus, rebúsque aliis multis, adplenè spoliata est. nec ibi aliud quàm parietes vacui remanserunt. Ex hoc nos maximè suspectos habebat, qui in causis eius fideliter currebamus: promittens plerumque, quòd si vnquam ad Regis gratiam perueniret, in nobis hæc quæ perferebat vlcisceretur. Deus enim nouit, cui arcana pectoris reuelantur, quia de puro corde inquantum potuimus solatium ministrauimus. Et quamquam multas nobis insidias priùs de rebus S. Martini fecisset, extabat tamen causa vt easdem obliuiscerer, eò quòd filium eius de sacro

* i. apud alios depositum

A lauacro suscepissem. Sed credo infelici ea res maximum fuit impedimentum, quòd nullam reuerentiam Sancto præstabat Antistiti. Nam sæpè cædes infra ipsum atrium, quod ad pedes Beati erat, exegit, exercens assiduè ebrietates ac vanitates. Presbyterum quoque vnum, pro eo quòd ei vinum dare differret, cùm iam crapulatus aspiceret, elisum super scamnum pugnis ac diuersis ictibus verberauit, vt penè animam reddere videretur. Et fecisset forsitan, si ei medicorum ventosæ non subuenissent. Habebat enim pro timore Regis in ipso salutatorio Basilicæ mansionem. Cùm autem Presbyter, qui claues ostij retinebat, clausis reliquis recessisset, per illud salutatorij ostium introeuntes puellæ cum reliquis pueris eius suspiciebant picturas parietum, rimabantúrque ornamenta beati sepulchri. quod valde facinorosum religiosis erat. Quod cùm Presbyter cognouisset, defixis clauis super ostium, intrinsecus seras aptauit. Hæc ille cùm post cœnam vino madidus aduertisset, & nos in Basilica in initio noctis orationis gratia psalleremus, furibundus ingreditur, méque conuiciis ac maledictionibus vrgere cœpit: illud inter iurgia exprobrans, quòd ego eum velim à sancti Antistitis fimbriis separare. Sed ego stupens quæ virum cepisset insania, blandis eum sermonibus mulcere conatus sum. Sed cùm eius furias verbis lenibus superare non possem, silere decreui. Ille verò me tacitum intendens, ad Presbyterum conuertitur, euomitque in eum multa conuicia. Nam & illum verbis pro-B cacibus, & me diuersis obprobriis impugnabat. Nos verò cùm vidissemus eum (vt ita dicam) agi à dæmone, egressi à Basilica sancta scandalum vigiliásque finiuimus. Illud maximè indignum ferentes, quòd ad hoc iurgium absque reuerentia Sancti, ante ipsum sepulchrum Antistitis excitauerat. His diebus vidi somnium, quod ipsi in sancta Basilica retuli dicens: Putabam me quasi in hac Basi- « lica sacrosancta Missarum solemnia celebrare. Cúmque iam altarium cum obla- « tionibus pallio serico opertum esset, subitò ingredientem Guntchramnum Re- « gem conspicio, qui voce magna clamabat: Extrahite inimicum generationis no- « stræ, euellite homicidam à sacro Dei altario. At ego cùm hæc audirem, ad te « conuersus dixi: Adprehende pallium altaris, infelix, quo sacra munera conte- « guntur, ne hinc abiiciaris. Cúmque adprehenderes, laxabas eum manu, & non « viriliter detinebas. Ego verò expansis manibus contra pectus Regis, meum pe- « ctus aptabam dicens: Noli eiicere hunc hominem de Basilica sancta, ne vitæ pe- « riculum patiaris, ne te sanctus Antistes sua virtute confodiat. Noli te proprio « iaculo interimere: quia hoc si feceris, pręsenti vita æternáque carebis. Sed cùm « Rex mihi resisteret, tu laxabas pallium, & post me veniebas. Ego verò valde ti- « bi molestus eram. Cúmque reuerteres ad altarium, adprehendebas pallium, sed « rursum relinquebas. Dum hoc tu tepidè retineres, & ego viriliter Regi resiste- « rem, euigilaui pauore conterritus, ignarus quid somnium indicaret. Igitur cùm « C ei ista narrassem, ait: Verum est somnium quod vidisti, quod valde cogitationi « meæ concordat. Cui ego, Ecquid prouidit cogitatio tua? Et ille, Deliberatum, « inquit, habui, vt si me Rex ab hoc loco iuberet extrahi, ab vna manu pallas al- « taris tenerem: ab alia verò euaginato gladio te priùs interfecto, quantoscumque « deinceps Clericos reperissem, in mortem prosternerem. Nec mihi post hæc erat « iniuria, letho succumbere, si de huius Sancti Clericis acciperem vltionem. Hæc « ego audiens & stupens, admirabar quod erat, quia per os eius diabolus loquebatur. Nunquam enim in Deum vllum timorem habuit. Nam dum esset in libertate, equi eius ad pecora per segetes pauperum vineásque dimittebantur. Quòd si expellebantur ab his quorum euertebant labores, statim à suis percellebantur. Nam in hac angustia qua erat, sæpè commemorabat, quòd res beati Antistitis abstulisset iniustè. Denique anno superiore commotum quemdam leuem, è ciuibus Ecclesiæ, actores fecit interpellare. Tunc postposita iustitia, res quas olim Ecclesia possidebat sub specie emptionis abstraxit, data ipsi homini parte aurea balthei sui. Hæc & talia multa peruersè egit vsque ad finem vitæ suę, quem in posterum explanabimus.

XXIII. PRÆSENTI quoque anno Armentarius Iudæus cum vno sectæ suæ satellite, & duobus Christianis ad exigendas cautiones, quas ei propter tributa publica Iniuriosus ex Vicario, ex Comite verò Eunomius deposuerant, Turonis aduenit. Interpellatísque viris, promissionem accepit de reddendo pecuniæ fœ-

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS.

nore cum vsuris, dicentibus sibi præterea ipsis: Si ad domum nostram veneris, A & quæ debentur exsoluimus, & aliis te muneribus, sicut dignum est, honoramus. Eo quoque eunte ab Iniurioso suscipitur, & conuiuio conlocatur. Expletóque epulo, adpropinquante nocte commoti ab eodem loco ad alium transeunt. Tunc (vt ferunt) Iudæi cum duobus Christianis ab Iniuriosi hominibus interfecti, in puteum, qui propinquus erat domui eius, proiecti sunt. Auditis his parentes eorum quæ gesta fuerant, Turonis aduenerunt. Datóque quibusdam hominibus indicio puteum reperiunt, virósque extrahunt: multum negante Iniurioso, quòd in hac causa non fuerat inquinatus. Post hæc in iudicium venit. Sed cùm fortiter (vt diximus) denegaret, & hi non haberent qualiter eum conuincere possent, iudicatum est, vt se insontem redderet sacramento. Sed nec hoc his adquiescentibus, placitum in Regis Childeberti præsentia posuerunt. Verumtamen neque pecunia, neque cautiones Iudæi defuncti repertæ sunt. Loquebantur tunc multi hominum Medardum Tribunum in hoc scelere mixtum fuisse, eo quòd & ipse à Iudæo pecuniam mutuasset. Iniuriosus tamen ad placitum in conspectu Regis Childeberti aduenit, & per triduum vsque occasum Solis obseruauit. Sed cùm hi non venissent, neque de causa hac ab vllo interpellatus fuisset, ad propria rediit.

XXIV. ANNO igitur decimo Childeberti Regis, Rex Guntchramnus commotis gentibus Regni sui magnum iunxit exercitum. Sed pars maior cum Aurelia- B nensibus atque Bituricis Pictauum petiit. Excesserant enim de fide, quam Regi promiserant. Miserúntque prius Legationem, vt scirent vtrum susciperentur ab his, an non. Sed Episcopus loci Maroueus durè suscepit hos nuncios. At illi infra terminum ingressi, prædas, incendia, atque homicidia faciebant. Hi verò, qui cum præda reuertebantur, per Turonicum transeuntes, similiter illis, qui iam sacramenta dederant, faciebant. Ita vt ipsæ quoque Ecclesiæ incenderentur, & quæcumque inuenire potuissent, diriperentur. Quod sæpiùs actum est, dum illi ad Regem ægrè conuerterentur. Sed cùm exercitus propiùs ad vrbem accederet, etiam pars maxima regionis deuastata cerneretur, tunc miserunt nuncios, fideles se Regi Guntchramno fatentes. At illi infra muros vrbis recepti, super Episcopum inruerunt, dicentes eum infidelem esse. Ille verò cùm se ab his cerneret coarctatum, effracto vno de sacris ministeriis calice aureo, & in numismata redacto, se populúmque redemit.

XXV. MARILEIFVM verò, qui primus Medicorum in domo Chilperici Regis habitus fuerat, ardentissimè vallant. Et qui iam à Gararico Duce valdè spoliatus fuerat, ab his iterum denudatur: ita vt nulla ei substantia remaneret. Equos quoque eius, aurum argentúmque, siue species quas meliores habebat, pariter auferentes, ipsum ditioni Ecclesiasticæ subdiderunt. Seruitium enim patris eius tale fuerat, vt molendina Ecclesiastica studeret, fratrésque ac consobrini, vel reliqui parentes, culinis dominicis, atque pistrino subiecti erant. C

XXVI. GVNDOBALDVS verò Pictauum accedere voluit, sed timuit. Audierat enim iam contra se exercitum commoueri. In ciuitatibus enim, quæ Sigiberti Regis fuerant, ex nomine Regis Childeberti sacramenta suscipiebat. In reliquis verò, quæ aut Guntchramni aut Chilperici fuerant, nomine suo, quòd fidem seruarent iurabant. Post hæc Egolismam * accessit, susceptisque sacramentis, muneratisque prioribus, Petrogoricum adgreditur. Grauiter Episcopum tunc iniuriatum reliquit, pro eo quòd susceptus ab eodem non fuisset.

* al. Ecolesinam

XXVII. EXINDE Tholosam digressus, emisit nuncios ad Magnulfum * Episcopum ciuitatis, vt ab eo susciperetur. Sed ille non immemor prioris iniuriæ, quam per Sigulfum quondam (qui se in Regno eleuare voluit) pertulerat, dixit " ciuibus suis: Scimus enim Regem esse Guntchramnum, ac nepotem eius Chil" debertum. Hunc autem nescimus vnde sit. Estote ergo parati. Et si voluerit De" siderius Dux hanc calamitatem inducere super nos, simili vt Sigulfus sorte de" pereat: sitque omnibus exemplum, ne quis extraneorum Francorum Regnum " audeat violare. His ita resistentibus, & bellum parantibus, adueniente Gundobaldo cum magno exercitu, cùm vidissent quòd sustinere non possent, susceperunt eum. Post hæc cùm ad conuiuium in domo Ecclesiæ Episcopus vna cum " Gundobaldo resideret, ait: Filium te Chlotharij Regis adseris. sed vtrum sit

* al. Manulfum

verum

A verum an non, ignoramus. Et si possis vindicare cœpta, incredibile habetur apud animos nostros. At ille ait: Ego Regis Chlotharij sum filius, & partem Regni de præsenti sum percepturus, & vsque Parisius velociter accedam, & ibi sedem Regni statuam. Cui Episcopus ait: Verum ne est ergo, quòd nullus de stirpe Francorum remansit, si tu quæ dicis impleueris? Inter has altercationes, cùm hæc Mummolus exaudisset, eleuata manu alapis cecidit Episcopum, dicens: Non pudet, vt tam degener & stultus ita magno Regi respondeat? Verùm vbi & Desiderius de consilio Episcopi comperit quæ fuerant dicta, ira commotus, manus in eum iniecit. Cæsúmque communiter hastis, pugnis, & calcibus, ac fune reuinctum, exilio damnauerunt, res eius tam proprias quàm Ecclesiæ integrè auferentes. Vuaddo autem, qui erat Maior domus Reginæ Rigunthis, se eisdem copulauit. Reliqui verò, qui cum eo abierant, per fugam dilapsi sunt.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS.

XXVIII. Post hæc exercitus ab vrbe Pictaua remotus in antea, post Gundobaldum proficiscitur. Secutique sunt eum de Turonicis multi lucri causa. Sed Pictauis super eum inruentibus, nonnulli interempti, plurimi verò spoliati redierunt. Hi autem, qui de his ad exercitum priùs iunxerant, pariter abierunt. Itaque exercitus ad Dorononiam fluuium accedens, præstolari cœpit, quid de Gundobaldo cognosceret. Cui iam (vt supradictum est) adhæserant dux Desiderius & Bladastes, cum Vuaddone Maiore domus Riguntbis Reginæ. Erant enim primi cum eo Sagittarius Episcopus, & Mummolus. Sagittarius enim iam promissionem de B Episcopatu Tholosano acceperat.

XXIX. Dvm autem hæc agerentur, misit Rex Guntchramnus Claudium quemdam dicens: Si abieris, inquit, & eiectum de Basilica Eberulfum aut gladio interemeris, aut catenis vinxeris, magnis te muneribus locupletabo. Veruntamen ne sanctæ Basilicæ iniuriam inferas omnino, commoneo. Ille verò, vt erat vanitati atque auaritiæ deditus, velociter Parisius aduolauit. Vxor enim ei ex Meldensi territorio erat. Voluere animo cœpit, vtrum Fredegundem Reginam expeteret, dicens: Si eam videro, elicere ab ea aliquid muneris possum. Scio enim eam esse homini, ad quem directus sum, inimicam. Tunc accedens ad eam, de præsenti munera magna capiens, promissiones multas elicuit, vt aut extractum à Basilica Eberulfum occideret, aut circumuentum dolis, catenis vinciret, aut certè in ipso eum atrio trucidaret. Regressus autem ad Dunense castrum, Comitem commonet, vt ei trecentos viros quasi ad custodiendas Turonicæ vrbis portas adiungeret: scilicet vt cùm venisset, per eorum solatium Eberulfum posset opprimere. Cúmque Comes loci viros istos commoneret, Claudius Turonis accessit. Et cùm iter ageret (vt consuetudo est barbarorum) auspicia intendere cœpit, ac dicere sibi esse contraria: simúlque interrogare multos, Si virtus beati Martini de præsenti manifestaretur in perfidis? Aut certè si aliquis iniuriam in eum sperantibus intulisset, si protinus vltio sequeretur? Igitur postpositis (vt diximus) viris qui ad solatium eius venire debuerant, ipse ad Basilicam sanctam accessit. Statimque infelici Eberulfo coniunctus, sacramenta dare cœpit, ac iurare per omnia sacrosancta, vel virtutem præsentis Antistitis, nullum in causis eius fore fideliorem, qui ita cum Rege causas eius possit exserere *. Hoc enim apud se consilium habuerat miserrimus, Nisi eum peierando decepero, non vincam. Verùm vbi vidit Eberulfus, quòd ei talia cum sacramento in ipsa Basilica, ac per porticus, & singula loca atrij veneranda promitteret, credidit miser homini peieranti. Die autem altero, cùm nos in villa quasi milia XXX. ab vrbe commoraremur, ad conuiuium Basilicæ sanctæ cum eodem & reliquis ciuibus est adscitus. Ibiq; eum Claudius gladio ferire voluit, si pueri eius longiùs adstitissent. Verumtamen nunquam hæc Eberulfus, vt erat vanus, aduertit. Postquam autem conuiuium est finitum, ipse simul ac Claudius per atrium domus Basilicæ deambulare cœperunt, sibi inuicem fidem ac charitatem sacramentis intercurrentibus promittentes. His ita loquentibus, ait Claudius Eberulfo: Delectat animum ad metatum tuum haurire potum, si vina odoramentis essent immixta, aut certè potentioris vini libationem strenuitas tua requireret. Hæc eo dicente, gauisus Eberulfus, respondit habere se, dicens: Et omnia quæ volueris ad metatum meum reperies: tantum vt dignetur dominus meus tugurium ingredi mansionis meæ. Misitque pueros vnum post alium ad requirenda potentiora vina, Laticina videlicet atque Gazitina. Cúmque illum à pueris relictum solum Claudius conspexisset, ele-

* al. exercere.

C

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. uata contra Basilicam manu, ait: Martine beatissime, fac me vxorem cum parentibus citò videre. Infelix enim in discrimine positus, & hunc interficere in atrio cogitabat, & virtutem sancti Antistitis metuebat. Tunc vnus è pueris Claudij, qui erat robustior, adprehensum Eberulfum à tergo validioribus lacertis adstringit, resupinatúmque pectus eius ad iugulandum parat. At Claudius, extracto à baltheo gladio, ad eum dirigit. Sed & ille prolatum à cingulo ferrum se ad percutiendum, dum teneretur, adaptat. Cúmque Claudius eleuata dextera cultrum eius pectori iniecisset, & ille non segniter sub ascella illius pugionem defixisset, retractóque ad se, librato ictu pollicem Claudij intercidit. Ex hoc conuenientes pueri eius cum gladiis, Eberulfum diuersis ictibus sauciant. Quorum de manu dilapsus, dum fugere iam exanimis niteretur, extracto gladio caput eius grauissimè verberant. effusóque cerebro cecidit, & mortuus est. Nec promeruit ab eo saluari, quem fideliter nunquàm intellexit exposcere. Igitur Claudius timore perterritus, Cellulam Abbatis expetiit, ab eo tutari se cupiens, in cuius patronum reuerentiá habere non sapuit. Illo quoque residente, ait: Perpetratum est scelus immensum, & nisi tu subueneris, peribimus. Hæc eo loquente, inruerunt pueri Eberulfi cum gladiis ac lanceis. Obseratúmque reperientes ostium, effractis Cellulæ vitreis, hastas per parietis fenestras iniiciunt, Claudiúmque iam semiuiuum ictu transfigunt. Satellites autem eius post ostia & sub lectis abduntur. Abbas adprehensus à duobus Clericis, inter gladiorum acies vix viuus eripitur: reseratísque ostiis turba gladiatorum ingreditur. Nonnulli etiam matriculariorum & reliquorum pauperum, pro scelere commisso tectum Cellulæ conantur euertere. Sed & energumeni, ac diuersi egeni cum petris & fustibus ad vlciscendam Basilicæ violentiam proficiscuntur, indignè ferentes, cur talia, quæ nunquam facta fuerant, essent ibidem perpetrata. Quid plura? Extrahuntur fugaces ex abditis, & crudeliter trucidantur. pauimentum Cellulæ tabo maculatur. Postquam verò interempti sunt, extrahuntur foras, & nudi super humum frigidam relinquuntur. Percussores verò nocte sequenti adprehensis spoliis fugâ dilabuntur. Adfuit autem Dei vltio de præsenti super eos, qui beatum atrium humano sanguine polluerunt. Sed nec eius facinus paruum esse censetur, quem talia beatus Antistes perferre permisit. Magnam ex hoc Rex iracundiam habuit. sed cognita ratione quieuit. Res tamen ipsius infelicis, tam mobiles quàm immobiles, quod à prioribus relictum fuerat, suis fidelibus condonauit. Qui vxorem eius valde spoliatam in sancta Basilica reliquerunt. Corpus verò Claudij & reliquorum parentes proximi auferentes in suam regionem, sepelierunt.

XXX. IGITVR Gundobaldus duos ad amicos suos Legatos direxit, Clericos vtique: ex quibus vnus Abbas Cadurcinæ vrbis literas, quas acceperat, cauata codicis tabula sub cera recondidit. Sed adprehensus ab hominibus Regis Guntchramni, repertis literis, in Regis præsentiam est deductus. Qui cæsus grauissimè, in custodiam est retrusus.

XXXI. ERAT tunc temporis Gundobaldus in vrbe Burdegalensi à Bertchramno Episcopo valde dilectus. Inquirens autem quæ ei causæ solatium præbere possent, narrauit quidam, quòd aliquis in partibus Orientis Rex, ablato sancti Sergij Martyris pollice, in dextro brachio corporis sui seruisset. Cúmque ei necessitas ad depellendum inimicos obuenisset, in hoc confisus auxilio, vbi dextri lacerti erexisset vlnam, protinus multitudo hostium quasi Martyris obpressa virtute, labebatur in fugam. Hæc audiens Gundobaldus, inquirere diligentiùs cœpit, quisnam esset in eo loco qui reliquias sancti Sergij Martyris meruisset accipere. Interea proditus ab Episcopo Bertchramno * Eufron negociator per inimicitiam, quia inuitum aliquando eum totonderat, inhians facultati eius. Quod ille despiciens, ad aliam vrbem transiens, cæsarie crescente regreditur. Ait ergo Episcopus: Est hic quidam Syrus Eufron nomine, qui de domo sua Ecclesiam faciens, huius Sancti reliquias collocauit: & plurima ex his signa virtute Martyris opitulante conspexit. Nam cùm tempore quodam Burdegalensis ciuitas maximo flagraret incendio, hæc domus circundata flammis nullatenus est adusta. Ista eo dicente, statim Mummolus cursu rapido cum Episcopo Bertchramno ad domum Syri accedit: vallatóque homine, pignera sibi sancta præcepit ostendi. Negat ille. Tamen cogitans, quòd pro malitia aliqua ei hæ pararentur insidiæ, ait: Noli fatigare senem, nec Sancto inferre iniuriam: sed acceptis à me centum au-

* al. Bertranno

A reis abscede. Illo quoque insistente, vt sanctas videret reliquias, ducentos aureos obtulit: & nec sic obtinuit eum recedere, nisi ipsa pignera viderentur. Tunc Mummolus eleuari ad parietem scalam iubet. Erant enim in sublimi parietis contra altarium in capsula reconditæ. Diaconum suum scandere præcepit: Qui per gradus scandens scalæ, adprehendens capsam, ita tremore concussus est, vt nec viuens putaretur ad terram reuerti. Attamen accepta (vt diximus) capsula, quæ de pariete pendebat, detulit. Qua perscrutata, Mummolus os de sancti digito reperit, quod cultro ferire non metuit. Posito enim desuper cultro, & sic de alio percutiebat. Cúmque post multos ictus vix frangi potuisset, diuisum in tres partes ossiculum diuersas in partes dilabitur. Credo non erat acceptum Martyri, vt hæc ille contingeret. Tunc flente vehementiùs Eufronio, prosternuntur omnes in orationem, deprecantes vt Deus dignaretur ostendere quæ ab oculis fuerant humanis ablata. Post orationem autem repertæ sunt particulæ, ex quibus vna Mummolus adsumpta abscessit. Sed non (vt credo) cum gratia Martyris, sicut in sequenti declaratum est. Dum autem in hac vrbe morarentur, Faustianum Presbyterum Aquensi vrbi Episcopũ ordinari præcipiunt. Nuper enim in Aquensi vrbe Episcopus obierat, & Nicetius Comes loci illius, germanus Rustici Vici-Iuliensis Episcopi, præceptionem ab Chilperico elicuerat, vt tonsoratus ciuitati illi Sacerdos daretur. Sed Gundobaldus destruere nitens eius decreta, conuocatis Episcopis iussit eum benedici. Bertchramnus autem Episcopus, qui erat Metropolis, cauens futura, B Palladium Sanctonicum iniungit qui eum benediceret. Nam & oculi ei eo tempore à lippitudine grauabantur. Fuit autem ad hanc ordinationem & Orestes Vasatensis Episcopus. Sed negauit hoc coram Rege.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS.

XXXII. POST hæc misit iterum Gundobaldus duos Legatos ad Regem cum virgis consecratis, iuxta ritum Francorum, vt scilicet non contingerentur ab vllo: sed exposita Legatione cum respõso reuerterentur. Sed hi incauti, priusquàm Regis pręsentiam cernerent, multis quæ petebant explanauerunt. Extemplo sermo cucurrit ad Regem. Itaque vincti catenis in Regis præsentiam deducuntur. Tunc illi quid quærerent, ad quem directi, vel à quo fuerint missi, negare non ausi, aiunt: "Gundobaldus, qui nuper ab Oriente veniens, dicit se filium esse patris vestri Regis "Chlotharij, misit nos vt debitam portionem Regni sui recipiat. Sin autem à vobis "non redditur, noueritis eum in has partes cum exercitu esse venturum. Omnes "enim viri fortissimi regionis illius, quæ vltra Dorononiam sita ad Gallias pertinet, "ei coniuncti sunt. & ita infit: Iudicabit tunc Deus, cùm in vnius campi planitie "iunxerimus, vtrum sim Chlotharij filius, an non. Tunc Rex furore succensus iussit eos ad trocleas extendi, & fortissimè cædi, vt si vera essent quæ dicerent, euidentiùs adprobarent: & si aliquid doli adhuc intra pectorum arcana retinerent, vis tormentorum extorqueret inuitis. Deinde increscentibus suppliciis, aiunt: Neptem illius, id est Regis Chilperici filiam, cum Magnulfo Tholosanorum Episcopo exilio deputatam, thesauros omnes ab ipso Gundobaldo sublatos reddidisse. C Ipsum quoque Regem ab omnibus Maioribus natu Childeberti Regis expetitum esse. Sed præsertim cùm Guntchramnus Boso ante hos annos Constantinopolim abisset, ipsum in Gallias inuitasse.

XXXIII. QVIBVS cæsis, & in carcerem retrusis, Rex arcessiri nepotem suum Childebertum iubet, vt scilicet coniuncti pariter homines istos audire deberent. Denique cùm simul coniuncti viros interrogarent, iterauerunt ea Regibus simul astantibus, quæ priùs solus Rex Guntchramnus audiuit. Adserebant etiam constanter hãc causam (sicut iam supra diximus) omnibus Senioribus in Regno Childeberti Regis esse cognitam. Et ob hoc nonnulli de prioribus Regis Childeberti in hoc placitum abire timuerunt, qui in hac causa putabantur esse participes. Post hæc Rex Guntchramnus data in manu Regis Childeberti hasta, ait: "Hoc est indicium, quòd tibi omne Regnum meum tradidi. Ex hoc nunc vade, & omnes ciuitates meas tanquam tuas proprias, sub tui iuris dominationem subiice. Nihil enim, "facientibus peccatis, de stirpe mea remansit, nisi tu tantùm, qui mei fratris es filius. "Tu enim heres in omni Regno meo succede, ceteris exheredibus factis. Tunc relictis omnibus, adsumpto seorsum puero clam locutus est, priùs obtestans diligentissimè, ne secreta conlocutio vlli hominum panderetur. Tunc indicauit ei, quos in consilio haberet, aut sperneret à conloquio: quibus se crederet, quos vitaret,

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. quos honoraret muneribus, quos ab honore depelleret. Interea interdicens vt Egidium Episcopum, qui ei semper inimicus extiterat, nullo modo aut crederet, aut haberet, quia & ipsi patri suo sæpiùs peierasset. Deinde cùm ad conuiuium conuenissent, cohortabatur Guntchramnus Rex omnem exercitum, dicens: Videte, ô viri, quia filius meus Childebertus iam vir magnus effectus est. Videte, & cauete, ne eum pro paruulo habeatis. Relinquite nunc peruersitates, atq; præsumptiones quas exercetis, quia Rex est cui vos nunc deseruire debetis. Hæc & his similia locutus, per triduum epulantes atque iocundantes, multisque muneribus locupletantes, cum pace discesserunt. Tunc ei reddidit Rex Guntchramnus omnia quæ pater eius Sigibertus habuerat, obtestans ne ad matrē accederet, ne fortè aliquis daretur aditus, qualiter ad Gundobaldū scriberet, aut ab eo scripta susciperet.

XXXIV. IGITVR Gundobaldus cùm audisset sibi exercitum propinquare, relictus à Desiderio Duce Garonnam cum Sagittario Episcopo, Mummolo & Bladaste Ducibus, atque Vuaddone transiuit, Conuenas petentes. Est enim vrbs in cacumine montis sita, nullique monti contigua. Fons magnus ad radicem montis erumpens, circumdatus turre tutissima: ad quem per cuniculum descendentes ex vrbe, latenter latices hauriunt. Hanc enim ingressus vrbem, in initio Quadragesimæ, locutus est ciuibus dicens: Noueritis me cum omnibus, qui in Regno Childeberti habentur, electum esse Regem, atque haberi mecum non modicum solatium. Sed quoniam frater meus Guntchramnus Rex immensum aduersus me mouet exercitum, oportet vos alimenta atque cunctam supellectilem infra murorum munitionem concludere: vt scilicet dum nobis illa pietas diuina auget solatium, non pereatis inopia. Hæc illis credentibus, quæcumque habere potuerunt conlocantes in vrbe, præparabant se ad resistendum. Eo tempore Guntchramnus Rex misit literas ad Gundobaldum ex nomine Brunichildis Reginæ, in quibus erat scriptum, vt relicto exercitu, & in loca sua abire iusso, ipse remotior apud Burdegalensem vrbem hiberna deduceret. Scripserat enim hæc dolosè, vt de eo pleniùs quid ageret posset agnoscere. Igitur commorante eo apud vrbem Conuenas, locutus est incolis dicens: Ecce iam exercitus adpropinquat, egredimini ad resistendum. Quibus egredientibus, hi occupantes portas atque claudentes, excluso foris populo, cum Episcopo loci, cuncta quæ in vrbe inuenire potuerant suis ditionibus subdiderunt. Tantáque ibi multitudo annonæ atque vini reperta est, vt si viriliter stetissent, per multorum annorum spacia victus alimentis non egerent.

XXXV. AVDIERANT enim eo tempore Duces Guntchramni Regis, Gundobaldum vltra Garonnam in littore residere cum ingenti hostium multitudine: ipsósque thesauros, quos Rigunthis tulerat secum, retinere. Tunc impetu facto cum equis Garonnam nando transiere, nonnullis de exercitu in amne demersis. Reliqui in littus egressi, requirentes Gundobaldum, inuenerunt camelos cum ingenti pondere auri atque argenti, siue equos quos fessos per vias reliquerat. Audientes deinceps eos infra muros vrbis Conuenicæ commorari, relictis plaustris ac diuersis impedimentis cum populo minore, robustiores viri ipsum, sicut iam Garonnam transierant, insequi destinant. Quibus properantibus, venerunt ad Basilicam sancti Vincentij, quæ est iuxta terminum Agennensis vrbis, vbi ipse Martyr pro Christi nomine agonem dicitur consummasse. inuenerúntque eam refertam diuersis thesauris incolarum. Erat enim spes incolis, non esse à Christianis tanti Martyris Basilicam violandam. cuius ostia summo studio obserata erant. Nec mora, adpropinquans exercitus cùm reserare templi valuas non valeret, ignem accendit. Consumptisque ostiis, omnem substantiam, cunctámque supellectilem, quam in ea inuenire potuerunt, cum sacris ministeriis abstulerunt. Sed multos ibi vltio diuina conterruit. Nam plerisque manus diuinitus vrebantur, emittentes fumum magnum, sicut ex incendio surgere solet. Nonnulli arrepti à dæmone, per energiam debacchantes Martyrem declamabant. Plurimi verò semoti à seditione, propriis se iaculis sauciabant. Reliquum verò vulgus inante non sine grandi metu progressum est. Quid plura? Conuenitur ad Conuenas. sic enim diximus nomen vrbis. Omnisque phalanga in suburbana vrbis campania castra metata est. ibique extensis tentoriis residebat. Vastabatur in circuitu tota regio. Nonnulli autem ab exercitu, quos fortior auaritiæ aculeus terebrabat, longiùs euagantes perimebantur ab incolis.

A XXXVI. Abscondebant enim se multi per collem, & cum Gundobaldo sæpiùs loquebantur, inferentes ei conuitia, ac dicentes: Túne es pictor ille, qui tempore Chlotharij Regis per oratoria parietes atque cameras caraxabas? Túne es ille, quem Ballomerem nomine sæpiùs Galliarum incolæ vocitabant? Túne es ille, qui plerumque à Regibus Francorum propter has præsumptiones quas profers, tonsoratus, & exilio datus es? Vel quis te, infelicissime hominum, in hæc loca adduxit, edicito. Quis tibi tantam audaciam præstitit, vt Dominorum ac Regum nostrorum fines auderes adtingere? Certè si à quoquam es euocatus, clara voce testare. En tibi ante oculos mortem expositam. En ipsam quam diu quæsisti exitij foueam, in quam præceps deiiciaris. Dic satellites viritim, vel à quibus inuiteris enuncia. At ille cùm hæc audiret, propiùs super portã adstans dicebat: Quòd me Chlotharius pater meus exosum habuerit, habetur incognitum nulli. Quòd autem ab eo vel deinceps à fratribus sim tonsoratus, manifestum est omnibus. Et hæc me causa Narseti Præfecto Italiæ iunxit: ibique vxorem accipiens, duos filios generaui. Qua mortua, adsumptis mecũ liberis Constantinopolim abii. Ab Imperatoribus verò susceptus benignissimè, vsque ad hoc tempus vixi. Ante hos enim annos cùm Guntchramnus Boso Constantinopolim abiisset, & ego sollicitus causas fratrum meorum diligenter rimarer, cognoui generationem nostram valde attenuatam, nec superesse de stirpe nostra nisi Childebertum & Guntchramnum, fratrem scilicet, & fratris mei filium. Filij enim Chilperici Regis cum ipso interierant, vno tantùm paruulo derelicto. Guntchramnus frater meus filios non habebat. Childebertus nepos noster minimè fortis erat. Tunc Guntchramnus Boso his mihi diligenter expositis, inuitauit me, dicens: Veni, quia ab omnibus Regni Regis Childeberti Principibus inuitaris, nec quisquam contra te mutire ausus est. Scimus enim omnes, te filium esse Chlotharij: nec remansit in Galliis, qui Regnum illud regere possit, nisi tu aduenias. At ego datis ei multis muneribus, per duodecim loca sancta ab eo suscipio sacramenta, vt securus in hoc Regnũ accederem. Veni enim Massiliam, ibiq; me Episcopus summa benignitate suscepit. Habebat enim scripta Seniorum Regni nepotis mei. Ex hoc enim Auinionem accessi, iuxta placita Patritij Mummoli. Guntchramnus verò immemor sacramenti ac promissionis suæ, thesauros meos abstulit, & in suam ditionem subegit. Nunc autem recognoscite, quia ego sum Rex, sicut & frater meus Guntchramnus. Tamen si tanto odio nostro mens vestra grassatur, vel ad Regem vestrum deducar, & si me cognoscit fratrem, quod voluerit faciat. Certè si nec hoc volueritis, vel liceat mihi regredi, vnde prius egressus sum. Abibo enim, & nulli quicquam iniuriæ inferam. Tamen vt sciatis vera esse quæ dico, Radegundem Pictauam, & Ingetrudem Turonicam interrogate. Ipsæ enim vobis adfirmabunt certa esse quæ loquor. Hæc eo dicente, multi cum conuiciis & improperiis hæc verba prosequebantur.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS.

XXXVII. Qvintvs & decimus in hac obsidione effulserat dies, & Leudegisilus nouas ad destruendam vrbem machinas præparabat. Plaustra enim cum arietibus, cletellis & axibus erant texta, sub quibus exercitus properaret ad destruendos muros. Sed cùm adpropinquassent, ita lapidibus obruebantur, vt omnes adpropinquantes muro corruerent. Cuppas cum pice & adipe accensas supra eos proiicientes, alias verò lapidibus plenas super eos deiiciebant. Sed cùm nox certamina prohiberet, hostes ad castra regressi sunt. Erat autem cum Gundobaldo & Chariulfus * valde diues ac præpotens, cuius apothecis ac promptuariis vrbs valde referta erat. de cuius substantia hi maximè alebantur. Bladastes autem hæc cernens quæ gerebantur, metuens ne Leudegisilus obtenta victoriâ eos morti traderet, imposito igne in Ecclesiæ domo, concurrentibus ad incendium mitigandum inclusis, ille fuga dilapsus abscessit. Mane autem facto, exercitus iterum ad bella consurgit, ac ex virgis fasces faciunt, quasi ad complendam vallem profundam, quæ à parte Orientis sita erat. Sed nocere hæc machina nihil potuit. Sagittarius verò Episcopus frequentiùs muros cum armis circumibat, & sæpiùs lapides contra hostem manu propria iecit è muro.

* al. Ariulfus

XXXVIII. Deniqve ij qui vrbem impugnabant, cùm viderent quòd nihil proficere possent, nuncios occultos ad Mummolum dirigunt, dicentes: Recognosce Dominum tuum, & à peruersitate ista tandem aliquando desiste. Quæ

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS.

enim te amentia vallat, vt ignoto homini subiungaris? Vxor enim tua iam cum filiis captiuata est: filij tui vtpote iam interfecti sunt. Quò ruis? quidve præstolaris, nisi vt corruas? Hæc ille mandata accipiens, dixit: Iam vt video Regnum nostrum finem accipit, & potentia cadit. Vnum superest, si securitatem vitæ me habere cognoscerem, de multo vos labore poteram remouere. Discedentibus nunciis, Sagittarius Episcopus cum Mummolo, Chariulfo, atque Vuaddone, ad Ecclesiam pergit. Ibique sibi sacramenta dederunt, vt si de vitæ promissione certiores fierent, relicta amicitia Gundobaldi, ipsum hostibus traderent. Reuersi iterum nuncij, promiserunt eis vitæ securitatem. Mummolus verò dixit: Hoc tantum fiat, ego hunc in manu vestra tradam: & ego recognoscens Dominum meum Regem, ad eius præsentiam properabo. Tunc illi promittunt, quòd si hæc impleret, ipsum in charitate susciperent. Et si eum Regi excusare non possent, in Ecclesiam ponerent, ne vitæ amissione mulctaretur. Hæc cum sacramenti interpositione polliciti, discesserunt. Mummolus verò, cum Sagittario Episcopo, & Vuaddone, ad Gundobaldum pergentes dixerunt: Sacramenta fidelitatis qualia tibi dedimus, ipse qui præsens es nosti. Nunc autem accipe salubre consilium. Discede ab hac vrbe, & repræsentare fratri tuo, sicut sæpè quæsisti. Iam enim cum his hominibus conlocuti sumus, & ipsi dixerunt, quia non vult Rex perdere solatium tuum, eo quòd parum de generatione vestra remanserit. At ille intelligens dolum eorum, lachrimis perfusus ait: Inuitatione vestra in has Gallias sum delatus. Thesaurorum verò meorum, in quibus immensum pondus argenti continetur & auri, ac diuersarum specierum, aliquid in Auennica vrbe retinetur, aliquid Guntchramnus Boso diripuit. Ego verò iuxta Dei auxilium spe omni in vobis posita, vobis consilium meum credidi: per vos regnare semper optaui. Nunc cum Deo vobis sit actio, si quid mihi mendacij dixeritis. ipse enim iudicet causam meam. Hæc eo dicente, respondit Mummolus: Nihil tibi fallaciter loquimur. Sed ecce viros fortissimos stantes ad portam, tuum operientes aduentum. Nunc autem depone baltheum meum aureum quo cingeris, ne videaris in iactantia procedere: & tuum accinge gladium, meúmque restitue. Et ille: Non simpliciter, inquit, hæc verba suscipio, vt ea quæ de tuis vsque nunc in charitate vsus sum, à me auferantur. Mummolus verò adserebat cum iuramento, nihil ei molestè fieri. Egressi igitur portam, ab Ollone Biturigum Comite, & Bosone susceptus est. Mummolus autem cum satellitibus in vrbem regressus, portam firmissimè obserauit. Hic autem cùm se in manibus inimicorum cerneret traditum, eleuatis ad cœlum manibus & oculis, ait: Iudex æterne, & vltio vera innocentium, Deus à quo omnis iustitia procedit, cui mendacium non placet, in quo nullus dolus neque versutia malitiæ continetur, tibi commendo causam meam, deprecans vt sis velociter vltor super eos qui me insontem manibus tradiderunt inimicorum. Hæc cùm dixisset, consignans se cruce Dominica, abire cœpit cum hominibus supradictis. Cúmque à porta se elongassent, sicut est circa vrbem vallis tota in præcipitium, impulsus ab Ollone cecidit, illo quoque clamante: En vobis Ballomerem vestrum, qui se Regis & fratrem dicit, & filium. Et immissa lancea, voluit eum transfigere. sed repulsa à circulis loricæ nihil nocuit. Denique cùm eleuatus ad montem regredi niteretur, Boso emisso lapide caput eius librauit, qui cecidit, & mortuus est. Venitque omne vulgus, & defixis in eum lanceis, pedes eius fune ligantes, per omnia exercituum castra traxerunt. Euellentésq; cæsariem ac barbam eius, insepultum ipso in loco, quo interfectus fuerat, reliquerunt. Nocte verò sequenti, ij qui primi erant omnes thesauros, quos in vrbe reperire potuerunt, cum ministeriis Ecclesiæ clam abstulerunt. Mane verò reseratis portarum valuis, immisso exercitu, omne vulgus inclusum in ore gladij tradiderunt. Sacerdotes quoque Domini cum ministris ad ipsa Ecclesiarum altaria trucidantes. Postquam autem cunctos interfecerunt, vt non remaneret mingens ad parietem, omnem vrbem cum Ecclesiis reliquisque ædificiis succenderunt, nihil ibi præter humum vacuam relinquentes.

XXXIX. IGITVR Leudegisilus rediens ad castra cum Mummolo & Sagittario, Chariulfo, & Vuaddone, nuncios occultè ad Regem dirigit, quid de his fieri velit. At ille capitali eos iussit finire sententia. Vuaddo tunc cum Chariulfo, relictis filiis obsidibus, discesserunt ab eis. Delato quoque nuncio de ho-

A rum interitu, cùm hoc Mummolus aduertisset, accinctus armis tugurium Leudegisili petit. At ille videns eum, ait, Quid sic, inquit, quasi fugiens venis? Cui ille, Nihil vt video, de fide promissa seruatur. Nam cerno me in mortis exitio positum. Cui ille, Ego egrediar foras, & omnia mitigabo. Quo egrediente, confestim ex iussu eius vallata est domus, vt hic interficeretur. Sed & ille cùm diutissimè contra bellantes restitisset, venit ad ostium. Cúmque egrederetur, duo cum lanceis vtraque ei latera feriunt. Sicque cecidit, & mortuus est. Quo viso, Episcopus dum timore consternatus paueret, ait ad eum quidam de astantibus, Inspice propriis oculis Episcope, quæ geruntur: & tecto capite, ne agnoscaris, siluam pete, vt abscondaris paululum, atque ira labente possis euadere. At ille accepto consilio, dum obtecto capite fugere niteretur, extracto quidam gladio caput eius cum cucullo decidit. Deinde vnusquisque ad propria rediens, magnas per viam prædas & homicidia fecit. Fredegundis autem his diebus Cuppanem in Tholosanum direxit, vt scilicet filiam suam exindè, quocunque modo posset, erueret. Ferebant enim plerique ob hoc eum transmissum, vt si Gundobaldum reperisset viuum, multis inlectum promissionibus ad eam transduceret. Sed cùm hoc facere nequiuisset, acceptam Riguntem à loco illo rèduxit, non sine grandi humilitate atque contumelia.

XL. IGITVR Leudegisilus Dux cum Thesauris omnibus, quos superiùs nominauimus, ad Regem venit: quos postea Rex pauperibus & Ecclesiis erogauit. B Adprehensa verò vxore Mummoli, inquirere Rex cœpit, quid thesauri, quos ij congregauerant, deuenissent? Sed illa cognoscens virum suum interfectum fuisse, & omnem iactantiam eorum prorsus in terram corruisse, omnia pandit, dixitque: Multum adhuc apud vrbem Auinionensem auri atque argenti esse, quæ ad Regis notitiam non venissent. Statimque misit Rex viros qui hæc deferre deberent cum vno puero, quem valde creditum Mummolus habens, hæc ei commendauerat. Abeuntes autem, acceperunt omnia quæ in vrbe relicta fuerant. Ferunt autem ducenta & quinquaginta talenta argenti fuisse: auri verò ampliùs quàm triginta. Sed hæc (vt ferunt) de reperto antiquo thesauro abstulit. Quod Rex diuisum cum Childeberto Rege nepote suo, partem suam maximè pauperibus est largitus. Mulieri autem nihil ampliùs: quàm ea quæ de parentibus habuerat, relinquens.

XLI. TVNC & homo ille immmensi corporis ad Regem de Mummoli familiaribus adductus est. Ita magno corpore elatus, vt duos aut tres pedes super longissimos homines putaretur magnus: lignarius faber, qui non multò pòst obiit.

XLII. POST hæc edictum à Iudicibus datum est, vt qui in hac expeditione tardi fuerant, damnarentur. Biturigum quoque Comes misit pueros suos, vt in domo beati Martini, quæ in hoc termino sita est, huiusmodi homines spoliare deberent. Sed agens domus illius resistere fortiter cœpit, dicens: Sancti Martini «
C homines ij sunt. Nihil eis quicquam inferatis iniuriæ, quia non habuerunt con- «
suetudinem in talibus causis abire. At illi dixerunt: Nihil nobis & Martino tuo, «
quem semper in causis inaniter profers. Sed & tu, & ipsi precia dissoluetis, pro eo «
quòd Regis imperium neglexistis. Et hæc dicens, ingressus est atrium domus. Pro- «
tinus dolore percussus cecidit, & grauiter agere cœpit. Conuersúsque ad agen- «
tem, voce flebili ait: Rogo vt facias super me crucem Domini, & inuoces nomen «
beati Martini. Nunc autem cognoui, quòd magna est virtus eius. Nam ingredien- «
te me atrium domus, vidi virum senem exhibentem arborem in manu sua, quæ «
mox extensis ramis omne atrium texit. Ex ea enim vnus me attigit ramus, de cuius «
ictu turbatus corrui. Et innuens suis rogabat, vt eiiceretur de atrio. Egressus au- «
tem, inuocare nomen beati Martini attentiùs cœpit. Ex hoc enim commodiùs agens, sanatus est.

XLIII. DESIDERIVS verò infrà castrorum munitionem se résque suas tutauit. Vuaddo Maior domus Riguntis ad Brunichildem Reginam transiit. Et ab ea susceptus, cum muneribus & gratia est dimissus. Chariulfus Basilicam sancti Martini expetiit.

XLIV. FVIT tunc temporis mulier, quæ spiritum Phitonis habens, multum præstabat dominis diuinando quæstum. Eóque in gratia profecit, vt ab his libera

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS.

facta, suis voluntatibus laxaretur. Si quis enim aut furtum, aut aliquid mali perferret, statim hæc quò fur abiit, cui tradidit, vel quid ex hoc fecerit, edicebat. A Congregabat quotidie aurum argentúmque, procedens in ornamentis, ita vt putaretur aliquid esse diuinum in populis. Sed cùm Agerico Viridunensi Episcopo hæc nunciata fuissent, misit ad comprehendendum eam. Qua adprehensa, & ad se adducta, iuxta id quod in Actibus legimus Apostolicis, cognouit in ea immundum spiritum esse Phitonis. Denique cùm exorcismum super eam diceret, ac frontem oleo sancto perungeret, exclamauit dæmonium, & quid esset prodidit Sacerdoti. Sed cùm per eum à puella non extruderetur, abire permissa est. Cernens verò puella, quòd in loco illo habitare non posset, ad Fredegundem Reginam abiit. ibique & latuit.

XLV. MAGNA hoc anno fames pene Gallias totas oppressit. Nam plurimi vuarum semina, flores auellanarum, nonnulli radices herbæ filicis arefactas redactásque in puluerem, admiscentes parum farinæ, panem conficiebant. Multi etiam herbam segetum decidentes, similiter faciebant. Fuerunt etiam multi, quibus non erat aliquid farinæ, qui diuersas colligentes herbas, & comedentes, tumefacti deficiebant. Plurimi enim tunc ex inedia tabescentes, mortui sunt. Grauiter tunc negociatores populum spoliauerunt, ita vt vix, vel modium annonæ, aut semimodum vini vno triente venundarent. Subdebant se pauperes seruitio, vt quantulumcunque de alimento porrigerent.

XLVI. HIS diebus Christophorus negociator ad Aurelianensem vrbem abiit. B Audierat enim, quòd eò multum vini delatum fuisset. Abiens ergo, comparato vino, & lintribus inuecto, accepta à socero pecunia multa, cum duobus pueris Saxonibus viam equitando terebat. Pueri verò diu dominum exosum habebant, & plerumque fugerant illum, eò quòd crebriùs grauissimè verberarentur. Cùm venissent in quandam siluam, præcedente domino, puer vnus iaculata validè lancea, dominum suum transfixit. Quo ruente, alius cum framea caput eius dilacerauit. Et sic ab vtroque in frusta decisus, exanimis est relictus. Hi verò accipientes pecuniam, fugâ dilapsi sunt. Frater verò Christophori sepulto corpusculo, homines suos post pueros dirigit: qui iuniorem comprehensum ligant, seniore cum pecunia fugiente. Quibus redeuntibus, cùm vinctum laxiùs reliquissent, accepta lancea vnum ex his, à quibus adducebatur, interemit. Sed deductus ab aliis vsque Turonis, diuersis suppliciis adfectus, detruncatúsque, patibulo valdè exanimis est adpensus.

XLVII. GRAVIA tunc inter Turonicos ciues bella ciuilia surrexerunt. Nam Sicharius Ioannis quondam filius, dum Natalis Dominici solemnia apud Montalomagensem vicum, cum Austregisilo reliquisque pagensibus celebraret, Presbyter loci misit puerum ad aliquorum hominum inuitationem, vt ad domum eius bibendi gratiâ venire deberent. Veniente verò puero, vnus ex his, qui inuitabantur, extracto gladio eum ferire non metuit. Qui statim cecidit, & mortuus est. C Quod cùm Sicharius audisset, qui amicitias cum Presbytero retinebat, quòd scilicet puer eius fuerit interfectus, arreptis armis Ecclesiam petiit, Austregisilum operiens. Ille autem hæc audiens, adprehenso armorum adparatu, contra eum dirigit. Mixtisque omnibus, cùm se pars vtraque conlideret, Sicharius inter Clericos ereptus, ad villam suam effugit, relictis in domo Presbyteri cum argento & vestimentis quatuor pueris sauciatis. Quo fugiente, Austregisilus iterum inruens, interfectis pueris, aurum argentúmque cum reliquis rebus abstulit. Dehinc cùm in iudicio ciuium conuenissent, & præceptum esset vt Austregisilus, qui homicida erat, & interfectis pueris res sine audientia diripuerat, censurâ legali condemnaretur, inito placito. Paucis infrà diebus, Sicharius audiens quòd res, quas Austregisilus diripuerat, cum Aunone & filio, atque eius fratre Eberulfo retinerentur, postposito placito, coniunctus Audino, mota seditione cum armatis viris inruit super eos nocte. Elisóque hospitio in quo dormiebant, patrem cum fratre & filio interemit: résque eorum cum pecoribus interfectisque seruis abduxit. Quod nos audientes, vehementer ex hoc molesti, adiuncto Iudice, mittimus ad eos legationem: vt in nostri præsentiam venientes, accepta ratione cum pace discederent, ne iurgium in amplius pullularet. Quibus venientibus, coniunctisque ciuibus, ego aio: » Nolite ô viri, in sceleribus proficere, ne malum in longius exten-

A datur. Perdidimus enim Ecclesiæ filios: metuimus nunc, ne & aliis in hac intentione careamus. Estote quæso pacifici, & qui malum gessit, stante charitate componat, vt sitis filij pacifici, qui digni sitis Regnum Dei ipso Domino tribuente percipere. Sic enim ipse ait, *Beati pacifici, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Ecce enim & si illi, qui noxæ subditur, minor est facultas, argento Ecclesiæ redimetur. interim anima viri non pereat. Et hæc dicens, obtulit argentum Ecclesiæ. Sed pars Chramnisindi, quæ mortem patris fratrisque & patrui requirebat, accipere noluit. His descendentibus, Sicharius iter vt ad Regem ambularet præparat, & ob hoc Pictauum ad vxorem cernendam proficiscitur. Cúmque seruum, vt exerceret operam, commoneret, eleuatáque virga ictibus verberaret, ille extracto balthei gladio, dominum sauciare non metuit. Quo in terram ruente, currentes amici, adprehensum seruum crudeliter cæsum, truncatis manibus & pedibus, patibulo damnauerunt. Interim sonus in Turonicum exiit, Sicharium fuisse defunctum. Cùm autem hæc Chramnisindus audisset, commonitis parentibus & amicis, ad domum eius properat. Quibus spoliatis, interemptis nonnullis seruorum, domus omnes tam Sicharij, quàm reliquorum qui participes huius villæ erant, incendio concremauit: abducens secum pecora, & quæcunque mouere potuit. Tunc partes à Iudice ad ciuitatem deductæ, causas proprias proloquuntur. Inuentúmque est à Iudicibus, Vt qui nolens accipere prius compositionem, domos incendiis tradidit, medietatem precij quod fuerat ei iudicatum amitteret. Et hoc con- B tra leges actum, vt tantùm pacifici redderentur. aliam verò medietatem compositionis Sicharius redderet. Tunc dato ab Ecclesia argento, quæ iudicauerant, accepta securitate componunt: datis sibi partes inuicem sacramentis, vt nullo vnquam tempore contra alteram pars altera mussitaret. Et sic altercatio terminum fecit.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS.

EXPLICIT LIBER VII.

GREGORII EPISCOPI TVRONENSIS HISTORIAE FRANCORVM LIBER OCTAVVS.

CAPITVLA LIBRI.

A

B

I. IGITVR Guntchramnus Rex anno XXIV. regni sui de Cabillono* progressus, Niuernensem vrbem adgreditur. Inuitatus enim Parisius veniebat, vt Chilperici filium, quem iam CHLOTHARIVM vocitabat, à sacro regenerationis fonte deberet excipere. Digressus verò à Niuerno ad Aurelianensem vrbem venit, magnum se tunc ciuibus suis præbens. Nam per domos eorum inuitatus adibat, & prandia data libabat. Multum ab his muneratus, muneráque ipsis proflua benignitate largitus est. Sed cùm ad vrbem Aurelianensem venisset, erat ea die solennitas beati Martini, id est IV. Nonas mensis quinti. Processitque in obuiam eius immensa populi turba, cum signis atque vexillis, canentes laudes. Et hinc lingua Syrorum, hinc Latinorum, hinc etiam ipsorum Iudæorum in diuersis „ laudibus variè concrepabat, dicens; Viuat Rex, Regnúmque eius in populis annis „ innumeris dilatetur. Iudæi verò, qui in his laudibus videbantur esse participes, „ dicebant: Omnes gentes te adorent, tibíque genu flectant, atque tibi sint subditæ. Vnde factum est, vt celebratis Missis, cùm Rex ad conuiuium resideret, dice„ ret: Væ genti Iudaicæ malæ & perfidæ, ac subdolo semper sensu viuenti! Ob „ hoc enim mihi, inquit, hodie laudes adulatorias acclamabat, vt me cunctæ gen„ tis quasi Dominum adorarent: vt Synagogam eorum, quæ dudum à Christianis „ diruta est, iuberem ope publica subleuari. quod inhibente Domino nunquam „ ero facturus. O Regem admirabili prudentia clarum! Sic intellexit dolositatem hæreticorum, vt ei penitus non valerent subripere quæ erant postmodum suggesturi. Iam enim mediante epulo Rex locutus est Sacerdotibus qui aderant, dicens: „ Rogo vt in domo mea crastina die vestram promerear benedictionem, fiatque mi„ hi salus in ingressu vestro vt ex hoc saluus fiam, cùm super me humilem vestrarum

C

* al. Cauillono.

A benedictionum verba defluxerint. Hæc eo dicente, omnes gratias agentes epulo expleto surreximus.

II. MANE autem facto, dum Rex loca Sanctorum orationis gratia visitaret, ad metatum nostrum aduenit. Erat enim ibi Basilica sancti Auiti Abbatis, cuius in Libro Miraculorum meminimus. Surrexi, gauisus fateor, ad occursum eius, & data oratione deprecor, vt mansione mea eulogias beati Martini dignaretur accipere. Quod ille non respuens, benigno animo ingressus, hausto poculo, admonitis nobis, ad conuiuium lætus abscessit. Tunc Bertchramnus Burdegalensis Episcopus cum Palladio Santonico valde Regi infensus erat pro susceptione Gundobaldi, cuius suprà meminimus. Sed & Palladius Episcopus ob hoc maximè Regis iram incurrerat, quòd ei sæpiùs fallacias intulisset. Discussi enim ante paululum fuerant ab reliquis Episcopis & Optimatibus Regis, cur Gundobaldum suscepissent, cur Faustianum Aquis Episcopum ad præceptionem eius leuissimam ordinassent. Sed hanc causam ordinationis Palladius Episcopus à Bertchramno Metropole suo auferens super se deuoluit, dicens: Oculi Metropolis mei valde doloribus artabantur, & ego spoliatus & contemptus, inuitus ab eo in eo loco adductus sum. Non potui aliud facere, nisi quæ ille, qui omnem Principatum Galliarum se testabatur accipere, imperabat. Cùm hæc Regi nunciata B fuissent, valde commotus est, ita vt vix obtineri posset, vt eos ad conuiuium aduocaret, quos antea non viderat. Visóque Bertchramno, interrogat Rex; Quis, ait, est iste? Diu enim erat quòd ab eo visus non fuerat. Dixeruntque: Hic est Bertchramnus Burdegalensis vrbis Episcopus. Cui ille, Gratias, inquit, agimus, quòd sic custodisti fidem generationi tuæ. Scire enim te oportuerat, dilectissime Pater, quòd parens eras nobis ex matre nostra, & super gentem tuam non debueras inducere pestem extraneam. Cúmque talia & his similia Bertchramnus audisset, conuersus ad Palladium Rex ait: Nec tibi, ô Palladi Episcope, nimium sunt gratiæ referendæ. Tertio enim mihi (quod de Episcopo dici iniquum est) peierasti, mittens indiculos dolositate plenos. A me excusabaris per Epistolas, & germanum meum cum scriptis aliis inuitabas. Iudicauit enim Deus causam meam, cùm ego prouocare vos semper tanquam Ecclesiæ patres studui, & vos circa me semper egistis dolosè. Nicasio autem & Antidio Episcopis dixit; Quid vos, ô sanctissimi Patres, pro regionis vtilitate, vel Regni nostri sospitate tractastis, edicite. Illis quoque tacentibus, ablutis Rex manibus, accepta à Sacerdotibus benedictione, ad mensam recedit læto vultu & hilari facie, quasi nihil de contemptu suo fuisset effatus.

III. INTEREA iam medio prandij peracto, iubet Rex vt Diaconum nostrum, qui ante diem ad Missas Psalmum responsorium dixerat, canere iuberem. Quo canente, iubet iterum mihi, vt omnes Sacerdotes qui aderant, per meam commonitionem C datis ex officio suo singulis Clericis, coram iuberentur cantare. Per me enim secundum Regis imperium admoniti, quisque vt potuit in Regis præsentia Psalmum responsorium decantauit. Cùm autem fercula proferrentur, dixit Rex: Argentum omne, quod cernitis, Mummoli illius periuri fuit. Sed nunc gratia Domini tribuente in nostram dominationem translatum est. Nam quindecim ex eo catinos, vt istum maiorem cernitis, iam concidi, & non exinde ampliùs quàm hunc & alium de centum septuaginta libris reseruaui. Et quid ampliùs quàm ad opus quotidianum necesse est me retinere? Non ego (quod peius est) alium filium præter Childebertum habeo, cui satis sit de thesauris quos ei pater reliquit: & quæ iam de huius miserrimi rebus, quæ Auinione inuentæ sunt, transmittere curaui. Reliqua verò pauperum & Ecclesiarum erunt necessitatibus tribuenda.

IV. VNVM vos tantummodo, Sacerdotes Domini, deprecor, vt pro filio meo Childeberto Domini misericordiam exoretis. Est enim vir sapiens atque vtilis, vt de multorum annorum æuo vix ita cautus homo reperiri possit ac strenuus. Quia si hunc Deus his Galliis concedere dignabitur, fortassis spes erit de eodem gentem nostram, quæ valde exinanita est, posse consurgere. Quod fieri iuxta eius misericordiam non diffido, eo quòd tale fuerit pueri natiuitatis præsagium. Nam in die sancto Paschæ stante fratre meo Sigiberto in Ecclesia, procedente Diacono cum sancto Euangeliorum libro, nuncius Regi aduenit, vnáque vox fuit pro-

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

nunciantis lectionem Euangelicam, ac nuncij dicentis, Filius natus est tibi. Vnde A factum est vt omnis populus in vtraque annunciatione proclamaret pariter: Gloria Deo omnipotenti. Sed baptismum in die sancto Pentecostes accepit, & Rex nihilominus in die sancto Dominicæ Natiuitatis est eleuatus. Vnde si oratio vestra prosequitur, poterit hic Domino annuente regnare. Hæc Rege dicente, omnes orationem fuderunt ad Dominum, vt vtrumque Regem eius misericordia conseruaret. Adiecitque Rex, Verùm quia mater eius Brunichildis me minatur ,, interimere: sed nihil mihi ex hoc formidinis est. Dominus enim, qui me eri,, puit de manibus inimicorum meorum, & de huius insidiis liberabit me.

V. MVLTA tunc & in Theodorum aduersa locutus est, protestans, quòd si ad Synodum veniret, iterum exilio truderetur, dicens: Scio enim, quòd horum ,, causa germanum meum Chilpericum interfici fecit. Denique nec nos pro viris ,, haberi debemus, si eius necem vlcisci non valemus hoc anno. Cui ego respon,, di: Et quis Chilpericum interemit, nisi malitia sua, tuáque oratio? Multas enim ,, tibi contra iustitiam tetendit insidias, quæ ei mortis exitium intulerunt. Quod vt ,, dicam, valde hoc per visionem somnij inspexi, cùm viderem eum à te tonsorato ,, capite quasi Episcopum ordinari, deinde super cathedram puram sola fuligine ,, tectam impositum ferri, prælucentibus coram eo lychnis ac cereis. Me hæc nar,, rante, Rex ait: Vidi & ego aliam visionem, quæ huius interitum nunciauit. ,, Adducebatur enim in conspectu meo à tribus Episcopis vinctus catenis, quo- B ,, rum vnus Tetricus, alius Agricola, tertius verò Nicetius Lugdunensis erat. Qui,, bus dicebant duo: Soluite quæsumus eum, & castigatum abire permittite. Qui,, bus econtrario cum amaritudine Tetricus Episcopus respondebat: Non fiet ita, ,, sed igni concremabitur pro sceleribus suis. Et cùm diu multúmque quasi alter,, cantes hæc inter se verba proferrent, conspicio eminus æneum super ignem po,, situm feruere vehementer. Tunc me flente, adprehensum infelicem Chilpericum ,, confractis membris proiiciunt in æneum. Nec mora, inter vndarum vapores ita dissolutus ac liquefactus est, vt nullum ex eo penitus indicium remaneret. Hæc Rege dicente, admirantibus nobis, epulo expleto surreximus.

VI. REX igitur in crastinum in venationem progressus est. Quo redeunte, Garacharius Comes Burdegalensis, atque Bladastes, à nobis repræsentati sunt: qui (vt superiùs diximus) in Basilica sancti Martini confugium fecerant, pro eo quòd Gundobaldo coniuncti fuissent. Nam cùm prius pro his deprecatus, nihil obti,, nere potuissem, hæc insequenti locutus sum: Audiat ô Rex potestas tua. Ecce à ,, Domino meo in legatione ad te directus sum. Sed quid renunciabo ei qui me ,, misit, cùm nihil mihi responsi reddere velis? At ille obstupefactus ait: Et quis est ,, Dominus tuus, qui te misit? Cui ego subridens; Beatus Martinus, inquio, misit me. Tunc ille iussit sibi repræsentari viros. Sed cùm in eius conspectu venissent, multas eis perfidias ac periuria exprobrauit, vocans eos sæpiùs Vulpes ingeniosas. Sed restituit eos gratiæ suæ, reddens quæ illis ablata fuerant. C

VII. ADVENIENTE quoque die Dominico, Rex Ecclesiam ad spectanda Missarum solennia petit. Fratres verò, consacerdotésque qui aderant, locum Palladio Episcopo ad agenda festa præbuerunt. Quo incipiente prophetiam, Rex interrogat, quis esset? Cúmque Palladium Episcopum initiasse pronunciassent, ,, statim commotus Rex ait: Qui mihi semper infidelis & perfidus fuit, ille nunc sa,, crata verba prædicabit? Egrediar prorsus ab hac Ecclesia, ne inimicum meum ,, audiam prædicantem. Et hæc dicens, egredi cœpit Ecclesiam. Tunc contur,, bati Sacerdotes de fratris humilitate, dixerunt Regi: Vidimus enim eum conui,, uio tuo adesse, ac de eius manu te benedictionem accipere: & cur eum nunc Rex ,, aspernatur? Si enim scissemus tibi exosum, declinassemus vtique ad alium qui ,, hæc agere debuisset. Nunc si permittis, celebret quæ cœpit. In posterum autem ,, si aliquid opposueris, canonicæ sanctionis censura finiatur. Iam enim Palladius E,, piscopus in sacrarium cum grandi humilitate discesserat. Tunc Rex iussit eum reuocari, & sic quæ agere cœperat expediuit. Nam cùm iterato ad conuiuium Regis Palladius atque Bertchramnus adsciti fuissent, commoti inuicem multa sibi de adulteriis ac fornicatione exprobrarunt, nonnulla etiam de periuriis. Quibus de rebus multi ridebant, nonnulli verò, qui alacrioris erant scientiæ, lamentabantur: cur inter Sacerdotes Domini taliter zizania diaboli pullularent. Discedentes

A dentes itaque à Regis præsentia, cautiones & fideiussores dederunt, vt decimo Calendas mensis noni ad Synodum conuenirent. GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

VIII. TVNC adparuerunt signa, id est radij à parte Aquilonis, sicut sæpiùs adparere solent. Fulgor per cœlum occurrisse visus est, floresque in arboribus ostensi sunt. erat enim mensis quintus.

IX. POST hæc Rex Parisius venit, & coram omnibus loqui cœpit, dicens: Germanus meus Chilpericus moriens dicitur filium reliquisse: cuius nutritores matre deprecante petierunt, vt eum de sancto lauacro in Dominici Natalis solennitate deberem excipere. & non venerunt. Rogauerunt deinceps, vt ad sanctum Pascha baptizaretur: sed nec tunc allatus est infans. Deprecati sunt autem tertiò, vt ad festiuitatem sancti Ioannis exhiberetur: sed nec tunc venit. Mouerunt itaque me per tempus sterile de loco vbi habitabam. Veni igitur, & ecce absconditur, nec ostenditur mihi puer. Vnde (quantum intelligo) nihil est quod promittitur, sed (vt credo) alicuius ex leudibus nostris sit filius. Nam si de stirpe nostra fuisset, ad me vtique fuisset deportatus. Ideóque noueritis, quia à me non suscipitur, nisi certa de eo cognoscam indicia. Hæc audiens Fredegundis Regina, coniunctis prioribus Regni sui, id est tribus Episcopis & trecentis viris optimis, sacramenta dederunt hunc à Chilperico Rege generatum fuisse. Et sic suspicio ab animis Regis ablata est.

X. DENIQVE cùm interitum Merouei atque Chlodouei sæpiùs lamentaretur, nesciretque vbi eos postquàm interfecerant proiecissent, venit ad Regem homo qui diceret: Si mihi contrarium in posterum non habetur, indicabo in quo loco Chlodouei cadauer sit positum. Iurauit Rex, nihil ei molestum fieri, sed potiùs muneribus ampliari. Tunc ille, Veritatem, inquit, me loqui, ô Rex, ipsa ratio quæ acta est comprobabit. Nam quando Chlodoueus interfectus est, ac sub stillicidio oratorij cuiusdam sepultus, metuens Regina ne aliquando inuentus cum honore sepeliretur, iussit eum in alueum Matronæ fluminis proiici. Tunc intra capsum, quod opere meo ad capiendorum piscium necessitatem præparaueram, reperi. Sed cùm ignorarem quisnam esset, à cæsarie prolixa cognoui Chlodoueum esse: adprehensúmque in humeris ad litus detuli, ibique eum cespite superposito tumulaui. Ecce saluatis artubus quod volueris effice. Quod cùm Rex comperisset, confingens se ad venationem procedere, detectóq; tumulo, reperit corpusculum integrum & inlæsum. Vna tantùm pars capillorum, quæ subter fuerat, iam defluxerat. Alia verò cum ipsis crinium flagellis intacta durabat. Cognitúmque est, hunc esse quem Rex intento animo requirebat. Conuocato igitur Episcopo ciuitatis, cum Clero & populo, ac cereorum innumerabilium ornatu, ad Basilicam sancti Vincentij detulit tumulandum, non minùs plangens nepotes mortuos, quàm cùm vidit filios proprios iam sepultos. Post hæc misit Pappolum Carnotenæ vrbis Episcopum, qui Merouei cadauer requirens, iuxta Chlodouei tumulum sepeliuit.

XI. OSTIARIVS verò quidam de alio ostiario dixit: Domine Rex, hic accepto præmio consensit vt tu interficiaris. Adprehensúsque ostiarius, de quo dixerat, cæsus, suppliciisque multis adfectus, nihil de causa qua interrogabatur aperuit. Loquebantur enim tunc multi hoc insidiis & inuidia factum, quòd ostiarius ille, cui hoc crimen impactum fuerat, plurimum à Rege diligeretur. Ansoaldus autem nescio qua suspicione tactus, nec vale dicens, à Rege discessit. Rex verò Cabillonum regressus, iussit Boantum, qui sibi semper fuerat infidelis, gladio percuti. Qui vallatus in domo sua, ab hominibus Regis peremptus interiit, résque suæ fisci ditionibus subiugatæ sunt.

XII. DENIQVE cùm Rex maxima intentione Theodorum Episcopum iterum persequi conaretur, & Massilia iam in Childeberti Regis dominationem reuocata fuisset, ad discutiendas causas Ratharius illuc quasi Dux à parte Regis Childeberti dirigitur. Sed postposita actione quæ ei à Rege iniuncta fuerat, Episcopum vallat, fideiussores requirit, & ad præsentiam Regis Guntchramni direxit: vt scilicet ad Synodum, quæ Matiscone futura erat, quasi ab Episcopis damnandus adesset. Nec defuit vltio diuina, quæ seruos suos ab ore canum rabidorum defensare consueuit. Nam egrediente Episcopo à ciuitate, statim res Ecclesiæ diripit: & alia quidem sibi vindicat, alia sub sigillorum munitione concludit. Cúmque hoc fecisset, protinus famulos eius sæuissimus inuadit morbus, exhaustósque febre

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

peremit. Filius eius ab hoc incōmodo defecit, quem in suburbano Massiliæ ipsius cum graui gemitu sepeliuit. Fuitque talis domui eius plaga, vt cùm ab vrbe illa est digressus, vix ad patriā suam regredi putaretur. Theodorus verò Episcopus à Guntchramno Rege detentus est. Sed nihil ei Rex nocuit. Est enim vir egregiæ sanctitatis, & in oratione assiduus, de quo mihi Magnericus Treuerensis Episcopus hæc retulit: Ante hos annos cùm ad præsentiam Childeberti Regis, sub ardua custodia duceretur, vt quandocunque ad vrbem aliquam venisset, neque Episcopum, neque quenquam de ciuibus videre permitteretur: adueniens Treueris, nunciatum est Episcopo, hunc iam in naui positum clam abduci. Surrexitque Sacerdos tristis, ac velociter prosecutus, reperit eum ad litus, causatúsq; cum custodibus, Cur tanta esset impietas, vt non liceret fratri fratrem aspicere? Vísóque tandem, osculatus eum, indulgens aliquid vestimenti, discessit. Veniens itaque ad Basilicam sancti Maximini, prosternitur sepulcro, illud Apostoli Iacobi retinens, *Orate pro inuicem, vt saluemini*. Fusáque diu oratione cum lachrimis, vt fratrem dignaretur Dominus adiuuare, egressus est foras. Et ecce mulier, quam spiritus erroris agitabat, clamare Sacerdoti cœpit, ac dicere: O scelestè & inueterate dierum, qui pro inimico nostro Theodoro orationem fundis ad Dominum! Ecce nos quotidie quærimus, qualiter ab his Galliis extrudatur, qui nos quotidianis incendiis conflat: & tu pro eo rogare non desinis? Satius enim tibi erat res Ecclesiæ tuæ diligenter inquirere, ne pauperibus aliquid deperiret, quàm pro hoc tam intentè deposcere. Et aiebat: Væ nobis, qui eum non possumus expugnare! Et licèt dæmoniis credi non debeat, tamen qualis esset Sacerdos, de quo hæc dæmon condolens declamabat, adparuit. Sed ad cœpta redeamus. A B

XIII. IGITVR Legatos ad nepotem suum Childebertum Rex dirigit, qui morabatur tunc ad castrum Confluentis, quod ob hoc nomen accepit, pro eo quòd Mosella Rhenúsque amnes pariter confluentes in eodem loco iungantur. Et quia placitum fuerat, vt Trecas Campaniæ vrbem de vtroque Regno coniungerent, Sacerdotibúsque de Regno Childeberti congruum non fuit, Felix Legatus salutatione præmissa ostensis litteris ait: Patruus tuus, ô Rex, diligenter interrogat, quis te ab hac promissione retraxit, vt Sacerdotes Regni vestri ad Concilium, quod simul decreueratis, venire differrent. An forsitan mali homines aliquam inter vos discordiæ radicem faciant pullulare? Tunc ego Rege tacente respondi: Nil mirum, si zizania seratur inter populos. Nam inter hos quo radicem obliget, protinus non potest reperire. Nullum enim latet, quòd Childebertus Rex alium patrem nisi patruum non habet. Neque ille alium filium nisi hunc habere disponit, iuxta id quod eum anno præsenti audiuimus loqui. Absit ergo, vt inter eos radix discordiæ germinet, cùm se pariter & tueri debeant & amare. Tunc vocato secretiùs Felice Legato, Childebertus Rex rogauit dicens: Deprecor dominum & patrem meum, vt Theodoro Episcopo nihil iniuriæ inferat. Quod si fecerit, confestim inter nos scandalum germinabit, erimúsque discordia impediente disiuncti, qui debemus amorem tuendo esse pacifici. Acceptóque & de aliis causis responso, Legatus discessit. C

XIV. NOBIS itaque in antedicto castro cum Rege commorantibus, dum ad conuiuium Principis vsque obscura nocte retineremur, epulo expleto surreximus. Venientésque ad fluuium, offendimus nauem in littore, quæ nobis fuerat præparata. Ascendentibúsque nobis, inruit turba hominum diuersorum, impletáque est nauis tam hominibus quàm aquis. Sed virtus Domini adfuit, non sine grandi miraculo, vt cùm vsq; labium impleta fuisset, mergi non posset. Habebamus enim nobiscum beati Martini reliquias, cum aliorum Sanctorum, quorum virtute nos credimus fuisse saluatos. At verò naue ad littus vnde egressi fuimus redeunte, euacuata ab hominibus & à lymphis, repulsis extraneis sine impedimento transiuimus. In crastino autem vale Regi dicentes, abscessimus.

XV. PROFECTI igitur in itinere, ad Eposium castrum accessimus, ibique à Vulfilaico nacti Diacono, & ad Monasterium eius deducti, benignissimè suscepti sumus. Est enim hoc Monasterium quasi milibus octo ab antedicto castro, in montis cacumine locatum. In quo monte magnam Basilicā ædificauit, quam beati Martini vel reliquorum Sanctorum reliquiis inlustrauit. Cōmorantes autem ibi, petere ab eo cœpimus, vt nobis aliqua de conuersionis suæ bono narraret, vel qualiter

A ad Clericatus officium aduenisset, quia erat genere Longobardus. Sed nequibat exponere, vanam tota intentione cupiens gloriam euitare. Quem ego terribilibus sacramentis coniurans, pollicitus primò vt nulli quæ referebat expenderem, rogare cœpi, vt nihil mihi de his quæ interrogabam occuleret. Cúmque diutissimè reluctatus fuisset, victus tandem tam precibus quàm obsecrationibus meis, hæc effatus est. Dum essem, inquit, puer paruulus, audito beati Martini nomine, nesciens adhuc vtrum Martyr an Confessor esset, vel quid boni in mundo gessisset, vel quæ regio beatos artus tumulo meruisset accipere, iam in eius honorem vigilias celebrabam, ac si aliquid inter manus numismatis aduenisset, eleemosynas faciebam. Iámque in maiori ætate proficiens, litteras discere studui. Ex quibus priùs scribere potui, quàm ordinem scriptarum literarum scirem. Deinde Aredio abbati coniunctus, ab eóque edoctus, beati Martini Basilicam adij. Reuerténsque cum eo, ille parumper pulueris beati sepulchri pro benedictione sustulit. Quem in capsula positum, ad collum meum dependit. Deuectique ad Monasterium eius Lemouicino in termino, accepta capsula, vt eam in Oratorio suo locaret, in tantum puluis adcreuit, vt non solùm totam capsam repleret, verumetiam foris inter iuncturas vbi aditum reperire potuit scateret. Ex hoc mihi miraculi lumine animus magis accendit, totam spem meam in eius virtute defigere. Deinde territorium Treuericæ vrbis expetij, & in quo nunc estis monte, habitaculum quod cernitis proprio labore construxi. Reperi tamen hîc Dianæ simulaB crum, quod populus hîc incredulus quasi Deum adorabat. Columnam etiam statui, in qua cum grandi cruciatu sine vllo pedum stabam tegmine. Itaque cùm hiemis tempus solitæ aduenisset, ita rigore glaciali vrebar, vt vngues pedum meorum sæpiùs vis rigoris excuteret, & in barbis meis aqua gelu connexa candelarum more dependeret. Magnam enim hiemem regio illa persæpè dicitur sustinere. Sed cùm nos sollicitè interrogaremus, Quis ei cibus aut potus esset, vel qualiter simulacra montis illius subuertisset, ait: Potus cibúsque meus erat, parum panis & oleris, ac modicum aquæ. Verùm vbi ad me multitudo vicinarum villarum confluere cœpit, prædicabam iugiter, nihil esse Dianam, nihil simulacra, nihilque quæ eis videbatur exerceri cultura. Indigna etiam esse ipsa, quæ inter pocula luxuriásque profluas cantica proferebant. Sed potiùs Deo omnipotenti, qui cœlum fecit ac terram, dignum sit sacrificium laudis impendere. Orabam etiam sæpiùs, vt simulacro Dominus diruto dignaretur populum ab hoc errore discutere. Flexit Domini misericordia mentem rusticam, vt inclinaret aurem suam in verba oris mei: vt scilicet relictis idolis, Dominum sequeretur. Tunc conuocatis quibusdam ex eis, simulacrum hoc immensum, quod elidere propria virtute non poteram, cum eorum adiutorio possem eruere. Iam enim reliqua sigillorum, quæ faciliora fuerant, ipse confregeram. Conuenientibus autem multis ad hanc Dianæ statuam, missis funibus trahere cœperunt. sed nihil labor eorum proficere poterat. Tunc ego ad Basilicam propero, prostratúsque soD lo, diuinam misericordiam cum lacrimis flagitabam, vt quia id humana industria euertere non valebat, virtus diuina destrueret. Egressúsque post orationem, ad operarios veni, adprehensúmque funem vt primo ictu trahere cœpimus, protinus simulacrum ruit in terram, confractúmque cum malleis ferreis in puluerem redegi. Ipsa quoque hora, cùm ad cibum capiendum venissem, ita omne corpus meum à vertice vsque ad plantam pedis pusulis malis repletum est, vt locus quem vnus digitus tegeret vacuus inueniri non posset. Ingressúsque Basilicam, solus denudaui me coram sancto altario. Habebam enim ibi ampullam cum oleo plenam, quam de sancti Martini Basilica detuleram: ex qua propriis manibus omnes artus perunxi, móxque sopori locatus sum. Expergefactus verò circa medium noctis, cùm ad cursum reddendum surgerem, ita corpus totum incolume reperi, ac si nullum super me vlcus apparuisset. Quæ vulnera non aliter nisi per inuidiam inimici emissa cognoui. Et quia semper ipse inuidus Deum quærentibus nocere conatur, aduenientibus Episcopis, qui me magis ad hoc cohortari debuerant, vt cœptum opus sagaciter explicare deberem, dixerunt mihi: Non est æqua hac via quam sequeris, nec tu ignobilis Simeoni Antiocheno, qui columnæ insedit, poteris comparari. Sed nec cruciatum hunc te sustinere patitur loci positio. Descende potiùs, & cum Fratribus quos adgregasti tecū inhabita.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

Ad quorum verba, quia Sacerdotes non obaudire adscribitur crimini, descendebam fateor,& ambulabam cum eisdem,ac cibum pariter capiebam. Quadam verò die prouocans me Episcopus, longiùs ad villam emisit operarios cum scutis & malleis ac securibus, & eliserunt columnam in qua stare solitus eram. In crastino autem veniens, inueni omnia dissipata, fleuique vehementer. Sed erigere nequiui quæ destruxerant, ne dicerer contrarius iussionibus Sacerdotum. Et ex hoc, sicut nunc habito cum fratribus,habitare contentus sum. A

XVI. CVI cùm de virtutibus beati Martini,quas in eo loco operatus est, aliqua ›› vt declararet exposcerem, hæc retulit: Franci cuiusdam & nobilissimi in gente ›› sua viri filius mutus surdúsque erat: adductúsque à parentibus ad hanc Basilicam, ›› iussi eum cum Diacono meo & alio ministro , intra ipsum templum sanctum ›› in lectulo requiescere. Et per diem quidem orationi vacabat, nocte autem in ipsa ›› (vt diximus) æde dormiebat. Quandoque miserante Deo apparuit mihi in visione ›› beatus Martinus, dicens: Eiice agnum de Basilica, quia iam sanus factus est. Mane ›› autem facto, cogitante me quod esset hoc somnium, venit ad me puer,& ›› emittens vocem, gratias agere Deo cœpit. Conuersúsque ad me ait, Gratias ago ›› Deo omnipotenti, qui mihi & eloquium reddidit, & auditum. Ex hoc sanus redditus, ›› ad domum rediit. Alius verò, qui plerumque in furtis diuersísque sceleribus ›› commixtus, peierare consueuerat, cùm aliquando à quibusdam pro furto argueretur, ›› ait; Ibo ad Basilicam beati Martini,& sacramentis me exuens, innocens reddar. B ›› Quo ingrediente, elapsa secure de manu eius ad ostium ruit, graui cordis dolore ›› perculsus: confessúsque est miser verbis propriis, quæ venerat excusare periuriis. ›› Alius simili modo cùm de incendiis domus vicini sui argueretur, ait: Vadam ad ›› templum sancti Martini, & fide data insons rediturus ero ab hoc crimine. Manife- ›› stum erat enim hunc domum illam incendio concremasse. Abiens autem ad sacramenta ›› danda, conuersus ad eum, dixi ei; Quantum vicinorum tuorum dictat adsertio, ›› non eris innocens ab hoc scelere. Sed tamen Deus vbique est, & virtus eius ›› ipsa est forinsecus. Tamen si ita te vna fiducia cepit, quòd Deus vel Sancti eius in ›› periuriis non vlciscantur, ecce templum sanctum, econtra iura vt libet. Nam calcare ›› limen sacrum non permitteris. At ille eleuatis manibus ait, Per omnipotentem ›› Deum, & virtutem beati Martini Antistitis eius, quia hoc incendium non admisi. ›› Datis itaque sacramentis, dum recederet, visum est ei quasi ab igne circundari. Et ›› statim ruens in terram, clamare cœpit se à beato Antistite vehemẽter exuri. Aiebat ›› enim miser: Testor Deum, quia ego vidi ignem de cœlo cadere, qui me circundans ›› validis vaporibus conflat. Et dum hæc diceret, spiritum exhalauit. Multis hæc causa documentum fuit, ne in hoc loco auderent vlteriùs peierare. Plurima quidem de his virtutibus hic Diaconus retulit, quæ sequi longum putaui.

XVII. DVM autem in loco illo commoraremur, vidimus per duas noctes signa in cœlo, id est radios à parte Aquilonis tam clarè splendidos, vt priùs sic adparuisse non fuerint visi: & ab vtraque quidem parte, id est ab Euro, & Zephyro, nubes sanguineæ. C Tertia verò nocte quasi hora secunda adparuerunt hi radij. Ecce dum hos miraremur adtoniti, surrexerunt à quatuor plagis mundi alij horum similes. Vidimúsque totum cœlum ab his operiri. Et erat nubes in medio cœli splendida, ad quam se hi radij colligebant in modum tentorij, quod ab imo ex amplioribus incœptum fasciis angustatis in altum, in vnum cuculli caput sæpè colligitur. Eràntque in medio radiorum & aliæ nubes, ceu coruscum validè fulgurantes. Quod signum magnum nobis ingessit metum. Operiebamur enim super nos aliquam plagam de cœlo transmitti.

XVIII. CHILDEBERTVS verò Rex compellentibus Missis Imperialibus, qui aurum, quod anno superiore datum fuerat, requirebat, exercitum in Italiam dirigit. Sonus enim erat, sororem suam Ingundem iam Constantinopolim fuisse translatam. Sed cùm Duces inter se altercarentur, regressi sunt sine vllius lucri conquisitione. Nam Vuintrio Dux à pagensibus suis depulsus, Ducatu caruit: finissetque vitam, nisi fuga auxilium præbuisset. Sed postea pacato populo, Ducatum recepit. Itaque Nicetius per emissionem Eulalij à Comitatu Aruerno submotus, Ducatum à Rege expetit, datis pro eo immensis muneribus. Et sic in vrbe Arуerna, Ruthena, atque Vcetica Dux ordinatus est: vir valde ætate iuuenis, sed acutus in sensu. Fecitque pacem in regione Aruerna, & in reliquis ordinationis

A suæ locis. Childericus verò Saxo in offensam Regis Guntchramni incidens, pro causa, ob quam superiùs diximus alios confugisse, beati Martini Basilicam expetiit, vxorem in regno Regis antedicti relinquens. Cui obtestatus fuerat Rex, ne virum videre præsumeret, nisi priùs ille regali gratiæ reconciliaretur. Ad quem cùm pro eo sæpiùs legationē misissemus, tandem obtinuimus vt vxorem reciperet, & citra Ligerim fluuium commoraretur. non tamen ad Regem Childebertum transire præsumeret. Sed ille accepta libertate recipiendæ vxoris, clam ad eum transiit. Adeptáque ordinatione Ducatus, in ciuitatibus vltra Garonnam, quæ in potestate supradicti Regis habebantur, accessit. Guntchramnus verò Rex volens Regnum nepotis sui CHLOTHARII, filij scilicet Chilperici, regere, Theodulphum Andegauis Comitem esse decreuit. Introductúsque in vrbem à ciuibus, & præsertim à Domigisilo, cum humilitate repulsus est. Recurrénsque ad Regem, iterum præceptum accipiens, à Sigulfo Duce intromissus, Comitatum vrbis illius rexit. Gundobaldus autem Comitatum Meldensem super Guerpinum * competiit. Ingressúsque vrbem, causarum actionem agere cœpit. Exinde dum pagum vrbis in hoc officio circumiret, in quadam villa à Guerpino interficitur. Cuius parentes congregati, super hunc inruunt, inclusúmque in pensilem domum interimunt. Sicque vterque à Comitatu morte imminente discessit.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

* al. Vuetpinum.

B XIX. CVM autem sæpiùs Dagulfus Abbas pro sceleribus suis argueretur, quia furta & homicidia plerumque faciebat, sed & in adulteriis nimiùm dissolutus erat; quodam tempore cùm vxorem vicini sui concupiscens, misceretur cum ea, requirens occasiones diuersas, qualiter virum adulteræ intra Monasterij huius septa deberet obprimere, ad extremum contestatus est ei dicens, quòd si ad vxorem suam accederet, puniretur. Illo quoque discedente ab hospitiolo suo, hic Dagulfus nocte cum vno Clerico veniens, domum meretricis ingreditur. Postquam autem diutissimè bibentes inebriati sunt, in vno strato locantur. Quibus dormientibus, aduenien vir ille accenso stramine, eleuata bipenne vtrumque peremit. Ideóque documentum sit hæc causa Clericis, ne contra canonum statuta extranearum mulierum consortio potiantur: cùm hoc & ipsa lex canonica, & omnes scripturæ sanctæ prohibeant. præter has feminas, de quibus crimen non potest æstimari.

XX. INTERIM dies placiti aduenit, & Episcopi ex iussu Regis Guntchramnî apud Maticensem vrbem collecti sunt. Faustinianus autem, qui ex iussu Gundobaldi Aquensis vrbis Episcopus ordinatus fuerat, ea conditione remouetur, vt eum Bertchramnus, Orestésque, siue Palladius, qui eum benedixerant, vicibus pascerent, centenósque ei aureos annis singulis ministrarent. Nicetius tamen ex laico, qui prius ab Chilperico Rege præceptum elicuerat, in ipsa vrbe C Episcopatum adeptus est. Vrsicinus Cadurcensis Episcopus excommunicatur, pro eo quòd Gundobaldum excepisse publicè est confessus. Accepto huiusmodi placito, vt pœnitentiam tribus annis agens, neque capillum, neque barbam tonderet, vino & carnibus abstineret, Missas celebrare, Clericos ordinare, Ecclesiásque & chrisma benedicere, eulogias dare penitus non auderet. Vtilitas tamen Ecclesiæ per eius ordinationem, sicut solita erat, omninò exerceretur. Extitit enim in hac Synodo quidam ex Episcopis, qui dicebat: Mulierem, hominem non posse vocitari. Sed tamen ab Episcopis ratione accepta quieuit: eò quòd sacer veteris Testamenti liber edoceat, quòd in principio Deo hominem creante ait, *Masculum & feminam creauit eos: vocauitque nomen eorum, Adam, quod est homo terrenus.* sic vtique vocans mulierem, ceu virum. Vtrumque enim hominem dixit. Sed & Dominus Iesus Christus ob hoc vocitatur, *filius hominis*, quòd sit filius virginis, id est mulieris. Ad quam, cùm aquas in vina transferre pararet, ait: *Quid mihi & tibi est mulier?* & reliqua. Multisque & aliis testimoniis hæc causa conuicta quieuit. Prætextatus verò Rothomagensis Episcopus orationes, quas in exilio positus scalpsit, coram Episcopis recitauit. Quæ quibusdam quidem placuerant, à quibusdam verò, quia artem secutus minimè fuerat, reprehendebantur. Stilus tamen per loca Ecclesiasticus & rationabilis erat. Cædes autem magna tunc inter famulos Prisci Episcopi & Leudegisili Ducis fuit. Priscus tamen Episcopus ad coemendam pacem multum pecuniæ obtulit. His etiam diebus Guntchramnus

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

Rex grauiter ægrotauit, ita vt putaretur à quibusdam non posse prorsus euadere. A Quod credo prouidentia Dei fuisset. Cogitabat enim multos Episcoporum exilio detrudere. Theodorus itaque Episcopus, ad vrbem suam regressus, fauente omni populo cum laude susceptus est.

XXI. ITAQVE cùm hæc Synodus ageretur, Childebertus Rex apud Belsonancum villam, quæ in medio Ardoennensis siluæ sita est, cum suis coniungitur. Ibique Brunichildis Regina pro Ingunde filia, quæ adhuc in Africa tenebatur, omnibus prioribus questa est. Sed parum consolationis emeruit. Tunc contra Bosonem Guntchramnum causa exoritur. Ante paucos autem dies mortua propinqua vxoris eius sine filiis, in Basilica vrbis Metensis sepulta est cum grandibus ornamentis, & multo auro. Factum est autem, vt post dies paucos adesset festiuitas beati Remigij, quæ in initio mensis Octobris celebratur. Descendentibus autem multis è ciuitate cum Episcopo, & præsertim Senioribus vrbis cum Duce, venerunt pueri Bosonis Guntchramni ad Basilicam, in qua mulier erat sepulta. Ingressi, conclusis super eos ostiis, detexerunt sepulchrum, tollentes & auferentes omnia ornamenta corporis defuncti, quæ reperire potuerunt. Sentientes autem hæc Monachi Basilicæ illius, venerunt ad ostium, sed ingredi non sunt permissi. Quod videntes, nunciauerunt hæc Eqiscopo suo, ac Duci. Interea pueri acceptis rebus, ascensisque equis, fugere cœperunt. Sed timentes ne adprehensi in via diuersis subigerentur pœnis, regressi sunt ad Basilicam. Posuerúntque quidem res B super altarium, sed foras egredi non sunt ausi, clamantes atque dicentes; Quia à „ Guntchramno Bosone transmissi sumus. Sed cùm ad placitum in villam, quam diximus, Childebertus cum Proceribus suis conuenisset, & Guntchramnus de his interpellatus nullum responsum dedisset, clam aufugit. Ablatæque sunt ei deinceps omnes res, quas in Aruerno de fisci munere promeruerat. Sed & diuersorum res, quas malè peruaserat, cum confusione reliquit.

XXII. LABAN Helosensis Episcopus hoc anno obiit. Cui Desiderius ex laico successit. Cum iureiurando enim Rex pollicitus fuerat, se nunquam ex laicis Episcopum ordinaturum. Sed quid pectora humana non cogat auri sacra fames? Bertchramnus * verò regressus ex Synodo, à febre corripitur. Arcessitóque Vualdone Diacono, qui & ipse in baptismo Bertchramnus vocitatus est, summam ei Sacerdotij deputat: omnésque conditiones tam testamenti, quàm benemeritorum suorum ipsi committit. Quo discedente, hic spiritum exhalauit. Regressus Diaconus, cum muneribus & consensu ciuium ad Regem properat. sed nihil obtinuit. Tunc Rex data præceptione, iussit Gundegisilum Santonicum Comitem cognomento Dodonem, Episcopum ordinari. gestúmque est ita. Et quia multi Clericorum Santonicorum ante Synodum consentientes Bertchramno Episcopo, in Palladium Sacerdotem suum aliqua aduersa conscripserant, quæ ei humilitatem ingererent: post eius obitum adprehensi à Sacerdote, grauiter cæsi, atque expoliati sunt. Hoc tempore & Vuandelinus nutritor Childeberti Regis obiit. Sed in locum eius nullus est subrogatus, eo quòd Regina mater curam velit propriam habere de filio. Quæcunque de fisco meruit, fisci iuribus sunt relata. Obiit C his diebus Bodegisilus Dux plenus dierum, sed nihil de facultate eius filiis minutum est. In locum Fausti Auscensis Episcopi, Fabius Episcopus est subrogatus. Post obitum sancti Saluij hoc anno, Desideratus Albigensibus Episcopus datus est.

* al. Bertrannus

XXIII. MAGNÆ hoc anno pluuiæ fuerunt, amnésque intantùm conualuerunt, vt plerumque naufragia euenirent. Ipsique littora excedentes, propinquas segetes ac prata operientes, grauiter eliserunt. Fuerúntque vernales æstiuíque menses tam inrigui, vt hiems magis putaretur esse quàm æstas.

XXIV. DVÆ hoc anno insulæ in mari diuinitus incendio concrematæ sunt: quæ per dies septem cum hominibus pecoribúsque consumptæ subuertebantur. Nam qui in mare confugerant, & se in profundum præcipitarant, aqua consumebantur: grauioríque supplicio qui non confestim emittebant spiritum, vrebantur. Redactísque omnibus in fauillam, cuncta mare operuit. Ferebant etiam multi, signa quæ superiùs nos vidisse octauo mense narrauimus, quasi arderet cœlum, ex huius incendij splendore fuisse.

sup. c. 8. & 27.

XXV. IN aliâ verò insula, quæ est proxima ciuitati Veneticæ, erat stagnum

A validum, piscibúsque refertum, quod in vnius vlnæ altitudinem conuersum est in cruorem. Ita per dies multos congregata canum atque auium inæstimabilis multitudo, sanguinem hunc lambens, satiata redibat in vesperum.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

XXVI. TVRONICIS verò atque Pictauis Ennodius Dux datus est. Berulfus * autem, qui his ciuitatibus ante præfuerat, pro thesauris Sigiberti Regis, quos clam abstulerat, cum Arnegisilo socio suspectus habebatur. Qui cùm hunc Ducatum in supradictis vrbibus expeteret, à Rauchingo Duce facto ingenio * cum satellite alligatur. Nec mora, missi ad domos eorum pueri expilant omnia. Multa ibi de proprio, nonnulla de antedictis thesauris sunt reperta. quæ omnia ad Childebertum Regem delata sunt. Cúmque in hoc res ageretur, vt gladius ceruicem decideret, interuentu Episcoporum obtenta vita laxati sunt: nihil tamen de his, quæ eis ablata fuerant, recipientes.

* al. Ebe rulfus

* al. instrumento

XXVII. DESIDERIVS verò Dux cum aliquibus Episcopis, & Aredio Abbate, vel Antestio, ad Regem Guntchramnum properauit. Sed cùm eum Rex ægrè vellet accipere, victus precibus Sacerdotum in gratiam suam recepit. Tunc ibi Eulalius adfuit, quasi pro coniuge, quæ eum spreuerat, & ad Desiderium transierat, causaturus. Sed in ridiculum & humilitatem redactus, siluit. Desiderius verò remuneratus à Rege, cum gratia est reuersus.

XXVIII. IGITVR (vt superius diximus) Ingundis à viro cum Imperatoris exercitu derelicta, dum ad ipsum Principem cum filio paruulo duceretur, in Africa B defuncta est, & sepulta. Leuuichildus vero Herminichildum filium suum, quem antedicta mulier habuit, morti tradidit. Quibus de causis commotus Guntchramnus Rex, exercitum in Hispanias destinat, scilicet vt priùs Septimaniam, quæ adhuc infra Galliarum terminum habetur, eius dominationi subderent: & sic inantea proficiscerentur. Dum autem hic exercitus moueretur, indiculum à nescio quibusdam hominibus rusticis est repertum. Quod & Guntchramno Regi legendum miserunt hoc modo, quasi Leuuichildus ad Fredegundem scriberet, vt quocumque ingenio exercitum illuc prohiberet ire, dicens: Inimicos nostros, « id est, Childebertum & matrem eius, velociter interimite, & cum Rege Gunt- « chramno pacem inite, quam præmiis multis coemite. Et si vobis minus est for- « tassis pecuniæ, nos clam mittimus. tantùm, vt quod petimus impleatis. Cùm au- « tem de inimicis nostris vlti fuerimus, tunc Amelio Episcopo, ac Leubæ matro- « næ bona tribuite: per quos missis nostris ad vos accedendi aditus reseratur. Leu- « ba enim est socrus Bladastis Ducis.

XXIX. ET licèt hæc ad Guntchramnum Regem perlata, & nepoti eius Childeberto in notitiam data fuissent, tamen Fredegundis duos cultros ferreos fieri præcepit: quos etiam caraxari profundiùs, & veneno infici iusserat. Scilicet si mortalis adsultus vitales non dissolueret fibras, vel ipsa veneni infectio vitam posset velociùs extorquere. Quos cultros duobus Clericis cum his mandatis tradidit, dicens: Accipite hos gladios, & quantociùs pergite ad Childebertum Re- « D gem, adsimulantes vos esse mendicos. Cúmque pedibus eius fueritis strati, quasi « stipem postulantes, latera eius vtraque perfodite, vt tandem Brunichildis, quæ « ab illo adrogantiam sumit, eo cadente corruat, mihique subdatur. Quòd si tan- « ta est custodia circa puerum, vt accedere nequeatis, vel ipsam interimite inimi- « cam. Merces quoque operis vestri hæc erit, vt si mortui in hoc opere fueritis, « parentibus vestris bona tribuam, ipsósque muneribus ditans, primos in Regno « meo constituam. Interim vos timorem omnem omittite, nec sit trepidatio mor- « tis in pectore. Noueritis enim, quòd cunctos homines hæc causa continet. Ar- « mate virilitate animos, & considerate sæpiùs fortes viros in bello corruere: vn- « de nunc parentes eorum nobiles effecti, opibus immensis cunctis supereminent, « cunctósque præcellunt. Cúmque hæc mulier loqueretur, Clerici tremere cœ- « perunt, difficile putantes hæc iussa posse complere. At illa dubios cernens, medificatos * potione direxit, quò ire præcepit. Statimque robur animorum adcreuit. Promiserúntque se omnia quæ præceperat impleturos. Nihilominus vasculum hac potione repletum ipsos leuare iubet, dicens: In die illa, cùm hæc quæ præcipio facitis, mane priusquam opus incipiatur, hinc potum sumite. Erit vo- « bis magna constantia ad hæc peragenda. His ita instructis, dimisit eos. Qui per- « gentes, & ad vrbem Suessionas accedentes, à Rauchingo Duce capti, discussi-

* maleficatos, ait sup. l. 4. c. 50.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

que omnia referunt, & sic in carcerem religati sunt. Post dies verò paucos Fredegundis, certa iam quòd fuissent impleta quæ fuerant imperata, misit puerum inquirere, quid aut rumor populi ferret, aut si aliquem inueniret indicantem, qui diceret, Childebertum iam interemptum fuisse. Egressus igitur puer ab ea, Suessionas vrbem venit. Audiens denique hos in carcerem retineri, ad ostium adpropinquat. Sed cùm loqui satellitibus cœpisset, & ipse captus custodiæ mancipatur. Tunc omnes simul ad Childebertum Regem directi sunt, discussique veritatem aperiunt: indicantes se à Fredegunde missos ad eum interimendum, » dicentes: Iussa Reginæ suscepimus, vt nos egenos adsimularemus. Cúmque pe- » dibus tuis pronoluti aliquid stipendij quæreremus, ab his te gladiis transfodere » voluimus. Quòd si adsultu segniore gladius defixus esset, ipsum venenum, quo » ferrum erat infectum, animam velociter penetraret. Hæc his dicentibus, diuersis suppliciis adfecti, truncatis manibus, auribúsque & naribus, variis sunt mortibus interempti.

XXX. IGITVR Guntchramnus Rex commoueri exercitum in Hispanias præ- » cepit, dicens: Prius Septimaniam prouinciam ditioni nostræ subdite, quæ Gal- » liis est propinqua. Indignum est, vt horrendorum Gothorum terminus vsque in » Gallias sit extensus. Tunc commoto omni exercitu Regni sui, illuc dirigit. Gentes verò, quæ vltra Ararim, Rhodanúmq; & Sequanam commanebant, cum Burgundionibus iunctæ, Ararica Rhodaniticáque littora, tam de fructibus quàm de pecoribus valde depopulatæ sunt. Multa homicidia, incendia, prædásque in regione propria facientes, sed & Ecclesias denudantes, Clericos ipsos cum Sacerdotibus, ac reliquo populo, ad ipsas sacratas Deo aras interimentes, vsque ad vrbem Nemausum processerunt. Similiter & Biturici, Sanctonici cum Petragoricis, Egolismensibus *, & reliquarum vrbium populo, qui tunc ad antedicti Regis imperium pertinebant, vsque ad Carcassonam vrbem deuecti, similia mala gesserunt. Sed cùm ad vrbem accessissent, reseratis sponte ab habitatoribus portis, nullo resistente ingressi, nescio quo cum Carcassonensibus scandalo commoti, vrbem egressi sunt. Tunc Terentiolus Comes quondam vrbis Lemouicinæ, lapide de muro proiecto percussus, occubuit. Cuius caput truncatum, ad vindictam aduersariorum vrbi delatum est. Ex hoc omnis populus timore perterritus, ad propria regredi destinans, vniuersa reliquit, quæ vel per viam ceperat, vel quæ secum adduxerat. Sed & Gothi per occultas insidias multos de his spoliatis interemerunt. Exinde in Tholosanorum manus incidentes, quibus dum pergerent multa intulerant mala, spoliati ac cæsi vix propria contingere potuerunt. Hi verò qui Nemausum adgressi fuerant, deuastantes vniuersa regionis, succensis domibus, incensis segetibus, discissis oliuetis, vinetisque succisis, nihil inclusis nocere potentes ad alias vrbes progressi sunt. Erant enim valde munitæ, & de cibis ac reliquis necessariis adplenè refertæ. Et horum vrbana depopulantes, vrbes minus inrumpere potuerunt. Tunc & Nicetius Dux cum Aruernis in hac expeditione commotus, cum reliquis vrbes adsedit. Sed cùm minus valeret, ad castrum quoddam peruenit. Dataque fide, sponte inclusi reserantes portas, eos creduli tanquam pacificos susceperunt. Illi verò ingressi, postposito sacramento præsidia cuncta diripiunt, animas in captiuitatem subdentes. Tunc accepto consilio, vnusquisque ad propria est regressus. Tantáque per viam scelera, homicidia, prædas, direptiones per regionem propriam gesserunt, vt ea vsquequaque memorari perlongum sit. Verumtamen quia segetes Prouinciæ igni ab hisdem succensas dicimus, fame atque inedia pereuntes, per viam relinquebantur exanimes. Nonnulli in fluminibus demersi, plerique in seditionibus interempti sunt. Ferebant enim ampliùs quàm quinque milia in his stragibus fuisse peremptos. Sed non eos, qui remanserant, coercebat aliorum interitus. Tunc & Aruernæ regionis Ecclesiæ, quæ viæ publicæ propinquæ erant, à ministeriis denudatæ sunt. Nec fuit terminus malè faciendi, nisi cùm ad propria singuli peruenerunt. Quibus reuersis, magna Guntchramnum Regem amaritudo cordis obsedit. Duces verò supradicti exercitus ad Basilicam sancti Symphoriani Martyris expetierunt. Veniente itaque Rege ad eius solemnitatem, repræsentati sunt sub conditione audientiæ in postmodum futuræ. Postea verò quatuor conuocatis Episcopis, necnon & Maioribus natu laicorum, Duces discutere cœ-

* al. Ecolesenensibus

A pit, dicens: Qualiter nos hoc tempore victoriam obtinere possumus, qui ea quæ patres nostri consecuti sunt non custodimus? Illi verò Ecclesias ædificantes, in Deum spem omnem ponentes, Martyres honorantes, Sacerdotes venerantes, victorias obtinuerunt, gentésque aduersas diuino opitulante adiutorio, in ense & parma sæpiùs subdiderunt. Nos verò non solum Deum non metuimus, verumetiam sacra eius vastamus, ministros interficimus, ipsa quoque Sanctorum pignera in ridiculo discerpimus, ac vastamus. Non enim potest obtineri victoria, vbi talia perpetrantur. Ideo manus nostræ sunt inualidæ, ensis tepescit, nec clypeus nos (vt erat solitus) defendit ac protegit. Ergo si hoc meæ culpæ adscribitur, iam id Deus capiti meo restituat. Certè si vos regalia iussa contemnitis, & ea quæ præcipio implere differtis, iam debet securis capiti vestro submergi. Erit enim documentum omni exercitui, cùm vnus de prioribus fuerit interfectus. Veruntamen iam experiri debemus, quid agi oporteat. Si quis iustitiam sequi destinat, iam sequatur, Si quis contemnit, iam vltio publica ceruici eius immineat. Satius est enim vt pauci contumaces pereant, quàm ira Dei super omnem regionem dependat innoxiam. Hæc Rege dicente, responderunt Duces: Bonitatis tuæ magnanimitas, Rex optime, enarrari facilè non potest: qui timor tibi in Deum sit, qui amor in Ecclesias, quæ reuerentia in Sacerdotes, quæ pietas in pauperes, quæve dispensatio in egenos. Sed quia omnia quæ gloria vestra profert, recta veráque esse censentur, quid faciemus quòd populus omnis in vitium est B dilapsus, omnémque hominem agere quæ sunt iniqua delectat? Nullus Regem metuit, nullus Ducem, nullus Comitem reueretur. Et si fortassis alicui ista displicent, & ea pro longæuitate vitæ vestræ emendare conatur, statim seditio in populo, statim tumultus exoritur, & in tantum vnusquisque contra Seniorem sæua intentione grassatur, vt vix se credat euadere, si tandem silere nequiuerit. Ad hæc Rex ait: Si quis sequitur iustitiam, viuat: si quis legem mandatúmque nostrum respuit, iam pereat, ne nos diutius hoc blasphemium prosequatur. Hęc eo dicente, aduenit nuncius, dicens: Richaredus filius Leuuieldi de Hispaniis egressus, Caput arietis castra obtinuit, & ex pago Tholosano maximam partem depopulatus est, hominésque captiuos abduxit. Vgernum, Arelatense castrum inrupit, résque cunctas cum hominibus abstulit, & sic se infra muros Nemausensis vrbis inclusit. Hæc audiens Rex, Leudegisilum in locum Calumniosi cognomento Ægilanis* Ducem deligens, omnem ei Prouinciam Arelatensem commisit, custodésque per terminos super quatuor virorum milia conlocauit. Sed & Nicetius Aruernorum Dux similiter cum custodibus perrexit, & fines regionis ambiuit.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

* al. Agilanis

XXXI. Dvm hæc agerentur, & Fredegundis apud Rothomagensem vrbem commoraretur, verba amaritudinis cum Prætextato Pontifice habuit, dicens: Venturum esse tempus quando exilia, in quibus detentus fuerat, reuiseret. Et ille, Ego semper & in exilio, & extra exilium Episcopus fui, sum, & ero. Nam tu non semper regali potentia perfrueris. Nos ab exilio prouehimur tribuente Deo in Regnum: tu verò ab hoc Regno demergeris in abyssum. Rectius enim erat tibi, vt relicta stultitia atque malitia, iam te ad meliora conuerteres, & ab hac C iactantia, qua semper ferues, abstraheretis: vt & tu vitam adipisceretis æternam, & paruulum quem genuisti adducere ad legitimam posses ætatem. Hæc effatus, cùm verba illius mulier grauiter acciperet, se à conspectu eius felle feruens abstraxit. Adueniente autem Dominicæ Resurrectionis die, cùm Sacerdos ad implenda Ecclesiastica officia, ad Ecclesiam maturiùs properasset, Antiphonas iuxta consuetudinem incipere per ordinem cœpit. Cúmque inter psallendum formulæ decumberet, crudelis adfuit homicida, qui Episcopum super formulam quiescentem, extracto baltei cultro, sub ascella percutit. Ille verò vocem emittens, vt Clerici qui aderant adiuuarent, nullius auxilio de tantis adstantibus est adiutus. At ille plenas sanguine manus super altarium extendens, orationem fundens, & Deo gratias agens, in cubiculum suum inter manus fidelium deportatus, & in suum lectulum collocatus est. Statimque Fredegundis cum Beppoleno Duce & Ansoualdo adfuit, dicens: Non oportuerat hæc nobis ac reliquæ plebi tuæ, ô sancte Sacerdos, vt ista tuo cultui euenirent. Sed vtinam indicaretur, qui talia ausus est perpetrare, vt digna pro hoc scelere supplicia sustineret! Sciens

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

autem eam Sacerdos hæc dolosè proferre, ait: Et quis hæc fecit, nisi is qui Reges interemit, qui sæpiùs sanguinem innocentem effudit, qui diuersa in hoc Regno mala commisit? Respondit mulier: Sunt apud nos peritissimi Medici, qui huic vulneri mederi possunt. Permitte, vt accedant ad te. Et ille, Iam, inquit, me Deus præcipit de hoc mundo vocari. Nam tu, quæ his sceleribus princeps inuenta es, eris maledicta in seculo, & erit Deus vltor sanguinis mei de capite tuo. Cúmque illa discederet, Pontifex ordinata domo sua, spiritum exhalauit. Ad quem sepeliendum Romacharius Constantinæ vrbis Episcopus aduenit. Magnus tunc omnes Rothomagenses ciues, & præsertim Seniores loci illius Francos, mœror obsedit. Ex quibus vnus senior ad Fredegundem veniens, ait: Multa enim mala in hoc seculo perpetrasti. Sed adhuc peius non feceras, quàm vt Sacerdotem Dei iuberes interfici. Sit Deus vltor sanguinis innocentis velociter. Nam & omnes erimus inquisitores mali huius, vt tibi diutiùs non liceat tam crudelia exercere. Cùm autem hæc dicens discederet à conspectu Reginæ, misit illa qui eum ad conuiuium prouocaret. Quo renuente, rogat, vt si conuiuio eius vti non velit, saltem vel poculum hauriat, ne ieiunus à regali domo discedat. Quo expectante, accepto poculo, bibit absinthium cum vino & melle mixtum, vt mos Barbarorum habet: sed hic potus veneno imbutus erat. Statim autem vt bibit, sensit pectori suo dolorem validum imminere: & quasi si incideretur intrinsecus, exclamat suis dicens: Fugite ô miseri, fugite malum hoc, ne mecum pariter perimamini. Illis quoque non bibentibus, sed festinantibus abire, ille protinus excæcatus, ascensóque equo in tertio ab hoc loco stadio cecidit, & mortuus est. Posthæc Leudoualdus Episcopus Epistolas per omnes Sacerdotes direxit, & accepto consilio Ecclesias Rothomagenses clausit, vt in his populus solemnia diuina non spectaret, donec indagatione communi reperiretur huius auctor sceleris. Sed & aliquos adprehendit, quibus supplicio subditis, veritatem extorsit, qualiter per consilium Fredegundis hæc acta fuerant. Sed ea defensante, vlcisci non potuit. Ferebant etiam ad ipsum percussores venisse, pro eo quòd hæc inquirere sagaciter destinaret. Sed custodia vallato suorum, nihil ei nocere potuerunt. Itaque cùm hæc ad Guntchramnum Regem perlata fuissent, & crimen super mulierem iaceretur, misit tres Episcopos ad filium qui esse dicitur Chilperici, quem superiùs Chlotharium scripsimus vocitatum, id est Arthemium Senonicum, Veranum Cabillonensem, & Agrecium Tricassinum: vt scilicet cum his, qui paruulum nutriebant, perquirerent huius sceleris personam, & in conspectu eius exhiberent. Quod cùm Sacerdotes locuti fuissent, responderunt Seniores. Nobis prorsus hæc facta displicent, & magis ac magis ea cupimus vlcisci. Nam non potest fieri, vt si quis inter nos culpabilis inuenitur, in conspectum Regis vestri deducatur, cùm nos possimus nostrorum facinora regali sanctione comprimere. Tunc Sacerdotes dixerunt: Noueritis enim, quia si persona, quæ hæc perpetrauit, in medio posita non fuerit, Rex noster cum exercitu huc veniens, omnem hanc regionem gladio incendióque vastabit: quia manifestum est hanc interfecisse gladio Episcopum, qui maleficiis Francum iussit interfici. Et his dictis discesserunt, nullum rationabile responsum accipientes: obtestantes omnino vt nunquam in Ecclesia illa Melantius, qui prius in loco Prætextati subrogatus fuerat, Sacerdotis fungeretur officio.

sup. lib. 8. c. 23. & l. 8. c. 9.

XXXII. MVLTA enim hoc tempore mala gesta sunt. Nam Domnola relicta quondam Burgoleni, quæ fuit filia Victorij Redonensis Episcopi, quam Nectarius matrimonio copulauerat, intentionem de vineis cum Boboleno Referendario Fredegundis habebat. Audiens eam in has vineas aduenisse, misit nuncios obtestantes, ne ingredi penitus in hanc possessionem præsumeret. Quod illa despiciens, & res patris sui fuisse proclamans, ingressa est. Tunc ille commota seditione, super eam cum armatis viris inruit. Qua interfecta, vineas vindemiauit, résque diripuit: & tam viros quàm mulieres, qui cum ea erant, interfecit gladio, nec remansit ex his nisi qui fuga labi potuit.

XXXIII. EXTITIT autem in his diebus apud vrbem Parisiacam mulier, quæ dicebat incolis: Fugite ab vrbe, & scitote eam incendio concremandam. Quæ cùm à multis irrideretur, quòd hæc aut sortium præsagio diceret, aut vana aliqua somniasset, aut certè dæmonij meridiani hæc instinctu proferret, respondit:

A Nequaquam est ita, vt dicitis. Nam in veritate loquor, quia vidi per somnium à Basilica sancti Vincentij venientem virum inluminatum, tenentem manu cereum, & domos negociantum ex ordine succendentem. Denique post tertiam noctem, quòd hæc mulier est effata, inchoante crepusculo, quidam è ciuibus accenso lumine in promptuarium est ingressus. Adsumptóque ab eo ac ceteris quæ necessaria erant, abscessit, lumine secus cupellam olei derelicto. Erat enim domus hæc prima secus portam, quæ ad meridiem pandit egressum. Ex quo lumine adprehensa domus incendio concrematur, de qua & aliæ adprehendi cœperunt. Tunc deruente igne super vinctos carceris, adparuit eis beatus Germanus, & comminuens trabem atque catenas, quibus vincti tenebantur, reserato carceris ostio, vinctos abire permisit incolumes. Illi verò egressi, se ad Basilicam sancti Vincentij, in qua sepulchrum habetur beati Antistitis, contulerunt. Igitur cùm per totam ciuitatem huc atque illuc flante vento flamma ferretur, totisque viribus regnaret incendium, adpropinquare ad aliam portam cœpit, in qua beati Martini Oratorium habebatur: quod ob hoc aliquando factum fuerat, eò quòd ibi lepram maculosi hominis osculo depulisset. Vir autem, qui eum intextis virgultis in sublime construxerat, confisus in Domino, nec de beati Martini virtute diffisus, se résque suas intra eius parietes ambiuit, dicens: Credo enim, & fides "
B mea est, quòd repellat ab hoc loco incendium, qui sæpiùs incendiis imperauit, & in "
hoc loco leprosi hominis cutem osculo medente purgauit. Adpropinquante enim "
illuc incendio, ferebantur validi globi flammarum: qui percutientes parietem Oratorij, protinus tepescebant. Clamabat autem populus viro ac mulieri: Fugite "
ô miseri, vt euadere possitis. Ecce iam ignium pondus super vos deruit: ecce fa- "
uillæ incendij cum carbonibus, tanquam validus imber, ad vos vsque distenditur. "
Egredimini ab Oratorio, ne cum eodem incendio concrememini. At illi oratio- "
nem fundentes, nunquam ab his vocibus mouebantur. Sed nec mulier se vnquam à fenestra, per quam interdum flammæ ingrediebantur, amouit, quæ erat spe firmissima de virtute beati Antistitis præmunita. Tantáque fuit virtus beati Pontificis, vt non solùm hoc Oratorium cum alumni proprij domo saluaret; verumetiam nec aliis domibus, quæ in circuitu erant, nocere flammis dominantibus permisisset. Ibique cecidit incendium, quod ab vna parte pontis cœperat desæuire. Ab alia verò parte tam validè cuncta conflagrauit, vt amnis finem imponeret. Verumtamen Ecclesiæ domibus suis non sunt adustæ. Aiebant enim hanc vrbem quasi consecratam fuisse antiquitus, vt non ibi incendium præualeret, non serpens, non glis adparuisset. Nuper autem cùm cuniculus pontis emundaretur, & cœnum de quo repletum fuerat auferretur, serpentem glirémque æreum repererunt. Quibus ablatis, & glires ibi deinceps extra numerum, & serpentes adparuerunt, & postea incendia perferre cœpit.

C XXXIV. ET, quia princeps tenebrarum mille habet artes nocendi, quid de reclausis ac Deo deuotis nuper gestum fuerit, pandam. Vennocus Britto Presbyterij honore præditus (cuius in alio Libro meminimus) tantæ se abstinentiæ dedicauit, vt indumento de pellibus tantùm vteretur, cibum de herbis agrestibus incoctis sumeret: vini verò tantum vas ad os poneret, quod magis putaretur libare osculo, quàm haurire. Sed cùm eidem deuotorum largitas frequenter exhiberet vasa hoc plena liquore, didicit (quod peius est) extra modum haurire, & intantum dissolui potione, vt plerumque ebrius cerneretur. Vnde factum est, vt inualescente temulentia, tempore procedente à dæmonio correptus, per energiam vexaretur, intantum vt accepto cultro, vel quodcumque genus teli, vel lapidem, aut fustem potuisset adripere, post homines insano furore discurreret. Vnde necessitas exegit, vt catenis vinctus, custodiretur in Cellula. In hac quoque damnatione per duorum annorum spacia debacchans, spiritum exhalauit. Alius quoque Anatolius Burdegalensis, puer (vt ferunt) annorum duodecim, cùm esset famulus cuiusdam negociatoris, petiit sibi ad reclusionem licentiam tribui. Sed resistente diu domino, putans eum in hoc tepescere, atque implere non posse in hac ætate quod nitebatur appetere, tandem victus precibus famuli facultatem tribuit, vt id quod flagitabat impleret. Erat autem ibi crypta ab antiquis transuoluto elegantique opere exposita, in cuius angulo erat Cellula parua de quadratis lapidibus clausa, in quam vix vnus stans homo recipi posset.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

In hanc Cellulam puer ingreditur: in hac per octo aut eo amplius annos commoratus, tenui cibo potúque contentus, vigiliis orationibúsque vacabat. Post hæc pauorem validum perpessus clamare cœpit, intrinsecus se torqueri. Vnde factum est, vt adiuuante eum (vt credo) diabolicæ partis militia, amotis quadris quibus conclusus tenebatur, eliderct parietem in terram, conlidens palmas, & clamans, se à Sanctis Dei peruri. Cúmque diutissimè in hac insania teneretur, & sancti Martini crebriùs confiteretur nomen, ac diceret se potiùs ab eo quàm à Sanctis aliis cruciari, Turonis adducitur. Sed malus spiritus, credo, ob virtutem atque magnitudinem Sancti compressus, nequaquam hominem mutilauit. Nam in loco ipso per anni curriculum degens, cùm nihil mali pateretur, regressus est. Sed rursus quibus caruerat, incurrit. A

XXXV. LEGATI de Hispaniis ad Regem Guntchramnum venerunt cum multis muneribus, pacem petentes. Sed nihil certi accipiunt in responsis. Nam anno præterito cùm exercitus Septimaniam debellasset, naues, quæ de Gallis in Galliciam abierant, ex iussu Leuuieldi Regis vastatæ sunt, res ablatæ, homines cæsi atque interfecti, nonnulli captiui abducti sunt. Ex quibus pauci quodammodo scaphis erepti, patriæ quæ acta fuerant nunciauerunt.

XXXVI. IGITVR apud Childebertum Regem Magnoualdus causis occultis ex iussu Regis interficitur hoc modo. Stante infra Metensis vrbis Palatium Rege, & ludum spectante, qualiter animal caterua canum circumdatum fatigabatur, Magnoualdus arcessitur. Qui veniens, & nesciens quæ agenda erant, cum reliquis dissolutus risu, prospicere pecudem cœpit. At is, cui iussum fuerat, cùm videret eum spectaculo intentum, librata securi, caput eius inlisit. Qui cecidit, & mortuus est, ac per fenestram domus proiectus, à suis sepultus est: résque eius protinus direptæ, & ærario publico, quantum repertum est, sunt inlatæ. Autumabant tamen quidam, eò quòd post mortem fratris diuersis plagis coniugem adfectam interfecisset, & vxorem fratris adscisset toro, extitisse causam qua interimeretur. B

XXXVII. POST hæc Childeberto Regi filius natus est, qui à Magnerico Treuerorum Episcopo de sacro fonte susceptus, THEODOBERTVS est vocitatus: de quo tantum gaudium Guntchramnus Rex habuit, vt statim Legatos dirigens multa ei munera transmitteret, dicens: Per hunc enim Deus erigere Francorum Regnum propria maiestatis suæ pietate dignabitur, si huic pater, aut ipse vixerit patri.

XXXVIII. ANNO denique vndecimo regni Childeberti Regis, Legati iterum de Hispaniis venerunt, pacem petentes. Sed nihil certi obtinentes, regressi sunt. Richaredus autem filius Leuuieldi vsque Narbonam venit, & intra terminum Galliarum prædas egit, & clam regressus est.

XXXIX. Eo anno multi Episcoporum obierunt. Badegisilus verò Cenomannorum Episcopus. Vir valde sæuus in populo, auferens siue diripiens iniustè res diuersorum: ad cuius animum acerbum atque immitem coniunx accesserat sæuior, quæ illum in committendis sceleribus nequissimis consilij stimulis perurgebat. Nec præteribat dies aut momentum vllum, in quo non aut in spoliis ciuium, aut in diuersis altercationibus grassaretur. Quotidie autem cum Iudicibus causas discutere, militias seculares exercere, sæuire in alios, alios cædibus agere non cessabat. Manibus etiam propriis verberare progrediebatur multos, ac dicere: Num ideo quia Clericus factus sum, vltor iniuriarum mearum non ero? Sed quid dicam de ceteris, cùm nec ipsis quoque germanis parceret, sed ipsos magis expoliaret. Cum quo nunquam iustitiam de rebus paternis maternisve adsequi potuerunt. Quinto autem anno Episcopatus sui expletò, cùm iam sextum ingrediens, epulum ciuibus cum immensa lætitia præparasset, à febre correptus annum quem cœperat protinus morte imminente finiuit. In cuius locum Bertchramnus* Parisiacus Archidiaconus subrogatus est. Qui multas altercationes cum relicta illius defuncti habuisse probatur, eo quòd res, quæ tempore Badegisili Episcopi Ecclesiæ datæ fuerant, tanquam proprias retinebat, dicens: Militia* hæc fuit viri mei. Et licèt inuita, tamen cuncta restituit. Erat enim ineffabili malitia. Nam sæpiùs viris omnia pudenda cum ipsis ventris pellibus incidit, feminis secretiora corporis loca laminis candentibus perussit. Sed & multa alia iniquè C

* al. Berthramnus

* i. stipendium, peculium.

A iniquè gessit, quæ tacere meliùs putaui. Obiit & Sabaudus Arelatensis Episcopus, in cuius locum Licerius Regis Guntchramni Referendarius est adscitus. Grauis tunc Prouinciam ipsam lues depopulata est. Obiit & Euantius Viennensis Episcopus, in cuius sedem Virus Presbyter de Senatoribus Rege eligente substituitur. Multique eo anno Sacerdotum ex hoc mundo migrauerunt. Quod præterire volui, eo quòd vnusquisque in vrbe sua sui reliquerit monimenta.

XL. FVIT autem & in vrbe Turonica Pelagius quidam, in omni malitia exercitatus, nullum Iudicem metuens, pro eo quòd iumentorum fiscalium custodes sub eius potestate consisterent. Ob hoc furta, superuenta*, peruasiones, cædes, diuersáque scelera tam in fluminibus quàm in terris agere non cessabat. Nam plerumque arcessitum, & minacibus lenibúsque verbis, vt ab hac malitia desisteret, prohibere volui. Sed magis odia quàm aliquem fructum iustitiæ ab eo recepi, iuxta illud Salomoniacæ Sapientiæ Prouerbium, *Argue stultum, adiiciet odire te.* Nam tantum in me odium miser habebat, vt sæpiùs spoliatis cæsisque hominibus sanctæ Ecclesiæ, exanimes reliquerit: causas qualiter Ecclesiæ vel Basilicæ sancti Martini damna intenderet, inquirens. Vnde factum est, vt quadam vice venientibus hominibus nostris, atque echinum in vasis deferentibus, cæderet, protereret, ipsáque vasa caperet. Quod factum cùm comperissem, eum à communione suspendi, non quasi vltor iniuriæ meæ, B sed vt faciliùs eum ab hac insania redderem emendatum. At ille electis duodecim viris, vt hoc scelus peieraret, aduenit. Sed cùm ego nullum vellem sacramentum suscipere, compulsus ab eo, vel à ciuibus nostris, amotis reliquis ipsius tantùm iuramentum suscepi, iussíque eum recipi in communionem. Erat autem eo tempore mensis primus. Adueniente autem mense quinto, quo prata secari solent, pratum Sanctimonialium, quod termino prati sui adhærebat, peruadit. In quo statim vt falcem misit, febre correptus, die tertia spiritum exhalauit. Deposuerat enim sibi sepulchrum in Basilica sancti Martini vici Condatensis, quod detectum sui & effractum in frusta reperiunt. Sic postea in porticu ipsius Basilicæ est sepultus. Vasa quoque echini, quæ peierauerat, post obitum illius ab eius promptuario sunt delata. Manifestata est autem virtus beatæ Mariæ, in cuius Basilica miser sacramentum protulit mendax.

* i. inuasiones, rapinæ.

XLI. CVM autem per totam terram sonus ille percurreret, Prætextatum Episcopum à Fredegunde fuisse interfectum, illa quoque, quò facilius detergeretur à crimine, adprehensum puerum cædi iussit vehementer, dicens: Tu hoc « blasphemium super me intulisti, vt Prætextatum vrbis Rothomagensis Episco- « pum gladio adpeteres. & tradidit eum nepoti ipsius Sacerdotis. Qui cùm eum « in supplicio posuisset, omnem rem euidenter aperuit, dixitque: A Regina enim « Fredegunde centum solidos accepi, vt hoc facerem: à Melantio vero Episco- « po, quinquaginta: & ab Archidiacono ciuitatis, alios quinquaginta. Insuper & « promissum habui, vt ingenuus fierem, sicut & vxor mea. In hac voce illius, eua- « C ginato homo ille gladio, prædictum reum in frusta concidit. Fredegundis verò Melantium, quem priùs Episcopum posuerat Ecclesiæ, instituit.

XLII. DVM à Fredegunde Beppolenus Dux valde fatigaretur, nec iuxta personam suam ei honor debitus impenderetur, cernens se despici, ad Guntchramnum Regem abiit. A quo accepta potestate Ducatus super ciuitates illas, quæ ad Chlotharium Chilperici Regis filium pertinebant, cum magna potentia pergit. Sed à Redonicis non est receptus. Andegauos verò veniens, multa mala ibidem gessit. ita vt annonas, fœnum, vinum, & quicquid reperire potuisset in domibus ciuium, ad quas accesserat, nec expectatis clauibus, disruptis ostiis deuastaret. Multósque de habitatoribus loci cædibus adfecit protriuitque. Domigisilo quoque metum intulit, sed pacificatus est cum eo. Accedens autem ad vrbem, dum epularetur cum diuersis in tristega, subitò effracto pulpito domus, vix semiuiuus euasit, multis debilitatis: in eisdem tamen malis perdurans quæ priùs gesserat. Multa tunc & Fredegundis in Regno filij sui de rebus eius euertit. Ipse quoque ad Redonicos rediens, & eos Regi Guntchramno subdere cupiens, filium suum in hoc loco reliquit. Qui non multo intercedente tempore, inruentibus Redonicis interemptus est, cum multis honoratis

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

viris. Hoc anno multa signa adparuerunt. Nam mense septimo arbores visæ sunt floruisse. Sed & multæ, quæ priùs poma habuerant, noua dederunt: quæ vsque ad Natalis Dominici tempora in ipsis arboribus habitæ sunt. Fulgor per cœlum serpentis more cucurrisse visus est. A

XLIII. ANNO quoque duodecimo Childeberti Regis, Nicetius Aruernus Rector Massiliensis Prouinciæ, & reliquarum vrbium quæ in illis partibus ad Regnum Regis ipsius pertinebant, est ordinatus. Antestius verò in Andegauos à Rege Guntchramno dirigitur, multis ibidem damnis adfligens eos qui in morte Domnolæ vxoris Nectarij mixti fuerunt. Résque Beppoleni*, eo quòd fuerit huius caput sceleris, in fiscum redigens, Namnetas accessit: ac lacessere Nonnichium Episcopum cœpit, dicens: Quia filius tuus in hoc facinore est admixtus, vt dignas pro commissis suis pœnas luat, meritum exigit. Sed puer conscientia accusante territus, ad Chlotharium filium Chilperici aufugit. Antestius verò acceptis fideiussoribus ab Episcopo, vt in præsentia Regis adesset, Santonas venit. Sonus autem his diebus exierat, quòd Fredegundis occultos in Hispanias nuncios dirigeret, eosdémque à Palladio Santonicæ vrbis Episcopo clam susceptos, & inantea transmissos fuisse. Erant autem eo tempore dies Quadragesimæ sanctæ, & Episcopus in insulam maris orationis causa secesserat. Secundum consuetudinem autem dum ad Dominicæ Cœnæ festa ad Ecclesiam suam populo expectante rediret, ab Antestio in via vallatur. Qui nec discussa rei veritate dicebat: Non ingredieris vrbem, sed exilio condemnaberis, quia suscepisti nuncios inimicæ domini nostri Regis. At ille, Nescio, ait, quid loquaris: tamen quia dies sancti imminent, accedamus ad vrbem, decursísque solemnitatum sanctarum festis, postea quæcumque volueris obpone, rationem à me accipies. quia quod reputas nihil est. At ille, Nequaquam, inquit, sed non adtinges limina Ecclesiæ tuæ, quia infidelis adparuisti domino nostro Regi. Quid plura? Tenetur in via Episcopus, domus Ecclesiæ describitur, résque diripiuntur. Ciues cum homine obtinere non queunt, vt saltem vel celebrata solemnitate Paschali discutiatur. Hisque supplicantibus, & illo renitente, tandem patefacit vulnus quod latebat in pectore. Si, inquit, domum, quam intra territorij Biturici terminum habere dignoscitur, meæ ditioni facta venditione subdiderit, quæ flagitatis facio. Alioquin non effugiet manus meas, nisi trudatur in exilium. Metuit negare Episcopus, scripsit, subscripsitque, ac tradidit agrum. Et sic datis fideiussoribus de præsentia sua ante Regem, in ciuitatem ingredi permissus est. Transactis igitur diebus sanctis, ad Regem pergit. Adfuit & Antestius. Sed nihil de his quæ opponebat Episcopo, potuit adprobare. Episcopus autem ad vrbem redire iubetur, & vsque ad Synodum futuram dilatatur, si fortè aliqua de his quæ opponebantur euidentiùs possint agnosci. Adfuit & Nonnichius Episcopus, qui datis multis muneribus abscessit. B

* al. Boboleni,

XLIV. FREDEGVNDIS verò quasi ex nomine filij sui Legatos ad Guntchramnum Regem dirigit, qui reserata petitione, accepto responso, vale dicentes abscedunt. Sed nescio quibus causis paululum apud metatum suum remorati sunt. Mane autem facto, procedente Rege ad Matutinas, ac præeunte cereo, visus est homo quasi ebrius in angulo Oratorij dormitare, accinctus gladio, cuius hasta pariete sustentabatur. Hoc viso Rex exclamauit, dicens: Non esse simpliciter, hominem sub hoc horrore noctis tali in loco quiescere. Obpressus autem, & loris reuinctus, interrogabatur quid sibi hæc vellent quæ ageret. Nec mora, supplicio subditus, dicit se à Legatis qui aduenerant emissum fuisse, vt Rex deberet interfici. Denique adprehensi Legati Fredegundis, nihil de his quæ interrogati sunt confitentur, dicentes: Nos nihil ad aliud missi, nisi vt Legationem quam suggessimus deferremus. Tunc hominem illum diuersis plagis adfectum, & carceri mancipatum, Legatos per diuersa loca exilio condemnari præcipit. Manifestissimè enim patuit sub hoc dolo à Fredegunde fuisse directos, vt Regem interficere deberent. Quod misericordia Domini non permisit. Inter quos Baddo senior habebatur. C

XLV. CVM autem Legati de Hispaniis crebrò ad Regem Guntchramnum venirent, & nullius pacis gratiam obtinere potuissent, sed magis inimicitia pullularet, Rex Guntchramnus Albigensem vrbem nepoti suo Childeberto reddi-

A dit. Quod cernens Desiderius Dux, qui maximè in eiusdem vrbis territorio meliora facultatis suæ condiderat, timens ne vltio expeteretur ab eo, propter antiquam inimicitiam, quòd aliquandò in eadem ciuitate exercitum gloriosæ memoriæ Sigiberti Regis grauiter adfecisset, cum Tetradia vxore sua, quam Eulalio tunc Aruerno Comiti abstulerat, in termino Tholosano cum rebus omnibus transiens exercitum commouet, & contra Gothos abire disponit. diuisis prius (vt ferunt) rebus inter filios & coniugem. Adsumptoque secum Austroualdo Comite, Carcassonam petiit. Præparauerant enim se hoc audito vrbis illius ciues, quasi resistere volentes. Audierant autem de his priùs. Denique inito bello fugere Gothi cœperunt, & Desiderius cum Austroualdo à tergo cædere hostem. Illis quoque fugientibus, hic cum paucis ad vrbem accessit. Lassati enim fuerant equi sociorum. Tunc ad portam vrbis accedens, vallatus à ciuibus qui intra muros erant, interfectus est, cum his omnibus qui eum fuerant prosecuti: ita vt vix pauci exinde quodammodo euaderent, qui rem, vt gesta fuerat, nunciarent. Austroualdus verò audiens Desiderium mortuum, de via regressus, ad Regem perrexit, qui mox in eius locum Dux statuitur. GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

XLVI. POST hæc Leuuieldus Rex Hispanorum ægrotare cœpit. Sed, vt quidam adserunt, pœnitentiam pro errore hæretico agens, & obtestans ne huic hæresi quisquam reperiretur consentaneus, in legem Catholicam transiit. Ac per septem dies in fletu perdurans, pro his quæ contra Deum iniquè molitus est, spi-
B ritum exhalauit. Regnauitque Richaredus filius eius pro eo.

EXPLICIT LIBER OCTAVVS.

GREGORII EPISCOPI TVRONENSIS HISTORIAE FRANCORVM LIBER NONVS.

CAPITVLA LIBRI.

I. IGITVR post mortem Leuuieldi Hispanorum Regis, Richaredus filius eius fœdus iniit cum Goisintha relicta patris sui, eámque vt matrem suscepit. Hæc enim erat mater Brunichildis Reginæ, matris Childeberti iunioris. Richaredus verò de alia vxore erat filius Leuuieldi. Denique cum nouerca habito consilio, Legatos ad Guntchramnum Regem atque Childebertum dirigit, dicens: Pacem habete nobiscum, & ineamus fœdus, vt adiuti præsidio vestro, cùm necessitas poposcerit, simili nos conditione intercedente charitate muniamus. Venientes verò Legati, qui ad Guntchramnum Regem directi erant, apud Matascense oppidum iussi sunt residere. Ibique transmissis viris, Rex causas cognouit, sed recipere noluit verba eorum. Vnde talis postmodum inter eos inimicitia pullulauit, vt ad ciuitates Septimaniæ nullum de Regno eius transire permitterent. Hi verò, qui ad Childebertum Regem venerunt, cum charitate recepti sunt: datisque muneribus, accepta pace cum muneribus sunt regressi. C

II. Eo anno beatissima Radegundis ab hoc mundo migrauit. Quæ magnum planctum in Monasterio quod constituerat dereliquit. fuique & ego præsens ad eam sepeliendam. Obiit autem mense sexto, tertiadecima die mensis, sepulta post triduum. Quæ autem ibi ipsa die virtutes adparuerunt, & qualiter fuerit funerata, in Libro Miraculorum pleniùs scribere studui.

III. INTEREA aduenit festiuitas sancti Marcelli, quæ apud vrbem Cabillonensem mense septimo celebratur. & Guntchramnus Rex adfuit. Verùm vbi peractis solemnibus ad sacrosanctum altarium communicandi gratia accessisset, venit quidam quasi aliquid suggesturus. Qui dum properat contra Regem, culter ei de manu delabitur. Adprehensóque repentè, alium cultrum euaginatum in manu eius reperiunt. Nec mora, eductus à Basilica sancta, vinctus & tormentis addictus, confitetur se emissum ad interficiendum Regem, dicens: Sic enim tractauit, qui me misit. Quia cognouit Rex multorum in se odia adgregata, & suspectus ne percutiatur, omnino se à suis vallari præcipit: nec reperitur aditus qualiter ad eum cum gladiis possit accedere, nisi in Ecclesia, in qua securus & nihil metuens stare dignoscitur, transuerberetur. Sed & his, de quibus locutus

A fuit, adprehensis, multis interemptis, hunc verberatum plagis dimisit viuum. quia nefas putauit, si is, qui ab Ecclesia eductus fuerat, truncaretur.

GVNTCHRAMNVS
CHILDEBERTVS.
CHLOTHARIVS II.

IV. Eo anno Childeberto Regi alius filius natus est, quem Veranus Cabillonensis* Episcopus suscipiens à lauacro, THEODORICI nomen posuit. Erat enim eo tempore ipse Pontifex magnis virtutibus præditus, ita vt plerumque infirmis signum crucis imponens, statim sanitati tribuente Domino restauraret.

* al. Cauillonensis

V. PRODIGIA quoque multa dehinc adparuerunt Nam vasa per domos diuersorum signis nescio quibus caraxata sunt. Quæ res nullo vnquam modo aut eradi potuit, aut deleri. Incœptum est autem hoc prodigium ab vrbis Carnotenæ territorio: & veniens per Aurelianensem, vsque Burdegalensem terminum peraccessit, non prætermittens vllam vrbem quæ fuit in medio. In vineis verò mense octauo transacta vindemia, palmites nouos cum vuis deformatis aspeximus. In aliis arboribus frondes nouæ, & noua visa sunt poma. Radij à parte Aquilonis adparuerunt. Adserebant nonnulli vidisse se serpentes ex nube delapsos. Alij adfirmabant villam cum casis & hominibus subitanea internecione euanuisse: & multa alia signa adparuisse, quæ aut Regis obitum adnunciare solent, aut regionis excidium. Vindemia eo anno tenuis, aquæ validæ, pluuiæ immensæ, flumina quoque granditer adaucta fuerunt.

B VI. FVIT eo anno in vrbe Turonica Desiderius nomine, qui se magnum quemdam esse dicebat, adserens se multa posse facere signa. Nam & nuncios inter se atque Petrum Paulúmque Apostolos discurrere iactitabat. Ad quem, quia præsens non eram, rusticitas populi multa confluxerat, deferentes secum cæcos & debiles, quos non sanctitate sanare, sed errore necromantici ingenij quærebat inludere. Nam hos qui erant paralytici, aut alia impediti debilitate, iubebat validè extendi: vt quos virtutis diuinæ largitione dirigere non poterat, quasi per industriam restauraret. Denique adprehendebant pueri eius manus hominum, alij verò pedes, tractósque diuersas in partes ita vt nerui putarentur abrumpi, cùm non sanarentur, dimittebantur exanimes. Vnde factum est, vt in hoc supplicio multi spiritum exhalarent. Tantúmque miser elatus erat, vt minorem se beatum Martinum esse diceret, se verò Apostolis coæquaret. Nec mirum, si hic similem se dicat Apostolis, cùm ille auctor nequitiæ, à quo ista procedunt, Christum se in fine seculi fassurus sit. Nam de hoc animaduersum est, (vt superiùs diximus) errore necromanticæ artis fuisse imbutum. Quia (vt adserunt qui eum viderunt) cùm quisque de eo procul & abditè quicquam locutus fuisset mali, coram populo adstante improperabat, dicens: Quia hoc & illud de me effatus est, quæ sanctitate mea erant indigna. Et quo alio, nisi nunciantibus dæmoniis id cognoscebat? Habebat autem cucullum ac tunicam de pilis caprarum. Et in præsenti quidem abstinens erat à cibis & potu. Clam autem, cùm in diuer-

C sorium venisset, ita infarcibat in ore, vt minister non occurreret tantùm poscenti porrigere. Sed detecta dolositate eius, & à nostris deprehensa, eiectus est extra vrbis terminum. Nec cognouimus deinceps quò abisset. Dicebat tamen ciuem se esse Burdegalensem. Nam & ante hos septem annos fuit & alius magnus valde seductor, qui multos decepit dolositate sua. Hic enim colobio indutus erat, amictus desuper syndone, crucem ferens, de qua dependebant ampullulæ, quas dicebat oleum sanctum habere. Aiebat enim se de Hispaniis aduentare, ac reliquias beatissimorum martyrum Vincentij Leuitæ, Felicisque Martyris exhibere. Sed cùm iam vespere ad Basilicam sancti Martini Turonis aduenisset, & nos in conuiuio resideremus, mandatum misit, dicens: Occurrant reliquiis sanctis. Cui nos, quia hora iam præterierat, diximus: Requiescant beatæ reliquiæ super altarium, donec mane procedamus ad occursum earum. Sed hic primo diluculo consurgens, nec expectatis nobis, aduenit cum cruce sua, & in Cellula nostra adfuit. Stupefactus ego, & admirans leuitatem, interrogo quid hæc sibi velint? Respondit quasi superbus & inflata voce: Meliorem, inquit, occursum nobis exhibere debueras. Sed hæc ego in aures Chilperici Regis ingeram: ille autem vlciscetur despectionem meam. Et ingressus in Oratorium me postposito, ipse capitellum vnum atque alterum ac tertium dicit. Ipse orationem profert, & ipse consummat. eleuatáq; iterum cruce abiit. Erat enim ei & sermo rusticus, & ipsius linguæ latitudo turpis atque obscœna. Sed nec de eo sermo

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

rationabilis procedebat. Qui vsque Parisius accessit. His enim diebus Rogationes publicæ celebrabantur, quæ ante sanctum Dominicæ Ascensionis diem agi solent. Factum est autem, vt procedente Ragnemodo Pontifice cum populo suo, & loca sancta circumeunte, vt & hic cum cruce sua adueniens, inusitatum populis exhibens indumentum, adiunctis publicanis ac rusticis mulieribus, & iste chorum suum faceret. & quasi cum sua multitudine loca sancta circumire tentat. Hæc cernens Episcopus, misit Archidiaconum suum dicens: Si reliquias Sanctorum exhibes, pone eas paululum in Basilica, & nobiscum celebra dies sanctos. Decursa autem solemnitate, proficisceris in viam tuam. At ille paruipendens quæ ab Archidiacono dicebantur, cœpit Episcopum conuiciis ac maledictionibus prosequi. Sacerdos verò intelligens eum seductorem, iussit eum recludi in Cellulam. Perscrutatisque cunctis quæ habebat, inuenit cum eo sacculum magnum plenum de radicibus diuersarum herbarum: ibique & dentes talpæ, & ossa murium, & vngues atque adipes vrsinos. Vidénsque hæc maleficia esse, cuncta iussit in flumen proiici. Ablatáque ei cruce, iussit eum à termino Parisiacæ vrbis excludi. Sed hic iterum facta altera cruce, cœpit quæ gesserat exercere. Captúsque ab Archidiacono, & catenis vinctus, iussus est custodiri. His diebus Parisius adueneram, & ad Basilicam beati Iuliani Martyris metatum habebam. Nocte igitur insequenti erumpens miser iste de custodia, cum ipsis quibus erat nexus catenis ad antedictam Basilicam sancti Iuliani properat: atque in pauimento in loco, quo ego stare eram solitus, ruit, ac sopore vinóque obpressus obdormiuit. Nos verò ignari facti, media surgentes nocte ad reddendas Domino gratias, inuenimus eum dormientem. De quo tantus pædor * egrediebatur, vt omnium cloacarum atque secessuum fœtores fœtor ille deuicerit. Sed nec nos præ hoc fœtore in Basilicam ingredi potueramus. Accedens verò vnus Clericorum, clausis naribus eum excitare nititur, nec potuit. ita enim erat miser madefactus vino. Tunc quatuor accedentes Clerici, leuantes eum inter manus, in vnum angulum Basilicæ proiecerunt: & exhibentes aquas abluto pauimento, resperso etiam herbulis odoratis, sic ingressi sumus explere cursum. Nunquam tamen nobis psallentibus potuit excitari, donec dato terris die altiùs Solis lampas ascenderet. Dehinc excusatum reddidi Sacerdoti. Conuenientibus autem Episcopis apud vrbem Parisiacam, dum hæc in conuiuio narraremus, ipsum pro castigationis gratia adesse præcipimus. Quo astante, eleuatis Amelius Beorretanæ vrbis Episcopus oculis, cognoscit eum suum esse famulum, sibique per fugam dilapsum. & sic excusatum, receptum reduxit in patriam. Multi enim sunt, qui has seductiones exercentes populum rusticum in errorem ponere non desistunt: de quibus (vt opinor) & Dominus in Euangelio ait: *Consurgere in nouissimis temporibus pseudochristos, & pseudoprophetas, qui dantes signa & prodigia etiam electos in errorem inducant.* De his ista sufficiant. Nos potiùs ad propositum redeamus.

* al. fœtor

VII. ENNODIVS cùm Ducatum vrbium Turonicæ atque Pictauæ administraret, adhuc & Vici Iuliensis atque Benarnæ vrbium Principatum accipit. Sed euntibus Comitibus Turonicæ atque Pictauæ vrbis ad Regem Childebertum, obtinuerunt, eum à se remoueri. Ille verò vbi se remotum de his sensit, ad ciuitates superiùs memoratas properat. Sed dum in illis commoraretur, mandatum accepit vt se ab eisdem remoueret. Et sic accepto ocio, ad domum suam reuersus, priuati operis curam gerit. Vascones verò de montibus prorumpentes, in plana descendunt, vineas agrósque depopulantes, domos tradentes incendio, nonnullos abducentes captiuos cum pecoribus. Contra quos sæpiùs Austrouáldus Dux processit, sed paruam vltionem exercuit ab eis. Gothi verò propter superioris anni deuastationem, quam in Septimania Regis Guntchramni exercitus fecit, in Arelatensem Prouinciam proruperunt, egerúntque prædas, & captiuos abduxerunt vsque ad decimum ab vrbe miliarium. Vnum etiam castrum Vgernum nomine cum rebus atque habitatoribus desolantes, nullo resistente regressi sunt.

VIII. GVNTCHRAMNVS verò Boso cùm exosus Reginæ haberetur, cœpit per Episcopos ac Proceres discurrere, & veniam misero precari, quam ante despexerat. Nam cùm Rex Childebertus esset iunior, Brunichildem Reginam sæpè conuiciis atque improperiis lacessibat. Sed & iniuriis, quæ ei ab aduersis infe-

A rebantur, fautor exstiterat. Sed & Rex ad vlciscendam iniuriam genitricis, iussit eum persequi atque interfici. Ille verò cùm se cerneret positum in discrimine, Viridunensem Ecclesiam petiit, per Agericum prorsus Episcopum, qui erat Regis pater ex lauacro, veniam impetrare confidens. Tunc Pontifex ad Regem properat, deprecatúrque. Cui Rex cùm negare nequiret quæ petebat, ait: Veniat coram nobis, & datis fideiussoribus in præsentia patrui mei, quicquid illius iudicium decreuerit, exequamur. Tunc adductus ad locum vbi Rex morabatur, nudatus armis, ac per manicas tentus, ab Episcopo repræsentatur Regi. Ad cuius prouolutus pedes, ait: Peccaui tibi ac genitrici tuæ, non obediendo præceptionibus vestris, sed agendo contra voluntatem vestram atque vtilitatem publicam. Nunc autem rogo, vt indulgeatis malis meis quæ contra vos gessi. Rex autem iussit eum eleuari à terra, & posuit in manu Episcopi, dicens: Sit penes te, sancte Sacerdos, donec in præsentiam Guntchramni Regis adueniat. & iussit eum discedere.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

IX. Post hæc Rauchingus coniunctus cum prioribus regni Chlotharij filij Chilperici, confingens se quasi tractaturum de pace, vt inter terminum vtriusque Regni nulla intentio aut direptio gereretur, consilium habuerunt, vt scilicet interfecto Childeberto Rege, Rauchingus cum Theodoberto seniore eius filio Regnum Campaniæ teneret. Vrsio verò ac Berthefredus iuniore filio nuper genito, qui Theodoricus cognominabatur, ad se suscepto, excluso Guntchramno Rege, B reliquum Regni tenerent. Multa etiam contra Brunichildem Reginam frementes, vt eam in contumeliam redigerent, sicut priùs fecerant in viduitate sua. Rauchingus ergo summa elatus potentia, & (vt ita dicam) ad ipsius regalis sceptri se iactans gloriam peruenire, iter præparat ad Childebertum Regem accedendi, vt consilium quod inierat posset explere. Sed pietas Domini hæc verba in aures Guntchramni Regis priùs imposuit. Qui missis nunciis clam ad Childebertum Regem, omnes ei molitiones has in notitiam posuit, dicens: Accelera velociter, vt videamur à nobis. Sunt enim causæ, quæ agi debeat. At ille diligenter inquirens quæ ei nunciata fuerant, veráque esse cognoscens, arcessiri Rauchingum iussit. Qui cùm adfuisset, priúsquam eum Rex suo iussisset adstare conspectui, datis literis, & pueris destinatis cum euectione publica, qui res eius per loca singula deberent capere, iussit eum in cubiculum intromitti. Locutúsque cum eo alia ex aliis, egredi iterum de cubiculo iubet. Cúmque egrederetur, à duobus ostiariis pedibus adprehensus fuit in gradibus ostij, ita vt pars corporis eius esset intrinsecus, pars verò extrinsecus extenderetur. Tunc ij, qui iussi ad hæc explenda paranti erant, cum gladiis super eum ruunt: atque ita minutatim caput eius conliserunt, vt simile totum cerebro putaretur. statimque mortuus est. Tunc denudatus, & per fenestram eiectus, sepulturæ mandatus est. Erat autem leuis in moribus, vltra humanum genus cupiditati ac facultatibus inhians alienis, & ex ipsis diuitiis valde superbus: intantum vt iam in ipso interitus sui tempore Chlo-

D tharij Regis filium se fateretur. Multum tamen cum eo auri repertum est. Quo interfecto, protinus vnus puerorum eius cursu veloci euolans, nunciauit coniugi eius quæ acta erant. Hæc verò per plateam Suessionicæ ciuitatis compta grandibus ornamentis, ac gemmarum preciositatibus & auri fulgore obtecta, ascenso equo, præcedentibus pueris aliísque sequentibus ferebatur: atque ad Basilicam sancti Crispini Crispinianique properabat, quasi spectatura Missas. Erat enim eo die passio Martyrum beatorum. Sed videns nuncium, per aliam plateam gressum retorquens, proiectis in terram ornamentis, in Basilicam sancti Medardi Antistitis confugit, ibi se tutari Confessoris præsidio putans. Pueri verò, qui missi à Rege fuerant ad requirendas res eius, tanta in thesauris illius reperiunt, quanta nec in ipso ærarij publici regesto poterant inueniri. quod totum Regis conspectibus præsentarunt. Nam eo die quo hic interfectus est, erant cum Rege multi Turonorum atque Pictauorum, de quibus tale fuit consilium, vt si malum hoc perficere potuissent, his subditis supplicio dicerent, quia ex vobis fuit qui Regem nostrum interemit: eisque diuersis suppliciis trucidatis, vltores se mortis Regiæ esse iactarent. Sed Deus omnipotens consilia eorum, quia iniqua erant, dissipauit, impleuítque illud quod scriptum est: *Quia foueam quam fratri parabis, incides in eam.* In locum tamen Rauchingi Magnoualdus dirigitur Dux. Iam enim Vr-

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

sio atque Berthefredus certi, quòd Rauchingus quæ conlocuti fuerant possét explere, collecto exercitu veniebant. Sed audientes, quòd scilicet tali fuisset adfectus interitu, adaucta adhuc secum multitudine hominum quæ ad eos pertinere videbatur, infrà castrum Vabrense, quod villæ Vrsionis propinquum erat, cum rebus omnibus se muniunt, conscij consilij sui, tractantes vt si Rex Childebertus aliquid contra eos agere voluisset, virtute se ab eius exercitu defensarent. Caput enim horum & causa malorum Vrsio erat. Sed Brunichildis Regina mandata misit Berthefredo dicens: Disiunge te ab homine inimico, & habebis vitam. alioquin cum eodem interibis. Filiam enim eius ex lauacro Regina susceperat, & ob hoc misericordiam de eo habere voluit. Qui ait, Nisi morte diuellar ab eo, nunquam à me relinquetur. A

X. DVM hæc agerentur, iterum misit Guntchramnus Rex ad nepotem suum Childebertum, dicens: Moræ omnes abscedant, & veni vt te videam. Est enim certæ necessitatis causa, tam pro vitæ nostræ commodo, quàm pro vtilitatibus publicis, vt videamur à nobis. Hæc ille audiens, adsumpta matre cum sorore & coniuge, ad occursum patrui destinat. Adfuit autem & Magnericus Episcopus Treuericæ vrbis. Venit etiam Guntchramnus Boso, quem Agericus Viridunensis Episcopus sua in fide susceperat. Sed Pontifex ille, qui pro eo fidem fecerat, non adfuit, quia conuenerat vt absque vllius defensione Regi præsentaretur. Scilicet vt si ipse decerneret eum mori debere, non excusaretur à Sacerdote: sin autem ille vitam concederet, liber abiret. Sed coniunctis Regibus, pro diuersis falsitatibus culpabilis iudicatus, iussum est vt interficeretur. Quod cùm ille comperisset, ad mansionem Magnerici Episcopi conuolauit, & clausis ostiis, segregatis ab eo Clericis ac famulis, ait: Scio te, beatissime Sacerdos, magnum cum Regibus honorem habere, & nunc ad te confugio vt euadam. Ecce percussores ad ostium. Vnde manifestè scias, quòd si à te non eruor, interfecto te, egrediar foras, & moriar. Manifestissimè enim noueris, quia aut mors vna nos occupat, aut par vita defensat. O sancte Sacerdos, scio enim te patrem communem cum Rege esse filio eius, & noui quoniam quæcumque petieris ab eo obtinebis: nec negare omnino poterit sanctitati tuæ quęcumque poposceris. Ideóque aut impetra veniam, aut moriamur simul. Hæc autem euaginato aiebat gladio. Turbatus hoc Episcopus audito hoc, ait: Et quid faciam, si hìc à te teneor? Dimitte me, vt eam, & deprecer misericordiam Regis, & fortassis miserebitur tui. Et ille: Nequaquam, sed transmitte Abbates & creditos tuos, vt hæc quæ loquor exponant. Verumtamen non hæc Regi vt erant, nunciata sunt: sed dixerunt, quod hic ab Episcopo defensaretur. Vnde factum est, vt commotus Rex diceret: Si Episcopus exinde egredi noluerit, pariter cum illo auctore perfidiæ pereat. Hæc audiens Episcopus, direxit nuncios ad Regem. Qui cùm ista narrassent, ait Rex Guntchramnus: Iniicite ignem in domum, & si exire nequiuerit Episcopus, pariter concrementur. Hæc audientes Clerici, effracto vi ostio, Sacerdotem eiiciunt foras. Tunc miserrimus cùm videret se flammis validis ab vtraque parte vallari, accinctus gladio accedit ad ostium. Verùm vbi primum limen domus egrediens gressum foris fixit, statim vnus è populo eiecta lancea frontem eius inlisit. At ille hoc ictu turbatus, quasi amens, gladium eiicere tentans, ab adstantibus ita lancearum multitudine sauciatur, vt defixis in lateribus eius spiculis, & sustentantibus hastilibus, ad terram ruere non posset. Interfecti sunt & pauci qui cum eo erant, expositique in campo simul. Pro quibus vix obtentum fuit cum Principibus, vt terræ reconderentur. Fuit autem hic in actu leuis, auaritiæ inhians, rerum alienarum vltra modum cupidus, omnibus iurans, & nulli promissa adimplens. Vxor autem eius cum filiis exilio data est, résque illius fisco conlatæ sunt. Multitudo autem auri, argētique, ac diuersarum specierum, in eius regestis reperta est. Sed & quæ sub terra absconderat, stimulante conscientia iniquitatis suæ, non latuerunt. Ariolis ac sortibus sæpiùs vtebatur, ex quibus futura cognoscere cupiens, remansit inlusus. B C

XI. REX verò Guntchramnus cum nepote suo ac Reginis pacem firmauit. Datis sibi inuicem muneribus, ac stabilitis causis publicis, epulati sunt pariter. Laudabat enim Deum Guntchramnus Rex, dicens; Refero tibi maximas gratias omnipotens Deus, qui mihi præstitisti vt videre merear filios de filio meo Childeber-

A to. Vnde non me puto vsquequaque à tua maiestate relictum, qui mihi hæc præstitisti, vt videam filios filij mei. Tunc Dynamium & Lupum Ducem redditos Rex Childebertus recepit, Cadurcum Brunichildi Reginæ refudit. Et sic cum pace & gaudio iterum atque iterum Deo gratias agentes, conscriptis pactionibus, se remunerantes & osculantes, regressus est vnusquisque ad ciuitatem suam.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

XII. CHILDEBERTVS verò Rex, collecto exercitu, ad locum dirigi iubet, in quo Vrsio ac Berthefredus inclusi morabantur. Erat enim villa in pago Vabrensi, cui imminebat mons arduus. In huius cacumine Basilicam in honore sancti ac beatissimi Martini construxit. Ferebant enim ibi castrum antiquitus fuisse: sed nunc non cura, sed natura tantùm munitum erat. In hac ergo Basilica cum rebus atque vxoribus & familia se antedicti concluserant. Commoto ergo exercitu, sicut diximus, Childebertus Rex illuc dirigi iubet. Verumtamen commoti homines, antequam ad eos accederent, vbicumque aut villas, aut res eorum reperire potuerunt, omnia incendio ac prædæ tradiderunt. Accedentes autem ad hunc locum, ad montem se proripiunt, & Basilicam cum armis vallant. Habebant autem ducem tunc Godegisilum Lupi Ducis generum. Cúmque eos extrahere de Basilica non valerent, ignem adplicare nituntur. Quod cernens Vrsio, accinctus gladio, foras egressus est. Tantaque cæde hos qui adsidebant mactauit, vt quocunque in eius contemplationem aduenissent, nullus viuens remanere possit. Ibi & Trudulfus Palatij regalis Comes cecidit, & multi de hoc exercitu prostrati sunt. Cúmque
B iam nullus de cæde Vrsionis cerneretur, percussus à quodam in femore, debilitatus ad terram ruit, & sic ruentibus aliis vitam finiuit. Quod cernens Godegisilus, clamare cœpit ac dicere: Fiat nunc pax, ecce maximus inimicus Dominorum nostrorum ruit. Hic verò Berthefredus vitam habeat. Hæc eo dicente, cùm omnis populus ad direptionem rerum, quæ in Basilica adunatæ fuerant, inhiaret, Berthefredus ascenso equo ad Viridunensem vrbem dirigit. Ibique in Oratorio, quod in domo Ecclesiastica erat, se tutari putans, præsertim cùm & ipse Pontifex Agericus in hac domo resideret. Sed cùm Childeberto Regi nunciatum fuisset, effugisse scilicet Berthefredum, perculsus cordis dolore ait: Si hic mortem euaserit, non euadet Godegisilus manus meas. Nesciebat tamen Rex, eum in domum Ecclesiæ ingressum fuisse, sed quasi in regionem aliam confugisse. Tunc timens Godegisilus, commoto iterum exercitu, domum Ecclesiæ armatis vallat. Sed cùm eum Pontifex reddere nequiret, sed defensare conaretur, ascendentes supra tectum, eum ab ipsis tegulis ac maceriis, quibus Oratorium opertum erat, inlidentes, interfecerunt. ibique cum tribus famulis mortuus est. Multum ex hoc Episcopus dolens, quòd eum non solùm defensare non potuit, verùm etiam locum, in quo orare consueuerat, & in quo Sanctorum pignora adgregata fuerant, sanguine humano pollui vidit. Misit autem Childebertus Rex cum muneribus, vt à mœrore reuocaretur. sed noluit consolari. Multi autem his diebus pertimescentes Regem, in alias regiones abscesserunt.
C Nonnulli etiam à primatu Ducatus remoti sunt, in quorum ordinem alij successerunt.

XIII. GVNTCHRAMNVS verò Baddonem, quem pro crimine maiestatis superiùs vinctum diximus, in præsentiam suam venire iussit, & transmittens vsque Parisius, ait: Si eum cum idoneis hominibus Fredegundis ab hac actione, qua impetitur, immunem fecerit, abscedat liber, & quò voluerit eat. Sed veniens Parisius, nullus de parte memoratæ mulieris adfuit, qui eum idoneum reddere posset. Tunc vinctus & catenis oneratus, sub ardua custodia ad vrbem Cabillonensem reductus est. Sed postea intercurrentibus nunciis, & præsertim Leudoualdo Baiocassino Pontifice, dimissus ad propria rediit. Grauiter tunc morbus dysentericus apud Metensem sæuiebat vrbem. His diebus nos, dum ad occursum Regis properaremus, Vuiliulfum ciuem Pictauum, plenum febre, hoc morbo laborantem in via offendimus, id est ad Remensem vrbem. De qua profectus, valde exinanitus cùm ad vrbem Parisiacam cum filio vxoris suæ venisset, apud villam Rigoialensem facto testamento defunctus est. Puer verò, qui & ipse ab hoc languore tenebatur, obiit. Et sic pariter in vrbis Pictauæ delati terminum, tumulati sunt. Vxor quoque ipsius Vuiliulfi tertiò copulatur viro, filio scilicet Beppoleni

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

Ducis; qui & ipse duas iam (vt celebre fertur) vxores viuas reliquerat. Erat enim A leuis atque luxuriosus, & dum nimio ardore fornicationis arctaretur, ac relicta coniuge cum famulabus accubaret, exhorrens legitimum cōnubium, aliud expectebat. Sic & secundæ fecit, & huic, cui tertiò copulatus est. Ignorans quòd corruptio incorruptionem non possidebit.

XIV. POST hæc cùm Egidius Remensis vrbis Episcopus de illo crimine maiestatis, quo superiùs memorati perempti sunt, suspectus haberetur, cum magnis muneribus ad Childebertum accedens, veniam deprecatur: priùs tamen sacramenta suscipiens in Basilica sancti Remigij, ne aliquid mali in itinere pateretur. Susceptúsque à Rege, cum pace discessit. Pacem etiam cum Lupo Duce obtinuit, quem instinctu eius de Campaniæ Ducatu supra memorauimus fuisse depulsum. Vnde Rex Guntchramnus valde in amaritudinem excitatus est, eo quòd ei promiserit Lupus, nunquam se cum eodem pacem facturum, quia fuisset Regis cognitus inimicus.

XV. IGITVR eo tempore in Hispania Richaredus Rex compunctus miseratione diuina, conuocatis Episcopis Religionis suæ ait: Cur inter vos & Sacerdotes illos, qui se Catholicos dicunt, iugiter scandalum propagatur: & cùm illi per fidem suam signa multa ostendant, vos nihil tale agere potestis? Qua de re conuenite quæso simul, & discussis vtriusque partis credulitatibus, quæ vera sunt cognoscamus. Et tunc aut accepta illi à vobis ratione ea credant quæ dicitis, aut certè B vos ab illis veritatem agnoscentes, quæ prædicauerint vos credatis. Quod cùm factum fuisset, congregatis vtriusque partis Episcopis, proposuerunt hæretici illa quæ sæpiùs ab ipsis dicta iam scripsimus. Similiter responderunt Episcopi nostræ Religionis ea, de quibus hæreticorum partem plerumque victam Libris superioribus demonstrauimus: & præsertim cùm Rex diceret, quòd nullum signum sanitatis super infirmos ab hæreticorum ostenderetur Episcopis, ac in memoria replicaret qualiter tempore genitoris sui Episcopus, qui se iactabat per fidem non rectam cæcis restituere lumen, tacto cæco & cæcitati perpetuæ damnato discessisset confusus (quod nos in libro Miraculorum pleniùs declarauimus:) vocauit ad se seorsum Sacerdotes Dei. Quibus perscrutatis, cognouit vnum Deum sub distinctione coli personarum trium, id est, Patris & Filij & Spiritus sancti: nec minorem Filium Patre Spiritúque sancto, neque Spiritum sanctum minorem Patre vel Filio: sed in vna æqualitate atq; omnipotentia hanc Trinitatem verum Deum fateri. Tunc intelligens veritatem Richaredus, postposita altercatione, se Catholicæ legi subdidit, & accepto signaculo beatæ crucis cum chrismatis vnctione, credidit Iesum Christum filium Dei æqualem cum Spiritu sancto, regnantem in secula seculorum. Deinde nuncios mittit ad Prouinciam Narbonensem, quibus narrantibus ea quæ ille gesserat, simili credulitate populus ille connecteretur. Erat enim tunc temporis Arrianæ sectæ Episcopus Athalocus, qui ita per propositiones vanas ac interpretationes falsas scripturarum Ecclesias Dei conturbabat, vt putaretur quòd ipse esset Arrius, quē proiecisse in secessum C exta historiographus narrauit Eusebius. Sed cùm hæc populo sectæ suæ credere non sineret, & ad consentiendum ei paucorum faueret adulatio, commotus felle, ingressus in Cellulam suam, inclinato super lectulum capite, nequam spiritum exhalauit. Sícque hæreticorum populus in ipsa consistens Prouincia, inseparabilem Trinitatem confessus, ab errore discessit.

XVI. POST hæc Richaredus Legationem ad Guntchramnum atque ad Childebertum direxit pacis gratiâ, vt scilicet sicut in fide se adserebat vnum, ita & charitate se præstaret vnitum. Sed à Guntchramno Rege repulsi sunt, dicente: Qualem mihi fidem promittere possunt, aut quemadmodum à me credi debent, qui neptem meam Ingundem in captiuitatem tradiderunt, & per eorum insidias & vir eius interfectus est, & ipsa in peregrinatione defuncta? Non recipio ergo Legationem Richaredi, donec me Deus vlcisci iubeat de his inimicis. Hæc Legati audientes, ad Childebertum proficiscuntur, à quo & in pace excepti sunt, dicentes: Vult se dominus noster, frater tuus Richaredus, de hoc crimine exuere, quod ei imponitur, quasi in mortem sororis vestræ fuisset conscius. De quo, sacramento, si vultis, aut qualibet alia conditione idoneus reddi potest. Deinde datis gratiæ vestræ decem milibus solidorum, charitatem vestram habere desiderat, &

A vt ille vestro vtatur solatio, & vos eius, vbi necesse fuerit, beneficiis potiamini. Haec illis dicentibus, promiserunt Childebertus Rex, & mater eius, pacem & charitatem cum ipso se integrè custodituros. Acceptísque ac datis muneribus, addiderunt Legati: Iussit etiam dominus noster ponere verbum in auribus vestris de filia siue sorore vestra Chlodosinda, vt ei tradatur in matrimonium, quo facilius pax, quæ inter vos promittitur, confirmetur. Qui dixerunt, Promissio nostra ex hoc habilis dabitur, sed sine patrui nostri Guntchramni Regis consilio hæc facere non audemus: promissum enim habemus de maioribus causis nihil sine eius consilio agere. Accepto itaque responso redierunt. GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

XVII. Eo anno verno tempore pluuiæ validæ fuerunt, & cùm iam vel arbores vel vineæ fronduissent, nix decidua cuncta operuit. Subsequenti quoque gelu, tam palmites vinearum, quàm reliqui ostensi fructus incensi sunt. Tantúsque rigor fuisse visus est, vt etiam hirundines & alites, quæ de externis regionibus venerant, vi algoris extinguerentur. Illud etiam admirabile fuit, quòd vbi nunquam gelu nocuit, tunc omnia abstulit: & eò, vbi consueuerat lædere, non accessit.

XVIII. Britanni quoque inruentes in terminum Namneticum, prædas egerunt, peruadentes villas, & captiuos abducentes. Quod cùm Guntchramno B Regi perlatum fuisset, iussit commoueri exercitum, dirigens illuc nuncium qui eis loqueretur, vt componerent cuncta quæ malè gesserant, aut certè nouerint se gladio casuros ab exercitu eius. At illi timentes, promittunt se omnia, quæ malè gesserant, emendare. His auditis, Rex dirigit illuc Legationem, id est Namatium Aurelianensem, & Bertchramnum Cenomannensem Episcopum, cum Comitibus, & aliis viris magnificis. Adfuerunt etiam & de Regno Chlotharij Chiperici Regis filij viri magnifici, qui euntes in terminum Namneticum, locuti sunt cum Vuaroco & Vidimaclo omnia quæ Rex præceperat. At illi dixerunt, Scimus & nos ciuitates istas Chlotharij Regis filiis redhiberi, & nos ipsis debere esse subiectos. Tamen quæ contra rationem gessimus, cuncta componere non moramur. Et datis fideiussoribus, atque subscriptis cautionibus, promiserunt se singula milia solidorum Guntchramno Regi & Chlothario in compositionem daturos: promittentes nunquam terminum ciuitatum illarum vltra se adgressuros. His ita compositis, regressi sunt reliqui, & narrauerunt Regi quæ gesserant. Namatius verò Episcopus, dum receptis villis infra terminum Namneticæ vrbis, quas olim parentes eius perdiderant, ibidem moraretur, pusulæ malæ ei tres oriuntur in capite. Ex hoc valde confectus tædio, dum ad ciuitatem suam reuerti cuperet, infra Andegauensis territorij terminum spiritum exhalauit. Corpusculum eius ad vrbem suam delatum, in Basilica sancti Aniani Confessoris sepultum est. In cuius cathedram Austrinus Pastoris quondam filius subrogatur. C Vuarocus verò oblitus sacramenti & cautionis suæ, omnia postposuit quæ promisit. Vineas Namneticorum abstulit, & vindemiam colligens, vinum in Veneticum transtulit. Et ex hoc iterum Rex Guntchramnus valde furens, exercitum commoueri iussit. sed quieuit.

XIX. Bellvm verò illud, quod inter ciues Turonicos superiùs diximus terminatum, in rediuiuam rursum insaniam surgit. Nam Sicharius, cùm post interfectionem parentum Chramisindi magnam cum eo amicitiam patrauisset, & intantum se charitate mutua diligerent, vt plerumque simul cibum caperent, ac in vno pariter strato recumberent: quadam die cœnam sub nocturno tempore præparat Chramisindus, inuitans Sicharium ad epulum suum. Quo veniente, resident pariter ad conuiuium. Cúmque Sicharius crapulatus à vino multa iactaret in Chramisindum, ad extremum dixisse fertur: Magnas mihi debes referre grates, ô dulcissime frater, eò quòd interfecerim parentes tuos, de quibus accepta compositione, aurum argentúmque superabundant in domo tua: & nudus nunc esses & egens, nisi hæc te causa paululum roborasset. Hæc ille audiens, amaro suscepit animo dicta Sicharij, dixitque in corde suo: Nisi vlciscar interitum parentum meorum, amittere nomen viri debeo, & mulier infirma vocari. Et statim extinctis luminaribus, caput Sicharij sicca diuidit. Qui paruulam in ipso vitæ termino vocem emittens, cecidit, & mortuus est. Pueri verò, qui cum eo venerant, dilabuntur. Chramisindus exanimum corpus nudatum vestimentis adpendit in Sup. lib. 7. cap. vlt.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

sæpis stipite, ascẽsisque equis eius ad Regem pergit. Ingressúsque Ecclesiam ad pedes prosternitur Regis, dicens: Vitam peto, ô gloriose Rex, eò quòd occiderim homines, qui parentibus meis clam interfectis res omnes diripuerunt. Cùmque expositis per ordinem causis, & Regina Brunichildis grauiter accepisset, eo quòd in eius verbo * Sicharius positus, taliter fuerat interfectus, frendere in eum cœpit. At ille cùm vidisset eam aduersam sibi, Vosagensem territorij Biturici pagum expetiit, in quo eius parentes degebant, eo quòd in Regno Guntchramni Regis haberetur. Tranquilla quoque coniunx Sicharij, relictis filiis & rebus viri sui in Turonico siue in Pictauo, ad parentes suos Mauriopes vicum expetiit: ibique & matrimonio copulata est. Obiit autẽ Sicharius quasi annorum quadraginta. Fuit autem in vita sua leuis, ebriosus, homicida, qui nonnullis per ebrietatem iniuriam intulit. Chramisindus verò iterum ad Regem abiit, iudicatúmque est ei, vt conuinceret super se eum interfecisse. quod ita fecit. Sed, quoniam (vt diximus) Regina Brunichildis in verbo suo posuerat Sicharium, ideò res huius confiscari præcepit. Sed in posterum à Flauiano Domestico redditæ sunt. Sed & ad Aginnum properans, Epistolam eius elicuit, vt à nullo contingeretur. Ipsi enim res eius à Regina concessæ fuerant.

* i. fide, patrocinio, salua guardia

XX. Eo anno quoque XIII. Childeberti Regis, cùm ad occursum eius vsque Metensem vrbem properassemus, iussi sumus ad Guntchramnum Regem in Legationem accedere. Quem apud vrbem Cabillonensem reperimus, dicentes: Salutem vberrimam mittit tibi gloriosissimus nepos tuus Childebertus, ô inclite Rex, immensas referens gratias pietati tuæ, quòd à te iugiter commonetur, vt ea agat quæ & Deo placeant, & tibi sint accepta, & populo congrua. De his verò quæ locuti simul fuistis, omnia implere promittit, nec quicquam se de pactionibus, quæ inter vos conscriptæ sunt, inrumpere pollicetur. Et Rex ad hæc ait: Non similiter ego gratias ago, quòd taliter inrumpitur quod mihi promissum est. Pars mea de vrbe Siluanectensi non redditur. Homines, quos pro vtilitate mea, quia mihi infensi erant, migrare volui, non permiserunt. & quomodo dicitis, quòd nihil de pactionibus scriptis transcendere vult dulcissimus nepos meus? Et nos ad hæc, Nihil vult contra pactiones agere illas, sed omnia implere promittit, ita vt de præsenti si ad diuisionem Siluanectensem vis mittere, nec tardetur. statim enim recipies tuum. De hominibus verò quos dicis, nomina scripta tradentur, & omnia quæ promissa sunt implebuntur. Hæc nobis loquentibus, pactionem ipsam relegi Rex coram adstantibus iubet.

EXEMPLAR PACTIONIS.

Cvm in Christi nomine præcellentissimi domini Guntchramnus & Childebertus Reges, & gloriosissima domina Brunichildis Regina, Andelaum charitatis studio conuenissent, vt omnia, quæ vndecunq; inter ipsos scandalum poterant generare, pleniori consilio definirent: id inter eos mediantibus Sacerdotibus atque Proceribus, Deo medio, charitatis studio sedit, cõplacuit, atque conuenit. Vt quãdiu eos Deus omnipotẽs in præsenti seculo superesse voluerit, fidem & charitatem puram, & simplicem sibi debeant conseruare. Similiter quia dominus Guntchramnus iuxta pactionem, quam cum bonæ memoriæ domino Sigiberto inierat, integram portionem, quæ est de Regno Chariberti, illis fuerat consecutus, sibi diceret in integrum redhiberi, & pars domni Childeberti ea, quæ pater suus possederat, ad se vellet ex omnibus reuocare: id inter ipsos constat fixa deliberatione finitum, vt in illam tertiam portionem de Parisiensi ciuitate cum terminis & populo suo, quæ ad domnum Sigibertum de Regno Chariberti conscripta pactione peruenerat, cum castellis Duno, & Vindocino, & quicquid de pago Stãpensi, vel Carnoteno in peruio illo antefatus Rex cum terminis & populo suo perceperat, in iure & dominatione domni Guntchramni, cum eo quod superstite domno Sigiberto de Regno Chariberti antea tenuit, debeant perpetualiter permanere. Pari conditione ciuitates Meldis *, & duas portiones de Siluanectis, Turonis, Pictauis, Abrincatas, Vicoiuli, Consoranis, Lapurdo, & Albige, domnus Childebertus Rex cum terminis à præsenti die suæ vindicet potestati. Ea igitur cõditione seruata, vt quem Deus de ipsis Regibus superstitem esse præceperit, Regnum illius, qui absque filiis de præsentis seculi luce migrauerit, ad se in integritatẽ iure perpetuo debeat reuocare, & posteris suis, Domino auxiliante, relinquere. Illud specialiter placuit per omnia inuiolabiliter

* al. Medus, Turonus, Pictauus.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

A ter conseruari, vt quicquid domnus Guntchramnus Rex filiæ suæ Chlothildi contulit, aut adhuc Deo propitiante contulerit, in omnibus rebus atque corporibus, tam in ciuitatibus, quã agris vel redditibus, in iure & dominatione ipsius debeant permanere. Et si quid de agris fiscalibus, vel speciebus atq; præsidio, pro arbitrij sui voluntate facere, aut cuiquam conferre voluerit, in perpetuo auxiliante Domino conseruetur, neque à quocunq; vllo vnquam tempore conuellatur: & sub tuitione ac defensione domni Childeberti, cum his omnibus quæ ipsam transitus genitoris sui inuenerit possidentem, sub omni honore & dignitate secura debeat possidere. Pari cõditione repromittit dõnus Guntchramnus Rex, vt si (vt habet humana fragilitas, quod diuina pietas non permittat, nec ille videre desiderat) contigerit domnum Childebertum, eo superstite, de hac luce migrare, filios suos Theodobertũ & Theodoricum Regem, vel si adhuc alios ipsi Deus dare voluerit, vt pius pater sub sua tuitione & defensione recipiat, ita vt Regnum patris eorum sub omni soliditate possideant: & genitricem domni Childeberti, dõnam Brunichildem Reginam, vel filiam eius Chlodesuindam, germanam domni Childeberti Regis, quamdiu infra regionem Francorum fuerit, vel eius Reginam Faileubam, tanquam sororem bonam, & filias, in sua tuitione & defẽsione, spiritali dilectione recipiat, & sub omni honore & dignitate cum omnib. rebus earum, cum ciuitatibus, agris, reditibus, vel cunctis titulis, & omni corpore facultatis, tam quod præsenti videtur tempore possidere, quàm quod adhuc Christo præsule iustè potuerint augmentare, sub omni securitate & quiete B possideant: vt si quid de agris fiscalib. vel speciebus atq; præsidio, pro arbitrij sui voluntate facere, aut cuiquam conferre voluerint, fixa stabilitate in perpetuo conseruetur, nec à quibuscunq; voluntas illarum vllo tempore conuellatur. De ciuitatibus verò, hoc est Burdegala, Lemouica, Cadurco, Benarno & Begorra, quas Gailesuindã germanam domnæ Brunichildis, tam in dote, quàm in morganegiba* (hoc est, matutinali dono) in Franciam venientem certum est adquisisse: quas etiam per iudicium gloriosissimi domni Guntchramni Regis, vel Francorum, superstitibus Chilperico & Sigiberto Regibus, domna Brunichildis noscitur acquisisse: ita conuenit, vt Cadurcum ciuitatem cum terminis & cuncto populo suo, domna Brunichildis de præsenti in sua proprietate percipiat. Reliquas verò ciuitates ex hac conditione superiùs nominatas, domnus Guntchramnus dum aduiuit possideat, ita vt quandoque post eius transitum, in dominationem domnæ Brunichildis heredúmq; suorum cum omni soliditate Deo propitio reuertantur. Nec superstite Guntchramno, neq; à domna Brunichilde, neque à filio suo Childeberto Rege, filiisq; suis, quolibet ingenio, vel tempore repetantur. Simili modo conuenit, vt Siluanectis domnus Childebertus in integritate teneat, & quantum tertia domni Guntchramni exinde debita competit, de tertia dõni Childeberti quæ est in Rossontensi*, domni Gutchramni partibus compensetur. Similiter cõuenit, vt secundùm pactiones inter domnũ Guntchramnum & bonę memorię domnum Sigibertũ initas, leudes illi, qui domno Guntchramno post transitum domni Chlotharij sacramenta primitus præbuerunt, etsi postea conuin- D cuntur se in parte alia tradidisse, de locis vbi commanere videntur conuenit vt debeant remoueri. Similiter & qui post transitum domni Chlotharij conuincuntur domno Sigiberto sacramenta primitus præbuisse, & se in aliam partem transtulerũt, modo simili remoueantur. Similiter quicquid antefati Reges Ecclesiis aut fidelibus suis cõtulerint, aut adhuc conferre cum iustitia, Deo propitiante, voluerint, stabiliter conseruetur: & quicquid vnicuique fidelium in vtriusq; Regno per legem & iustitiam redhibetur, nullum ei præiudicium pariatur, sed liceat res debitas possidere atq; recipere. Et si aliquid cuicumq; per interregna sine culpa sublatum est, audientia habita restauretur. Et de eo quod per munificentias pręcedentium Regum vnusquisque vsq; ad transitum gloriosæ memoriæ domni Chlotharij Regis possedit, cum securitate possideat. Et quod exinde fidelibus personis ablatum est, de præsenti recipiat. Et quia inter præfatos Reges pura & simplex est in Dei nomine concordia inligata, conuenit vt in vtroq; Regno vtriusque fidelibus tam pro causis publicis quàm priuatis, quicunq; voluerit ambulare, peruium nullis tẽporibus denegetur. Similiter conuenit, vt nullus alterius leudes nec solicitet, nec venientes excipiat. Quòd si forsitan pro aliqua amissione partem alteram crediderit expetendam, iuxta qualitatem culpæ excusati reddantur. Hoc etiam huic addi placuit pactioni, vt si qua pars præsentia statuta sub quacunque calliditate, tempore quocunque transcenderit, omnia

* al. morgangeba.

* al. Rofontiss.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

beneficia, tam repromissa quàm in præsentia collata amittat, & illi proficiat qui inuiolabiter omnia suprascripta seruauerit: & sit de sacramentorum obligatione in omnib. absoluta. His itaque omnibus definitis, iurant partes per Dei omnipotentis nomen, & inseparabilem Trinitatem, vel diuina omnia, ac tremendum diem iudicij, se omnia quæ superiùs scripta sunt absque vllo dolo malo, vel fraudis ingenio inuiolabiliter seruaturos. Facta pactio sub die quarto Calend. Decembris, anno vicesimo sexto regni domni Guntchramni Regis, domni Childeberti verò duodecimo anno. A

LECTIS igitur pactionibus ait Rex; Iudicio Dei feriar, si de his quicquam transcendero, quæ hîc continentur. Et conuersus ad Felicem, qui tunc nobiscum Legatus aduenerat, ait: Dic, ô Felix. Iam enim plenissimè connexuisti amicitias inter sororem meam Brunichildem, & inimicam Dei & hominum Fredegundem. Quo negante, ego dixi: Non dubitet Rex, quia illæ amicitiæ inter easdem custodiuntur, quæ ante hos annos plurimos sunt ligatæ. Nam certè scias, quia odium, quod inter illas olim statutum est, adhuc pullulat, non arescit. Vtinam tu, ô Rex gloriosissime, minus cum ea charitatem haberes. Nam vt sæpè cognouimus, digniùs eius Legationem quàm nostram excipis. Et ille, Scias, inquit, Sacerdos Dei, quia sic eius Legationem suscipio, vt charitatem nepotis mei Childeberti Regis non omittam. Nam ibi amicitias ligare non possum, de qua sæpiùs processerunt qui mihi vitam præsentem auferrent. Hæc eo dicente, Felix ait: Peruenisse ad gloriam vestram credo, quòd Richaredus Legationem ad nepotem vestrum direxit, quæ neptem vestram Chlodesuindam filiam fratris vestri ei in matrimonium postularet. Sed ille absque vestro consilio nihil exinde promittere voluit. B Rex ait, Non est optimum enim, vt illuc neptis mea ambulet, vbi soror sua est interfecta. Sed nec illud rationabiliter complacet, vt non vlciscatur mors neptis meæ Ingundis. Felix respondet: Multum se exinde excusare volunt, aut sacramentis, aut quibuslibet aliis conditionibus iusseritis. Tantum vos consensum præbete, vt ei Chlodesuinda, sicut postulat, desponsetur. Rex ait; Si enim nepos meus implet quæ in pactionibus conscribi voluit, & ego de his facio voluntatem eius. Promittentibus nobis eum omnia impleturum, adiecit Felix: Deprecatur etiam pietatem vestram, vt ei solatium contra Langobardos tribuatis, qualiter expulsi de Italia, pars illa, quam genitor suus vendicauit viuens, ad eum reuertatur. Reliqua verò pars per vestrum suumque solatium Imperatoris ditionibus restituatur. Respondit Rex, Non, inquit, possum in Italiam exercitum meum dirigere, vt vltro eos morti tradam. Grauissima enim lues Italiam nunc deuastat. Et ego, Indicastis enim nepoti vestro, vt omnes Regni sui Episcopi in vnum conuenirent, quia multa sunt quæ debeant indagari. Sed iuxta consuetudinem canonum, placebat gloriosissimo nepoti vestro, vt vnusquisque Metropolis comprouincialibus suis coniungeretur: & tunc quæ irrationabiliter in regione propria fiebant, sanctione Sacerdotali emendarentur. Quæ enim causa extat, vt in vnum tanta multitudo conueniat? Ecclesiæ fides periculo vllo non quatitur: hæresis noua non surgit. Quæ erit ista necessitas, vt tanti debeant in vnum coniungi Domini Sacerdotes? C Et ille: Sunt multa, inquit, quæ debeant discerni, quæ iniustè gesta sunt; tam de incestis, quàm de ipsis quæ inter nos aguntur causis. Sed præcipuè illa Dei causa extat omnib. maior, vt inquirere debeatis, cur Prætextatus Episcopus gladio in Ecclesia fuerit interemptus. Sed & de iis, qui pro luxuria accusantur, debet esse discussio, vt aut victi sanctione Sacerdotali debeant emendari, aut certè si innocentes inueniuntur, publicè error criminis auferatur. Tunc iussit, vt in Calendis mensis quarti hæc Synodus prolongaretur. Et iis dictis, ad Ecclesiam processimus. Erat enim dies illa Dominicæ Resurrectionis solennitas. Dictis igitur Missis, conuiuio nos adsciuit, quod fuit non minus oneratum in ferculis, quàm lætitia opulentum. Semper enim Rex de Deo, de ædificatione Ecclesiarum, de defensione pauperum sermonem habens: ridebat interdum spiritali ioco delectans, addens etiam vnde & nos aliquid lætitiæ frueremur. Dicebat enim & hæc verba: Vtinam mihi nepos meus promissa custodiat! Omnia enim quæ habeo, eius sunt. Tamen si eum scandalizat illud, quod Legatos Chlotharij nepotis mei suscipio, nunquid demens sum, vt non possim temperare inter eos, ne scandalum propagetur? Noui enim id magis incidere quàm in longius promulgare. Dabo enim Chlothario, si eum nepotem meum esse cognouero, aut duas, aut tres in parte aliqua ciuitates, vt nec hic videatur exhæredari de Regno meo, nec huic inquietudinem præparet quæ isti reliquero. Hæc & alia locutus, dulci nos adfectu fouens, ac muneribus onerans, discedere iubet,

A mandans vt ea semper Childeberto Regi insinuētur, quæ vitæ eius cōmoda fient. GVNT-CHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

XXI. IPSE autem Rex, vt sæpè diximus, in eleemosynis magnus, in vigiliis atque ieiuniis promptus erat. Nam tunc ferebatur Massiliam à lue inguinaria valde vastari, & hunc morbum vsque ad Lugdunensem vicum Octauum nomine fuisse celeriter propalatum. Sed Rex, ac si bonus Sacerdos, prouidens remedia, quibus cicatrices peccatoris vulgi mederentur, iussit omnem populum ad Ecclesiam conuenire, & Rogationes summa cum deuotione celebrare: & nihil aliud in vsu vescendi nisi panem hordeaceum cum aqua munda adsumi. vigiliisque adesse instanter omnes iubet. Quod eo tempore ita gestum est. Per triduum enim ipsius eleemosynis largiùs solito præcurrentibus, ita de cuncto populo formidabat, vt iam tunc non Rex tantùm, sed etiam Sacerdos Domini putaretur, totam spem suam in Domini miseratione transfundens, & in ipso iactans cogitationes quæ ei superueniebant, à quo eas effectui tradi tota fidei integritate putabat. Nam celebre tunc à fidelibus ferebatur, quòd mulier quædam, cuius filius quartano typo grauabatur, & in strato anxius decubabat, accessit inter turbas populi vsq; ad tergum Regis, abruptísque clam regalis indumenti fimbriis, in aquam posuit, filióque bibendum dedit. statimque restincta febre sanatus est. Quod non habetur à me dubium, cùm ego ipse sæpiùs laruas energia famulante nomen eius inuocantes audierim, ac criminum propriorum gesta virtute ipsius discernente fateri.

XXII. NAM, sicut superiùs diximus, Massiliensis vrbs contagio pessimo ægrota, quanta sustinuerit, altiùs replicare placuit. His enim diebus Theodorus Episcopus ad Regem abierat, quasi aliquid contra Nicetium Patritium suggesturus. Sed cùm à Rege Childeberto minimè de hac causa fuisset auditus, ad propria redire disposuit. Interea nauis ab Hispania vna cum negocio solito ad portum eius adpulsa est, quæ huius morbi fomitem secum nequiter deferebat. De qua cùm multi ciuium diuersa mercarentur, vna confestim domus, in qua octo animæ erant, hoc contagio interfectis habitatoribus relicta est vacua. Nec statim hoc incendium luis per domos spargitur totas: sed interrupto certi temporis spacio, ac velut in segetem flamma accensa, vrbem totam morbi incendio conflagrauit. Episcopus tamen vrbis accessit ad locum, & se infra Basilicæ S. Victoris septa continuit, cum paucis qui tūc ipso remanserant. Ibiq; per totam vrbis stragem orationibus ac vigiliis vacans, Domini misericordiam exorabat, vt tandem cessante interitu, populo liceret in pace quiescere. Cessauit verò hæc plaga valdè mensib. duobus. Cúmque iam populus securus redisset ad vrbem, iterum succedente morbo, qui redierant sunt defuncti. Sed & multis vicibus deinceps ab hoc interitu grauata est.

XXIII. AGERICVS verò Viridunensis Episcopus, cùm ex illo diuturnæ amaritudinis felle grauiter ægrotaret, pro eo quòd Guntchramnus Boso, pro quo fideiussor extiterat, interfectus esset: vel etiam addita amaritudine, quod Berthefredus intra Oratorium domus Ecclesiasticæ fuerat interfectus: & præsertim cùm ipsos Guntchramni filios secum retinens quotidie fleret dicens, In meo vos odio « orphani relicti estis. His accensus (vt diximus) causis, fellis amararitudine adgra- « C uatus, & maximè inedia consumptus, diem obiit, adpositúsque est in sepulchro. Bucioualdus quoque Abba eius pro Episcopatu cucurrit, sed nihil obtinuit. Charimerem enim Referendarium cum consensu ciuium regalis decreuit auctoritas fieri Sacerdotem, Buccioualdo Abbate postposito. Ferebant enim hunc esse superbum, & ob hoc à nonnullis Buccus validus vocitabatur. Obiit autem & Licerius Arelatensis Episcopus, in cuius Ecclesiam Virgilius Abba Augustodunensis, opitulante Syagrio Episcopo, substitutus est.

XXIV. OBIIT autem & Deotherius Vinciensis Episcopus, in cuius locum Fronimius subrogatus est. Hic autem Fronimius Bituricæ vrbis incola fuit. Sed causa nescio qua in Septimaniam abiit: ac post mortem Athanaeldi Regis à Leuuane successore eius magnificè receptus, atque in vrbe Agathensi Episcopus ordinatus est. Sed post mortem Leuuanis, cùm Leuuieldus in illa hereticæ prauitatis perfidia grassaretur, & Ingundis filia Sigiberti Regis, cuius suprà meminimus, in Hispaniam ad matrimonium duceretur, audiuit Leuuieldus quasi hic Episcopus ei consilium dedisset, vt nunquam se veneno hereticæ credulitatis deberet admiscere: *Supr. l. 5. c. 38.* Et ob hoc semper ei molestus iniuriarum laqueos intendebat, quousq; eum ab Episcopatu deiiceret. Cúmque non inueniret quibus eum muscipulis posset innecte-

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

re, ad extremum emisit qui eum gladio deberet adpetere. Quod ille per internuncios cognoscens, relicta vrbe Agathensi in Gallias aduenit, ibique à multis Episcopis receptus ac muneratus, ad Childebertum Regem pertransiit. Sicque patefacto loco, apud supradictam vrbem potestatem Pontificalem nono deiectionis suæ anno Rege largiente suscepit. Britanni eo anno grauiter territorium Namneticum Redonicúmque prædæ subiecerunt, vindemiantes vineas, culturas deuastantes, ac populum villarum abducentes captiuum: nihilque de promissis superioribus custodientes, & non solùm non custodientes promissa, verùm etiam detrahentes Regibus nostris. A

XXV. IGITVR Childebertus Rex cùm petentibus Langobardis, sororem suam Regi eorum esse coniugem acceptis muneribus promisisset; aduenientibus Gothorum Legatis ipsam, eo quòd gentem illam ad fidem Catholicam conuersam fuisse cognosceret, repromisit: ac Legationem ad Imperatorem direxit, vt quod priùs non fecerat, nunc contrà Langobardorum gentem debellans cum eius consilio, eos ab Italia remoueret. Nihilominus & exercitum suum ad regionem ipsam capessendam direxit. Commotis Ducibus cum exercitu illuc abeuntibus, confligunt pariter: sed nostris valde cæsis, multi prostrati, nonnulli capti, plurimi etiam per fugam lapsi, vix in patriam redierunt. Tantáque ibi fuit strages de Francorum exercitu, vt olim similis non recolatur.

XXVI. ANNO quoque quartodecimo Childeberti Regis, Ingoberga Regina, Chariberti quondam relicta, migrauit à seculo. Mulier valde cordata, ac vita Religiosa prædita: vigiliis & orationibus atque eleemosynis non ignaua. Quæ, credo, per prouidentiam Dei commonita ad me vsque nuncios dirigens, vt in his quæ de voluntate sua, id est pro animæ remedio cogitabat, adiutor existerem. Sic tamen, vt ad ipsam accedens, quæ consilio habito fieri decernebat, scriptura connecteret. Accessi fateor, vidi hominem timentem Deum. Quæ cùm me benignè excepisset, notarium vocat, & habito (vt dixi) mecum consilio, quædam Ecclesiæ Turonicæ, & Basilicæ S. Martini, quædam Cenomannicæ Ecclesiæ delegauit. Ac post paucos menses subitanea ægritudine fatigata, migrauit à seculo, multos per chartulas liberos derelinquens, septuagesimo (vt arbitror) vitæ anno, relinquens filiam vnicam, quam in Cantia Regis cuiusdam filius matrimonio copulauit. B

XXVII. AMALO quoque Dux, dum coniugem in aliam villam pro exercenda vtilitate dirigit, in amorem puellulæ cuiusdam ingenuæ ruit. Et facta nocte crapulatus à vino misit pueros, vt detrahentes puellulam, eam thoro eius adscirent. Illa quoque repugnante, & violenter in eius mansionem deducta, dum eam alapis cædunt, sanguinis vnda ex narium meatibus decurrente perfunditur. Vnde factum est, vt ipse quoque stratus Ducis antedicti hoc riuo cruentaretur, quam ipse pugnis, colaphis, aliisque ictibus verberatam in vlnam suscepit. & statim obpressus somno dormire cœpit. At illa extensa manu trans caput viri gladium reperit. Quo euaginato, caput Ducis, velut Iudith Holofernis, ictu virili librauit. *Illo* quoque voces emittente, concurrunt famuli. Quam cùm interficere *vellent*, exclamauit *ille*, C
» dicens: Ne faciatis quæso. Ego enim peccaui, qui vim *castitati* inferre conatus sum.
» Nam hæc, quæ pudicitiam studuit conseruare, omnino non pereat. Hæc dicens, spiritum exhalauit. Cúmque super eum familia coniuncta lamentaretur, adiutorio Dei eruta puella domum egreditur, & per noctem Cabillonensem vrbem adiit, quæ est sita ab eo loco quasi milia XXXV. Ibique Basilicam S. Marcelli ingressa, Regis prostrata pedibus cuncta quæ pertulerat pandit. Tunc Rex misericordissimus, non solùm ei vitam donauit, verùm etiam præceptionem tribui iussit, vt in verbo * suo posita, à nullo vnquam parentum defuncti illius in aliquo molestiam pateretur. Veruntamen hoc Deo præstante cognouimus, quòd puellæ castitas non est ereptore sæuo * vllatenus violata.

* *i. fide, clientela.*

* *al.* suo

XXVIII. BRVNICHILDIS * quoque Regina iussit fabricari ex auro ac gemmis miræ magnitudinis clypeum, ipsúmque cum duabus pateris ligneis, quas vulgo Bacchinon * vocant, eiusdémque similiter ex gemmis fabricatis auro, in Hispaniam Regi mittit: in qua Ebregisilum, qui sæpè ad ipsam regionem Legationis gratiâ accesserat, direxit. Quo abeunte, nunciatum est Regi Guntchramno, dicente quodã, quia Brunichildis Regina ad filios Gundobaldi munera dirigit. Quod Rex audiens, iussit custodias arduas per vias Regni sui fieri, ita vt nullus penitus

* *al.* Brunieldis, *& sic vbique.*
* *Gall.* Bassin, *Teut.* Becken.

A præterire possit, qui non discuteretur. Inquirebant etiam in hominum vel vestimentis, vel calciamentis, aut in reliquis rebus, si occultè literæ portarentur. Ebregisilus verò Parisius accedens cum his speciebus, ab Ebrachario Duce comprehensus, ad Guntchramnum deducitur. Dixitque ei Rex: Non sufficit, ô infelicissime hominum, quòd impudico consilio Ballomerem illum, quem Gundobaldum vocitatis, ad coniugium arcessistis, quem manus mea subegit, qui voluit ditioni suæ Regni nostri superare potentiam: & nunc filiis eius munera mittitis, vt ipsos iterum in Gallias prouocetis ad me iugulandum? Ideóque non accedes quò volueris, sed morte morieris: quia contraria est Legatio tua genti nostræ. Illo quoque recusante, non se his verbis esse communem, sed potius ad Richaredum, qui Chlodosuintham sororem Childeberti Regis sponsare debuerat, hæc munera mitti; credidit Rex loquenti, & dimisit eum. Abiitque in itinere, quo directus fuit, cum ipsis muneribus.

XXIX. IGITVR Childebertus Rex inuitante Sigiberto* Momociacensis oppidi Sacerdote, dies Paschæ ad supradictã celebrari statuit vrbem. Grauiter tunc Theodobertus filius eius senior gulæ adflictus tumore laborauit, sed conualuit. Interea Childebertus Rex exercitum cõmouet, & in Italiam ad debellandam Langobardorum gentem cum eisdem pergere parat. Sed Langobardi his auditis Legatos cum muneribus mittunt, dicentes: Sit amicitia inter nos, & non pereamus, ac dis-
B soluamus certum ditioni tuæ tributum. Ac vbicunque necessarium contra inimicos fuerit, ferre auxilium non pigebit. Hæc Childebertus Rex audiens, ad Guntchramnum Regem Legatos dirigit: qui ea, quæ ab his offerebantur, in eius auribus intimarent. Sed ille non obuius de hac conniuentia, consilium ad confirmandam pacem præbuit. Childebertus verò Rex iussit exercitum in loco residere: misitque Legatos ad Langobardos, vt si hæc quæ promiserant confirmarent, exercitus reuerteretur ad propria. Sed minimè est impletum.

*al. Sigimundo.

XXX. CHILDEBERTVS verò Rex descriptores in Pictauos, inuitante Marouео Episcopo, iussit abire, id est Florentianum Maiorem domus Regiæ, & Romulfum Palatij sui Comitem; vt scilicet populus censum, quem tempore patris reddiderat, facta ratione innouaturæ, reddere deberet. Multi enim ex his defuncti fuerant, & ob hoc viduis orphanisque ac debilibus tributi pondus insederat. Quod hi discutientes, per ordinem relaxantes pauperes ac infirmos illos, quos iustitiæ cõditio tributarios dabat, censu publico subdiderunt. & sic Turonis sunt delati. Sed cùm populis tributariam functionem infligere vellent, dicentes quia librum præ manibus haberent, qualiter sub anteriorum Regum tempore dissoluissent, respõdimus nos, dicentes: Descriptam vrbem Turonicam Chlotharij Regis tempore, manifestum est, librique illi ad Regis præsentiam abierunt. Sed compuncto per timorem S. Martini Antistitis Rege, incensi sunt. Post mortem verò Chlotharij Regis, Chariberto
C Regi populus hic sacramentũ dedit. Similiter etiam & ille cum iuramẽto promisit, vt leges consuetudinésque nouas populo non infligeret, sed in illo quo quondam sub patris dominatione statu vixerant, in ipso hic eos deinceps retineret. Neque vllam nouam ordinationem se inflicturum super eos, quod pertineret ad spolium, spopondit. Gaiso verò Comes eiusdem temporis accepto capitulario, quod anteriores scriptores fecisse commemorauimus, tributa cœpit exigere. Sed ab Eufronio Episcopo prohibitus, cum exacta prauitate ad Regis direxit præsentiam, ostendens capitularium in quo tributa continebantur. Sed Rex ingemiscens, ac metuens virtutem sancti Martini, incendio tradidit. Aureos exactos Basilicæ sancti Martini remisit. Obtestãs vt nullus de populo Turonico vllum tributum publico redderet. Post cuius obitum, Sigibertus Rex hanc vrbem tenuit, nec vllius tributi pondus inuexit. Sic & nunc XIV. anno Childebertus Rex post patris obitum regnans, nihil exegit. nec vllo tributi onere hæc vrbs adgrauata congemuit. Nunc autem potestatis vestræ est, vtrum censeatis tributum, an non. Sed videte ne aliquid noceatis, si contra eius sacramentum ambulare disponitis. Hæc me dicente, responderunt: Ecce librũ præ manibus habemus, in quo census huic populo est inflictus. Et ego aio: Liber hic à Regis thesauro delatus non est, nec vnquam per tot conualuit annos. Non est mirum enim si pro inimicitiis horum ciuium, in cuiuscunque domo reseruatus est. Iudicabit enim Deus super eos, qui pro spoliis ciuium nostrorum hunc post tanti temporis transactum spacium protulerunt. Dum autem hæc agerentur, Audini filius,

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

qui librum ipsum protulerat, ipsa die à febre correptus, die tertia expirauit. Post A hæc nos transmisimus nuncios ad Regem, vt quid de hac causa iuberet, mandata remitteret. Sed protinus Epistolam cum auctoritate miserunt, ne populus Turonicus pro reuerentia sancti Martini describeretur. Quibus relectis, statim viri, qui ad hæc missi fuerant, ad patriam sunt regressi.

XXXI. GVNTCHRAMNVS verò Rex exercitum commouit in Septimaniam. Austroualdus autem Dux prius Carcassonam accedens sacramenta susceperat, ipsósque populos ditioni subegerat Regiæ. Rex autem ad reliquas ciuitates capiendas Bosonem cum Antestio destinat. Qui accedens cum superbia, despecto Austroualdo Duce atque condemnato, cur absque eo Carcassonam ingredi præsumpsisset, ipse cum Sanctonicis, Petragoricis, Burdegalensibúsque, Agennensibus etiam ac Tholosanis illuc direxit. Cúmque in hac iactantia ferretur, & Gothis hæc nunciata fuissent, parauerunt se in insidiis. Hic verò super fluuium paruulum propinquum vrbi castra ponit, epulis insedit, ebrietatibus incumbit, conuiciis & blasphemiis Gothos exaggerans. Illique inruentes super eos, reperiunt epulantes inopinantésque. Tunc hi dantes voces, exurgunt contra eos. At illi paululum resistentes, fugam simulant. Prosequentibúsque istis, consurgunt qui parati erant de insidiis, concludentésque eos in medio, vsque ad internecionem cæciderunt. Qui autem euadere potuerunt, vix equo ascenso per fugam dilapsi sunt, omnem supellectilem relinquentes in campi planitie, nihilque secum de rebus propriis auferentes: hoc pro magno ducentes si vel vitæ donarentur. Insequentes autem Gothi res eorum omnes reperiunt, diripiúntque, pedestres omnes captiuos abducentes. Cecidérúntque ibi quasi quinque milia virorum. Captiui autem amplius quàm duo milia abierunt. Multi tamen ab his laxati, redierunt in patriam. B

XXXII. COMMOTVS autem Rex vias claudi per Regnum suum præcepit, ne vllus de Childeberti Regno per eius Regni territorium peruium posset habere, » dicens: Quia per nequitiam eius, qui cum Rege Hispaniæ fœdus iniit, exercitus » corruit meus, & vt se non subdant vrbes illæ ditioni meæ, eius hoc immissio facit. Additum est etiam huic causæ aliud amaritudinis incendium, quòd Childebertus Rex filium suum seniorem Theodobertum nomine Suessionas* dirigere cogitabat. Quæ res suspicionem fecerat Guntchramno Regi, dicente eo, Quia in hoc filium suum nepos meus Suessionas dirigit, vt Parisius ingredi faciat, Regnúmque » meum auferre cupiat. Quod nunquam Childebertus vel in cogitatione (si dici fas est) habere potuit. Multa autem & in Brunichildem Reginam obprobria iactabat, dicens eius consilio hæc fieri. Addens etiam, quòd Gundobaldi quondam filium inuitatum coniugio copulare vellet. Vnde etiam Synodum Episcoporum in Calendis Nouembribus congregare præcepit. Multique de extremis partibus Galliarum ad hunc Conuentum properantes, de via regressi sunt, pro eo quòd Brunichildis Regina se ab hoc crimine exuit sacramentis. Et sic viis iterum reseratis, peruium patefecit volentibus ad Regem Childebertum accedere.

* al. Sessonas, vel, Sessionas. & sic vbique.

XXXIII. HIS diebus Ingeltrudis, quæ Monasterium in atrio S. Martini statuerat, ad Regem quasi filiam accusatura processit. In quo Monasterio Berthefledis, filia quondam Chariberti Regis, residebat. Sed ista egrediente, hæc in Cenomannicum est ingressa. Erat enim gulæ & somno dedita, & nullam de officio Dei curam habens. Negotium verò Ingeltrudis & filiç eius altiùs repetẽdum puto. Igitur ante hos annos, cùm Ingeltrudis Monasterium puellarum infra atrium sancti Martini (vt » diximus) collocare cœpisset, filiæ suæ mandata mittit, dicens: Relinque virum » tuum, & veni vt faciam te Abbatissam gregi huic quem congregaui. At illa, au» dito leuitatis consilio, cum viro Turonis aduenit. Ingressáq; Monasterium matris, » dicebat viro: Regredere hinc, & guberna res liberósque nostros. Nam ego non re» uertar tecum. Non enim videbit Regnum Dei coniugio copulatus. Ille verò aduenicns, nunciauit mihi omnia quæ à coniuge audierat. Tunc ego accedẽs ad Monasterium, Canonum Nicenorum decreta relegi, in quibus continetur; Quia si quæ » reliquerit virum, & thorum in quo benè vixit spreuerit, dicẽs, quia non sit ei portio » in illa cœlestis Regni gloria qui fuerit coniugio copulatus, anathema sit. Quibus auditis, Berthegundis metuens ne à Sacerdotibus Dei communione priuaretur, egressa Monasterium, rediit cum viro suo. Interpositis autem tribus vel quatuor annis, iterum mandata mittit ad eam mater, deprecans eam ad se accedere. At illa C

A oneratis nauibus tam de rebus propriis, quàm viri sui, adsumpto secum vno filio, viro absente, Turonis est adpulsa. Sed cùm à matre propter improbitatem viri retineri non posset, scilicet ne calumniam quæ eius dolo fabricata fuerat exciperet, ad Bertchramnum germanum eius, filium videlicet suum Burdegalensis vrbis Episcopum eam direxit. Prosequente igitur eam viro eius, dicebat; Quia sine consilio parentum eam coniugio copulasti, non erit vxor tua. Erant enim iam ferè xxx. anni, ex quo coniuncti pariter fuerant. Adiit enim vir eius plerumque vrbem Burdegalensem: sed noluit eam Episcopus restituere. Cùm autem Rex Guntchramnus ad Aurelianensem vrbem (sicut in superiore Libro memorauimus) aduenisset, ibi cum acriùs hic vir impugnare verbis cœpit, dicens: Abstulisti vxorem « meam cum famulis eius. Et ecce (quod Sacerdotem non decet) tu cum ancillis « meis, & illa cum famulis tuis dedecus adulterij perpetratis. Tunc furore commo- « tus Rex, adstrinxit Episcopum, vt polliceretur eam reddere viro, dicens: Quia pa- « rens mea hæc est. Si quicquam mali exercuit in domo viri sui, ego vlciscar: sin « aliud, cur sub omni deformitate redacta viro coniunx eius aufertur? Tunc Bert- « chramnus Episcopus pollicitus est, dicens: Venit ad me, fateor, soror mea post « multorum annorum curricula: quam pro charitatis ac desiderij studio tenui me- « cum vt libuit. Nunc autem recessit à me. Requirat nunc eam, reuocétque quò « voluerit. me obuium non habebit. Et hæc dicens, misit clam nuncios ad eam, « mandans, vt veste mutata, ac pœnitentiâ accepta Basilicam sancti Martini expe-
B teret. Quod facere illa non distulit. Venitque vir eius cum multis insequentibus viris, vt eam ex ipso loco sancto eiiceret. Erat enim in veste religiosa, adserens se accepisse pœnitentiam. Sed virum sequi despexit. Interea defuncto apud Burdegalensem vrbem Bertchramno Episcopo, hæc ad se reuersa ait: Væ mihi, quæ au- « diui consilium matris iniquæ! Ecce frater meus obiit, ecce à viro derelicta sum, à « filiis separata. Et quò ibo infelix? vel quid faciam? Tunc habito consilio, Pi- « ctauum pergit: voluitque eàm mater retinere secum, sed penitus non potuit. Ex hoc inimicitia orta, dum sæpiùs Regis præsentiam adeunt, & hæc res patris defensare cupiens, hæc viri, Berthegundis donationem Bertchramni germani sui ostendit, dicens: Quia hæc & hæc mihi germanus meus contulit. Sed mater eius « non admittens donationem, omnia sibi vendicare cupiens, misit qui effracta domo eius, omnes res illius cum hac donatione diriperet. Vnde seipsam genitrix reddidit comprobatam, cùm de rebus ipsis insequenti filiæ quædam repetenti districta restituit. Sed cùm ego sæpiùs, vel frater noster Maroueus Episcopus, acceptis regalibus Epistolis, vt eas pacificare deberemus, Berthegundis aduenit Turonis: in iudicium quoque accedentem coegimus eam, inquantum potuimus, rationem sequi. Mater verò eius flecti non potuit. Tunc accensa felle, ad Regem abiit, quasi filiam exhæredatura de facultate paterna. Ac in præsentia Regis exponens causas filia absente, iudicatum est ei: Vt quarta parte filiæ restituta, tres cum nepotibus suis, quos de filio vno habebat, reciperet. In qua causa Theutarius
D Presbyter, qui nuper ex Referendario Sigiberti Regis conuersus, Presbyterij honorem accepit, accessit vt hanc diuisionem iuxta Regis imperium celebraret. Sed resistente filia, nec diuisio facta, nec scandalum resedatum est.

XXXIV. RIGVNTHIS autem filia Chilperici, cùm sæpiùs matri calumnias inferret, diceretque se esse dominam, genitricémque suam seruitio redhiberi, & multis eam & crebrò conuiciis lacesseret, ac interdum pugnis se alapisque cæderent, ait ad eam mater: Quid mihi molesta es filia? ecce res patris tui, quæ penes me « habentur, accipe & vtere vt libet. Et ingressa in regestum, reserauit arcam mo- « nilibus ornamentisque preciosis refertam. De qua cùm diutissimè res diuersas extrahens filiæ adstanti porrigeret, ait ad eam: Iam enim lassata sum, immitte tu, « inquit, manum, & eiice quod inueneris. Cúmque illa immisso brachio res de ar- « cha abstraheret, adprehenso mater opertorio arcæ super ceruicem eius inlisit. Quod cùm in fortitudine premeret, atque gulam eius axis inferior ita adtereret, vt etiam oculi ad crepandum parati essent, exclamauit vna puellarum, quæ erat intrinsecus, voce magna, dicens: Currite, quæso, currite: ecce domina mea à « genitrice sua grauiter suggillatur. Et inrumpentes cellulam qui coram foribus eo- « rum præstolabantur aduentum, erutam ab imminenti interitu puellam eduxerunt foras. Post ista verò inter easdem inimicitiæ vehementiùs pullulantes, &

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

non de alia causa maximè, nisi quia Rigunthis adulteria sequebatur, semper cum A eisdem rixæ & cædes erant.

XXXV. BERETRVDIS verò moriens, filiam suam heredem instituit: relinquens quæpiam vel Monasteriis puellarum quæ ipsa instituerat, vel Ecclesiis siue Basilicis Confessorum sanctorum. Sed Vuaddo (cuius in superiore Libro meminimus) querebatur à genero eius equos suos fuisse direptos: cogitauitque accedere ad villam eius vnam, quam reliquerat filiæ, quæ intra Pictauum terminum » erat, dicens: Hic à Regno alterius veniens diripuit equos meos, & ego auferam » villam eius. Interea mandatum mittit agenti, vt se adueniente omnia quæ erant ad expensam eius necessaria præpararet. Quod ille audiens, coniunctis secum » hominibus ex domo illa, se ad bellum præparat, dicens: Nisi moriar, non ingre» dietur Vuaddo in domum domini mei. Audiens autem vxor Vuaddonis, adpa» ratum scilicet belli instaurari contra virum suum, ait ad eum: Ne accesseris illuc, » chare coniunx. Morieris enim si abieris, & ego cum filiis misera ero. Et iniecta ma» nu, voluit eum retinere, dicente præterea tum filio: Si abieris pariter morie» mur, & relinques genitricem meam viduam, orphanosque germanos. Sed cùm eum hæc verba penitus retinere non possent, furore accensus contra filium, & timidum eum mollémque exclamans, proiecta secure penè cerebrum eius inlisit. Sed ille in parte excussus, ictum ferientis euasit. Ascensis denique equis abierunt, mandans iterum actori, vt domo scopis mundata, stragulis scamna operiret. Sed ille paruipendens mandatum eius, cum turbis (sicut diximus) virorum B ac mulierum ante fores domini sui stetit, opperiens aduentum huius. Qui ve» niens, statim ingressus domum, ait: Cur non sunt scamna hæc operta stragulis, » aut domus scopis mundata? Et eleuans manum cum sica, caput hominis librauit, cecidítque, & mortuus est. Quod cernens filius hominis mortui, emissa ex aduerso lancea, contra Vuaddonem dirigit. Cuius mediam aluum ictu penetrans, à tergo egressa falarica, & ruens ad terram, adueniente multitudine quæ collecta fuerat, lapidibus obrui cœpit. Tunc quidam de his, qui venerant cum eo, inter imbres saxeos accedentes, coopertum sago, ac populo mitigato, eiulante filio eius, cúmque super equum eleuans, adhuc viuentem domui reduxit. Sed protinus sub lachrymis vxoris, ac filiorum, spiritum exhalauit. Explicita igitur tam infeliciter vita, filius eius ad Regem abiit, résque eius obtinuit.

XXXVI. IGITVR anno quo supra regni sui Childebertus Rex morabatur cum coniuge & matre sua, infra terminum vrbis quam Strateburgum vocant. Tunc viri fortiores, qui in vrbe erant Suessionica siue Meldensi, venerunt ad eum, di» centes: Da nobis vnum de filiis tuis, vt seruiamus ei: scilicet vt de progenie tua » pignus retinentes nobiscum, facilius resistentes inimicis, terminos vrbis tuæ » defensare studeamus. At ille gauisus nuncio, Theodobertum filium suum seniorem illuc dirigendum destinat. Cui Comitibus, Domesticis, Maioribus, atque nutritiis, & omnibus qui ad exercendum seruitium regale erant necessarij, de- C legatis, mense sexto huius anni direxit eum, iuxta voluntatem virorum qui eum à Rege flagitauerant transmittendum. Suscepitque eum populus gaudens, ac deprecans, vt vitam eius patrisque sui æuo prolixiore pietas diuina concederet.

XXXVII. ERAT autem apud vrbem Suessionas his diebus Droctigisilus, qui propter nimiam (vt ferunt) potationem, quarto instante anno sensum perdiderat. Adserebant enim multi ciuium, quòd hoc ei maleficiis accessisset, per emissionem Archidiaconi, quem ab honore repulerat, intantum vt infra muros vrbis hanc amentiam magis haberet. Si verò de ciuitate fuisset egressus, agebat commodiùs. Cúmque Rex supradictus ad vrbem venisset, & hic meliùs ageret, permittebatur ingredi vrbem propter Regem qui aduenerat. Et licèt esset vorax cibi, ac potator vini extra modum quàm Sacerdotalem cautelam decet, tamen nullum de eo adulterium quispiam est locutus. Verumtamen insequenti cum apud Sauriciacum villam Episcoporum Synodus adgregata fuisset, iussum est vt liceret ei ingredi vrbem suam.

XXXVIII. CVM autem Faileuba Regina Childeberti Regis, partu edito, mox extincto, ægrotaret, adtigit aures eius sermo, quòd quidam vel contra eam, vel contra Brunichildem Reginam agere conarentur. Cúmque confortata ab incommodo, ad Regis præsentiam accessisset, omnia tam ei quàm matri eius, quæ au-

A dierat reserauit. Verba autem huiuscemodi erant, quòd scilicet Septimina nutrix infantum eius, consilio suadere vellet Regi, vt eiecta matre, coniugéque relicta, aliam sortiretur vxorem. Et sic cum eodem quæcumque vellent, vel actu agerent, vel precibus obtinerent. Quòd si his Rex nollet adquiescere quæ suadebat, ipso maleficiis interempto, eleuatis filiis eius in Regnum, repulsa nihilominus matre eorum & auia, ipsi regerent Regnum. Huius enim consilij socios pronunciat esse Sunnegisilum Comitem stabuli, & Gallomagnum Referendarium, atque Droctulfum, qui ad solatium Septiminæ ad nutriendum Regis paruulos fuerat datus. Denique corripiuntur hi duo, Septimina videlicet & Droctulfus. Nec mora extensi inter stipites cùm vehementiùs cæderentur, profitetur Septimina se virum suum Iouium maleficiis interfecisse, ob amorem Droctulfi: ipsúmque secum scorto misceri. De his quæ supra diximus causis pariter confitentur, & memoratos viros in hoc consilio habitos indicant. Nec mora, inquiruntur & ipsi. Sed conscientia terrente, latebram intra Ecclesiarum septa petiere. Ad quos Rex ipse procedens, ait: Egredimini in iudicium, vt cognoscamus " de his quæ vobis obiiciuntur, si vera sint, an falsa. Nam ego vt opinor, in hanc " Ecclesiam fuga dilapsi non fuissetis, nisi vos conscientia terruisset. Verumtamen " promissionem habete de vita, etiamsi culpabiles inueniamini. Christiani enim " sumus. Nefas est enim vel criminosos ab Ecclesia eductos punire. Tunc educti " foras, cum Rege venerunt ad iudicium: discussique reclamant, dicentes: Quia B Septimina cum Droctulfo hoc nobis consilium patefecit. Sed nos execrantes ac " fugientes, nunquam consentire voluimus hoc scelus. Et Rex: Si, inquit, vos " nullam conniuentiam præbuissetis, nostris auribus vtique intulissetis. Verúmne " ergo est, vos in hac causa præbuisse consensum, cùm hoc nostræ scientiæ occuli " voluistis? Et statim eiecti foras, iterum Ecclesiam petierunt. Septimina verò cum Droctulfo vehementer cæsa, ac cauteriis accensis in facie vulnerata, ablatis omnibus quæ habebat, in Marilegium * villam deducitur: vt scilicet trahens molam, his, quæ in gynæcio erant positæ, per dies singulos farinas ad victus necessarias præpararet. Droctulfum autem incisis capillis & auribus, ad vineam excolendam delegauerunt. Sed post dies paucos fuga dilabitur, inquisitúsque ab actore, iterum ad Regem deducitur: ibique multum cæsus, iterum ad vineam quam reliquerat destinatur. At verò Sunnegisilus & Gallomagnus priuati à rebus, quas à fisco meruerant, in exilium retruduntur. Sed venientibus Legatis, inter quos Episcopi erant, à Rege Guntchramno, & petentibus pro his, ab exilio reuocantur. Quibus nihil aliud est relictum, nisi quod habere proprium videbantur.

* hod. Marley, in Alsatia.

XXXIX. In Monasterio verò Pictauensi insidiante diabolo in corde CHRODIELDIS, quæ se Chariberti quondam Regis filiam adserebat, orto scandalo, ipsa quoque quasi de parentibus confisa Regibus, exactis sacramentis à Sanctimonialibus, vt iniectis in Abbatissam Leubouerum criminibus, ea Monasterio deiecta, ipsam substituerent principalem: egressa est cum quadraginta aut eo D amplius puellis, & consobrina sua BASINA filia Chilperici, dicens: Quia vado " ad parentes meos Reges, vt eis contumeliam nostram innotescere valeam; quia " non vt filiæ Regum, sed vt malarum ancillarum genitæ in hoc loco humiliamur. " Infelix ac fatua non recordans, in qua se humilitate beata Radegundis, quæ hoc instituit Monasterium, exhibebat. Egressa ergo ab eo, Turonis aduenit, datáque nobis salutatione, ait: Deprecor sancte Sacerdos, vt has puellas, quæ in ma- " gnam humilitatem ab Abbatissa Pictauensi redactæ sunt, custodire digneris, ac " cibum præbere, donec ego eam ad Reges parentes nostros, exponámque eis " quæ patimur, & reuertar. Quibus ego aio: Si Abbatissa deliquit, aut canonicam " regulam in aliquo prætermisit, accedamus ad fratrem nostrum Meroueum Epi- " scopum, & coniuncti arguamus eam: emendatisque negociis restituamini in Mo- " nasterium vestrum, ne dispergatur luxuriâ quod sancta Radegundis ieiuniis & " orationibus crebris, eleemosynisque frequentibus adgregauit. Et illa respondit, " Nequaquam, sed ad Reges ibimus. Et ego, Quare responsioni resistitis? Ob " quam rem sacerdotale monitum non auditis? Vereor ne coniuncti Sacerdotes " Ecclesiarum vos à communione remoueant. Sic enim & ab antecessoribus in Epi- " stola, quam ad beatam Radegundem in initio huius congregationis scripserunt, " habetur insertum. Cuius exemplaria huic lectioni inserere placuit. "

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

EXEMPLAR EPISTOLÆ.

A

Dominæ beatissimæ & in Christo Ecclesiæ filiæ Radegundi, Eufronius, Prætextatus, Germanus, Felix, Domitianus, Victorius, & Domnolus Episcopi. Sollicita sunt iugiter circa genus humanum immensæ diuinitatis prouisura remedia, nec ab assiduitate beneficiorum suorum quocumque loco vel tempore videntur aliquando seiuncta, cùm pius rerum arbiter tales in hereditate culturæ Ecclesiasticæ personas vbique disseminat, quibus agrum eius intenta operatione fidei rastro colentibus, ad felicem centeni numeri reditum diuina temperie Christi seges valeat peruenire. Tantum igitur benignitatis eius se passim dispensatio profutura diffundit, vt illud nusquam deneget quod prodesse multis agnoscit. Quarum personarum exemplo sanctissimo cùm iudicaturus aduenerit, habeat in plurimis quod coronet. Itaque cùm ipso Catholicæ Religionis exortu, cœpissent Gallicanis in finibus venerandæ fidei primordia respirare, & adhuc ad paucorum notitiam tunc ineffabilia peruenissent Trinitatis Dominicæ sacramenta, ne quid hîc minus adquireret quàm in Orbis circulo prædicantibus Apostolis obtineret, beatum Martinum peregrina de stirpe ad inluminationem patriæ dignatus est dirigere, misericordia consulente. Qui licèt Apostolorum tempore non fuerit, tamen Apostolicam gratiam non effugit. Nam quod defuit in ordine, suppletum est in mercede: quoniam sequens gradus illi nihil subtrahit, qui meritis antecellit. Huius quoque, reuerentissima filia, in vobis congratulamur rediuiua surgere supernæ dilectionis exempla, propitiatione diuina. Nam declinante tempore seculi vetustate, vestri sensus certamine fides reuirescit in flore: & quod veterno tepuerat algore senectæ, tandem feruentis animi rursus incalescat ardore. Sed cùm pene eadem veneris ex parte, qua beatum Martinum huc didicimus accessisse, non est mirum si illum imitari videaris in opere, quem tibi ducem credimus itineris extitisse: vt cuius es secuta vestigia, felici voto compleas & exempla, & beatissimum virum in tanto tibi facias esse socium, inquantum partem refugis habere de mundo. Cuius opinionis radio præmicante, ita reddis audientium pectora cœlesti fulgore suffusa, vt passim prouocati puellarum animi diuini ignis scintilla succensi, raptim festinent auidè in charitate Christi fonte vestri pectoris inrigari: & relictis parentibus te sibi magis eligant, quàm matrem. Facit hoc gratia, non natura. Igitur huius studij vota videntes, gratias clementiæ supernæ referimus, qui voluntates hominum suæ facit voluntati connecti: quoniam confidimus quas apud vos iubet colligi, suo vult amplexu seruari. Et quia quasdam comperimus diuinitate propitia de nostris territoriis ad institutionem vestræ regulæ desiderabiliter conuolasse, inspicientes etiam vestræ petitionis Epistolam libenter à nobis exceptam: hoc Christo auctore & remediatore firmamus, vt licèt omnes æqualiter quæ ibi conueniunt, in Domini charitate mansuræ, debeant inuiolabiliter custodire quod videntur libentissimo animo suscepisse: quoniam contaminari non debet Christo fides cœlo teste promissa, vbi non leue scelus est Templum Dei (quod absit) pollui, vt ab eo possit ira succendente disperdi. Tamen specialiter definimus, si qua (sicut dictum est) de locis sacerdotaliter nostræ gubernationi Domino prouidente commissis, in Pictauina ciuitate vestro Monasterio meruerit sociari, secundum beatæ memoriæ domini Cæsarij Arelatensis Episcopi constituta, nulli sit vlteriùs discedendi licentia. Quæ sicut continet regula, voluntate prodita videtur ingressa, ne vnius turpi dedecore ducatur in crimine, quod apud omnes emicat in honore. Et ideo, si (quod auertat Deus) aliqua insanæ mentis inlicitatione succensa, ad tanti obprobrij maculam præcipitare suam voluerit disciplinam, gloriam, & coronam: vt inimici consilio, sicut Eua eiecta de Paradiso, per qualemcumque de claustris ipsius Monasterij, immo de cœli regno exire pertulerit, mergenda & conculcanda vili platearum in luto, separata à communione nostra, diri anathematis vulnere feriatur. Ita vt si fortassis Christo relicto homini voluerit nubere, diabolo captiuante, non solùm ipsa quæ refugit, sed etiam ille qui ei coniunctus est, turpis adulter, & potiùs sacrilegus quàm maritus: vel quisquis vt hoc fieret, venenum magis quàm consilium ministrauit, simili vltione, sicut de illa dictum est, cœlesti iudicio, nobis optantibus, percellatur: donec separatione facta, per competentem execran-

A di criminis pœnitentiam, à loco, quo egressa fuerat, recipi meruerit & adnecti. Adiicientes etiam, vt eorum qui nobis quandoque successuri sunt Sacerdotes, similis condemnationis teneantur adstrictæ reatu. Et si (quod non credimus) aliquid ipsi voluerint aliter quàm nostra deliberatio continet relaxare, nouerint se nobiscum æterno iudice definiente causaturos, quia communis est salutis instructio, si quod Christo promittitur inuiolabiliter obseruetur. Quod nostræ determinationis decretum pro firmitatis intuitu, propriæ manus subscriptione credimus roborandum, perpetualiter à nobis Christo auspice duraturum. GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

Lecta igitur hac Epistola, Chrodieldis dixit: Nunquam nos vlla retinebit mora, nisi ad Reges, quos parentes nostros esse nouimus, accedamus. Venerant enim pedestri itinere à Pictauo, nec vllius equi beneficium habuerant. vnde anhelæ & satis exiguæ erant. Sed nec victus alimoniam vllam eis in via quisquam præbuerat. Accesserunt enim ad vrbem nostram die prima mensis primi. Erant enim pluuiæ magnæ. Sed & viæ dissolutæ erant à nimia immensitate aquarum.

XL. Detrahebant autem & de Episcopo dicentes, quia illius dolo & hæ turbatæ, & Monasterium erat derelictum. Sed materiam huius scandali altiùs placuit memorari. Tempore Chlotharij Regis, cùm beata Radegundis hoc Monasterium instituisset, semper subiecta & obediens cum omni congregatione sua anterioribus fuit Episcopis. Tempore verò Sigiberti, postquam Marouevs Episcopatum vrbis adeptus est, acceptis Epistolis Sigiberti Regis pro fide ac deuotione Radegundis beatæ, in partes Orientis Clericos destinat pro Dominicæ Crucis ligno, ac sanctorum Apostolorum ceterorúmque Martyrum reliquiis. Qui euntes, detulerunt hæc pignera. Quibus delatis, petiit Regina Episcopum, vt cum honore debito, grandique psallentio, in Monasterio locarentur. Sed ille despiciens suggestionem eius, ascensis equis, villæ se contulit. Tunc Regina iteratò ad Regem Sigibertum direxit, deprecans vt iniunctione sua quicumque ex Episcopis hæc pignera cum illo quo decebat honore, votúmque eius exposcebat, in Monasterio conlocaret. Ad hoc enim opus beatus Eufronius vrbis Turonicæ Episcopus iniungitur. Qui cum Clericis suis Pictauum accedens, cum grandi psallentio, & cereorum micantium ac thymiamatis adparatu, sancta pignera absente loci Episcopo in Monasterium detulit. Post hæc cùm Pontificis sui sæpiùs gratiam quæreret, nec posset adipisci, necessitate commota cum Abbatissa sua, quam instituerat, Arelatensem vrbem expetunt: de qua Regula sancti Cæsarij atque Cæsariæ beatæ suscepta, Regis se tuitione munierunt, scilicet quia in illum, qui pastor esse debuerat, nullam curam defensionis suæ poterant reperire. Ex hoc scandalo de die in diem propagato, tempus migrationis beatæ Radegundis aduenit. Qua migrante, iterum petiit Abbatissa, se sub Sacerdotis sui potestate degere. Quod ille cùm primùm respuere voluisset, consilio suorum promisit se Patrem earum, sicut dignum erat, fieri: & vbi necessitas fuisset, suam præbere defensionem. Vnde factum est, vt absens ad Childebertum Regem præceptionem eliceret, vt ei hoc Monasterium sicut reliquas parochias regulariter liceat gubernare. Sed nescio quid, credo, adhuc in eius animis residebat, vt hæ puellæ adserunt, quod moueret scandalum. His verò intendentibus, vt ad Regis (sicut diximus) præsentiam properarent, dedimus eis consilium dicentes: Intenditis contra rationem, & nullo modo vobis ea series inseri potest, quæ blasphemium arceat. Sed si (vt diximus) rationem prætermittitis, nec salubre consilium vultis accipere, vel hoc coniicite in animis vestris, vt præterito hiberni huius tempore quod in hoc verno accessit, cùm auræ commodiores fuerint, quò ducit voluntas, pergere valeatis. Quod consilium aptum suscipientes, subsequente æstate, relictis Turonis ceteris accommodatis consobrinæ suæ Chrodieldi Sanctimonialibus, ad Regem Guntchramnum accessit. A quo suscepta, ac muneribus honorata, Turonis est regressa. Constantina filia Burgolini in Monasterio Augustidunensi relicta, expectans Episcopos qui à Rege fuerant iussi aduenire, & causam ipsarum cum Abbatissa discutere. Multæ tamen ex his à diuersis circumuentæ matrimonio copulatæ sunt, priusquam hæc à Rege regrederetur. Cúmque præstolantes aduentum, nullum Episcopum aduenire sensissent, Pictauum regressæ sunt, & se infra Basilicam sancti Hilarij tutauerunt, congregatis secum furibus, homicidis, adulteris, omniúmque criminum reis. stabilientes

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

se ad bellum, atque dicentes: Quia Reginæ sumus, nec priùs in Monasterium nostrum ingredimur, nisi Abbatissa eiiciatur foras. Erat ibi tunc reclausa quædam, quæ ante paucos annos per murum se deiiciens, ad Basilicam sancti Hilarij A confugit, multa in Abbatissam crimina euomens; quæ tamen falsa cognouimus. Sed postquam in Monasterium per eum locum, vnde se præcipitauerat, funibus est adtracta, petiit vt se in Cellulam secretam reclauderet, dicens: Quia multum „ peccaui in Dominum, & domnam meam Radegundem, quæ illis diebus super„ stes erat. Volo me, ait, ab hac frequentia congregationis totius amouere, & pœ„ nitentiam pro neglectis meis agere. Scio enim quia misericors est Dominus, & „ remittit confitentibus se peccata. & ingressa est in Cellulam. Cùm autem hoc scandalum commotum fuisset, & Chrodieldis à Guntchramno Rege regressa esset, hæc disrupto nocturnis horis Cellulæ ostio egressa est à Monasterio, & ad Chrodieldem abiit, multa, sicut priùs fecerat, crimina de Abbatissa prorumpens.

XLI. DVM autem hæc agerentur, Gundegisilus Burdegalensis, adiunctis secum Nicasio Egolismensi *, & Saffario Petragorico, ac ipso Marouco Pictauensi Episcopis, eo quòd huius vrbis Metropolis esset, ad Basilicam sancti Hilarij aduenit, arguens has puellas, & in Monasterium reducere cupiens. Sed cùm illæ obstinatius reluctarentur, & hic cum reliquis iuxta Epistolam superiùs nominatam eis excommunicationem indiceret, exurgens turba murionum præfatorum, tanta eos in ipsa sancti Hilarij Basilica cæde mactauit, vt conruentibus in paui- B mento Episcopis vix consurgere possent. Sed & Diaconi & reliqui Clerici sanguine perfusi, cum effractis capitibus Basilicam sunt egressi. Tam immensus enim eos, & (vt credo) diabolo cooperante, pauor obsederat, vt egredientes à loco sancto, nec sibi vale dicentes, vnusquisque per viam quam arripere potuit repedaret. Adfuit huic calamitati & Desiderius Diaconus Siagrij Augustidunensis Episcopi, qui non inquisito Cleni fluminis vado, quo primùm littus adtigit, est ingressus: ac natante equo, ripæ vlterioris campo euectus est. Ex hoc Chrodieldis ordinatores eligit, villas Monasterij peruadit, & quoscumque de Monasterio arripere potuisset, plagis ac cædibus adfectos suo seruitio subiugabat: minans, vt si Monasterium posset ingredi, Abbatissam de muro proiectam terræ deiiceret. Quod cùm Childeberto Regi nunciatum fuisset, statim directa auctoritate præcepit Macconi Comiti, vt hæc reprimere omni intentione deberet. Gundegisilus autem cùm has à communione suspensas cum ceteris (vt diximus) reliquisset Episcopis, Epistolam ex suo fratrúmque præsentium nomine conscripsit ad Sacerdotes illos, qui tunc cum Rege Guntchramno fuerant adgregati. à quibus hæc Rescripta suscepit.

* Ecolisinensi.

EXEMPLAR RESCRIPTI.

„ Domnis semper suis atque Apostolica Sede dignissimis, Gundegisilo, Nica„ sio, & Saffario; Ætherius, Siagrius, Aunacharius, Hesychius, Agrœcola, Vr„ bicus, Felix, Veranus, item Felix, & Bertchramnus Episcopi. Literas vestræ C
„ Beatitudinis quantum referante nuncio de vestra sospitate gauisi excepimus,
„ tantùm de iniuria, quam vos pertulisse signastis, non modico mœrore adstrin„ gimur, dum & regula transcenditur, & nulla reuerentia religioni seruatur. Sed
„ quia indicastis Monachas, quæ de Monasterio bonæ memoriæ Radegundis, in„ stigante diabolo, fuerunt digressæ, quòd nullam à vobis acquieuerint correctio„ nem audire, nec infra Monasterij sui septa, de quo egressæ fuerant, voluissent
„ reuerti. Insuper Basilicæ domni Hilarij per cædes vestras, vestrorúmque, iniu„ riam intulisse. Quapropter ipsas à communionis gratia visi fueritis suspendere,
„ ac per hoc nostram exinde mediocritatem elegistis consulere. Igitur quia optimè
„ vos nouimus statuta Canonum percurrisse, ac Regulæ plenitudinem continere,
„ vt qui in talibus excessibus videntur deprehendi, non solùm excommunicatio„ ne, verumetiam pœnitentiæ satisfactione debeant coerceri: ea de re addentes
„ cum venerationis cultu summæ auiditatis dilectionis instinctum, indicamus ea
„ quæ definistis nos concordanter vestræ sententiæ consentire, quoadusque in Sy„ nodali Concilio Calendis Nouembribus pariter positi debeamus consilio pari tra„ ctare, qualiter talium temeritas frenum districtionis possit accipere, vt deinceps
„ nulli liceat sub hunc lapsum faciente iactantia similia perpetrare. Attamen quia

nos

A nos sua dictione domnus Paulus Apostolus indesinenter videtur monere, vt opportunè inopportunéque debeamus quoscumque excedentes sedula prædicatione corrigere, & pietatem protestatur ad omnia vtilem esse: ideo suggerimus adhuc, vt oratione assidua Domini misericordiam deprecemini, vt ipse spiritus compunctionis ipsas inflammare dignetur, vt id quod per delictum visæ sunt contraxisse, digna satisfactione pœniteant: vt in Monasterio suo vestra prædicatione animæ, quæ quodammodo perierunt, propitio Christo reuertantur. Vt ille, qui vnam humeris inlatam errantem ouem ad ouile reduxit, & de istarum transgressione quasi adquisito gregi congaudere dignetur. Hoc specialiùs postulantes, vt pro nobis intercessionum vestrarum suffragia indesinenter (vt confidimus) tribuatis. Peculiaris vester Ætherius peccator salutare præsumo. Cliens vester Hesychius reuerenter audeo salutare. Amator vester Siagrius reuerenter saluto. Cultor vester Vrbicus peccator famulanter saluto. Famulus vester Felix salutem præsumo. Venerator vester Veranus Episcopus reuerenter saluto. Humilis vester atque amator Felix audeo salutare. Humilis atque obediens vester Bertchramnus Episcopus salutare præsumo.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

XLIII. Sed & Abbatissa recitauit Epistolam, quam beata Radegundis Episcopis, qui suo tempore erant, dirigi voluit. Cuius nunc iterum ipsa Abbatissa exemplaria ad vicinarum vrbium Sacerdotes direxit. cuius hoc est exemplar.

B

EXEMPLAR EPISTOLÆ.

Domnis sanctis & Apostolica Sede dignissimis in Christo Patribus, omnibus Episcopis, Radegundis peccatrix. Congruæ prouisionis tunc roborabiliter ad effectum tendit exordium, cùm generalibus Patribus, medicis ac pastoribus, ouilis sibi commissi caussa auribus traditur, cuius sensibus commendatur. Quorum participatio de charitate, consilium de potestate, suffragium de oratione ministrare poterit interuentum. Et quoniam olim vinclis laicalibus absoluta, diuina prouidente & inspirante clementia, ad religionis normam visa sum voluntariè duce Christo translata, hæc pronæ mentis studio cogitans etiam de aliarum profectibus, vt adnunciante Domino mea desideria efficerentur, reliquis profutura, instituente atque remunerante præcellentissimo domno Rege Chlothario, Monasterium puellarum Pictaua vrbe constitui: conditúmque quantum mihi munificentia regalis est largita, facta donatione dotaui. Insuper congregationi per me Christo præstante collectæ Regulam, sub qua sancta Cæsaria degit, quam solicitudo beati Cæsarij Antistitis Arelatensis ex institutione sanctorum Patrum conuenienter collegit, adsciui. Cui consentientibus beatissimis & huius ciuitatis, & reliquis Pontificibus, electione etiam nostræ congregationis, domnam & sororem meam Agnetem, quam ab ineunte ætate loco filiæ colui & eduxi, Abbatissam institui, ac me post Deum eius ordinationi regulariter obedituram commisi. Cuique formam Apostolicam obseruantes, tam ego quàm sorores de substantia terrena, quæ possidere videbamur, factis Chartis tradidimus: metu Ananiæ & Sapphiræ, in Monasterio positæ, nihil proprium reseruantes. Sed quoniam incerta sunt humanæ conditionis momenta vel tempora, quippe mundo in finem currente, cùm aliqui magis propriæ quàm diuinæ cupiant voluntati seruire: zelo ducta Dei hâc suggestionis meæ paginam Apostolatus vestri in Christi nomine superstes porrigo vel deuota. Et quia præsens non valui, quasi vestris prouoluta vestigiis, Epistolæ vicarietate prosternor, coniurans per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, ac diem tremendi iudicij, sic repræsentatos vos non tyrannus oppugnet, sed legitimus Rex coronet: vt si casu post meum obitum quæcumque persona, vel loci eiusdem Pontifex, seu potestas Principis, vel alius aliquis (quod nec fieri credimus) congregationem, vel suasu maliuolo, vel impulsu iudiciario perturbare tentauerit, aut Regulam frangere, seu Abbatissam alteram quàm sororem meam Agnetem, quam beatissimi Germani præsentibus suis fratribus benedictio consecrauit, aut ipsa congregatio (quod fieri non potest) habita murmuratione mutare contenderit: vel quasdam dominationes in Monasterio, vel rebus Monasterij quæcumque persona vel Pontifex loci, præter quas antecessores Episcopi, aut alij me superstite habuerunt, nouo priuilegio quicumque adfectare voluerit, aut extra Regulam exinde egredi quis tentauerit, seu de

C

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

rebus quas in me præcellentissimus domnus Chlotharius, vel præcellentissimi A domni Regis filij sui contulerunt: & ego ex eius præceptionis permissu Monasterio tradidi possidendum, & per auctoritates præcellentissimorum domnorum Regum Chariberti, Guntchramni, Chilperici, & Sigiberti, cum sacramenti interpositione, & suarum manuum subscriptionibus obtinui confirmari: aut ex his quæ alij pro animarum suarum remedio, vel sorores ibidem de rebus propriis contulerunt, aliquis Princeps, aut Pontifex, aut potens, aut de sororibus cuiuslibet personæ ausi minuere, aut sibimet ad proprietatem reuocare sacrilego voto contenderit, ita vestram sanctitatem successorúmque vestrorum post Deum pro mea supplicatione & Christi voluntate incurrat: vt sicut prædones & spoliatores pauperum extra gratiam vestram habeantur, nunquam de nostra Regula, vel de rebus Monasterij obsistentibus vobis imminuere valeat aliquid aut mutare. Hoc etiam deprecans, vt cùm Deus prædictam domnam sororem nostram Agnetem de seculo migrare voluerit, illa in loco eius Abbatissa de nostra congregatione debeat ordinari, quæ Deo & ipsi placuerit, custodiens Regulam, & nihil de proposito sanctitatis imminuat. Nam nunquam propria aut cuiuscumque voluntas præcipitet. Quod si (quod absit) contra Dei mandatum & auctoritatem Regum aliquis de suprascriptis conditionibus coram Domino & Sanctis eius precabiliter commendatis agere, aut de persona aut substantia minuenda voluerit, aut memoratæ sorori meæ Agneti Abbatissæ molestias aliquas inferre tentauerit, Dei & sanctæ Crucis & beatæ Mariæ incurrat iudicium, & beatos Confessores Hilarium & B Martinum, quibus post Deum sorores meas tradidi defendendas, ipsos habeat contradictores & persecutores. Te quoque beate Pontifex, successorésque vestros, quos patronos in causa Dei diligenter adscisco, si (quod absit) extiterit qui contra hæc aliquid moliri tentauerit, pro repellendo & confutando Dei hoste, non pigeat ad Regem, quem eo tempore locus iste respexerit, vel ad Pictauam ciuitatem pro re vobis ante Dominum commendata percurrere, & contra aliorum iniustitiam executores & defensores iustitiæ laborare, vt tale nephas nullo modo suis admitti temporibus Rex patiatur Catholicus, nec conuelli permittat quod Dei & mea & Regum ipsorum voluntate firmatum est. Simul etiam Principes, quos Deus pro gubernatione populi post decessum meum superesse præceperit, coniuro per Regem, cuius regni non erit finis, & ad cuius nutum Regna consistunt, qui eis donauit ipsum viuere vel regnare: vt Monasterium, quod ex permissu & solatio domnorum Regum, patris vel aui eorum, construxisse visa sum, & ordinasse regulariter, vel dotasse, sub sua tuitione & sermone vna cum Agnete Abbatissa iubeant gubernare: & à nullo neque sæpè dictam Abbatissam nostram, neque aliquid ad nostrum Monasterium pertinens molestari, aut inquietari, vel exinde imminui, aut aliquid mutari permittant. Sed magis pro Dei intuitu, vna cum domnis Episcopis, ipsi me supplicante coram redemptore gentium, sicut eis commendo, defensari iubeant & muniri: vt in cuius honore Dei famulas protegunt, cum defensore pauperum, & sponso virginum, perpetua liter æterno sociéntur in regno. Illud quoque vos sanctos Pontifices, & præcellentissimos domnos Reges, & vniuersum populum Christianum, coniuro per fidem Catholicam in qua baptizati estis, & Ecclesias quas conseruatis, vt in Basilica, quam in sanctæ Mariæ Dominicæ genitricis honorem cœpimus ædificare, vbi etiam multæ sorores nostræ conditæ sunt in requie, siue perfecta, siue imperfecta, cùm me Deus de hac luce migrare præceperit, corpusculum meum ibi debeat sepeliri. Quòd si quis aliud inde voluerit, aut fieri tentauerit, obtinente cruce Christi, & beata Maria, diuinam vltionem incurrat: & vobis intercurrentibus, in loco ipsius Basilicæ merear cum sororum congregatione obtinere loculum sepulturæ. Et vt hæc supplicatio mea, quam manu propria subscripsi, vt in vniuersalis Ecclesiæ archiuo seruetur, effusis cum lachrimis deprecor, quatenus si contra improbos aliquos necessitas exegerit, vt vestra defensione soror mea Agnes Abbatissa, vel congregatio eius, quo succurri sibi poposcerint, vestræ misericordiæ pia consolatio opem pastorali solicitudine subministret. Nec de me destitutas se proclament, quibus Deus præsidium vestræ gratiæ præparauit. Illud vobis in omnibus ante oculos reuocantes, per ipsum, qui de cruce gloriosa Virginem suam genitricem beato Ioanni Apostolo commendauit, vt

A qualiter ab illo completum est Domini mandatum, sic sit apud vos, indigna & humilis, domnis meis Ecclesiæ Patribus & viris Apostolicis quod commendo. Quod cùm dignanter seruaueritis depositum, meritis participes; cuius impletis mandatum Apostolicum, dignè reparetis exemplum. GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

XLIII. Post hæc Maroueus Episcopus, cùm diuersa improperia ab his audiret, Porcarium Abbatem Basilicæ beati Hilarij ad Gundegisilum Episcopum, & reliquos comprouinciales eius destinat, vt data communione puellis, ad audientiam veniendi licentiam indulgere dignarentur. Sed nequaquam potuit obtinere. Childebertus autem Rex, cùm assiduas de vtraque parte, Monasterij scilicet, vel puellarum quæ egressæ fuerant, molestias pateretur, Theutarium Presbyterum ad dirimendas querimonias, quæ inter easdem agebantur, destinat. Cui prouocatæ Chrodieldis cum reliquis puellis ad audientiam dixerunt: « Non venimus, quia à communione suspensæ sumus. Si reconciliari meremur, tunc ad audientiam venire non differimus. » Hæc audiens ille, ad Episcopos abiit. Cúmque cum his de hac causa locutus fuisset, nullum effectum obtinere potuit de communione earum. & sic ad vrbem Pictauam regressus est. Puellæ verò separatæ ab inuicem, aliæ ad parentes, aliæ ad domos proprias, nonnullæ in hæc Monasteria, in quibus priùs fuerant, sunt regressæ: quia hiemem validam simul positæ propter penuriam ligni tolerare non poterant. Paucæ tamen cum Chrodielde & Basina remanserunt. Erat enim tunc & inter eas magna discordia, pro eo quòd B altera alteri se præponere cupiebat.

XLIV. Eo anno post clausum Pascha, tam immensa cum grandine pluuia fuit, vt infra duarum aut trium horarum spatia etiam per minores vallium meatus ingentia currere flumina viderentur. Arbores in autumno floruerunt, & poma sicut priùs dederant ediderunt. Mense nono rosæ adparuerunt. Flumina verò vltra modum excreuerunt: ita vt excedentia littora loca, quæ nunquam contingere consueta fuerant, operirent, non minimum sationibus inferentia damnum.

EXPLICIT LIBER NONVS.

GREGORII EPISCOPI TVRONENSIS HISTORIAE FRANCORVM LIBER DECIMVS.

C

CAPITVLA LIBRI.

I. ANNO igitur quintodecimo Childeberti Regis, Diaconus noster ab vrbe Roma cum Sanctorum pigneribus veniens, sic retulit, quòd anno superiore mense nono tanta inundatione Tyberis fluuius vrbem Romam obtexit, vt ædes antiquæ diruerentur: horrea etiam Ecclesiæ subuersa sint, in quibus nonnulla millia modiorum tritici periere. Multitudo etiam serpentium cum magno dracone, in modum trabis validæ, per huius fluuij alueum in mare descendit. Sed suffocatæ bestiæ inter salsos maris turbidi fluctus, littori eiectæ sunt. Subsecuta est de vestigio clades, quam inguinariam vocant. Nam medio mense XI. adueniens, primum omnium, iuxta illud quod in Ezechiele Propheta legitur, *A sanctuario meo incipite*, Pelagium Papam perculit. Quo defuncto, magna strages populi de hoc morbo facta est. Sed quia Ecclesia Dei absque rectore esse non poterat, Gregorium Diaconum plebs omnis elegit. Hic enim de Senatoribus primis, ab adolescentia deuotus Deo, in rebus propriis sex in Sicilia Monasteria congregauit. Septimum intra vrbis Romæ muros instituit. Quibus tantam delegans terrarum copiam, quanta ad victum quotidianum præbendum sufficeret, reliqua vendidit cum omni præsidio domus, ac pauperibus erogauit: & qui ante serico contextu ac gemmis micantibus solitus erat per vrbem procedere trabeatus, nunc vili contectus vestitu, ad altaris Dominici ministerium consecratur. septimúsque Leuita ad adiutorium Papæ adsciscitur. Tantáque ei abstinentia in cibis, vigilantia in orationibus, strenuitas in ieiuniis erat, vt infirmato stomacho vix consistere posset. Literis Grammaticis, Dialecticisque ac Rhetoricis ita erat institutus, vt nulli in Vrbe ipsa putaretur esse secundus. Hunc apicem adtentiùs fugere tentans, ne quod prius abiecerat, rursum ei in seculo de adepto honore iactantia quædam subreperet. Vnde factum est, vt Epistolam ad Imperatorem Mauricium dirigeret, cuius filium ex lauacro sancto susceperat: coniurans, & multa prece poscens, ne vnquam consensum præberet populis, vt hunc huius honoris gloria sublimaret. Sed Præfectus vrbis Romæ germanus eius anticipauit nuncium, & comprehenso disruptis Epistolis consensu quem populus fecerat, Imperatori direxit. At ille gratias Deo agens pro amicitia Diaconi, quòd reperisset locum honoris eius, data præceptione ipsum iussit institui. Cúmque in hoc restaret vt benediceretur, & lues populum deuastaret, verbum ad plebem pro » agenda pœnitentia in hunc modum exorsus est: Oportet, fratres dilectissimi, » vt flagella Dei quæ metuere ventura debuimus, saltem præsentia & experta ti- » meamus. Conuersionis nobis aditum dolor aperiat, & cordis nostri duritiam ip- » sa, quam patimur, pœna dissoluat. Vt enim Propheta teste prædictum est, Per- » uenit gladius vsque ad animam. Ecce etenim cuncta plebs cœlestis iræ mucrone » percutitur, & repentina singuli cæde vastantur: nec languor mortem præuenit, » sed languoris moras, (vt cernitis) mors præcurrit. Percussus quisque antè rapi- » tur, quàm ad lamenta pœnitentiæ conuertatur. Pensate ergo, qualis ad conspe- B C

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

A ctum districti Iudicis peruenit, cui non vacat flere quod fecit. Habitatores quique non ex parte subtrahuntur, sed pariter corruunt: domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes aspiciunt, & sui eos ad interitum hæredes præcedunt. Vnusquisque ergo nostrûm ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percussionem vacat. Reuocemus ante oculos mentis quicquid errando commisimus, & quod nequiter egimus flendo puniamus. Præueniamus faciem eius in confessione, & sicut Propheta ammonet, leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum. Ad Deum quippe corda cum manibus leuare est, orationis nostræ studium merito bonæ operationis erigere. Dat profectò, dat tremori nostro fiduciam, qui per Prophetam clamat: *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.* Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate desperet. Veternosas namque Niniuitarum culpas triduana pœnitentia abstersit: & conuersus latro vitæ præmia etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit. Mutemus igitur corda, & præsumamus nos iam percepisse quod petimus. Citiùs ad precem Iudex flectitur, si à prauitate sua petitor corrigatur. Imminente ergo tantæ animaduersionis gladio, nos importunis fletibus insistamus. Ea namque, quæ ingrata esse hominibus importunitas solet, iudicio veritatis placet: quia pius ac misericors Deus vult à se precibus veniam exigi, qui quantum meremur non vult irasci. Hic etenim per Psalmistam dicit; *Inuoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & magnificabis me.* Ipse ergo sibi testis est, quia inuo-B cantibus misereri desiderat, qui ammonet vt inuocetur. Proinde, fratres charissimi, contrito corde, & correctis operibus, ab ipso feriæ quartæ primo diluculo, septiformem Letaniam iuxta distributionem inferiùs designatam, deuota ad lachrimas mente veniamus, vt districtus Iudex cùm ob culpas nostras nos punire considerat, ipse à sententia proposita damnationis parcat. Clerus igitur egrediatur ab Ecclesia sanctorum Martyrum Cosmæ & Damiani, cum Presbyteris regionis sextæ. Omnes verò Abbates cum Monachis suis, ab Ecclesia sanctorum Martyrum Geruasij & Protasij, cum Presbyteris regionis quartæ. Omnes Abbatissæ cum congregationibus suis egrediantur ab Ecclesia sanctorum Martyrum Marcellini & Petri, cum Presbyteris regionis primæ. Omnes infantes, ab Ecclesia sanctorum Martyrum Ioannis & Pauli, cum Presbyteris regionis secundæ. Omnes verò laici, ab Ecclesia sancti protomartyris Stephani, cum Presbyteris regionis septimæ. Omnes mulieres viduæ, ab Ecclesia sanctæ Eufemiæ, cum Presbyteris regionis quintæ. Omnes autem mulieres coniugatæ egrediantur ab Ecclesia sancti Martyris Clementis, cum Presbyteris regionis tertiæ. Vt de singulis Ecclesiis exeuntes cum precibus ac lachrimis, ad beatæ Mariæ semper virginis genitricis Domini Dei nostri Iesu Christi Basilicam congregemur, vt ibi diutiùs cum fletu ac gemitu Domino supplicantes, peccatorum nostrorum veniam promereri valeamus. Hæc eo dicente, congregatis Clericorum cateruis, psallere iussit per triduum, ac deprecari Domini misericordiam. De hora quo-D que tertia veniebant vtrique chori psallentium ad Ecclesiam, clamantes per plateas vrbis, *Kyrie eleison.* Adserebat autem Diaconus noster qui aderat, in vnius horæ spacio dum voces plebs ad Dominum supplicationis emisit, octoginta homines ad terram corruisse, & spiritum exhalasse. Sed non destitit Sacerdos tantus prædicare populo, ne ab oratione cessarent. Ab hoc etiam Diaconus noster reliquias Sanctorum (vt diximus) sumpsit, dum adhuc in Diaconatu degeret. Cúmque latibula fugæ prępararet, capitur, trahitur, & ad beati Apostoli Petri Basilicam deducitur, ibique ad Pontificalis gratiæ officium consecratus Papa vrbi datus est. Sed nec destitit Diaconus noster, nisi ad Episcopatum eius de Porto rediret, & qualiter ordinatus fuerit, præsenti contemplatione susciperet.

II. GRIPPO autem ab Imperatore Mauritio rediens, hæc nunciauit, quòd anno superiore cùm adepto nauigio cum sociis suis Africæ portum adtigisset, Carthaginem magnam ingressi sunt. Vbi dum morarentur, iussionem opperientes Præfecti qui aderant, qualiter Imperatoris præsentiam adire deberent, vnus puerorum Euantij scilicet, qui cum eodem abierat, direptam speciem de manu cuiusdam negociatoris ad metatum detulit. Quem ille prosecutus cuius res erant, reddi sibi rem propriam flagitabat. Sed isto differente, cùm de die in diem hoc

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

iurgium in maius propagaretur, quadam die negociator puerum illum in platea A reperit, adprehensóque vestimento eius, tenere cœpit dicens: Quia non à me laxaberis, priusquam res, quas violenter diripuisti, meæ ditioni restituas. At ille excutere se de eius manibus conatus, non dubitauit erepto gladio hominem trucidare. Et statim ad metatum regressus est, nec aperuit sociis quæ gesta fuerant. Erant enim ibi tunc (vt diximus) Legati Bodegisilus filius Mummoleni Suessionici, & Euantius filius Dinamij Arelatensis, & hic Grippo genere Francus. Qui eleuantes de epulo, sopori se dederant pro quiete. Quare cùm Seniori vrbis nunciata fuissent quæ puer horum gesserat, collectis militibus, vel omni populo armis circumdato, ad metatum eorum dirigit. At illi inopinantes expergefacti, obstupescunt, cernentes hæc quæ gerebantur. Tunc ille, qui prior erat, exclamabat dicens: Arma deponite, & ad nos egredimini, vt cognoscamus pacificè, qualiter homicidium factum est. Hæc illi audientes, timore perterriti, adhuc ignorantes quæ gesta fuerant, fidem expetunt, vt securi sine armis egrederentur. Iurauerunt homines illi, quod custodire impatientia non permisit. Sed mox egredientem Bodegisilum gladio percutiunt, similiter & Euantium. Quibus ante ostium metatus prostratis, Grippo arreptis armis, cum pueris qui secum erant processit ad eos, dicens: Quæ gesta fuerunt, nos ignoramus: & ecce socij itineris mei, qui ad Imperatorem directi fuerant, gladio sunt prostrati. Iudicabit Deus iniuriam nostram, & mortem illorum de interitu vestro, quia nos innocentes & in pace venientes taliter trucidatis, nec vltra erit pax inter Reges nostros, Imperatorémque vestrum. Nos enim pro pace venimus, & pro adiutorio Reipublicæ impertiendo. Testem hodie inuoco Deum, quia vestra excitauit noxa, vt non custodiatur inter Principes pax promissa. Hæc & huiuscemodi Grippone verba proferente, soluto Carthaginensis belli procinctu, regressus est vnusquisque ad propria. Præfectus verò ad Gripponem accedens, mulcere cœpit animos eius de iis quæ gesta fuerant, ordinans qualiter ad præsentiam Imperatoris accederet. Qui veniens, narrata Legatione, pro qua directus fuerat, exitium sociorum exposuit. Qua de causa Imperator valde molestus, pollicitus est vlcisci mortem eorum iuxta id quod Childeberti Regis iudicium promulgaret. Tunc ab Imperatore muneratus, cum pace regressus est. B

III. His à Grippone Childeberto Regi relatis, confestim exercitum in Italiam commoueri iubet, ac XX. Duces ad Langobardorum gentem debellandam dirigit. Quorum nomina non putaui lectioni ex ordine necessariò inserenda. Audoualdus verò Dux cum Vinthrione *, commoto Campaniæ populo, cùm ad Metensem vrbem, quæ ei in itinere sita erat, accessisset, tantas prædas, tantáque homicidia ac cædes perpetrauit, vt hostem propriæ regioni putaretur inferre. Sed & alij quoque Duces similiter cum phalangis suis fecere, ita vt priùs regionem propriam aut populum commanentem adficerent, quàm quiddam victoriæ de inimica gente patrarent. Adpropinquantes autem ad terminum Italiæ, Audoualdus cum sex Ducibus dexteram petiit, atque ad Mediolanensem vrbem C aduenit. ibique eminus in campestria castra posuerunt. Olo autem Dux ad Bilitionem huius vrbis castrum, in campis situm Caninis, importunè accedens, iaculo sub papilla sauciatus, cecidit & mortuus est. Hi autem cùm egressi fuissent in prædam, vt aliquid victus adquirerent, à Langobardis inruentibus passim per loca prosternebantur. Erat autem stagnum quoddam in ipso Mediolanensis vrbis territorio, quod Coresium vocitant, ex quo paruus quidam fluuius, sed profundus egreditur. Super huius laci litus Langobardos residere audierant. Ad quem cùm adpropinquassent, priusquam flumen, quod diximus, transirent, à littore illo vnus Langobardorum stans loricâ protectus & galea, contum manu gestans, vocem dedit contra Francorum exercitum, dicens: Hodie adparebit, cui Diuinitas obtinere victoriam præstet. Vnde intelligi datur, hoc signum sibi Langobardos præparauisse. Tunc pauci transeuntes contra Langobardum hunc decertantes, prostrauerunt eum. & ecce omnis exercitus Langobardorum in fugam versus præteriit. Hi quoque transeuntes flumen, nullum de iis reperiunt, nisi tantum recognoscentes adparatum castrorum, vbi vel focos habuerant, vel tentoria fixerant. Cúmque nullum de iis deprehendissent, ad castra sua regressi sunt. Ibique ad eos Imperatoris Legati venerunt, nunciantes adesse exercitum

* al. Victrione,

GVNTCHRAMNVS. CHILDIBERTVS. CHLOTHARIVS II.

A in solatium eorum, dicentésque. Quia post triduum cum eisdem veniemus: & hoc vobis erit signum. Cùm videritis villæ huius, quæ in monte sita est, domus incendio concremari, & fumum incendij ad cœlos vsque sustolli, noueritis nos cum exercitu quem pollicemur adesse. Sed expectantes, iuxta placitum, dies sex, nullum ex iis venisse contemplati sunt. Chedinus autem cum tredecim Ducibus læuam Italiæ ingressus, quinque castella cepit, à quibus etiam sacramenta exegit. Morbus etiam dysenteriæ grauiter exercitum adficiebat, eo quòd aëres incongrui insuetique hominibus essent, ex quo plerique interierunt. Commoto autem vento, & data pluuia, cùm paulisper refrigescere aër cœpit, in infirmitate salubritatem contulit. Quid plura? per tres ferè menses Italiam peruagantes, cùm nihil proficerent, neque se de inimicis vlcisci possent, eo quòd se in locis communissent firmissimis: neque Regem capere, de quo vltio fieret, qui se infra Ticinenses munierat muros; infirmatus (vt diximus) aërum intemperantia exercitus, ac fame adtritus, redire ad propria destinauit. Subdens etiam illud, acceptis sacramentis, Regis ditionibus, quod pater eius priùs habuerat. De quibus locis & captiuos, & alias abduxere prædas. Et sic regredientes ita fame conficiebantur, vt priùs & arma & vestimenta ad coemendum victum demerent, quàm locum genitalem contingerent. At Aptacharius Langobardorum Rex Legationem ad Guntchramnum Regem cum huiuscemodi verbis direxit: Nos, piissime Rex, subiecti atque fides vobis gentique vestræ, sicut « B patribus vestris fuimus, & esse desideramus: nec discedimus à sacramento quod « prædecessores nostri vestris prædecessoribus iurauerunt. Nunc autem desistite « à persecutione nostra, & sit pax nobis & concordia, vt vbi necessarium fuerit « contra inimicos auxilium præbeamus: vt vestra scilicet nostráque gente saluata, « ac nos pacificos cognoscentes, terreantur magis aduersarij qui in circuitu obstrepunt, « de amicitia, quàm de nostra discordia gratulentur. Pacificè hæc Guntchramnus Rex verba suscepit, misitque eos ad nepotem suum Childebertum Regem. Dum autem his narratis in loco commorarentur, venerunt alij: qui mortuum Aptacharium Regem nunciantes, Paulúmque in loco eius substitutum, eiusmodi verba, quæ suprà diximus, deferentes. Sed Childebertus Rex placitum cum eisdem ponens, vt quid ei in posterum conueniret, enunciaret, eos abscedere iussit.

IV. MAVRITIVS autem Carthaginenses illos, qui Legatos Childeberti Regis anno superiore interemerant, vinctos manibus, catenísque oneratos, ad eius direxit præsentiam: duodecim scilicet numero viros, sub ea videlicet conditione, vt si eos interficere velit, haberet licentiam: sin autem ad redimendum laxaret, trecentis pro vnoquoque acceptis aureis quiesceret. Sícque vt quod vellet eligeret, quo facilius sopito scandalo, nulla occasio inter ipsos inimicitiæ oriretur. Sed Rex Childebertus differens homines vinctos accipere, ait: Incertum apud nos habetur, « vtrum ij sint homicidæ illi quos adducitis, an alij, vel fortassis serui cuiuscun- « que habentur, cùm nostri benè ingenui generatione fuerint, qui apud vos fuerunt « C interempti. Præsertim & Grippo adstabat, qui eo tempore Legatus cum eisdem « fuerat missus, qui interfecti sunt, ac dicebat: Quia Præfectus vrbis illius cum col- « lectis duobus aut tribus hominum inruit super nos, interemítque socios meos: in « quo excidio & ego ipse interissem, si me viriliter defendere nequiuissem. Acce- « dens autem ad locum, homines agnoscere potero: de quibus si Imperator vester « (vt dicitis) nostro cum Domino pacem custodire deliberat, vltionem exigere de- « bet. Et sic dato Rex placito, vt post eos ad Imperatorem dirigeret, ipsos abscedere iubet.

V. HIS autem diebus Cuppa, qui quondam Comes stabuli Chilperici Regis fuerat, inrupto Turonicæ vrbis termino, pecora reliquásque res, quasi prædam exercens, diripere voluit. Sed cùm hoc incolæ præsensissent, collecta multitudine eum sequi cœperunt. Excussáque præda, duobus ex pueris eius interfectis, hic nudus aufugit, aliis duobus pueris captis: quos vinctos, ad Childebertum Regem transmiserunt. Quos ille in carcerem coniici iubens, interrogare præcepit, cuius auxilio Cuppa ereptus fuisset, vt ab iis non comprehenderetur qui sequebantur? Responderunt, hoc Animodi Vicarij dolo, qui pagum illum iudiciaria regebat potestate, factum fuisse. Protinúsque directis Rex literis ad Comitem vrbis, iubet

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

vt eum vinctum in præsentiam Regis dirigeret. Quòd si resistere conaretur, vi A obpressum etiam interficeret, si Principis gratiam cupiebat adquirere. Sed ille non resistens, datis fideiussoribus, quo iussus est abiit. Repertúmque Flauianum domesticum causatus cum socio, nec noxialis inuentus, pacificatus cum eodem, redire ad propria iussus est, datis tamen domestico illi muneribus priùs. Ipse quoque Cuppa iterum commotis quibusdam de suis, filiam Badegisili quondam Cenomannensis Episcopi diripere sibi in matrimonium voluit. Inruens autem nocte cum cuneo sociorum in villa Maroialensi, vt voluntatem suam expleret, præsensit eum, dolúmque eius Magnatrudis materfamilias, genitrix scilicet puellæ. Egressáque cum famulis contra eum, vi repulit, cæsis plerisque ex illis. vnde non sine pudore discessum est.

VI. APVD Aruernos verò vincti carceris, nocte nutu Dei disruptis vinculis, reseratisque aditibus custodiæ, egressi, Ecclesiam ingressi sunt. Quibus cùm Eulalius Comes onera catenarum addi iussisset, vt super eos posita, extemplo ceu vitrum fragile comminuta sunt. Et sic obtinente Auito Pontifice eruti, propriæ sunt redditi libertati.

VII. IN supradicta verò vrbe Childebertus Rex omne tributum tam Ecclesiis quàm Monasteriis, vel reliquis Clericis, qui ad Ecclesiam pertinere videbantur, aut quicunque Ecclesiæ officium excolebant, larga pietate concessit. Multum B enim iam exactores huius tributi expoliati erant, eo quòd per longum tempus & succedentium generationes, ac diuisis in multas partes ipsis possessionibus, colligi vix poterat hoc tributum. Quod hic, Deo inspirante, ita præcepit emendari, vt quod super hæc fisco deberetur, nec exactorem damna percuterent, nec Ecclesiæ cultorem tarditas de officio aliqua reuocaret.

VIII. IN confinio verò termini Aruerni, Gabalitani, atque Ruteni, Synodus Episcoporum facta est contra Tetradiam relictam quondam Desiderij, eò quod repeteret ab ea Eulalius Comes res, quas ab eo fugiens secum tulisset. Sed hanc causam, vel qualiter Eulalium reliquerit, vel quemadmodum ad Desiderium confugerit, altius memorandum putaui. Eulalius autem, vt iuuenilis ætas habet, agebat quæpiam inrationabiliter. Vnde factum est, vt à matre sæpiùs increpitus, haberet in eam odium quam amare debuerat. Denique cùm in Oratorio domus suæ hæc in oratione frequenter incumberet, & nocturnas vigilias persæpè dormientibus famulis in oratione cum lachrimis expleret, in cilicio quo orabat suggillata reperitur. Sed nescientibus cunctis, quis hæc fecisset, crimen tamen parricidij refertur ad filium. Hæc cùm Cautinus Episcopus Aruernæ vrbis comperisset, eum à communione submouit. Conuenientibus autem ciuibus cum Sacerdote ad festiuitatem beati Martyris Iuliani, ad pedes Episcopi Eulalius ille prosternitur, querens se inauditum à communione remotum. Tunc Episcopus permisit eum cum ceteris Missarum spectare solennia. Verùm vbi ad communicandum ventum est, & Eulalius ad altarium accessisset, ait Episcopus: „ Rumor populi „ parricidam te proclamat esse. Ego verò vtrum perpetraueris hoc scelus, an non, C „ ignoro. Idcirco in Dei hoc & beati Martyris Iuliani statuo iudicio. Tu verò si ido- „ neus es, vt adseris, accede propiùs, & sume tibi Eucharistiæ particulam, atque „ impone ori tuo. Erit enim Deus respector conscientiæ tuæ. At ille accepta Eucharistia, communicans abscessit. Habebat enim vxorem Tetradiam nobilem ex matre, patre inferiorem. Sed cùm in domo sua vir ancillarum concubitu misceretur, coniugem negligere cœpit: & cùm ab scorto reuerteretur, grauissimis eam plagis sæpiùs adficiebat. Sed & pro multis sceleribus debita nonnulla contraxerat, in quibus ornamenta & aurum vxoris sæpissimè euertebat. Denique inter has angustias mulier conlocata, cùm honorem omnem, quem in domo viri habuerat, perdidisset, & ille abisset ad Regem, hæc à Viro * (sic enim erat nomen hominis) mariti sui nepote concupiscitur, scilicet vt quia ille perdiderat coniugem, huius matrimonio iungeretur. Virus autem timens inimicitias auunculi, mulierem Desiderio Duci transmisit, videlicet vt succedente tempore copularetur ei quæ omnem substantiam viri sui, tam in auro quàm in argento, & vestimentis, & quæ moueri poterant, cum seniore filio secum sustulit, relicto in domo alio iuniore. Rediens verò Eulalius ex itinere, comperit quæ acciderant. Sed cùm mitigato dolore paululùm quieuisset, super Virum nepotem suum in-

* al. Vero

A ruit, eúmque inter arcta vallium Aruernarum interemit. Audiens autem Desiderius, qui & ipse vxorem nuper perdiderat, quòd scilicet Virus interfectus fuisset, coniugio suo Tetradiam sociauit. Eulalius verò puellam de Monasterio Lugdunensi diripuit, eámque accepit. Sed concubinæ eius instigante (vt quidam adserunt) inuidia, maleficiis sensum eius oppilauerunt. Post multum verò temporis, Eulalius Emerium huius puellæ consobrinum clam adpetiit, occiditque. Similiter Socratium fratrem sororis suæ, quem pater ex concubina habuerat, interemit. Et alia multa mala fecit, quæ enarrare perlongum est. Ioannes filius eius, qui cum sua discesserat genetrice, à domo Desiderij dilapsus, Aruernum venit. Cúmque iam Innocentius Episcopatum Rutenæ vrbis ambisset, mandatum ei mittit Eulalius, vt res, quæ ipsi in huius ciuitatis territorio debebantur, per huius auxilium recipere posset. Sed Innocentius ait; Si de filiis tuis vnum accipio, quem " Clericum factum in solatio meo retineam, faciam quæ precaris. At ille trans- " misit puerum Ioannem, recepítque res suas. Susceptóque Innocentius Episcopus puero, totondit comam capitis eius, dedítque eum Archidiacono Ecclesiæ suæ. Qui in tanta se abstinentia subdidit, vt pro tritico hordeum sumeret, pro vino aquam hauriret, & pro equo asino vteretur, vestimenta vilissima habens. Igitur coniunctis (vt diximus) Sacerdotibus & viris magnificis in confinio supradictarum vrbium; Tetradia ab Agino repræsentatur, atque Eulalius contra eam
B causaturus accessit. Cúmque res, quas de eius, abiens ad Desiderium, domo abstulerat, inquireret, iudicatum est, Tetradia vt quadrupla satisfactione ablata restitueret, filiósque, quos de Desiderio conceperat, incertos haberi. Illud etiam ordinantes, vt si hæc quæ Eulalio est iussa dissolueret, accedendi in Aruernum licentia præberetur, rebúsque suis quæ ei ex paterna successione euenerant, absque calumnia frueretur. quod ita & factum est.

IX. DVM hæc agerentur, & Britanni circa vrbes, Namneticam vtique & Redonicam, valde sæuirent, Guntchramnus Rex exercitum contra eos commoueri iussit. In quorum capite Beppolenum & Ebracharium Duces delegit. Sed Ebracharius suspectus, quòd si victoria cum Beppoleno patraretur, ipse Ducatum eius adquireret, inimicitias cum eodem connectit, ac per viam totam se blasphemiis, conuiciis, atque maledictionibus lacessunt. Verùm per viam qua abierunt, incendia, homicidia, spolia, ac multa scelera egerunt. Interea venerunt Vicinoniam amnem. Quo transmisso, ad Vldam fluuium peruenerunt: ibique dissipatis vicinitatis casis, pontes desuper statuunt. sicque exercitus omnis transiuit. Coniunctus enim fuerat eo tempore Beppoleno Presbyter quidam, dicens: Si se- " cutus me fueris, ego te vsque Vuarocum ducam, ac Britannos tibi in vnum col- " lectos ostendam. Fredegundis enim cùm audiisset, quòd in hoc procinctu Beppolenus abiret, quia ei iam ex anteriore tempore inuisus erat, Baiocassinos Saxones,
C iuxta ritum Britannorum tonsos, atque cultu vestimenti compositos, in solatium Vuaroci abire præcepit. Adueniente autem Beppoleno, cum iis qui eum sequi voluerunt certamen iniit, multósque per biduum de Britannis ac Saxonibus suprascriptis interemit. Recesserat enim ab eo Ebracharius cum maiori manu, nec ad eum accedere voluit, donec interemptum audiret. Die autem tertio, cùm iam qui cùm eo erant interficerentur, atque ipse sauciatus lanceâ repugnaret, inruentibus super eum Vuaroco cum supradictis, interfecerunt eum. Incluserat enim eos inter angustias viarum atque paludes: in quibus magis luto necti, quàm gladio trucidati sunt. Ebracharius verò vsque Venetos vrbem accessit. Miserat enim ad eum obuiam Episcopus Regalis Clericos suos cum crucibus & psallentio, qui eos vsque ad vrbem deduxerunt. Ferebant etiam quidam eo tempore, quòd Vuarocus in insulas fugere cupiens cum nauibus oneratis auro argentóque & reliquis rebus eius, cùm alta maris cepisset, commotò vento, demersis nauibus, res quas imposuerat perdidisset: tamen ad Ebracharium veniens, pacem petiit, obsidésque cum multis muneribus tradidit, promittens se nunquam contra vtilitatem Guntchramni Regis esse venturum. Quo recedente, & Regalis Episcopus cum Clericis & pagensibus vrbis suæ similia sacramenta dedit, dicens: Quia " nihil nos dominis nostris Regibus culpabiles sumus, nec vnquam contra vti- " litatem eorum superbi extitimus: sed in captiuitate Britannorum positi, graui " iugo subditi sumus. Pace igitur celebrata inter Vuarocum atque Ebracharium, "

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

dixit Vuarocus: Discedite nunc & renunciate, quia omnia quæ iusserit Rex sponte A implere curabo. Quod vt pleniùs credere debeatis, nepotem meum obsidem tribuam. Et ita fecit. Cessatúmque est ab illo. Veruntamen multitudo magna sicut de regali exercitu, ita & de Britannis cæsa est. Egrediente autem exercitu à Britanniis, ac transeuntibus amnem robustioribus, inferiores & pauperes, qui cum his erant, simul transire non potuerunt. Cúmque in littus illud Vicinoniæ amnis restitissent, Vuarocus oblitus sacramenti, atque obsidum quos dederat, misit Canaonem filium suum cum exercitu, adprehensisque viris, quos in littore illo reperit, vinculis alligat, resistentes interficit: nonnullis, qui cum caballis torrentem transmeare voluerunt, ab ipsius torrentis impetu in mare deiectis. Dimissi sunt postea multi à coniuge Vuaroci cum cereis & tabulis quasi liberi, & ad propria sunt regressi. Exercitus verò ipsius, qui priùs transierat, metuens per viam illam qua venerat regredi, ne forte mala quæ fecerat pateretur, ad Andegauam vrbem dirigit, Meduanæ torrentis expetens pontem. Sed parua quæ priùs transiit manus, ad ipsum quem præfati sumus pontem, spoliati, cæsi, & ad omne dedecus sunt redacti. Per Turonicum verò transeuntes, prædas agentes, multos expoliauerunt. Inopinantes enim repererant incolas loci. Multi tamen de hoc exercitu ad Guntchramnum Regem cesserunt, dicentes, quia Ebracharius Dux ac Vuiliacharius Comes accepta pecunia ab Vuaroco, exercitum perire fecissent. Qua de causa Ebracharius præsentatus, multum conuiciis actus à Rege, à præsentia eius discedere iussus est, Vuiliachario Comite per fugas latitante.

X. ANNO igitur XV. Childeberti Regis, qui est Guntchramni nonus atque vicesimus, dum ipse Guntchramnus Rex per Vosagum siluam venationem exerceret, vestigia occisi bubali deprehendit. Cúmque custodem siluæ arctiùs distringeret, quis hæc in regali silua gerere præsumpsisset, Chundonem Cubicularium Regis prodidit. Quo hæc loquente, iussit eum adprehendi, & Cabillonum compactum in vinculis duci. Cúmque vterque in præsentia Regis intenderent, & Chundo diceret, nunquam à se hæc præsumpta quæ obiiciebantur, Rex campum diiudicat. Tunc Cubicularius ille dato nepote pro se, qui hoc certamen adiret, in campo vterque steterunt: iactáque puer ille lancea super custodem siluæ, pedem eius transfixit, móxque resupinus ruit. Puer verò extracto cultro, qui de cingulo dependebat, dum collum ruentis incidere tentat, cultro sauciati ventre transfoditur: ceciderúntque ambo, & mortui sunt. Quod videns Chundo, ad Basilicam sancti Marcelli fugam iniit. Adclamante verò Rege, vt comprehenderetur, priusquam limen sanctum adtingeret, comprehensus est, vinctúsque ad stipitem lapidibus est obrutus. Multum se ex hoc deinceps Rex pœnitens, vt sic eum ira præcipitem reddidisset, vt pro paruulæ causæ noxa fidelem sibique necessarium virum, tam celeriter interemisset. B

XI. CHLOTHARIVS verò Chilperici quondam Regis filius grauiter ægrotauit, & intantum desperatus est habitus, vt Regi Guntchramno obitus eius fuisset nunciatus. Vnde factum est, vt egrediens de Cabillono, quasi Parisius accedere cupiens, vsque ad terminos Senonicæ vrbis accederet. Sed cùm audisset conualuisse puerum, de itinere est regressus. Sed cùm eum Fredegundis eius mater desperatum vidisset, multum pecuniæ ad Basilicam sancti Martini vouit: & sic puer melius agere visus est. Sed & ad Vuarocum nuncios dirigit, vt qui adhuc in Britanniis de exercitu Guntchramni Regis retinebantur, pro huius vita absoluerentur. quod ita Vuarocus impleuit. Vnde manifestatum est, huius mulieris conludio, & Beppolenum interfectum esse, & exercitum fuisse conlisum. C

Sup. l. 9. c. 33. XII. INGELTRVDIS verò Religiosa, quæ (vt in superioribus Libris exposuimus) in atrio sancti Martini puellarum Monasterium collocauit, cùm ægrotare cœpisset, neptem suam Abbatissam instituit. Vnde reliqua congregatio maximè murmurauit. Sed nobis increpantibus, cessauit à iurgio. Hæc verò cum filia discordiam tenens, pro eò quod res suas ei abstulerat, obsecrauit, vt neque in Monasterio quod instituit, neque super sepulchrum eius permitteretur orare. Quæ octogesimo (vt opinor) anno vitæ obiit, sepultáque est VII. Idus mensis primi. Sed veniens filia eius Berthegundis Turonis, cùm non fuisset excepta, ad Childebertum Regem abiit, postulans vt ei liceret in locum matris suæ Monasterium regere. Rex verò oblitus iudicij, quod matri eius fecerat, huic aliam præce-

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

A ptionem manus suæ roboratam subscriptione largitus est, hæc continentem: Vt res omnes, quas mater vel pater eius habuerant, suo dominio subiugaret, & quicquid Monasterio Ingeltrudis reliquerat auferretur. Cum quo præcepto veniens, ita cunctam supellectilem Monasterij abstulit, vt nihil infra præter vacuos relinqueret parietes, colligens secum diuersorum criminum reos, atque in seditionibus præparatos: qui, si quid erat de villabus reliquis, quod deuoti dederant, fructum auferrent. Tantaque ibi mala gessit, quæ vix ex ordine possent narrari. Hæc verò, acceptis his rebus quas diximus, in Pictauum rediit, multa in Abbatissam crimina vomens falsa, quæ parens eius proxima habebatur.

XIII. HIS autem diebus extitit quidam de Presbyteris nostris, Saducææ malignitatis infectus veneno, dicens, non esse futuram Resurrectionem. Cúmque nos eam sacris literis prædictam, & Apostolicæ traditionis auctoritate monstratam adfirmaremus, respondit: Manifestum est hoc celebre ferri, sed certi non sumus, vtrum sit, an non, præsertim cùm Dominus iratus primo homini, quem manu sacra plasmauerat, dixerit: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Quid ad hæc respondebitis, qui resurrectionem futuram prædicatis? cùm in puluerem redactum hominem resurgere vlteriùs diuinitas non promittat? Cui ego: Quid de hac causa vel ipsius Domini & Redemptoris nostri, vel Patrum prædecessorum verba loquantur, nullum Catholicorum nescire reor. Nam in Genesi cùm Patres obi-B rent, aiebat Dominus, *Tu autem congregaberis ad populum tuum, sepultus in senectute bona.* Et ad Cain dicitur, *Quia vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Vnde liquidò adparet, viuere animas post regressum corporis, atque resurrectionem futuram intentis vultibus præstolari. Sed & de Iob scriptum est, quia *resurrecturus est in resurrectione mortuorum.* Et Propheta Dauid, licèt ex persona Domini, tamen resurrectionem præuidens ait: *Nunquid qui dormit, non adiiciet vt resurgat?* hoc est, qui mortis somno obprimitur, non est venturus ad resurrectionem? Et Esaias, quòd de sepulchris resurrecturi sunt mortui, docet. Sed & Ezechiel Propheta cùm ossa arida obtecta cute, neruis solidata, venis infecta, flante spiritu animata, reformatum hominem enarraret, manifestissimè resurrectionem futuram edocuit. Sed & illud manifestum fuit resurrectionis indicium, quod Helisei ossa tangens extinctum cadauer, virtutis effectu reuixerit. Quod ipsius Domini, qui est primogenitus mortuorum, resurrectio manifestauit: qui morti mortem intulit, & de sepulchro vitam mortuis reformauit. Ad hæc Presbyter, Quod Dominus in adsumpto homine mortuus fuerit ac resurrexerit, non ambigo: illud tamen, quòd reliqui resurgant mortui, non admitto. Et ego, Et quæ fuit necessitas filio Dei de cœlo descendere, carnem adsumere, mortem adire, inferna penetrare, nisi vt hominem, quem plasmauerat, non permitteret in morte perpetua derelinqui? Sed & iustorum animæ, quæ vsque passionem eius infernali ergastulo tenebantur inclusæ, eo veniente laxatæ sunt. Nam descendens ad infe-D ros, dum tenebras noua luce perfudit, animas eorum secum, ne hoc exitu amplius cruciarentur, eduxit, iuxta illud: *Et in sepulchro eius resurgent mortui.* Et Presbyter ait, Nunquid possunt ossa in fauillam redacta iterum animari, & hominem viuentem proferre? Et ego respondi, Nos credimus quia quamlibet in puluerem redigatur homo, & aquis ac terræ venti violenti impetu dispergatur, non sit difficile Deo hæc ad vitam resuscitari. Presbyter respondit, Hîc maximè vos errare puto, vt adserere verbis lenibus tentetis acerrimam seductionem, vt dicatis à bestiis raptum, aquis immersum, piscium faucibus deuoratum, in stercus redactum, & per secretum digestionis eiectum, aut aquis latentibus deiectum, aut terra computrescente abolitum, ad resurrectionem venturum. Ad hæc ego respondi, Obliuioni apud te traditum est (vt opinor) quid Ioannes Euangelista super pectus Dominicum recumbens, ac diuini mysterij arcana rimans, in Apocalypsi dicat: *Tunc,* inquit, *reddet mare mortuos suos.* Vnde manifestum est, quia quicquid humani corporis piscis absorbuit, ales rapuit, bestia deglutiuit, à Domino coniunctum in resurrectionem reparandum erit: quia non erit ei difficile perdita reparare, qui ex nihilo non nata creauit. Sed ita hæc in integritatem solida sicut priùs fuerant reparabit, vt corpus, quod fuit in mundo, aut pœnam iuxta meritum ferat, aut gloriam. Sic enim ipse Dominus in Euangelio ait, *Quia filius*

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

hominis veniet in gloria patris sui cum Angelis suis, vt reddat vnicuique secundum opera sua. Sed & Martha cùm de resurrectione præsenti fratris Lazari dubitaret, ait: *Scio quia resurget in resurrectione in nouissima die.* Cui Dominus ait; *Ego sum resurrectio, via, veritas, & vita.* Ad hæc Presbyter, Quomodo autem in Psalmo dicitur, *Quia non resurgunt impij in iudicio?* Et ego respondi, Non resurgunt vt iudicent, sed resurgunt vt iudicentur. Nec enim sedere cum impiis iudex potest, » causas suorum redditurus actuum. Et ille, Dominus, inquit, in Euangelio dixit, » *Qui non crediderit, iam iudicatus est:* vtique, quia peribit resurrectioni. Et ego respon- » di, Iudicatus est enim vt ad supplicium æternum perueniat, quia non credidit vni- » genitum Filium Dei: tamen resurrecturus in corpore, vt ipsum supplicium, in quo » peccauit, corpore patiatur. Nec enim potest iudicium fieri, nisi priùs resurgant » mortui: quia sicut illos, qui defuncti sunt sancti, cœlum (vt credimus) retinet, de » quorum sepulchris sæpiùs virtus illa procedit, vt de his cæci illuminentur, claudi » gressum recipiant, leprosi mundentur, & alia sanitatum beneficia infirmis peten- » tibus tribuantur: ita credimus & peccatores in illo infernali carcere vsque ad iu- » dicium retineri. Et Presbyter ait, In Psalmo autem legimus: *Spiritus pertransiit ab* » *homine, & non erit, & non cognoscet amplius locum suum.* Ego dixi, Hoc est quod ipse » Dominus per parabolam ad diuitem, qui flammis tartareis cruciabatur, dicebat: » *Recepisti tu bona in vita tua, similiter & Lazarus mala.* Non autem cognouit diues ille » purpuras suas & byssum, nec delicias conuiuij, quas ei vel aër, vel terra, vel mare » protulerat: sicut nec Lazarus vulnera, aut putredines, quas iacens ante eius ianuas B » perferebat. vel cùm hic in sinu Abrahæ requiesceret, ille autem cruciaretur in » flammis. Presbyter dixit, In alio Psalmo legimus: *Quia exiit spiritus eorum, & re-* » *uertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Ad hæc ego: Be- » ne ais, quia cùm egressus fuerit ab homine spiritus, & iacuerit corpus mortuum, » non cogitat de his quæ in mundo reliquit, ac si verbi causa dicas: Non cogitat » ædificare, plantare, agrum excolere: non cogitat congregare aurum, argentum, » vel reliquas diuitias mundi. Periit enim hæc cogitatio à corpore mortuo, quia non » est spiritus in eo. Sed quid tu de resurrectione dubitas, quam Paulus Apostolus, » in quo ipse (vt ait) Christus loquebatur, euidenter exprimit, dicens: *Consepulti* » *enim sumus Christo per baptismum in mortem: vt sicut ille mortuus est, & resurrexit, ita &* » *nos in nouitate vitæ ambulemus.* Et iterum, *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes im-* » *mutabimur. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Et » iterum, *Stella autem differt à stella in claritate: sic & resurrectio mortuorum.* Item illic, » *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione,* & reliqua. Item illic, *Omnes nos re-* » *præsentari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis sui, prout* » *gessit siue bonum siue malum.* Ad Thessalonicenses autem, euidentissimè futuram re- » surrectionem designat, dicens: *Nolo vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini,* » *sicut & ceteri qui spem non habent. Si enim credimus, quòd Iesus mortuus est & resurrexit, ita* » *Deus eos qui dormierunt per Iesum adducet eum. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini,* C » *quia nos qui viuimus, qui residui sumus, in aduentu Domini non præueniemus eos qui dormie-* » *runt. Quoniam ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo,* » *& mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul* » *rapiemur cum illis in nubibus obuiam Domino in aëra: & sic semper cum Domino erimus.* » *Itaque consolamini inuicem in verbis istis.* Plurima sunt enim de his testimonia, quæ » hanc causam confirmant. Sed tu, ignoro, quid ambigas de resurrectione, quam San- » cti expectant pro merito, quam peccatores metuunt pro reatu. Hanc enim resur- » rectionem, & illa quæ cernimus elementa demonstrant. Id est, dum arbores in » æstate foliis tectæ, hieme veniente nudantur: succedente verò verno tempo- » re, quasi resurgentes, in illud quod prius fuerant, foliorum tegmine vestiuntur. » Hæc ostendunt & illa quæ iaciuntur semina terris, quæ commendata sulcis, si » fuerint mortua, cum multiplici fructu resurgunt, sicut ait Paulus Apostolus: *Stul-* » *te tu, quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur.* Quæ omnia ad fidem resurre- » ctionis mundo manifestata sunt. Si enim resurrectio futura non est, quid proderit » iustis benè agere, quid nocebit peccatoribus malè? Decidant ergo cuncti in volu- » ptatibus suis, & faciat vnusquisque quæ placuerit, si iudicium futurum non erit. » Vel illud improbe non formidas, quod ipse Dominus beatis Apostolis ait: *Cùm ve-* » *nerit,* inquit, *filius hominis in sede maiestatis suæ, congregabuntur ante eum omnes gentes,*

& se-

A *& separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat agnos ab hœdis. Et statuet oues quidem ad dextram, hœdos autem ad sinistram. Et his dicet, Venite benedicti, percipite regnum. Illis autem, Discedite à me operarij iniquitatis.* Atque vt ipsa Scriptura docet, sunt hi in supplicium æternum, iusti in vitam æternam. Putasne erit resurrectio mortuorum, aut iudicium operum, quando ista faciet Dominus? Respondeat ergo tibi Paulus Apostolus, sicut aliis incredulis, dicens: *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis & fides vestra.* Ad hæc contristatus Presbyter, à conspectu nostro discedens, pollicitus est credere in resurrectionem, iuxta seriem Scripturarum sanctarum, quam supra memorauimus.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

XIV. ERAT autem tunc temporis Theodulfus Diaconus vrbis Parisiacæ, qui sibi videbatur in aliquo sciolus, qui sæpiùs de hac causa altercationes mouebat. Hic autem de Parisius vrbe abscedens, Andegauis venit, & se Audoueo Episcopo subdidit, propter antiquam amicitiam, quam simul Parisius commorantes habuerant. Vnde & à Ragnemodo Parisiacæ vrbis Episcopo sæpiùs excommunicatus est, quòd ad Ecclesiam suam, in qua Diaconus ordinatus fuerat, redire differret. Hic in tanta familiaritate cum præfato Andegauæ vrbis Episcopo adhæserat, vt non se posset ab eius importunitate discutere, pro eo quòd bonis moribus & adfectu pio erat. Factum est autem vt ædificaret super muros vrbis solarium, de quo cœnæ epulo perfuncto descendens, manum super Diaconum sustentabat, qui in tantum erat
B crapulatus à vino, vt vix vel figere gressum valeret, pueróque, qui præibat cum lumine, nescio quid commotus, pugno ceruicem ferit. Quo impulso, hic cùm se continere non potuisset, cum ipso impetu de muro præcipitatur, sudarium Episcopi quod balteo dependebat, arripiens: cum quo pene dilapsus fuerat, nisi pedes Episcopi Abbas velociter amplexus esset. Qui ruens super lapidem, confractis ossibus & crate pectoris, sanguinem cum felle disrupto euomens, spiritum exhalauit. Erat enim & vino deditus, & in adulterio dissolutus.

XV. CVM autem scandalum, quod ferente diabolo in Monasterio Pictauensi ortum, in ampliori quotidie iniquitate consurgeret, & Chrodieldis adgregatis sibi (vt suprà diximus) homicidis, maleficis, adulteris, fugitiuis, & reliquorum criminum reis, in seditione parata resideret, iussit eis vt inruentes nocte in Monasterium, Abbatissam foras extraherent. At illa tumultum sentiēs venientium, ad sanctæ crucis archam se deportari poposcit (grauabatur enim dolore humoris podagrici) scilicet vt vel eius foueretur auxilio. Sed vbi ingressi viri cereo accenso cum armis, huc illúcque vagarentur, per Monasterium inquirentes eam, introeuntes in Oratorium, repererunt iacentem super humum ante archam sanctæ crucis. Tunc vnus acerbior ceteris, qui ad hoc scelus patrandum adgressus fuerat, vt Abbatissam gladio diuideret, ab alio (vt credo) diuina prouidentia cooperante cultro percutitur. Profluente verò sanguine solo decubans, votum, quod leui conceperat animo, non expleuit.
C Interea Iustina Præposita cum aliis sororibus palla altaris, quod erat ante crucem Dominicam, extincto cereo, Abbatissam operit. Sed venientes cum euaginatis gladiis ac lanceis, scissa veste, & pene Sanctimonialium manibus laniatis, adprehensam Præpositam pro Abbatissa, quia tenebræ erant, excussis linteaminibus, à capite soluta cæsarie detrahunt, & vsque Basilicam S. Hilarij inter manus deferunt custodiæ mancipandam. Adpropinquantésque Basilicæ, cœlo modicum albescēte, vbi cognouerunt non esse Abbatissam, mox ad Monasterium redire puellam præcipiunt. Reuertentésque, Abbatissam adprehendunt, extrahunt, & in custodiam iuxta S. Hilarij Basilicam, in loco vbi Basina metatum habebat, retrudunt: positis ad ostium custodibus, ne quis vllum captiuæ præberet auxilium. Exinde nocte subobscura adgressi Monasterium, cùm nullo fulgore accensi luminis potirentur, extracta promptuario cuppa, quæ olim pice linita sicca remanserat, ignem iniiciunt. Factáque faro magna, de huius incendio cunctam Monasterij supellectilem rapuerunt: hoc tantum, quod ferre non poterant, relinquentes. Hæc autem gesta sunt ante septem dies Paschæ. Cúmq; Episcopus hæc omnia grauiter ferret, nec valeret seditionem diabolicam mitigare, misit ad Chrodieldem dicens: «Relinque Abbatissam, vt in his diebus in hoc carcere non retineatur. Alioqui non celebrabo Pascha Domini, neq; baptismum in hac vrbe vllus catechumenus obtinebit, nisi Abbatissa à vinculo quo tenetur iubeatur absolui. Quod si nec sic volueritis, collectis ciuibus auferam eam.» Hæc eo dicente, statim Chrodieldis percussores de-

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

putat, dicens: Si eam violenter quis auferre tentauerit, statim eam gladio percutite. Adfuit autem diebus illis Flauianus nuper Domesticus ordinatus, cuius ope Abbatissa S. Hilarij ingressa Basilicam absoluitur. Interea ad sepulchrum S. Radegundis homicidia perpetrantur, & ante ipsam beatæ crucis archam quidam per seditionem truncati sunt. Cúmque hic furor superueniente die per Chrodieldis superbiam augeretur, & assiduæ cædes, & reliquę plagę (quas suprà memorauimus) à seditionariis perpetrarētur, atq; ita hæc iactantia tumuisset, vt consobrinam suam Basinam altiori cothurno despiceret, illa pœnitentiam agere cœpit, dicens: Errraui, sequendo Chrodieldis iactantiam. Et ecce despectui habeor ab eadem, & Abbatissæ meæ contumax existo. Et conuersa, humiliauit se coram Abbatissa, expetens pacem eius: fuérúntque pariter vno animo, eadémque voluntate. Denique orto scandalo, pueri qui cum Abbatissa erant, dum seditioni, quam Chrodieldis schola commouit, resisterent, puerum Basinæ percutiunt. qui cecidit, & mortuus est. At illi post Abbatissam ad Basilicam Confessoris confugiunt, & ob hoc Basina relicta Abbatissa discessit. Sed pueris iterum per fugam lapsis, in pace quam priùs habuerant redierunt. Postea verò multæ inter has scholas inimicitiæ ortæ sunt. Quis vnquam tantas plagas, tantásq; strages, vel tanta mala verbis poterit explicare: vbi vix præteriit dies sine homicidio, hora sine iurgio, vel momentum aliquod sine fletu? Hæc autem Childebertus Rex audiens, Legationem ad Guntchramnum Regem direxit, vt scilicet Episcopi coniuncti de vtroque Regno hæc, quæ gerebantur, sanctione canonica emēdarent. Ob hanc causam Childebertus Rex mediocritatis nostræ personam, cum Ebregisilo Agrippinensi, & ipso vrbis Pictauæ Marouco Episcopo, iussit adesse. Guntchramnus verò Rex Gundegisilum Burdegalensem cum Prouincilibus suis, eo quod ipse Metropolis huic vrbi esset. Sed nos resultare cœpimus, dicentes quòd non accederemus ad hunc locum, nisi sæua seditio, quę per Chrodieldem surrexit, Iudicis districtione prematur. Pro hac causa Macconi tunc temporis Comiti prolata præceptio est, in qua iubebatur, vt hanc seditionem, si resisterent, vi obprimeret. Hæc audiens Chrodieldis, sicarios istos cum armis ante ostium Oratorij adstare iubet, vt scilicet repugnantes contra Iudicem, si vim vellet inferre, pariter resultarēt. Vnde necessarium fuit huic Comiti illuc cum armis procedere, & quosdam cæsos vectibus, nonnullos telis transfixos, & acriùs resultantes gladiorum ictibus adfectos obprimere. Quod cùm Chrodieldis cerneret, accepta cruce Dominica, cuius priùs virtutem despexerat, in obuiam egreditur, dicēs: Nolite super me quæso vim inferre, quæ sum Regina, filia Regis, Regisque alterius consobrina: nolite facere, nequādo veniat tēpus, vt vlciscar ex vobis. Sed vulgus paruipendens quæ ab ea dicebantur, inruēs (vt diximus) supra hos resultantes, vinctos Monasterio extraxerūt, ac ad stipites extēsos, grauissimè cęsos, aliis cæsarie, aliis manibus, nonnullis auribus naribúsq; decisis, seditio depressa quieuit. Tunc residentibus Sacerdotibus qui aderant super tribunal Ecclesiæ, adfuit Chrodieldis multa in Abbatissam iactans conuicia cum criminibus, adserens eam virum habere in Monasterio, qui indutus vestimenta muliebria, pro femina haberetur; cùm esset vir manifestissimè declaratus, atq; ipsi Abbatissæ famularetur assiduè. indicans eum digito. En ipsum. Qui cùm in veste (vt diximus) muliebri coram omnibus adstitisset, dixit se nullum opus posse virile agere: ideoq; sibi hoc indumentum aptasse. Abbatissam verò non nisi tantùm nomine nosse, séque eam nunquam vidisse, neq; cum eadem colloquium habuisse professus est, præsertim cùm hic amplius quàm quadraginta ab vrbe Pictaua milibus degeret. Igitur Abbatissam de isto crimine non conuincens, adiecit: Quæ enim sanctitas in hac Abbatissa versatur, quæ viros eunuchos facit, & secum habitare imperiali ordine præcipit? Interrogata Abbatissa, se de hac ratione nihil scire respondit. Interea cùm hæc nomen pueri eunuchi protulisset, adfuit Reoualis archiater dicens: Puer iste paruulus cùm esset, & infirmaretur in femore, desperatus cœpit haberi. Mater quoque eius sanctam Radegundem adiuit, vt ei aliquod studium iuberet impendi. At ille, me vocato, iussit vt si possim aliquid, adiuuarem. Tunc ego, sicut quondam apud vrbem Constantinopolitanam medicos agere conspexeram, incisis testiculis puerum sanum genitrici mœstæ restitui. Nam nihil de hac causa Abbatissam scire cognoui. Sed cùm nec de hac re Abbatissa potuisset culpabilis reperiri, alias cœpit Chrodieldis calumnias sæuas inferre: quarum adsertiones responsionésque, quia in iudicio, quod contra easdem scriptum est, habentur insertæ, ipsius magis exemplar lectioni libuit indere.

A EXEMPLAR IVDICII.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

XVI. DOMNIS gloriosissimis Regibus, Episcopi qui adfuerunt. Propitia diuinitate, piis atq; Catholicis populo datis Principibus, quibus concessa est regio, rectissimè suas causas patefacit Religio: intelligēs sacrosancto participante Spiritu, eorum qui dominantur se sociari & constabiliri decreto. Et quia ex iussione potestatis vestræ, cùm ad Pictauam ciuitatem pro conditionibus Monasterij sanctæ recordationis Radegundis conuenimus, vt altercationes inter Abbatissam eiusdem Monasterij, & Monachas, quæ de ipso grege non salubri deliberatione progressæ sunt, ipsis disceptantibus agnoscere deberemus. Euocatis partibus, interrogata Chrodieldis & Basina, quare tam audacter contra suam Regulam foribus Monasterij confractis discesserant, & hac occasione congregatio adunata discessit. Quæ respondentes professæ sunt, famis, nuditatis, insuper & cædis se iam non ferre periculum. Adiicientes etiam, eo quòd diuersi earum in balneo lauarentur incongruè, ad tabulam ipsa luserit, atque seculares cum Abbatissa reficerent, etiam sponsalia in Monasterio facta sint. De palla holoserica vestimenta neptis suæ temerariè fecerit. Foliola aurea, quæ fuerant in gyro pallæ, incōsultè sustulerit, & ad collum neptis suæ facinorosè suspenderit. Vittam de auro exornatam eidem nepti suæ superfluè fecerit. Barbatorias* intus eo quòd celebrauerit. Interrogantes Abbatissam, quid ad hæc responderet, dixit: De fame quia conqueruntur, secundum quod temporis penuria permitteret, nunquam ipsæ nimiam egestatem pertulerunt. De vestimento verò dixit: Si quis earum arcellulas scrutaretur, amplius eas habere quàm necessitas indigeret. De balneo verò quòd opponeretur, retulit hoc factū diebus Quadragesimæ, & pro calcis amaritudine, ne lauantibus noceret nouitas ipsius fabricæ, iussisse domnam Radegundem, vt seruientes Monasterij publicè hoc visitarent, donec omnis odor nocendi discederet. Quod per Quadragesimam vsque ad Pentecosten in vsu famulis fuerit. Ad hæc Chrodieldis respondit: Et postea similiter multi per tempora lauerunt. Retulit Abbatissa, Se nec probare quod dicerent, & se nescire, an factum sit. Sed adhuc inculpans easdem, quòd si ipsæ vidissent, cur Abbatissæ non proderent? De tabula verò respondit: Etsi lusisset viuente domna Radégunde, se minus culpa respiceret; tamen nec in Regula per scripturam prohiberi, nec in Canonibus retulit. Sed ad iussionem Episcoporum repromisit, ceruice se inflexa per pœnitentiam quicquid iuberetur implere. De conuiuiis etiam ait, se nullam nouam fecisse consuetudinem, nisi sicut actum est sub domna Radegunde. Se Christianis fidelibus eulogias obtulisse, nec sibi comprobari cum illis vllatenus conuiuasse. De sponsalibus quoque ait, Coram Pontifice, Clero, vel Senioribus, pro nepte sua Orphanula arras accepisse: & tamen si hæc culpa sit, veniam se coram cunctis petere professa est. Tamen nec tunc conuiuium in Monasterio fecerit. De palla quod reputarent, protulit Monacham nobilem, quæ ei mafortem holosericum, quem de parentibus detulit, muneris causa concesserit, & inde partem abscidisset, vnde quod vellet & faceret. De reliquo verò quantum opportunum fuit, ad ornatum altaris pallam condignè condiderit: & de illa inscissura, quæ pallæ superfuit, purpuram nepti suæ in tunica posuerit, quam ibi dedisse dixit, quo Monasterio profuit. Quæ per omnia donatrix Didimia confirmauit. De foliolis aureis, & vitta auro exornata, Macconem famulum vestrum præsentem testem adhibuit, eo quòd per manum eius ab sponso puellæ prædictæ neptis suæ viginti solidos accepit, vnde hoc publicè fecerit, nec de re Monasterij quicquam ibi permixtum sit. Interrogata Chrodieldis cum Basina, si forsitan aliquid Abbatissæ (quod absit) adulterij reputarent, siue quid homicidij, vel maleficij fecerit, aut crimen capitale quo percuteretur, edicerent. Respondentes protulerunt, Non habere se aliquid, nisi per hæc quæ dixerant, eam ista fecisse contra Regulam proclamarent. Ad extremum, pro peccatis quia claustra disrupta sunt, & miseris licuit sine disciplina Abbatissæ suæ quod vellent committere, per tot mensium spacia, quas credebamus innocentes Monachas, nobis protulerunt prægnantes. Quibus per ordinem discussis, nec inuento crimine quod Abbatissam deiiceret, de leuioribus causis paterna commonitione contestati sumus, vt hæc nullatenus deinceps pro reprehensione repeteret. Tunc nobis percunctantibus causam aduersæ partis, quæ maiora crimina commiserunt, id est, quæ prædicationem sui Sacerdotis

B

C

* al. Barbatorias.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

intra Monasterium, ne foras procederent, despexerunt, Pontifice conculcato, & in summo contemptu in Monasterio relicto, confractis seris & ianuis, inrito facto discesserunt, & ad suum peccatum aliæ tractæ transgressæ sunt: insuper & Gundegisilus Pontifex cum suis Prouincialibus pro ipsa causa commonitus, per præceptionem Regum Pictauis accessissent, & ad audientiam eas ad Monasterium conuocarent: despecta commonitione, ipsis occurrentibus ad beati Hilarij Confessoris Basilicam, vbi ipse commorabatur, accedentes, vt condecet pastorum sollicitudinem, dum commonerentur, facta seditione, fustibus tam Pontifices quàm ministros adfecerunt, & intra Basilicam fuderunt sanguinem Leuitarum. Dehinc ex iussione domnorum Principum, cùm vir venerabilis Theutarius Presbyter in causa directus fuerit, & statutum fuisset, quando iudicium fieret, non expectato tempore, Monasterium seditiosissimè accensis in corte cuppis, vectibus ac securibus confractis posticis, igne accenso, intra septa cæsis & vulneratis Monachabus, in ipsis Oratoriis spoliato Monasterio, denudata & discissa capillis Abbatissa, grauiter ad ridiculum ducta & tracta per compita, & in locum retrusa, etsi non ligata, nec libera: superueniente diei Paschę festo per seculum, offerente Pontifice pro condemnata precium, vt spectaret vel baptismum, nec vlla suasione hoc impetrasset vox supplicum, atque respondente Chrodielde, eò quòd tale facinus nec scissent, nec iusserint, adhuc Chrodielde adserente ad intersignium suum, ne à suis interficeretur, obtentum sit. Vnde certum est tractari quid ex hoc datur intelligi, quod additur crudelitati, ad sepulchrum beatæ Radegundis fugientem seruum Monasterij sui occiderent, & scelere crescente nihil petendo sanauerint. Sed per se post intrantes Monasterium ceperint, & ad domnorum iussionem, vt seditiosos illos in publico repræsentarent, nolentes adquiescere, & contra Regum præcepta magis arma tenerent, & se sagittis vel lanceis contra Comitem & plebem indignanter erigerent. Hinc denuo egressæ ad audientiam publicam, extrahunt crucem sanctam sacratissimámque occultè, & ad iniuriam, indecenter, ad culpam. quæ postea restituere coactæ sunt in Ecclesia. Quibus tot capitalibus agnitis facinoribus, nec refrenatis, sed iugiter magis auctis criminibus, nobis eisdem dicentibus, vt Abbatissæ pro culpa veniam peterent, aut quod malè directum fuerat emendarent: & nolentes hoc facere, sed magis de eius interfectione tractarent, quod publicè sunt professæ, reseratis à nobis & recensitis Canonibus, visum est æquissimum, eas vsque quo dignam agerent pœnitentiam, à communione priuari, & Abbatissam suo loco permansuram restitui. Hęc nos pro vestra iussione, quod ad Ecclesiasticum pertinuit ordinem, circunscriptis Canonibus, absque personorum aliqua acceptione suggerimus peregisse. De cetero quod de rebus Monasterij vel instrumentis Chartarum domnorum Regum parentum vestrorum de loco subreptum est, quæ se habere professę sunt, sed nobis inobedientes nullatenus erunt, volūtariè reddituræ, qualiter vestra vel anteriorum Principum merces æterna permaneat: ad loci instaurationem, vestræ pietatis atque potestatis est, auctoritate regia cogere reformari, neque ipsas ad locum, quem tam impiè ac profanissimè destruxerunt, ne peiora proueniant, vel redire concedite, vel permittatis iterum aspirare. Quatenus his in integrum, præstante Domino, restitutis sub Catholicis Regibus totum adquiratur Deo, nihil perdat Religio, vt status conseruatus tam Patrum quàm Canonum nobis proficiat ad cultum, vobis propagetur ad fructum. Christus vos Dominus alat regátque, Regnum tribuens prolixius, vitámque conferat beatam.

XVII. Post hęc cùm emisso iudicio à communione fuissent suspensę, Abbatissa etiam in Monasterium restituta, hæ ad Childebertum Regem petierunt, adiicientes malum supra malum, denominantes scilicet Regi personas quasdam, quæ non solùm cum ipsa Abbatissa adulteria exercerēt, verùm etiā ad inimicam eius Fredegundem quotidie nuncia deportarent. Quod audiens Rex, misit qui eos vinctos adducerēt. Sed cùm discussi, nihil criminis inuētum in eis fuisset, abscedere iussi sunt.

XVIII. Ante hos verò dies cùm Rex in Oratorium domus Mariligensis ingrederetur, viderunt pueri eius hominem ignotum eminus adstantem, dixerúntque ad eum: Qui es tu, & vnde venis, aut quod est opus tuum? non enim à nobis agnosceris. Illo quoque respondente, Quia de vobis sum: dicto citiùs eiectus extra Oratorium, interrogatur. Nec mora, confitetur, dicens à Fredegunde Regina se transmissum ad interficiendum Regem. Dixitque, Duodecim viri sumus ab ea

A transmissi, sex huc venimus, alij verò sex Suessionibus remanserunt ad decipiendum filium Regis. Et ego cùm locum præstolans, vt Regem Childebertum in Oratorio percutere destinarem, timore perterritus, non deliberaui implere quod volui. Hæc cùm dixisset, confestim sæuis datus suppliciis, diuersos nominat socios. Quibus per loca singula inquisitis, alios carceribus mancipant, alios manibus incisis relinquunt, nonnullos auribus naribúsque amputatis ad ridiculum laxauerunt. Plerique tamen ex vinctis, suppliciorum genera metuentes, propriis se confodere mucronibus. Nonnulli etiam inter supplicia defecerunt, vt Regis vltio patraretur. GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

XIX. SVNNIGISILVS verò iterum tormentis addicitur, ác quotidie virgis lorísque cæditur: & computrescentibus vulneribus, cùm primum decurrente pure cœpissent ipsa vulnera claudi, iterum renouabantur ad pœnam. In his tormentis, non solùm de morte Chilperici Regis, verumetiam diuersa scelera se admisisse confessus est. Inter quas confessiones, addidit etiam Egidium Remensem Episcopum socium fuisse in illo Rauingi *, Vrsionis, ac Berthefredi consilio ad interficiendum Childebertum Regem. Nec mora, rapitur Episcopus, & ad Metensem vrbem, cùm esset valde ab ægrotatione longinqua defessus, adducitur. Ibique sub custodia degens, Rex Episcopos arcessiri ad eius examinationem præcepit: scilicet vt in initio mensis octaui apud Viridunensem vrbem adesse deberent. Tunc ab aliis Sacerdotibus increpitus, Cur hominem absque audientia ab vrbe rapi, & B in custodiam retrudi præcepisset? permisit eum ad vrbem suam redire, dirigens Epistolas (vt supra diximus) ad omnes Regni sui Pontifices, vt medio mense nono ad discutiẽdum in vrbe supradicta adesse deberent. Erant autem pluuiæ validæ, aquæ immensæ, rigor intolerabilis, dissolutæ luto viæ, amnes littora excedẽtes. Sed præceptioni regiæ obsistere nequiuerunt. Denique conuenientes, pertracti sunt vsque Metensem vrbem. Ibique & præfatus Egidius adfuit. Tunc Rex inimicum eum sibi, regionísque proditorem esse pronuncians, Ennodium ex Duce ad negocium delegit prosequendum. Cuius propositio prima hæc fuit: Dic mihi, ô Episcope, quid tibi visum fuit, vt relicto Rege, in cuius vrbe Episcopatus honore fruebaris, Chilperici Regis amicitiis subdereris, qui sẽper inimicus domino nostro Regi fuisse probatur, qui patrem eius interfecit, matrem exilio condemnauit, Regnúmque peruasit, & in iis vrbibus, quas (vt diximus) iniquo peruasionis ordine suo dominio subiugauit, tu ab eodem possessionum fiscalium prædia meruisti. Ad hæc ille respondit, Quòd fuerim amicus Regis Chilperici, negare non potero. Non tamen contra vtilitatem Regis Childeberti hæc amicitia pullulauit. Villas verò, quas memoras, per istius Regis Chartas emerui. Tunc proferente easdem in publico, negat Rex se largitum fuisse. Requisitúsq; Otho, qui tunc Referendarius fuerat, cuius ibi subscriptio meditata tenebatur, adfuit, negat se subscripsisse. Cõficta enim erat manus eius in huius præceptionis scripto. In hac igitur causa primùm Episcopus fallax repertus est. Post hæc Epistolæ prolatæ sunt, in quibus multa de improperiis Brunichildis tenebantur, quæ ad Chilpericum scriptæ fuerant: similiter & Chilperici ad D Episcopum delatæ. In quibus inter reliqua habebatur insertum, Quia si radix cuiuslibet rei incisa non fuerit, culmus, qui terris est editus, non arescet. Vnde prorsus manifestum est, ideò hæc scripta, vt superatâ Brunichilde filius eius obprimeretur. Negauit se Episcopus has Epistolas vel misisse suo nomine, vel suscepisse à rescripto Chilperici. Sed puer eius familiaris adfuit, qui hæc notarum titulis per tomos Chartarum comprehensa tenebat. Vnde non dubium fuit residentibus, hæc ab eodem directa. Deinde, prolatæ sunt pactiones quasi ex nomine Childeberti ac Chilperici Regis, in quibus tenebatur insertum, vt eiecto Guntchramno Rege, hi duo Reges inter se eius Regnum vrbésq; diuiderent. Sed negauit hæc Rex cum suo factum consilio, dicens: Quia tu commisisti patruos meos, vt inter illos bellum ciuile consurgeret. Vnde factum est, vt cõmotus exercitus Biturigas vrbem, pagúmq; Stampensem, vel Miliodunense castrum adtererent atque depopularent. In quo bello multi interempti sunt, quorum (vt puto) animæ erunt Dei iudicio de tuis manibus requirendæ. Hæc Episcopus negare non potuit. Scripta enim ista in regesto Chilperici Regis in vno scriniorum pariter sunt reperta: ac tunc ad eum peruenerunt, quando interempto Chilperico, thesauri eius de Calensi Parisiacæ vrbis villa ablati ad eundem delati sunt. Cúmque de huiuscemodi causis altercatio diutiùs

* al. Rauilchi,

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

traheretur, adfuit & Abbas Epiphanius Basilicæ sancti Remigij, dicens, quòd duo A millia aureorum, speciésque multas pro conseruanda Regis Chilperici amicitia accepisset. Adstiterúntque etiam & Legati, qui cum eodem ad memoratum Regem fuerant, dicentes: Quia nobis relictis diutius cum eodem solus conlocutus est. De quibus verbis nihil intelleximus, nisi supradicti excidij profecutionem inposterum cognoscentes. Hæc eo negante, Abbas, qui fuerat semper in iis consiliorum arcanis particeps, locum hominémque denominat, vbi & qui aureos quos diximus detulisset, & qualiter de excidio regionis ac Regis Guntchramni conuentum fuerat, vt gestum est ex ordine denarrauit. Quæ & ille conuictus deinceps est confessus. Hæc audientes Episcopi qui aduocati fuerant, & in tantis malis Sacerdotem Domini contuentes fuisse satellitem, suspirantes, de his triduani temporis spacium deprecantur tractandi, scilicet vt forsitan resipiscens Egidius vllum modum reperire posset, per quem se ab iis noxis, quæ ei obiiciebantur, excusare valeret. Sed inlucescente die tertia, conuenientes in Ecclesiam interrogant Episcopum, si aliquid excusationis haberet, ediceret. At ille confusus, ait: „ Ad sententiam dandam super culpabilem ne moremini. Nam ego noui me „ ob crimen maiestatis reum esse mortis, qui semper contra vtilitatem huius Regis „ matrisque eius abij: ac per meum consilium multa fuisse gesta certamina noui, „ quibus nonnulla Galliarum loca depopulata sunt. Hæc Episcopi audientes, ac lamentantes fratris obprobrium, obtenta vita, ipsum ab ordine Sacerdotali, lectis Canonum sanctionibus, remouerunt. Qui statim ad Argentoratensem vrbem, quam nunc Strateburgum vocant, deductus, exilio condemnatus est. In cuius locum Romulfus filius Lupi Ducis, iam Presbyterij honore præditus, Episcopus B subrogatus est: Epiphanio Abbatis officio, qui Basilicæ sancti Remigij præerat, remoto. Multa enim auri argentique in huius Episcopi regesto pondera sunt reperta. Quæ autem de illa iniquitatis militia erant, regalibus thesauris sunt inlata: quæ autem de tributis aut reliqua ratione Ecclesiæ inuenta sunt, inibi relicta.

XX. IN hac Synodo Basina Chilperici Regis filia, quam suprà cum Chrodielde à communione remotam diximus, coram Episcopis solo prostrata, veniam petiit, promittens se cum charitate Abbatissæ Monasterium ingredi, ac de Regula nihil transcendere. Chrodieldis autem obtestata est, quia Leobouera Abbatissa in hoc Monasterio commorante, ibidem nunquam ingrederetur. Sed vtrisque Rex veniam impertiri deprecatus est. Et sic in communionem receptæ, Pictauo regredi iussæ sunt: scilicet vt Basina in Monasterium (vt præfati sumus) regrederetur, Chrodieldis verò in villa, quæ quondam Vuaddonis superiùs memorati fuerat, sibi à Rege concessa resideret.

XXI. FILII autem ipsius Vuaddonis per Pictauum vagantes, diuersa committebant scelera, homicidia, furtáque nonnulla. Nam inruentes ante hoc tempus super negociatores, sub noctis obscuritate eos gladio trucidant, abstulerúntque res eorum. Sed & alium tribunitiæ potestatis virum circumuentum dolis interfecerunt, diripientes res eius. Quod cùm Macco Comes reprimere niteretur, ij præ- C sentiam expetunt Regis. Eunte autem Comite, vt debitum fisco seruitium solito deberet inferre, adfuerunt & ij coram Rege, offerentes balteum magnum ex auro lapidibúsque preciosis ornatum, gladiúmque mirabilem, cuius capulum ex gemmis Hispanicis auróque dispositum erat. Cúmque Rex hæc scelera, quæ audierat, ab iis cognouisset manifestissimè perpetrata, vinciri eos catenis præcepit, ac tormentis subdi. Qui dum torquerentur, thesauros patris absconditos, quos de rebus Gundobaldi superiùs memorati pater diripuerat, reuelare cœperunt. Nec mora, directi viri ad inquirendum, immensam multitudinem auri argentique ac diuersarum specierum, & auro gemmísque exornatarum repererunt. quod thesauris regalibus intulerunt. Post hæc seniore capite plexo, iuniorem exilio damnauerunt.

XXII. CHILDERICVS verò Saxo post diuersa scelera, homicidia, seditiones, multáque alia improba quæ gessit, ad Ausciensem vrbem, in qua possessio vxoris erat, abiit. Cúmque Rex auditis eius improbitatibus iussisset eum interfici, quadam nocte ita crapulatus est vino, vt ab eo suffocatus, mortuus in strato suo reperiretur. Adserebant enim in illud superius scelus nominatum, quo Sacerdotes

A Domini in Basilica sancti Hilarij per Chrodieldem cæsi sunt, hunc fuisse signiferum. vltúsque est Deus, si ita est, iniuriam seruorum suorum. GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

XXIII. IN hoc autem anno tantus terris nocturno tempore splendor inluxit, vt mediam putares diem. Sed & globi similiter ignei per noctis tempora sæpius per cœlum cucurrisse, mundúmque inluminasse visi sunt. Dubietas Paschæ fuit ob hoc, quòd in cyclo Victor Luna XV. Pascha scripsit fieri. Sed ne Christiani vt Iudæi sub hac Luna hæc solemnia celebrarent, addidit, Latini autem Luna XXII. Ob hoc multi in Galliis XV. Luna celebrauerunt. Nos autem XXII. Inquisiuimus tamen studiosè: sed fontes Hispaniæ, qui diuinitus implentur, in nostrum Pascha repleti sunt. Terræmotus factus est magnus XVIII. Cal. mensis quinti, die quarto, primo mane, cùm lux redire cœpisset. Sol eclypsim pertulit mense octauo mediante, & ita lumen eius minuit, vt vix quantum quintæ Lunæ cornua retinent, ad lucendum haberet. Pluuiæ validæ, tonitrua in autumno grauia, aquæ autem nimium inualuerunt. Viuariensem Auennicámque vrbem grauiter lues inguinaria deuastauit.

XXIV. ANNO igitur decimosexto Childeberti, Guntchramni autem XXX. Regum, quidam Episcopus de transmarinis partibus ad Turonicam vrbem aduenit, nomine Simon. Hic nobis euersionem Antiochiæ vrbis enunciauit, adserens se de Armenia in Perside captiuatum fuisse. Rex enim Persarum inrupto Armeniorum termino prædas egit, Ecclesiásque igni succendit: & hunc Sacerdotem B cum populo suo (vt diximus) captiuum abduxit. Tunc etiam & Basilicam sanctorum Quadraginta octo Martyrum, de quibus in libro Miraculorum memini, qui in illa regione passi sunt, oppleta ligni congerie, pice, tergoribúsque suillinis immixtis, suppositis ardentibus facibus, succendere visi sunt. sed nequaquam ignis adparatum incendij comprehendit. Sicque videntes magnalia Dei, recesserunt ab ea. Audita autem quidam Episcopus istius memorati Sacerdotis abductione, direxit precium per homines suos ad Regem Persarum. Quo ille suscepto, relaxauit à seruitutis vinculo Episcopum istum. Ex iis ergo discedens regionibus, Gallias est adgressus, vt aliquid consolationis à deuotis acciperet: qui nobis (vt præfati sumus superiùs) hæc retulit. Homo erat in Antiochia, valdè deuotus in eleemosynis, coniugem ac liberos habens: nec vnquam ei in omni vita sua dies præteriit, postquam quiddam proprium habere cœpit, quòd sine paupere epulum prælibasset. Hic vna die cùm circumisset vrbem vsque ad vesperum, & reperire non potuisset egenum cum quo cibum capere posset, egressus extra portam, cùm nox inrueret, reperit virum in veste alba cum duobus aliis stantem. Quem aspiciens (quasi Loth ille antiqua memoratus historia) territus ait: Et forsitan peregrinus est dominus meus. dignetur accedere ad domum serui sui. Et sumpto epulo, quiescite in strato: mane autem proficiscemini in viam quam volueritis. Cui ille, qui erat senior, tenens sudarium in manu sua, ait: Non poteras, ô homo Dei, cum Simeone vestro hanc vrbem saluare, ne subuerteretur. Et eleuans manum excussit sudarium, quod tenebat, super medietatem vrbis: & statim C conruerunt omnia ædificia, & quodcumque ibi structum fuit. Ibique oppressi sunt senes cum infantibus, viri cum mulieribus, atque vterque sexus interiit. Quod ille cernens, tam de persona viri, quàm de sonitu ruinæ hebes effectus, ruit in terram, & factus est velut mortuus. Eleuánsque iterum vir ille manum cum sudario, quasi super aliam medietatem vrbis, adprehensus est à duobus sociis qui cum eo erant, atque obsecratus terribilibus sacramentis, vt indulgeret medietati vrbis, ne rueret. Mitigatóque furore sustinuit manum suam, atque eleuans hominem qui conruerat in terram, ait: Vade ad domum tuam, ne timeas. Filij enim tui cum vxore, & omni domo tua, salui sunt: nec quisquam ex eis periit. Custodiuit enim te oratio assidua, & eleemosynæ, quas quotidie exerces in pauperes. Et hæc dicens, discesserunt ab oculis eius, nec ei apparuerunt vltra. Ille autem regressus in vrbem, reperit vrbis medietatem dirutam atque subuersam cum hominibus pecoribúsque, ex quibus nonnulli à ruinis deinceps extracti sunt mortui, pauci debilitati reperti sunt viui. Verumtamen nec illa cassata sunt quæ viro huic ab ipso (vt ita dicam) Angelo Domini sunt effata. Nam veniens, omnem domum suam incolumem reperit. Tantùm funera propinquorum, quæ in aliis domibus effecta fuerant, lamentabatur: protexitque eum in

Lib. I. c. 95.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

medio iniquorum dextera Domini cum domo sua, saluatúsque est à periculis mortis, ac velut memoratus Loth quondam in Sodomis. A

XXV. AT in Galliis Massiliensem Prouinciam morbus sæpè nominatus inuasit. Andegauos, Namneticos, atque Cenomannicos valida fames obpressit. Initia sunt enim hæc dolorum, iuxta illud quod Dominus ait in Euangelio: *Erunt pestilentiæ & fames, & terræmotus per loca. Et exurgent pseudochristi, & pseudoprophetæ: & dabunt signa & prodigia in cœlo, ita vt electos in errorem mittant*, sicut præsenti gestum est tempore. Quidam enim ex Biturico, vt ipse postmodum professus est, dum saltus siluarum ingressus, ligna cæderet ad explendam operis cuiusdam necessitatem, muscarum eum circumsedit examen. qua de causa per biennium amens est habitus. Vnde intelligi datur diabolicæ emissionis fuisse nequitiam. Post hæc transactis vrbibus propinquis, Arelatensem Prouinciam adiit. Ibique indutus pellibus quasi religiosus orabat. Ad quem inludendum pars aduersa diuinandi ei tribuit facultatem. Ex hoc, vt in maiori proficeret scelere, commotus à loco, Prouinciam memoratam deserens, Gabalitanæ regionis terminum est ingressus, proferens se magnum, ac profiteri se non metuens Christum, adsumpta secum muliere quadam pro sorore, quam Mariam vocitari fecit. Confluebat ad eum multitudo populi, exhibens infirmos, quos contingens sanitati reddebat. Conferebant enim ei aurum argentúmque, ac vestimenta, hi qui ad eum conueniebant. Quod ille, quò faciliùs seduceret, pauperibus erogabat. Prosternens se solo, effundens orationem cum muliere memorata: & surgens, se iterum à circumstantibus adorari iubebat. Prædicebat enim futura, & quibusdam morbos, quibusdam damna prouenire denunciabat, paucis salutem futuram. Sed hæc omnia diabolicis artibus, & præstigiis nescio quibus agebat. Seducta est autem per eum multitudo immensa populi, & non solùm rusticiores, verùmetiam Sacerdotes Ecclesiastici. Sequebantur autem eum amplius quàm tria milia populi. Interea cœpit quosdam spoliare ac prædari, quos in itinere reperisset. Spolia tamen non habentibus largiebatur. Episcopis ac ciuibus minas mortis intentabat, eo quòd ab iis adorari despiceretur. Ingressus autem Vellauæ vrbis terminum, ad locum, quem Anicium vocitant, accedit: & ad Basilicas propinquas cum omni exercitu restitit, instruens aciem, qualiter Aurelio ibidem tunc consistenti Episcopo bellum inferret. Mittens etiam ante se nuncios, homines nudo corpore, saltantes atque ludentes, qui aduentum eius adnunciarent. Quod stupens Episcopus, direxit ad eum viros strenuos, inquirentes quid sibi vellent ista quæ gereret. Vnus autem ex iis, qui erat senior, cùm se inclinasset quasi osculaturus genua eius, ac discussurus viam illius, iussit eum adprehensum spoliari. Nec mora, ille euaginato gladio in frusta concidit, ceciditque Christus ille, qui magis Antichristus nominari debet, & mortuus est. Dispersique sunt omnes, qui cum eo erant. Maria autem illa suppliciis dedita, omnia phantasmata eius ac præstigias publicauit. Nam homines illi, quos ad se credendum diabolica circumuentione turbauerat, nunquam ad sensum integrum sunt regressi: sed hunc semper quasi Christum, Mariam autem illam partem deitatis habere profitebantur. Sed & per totas Gallias emerserunt plerique, qui per has præstigias adiungentes sibi mulierculas quasdam, quæ debacchantes sanctos eos confiterentur, magnos se in populis præferebant. Ex quibus nos plerosque vidimus, quos obiurgantes reuocare ab errore nisi sumus. B C

XXVI. RAGNEMODVS quoque Parisiacæ vrbis Episcopus obiit. Cúmque germanus eius Faramodus Presbyter pro Episcopatu concurreret, Eusebius quidam negotiator, genere Syrus, datis multis muneribus, in locum eius subrogatus est. Isque accepto Episcopatu omnem scholam decessoris sui abiiciens, Syros de genere suo Ecclesiasticæ domui ministros statuit. Obiit & Sulpitius Bituricæ vrbis Pontifex, cathedrámque eius Eustasius* Augustidunensis Diaconus est sortitus.

* al. Eustachius

XXVII. INTER Tornacenses quoque Francos non mediocris disceptatio orta est, pro eo quòd vnius filius alterius filium, qui sororem eius in matrimonium acceperat, cum ira sæpiùs obiurgabat, cur coniuge relicta scortum adiret? Quæ iracundia, cùm emendatio criminis non succederet, vsque adeo elata est, vt inruens puer super cognatum suum, eum cum suis interficeret, atque ipse ab iis, cum quibus venerat ille, prosterneretur: nec remaneret quispiam ex vtrisque, nisi vnus tan-

A tum, cui percussor defuit. Ex hoc parentes vtriusque inter se sæuientes, à Fredegunde Regina plerumque arguebantur, vt relicta inimicitia concordes fierent, ne pertinacia litis in maius subueheretur scandalum. Sed cùm eosdem verbis lenibus placare nequiret, vtrumque bipenne compescuit. Inuitatis enim ad epulum multis, hos in vnum fecit tres sedere subsellium. Cúmque in eo prandium elongatum fuisset spacio, vt nox mundum obrueret, ablata mensa (sicut mos Francorum est) illi in subsellia sua sicut locati fuerant residebant. Potatóque vino multo, intantum crapulati sunt, vt pueri eorum madefacti per angulos domus, vbi quisque conruerat, obdormirent. Tunc ordinati à muliere viri cum tribus securibus, à tergo horum trium adstiterunt, illisque conloquentibus, in vno (vt ita dicamus) adsultu puerorum manus libratæ, hominibus perculsis, ab epulo est discessum. Nomina quoque virorum, Chariualdus, Leodoualdus, atque Vualdinus. Quod cùm parentibus perlatum fuisset, custodire arctiùs Fredegundem cœperunt, dirigentes nuncios ad Childebertum Regem, vt comprehensa interficeretur. Commotus autem pro hac causa Campanensis populus dum moras innecteret, hæc suorum erepta auxilio, ad locum alium properauit. GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

XXVIII. POST hæc autem Legatos ad Guntchramnum Regem mittit, dicens: Proficiscatur Dominus meus Rex vsque Parisius, & arcessito filio meo nepote suo, iubeat eum baptismatis gratiâ consecrari: ipsúmque de sancto lauacro exce- B ptum, tanquam alumnum proprium habere dignetur. Hæc audiens Rex, commotis Episcopis, id est, Ætherio Lugdunensi, Siagrio Augustidunensi, Flauióque Cabillonensi, & reliquis quos voluit, Parisius accedere iubet, indicans se postmodum secuturum. Fuerunt etiam ad hoc placitum multi de Regno eius, tam domestici quàm Comites, ad præparanda regalis expensæ necessaria. Rex autem deliberatione acta, vt ad hæc deberet accedere, pedum est dolore prohibitus. Postquam autem conualuit, accessit Parisius. Exinde ad Rotoialensem villam ipsius vrbis properans, euocato puero iussit baptisterium præparari in vico Nemptodoro. Dum autem hæc agerentur, Legati Childeberti Regis accesserunt ad eum dicentes: Non enim ista nuper nepoti tuo Childeberto pollicitus eras, vt cum inimicis eius amicitias conligares? Sed in quantum cernimus, nihil de promissione tua custodis, sed potiùs quæ promiseras prætermittis: & puerum istum in vrbis Parisiacæ cathedra Regem statuis. Iudicabit enim Deus, quia non reminisceris quæ vltro pollicitus es. Hæc iis dicentibus, Rex ait: Promissionem, quam in nepotem meum Childebertum Regem statutam habeo, non omitto. Nam illum non oportet scandalizari, si consobrinum eius filium fratris mei de sancto suscipiam lauacro: quia hanc petitionem nullus Christianorum debet abnuere. Eámque ego, vt Deus manifestissimè nouit, non calliditate aliqua, sed in simplicitate puri cordis agere cupio, quia offensam diuinitatis incurrere formido. Non C est enim humilitas genti nostræ, si hic à me excipiatur. Si enim Domini proprios famulos de sacro fonte suscipiunt, cur & mihi non liceat propinquum parentem excipere, ac filium facere per baptismi gratiam spiritalem? Abscedite nunc, & nunciate Domino vestro. Pactionem quam tecum pepigi, custodire cupio inlibatam; quam si tuæ conditionis noxa non omiserit, à me prorsus omitti nequibit. Et hæc dicens, Legatis discedentibus, Rex accedens ad lauacrum sanctum, obtulit puerum ad baptizandum. Quem excipiens, CHLOTHARIVM vocitari voluit, dicens: Crescat puer, & huius sit nominis executor, ac tali potentia polleat, sicut ille quondam, cuius nomen indeptus est. Quo mysterio celebrato, inuitatum ad epulum paruulum multis muneribus onerauit. Similiter & Rex ab eodem inuitatus, plerisque donis refertus abscessit, & ad Cabillonensem vrbem redire statuit.

XXIX. AREDIVS quoque hoc anno terras relinquens, vocante Domino migrauit ad cœlum. Lemouicinæ vrbis incola fuit, non mediocribus regionis suæ ortus parentibus, sed valdè ingenuus. Hic Theodoberto Regi traditus, Aulicis Palatinis adiungitur. Erat enim tunc temporis apud vrbem Treuericam vir eximiæ sanctitatis Nicetius Episcopus, non solùm in prædicatione admirabilis facundiæ, verumetiam in operibus bonis ac mirabilibus celeberrimus habebatur in plebe. Qui intuens puerum in Regis Palatio, nescio quid in vultu eius cernens diuinum, præcepit ei se sequi. At ille, relicto Regis Palatio, secutus est eum. Cúm-

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

que ingressi in Cellulam, de iis quæ ad eum pertinent confabularentur, expetiit A adolescens à beato Sacerdote se corrigi, ab eo edoceri, ab eo imbui, ac in diuinis voluminibus ab eodem exerceri. Cúmque in huius studij flagrantia cum Antistite memorato degeret, tonsurato iam capite, quadam die psallentibus Clericis in Ecclesia, descendit columba à camera, quæ leuiter volitans circa eum, resedit super caput eius, illud indicans (vt opinor) eum Spiritus sancti gratia iam repletum. Quam cùm ille non sine pudore conaretur abigere, hæc paululum circumuolans, iterum super caput eius, aut super scapulam residebat: quæ non modò ibi, sed etiam cùm in cellulam Episcopi ingrederetur, iugiter comitabatur cum eo. Quod per dies plurimos factum, non sine admiratione Episcopus intendebat. Exinde vir Dei Spiritu (vt diximus) sancto repletus, ad patriam, genitore ac germano defunctis, regreditur, consolaturus Pelagiam genitricem, quæ nullum parentem præter hanc sobolem spectabat. Deinde cùm ieiuniis atque orationibus vacaret, deprecatur eam, vt omnis cura domus, id est, siue correctio familiæ, siue exercitium agrorum, siue cultus vinearum ad eam aspiceret: ne huic viro aliquod accideret impedimentum, quo ab oratione cessaret. vnum sibi tantum priuilegium vindicans, vt ad Ecclesias ædificandas ipse præesset. Quid plura? construxit Templa Dei in honore Sanctorum, expediitque eorum pignora, ac ex familia propria tonsuratos instituit Monachos, Cœnobiúmque fundauit, in quo non modò Cassiani, verùm etiam Basilij, & reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, celebrantur Regulæ, beata muliere victum atque vestitum singulis ministrante. Nec minus hæc tamen impedita hoc onere in Dei laudibus perstrepebat, sed assiduè, & si quiddam operis exerceret, semper orationem Domino tanquam odorem incensi acceptabilis offerebat. Interea ad sanctum Aredium cœperunt infirmi confluere, quos, manus singulis cum vexillo crucis imponens, sanitati reddebat. Quorum si singillatim nomina scribere velim, nec numerum percurrere valeam, nec vocabula memorare. Vnum tamen noui, quòd quicumque ad eum æger aduenit, sospes abscessit. De maioribus quoque miraculis parua proponimus. Iter quodam tempore cum genitrice dum ageret, & sancti Iuliani Martyris ad Basilicam properaret, venerunt vespere in quemdam locum. Erat autem locus ille aridus, & absque fluentis currentibus infœcundus. Dixitque ad eum mater eius: Fili, aquam non habemus, & qualiter hîc nocte præsenti quiescere possumus? At ille prostratus in orationem, & diutissimè preces fudit ad Dominum: & erigens se defixit virgam in terra, quam manu gerebat. Eámque cùm bis aut tertiò in gyrum vertisset, ad se lætus extraxit. Móxque vnda aquæ secuta est tam valida, vt non solùm ipsis de præsenti, sed etiam pecoribus adfatim deinceps pocula ministraret. Nuperrimo autem tempore iter carpens, nimbus ad eum pluuiæ aduenire cœpit. Quem ille cernens, paululum super equum, in quo sedebat, caput inclinans, manus extendit ad Dominum. Consummata verò oratione, diuisa est nubes in duas partes, ac in circuitu eorum immanis descendit pluuia. super eos tamen, nulla (si dici fas est) gutta descendit. Vuistrimundo quoque cognomento Tattonis, ciui Turonico, dentes grauem inferebant dolorem, ex quo etiam maxilla intumuerat. Quod cùm beato viro questus fuisset, manum super locum doloris imposuit, statímque dolor fugatus, nusquam deinceps ad iniuriam hominis excitatus est. Hæc ipse qui passus est retulit. De his verò signis, quæ per virtutem sancti Iuliani Martyris Martinique Confessoris beati, in eius manibus Dominus operatus est, pleraque in libris Miraculorum, sicut ipse effatus est, scripsimus. Post has verò & multas alias virtutes, quas Christo cooperante compleuit, aduenit Turonis post festiuitatem sancti Martini. Ibique paululum commoratus, dixit nobis se aut longæuo tempore adhuc in hoc mundo retineri, aut certè velociùs dissolui. Et vale dicens, abscessit, gratias agens Deo, quia priusquam obiret, sepulchrum beati Antistitis osculari promeruisset. Cúmque ad Cellulam suam accessisset, testamento condito, ordinatis omnibus, ac sancto Martino Hilarióque Antistitibus heredibus constitutis, ægrotare cœpit, ac dysenteriæ morbo grauari. Sexta quoque ægrotationis eius die, mulier, quæ ab spiritu immundo sæpius vexata, à Sancto emundari non poterat, ligatis per se à tergo manibus, clamare cœpit, ac dicere: Currite ciues, exilite populi, exite obuiam Martyribus Confessoribúsque, qui ad exequium beati Aredij conueniunt. Ecce adest Iulianus

A à Briuate, Priuatus ex Mimate, Martinus à Turonis, Martialisque ab vrbe propria. Adest Saturninus à Tholosa, Dionysius ab vrbe Parisiaca, nonnulli & alij quos cœlum retinet, quos vos vt Confessores & Dei Martyres adoratis. Hæc cùm in exordio noctis clamare cœpisset, à Domino suo reuincta est. Sed nequaquam potuit contineri. Quæ rumpens vincula, ad Monasterium cum his vocibus properare cœpit. Móxque beatus vir spiritum tradidit non sine testimonio veritatis, quòd sit susceptus ab Angelis. Mulierem quoque in exequiis suis cum alia muliere nequiori spiritu vexata, vt est sepulchro tectus, à nequitia infesti dæmonij emundauit. Et credo, ob hoc Dei nutu easdem in corpore positus non potuit emundare, vt exequiæ illius hac virtute glorificarentur. Post celebratum verò funus, mulier quædam rictu patulo, sine vocis officio, ad eius accessit tumulum. Quo osculis delibato, elocutionis meruit recipere beneficium.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

XXX. Hoc anno mense secundo tam in Turonico quàm in Namnetico grauis populum lues adtriuit, ita vt modico quisquis ægrotus capitis dolore pulsatus, animam funderet. Sed factis rogationibus cum grandi abstinentia & ieiunio, sociatis etiam eleemosynis, aduersus diuini furoris impetus mitigatus est. Apud Lemouicinam verò vrbem ob Dominici diei iniuriam, pro eo quòd in eo operam publicam exercerent, plerique igne cœlesti consumpti sunt. Sanctus est enim hic dies, qui in principio lucem conditam primus vidit, ac Dominicæ resurrectionis testis factus emicuit: ideóque omni fide à Christianis obseruari debet, ne fiat in B eo omne opus publicum. In Turonico verò nonnulli ab hoc igne, sed non die Dominico, sunt adusti. Siccitas immensa fuit, quæ omne pabulum herbarum auertit. Vnde factum est, vt grauis morbus in pecoribus ac iumentis inualescens, parum vnde sumeretur origo relinqueret: sicut Abacuc Propheta vaticinatus est, *Deficient ab esca oues, & non erunt in præsepibus boues*. Non modò enim in domesticis, verùm etiam in ipsis ferarum immitium generibus hæc lues grassata est. Nam per saltus siluarum multitudo ceruorum & reliquorum animantium prostrata per inuia nacta est. Fœnum ab infusione pluuiarum & inundatione amnium periit. Segetes exiguæ, vineæ verò profusæ fuerunt. Quercuum fructus ostensi effectum non obtinuerunt.

XXXI. De Episcopis Turonicis licèt in superioribus Libris quædam scripsisse visus sim, tamen propter ordinationem eorum & supputationem, quo tempore primùm prædicator ad Turonicam accessit vrbem, reciprocare placuit.

Primus GRATIANVS Episcopus, anno Imperij Decij primo, à Romanæ Sedis Papa transmissus est. In qua vrbe multitudo paganorum idololatriis dedita commorabatur: de quibus nonnullos prædicatione sua conuerti fecit ad Dominum. Sed interdum occulebat se ob impugnationem potentum, eo quòd sæpiùs eum iniuriis & contumeliis, cùm repererant, adfecissent: ac per cryptas & latibula cum paucis Christianis (vt diximus) per eundem conuersis, mysterium solemnitatis diei Dominici clanculo celebrabat. Erat autem valde religiosus, & timens Deum: vt nisi fuisset talis, non vtique domos, parentes, & patriam, ob Dominici amoris diligentiam reliquisset. In hac vrbe sub tali conditione (vt ferunt) annos quinquaginta commoratus, obiit in pace, & sepultus est in ipsius vici cœmiterio, quod erat Christianorum. Et cessauit Episcopatus XXXVII. annis. 1.

D

Secundus anno Imperij Constantis primo LIDORIVS ordinatur Episcopus. Fuit autem de ciuibus Turonicis, & hic valde religiosus. Hic ædificauit Ecclesiam primam infra vrbem Turonicam, cùm iam multi Christiani essent: primáque ab eo ex domo cuiusdam Senatoris Basilica facta est. Huius tempore sanctus Martinus in Galliis prædicare exorsus est. Sedit autem annos XXXIII. & obiit in pace, sepultúsque est in supra scripta Basilica, quæ hodiéque eius nomine vocitatur. 2.

Tertius sanctus MARTINVS, anno VIII. Valentis & Valentiniani, Episcopus ordinatur. Fuit autem de regione Pannoniæ, ciuitate Sabariæ. Qui ob amorem Dei apud vrbem Mediolanensem Italiæ, primò Monasterium constituit. Sed ab hæreticis, eo quòd sanctam Trinitatem intrepidus prædicaret, virgis cæsus, atque expulsus de Italia, in Gallias accessit. Multos paganorum conuerti fecit, templa eorum atque statuas confregit, fecitque multa signa in populos; ita vt ante Episcopatum duos suscitaret mortuos. post Episcopatum autem, vnum tan- 3.

GVNTCHRAMNVS. CHILDIBERTVS. CHLOTHARIVS II.

tummodo suscitauit. Hic transtulit corpus beati Gratiani, sepeliuitque ipsum iuxta sepulchrum sancti Lidorij, in illa nominis sui præfata Basilica. Hic prohibuit ne Maximus gladium in Hispaniam ad interficiendos destinaret hæreticos: quibus sufficere statuit quòd à Catholicorum Ecclesiis essent vel communione remoti. Consummato ergo præsentis vitæ cursu, obiit apud Condatensem vicum vrbis suæ, anno LXXXI. ætatis. De quo vico nauigio sublatus, Turonis est sepultus, in loco quo nunc adoratur sepulchrum eius. De cuius vita tres à Seuero Sulpitio libros conscriptos legimus. Sed & præsenti tempore multis se virtutibus declarat. In Monasterio verò quod nunc Maius dicitur, Basilicam in honorem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli ædificauit. In vicis quoque, id est Alingauiensi, Solonacensi, Ambaciensi, Cisomagensi, Condatensi, Tornomagensi, destructis delubris, baptizatisque gentilibus, Ecclesias ædificauit. Sedit autem annos XXVI. menses IV. dies XXVII. & cessauit Episcopatus dies XX. A

4. Quartus BRICCIVS ordinatur Episcopus, anno Arcadij & Honorij secundo, cùm pariter regnarent. Fuit autem ciuis Turonicus, cui XXXIII. Episcopatus anno, crimen adulterij est impactum à ciuibus Turonicis. Expulsóque eo, Iustinianum Episcopum ordinauerunt. Briccius verò se ad Papam Vrbis dirigit. Iustinianus autem post eum abiens apud vrbem Vercellensem obiit. Turonici iterum malignantes, Armentium statuerunt. Briccius verò septem apud Papam Vrbis annis degens, idoneus inuentus à crimine, ad vrbem suam redire iussus est. B
Hic ædificauit Basilicam paruulam super corpus beati Martini, in qua & ipse sepultus est. Cúmque portam ingrederetur, Armentius per aliam portam mortuus efferebatur. Quo sepulto, cathedram suam recepit. Hunc ferunt instituisse Ecclesias per vicos, id est Calatonnum*, Briccam, Rotomagum, Briotreidem, Cainonem. Fuerúntque omnes anni Episcopatus eius XLVII. Obiitque, & sepultus est in Basilica quam super sanctum Martinum ædificauit.

* al. Catolonnum,

5. Quintus EVSTOCHIVS ordinatur Episcopus, vir sanctus & timens Deum, ex genere Senatorio. Hunc ferunt instituisse Ecclesias per vicos, Brixis, Iciodorum, Luccas, Dolus. Ædificauit etiam Ecclesiam infra muros ciuitatis, in qua reliquias sanctorum Geruasij & Prothasij Martyris condidit, quæ à sancto Martino de Italia sunt delatæ, sicut sanctus Paulinus in Epistola sua meminit. Sedit autem annos XVII. Et sepultus est in Basilica quam Briccius Episcopus super sanctum Martinum struxerat.

6. Sextus ordinatur PERPETVVS, de genere & ipse (vt aiunt) Senatorio, & propinquus decessoris sui: diues valde, & per multas ciuitates habens possessiones. Hic submota Basilica, quam prius Briccius Episcopus ædificauerat super S. Martinum, ædificauit aliam ampliorem miro opere. In cuius absida beatum corpus ipsius venerabilis Sancti transtulit. Hic instituit ieiunia vigiliásque qualiter per circulum anni obseruarentur, quod hodiéque apud nos tenetur scriptum, quorum ordo hic est. C

DE IEIVNIIS.

Post quinquagesimam, quarta & sexta feria vsque Natale sancti Ioannis. De Calend. Septemb. vsque Calendas Octob. bina in septimana ieiunia. De Calendis Octobris vsque depositionem domni Martini, bina in septimana ieiunia. A depositione domni Martini vsque Natale Domini, terna in septimana ieiunia. De natali sancti Hilarij, vsque medium Februarium, bina in septimana ieiunia.

DE VIGILIIS.

Natali Domini in Ecclesia. Epiphania, in Ecclesia. Natali sancti Iohannis, ad Basilicam domni Martini. Natali S. Petri, ad ipsius Basilicam. v. Calend. April. Resurrectione Domini nostri Iesu Christi, ad Basilicam domni Martini. Pascha, in Ecclesia. Die Ascensionis, in Basilica domni Martini. Die quinquagesimo, in Ecclesia. Passione sancti Ioannis, ad Basilicam in baptisterio. Natali sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ad ipsorum Basilicam. Natali sancti Martini, ad eius Basilicam. Natali sancti Symphoriani, ad Basilicam domni Martini. Natali sancti Lidorij, ad eius Basilicam. Natali sancti Briccij, ad domni Martini Basilicam. Natali sancti Hilarij, ad domni Martini Basilicam.

Hic ædificauit Basilicam sancti Petri, in qua cameram Basilicæ prioris posuit, quæ vsque ad nostra tempora perseuerat. Basilicam quoque sancti Laurentij monte

A monte Laudiaco ipse construxit. Huius tempore ædificatæ sunt Ecclesiæ in vicis, id est Euena, Mediconno, Berrao, Balatedine, Vernado*. Condiditque testamentum, & deputauit per singulas ciuitates quod possidebat, in eis ipsis scilicet Ecclesiis non modicam, & Turonicæ tribuens facultatem. Sedit autem annos triginta, & sepultus est in Basilica sancti Martini. GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

Septimus verò VOLVSIANVS ordinatur Episcopus, ex genere Senatorio, vir sanctus, & valde diues, propinquus & ipse Perpetui Episcopi decessoris sui. Huius tempore iam Chlodoueus regnabat in aliquibus vrbibus in Galliis. Et ob hanc causam hic Pontifex suspectus habitus à Gothis, quòd se Francorum ditionibus subdere vellet, apud vrbem Tholosam exilio condemnatus, in eo obiit. Huius tempore vicus Mantolomaus ædificatus est, & Basilica sancti Ioannis in Maiori Monasterio. Sedit autem annos septem, menses duos. * al. Vetnao. 7.

Octauus, ordinatur Episcopus VERVS*, & ipse pro memoratæ causæ zelo suspectus habitus à Gothis, in exilium deductus, vitam finiuit. Facultates suas Ecclesiis & benè meritis dereliquit. Sedit autem annos vndecim, dies octo. * al. Vitus. 8.

Nonus LICINIVS, ciuis Andegauus, qui ob amorem Dei in Orientem abiit, sanctáque loca reuisit. Exinde digressus, in possessione sua Monasterium collocauit infra terminum Andegauum, & postea Abbatis officio in Monasterio, vbi sanctus Venantius Abbas sepultus est, functus, ad Episcopatum eligitur. Huius tempore Chlodoueus Rex victor de cæde Gothorum, Turonis rediit. Sedit autem annos duodecim, menses duos, dies XXV. & sepultus est in Basilica sancti Martini. 9.

B

Decimo loco THEODORVS & PROCVLVS, iubente beata Chrodielde Regina, subrogantur, eo quòd de Burgundia iam Episcopi ordinati, ipsam secuti fuissent, & ab hostilitate de vrbibus suis expulsi fuerant. Erant autem ambo senes valde. Rexerúntque Ecclesiam Turonicam simul annis duobus, & sepulti sunt in Basilica sancti Martini. 10.

Vndecimus DINIFIVS Episcopus, & ipse ex Burgundia veniens: qui per electionem præfati Regis ad Episcopatum accessit. Cui aliquid de fisci ditionibus est largitus, deditque ei potestatem faciendi de his rebus quæ voluisset. Qui maximè Ecclesiæ suæ quod fuit melius dereliquit. Largitus est etiam quiddam & benè meritis. Sedit autem menses decem, & sepultus est in Basilica sancti Martini. 11.

Duodecimus OMMATIVS de Senatoribus ciuibúsque Aruernis, valde diues in prædiis, qui condito testamento per Ecclesias vrbium, in quibus possidebat facultates suas, distribuit. Ipse exaltauit Ecclesiam infra muros vrbis Turonicæ, sanctorum Geruasij atque Protasij reliquiis consecratam, quæ muro coniuncta est. Hic cœpit ædificare Basilicam sanctæ Mariæ infra muros vrbis, quam imperfectam reliquit. Sedit annos quatuor, menses quinque: obiitque, & sepultus est in Basilica sancti Martini. 12.

Tertiusdecimus LEO ex Abbate Basilicæ S. Martini ordinatur Episcopus. 13.

C Fuit autem faber lignarius, faciens etiam turres holochryso tectas: ex quibus quædam apud nos retinentur. In aliis etiam operibus elegans fuit. Sedit autem menses sex, & sepultus est in Basilica sancti Martini.

Quartusdecimus FRANCILIO, ex Senatoribus ordinatur Episcopus. Ciuis Pictauus, habens coniugem, Claram nomine, sed filios non habens. Fuerúntque ambo diuites valde in agris, quos maximè sancti Martini Basilicæ contulerunt, reliquerúntque quædam & proximis suis. Sedit autem annos duos, menses sex. obiitque, & sepultus est in Basilica sancti Martini. 14.

Quintus decimus INIVRIOSVS, ciuis Turonicus, de inferioribus quidem populi, ingenuus tamen. Huius tempore Chrodieldis Regina transiit. Hic perædificauit Ecclesiam sanctæ Mariæ infra muros vrbis Turonicæ. Huius tempore & Basilica sancti Germani ædificata est. Vici etiam, Nouiliacus & Luciliacus, fundati sunt. Hic instituit Tertiam & Sextam in Ecclesia dici, quod modò in Dei nomine perseuerat. Sedit autem annos sexdecim, menses vndecim, dies viginti sex. obiitque, & sepultus est in Basilica sancti Martini. 15.

Sextusdecimus BAVDINVS, ex Referendario Chlotharij Regis, ordinatur Episcopus, habens & filium. multis eleemosynis præditus. Aurum etiam, quod decessor eius reliquerat, ampliùs quàm viginti milia solidorum, pauperibus erogauit. Huius tempore alter vicus Nouiliacus ædificatus est. Hic instituit 16.

GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II. mensam Canonicorum. Sedit autem annos quinque, menses decem. obiitque, & sepultus est in Basilica sancti Martini. A

17. Decimus septimus GVNTHARIVS, ex Abbate Monasterij sancti Venantij ordinatur Episcopus. Vir valde prudens dum Abbatis fungeretur officio, & sæpiùs Legationes inter Reges Francorum faciens. Postquàm autem Episcopus ordinatus est, vino deditus, penè stolidus apparuit. Quæ res eum intantum amentem faciebat, vt conuiuas, quos benè nouerat, nequiret agnoscere. Sæpiùs tamen eos conuiciis agebat, & improperiis. Sedit autem annos duos, menses decem, dies vigintiduos. Obiit autem, & sepultus est in Basilica S. Martini, cessauitque Episcopatus anno vno.

18. Octauus decimus EVFRONIVS Presbyter ordinatur Episcopus, ex genere illo quod superiùs Senatorium nuncupauimus. Vir egregiæ sanctitatis, ab ineunte ætate Clericus. Huius tempore ciuitas Turonica cum omnibus Ecclesiis magno incendio concremata est, de quibus ipse postea duas reparauit, tertiam vetustissimam relinquens desertam. Postea verò Basilica sancti Martini & ipsa incendio est adusta per Vuiliacharium, cùm ibi confugium pro Chramni quondam circumuentione fecisset. Quam postea idem Pontifex texit stanno, opitulante Rege Chlothario. Huius tempore Basilica sancti Vincentij ædificata est. Tauriaco, Cerate, & Orbiniaco, vicis, Ecclesiæ ædificatæ sunt. Sedit autem annos septemdecim, obiitque ætate septuagenaria, & sepultus in Basilica sancti Martini. Cessauitque Episcopatus dies XIX. B

19. Nonusdecimus GREGORIVS ego indignus, Ecclesiam vrbis Turonicæ, in qua beatus Martinus & ceteri Sacerdotes Domini ad Pontificatus officium consecrati sunt, ab incendio dissolutam diruptámque nactus sum. Quam reædificatam in ampliori altiorique fastigio septimodecimo ordinationis meæ anno dedicaui. In qua, sicut à longæuis Presbyteris comperi, beatorum ibidem reliquiæ Agaunensium ab antiquis fuerunt collocatæ. Ipsam etiam capsulam in thesauro Basilicæ sancti Martini reperi, in qua valde putredine erat pignus dissolutum, quod pro eorum religionis est virtute delatum. Ac dum vigiliæ in eorum honore celebrarentur, libuit animo hæc iterum prælucescente cereo visitare. Quæ dum à nobis attentè rimantur, dixit ædis ædituus: Est hîc, inquit, lapis opertorio tectus, in quo quid habeatur prorsus ignoro, sed nec prædecessores ministros huius custodiæ scire comperi. Deferam eum, & scrutamini diligenter quid contineatur intra conclusum. Quem delatum reseraui (fateor) & inueni in hoc capsulam argenteam, in qua non modò beatæ Legionis testium, verùm etiam multorum Sanctorum tam Martyrum quàm Confessorum reliquiæ tenebantur. Nacti etiam sumus & alios lapides, ita vt hic erat, concauos, in quibus sanctorum Apostolorum cum reliquorum Martyrum, pignera continebantur. Quod munus ego diuinitus indultum admirans, & gratias agens, celebratis vigiliis, dictis etiam Missis, hæc in Ecclesia collocaui. In Cellula sancti Martini Ecclesiæ ipsi contigua, sanctorum Cosmæ & Damiani Martyris reliquias posui. Basilicas sancti Perpetui adustas incendio reperi, quas in illo nitore vel pingi, vel exornari, vt priùs fuerant, artificum nostrorum opere imperaui. Baptisterium ad ipsam Basilicam ædificari præcepi, in quo sancti Ioannis cum Sergij Martyris, reliquias posui: & in illo priore baptisterio sancti Benigni Martyris pignera collocaui. In multis verò locis infra Turonicum terminum, & Ecclesias, & Oratoria dedicaui, Sanctorúmque reliquiis inlustraui, quæ memorare ex ordine prolixum censui. C

Decem Libros Historiarũ, septem Miraculorum, vnum de Vitis Patrum scripsi. In Psalterij tractatum Librum vnum commentatus sum. De Cursibus etiam Ecclesiasticis vnum Librum condidi. Quos Libros licèt stilo rusticiori scripserim, tamen coniuro omnes Sacerdotes Domini, qui post me humilem Ecclesiam Turonicam sunt recturi, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, ac terribilem reis omnibus iudicij diem, si nunquam confusi de ipso iudicio discedentes cum diabolo condemnandi estis, vt nunquam Libros hos abolere faciatis, aut rescribi quasi quædam legentes, & quasi quædam prætermittentes: sed ita omnia vobiscum integra inlibatáque permaneant, sicut à nobis relicta sunt. Quòd si te, Sacerdos Dei, quicumque es, Martianus noster septem disciplinis erudiit, id est, si te in Grammaticis docuit legere, in Dialecticis altercationum propositiones

A aduertere, in Rhetoricis genera metrorum agnoscere, in Geometricis terrarum linearúmque mensuras colligere, in Astrologicis cursus siderum contemplari, in Arithmeticis numerorum partes colligere, in harmoniis sonorum modulationes suauium accentuum carminibus concrepare: si in his omnibus ita fueris exercitatus, vt tibi stilus noster sit rusticus, nec sic quoque deprecor, vt auellas quæ scripsi. Sed si tibi in his quiddam placuerit, saluo opere nostro te scribere versu non abnuo. Hos autem Libros in anno vicesimoprimo ordinationis nostræ perscripsimus: scilicet in superioribus de Episcopis Turonicis scripsimus, annotantes annos eorum. Non tamen sequitur ac supputatur numerus chronicalis, quia interualla ordinationum integrè non potuimus reperire. Est ergo omnis summa annorum mundialium talis: GVNTCHRAMNVS. CHILDEBERTVS. CHLOTHARIVS II.

A principio vsque ad diluuium anni MMCCXLII.

A diluuio vsque ad transitum filiorum Israël per mare Rubrum, anni MCCCCIV.

Ab hoc maris transitu vsque ad Resurrectionem Dominicam, anni MDXXXVIII.

A Resurrectione Dominica vsque ad transitum sancti Martini, anni CCCCXII.

A transitu S. Martini vsque ad memoratum superiùs annum, id est, ordinationis nostræ primum & vicesimum, qui fuit Gregorij Papæ Romani quintus, Guntchramni Regis XXXI. Childeberti iunioris XIX. anni CCXVIII*. *CLXXVIII.

Quorum omnis summa est, annorum MMMMMDCCCLXIV*. * DCCCXIV.

B EXPLICIT LIBER DECIMVS.

Appendix, quæ Libri XI. loco Gregorij Turonensis Historiæ adiecta erat in vulgatis editionibus, infra sub Auctoris sui, nempe FREDEGARII SCHOLASTICI, *nomine reperietur.*

A

VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI, PRESBYTERI ITALICI, EPISCOPI PICTAVIENSIS, CARMINA HISTORICA;

De Regibus Francorum, Reginis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, & aliis illustribus sui seculi viris. B

EX LIBRO PRIMO.

De Leontio Episcopo.

CARM. XV. INTER quos genuit radians Aquitanicus axis,
Egregiis meritis culmina prima tenes.
Ciuibus ex Gallis supereminet alta potestas,
Tu potior reliquis, & tibi nemo prior.
Præcedis multos, nulli minor, atque secundus,
Nec superest aliquid quod dare possit honor.
Qui, cùm se primùm vestiuit flore iuuentus,
Paruus eras annis, & grauitate senex.
Versus ad Hispanas acies cum Rege sereno
Militiæ creuit palma secunda tuæ.
Cuius primitiæ tanto placuêre relatu, C
Vt meritis esset debitus iste gradus.
Nec poterant subitò tibi culmina celsa parari,
Hæc nisi digna tuum promeruisset opus.
Nobilitate potens præcellis Papa LEONTI,
Clarus ab antiquis si numerentur aui.
Nam genus, & proaui, vel quidquid in ordine dicam,
Per Proceres celsos currit origo vetus.
Tempora diffugiunt, & stat tamen aula parentum,
Nec patitur lapsum, te reparante, domus.
Nobilitas longos non inclinauit in annos,
Cui magis assensum proles opima dedit.
Inclyta progenies ornauit luce priores,
Heredis radio splendet origo patrum.
De radice sua vestita est flore vetustas,
Quam meritò vestræ laudis obumbrat honor.
Quamuis non aliquis potior modo possit haberi,
Tu tibi præcedis, amplificando patres.
Emicat altus apex generosa stemmata pandens,
Cuius apud Reges vnica palma patet.

A Ecclesiæ nunc iura regis, venerande Sacerdos,
Altera nobilitas additur indè tibi.
Pontificalis apex quamuis sit celsus in Vrbe,
Postquàm te meruit, creuit adeptus honor.
Aula Dei, & Pastor, vicibus sibi præmia reddunt.
Illi tu ornatum, spem dedit illa tibi.
Munere diuino pariter floretis vtrique,
Tu mercede places, illa decore nitet.
Tertius à decimo huic vrbi Antistes haberis,
Sed primus meritis enumerandus eris.
Templa vetusta Dei reuocasti in culmine prisco,
Póstque suum lapsum nunc meliora placent.
Flore iuuentutis senio fugiente coruscant,
Et tibi læta fauent, quo renouante virent.
Vt tu plus ageres, incendia tecta cremarunt,
Et nunc laude tua pulchriùs illa micant.
Nulláque flammicremæ senserunt damna ruinæ,
Quæ modo post ignes lumine plena nitent.
Credo quòd ex sese voluissent ipsa cremari,
Vt labor ille tuus hæc meliora daret.
B Post cineres consumpta suos, tenuésque fauillas,
Sic solet & Phœnix se renouare senex.
Instaurata etiam sacri est baptismatis aula,
Quo maculas veteres fons lauat vnus aquis.
Ecce beata sacræ fundasti Templa Mariæ,
Nox vbi victa fugit semper habendo diem.
Lumine plena micans imitata est aula Mariam,
Illa vtero lucem clausit, & ista diem.
Nec solùm hîc, sed vbique micant tua Templa, Sacerdos,
Inter quæ plaudens Sanctonus illa docet.
Cui loca das populis, vbi Christum iugiter orent,
Vnde salus veniat, te facis esse viam.
Ecclesiæque domus crescente cacumine pollet,
Et probat esse tuum, quòd modo culta placet,
Fecisti vt libeat cunctos hîc currere ciues,
Et domus vna vocet quidquid in vrbe manet.
Ornasti patriam, cui dona perennia præstas,
Tu quoque dicendus Burdegalense decus.
Quantum inter reliquas caput hæc super extulit vrbes,
Tantum Pontifices vincis honore gradus.
D Inferiora velut sunt flumina cuncta Garumnæ,
Non aliter vobis subiacet omnis apex.
Rhenus ab Alpe means neque tantis spumat habenis *, *arenis,
Fortior Hadriacas nec Padus intrat aquas.
Danubius par est, qui longiùs egerat vndas,
Hæc ego transcendi. iudico nota mihi.
Muneribúsque piis dotasti altaria Christi,
Cùm tua vasa ferunt viscera sancta Dei.
Nam cruor, & corpus Domini libamina summi,
Ritè ministerium te tribuente, venit.
O felix, cuius ditat pia Templa facultas,
Cui res ista magis non peritura manet.
Non ærugo teret mordaci dente talentum,
Nec contra hæc fures arma dolosa mouent.
Et data res viuit, facit & benè viuere dantem,
Cùm moritur terris, ducitur indè polis.
Hæc possessor habet, quidquid transmiserit ante,
Sola tenet secum quæ priùs ire facit.

Hæc tibi Templa dabunt, & vasa sacrata Sacerdos, A
Et quidquid reliquum nec numerare queo.
Ecclesiæ culmen per tempora longa gubernes,
Et mercede pia fructus vbique mices.
Cogor amore etiam PLACIDINÆ pauca referre,
Quæ tibi tunc coniux, est modò chara soror.
Lumen ab ARCADIO veniens genitore refulget,
Quo manet Augustum germen, AVITE, tuum.
Imperij fasces toto qui rexit in Orbe,
Cuius adhuc pollens iura Senatus habet.
Humani generis si culmina prima requiras,
Semine Cæsareo nil superesse potest.
Sed genus ipsa suum sensus moderamine vicit,
Cuius ab eloquio dulcia mella fluunt.
Chara, serena, decens, solers, pia, mitis, opima,
Quæ bona cuncta gerit, quidquid honore placet.
Moribus, ingenio, meritorum luce coruscans,
Ornauit sexum mens preciosa suum.
Plurima cur referam, quantis sit prædita rebus,
Quæ potuit votis nupta placere tuis?
Augeat hæc vobis vitam, cui Templa dedistis,
Culminibúsque suis culmina vestra tegat. B

Ad Placidiam matrem Leontij Episcopi.

XVII. MVNERA parua nimis pia suscipe, quæso, libenter,
Quæ magis ipsa decens munus in Orbe micas.
Fluctibus è mediis hæc vt daret Insula vobis,
Oceanus tumidis murmure præstat aquis.
Quæ loca dum volui properans agnoscere, Ponti
A Borea veniens reppulit vnda furens.
Prosperitas vt vestra tamen se plena probaret,
Obtulit in terris quod peteretur aquis.

De Bissonno villa Burdegalensi.

XVIII. EST locus, æstifero quamuis sit tempore feruor,
Quo viret assiduo flore refectus ager.
Respirant croceis depicta coloribus arua,
Flagrat odoriferis blandior herba comis.
Incola BISSONNVM vocat hunc de nomine prisco,
Millia septem vrbs hinc Burdegalensis abest.
Quo possessor amans prætoria grata locauit, C
Partibus atque tribus porticus æqua subit.
Strauerat ipsa solo senio rapiente vetustas,
Perdiderat vultum forma decora suum.
Hunc meliore via reuocat labor ille Leonti,
Quo præsente domus nulla ruina premit.
Nunc quoque prosperiùs velut aula sepulta resurgit,
Et fauet auctori viuificata suo.
Reddidit interea prisco noua balnea cultu,
Quo recreant fessos blanda lauacra viros.
Hîc referunt nutrisse lupos deserta tenentes,
Intulit hic homines, expulit vnde feras.

De Vereginis villa Burdegalensi.

XIX. INTER opima ferax, qua voluitur vnda Garomnæ,
VEREGINIS ripis vernat amœnus ager.
Hic breuis ascensus leni subit aggere cliuum,
Carpit & obliqua mole viator iter.

A Altior à planis aruis minor eminet altis,
Necve humilis nimium, necve superbit apex.
Colle sedet medio domus ædificata decenter,
Cuius vtrumque latus hinc iacet, inde tumet.
Machina celsa casæ triplici suspenditur arcu,
Quo pelagi pictas currere credis aquas.
Exilit vnda latens viuo generata metallo,
Dulcis & irriguo fonte perennis aquæ.
Quo super accumbens celebrat conuiuia pastor,
Inclusóque lacu pisce natante bibit.
Nunc renouanda venit Papæ mercede Leonti,
Quem Dominum longo tempore culta cupit.

De Præmiaco villa Burdegalensi.

XX. QVAMVIS instet iter, retrahárque volumine curæ,
Ad te pauca ferens carmina flecto viam.
Captus amore tui numquam memoranda tacebo,
Te neque prætereo præterundo locum.
Qui cùm digna loquar, si syllaba quarta recedat,
PRÆMIACVM pollens præmia nomen habes.
B Delitiis obsessus ager, viridantibus aruis,
Et naturalis gratia ruris inest.
Condita quo domus est, planus tumor exit in altum,
Nec satis elato vertice regnat apex.
Qua super incumbens locus est deuexus in amnem,
Florea gemmato gramine prata virent.
Leniter appulsus quoties insibilat Eurus,
Flexa supinatis fluctuat herba comis.
Hinc alia de parte seges flauescit aristis,
Pinguis & altricem palmes opacat humum.
Piscibus innumeris non deficit vnda Garomnæ,
Et si desit agris fruges, abundat aquis.
Sed te quærebant hæc munera tanta Leonti.
Solus defueras, qui bona plena dares.
Nam quòd pulcra domus, quòd grata lauacra nitescunt,
Consolidatorem te cecinêre suum.
Vt tamen acquirant & adhuc fabricanda decorem,
Temporibus longis hæc tua dona regas.

C
EX LIBRO SECVNDO.

De Launebode Duce, qui ædificauit Templum sancti Saturnini.

CARM. IX. LAVDIBVS humanis reliquorum corda resultent,
At mihi de iustis commemorare vacet.
Nam pietatis opus victores texere libris,
Admonet ingenium res ratione duplex.
Vna, quòd est habilis, de magnis magna fateri,
Nam bona qui reticet criminis auctor erit.
Altera causa mouet, quoniam successus amatur,
Et meliora capit qui sua facta legit.
SATVRNINVS enim Martyr venerabilis Orbi,
Nec latet egregij palma beata viri.
Qui cùm Romana properasset ab vrbe Tolosam,
Et pia Christicoli semina ferret agri:

Tunc vesana cohors Domini comprehendit amicum, A
  Instituítque pij membra terenda trahi.
Implicitus tauri pede posteriore pependit,
  Tractus in obliquum dilaceratus obit.
Hac ope de terris animam transmisit Olympo.
  O felix, cuius funere mors moritur.
Sed locus ille quidem, quo Sanctus vincula sumpsit,
  Nullius Templi fultus honore fuit.
LAVNEBODES enim, post secula longa, Ducatum
  Dum gerit, instruxit culmina sancta loci.
Quod nullus veniens Romana gente fabriuit,
  Hoc vir barbarica prole peregit opus.
Coniuge cum propria BERETHRVDE clara decore,
  Pectore quæ blando clarior ipsa nitet.
Cui genus egregium fulget de stirpe potentum,
  Addidit ornatum vir, venerando Deum.
Quæ manibus propriis alimonia digna ministrat,
  Pauperibus tribuens, se satiare cupit.
Indefessa fidem Christi per Templa requirit,
  Iugiter excurrens ad pietatis opus.
Nudos veste tegit, sitienti pocula profert. B
  Se magis æterno femina fonte replet.
Proficit hoc etiam, quidquid gerit illa marito,
  Anxia pro cuius vota salute facit.
Dux meritis in gente sua qui pollet opimis,
  Celsus vbique micans nobilitatis ope.
Sed quamuis altum teneat de stirpe cacumen,
  Moribus ipse suos amplificauit auos.
Ergo pari voto maneant in secula iuncti,
  Et micet ambobus consolidatus amor.

Ad Clerum Parisiacum.

X. COETVS honorifici decus & gradus ordinis ampli,
  Quos colo corde, fide, relligione Patres:
Iamdudum obliti desueto carmine plectri,
  Cogitis antiquam me renouare lyram.
En stupidis digitis stimulatis tangere chordas,
  Cùm mihi non solito currat in arte manus.
Scabrida nunc resonat mea lingua rubigine verba,
  Exit & incompto raucus ab ore fragor.
Vix dabit in veteri ferrugine cotis acumen, C
  Aut fumo infecto splendet in ære color.
Sed quia dulcedo pulsans quasi malleus instat,
  Et veluti incude cura relisa terit:
Pectoris atque mei succenditis igne caminum,
  Vnde ministratur cordis in arce vapor:
Obsequor hinc, quia me veluti fornace recocto,
  Artis ad officium vester adegit amor.
Celsa PARISIACI CLERI reuerentia pollens,
  Ecclesiæ genium, gloria, munus, honor.
Carmine Dauidico diuina poëmata pangens,
  Cursibus assiduis dulce reuoluit opus.
Inde Sacerdotes, Leuiticus hinc micat ordo:
  Illos canicies, hos stola pulchra tegit.
Illis pallor inest, rubor his in vultibus errat,
  Et candent rutilis lilia mixta rosis.
Illi iam senio, sed & hi benè vestibus albent,
  Vt placeat summo picta corona Deo.

A In medio GERMANVS adeſt Antiſtes honore,
Qui regit hinc iuuenes, ſubrigit indè ſenes.
Leuitæ præeunt, ſequitur grauis ordo canentum:
Hos gradiendo mouet, hos moderando trahit.
Ipſe tamen ſenſim incedit, velut alter Aaron:
Non de veſte nitens, ſed pietate placens.
Non lapides, coccus, cidarim, aurum, purpura, byſſus,
Exornant humeros, ſed micat alma fides.
Iſte ſatis melior veteri quàm lege Sacerdos,
Hic quia vera colit quod prius ymbra fuit.
Magna futura putans, præſentia cuncta refellens,
Antea carne carens, quàm caro fine ruens.
Sollicitus, quemquam ne deuoret ira luporum,
Colligit ad caulas Paſtor opimus oues.
Aſſiduis monitis ad paſcua ſalſa vocatus,
Grex vocem agnoſcens currit amore ſequax.
Miles ad arma celer, ſignum mox tinnit in aures,
Erigit excuſſo membra ſopora toro.
B Aduolat ante alios, myſteria ſacra requirens,
Vndique quiſque ſuo Templa petenda loco.
Flagranti ſtudio populum domus irrigat omnem,
Certatimque monent quis prior ire valet.
Peruigiles noctes ad prima crepuſcula iungens,
Conſtruit angelicos turba verenda choros.
Greſſibus exertis in opus venerabile conſtans,
Vim factura polo cantibus arma mouet.
Stamina Pſalterij lyrico modulamine texens,
Verſibus orditum carmen amore trahit.
Hinc puer exiguis attemperat organa cannis,
Inde ſenex largam ructat ab ore tubam.
Cymbalicæ voces calamis miſcentur acutis,
Diſparibúſque tropis fiſtula dulce ſonat.
Tympana rauca ſenum puerilis tibia mulcet,
Atque hominum reparant verba canora lyram.
Leniter iſte trahit modulus, rapit alacer ille,
Sexus & ætatis ſic variatur opus.
Triticeas fruges feruens terit area Chriſti,
Horrea quandoquidem conſtruitura Dei.
Voce Creatoris reminiſcens eſſe beatos,
C Quos Dominus vigiles, dum redit ipſe, videt.
In quorum meritis, animo, virtute, fidéque,
Tegmine corporeo lumina quanta latent?
Pontificis monitis Clerus, plebs pſallit, & infans,
Vnde labore breui fruge replendus erit.
Sub duce GERMANO felix exercitus hic eſt.
Moſes tende manus, & tua caſtra iuua.

De Eccleſia Pariſiaca.

XI. SI Salmoniaci memoretur machina Templi,
Arte licèt par ſit, pulchrior iſta fide.
Nam quæcumque illic veteris velamine legis
Clauſa fuêre priùs, hîc reſerata patent.
Floruit illa quidem vario intertexta metallo,
Clariùs hæc Chriſti ſanguine tincta nitet.
Illa aurum, lapides, ornarunt cedrina ligna,
Huic venerabilior de cruce fulget honor.
Conſtitit illa vetus ruituro ſtructa talento,
Hæc precio mundi ſtat ſolidata domus.

A

Splendida marmoreis attollitur aula columnis,
Et quia pura manet, gratia maior inest.
Prima capit radios vitreis oculata fenestris,
Artificisque manus clausit in arce diem.
Cursibus auroræ vaga lux laquearia complet,
Atque suis radiis, & sine sole micat.
Hæc priùs egregio Rex CHILDEBERTVS amore
Dona suo populo non moritura dedit.
Totus in affectu diuini cultus adhærens,
Ecclesiæ iuges amplificauit opes.
Melchisedech noster meritò Rex atque Sacerdos,
Compleuit laicus relligionis opus.
Publica iura regens, & celsa Palatia seruans,
Vnica Pontificum gloria, norma fuit.
Hinc abiens, illic meritorum viuit honore,
Hìc quoque gestorum laude perennis erit.

De Baptisterio Maguntiæ.

XII. ARDVA sacrati baptismatis aula coruscat,
Quo delicta Adæ Christus in amne lauat.
Hìc Pastore Deo puris grex mergitur vndis,
Ne maculata diu vellera gestet ouis. B
Traxit origo necem de semine, sed Pater Orbis
Purgauit medicis crimina mortis aquis.
Hanc tamen Antistes SIDONIVS extulit arcem,
Qui Domini cultum Templa nouando fouet.
Struxit BERTHOARÆ voto complente Sacerdos,
Quæ decus Ecclesiæ cordis amore placet.
Catholicæ fidei splendor, pietate coruscans,
Templorum cultrix, prodiga pauperibus.
Seminat vnde metat, fruges spargendo recondens,
Terrenis opibus non moritura parat.
Filia digna, patri te, THEODEBERTE, reformans,
Rexisti patriam qui pietate patris.
Et comitante fide reuocasti ex hoste triumphos,
Sed capti precio mox rediêre tuo.
Regum Ecclesiæ fultor, laus Regni, Pastor egentum,
Cura Sacerdotum, promptus ad omne bonum.
Cuius dulce iugum nullus gemuisse fatetur,
Viuis adhuc meritis Rex in amore tuis.

C

EX LIBRO TERTIO.

Ad Felicem Episcopum ex nomine suo.

CARM. V. FIDA salus patriæ, FELIX spe, nomine, corde,
Ordo Sacerdotum, quo radiante, micat.
Restituis terris quod publica iura petebant,
Temporibus nostris gaudia prisca ferens.
Vox Procerum, lumen generis, defensio plebis,
Naufragium prohibes hìc vbi portus ades.
Auctor Apostolicus, qui iura Britannica vincens,
Tutus in aduersis, spe crucis, arma fugas.
Viue decus patriæ, fidei lux, auctor honoris,
Splendor Pontificum, noster & Orbis amor.

A

Ad eumdem de dedicatione Ecclesiæ suæ.

VI. CVM Salomon coleret generosi encænia Templi,
Israheliticos fecit adesse viros.
Leuitas, Proceres, pueros, iuuenésque, senésque,
Vndique certatim regia pompa trahit.
Mactantur vituli tauri iugulantur ad aras,
Et populi in votis gaudia cædis erant
Nunc verò adsurgit, ritu placitura beato,
Tempore decurso, iustior ara Deo.
Prospera quæ populis FELIX modò festa ministrans,
Exuperat rebus gesta priora nouis.
Conuocat egregios sacra ad solemnia Patres,
Quo stat vera salus, & fugit vmbra vetus.
Docti claue Petri cœlos aperire petenti,
Ac monitis Pauli noscere clausa poli.
Ne lupus intret oues, nec morbus inulceret agnos,
Hinc sunt custodes, indè medela gregis.
Quorum vox refluens populo de fonte salutis,
Vt bibat aure fidem, porrigit ore salem.
B Inter quos medios Martini sede Sacerdos
EVPHRONIVS fulget, Metropolita sacer:
Plaudens in sancta Fratrum coëunte corona,
Et sua membra videns, fortior extat apex.
Lætius indè caput, quia sunt sua viscera secum,
Ecclesiæ iuncto corpore crescit honor.
DOMITIANVS, item VICTORIVS, ambo columnæ,
Spes in vtrisque manens pro regionis ope.
DOMNVLVS hîc fulget meritis, MARACHARIVS indè,
Iure Sacerdotij cultor vterque Dei.
En spectat, veniat quæ nunc memoranda per æuum,
Votis plena piis fulget in Orbe dies.
In qua promeruit sua gaudia cernere pastor,
Officióque sacro reddere vota Deo.
Tempore qui longo aduentu pendebat in isto,
Despiciens aliud, hoc erat omnis amor:
Omnia tuta timens suspecto in tramite vitæ,
Ne priùs iret iter, quàm daret ista Deo.
Sæpiùs occultans, suspiria lassa trahebat,
Cederet vt Dominus hoc properare decus.
C Anxius incerto curarum fasce laborans,
Dum votum spectat, pondera tempus erant.
Sed iam festus adest, soluatur sarcina curæ,
Lætitiæ cumulus triste repellat onus.
Prospera dans populis, & gaudia larga, per vrbem
FELIX felici cum grege, pastor, age.
Hinc te Pontifices circumdant, indè ministri:
Cingit te totum hinc honor, indè fauor.
Clerus ecce choris resonat, plebs indè choraulis,
Quisque tuum votum qua valet arte canit.
Tarda fuêre tibi, quia fit mora semper amanti,
Res sublimis enim tarda, sed ampla venit.
Nunc Domini laudes inter tua classica cantu,
Et Trinitatis opem machina trina sonet.
Adde medullata in Templis holocausta Sacerdos,
Quo diuturna mices, hostia pura, Deo.

Ad eundem, in laudem eius, & regionis Armorici. A

VIII. ILLVXIT festiua dies, me gaudia cogunt,
Vt quod plebs poterat solus amore loquar.
Vltima quamuis sit regio ARMORICVS in Orbe,
FELICIS meritis cernitur esse prior.
Miserunt similes Oriens & Gallia sortes,
Illa micat radiis Solis, & ista tuis.
Nam splendore nouo sua munera quisque ministrat,
Tu fers Oceano lumen, & ille Rubro.
Denique si sensus clara pro lampade fulget,
Ingenium vestrum luminis instar habet.
Maxima progenies titulis ornata vetustis,
Cuius & à proauis gloria celsa tonat.
Nam quicumque potens Aquitanica rura subegit,
Extitit ille tuo sanguine, luce, parens.
Germinis antiqui venerabile culmen in Orbe,
Laudibus in cuius militat omne decus.
Flos generis, tutor patriæ, correctio plebis,
Eloquij flumen, fons salis, vnda loquax. B
Semita doctrinæ, ius causæ, terminus iræ,
Cuius in ingenium huc noua Roma venit.
Illic quod poterat per plures illa docere,
Re contenta suo Gallia ciue placet.
Ornamenta geris gemino fulgentia dono,
Et te concelebrant hinc opus, indè genus.
Sed qui terrena de nobilitate nitebas,
Ecclesiam nunc spe nobiliore regis.
Cuius ad aratrum bone cultor iugiter instas,
Vt iam multa Deo splendida dona dares.
Nupsisti Ecclesiæ, felicia vota iugasti,
Hanc qui matronam dote potente reples.
Cuius in amplexu ducis sine crimine vitam,
Altera nec mulier corde recepta fuit.
Hanc oculis, animo retines, & corde pudico,
Vnde tibi nupsit, castior indè manet.
Illa tibi prolem peperit, sed corpore virgo,
Et populum gremio fudit amata tuo.
Ecce tuos natos diuina ex coniuge sumptos, C
Et modo te gaudent, quos patris vmbra tegit.
Próque salute gregis, Pastor, per compita curris,
Exclusóque lupo tuta tenetur ouis.
Insidiatores remoues, vigil arte, Britannos.
Nullius arma valent quod tua lingua facit.
Tu quoque ieiunis cibus es, tu panis egenti,
Quæ sibi quisque cupit, hic sua vota videt.
Diuitias proprias in pauperis ore recondis,
Largas mendici ventre reponis opes.
Tempore quo veniet Christus, tunc omnia vobis
Iudicis in facie sacculus iste refert.
Sit tibi fixa salus, numerosos ampla per annos,
Perpetuus Felix nomine, mente, fide.

De Nicetio Episcopo Treuerensi.

XI. SPLENDOR, apex fidei venerabile mente NICETI,
Totius Orbis amor, Pontificúmque caput.
Summus Apostolico præcellens Pastor ouili,
Auxisti meritis quidquid honoris habes.

Diuino

A Diuino insistens operi, terrena relinquis;
Cui moritur mundus, non moriture manes.
Vita breuis cunctis, sed non breuis illa beatis.
Cùm bona non pereant; iure perennis eris.
Dum tibi restrictus maneas; & largus egenis,
Quod facis in minimis, te dare crede Deo.
Captiuus quicúmque redit sua limina cernens,
Ille lares patrios, tu capis indè polos.
Hic habet exul opem; ieiunans inuenit escas;
Qui venit esuriens, hinc satiatus abit.
Tristibus imponis curas purgando querelas,
Et sanat cunctos vna medela viros.
Pauperis hinc lacrimas desiccas, gaudia præstans:
Qui priùs ingemuit, vota salutis habet.
Te pascente greges numquam lupus abripit agnos;
Sunt benè securi quos tua caula tegit.
Templa vetusta Dei reuocasti in culmine prisco;
Et floret senior te reparante domus.
Hinc populis longos tribuas pia vota per annos;
Et maneas Pastor, ne lacerentur oues.

B

De castello eiusdem super Musellam.

XII. MONS in præcipiti suspensa mole tumescit,
Et leuat excelsum saxea ripa caput.
Rupibus expositis, intonsâ cacumina tollit,
Tutus & elato vertice regnat apex.
Proficiunt colli, quæ vallibus arma recedunt:
Vndique terra minor vergit, & iste subit.
Quem Musella tumens, Rhodanus quoque paruulus ambit,
Certantúrque suo pascere pisce locum.
Diripiunt dulces alibi vaga flumina fruges,
Hæc tibi parturiunt, MEDIOLANE, dapes.
Quantum crescit aquis, pisces viciniùs offert,
Exhibet hinc epulas vnde rapina venit.
Cernit frugiferos congaudens incola sulcos,
Vota ferens segeti fertilitate graui.
Agricolæ pascunt oculos de messe futurâ,
Ante metit visu quàm ferat annus opem.
Ridet amœnus ager, tectus viridantibus herbis.
Oblectant animos mollia prata vagos.
C Hæc vir Apostolicus NICETIVS arua peragrans,
Condidit optatum Pastor ouile gregi.
Turribus incinxit ter denis vndique collem,
Præbuit hic fabricam, quo nemus ante fuit.
Vertice de summo demittunt brachia murum,
Dum Musella suis terminus extet aquis.
Aula tamen nituit constructa cacumine rupis,
Et monti imposito mons erat ipsa domus.
Complacuit latum muro concludere campum,
Et prope castellum hæc casa sola facit.
Ardua marmoreis suspenditur aula columnis,
Qua super æstiuas cernit in amne rates.
Ordinibus ternis extentáque machina creuit,
Vt postquam ascendas iugera, tecta putes.
Turris ab aduerso quæ constitit obuia cliuo,
Sanctorum locus est, arma tenenda viris.
Illic est etiam gemino ballista volatu,
Quæ post se mortem linquit, & ipsa fugit.

Ducitur in rigidis sinuosa canalibus vnda, A
Ex qua fert populo hic mola rapta cibum.
Blandifluas stupidis induxit collibus vuas,
Vinea culta viret, quò fuit ante frutex.
Insita pomorum passim plantaria surgunt,
Et pascunt vario floris odore locum.
Hæc tibi proficiunt, quidquid laudamus in illis,
Qui bona tot tribuis, Pastor opime, gregi.

De Magnerico Treuerensi Episcopo.

XIII. CVLMEN honorificum, Patrum Pater, Archisacerdos,
Pontificale decus proficiente gradu.
Quem fidei titulus meritis erexit in altum,
Ecclesiæque caput, distribuente Deo.
Discipule egregij bone MAGNERICE Niceti,
Nominis auspicio Magne canende tui.
Clare sacro merito, tanto informate magistro,
Quem reparas operum fructificante loco.
Cuius opime sequax, sancta & vestigia seruans, B
Rite minister agens, ecce magister ades.
Auctorísque pij successor dignus haberis,
Heredísque sui, frugiparénsque manet.
Creuit post obitum pater, & te crescere fecit,
Dum capit ille polum, tu capis arce locum.
Grex alitur pro te, vice præcessoris alumne,
Nec sua damna dolet, dum tua lucra tenet.
Fratribus optandis, iucundus honore ministris,
Cariùs & populis pastor amore places.
Te panem esuriens, tectum hospes, nudus amictum,
Te fessus requiem, spem peregrinus habet.
Hæc faciens intende magis venerande Sacerdos,
Vt commissa tibi dupla talenta feras.
Pro FORTVNATO exorans quoque dulcis amator,
Spem mihi dans veniæ, sit tibi palma, Pater.

Ad Villicum Episcopum Metensem.

XIV. GVRGITE cœruleo pelagus Musella relaxat, C
Et monet ingentes molliter amnis aquas.
Lambit odoriferas vernanti gramine ripas,
Et lauat herbarum leniter vnda comas.
Hinc dextrâ de parte fluit, qua Salia fertur,
Flumine sed fluctus pauperiore trahit.
Hic vbi perspicuus Musellam cursibus intrat,
Alterius vires implet, & ipse perit.
Hoc METTIS fundata loco speciosa, coruscans,
Piscibus obsessum gaudet vtrumque latus.
Deliciosus ager ridet, vernantibus aruis:
Hinc sata culta vides, cernis & indè rosas.
Prospicis vmbroso vestitos palmite colles,
Certatur variâ fertilitate locus.
Vrbs munita nimis, quam cingit murus & amnis,
Pontificis meritis stas valitura magis.
VILLICVS æthereis qui sic benè militat armis,
Stratus humi genibus te leuat ille suis.
Vnde humilis terris te proiicis, alme Sacerdos,
Orando hinc patriæ ducis ad astra caput.

A Fletibus assiduis acquiris gaudia plebi,
Pastoris lacrimis lætificantur oues.
Ictibus inualidis quamuis minitetur iniquus,
Tu quibus es murus, vulnera nulla timent.
Et licèt incluso lupus insidietur ouili,
Te custode gregis nil tibi prædo nocet.
Oblectas populos vultu sine nube sereno,
Cunctorúmque animos gratia blanda fouet.
Si poscat nouus hospes opem, tu porrigis escas,
Inuenit & proprios ad tua tecta lares.
Dum satias querulum, magis obliuiscitur illas,
Quas habet in patriis finibus exul opes.
Qui sua damna refert, gemitus subducis ab ore,
Gaudia restituens tristia cuncta fugas.
Protegis hinc nudos, illinc tu pascis egentes,
Nil tibi reddit inops, reddit amore Deus.
Horrea præmittis, meliùs tua condita seruans,
Quas sic diffundis dat Paradisus opes.
Culmina Templorum renouasti VILLICE cultor,
Cùm veniet Dominus, stat labor ecce tuus.
B Commissum video non suffodisse talentum,
Sed magis optatum multiplicatur opus.
Longiùs extentos peragas tam digna per annos,
Et maneat semper nomen, opime, tuum.

Ad Charentinum Episcopum Coloniæ.

XIX. CHARENTINE decus fidei, Deitatis amice,
Nomine de proprio chare perennis amor.
Pontificem pollens Agripina Colonia præfert,
Frugiferis agris digne colone Dei.
Si videas aliquos quacumque ex gente creatos,
Quamuis ignotos, mox facis esse tuos.
Quos semel affectu adstringis pietate paterna,
Vlteriùs numquam dissociare potes.
Nec subitò veniens veluti fugitiua recedit,
Sed concessa citò gratia fixa manet.
Verba Dei complens, sicut te diligis ipsum,
A te ita diligitur proximus omnis homo.
Vocis Apostolicæ sectator dignus haberis,
C Quæ charos animos præposuit fidei.
Tranquillus, placidus, mitis, sine nube serenus,
Cui rabies mundi nil dominare potest.
Pectora cunctorum reficis dulcedine verbi,
Lætificas vultu tristia corda tuo.
Pauperibus cibus es, sed & esurientibus esca,
Ritè pater populi, dando salutis opem.
Aurea Templa nouas spacioso fulta decore,
Tu nites, vnde Dei fulget honore domus.
Maioris numeri quo Templa capacia constent,
Alter in excelso pendulus ordo datur.
Sollicitat pia cura gregis te, Pastor opime,
Nil lupus ab stabulis quo vigilante rapit.
Tempora longæuo teneas felicia tractu,
Et per te Domini multiplicentur oues.

De Egidio Episcopo Remensi.

XX. ACTIBVS egregiis venerabile culmen EGIDI*, * al. Iouini
Ex cuius meritis creuit honore gradus.

Subtrahor ingenio, compellor amore parato, A
Laudibus in vestris prodere pauca fauens.
Namque reus videor tantis existere causis,
Si solus taceam quidquid vbique sonat.
Sed quamuis nequeam digno sermone fateri,
Da veniam voto me voluisse loqui.
Exiit in mundum gestorum fama tuorum,
Et meritis propriis sydus in orbe micas.
Clarior effulges quàm lucifer ore sereno:
Ille suis radiis, tu pietate nites.
Nil lupus insidiis cauto subducit ouili,
Te Pastore sacro peruigilante gregem.
Facundo eloquio cælestia dogmata fundis
Ecclesiæ creuit te monitore domus.
Pontificis studio correctio plebis haberis,
Ne tenebræ noceant semita lucis ades.
Cunctorum recreas animos dulcedine verbi,
Qui satians epulis pascis & ore greges.
Præcepta implentur, non solo pane cibamur,
Delicias capimus quas tua verba ferunt. B
Vt gaudet corpus, cui mitior esca paratur,
Sic animæ gaudent si tua lingua sonet.
Hæresis ira cadit, forti te milite Christi,
Acquiris Regi qui dedit arma tibi.
Qui purgas spinis agros, sermone colente,
Et mundata Deo surgit vbique seges.
Qui venit huc exul, tristis, defessus, egenus,
Hic recipit patriam, te refouente, suam.
Qui doluit, tollis gemitus in gaudia vertens,
Exilium remoues, reddis amore lares.
Pauper habere cibum, meruit quoque nudus amictum,
Inuenit hic semper quæ bona quisque cupit.
Consultum tribuis generaliter omnibus vnum,
Qui populi pater es, tot pia ritè geris.
Hæc tibi vita diu, Domino tribuente, supersit,
Atque futura micet lucidiore die.

Ad Hilarium Episcopum.

XXI. LVX sincera animi semper mihi dulcis HILARI, C
Quamuis absentem quem mea cura videt.
Cuius honestus amor tantùm mea corda repleuit,
Vt sine te numquam mente vacante loquar:
Versibus exiguis mandamus vota salutis,
Quæ dedit affectus sint tibi grata precor.

Ad Bertechramnum Episcopum, cùm eleuaretur in currum.

XXII. CVRRICVLI genus est, memorat quod Gallia rhedam,
Molliter incedens orbita sulcat humum.
Exiliens duplici biiugo volat axe citato,
Atque mouet rapidas iuncta quadriga rotas.
Huc ego dum famulans comitatu iungor eodem,
Et mea membra cito dum veherentur equo.
Pontificisque sacri BERTECHRAMNI actus honore,
Comprendente manu raptus in axe leuor.
Qualiter implumes fœtus pia mater hirundo,
Confouet, & placidè pennula tensa tegit:
Sic bonitate potens, affectu diues opimo,
In proprium Pastor molle sedile locat.

A Nec solùm amplectens pia mens, sed diligit omnes,
Vnde magis populis vnicus extet amor.

Ad eundem, de Opusculis eius.

XXIII. ARDVA suscepi missis Epigrammata chartis,
Atque cothurnato verba rotata sopho.
Percurrens tumido spumantia carmina versu,
Credidi in vndoso me dare vela freto.
Plana procellosos ructauit pagina fluctus,
Et velut Oceanus fonte refudit aquas.
Vix modo tam nitido pomposa poëmata cultu
Audit Troiano Roma verenda foro.
Quid si tale decus recitasset in aure Senatus?
Strauissent blandis aurea fila tuis.
Per loca, per populos, per compita cuncta videres
Currere versiculos, plebe fauente, tuos.
Sèd tamen in vestro quædam sermone notaui,
Carmine de veteri furta nouella loqui.
Ex quibus in paucis superadita syllaba fregit,
Et pede læsa suo musica clauda iacet.
B Nunc venerande Pater, prece, voto, voce, saluto,
Commendans animum supplice corde meum.
Sit tua vita diu, cuius modulante camœna,
Cogimur optatis reddere verba iocis.

Ad Agrœcolam Episcopum.* *Agricolã.

XXIV. PRÆSVL honoris apex, generis, fideique cacumen,
Cultor agri pollens, Pastor opime gregis.
Cùm mea terra manu meruit genitoris arari,
Reddatur nati vomere culta sui.
Nam pater affectu dulci memorabilis Orbi,
Me vobiscum vno fouit amore duos.
Corde parens, pastu nutrix, bonus ore magister,
Dilexit, coluit, rexit, honesta dedit.
Ille pio studio sulcata noualia seuit,
Quod pater effudit, hoc mihi semen ale.

Ad Felicem Episcopum Biturigensem, scriptum in turrem eius.

XXV. QVAM benè iuncta docent sacrati vt corporis agni,
Margaritum ingens, aurea dona ferant.
C Cedant chrysolithis Salomonia vasa metallis,
Ista placere magis ars facit atque fides.
Quæ data, Christe tibi, FELICIS munera sic sint,
Qualia tunc tribuit de grege Pastor Abel.
Et cuius tu corda vides, pietate coæquas,
Saraptæ merito, quæ dedit æra duo.

Domno sancto, atque Apostolicis actibus prædicando domino, pio & peculiariter dulci in Christo Patri, Auito Papæ, Fortunatus humilis.

XXVI. OFFICIIS intente piis, Pater Orbis, AVITE,
Gloria Pontificum, noster & altus amor.
Per quem plebs, regio, peregrinus, & hospes aluntur,
In quo cuncta capit quæ sibi quisque cupit.
Ex opere immeritus merui pia dona patroni,
Ne minimam pascens immemor esses ouem.
Qui trahis ore greges æterna ad pabula Christi,
Qualiter hinc viuant est quoque cura tua.

Semper & absentes præsens tua protegit ala, A
Quo pede non curris, munere totus ades.
Muneribus vestris aut AGNES, aut RHADEGVNDES,
Multiplici orantes fomite vocis agunt.
In cœlos penetranda feras, Pater alte, talenta,
Quæ centena suo tempore culta metas.
Per Dominum, Regémque bonum precor, aulice Præsul,
Vt FORTVNATI sis memor alme tui.

Ad eundem.

XXVIII. VIRTVTVM quid celsa fides mereatur honoris,
Summe Sacerdotum, dulcis AVITE, probas.
Qui nectens animos cunctorum in amore beato,
Post te, chare Pater, pectora capta trahis.
Sed tamen inter eos tua quos dulcedo repleuit,
Promptus in affectu portio maior agor.
Lumen dulce meum, patriæ vigor, altor egentum,
Spes peregrinorum, ductor honórque patrum.
Si mea vox iugi resonaret acumine carmen,
Laude minor loquerer, maior amore, Pater.
Maxima sed nostri datur hæc occasio voti,
Vel memorare tuum nomen, opime, sacrum. B
Commendantur item vestræ pietatis amori,
AGNES voce humili cum RHADEGVNDE pari.
Larga salutiferos vigeat tibi vita per annos,
Nam tua quæ fuerit, fit mea, chare, salus.

Ad Agericum Episcopum Vereduni.

XXIX. VRBS Vereduna, breui quamuis claudaris in orbe,
Pontificis meritis amplificata, places.
Maior in angusto præfulget gratia gyro,
AGERICE tuus quam magis auxit honor.
Plurima magnarum fudisti semina laudum,
Quæ matura operis fertilitate metis.
Tempore præsenti victum largiris egenis,
Vnde futura dies centuplicabit opes.
Dogmatis arcani reseras penetralia Pastor,
Nec solùm dapibus, pascis & ore greges.
Templa vetusta nouas preciosiùs, & noua condis,
Cultior est Domini, te famulante, domus.
Egregios fontes sacri baptismatis exples, C
Tam pia diuino fonte repletus agis.
Candida sincero radiat hæc aula sereno,
Et si Sol fugiat, hîc manet arte dies.
Ad noua templa auidæ concurrunt vndique plebes,
Et tribuis populis plus in amore Deum.
Te solamen inops meruit, te nudus amictum,
Et solus cunctis potus & esca manes.
Felix qui meritis æternæ lucis amator,
Tempore tam modico non moritura paras.

De Agerico Episcopo Vereduni.

XXX. PHOEBVS vt elatum suspendit in æthera currum,
Purus & igniferum spargit vbique iubar:
Effusis radiis totum sibi vendicat Orbem,
Montes, plana, replens, ima vel alta tenet.
Sic Præsul splendore animi cum Sole coruscas,
Ille suis radiis fulget, & ipse tuis.

A AGERICE sacer, cuius sermone colente,
Ecclesiæ segetes fertilitate placent.
Terrenis sterilis rebus, fœcunde supernis,
Humana spernens, diues iture polis.
Illecebris mundi mundus lasciua repellens,
Nil cui surripuit carnis amarus amor.
Lubrica culpa perit, neque mors de crimine gaudet,
Cùm tua delictis libera membra vides.
In templis habitando piis, sic purus haberis,
Vt tua corda, Pater, sint pia templa Dei.
Eligit in tali Christus se vase recondi,
Quam sibi purgauit possidet ipse domum.
Non dolus in labiis, nec sunt fera nubila mentis,
Sinceris animis vernat in ore dies.
Doctiloquum flumen salienti fonte refundis,
Et sensus steriles voce rigante foues.
Ardua cœlorum pandis mysteria terris,
Per quem plus Dominum scit, timet, orat, amat.
Dogmate diuino, Præsul facunde, triumphas,
Dans pastor monitus, ne premat error oues.
B Deliciis reficis, quas cœlum, arua, vnda ministrat,
Et satiat populos hinc cibus, indè fides.
Sumit pauper opem, tristis spem, nudus amictum,
Omnia quidquid habes omnibus esse facis.
Hîc tibi longa salus maneat, licèt indè futura,
Atque diu, Pastor, pro grege vota feras.

EX LIBRO QVARTO.

*Epitaphium Euemeri * Episcopi ciuitatis Namneticæ.* * *al.* Eumeri

QVAMVIS cuncta auido rapiantur ab Orbe volatu, CARM. I.
Attamen extendit vita beata diem.
Nec damnum de fine capit cui gloria viuit,
Æternúmque locum missus ad astra tenet.
Hoc igitur tumulo requiescit EVEMERVS almo,
C Per quem Pontificum surgit opimus honor.
Stemmate deductum fulget ab origine culmen,
Et meritis priscos crescere fecit auos.
Emicuit populis geminum memorabile donum,
Inde gradu Iudex, hinc pietate Pater.
Dulcis in eloquio, placidus moderamine sacro,
In cuius sensu perdidit ira locum.
Alterius motus patienti pectore vicit,
Vt leuitas læsit, hoc grauitate tulit.
Si quis ab externis properauit sedibus hospes,
Mox apud hunc proprios sensit habere lares.
Hic habitare volens patriis rudis exul ab oris,
Oblitus veterem, huius amore, patrem.
Gaudet & arrisit, probat is se cernere flentem,
Alterius lacrimas mox facit esse suas.
Partitus cum ventre vices, pietate magistra,
Vnde tulit luctus, mox ibi vota dedit.
Pauperibus diues censum transfudit egenis,
Ante bonus tribuit, quàm paterentur, opem.

Semina iactauit centeno pinguia fructu, A
Cui modo de reditu messis adulta placet.
Vnica cura fuit cunctos vt viseret ægros,
Ipse quibus medicus vixit & ipse cibus.
Extulit Ecclesiæ culmen, quod reddidit vnum,
Venit ad heredem, qui cumularet opus.
Felix ille abiit, FELICEM in sede reliquit,
Heredis meritis viuit in Orbe pater.

Epitaphium domni Gregorij Episcopi ciuitatis Lingonicæ.

II. POSTQVAM siderius disrupit Tartara Princeps,
Sub pedibus iusti mors inimica iaces.
Hoc veneranda sacri testatur vita GREGORI,
Qui modo post tumulos intrat honore polos.
Nobilis antiqua decurrens prole parentum,
Nobilior gestis, nunc super astra manet.
Arbiter ante ferox, dehinc pius ipse Sacerdos,
Quos domuit Iudex, fouit amore Patris.
Triginta & geminos piè rexit ouile per annos,
Et grege de Christi gaudia pastor habet.
Si quæras meritum, produnt miracula rerum, B
Per quem debilibus fertur amica salus.

Epitaphium domni Tetrici Episcopi ciuitatis Lingonicæ.

III. PALMA Sacerdotij venerando TETRICE vultu,
Te patriæ sedes, nos peregrina tenet.
Te custode pio nunquam lupus abstulit agnum,
Nec de fure timens pascua carpsit ouis.
Sex quasi lustra gerens, & per tres insuper annos,
Rexisti placido pastor amore gregem.
Nam vt condirentur diuino corda sapore,
Fudisti dulcem iugiter ore salem.
Summus amor Regum, populi decus, arma parentum,
Ecclesiæ cultor, nobilitatis honor.
Esca inopum, tutor viduarum, cura minorum,
Omnibus officiis omnia pastor eras.
Sed cui præbebat variam tua cura medelam,
Funere rectoris plebs modo triste gemit.
Hoc tamen, alme Pater, speramus, dignus in astris,
Qualis honore nites, hîc pietate probes.

Epitaphium domni Galli Episcopi ciuitatis Aruernæ. C

IV. HOSTIS inique, Adam Paradiso fraude repellis,
Ecce Deus famulos præstat adire polos.
Inuide sic tua mors homini meliora parauit,
Tu expellis terris, hic dat & astra suis.
Testis & Antistes GALLVS probat iste beatus,
Nobilis in terris diues eundo polis.
Qui Christi auxilio fultus, nec adultus in annis,
Se maiora petens, odit amare lares.
Effugit amplexus patrios, matremque relinquit,
Qui Monachum regeret quæritur Abba parens.
Ille tyro rudis generoso cœpit ab æuo,
Militiæ Domini belliger arma pati.
QVINTIANO demum sancto erudiente magistro,
Pulchrius est auro corde probatus homo.
Inde Palatinam Regis translatus in Aulam,
THEODORICE tuo vixit amore pio.

A Mox vbi destituens terras petit astra magister,
Cessit discipulo cura tuenda gregis.
Pontificatus enim moderans ita rexit habenas,
Pastor vt officiis, esset amore pater.
Mansuetus, patiens, bonus, æquus, amator, amandus,
Non erat offensæ, sed locus hic veniæ.
Si qua superuenit, facta est iniuria virtus,
Vnde furor poterat, indè triumphus erat.
Plebem voce fouens, quasi natos vbere nutrix,
Dulcia condito cum sale mella dabat.
Hoc opus exercens præsciuit dona futuri,
Se pastore nihil posse perire gregi.
Sic Pater Ecclesiam regit in quinquennia quinque,
Bis ter dena tamen lustra superstes agens.
Hinc meliore viâ sanctum ad cœlestia vectum
Non premit vrna rogi, sed tenet vlna * Dei. * al. aulâ

Epitaphium Ruriciorum Episcoporum ciuitatis Lemouicinæ.

B V. Invida mors rapido quamuis miniteris hiatu,
Non tamen in Sanctos iura tenere vales.
Nam postquam remeans domuit fera Tartara Christus,
Iustorum meritis sub pede victa iaces.
Hîc sacra Pontificum toto radiantia mundo,
Membra sepulcra tegunt, spiritus astra colit.
Rvricii gemini flores, quibus Annicorvm
Iuncta parentali culmine Roma fuit.
Actu, mente, gradu, prænomine, sanguine nexi,
Exultant pariter hinc auus, indè nepos.
Tempore quisque suo fundans pia Templa patroni,
Iste Augustini, condidit ille Petri.
Hic probus, ille pius: hic serius, ille serenus:
Certantes pariter, quis cui maior erit.
Plurima pauperibus tribuentes diuite censu,
Misêre ad cœlos quas sequerentur opes.
Quos, spargente manu, redimentes crimina mundi,
Inter Apostolicos credimus esse choros.
Felices, qui sic de nobilitate fugaci
Mercati, in cœlis iura Senatus habent.

C *Epitaphium Exotij* * *Episcopi ciuitatis Lemouicinæ.* * al. Esotij

VI. Qvamvis Pontificem premeret tremebunda senectus,
Attamen hæc voluit plebs superesse patrem.
Aut si naturæ mutari debita possent,
Pro Pastore suo grex properasset iter.
Sed quia non licuit, populum spes consulat illa,
Hunc quod pro meritis vexit ad astra fides.
Immaculata Deo conseruans membra pudore,
Exotivs meruit iam sine fine diem.
Pectore sub cuius regnans patientia victrix,
Fluctibus in tantis anchora sensus erat.
Felle carens, animo placidus, dulcedine pastus,
Nesciit offensis ira referre vices.
Templorum cultor recreans modulamine ciues,
Vulneribus patriæ fida medela fuit.
Qui tria lustra gerens in Pontificatus honore,
Pergit ad antiquos plebe gemente patres.
Non decet hunc igitur vacuis deflere querelis,
Post tenebras mundi quem tenet aula poli.

Epitaphium Chalacterici Episcopi ciuitatis Carnotenæ. A

VII. ILLACRIMANT oculi, quatiuntur viscera fletu,
Nec tremuli digiti scribere dura valent.
Dum modo, quæ volui viuo, dabo verba sepulto,
Carmine vel dulci cogor amara loqui.
Digne tuis meritis, CHALACTERICE Sacerdos,
Tardè note mihi, quàm citò chare fugis!
Tu patriam repetis, nos triste sub Orbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos tenebrosa dies.
Ecce sub hoc tumulo pietatis membra quiescunt,
Dulcior & melli lingua sepulta iacet.
Forma venusta, decens animus, sine fine benignus,
Vox suauis legem præmeditata Dei.
Spes Cleri, tutor viduarum, panis egentum,
Cura propinquorum, promptus ad omne bonum.
Organa Psalterij cecinit modulamine dulci,
Et tetigit laudans plectra beata Dei.
Cautere eloquij benè purgans vulnera morbi,
Quo pascente, fuit fida medela gregi.
Sex qui lustra gerens, octo bonus insuper annos,
Ereptus terræ iustus ad astra redis. B
Ad paradisiacas epulas te ciue reducto,
Vnde gemit mundus, gaudet honore polus.
Et quia non dubito, quanta est tibi gloria laudum,
Nec debes fleri talis, amice Dei.
Hæc qui, sancte Pater, pro magnis parua susurro,
Pro FORTVNATO, quæso, precare tuo.

Epitaphium Chronopij Episcopi Petrocoricæ.

VIII. SI terrena sacer quondam tibi cura fuisset,
Carmine plus lacrimas, quàm modo verba darem.
Sed quia tu mundus, nec sunt tibi crimina mundi,
Nos gaudere mones, qui sine morte manes.
Antistes pietate calens, venerande CHRONOPI,
Membra sepulcra legunt, spiritus astra tenet.
Ordo Sacerdotum cui fluxit vtroque parente,
Venit ad heredem Pontificalis apex.
Hunc tibi iure gradum successio sancta parauit,
Vt quasi iam merito debitus esset honor.
Nobilis antiquo veniens de germine patrum, C
Sed magis in Christo nobilior merito.
Sic vultu semper placidus, seu mente serenus,
Pectore sincero fons sine nube fuit.
Cuius ab eloquio nectar per verba fluebat,
Vinceres vt dulces ore rigante fauos.
Nudorum tu vestis eras, algentis amictus,
Qui ad tua tecta fugit, tectus & ipse redit.
Diuitias omnes inopum sub ventre locasti,
Vnde tibi semper viua talenta manent.
Esuriens epulum, sitiens te sumere potum,
Cernere te meruit tristis, & exul opem.
Implesti propriis viduatam ciuibus vrbem,
Viderúntque suos, te redimente, lares.
Quam lupus ab stabulis tulerat, frendente rapina,
Te Pastore, gregi reddita plaudit ouis.
Templa exusta celer reuocasti in culmine prisco,
Hinc tua sed cœlis stat sine labe domus.

A Ipse bis octono vixisti in corpore lustro,
Nunc tibi pro meritis est sine fine dies.

Epitaphium Leontij Episcopi anterioris ciuitatis Burdegalensis.

IX. VLTIMA sors auido grauiter properauit hiatu,
Pastorem rapiens, qui fuit arma gregis.
Hoc recubant tumulo venerandi membra LEONTI,
Quo stetit eximium Pontificale caput.
Quem plebs cuncta gemens confusa voce requirit,
Hinc puer, hinc iuuenis deflet, & indè senex.
Defensoris opem hîc omnis perdidit ætas,
Et quantum coluit nunc lacrimando docet.
Nemo valet siccis oculis memorare sepultum,
Qui tamen in populo viuit amore pio.
Egregius nulli de nobilitate secundus,
Moribus excellens, culmine primus erat.
Hic pietate noua cunctis minor esse volebat.
Sed magis his meritis, & sibi maior erat.
B Quo præsente viro meruit discordia pacem,
Expulsa rabie corda ligabat amor.
Ecclesiæ totum concessit in ordine censum,
Et tribuit Christo quod fuit ante suum.
Ad quem pauper opem, precium captiuus habebat,
Hoc proprium reputans quod capiebat egens.
Cuius de terris migrauit ad astra facultas,
Et plus iste Deo, quàm sibi vixit homo.
Cordis in amplexu retinens, & pectore plebem,
Diceret vt populum se generasse patrem.
Namque suos ciues placida sic voce mouebat,
Confitereris vt hunc ad sua membra loqui.
Ingenio vigilans, diues quoque dogmate Christi,
Et meruit studio multiplicare gradum.
Largior in donis absens sibi iunxit amantes,
Et quo non fuerat munere, notus erat.
Principibus carus, huiúsque amor vnicus vrbis,
Festinans animis omnibus esse parens.
Lustra decem pollens, septem quoque vixit in annos,
Mox vrgente die raptus ab Orbe fuit.
Sed quis cuncta canat? Cùm tot bona solus habebat,
C Nunc vno in tumulo plurima bona iacent.
Hæc tibi parua nimis, cùm tu merearis opima,
Carmina THEODOSIVS præbet amore tuus.

Epitaphium Leontij sequentis Episcopi ciuitatis Burdegalensis.

X. OMNE bonum velox, fugitiuáque gaudia mundi,
Prosperitas hominum quàm citò rapta volat.
Malueram potiùs cui carmina ferre salutis,
Peruerso voto flere sepulcra vocor.
Hoc recubant tumulo venerandi membra LEONTI,
Quem sua Pontificem fama sub astra leuat.
Nobilitas altum ducens ab origine nomen,
Quale genus Romæ fortè Senatus habet.
Et quamuis celso flueret de sanguine patrum,
Hic propriis meritis crescere fecit auos.
Regum summus amor, patriæ caput, arma parentum,
Tutor amicorum, plebis & vrbis honor.
Templorum cultor, tacitus largitor egentum,
Susceptor peregrûm distribuendo cibum.

Longiùs extremo si quis properasset ab Orbe, A
Aduena mox vidit, hunc ait esse patrem.
Ingenio viuax, animo probus, ore serenus:
Et mihi qualis erat? pectore flente loquor.
Hunc habuit clarum, qualem modo Gallia nullum,
Nunc humili tumulo culmina celsa iacent.
Placabat Reges, recreans moderamine ciues.
Gaudia tot populis, heu! tulit vna dies.
Lustra decem felix, & quatuor insuper annos
Vixit, & auroræ lumine raptus obit.
Funeris officium magni solamen amoris
Dulcis adhuc cineri dat PLACIDINA tibi.

*Epitaphium Victoriani Abbatis Monasterij * Agaunensis.*

* al. *de Monasterio Asane.*

XI. QVISQVIS ab Occasu properas huc, quisquis ab Ortu,
Munus in hoc tumulo, quod venereris, habes.
Respice ditatum cœlesti dote talentum,
Cuius semper habet pectoris arca Deum.
Religionis apex, vitæ decus, arma salutis,
Eximius meritis VICTORIANVS adest.
Dignum opus exercens, qui fructificante labore B
Cunctis, non soli vixit in Orbe sibi.
Plurima per patriam Monachorum examina fundens,
Floribus æternis mellificauit apes.
Lingua potens, pietas præsens, oratio iugis:
Sic fuit, vt iam tum totus ad astra foret.
Plura salutiferis tribuens oracula rebus,
Sæpè dedit signis vita beata fidem.
Bis senis rexit patrio moderamine lustris
Ritè Deo placitas Pastor opimus oues.
Calle sequens recto sacra per vestigia Christum,
Nunc fruitur vultu quem cupiebat amor.

Epitaphium Hilarij Presbyteri.

XII. OMNES vna manet sors irreparabilis horæ,
Cùm venit extremus lege trahente dies.
Sic furit ira necis, neque nos fugit orbita mortis,
Puluere facta caro non nisi puluis erit.
Hæc tamen insignes animas spes optima pascit,
Quòd qui digna gerit de nece nulla timet.
Hoc iacet in tumulo venerandus HILARIVS actu, C
Corpore qui terras, & tenet astra fide.
Vir bonus, egregia de nobilitate refulgens.
Inter honoratos germinis altus apex.
Connubio iunctus simili, sed coniuge rapta,
Stans in amore Dei, non fuit alter amor.
Vtilis in propriis, doctus moderamine legis,
Cuius iudicium pondere libra fuit.
Iustitiam tribuens populis examine recto,
Vendita res precio non fuit vlla suo.
Funeris officio lacrimans EVENTIA charo
Contulit hæc genero membra sepulta* suo.

* sepulcra

Epitaphium Seruilionis.

XIII. QVAMVIS longa dies, breuis hîc & inhospita lux est,
Sola tamen nescit vita beata mori.
Hoc igitur tumulo SERVILIO clausus habetur,
Nobilis, & merito nobiliore potens.

Ipse

A Ipse Palatinam rexit moderatiùs Aulam,
Commissæque Domus crescere fecit opes.
Presbyter indè sacer mansit venerabilis Orbi,
Seruitióque Dei libera vita fuit.
Orphanus hic patrem, viduæ solatia deflent,
Vnde magis cœlis gaudia vera tenet.
Pontificem genitum videt hinc de munere Christi,
Raptus ab Orbe quidem lætus ad astra redit.

Epitaphium Attici.

XVI. QVAMVIS longa seni ducatur in ordine vita,
Cùm venit extremum, nil valet esse diu.
Sed quia nemo fugit, nisi terram terra recondat,
Lege sub hac cunctos sors rapit vna viros.
Celsus in hoc humili tumulo iacet ATTICVS, ille
Qui dabat eloquio dulcia mella suo.
Impendens placidam suaui modulamine linguam,
Pacificúsque suus sermo medela fuit.
Cuius abundantem venerata est Gallia sensum,
Excoluitque senem semper honore patrem.
B Clarus ab antiquis, spes nobilitatis opimæ,
Sufficiens propriis nulla rapina fuit.
Dogmata corde tenens, plenus velut arca libellis,
Quisquis quod voluit fonte fluente bibit.
Consilio sapiens, animo pius, ore serenus,
Omnibus vt populis esset amore parens.
Sic miserabilibus Templis, sic fudit egenis,
Mitteret vt cœlis quas sequeretur opes.

Epitaphium Arcadij iuuenis.

XVII. OMNE bonum velox fugitiuo tempore transit,
Quæ placitura videt, mors magis illa rapit.
Hîc puer ARCADIVS veniens de prole Senatus,
Festinante die raptus ab Orbe iacet.
Paruula cuius adhuc freno se vinxerat ætas,
Vt teneris annis surgeret ipse senex.
Eloquio torrens, specie radiante venustus,
Vincens artifices, & puer arte rudis.
Quò me forma rapis laudes memorare sepulti?
Singula si memores, plus lacrimanda mones.
C Sed quoniam nulla maculatus sorde recessit,
Nulli flendus erit, quem Paradisus habet.

Epitaphium Basilij.

XVIII. IMPEDIOR lacrimis prorumpere nomen amantis,
Vixque dolenda potest scribere verba manus.
Coniugis affectu cogor dare pauca sepulto.
Si loquor, affligor: si nego, durus ero,
Qui cupis hoc tumulo cognoscere, lector, humatum,
BASILIVM illustrem mœsta sepulcra tegunt.
Cuius blanda pio recreabat lingua relatu,
Et dabat eloquio verba benigna suo.
Hinc doctrina rigans, illinc dulcedo redundans,
Ornauit radio lux geminata virum.
Regis amor, carus populis, ita pectore dulcis,
Vt fieret cunctis in bonitate parens.
Tranquillus, sapiens, iocundus, pacis amicus,
Nulláque quo stabat semina litis erant.

Hunc consultantem Legati sorte frequenter A
Misit ad Hispanos Gallica cura viros.
Sufficienter habens, nunquam fuit arma rapinæ,
Non propriis eguit, non aliena tulit.
Ecclesias ditans, loca sancta decenter honorans,
Pauperibus tribuens, diues ad astra subit.
Annis bis denis cum BAVDEGVNDE iugali,
Iunxit in Orbe duos vnus amore torus.
Qui tamen vndecimo lustro citò raptus ab æuo,
Post finem terræ regna superna petit.
Non iam flendus eris humanæ sorte recedens,
Dum patriam cœli dulcis amice tenes.

Epitaphium Aracharij.

XIX. PARTV terra suo fraudem non sustinet vllam,
Quæ dedit, hæc recipit, debita membra luto.
Hîc vergente suo situs est ARACHARIVS æuo,
Sex qui lustra gerens, raptus ab Orbe fuit.
Ipse Palatina refulsit clarus in Aula,
Et placito meruit Regis amore coli. B
Omnia restituit mundo, quæ sumpsit ab ipso,
Sola tamen pro se quæ benè gessit habet.

Epitaphium Brumachij.

XX. QVISQVIS in hoc tumulo cineres vis nosse sepulti,
BRVMACHIVS quondam fulsit in Orbe potens
Quem sensu, eloquio, Legati nomine functum,
Dum remeat patriæ, sors inimica tulit.
Finibus Italiæ raptus, sed FRIGIA* coniux,
Detulit huc cari funus amore viri.
Ceu viuum coluit, cui grata est vmbra mariti,
Coniugibus castis ipsa fauilla placet.
Ipse quater denos permansit in Orbe per annos,
Mox obit, & magnum parua sepulcra tegunt.

* al. Fragia

Epitaphium Orientij.

XXIV. NON hîc nostra diu est fugienti tempore vita,
Quæ sub fine breui vix venit, inde redit.
Ecce caduca volant præsentia secula mundi, C
Sola fides meriti nescit honore mori.
Clauditur hîc pollens ORIENTIVS ille sepultus.
Cui Palatina priùs mansit aperta domus.
Consiliis habilis, Regalique intimus Aulæ,
Obtinuit celsum dignus in arce locum.
Vir sapiens, iustus, moderatus, honestus, amatus,
Hoc rapuit mundo quod benè gessit homo.
Sexaginta annis vix implens tempora lucis,
Coniuge NICASIA qua tumulante, cubat.
Cuius castus amor colit ipsa sepulcra mariti,
Nec placitura homini, sed dedit esse Dei.

Epitaphium THEODECHILDIS *Reginæ.*

XXV. QVAMVIS ætatis senio iam flecteret annos,
Multorúmque tamen spes citò rapta fuit.
Si precibus possent naturæ debita flecti,
Plebs ageret lacrimis, hanc superesse sibi.
Gaudia quanta inopum tumulo sunt clausa sub isto?
Votáque quot populis abstulit vna dies?

A Inclita nobilitas genitali luce coruscans,
Hîc properante die THEODECHILDA iacet.
Cui frater, genitor, coniux, auus, atque priores,
Culmine succiduo Regius ordo fuit.
Orphanus, exul, egens, viduæ nudique iacentes,
Matrem, escam, tegmen, hîc sepelisse dolent.
Vnica res placuit cumulo mercedis opimæ,
Antea cuncta dedit, quàm peteretur opem.
Occultans sua dona suis, mea fortè vetarent,
Sed quæ clausa dedit iudice teste, docet.
Templorum Domini cultrix, pia munera præbens,
Hoc proprium reputans quidquid habebat inops,
Vna mori sors est, & terræ reddere terram.
Felix, cui meritis stat sine fine dies.
Actibus his instans, terrena in luce relata,
Ter quino lustro vixit in orbe decus.

Epitaphium VVilithutæ *.

* al. VVilitrutæ.

XXVI. OMNE bonum velox, fugitiuáque gaudia mundi,
Monstrantur terris, & citò lapsa ruunt.
B Vt dolor acquirat vires, cùm perdit amantem,
Ante placere facit, duriùs indè premit.
Heu lacrimæ rerum! heu sors inimica virorum!
Cur placitura facis quæ dolitura rapis?
VILITHVTA decens DAGAVLFI cara iugalis,
Coniugis amplexu dissociata iacet.
Corpore iuncta toro, plus pectore nexa marito,
Lucis in occasu vincula rapit amor.
Tempora cui poterant adhuc in flore manere,
Principio vitæ finis acerbus habet.
Sanguine nobilium generata, Parisius vrbe,
Romana studio, Barbara prole fuit.
Ingenium mite torua de gente trahebat,
Vincere naturam gloria maior erat.
Nunquam mœsta manens, vultu noua gaudia portans,
Nubila fronte fugans, corde serena fuit.
Fudit ab ore iubar species redimita decore,
Protulit & radios forma venusta suos.
Stirpe sua reliquas superauit pulchra puellas,
C Et crocea facie lactea colla tulit.
Splendida conspectu meliori pectore fulsit,
Digna micans animo, nec pietate minor.
Cui quamuis nullus hac in regione propinquus,
Obsequio facta est omnibus vna parens.
Diuinis intenta bonis, alimenta ministrans,
Qua mercede magis se satiasse videt.
Hæc data post obitum faciunt quoque viuere functam,
Forma perit hominum, nam benefacta manent.
Corpora puluis erunt, & mens pia floret in æuo,
Omnia prætereunt, præter amare Deum.
Orphana tunc auiæ studiis adoleuit opimæ,
Inque loco natæ neptis adulta fuit.
Tertius à decimo vt hanc primùm acceperat annus,
Traditur optato consociata viro:
Nobilitas in gente sita cui celsa refulsit,
Atque suis meritis additur alter honor.
Dulcis ouans, alacris studiis, ornata iuuentus,
Quod natura nequit littera prompta dedit.

Tres meruere tamen iuncti superesse per annos, A
Coniugióque suo corde legante frui.
Ambo pares animo, voto, spe, moribus, actu,
Certantésque sibi mente, decore, fide.
Tempore iam certo est enixa puerpera prolem,
Damno fœta suo, quæ pariendo perit.
Abripuit teneram subitò mors inuida formam,
Annos quippe duos, lustra gerendo tria.
Sic animam generans, animâ spoliatur, & ipsa
Spem peperit luci, luce negante sibi.
Exemplum sed triste dedit secura parenti:
Vnde redire solet, deficit indè genus.
Tertius esse pater cupiens, heu! solus habetur,
Crescere quo numerus debuit, ipse cadit.
Nam partus cum matre perit, nascendo sepultus,
Nil vitale trahens, natus in ore necis.
Plus fuerant soli, si tunc sine prole fuissent,
Addita posteritas abstulit id quod erat.
Infaustis votis genitus de funere matris,
Et genitrix nato mortis origo fuit.
Alter in alterius lethali sorte pependit, B
Inque vicem sibi mox ambo dedere necem.
Sed sensit grauiora dolens pater, atque maritus,
Qui gemit vno obitu se sepelisse duos.
Pro vix dum genito lacrimas iam soluit humato,
Vidit quod fleret, non quod haberet amor.
Tristitiæ cumulum tribuit cui rapta iugalis,
Dans longas lacrimas tempore nupta breui.
Consultum tamen illud habet de coniuge coniux,
Huic quia mercedis non vacuatur opus.
Nam quod ad ornatum potuit muliebre videri,
Ecclesiis promptè, pauperibúsque dedit.
Hîc nulla ex illis rebus peritura reliquit,
Vt modò præmissa, diues haberet opes.
Quam benè distribuens, sine se sua noluit esse.
Nam quæ larga dedit, hæc modò plena metit.
Condidit ergo sibi quidquid porrexit egenti,
Et quos sumpsit inops, hos habet illa cibos.
Felices, quos nulla grauant de morte secunda,
Nec faciunt pœnis subdita membra feris, &c. C

Epitaphium Eufrasiæ.

XXVII. Si pietatis opus nunquam morietur in æuo,
Viuis pro merito femina sancta tuo.
Inclita sidereo radians EVFRASIA regno,
Nec mihi flenda manes, cùm tibi læta places.
Terræ terra dedit, sed spiritus astra recepit,
Pars iacet hæc tumulo, pars tenet illa polum,
Corpore deposito leuiori vecta volatu,
Stas melior cœlo, quàm priùs esses humo.
Carnis iniqua domans de te tibi facta triumphans,
Ad patriæ sedes ciuis opima redis.
Ardua nobilitas proauorum luce coruscans,
Plus tamen es meritis glorificanda tuis.
Vir cui NAMATIVS, datus indè *Vienna Sacerdos*,
Coniuge defuncto consociata Deo.
Exulibus, viduis, captiuis omnia fundens,
Paupertate pia diues ad astra subis.

Æternum mercata diem sub tempore paruo,
Misisti ad cœlos quas sequereris opes.
Sed rogo per Regem Paradisi gaudia dantem,
Pro FORTVNATO supplice funde precem.
Obtineas votis hæc qui tibi carmina misi,
Vt merear claudi quandoque claue Petri.

Epitaphium Eusebiæ.

XXVIII. SCRIBERE per lacrimas si possint dura parentes,
Hic pro pictura littera fletus erat.
Sed quia lumen aquis non signat nomen amantis,
Tracta manus sequitur, qua iubet ire dolor.
Nobilis EVSEBIÆ furibundi sorte sepulcri,
Hic obscure lapis fulgida membra legis.
Cuius in ingenio, seu formæ corpore pulcro,
Arte Minerua fuit, victa decore Venus.
Docta tenens calamos, apices quoque figere filo,
Quo tibi charta valet, hoc tibi tela fuit.
Dulcis in EVSEBII iam desponsata cubile,
B Viuere sed teneræ vix duo lustra licet.
Vt stupeas iuuenem, sensum superabat anilem,
Se quoque vincebat non habitura diu.
Conteritúrque socer, cui nata, genérque recedit,
Hæc lethalis obit, ille superstes abit.
Sit tamen auxilium, cui non es mortua Christo,
Viues post tumulum virgo recepta Deo.

EX LIBRO QVINTO.

Ad Ciues Turonicos, de GREGORIO *Episcopo Turonensi.*

III. PLAVDITE felices populi, noua vota tenentes,
Præsulis aduentu reddite vota Deo.
Hoc puer exertus celebret, hoc curua senectus,
Hoc commune bonum prædicet omnis homo.
Spes gregis ecce venit, plebis pater, vrbis amator,
C Munere Pastoris lætificentur oues.
Sollicitis oculis quem prospera vota petebant,
Venisse adspiciant, gaudia festa colant.
Iura Sacerdotij meritò reuerenter adeptus,
Nomine GREGORIVS, Pastor in vrbe gregis.
Martino proprium mittit Iulianus alumnum,
Et fratri præbet quod sibi dulce fuit.
Quem Patris EGIDII Domino manus alma sacrauit,
Vt populum recreet, quem Radegundes amet.
Huic SIGEBERTVS ouans fauet & BRVNICHILDIS honori,
Iudicio Regis nobile culmen adest.
Quo pascente greges, per pascua sancta regantur,
Et Paradisiaco germine dona metant.
Immaculata pij qui seruet ouilia Christi,
Ne pateant rapidis dilaceranda lupis.
Peruigili cura stabulum sine labe gubernet,
Commissúmque gregem nulla rapina grauet.
Muniat inclusos preciosi velleris agnos,
Et quos seruatos protegat ipse vigil, &c.

Ad Felicem Episcopum Namneticum.

VIII. SENTIO, summe Pater, lumen venerabile cunctis,
Orbis dulce caput, mihi nomen amabile FELIX,
Amplectens quem corde gero pietatis in vlnis,
Pondus suaue meum, nec onus grauat istud amantem.
Cur humilem me summe vocas loca visere blanda,
Quæ te chare tenent, tecum modularer in illis?
Qua tua rura lauat vitrea Liger algidus vnda,
Cariaci speciosus ager deuexus in amnem,
Hinc vbi flumen aquis recreat, hinc pampinus vmbris,
Et crepitans Boreas tot prata comata flagellat.
Vber nempe solum, piscoso littore pulchrum.
Sed FORTVNATVM facies tua reddit amœnum.

Ad Aredium Abbatem.

XXII. OPTO, benigne Pater, verbo tibi ferre salutem,
Si minus hinc oculo cernere te valeo.
Est etenim vestri tantus mihi cultus honoris,
Vt pro me occurrat hinc tibi missus apex.
Quæso beate tamen per dulcia pabula Christi,
Me quoque commemores cùm dabis ore preces.
Munera credo Dei tribui mihi, Pastor AREDI,
Si FORTVNATI sis memor alme tui.
Pro me etiam sanctam genitricem chare salutans,
Cùm redit iste puer, redde loquentis opem.
Vos itidem genitæ propriæ, Pater ample, salutant,
AGNES amore pio cum RADEGVNDE simul.

EX LIBRO SEXTO.

De Domno SIGIBERTO Rege.

I. VERE nouo tellus fuerit dum exuta pruinis,
Se picturato gramine vestit ager.
Longiùs extendunt frondosa cacumina montes,
Et renouat virides arbor opaca comas.
Promittens grauidas ramis genitalibus vuas,
Palmite gemmato vitis amœna tumet.
Præmittens flores gracili blandita susurro,
Deliciosa fauis mella recondit apes.
Progeniem reparans casto fœcunda cubili,
Artificis natos gignere flore cupit.
Nexibus apta suis pro posteritatis amore,
Ad fœtus properans garrula currit auis.
Semine quisque suo senio iuuenescit in ipso,
Omnia dum redeunt gaudia mundus habet.
Sic modo cuncta fauent, dum prosperitate superna,
Regia Cæsareo proficit Aula iugo.
Ordine multiplici fœlicem in specula Regem
Vndique cinxerunt lumina tanta Ducum.
Culmina tot Procerum concurrunt culmen ad vnum,
Mars habet ecce Duces, pax habet ecce decus.
Cunctorum aduentu festiua Palatia feruent.
Coniugio Regis gens sua vota videt.
Vos, quorum irriguis fontis meat vnda, fauete,
Iudicio vestro crescere parua solent.

A De nuptiis SIGIBERTI Regis, & BRVNICHILDIS Reginæ.

II. FELICEM Sol pande diem, radiisque serenis
Sparge comas, thalamos sincero lumine complens.
SIGIBERTVS ouans ad gaudia nostra creatus,
Vota facit, qui nunc alieno liber amore.
Vincula chara subit, cuius moderante iuuenta
Connubium mens casta petit, lasciua retundens
Ad iuga confugit, cui nil sua surripit ætas.
Corde pudicus agens, rector tot gentibus vnus,
Et sibi fræna dedit, sed quod natura requirit,
Lege martiali amplexu est contentus in vno.
Quod non peccat amor, sed casta cubilia seruans
Instaurat de prole lares, vbi luserit heres.
Torsit amoriferas arcu stridente sagittas
Fortè Cupido volans, terris genus omne perurit.
Nec pelagus defendit aquas, mox vilia corda
Subdit vulgus inens. Tandem dehinc sensus opimi
Regis anhelantem placidis bibit ossibus ignem,
Molliter incumbens, & inhæsit flamma medullis.
B Regalis feruebat apex, nec nocte sopora
Cordis erat requies oculis, animóque recurrens
Ad vultus quos pinxit * amor, mentémque fatigans * finxit
Sæpè per amplexum falsâ sub imagine lusit.
Mox vbi conspexit telo superante Cupido
Virginea mitem torreri lampade Regem,
Lætus ait Veneri: Mater, mea bella peregi,
Pectore flagranti mihi vincitur alter Achilles.
SIGIBERTVS amans BRVNICHILDÆ carpitur igne,
Quæ placet alta thoro, maturis nubilis annis,
Virginitas in flore tumens, complexa marito
Primitiis placitura suis, nec damna pudoris
Sustinet, vnde magis pollens Regina vocatur.
Hoc quoque virgo cupit, quamuis verecundia secus
Obstet, amata viri, dextrâ leuiore repellit,
Ignoscítqui sibi culpas quas intulit ignis.
Sed modo læta veni, quoniam te vota requirunt.
Mox Venus ambrosio violas admiscet amomo.
Demetit vngue rosas, gremióque recondit auaro.
C Et pariter leuibus fregerunt nubila pennis,
Et venêre simul thalamos ornare superbos.
Hinc Venus egregiam præponere cœpit alumnam,
Inde Cupido virum, nubentibus ambo fauentes,
Et litem fecere piam. Sic deinde Cupido
Matri pauca refert: Tibi quem promisimus hic est
SIGIBERTVS, amor populi, lux nata parentum,
Qui genus à proauis longo tenet ordine Regum,
Et Reges geniturus erit, spes gentis opimæ,
Quo creuit natale decus, generosa propago.
Ac melior de stirpe redit, famamque priorum
Posteritas excelsa fouet. Hic nomen auorum
Extendit bellante manu. Cui de patre virtus,
Quam Nabis * ecce probat, Thoringia victa fatetur, * Nablis
Perficiens vnum gemina de gente triumphum.
Nec DIETHEVBERTO pietas venialia pendit.
Perdidit ista duos, ambobus sufficit vnus
Cardinis occidui, dominans in flore iuuentæ,
Iam grauitate senes, teneróśque superuenit annis.

Legem naturæ meruit præcedere factis.
Quamuis parua tamen, nullum minor impedit ætas,
Qui sensum maturè regit, generosior hic est,
Quisquis in angusto fuerit moderatior æuo.
Sic fouet hic populos ipsis intrantibus annis,
Vt pater & Rex sit. Nullum grauiter regit, omni
Nulla dies sine fruge venit, disi congrua præstet.
Perdere plura putat, si non concesserit ampla,
Gaudia diffundit radianti lumine vultus.
Nubila nulla grauant populum sub Rege sereno,
Pectore maturo culpas indulget acerbas,
Vnde alij peccant, ignoscendo iste triumphat.
Doctus enim quoniam prima est in Principe virtus
Esse pium, quia semper habet, qui parcere nouit,
Corrigit in se priùs quod poscit vt alter emendet.
Quod sibi censura est, reliquos benè lege coërcet.
In quo digna manent, quicquid de Rege requiras.
Solus amat cunctos, & amatur ab omnibus vnus.
Incipit indè Venus laudes memorare puellæ:
O virgo miranda mihi placitura iugali,
Clarior æthereâ BRVNICHILDES lampade fulgens,
Lumina gemmarum superasti lumine vultus.
Altera nata Venus, regno dotata decoris,
Nulláque Nereidum de gurgite talis Hibero
Oceani sub fonte natat, non vlla Napea
Pulchrior, ipsa suas subdunt tibi flumina nymphas.
Lactea cui facies incocta rubore coruscat.
Lilia mixta rosis, aurum si intermicet ostro,
Decertata suis nunquam se vultibus æquant.
Saphirus, alba adamas, crystalla, smaragdus, jaspis.
Cedant cuncta, nouam genuit Hispania gemmam.
Digna fuit species, potuit quoque flectere Regem.
Per hyemes validas niuibus Alpémque Pyrenem,
Perque truces populos vecta est, duce Rege sereno.
Terrenis Regina toris super ardua montis
Planum carpis iter. Nihil obstat amantibus vnquam,
Quos iungi diuina volunt. Quis crederet autem
Hispanam tibimet Domnam Germania nasci,
Quæ duo Regna iugo precio * connexit vno.
Non labor humanus potuit tam mira parare.
Nam res difficilis diuinis vtitur armis.
Longa retro series Regi hoc vix contulit vlli.
Difficili nisu peraguntur maxima rerum.
Nobilitas excelsa nitet, genus ATHANAGILDI
Longius extremo Regno qui porrigit Orbi.
Diues opum quas mundus habet, populúmque gubernat
Hispanum sub iure suo pietate canenda.
Cur tamen egregij genitoris Regna renarrem,
Quando tuis meritis video creuisse parentes?
Tantùm Virgo micans turbas superare videris
Femineas, quantum tu SIGIBERTE maritos.
Ite diu iuncti membris, & corde iugati,
Ambo pares genio, meritis, & moribus ambo.
Sexum quisque suum preciosis actibus ornans,
Cuius amplexu sint colla conexa sub vno,
Et totos placidis peragatis lusibus annos.
Hoc velit alterutrum quicquid dilexerit alter.
Æqua salus ambobus eat, duo pectora seruet,

* preciosa conexuit

A Vnus amor viuo solidamine iunctus alescat.
Auspiciis vestris cunctorum gaudia surgant.
Pacem mundus amet, victrix concordia regnet.
Sic iterum natis celebretis vota parentes,
Et de natorum teneatis prole nepotes.

De Sigiberto Rege & Brunichilde Regina.

III. VICTOR ab Occasu quem laus extendit in Ortum;
Et facit egregium Principis esse caput:
Quis tibi digna ferat? Nam me tibi dicere pauca
Non trahit ingenium, sed tuus vrget amor.
Si nunc Virgilius, si forsitan esset Homerus,
Nomine de vestro iam legeretur opus.
SIGEBERTE potens, generosis clare triumphis,
Hinc noua te virtus prædicat, inde genus.
Cuius rapta semel sumpsit Victoria pennas,
Et tua vulgando prospera facta, volat.
Saxone Thuringi resonant, sua damna mouentes,
Vnius ad laudes tot cecidisse viros.
B Quòd tunc ante aciem pedibus prior omnibus isti,
Hinc modo te Reges vnde sequantur habent.
Prosperitate noua pacem tua bella dederunt,
Et peperit gladius gaudia certa tuus.
Plus tamen vt placeas, cùm sit Victoria iactans,
Tu magis vnde subis, mitior indè manes.
Est tibi summus honor, sed mens præcessit honorem,
Moribus & vestris debitus extet apex.
Iustitiæ cultor, pietatis amore coruscas,
Quòd te plus habeat, certat vtrumque bonum.
Lingua, decus, virtus, bonitas, mens, gratia, pollent,
Ornarent cunctos singula vestra viros.
Cunctorum causas intra tua pectora condis,
Pro populi requie te pia cura tenet.
Omnibus vna salus datus es, quali ordine sacro
Tempore præsenti gaudia prisca refers.
Catholico cultu decorata est optima coniux,
Ecclesiæ creuit te faciente domus.
Reginam meritis BRVNICHILDEM Christus amore
Tunc sibi coniunxit, hanc tibi quando dedit.
C Altera vota coles melius quia munere Christi,
Pectora iuncta prius plus modo lege placent.
Rex pie Reginæ tanto de lumine gaude
Acquisita bis est, quæ tibi nupta semel.
Pulchra, modesta, decens, solers, grata atque benigna:
Ingenio, vultu, nobilitate potens.
Sed quamuis tantùm meruisset sola decorem,
Ante tamen homini, nunc placet ecce Deo.
Secula longa micans chara cum coniuge ducas,
Quam tibi diuinus consociauit amor.

De CHARIBERTO Rege.

IV. INCLITA magnarum processit gloria rerum,
Et de Rege pio spargit vbique decus.
Quem grauitate, animo, sensu, moderamine legum
Prædicat occiduus Sol oriénsque virum.
Qui quadripartitis mundi sub partibus ampli
Fructificante fide semina laudis * habet. * lux.

Hinc cui barbaries, illinc Romania plaudit, A
Diuersis linguis laus sonat vna viri.
Dilige regnantem celsa Parisius arce,
Et cole tutorem qui tibi præbet opem.
Hunc modo læta, fauens auidis amplectere palmis,
Qui iure est dominus, sed pietate pater.
De CHILDEBERTO veteres compesce dolores,
Rex placidus rediit, qui tua vota fouet.
Ille fuit mitis, sapiens, bonus, omnibus æquus.
Non cecidit patruus, dum stat in vrbe nepos.
Dignus erat heres eius sibi sumere Regnum,
Qui non est illo laude loquente minor.
CHARIBERTVS adest, qui publica iura gubernans,
Tempora præsenti gaudia prisca refert.
In tantùm patrui se prodidit esse sequacem,
Vt modo sit tutor coniugis iste nepos.
Qui CHILDEBERTI retinens dulcedine nomen,
Eius natarum est frater, & ipse pater.
Quæ benè defensæ placido moderamine Regis,
In consobrino spem genitoris habent.
Maxima progenies generosa luce coruscans,
Cuius ab excelsis gloria currit auis.
Nam quoscumque velim veterum memorare parentum, B
Stirpis honorificæ Regius ordo fuit.
Cuius celsa fides eduxit ad astra cacumen,
Atque super gentes intulit illa pedes.
Calcauit tumidos hostes, erexit amicos,
Fouit subiectos, conteruitque feros.
Cur tamen hic repetam præconia celsa priorum,
Cùm potius tua laus ornet honore genus?
Illi auxere armis patriam, sed sanguine fuso:
Tu plus acquiris, qui sine clade regis.
Quos prius infestis lassarunt bella periclis,
Hos modo securos pacis amore foues.
Omnia læta canunt felicia tempora Regis,
Cuius in auspiciis floret opima quies.
Per quem tranquilla terrarum frugis abundat,
Deuotis populis est tua vita seges.
Cùm te nascentem meruerunt secula Regem,
Lumine maiori fulsit in Orbe dies.
Posteritate noua tandem sua gaudia cernens, C
Crescere se dixit prolis honore pater.
Qui quamuis esset sublimi vertice rector,
Altiùs erexit te veniente caput.
Lætus in heredis gremio sua vota reclinans,
Floruit inde magis spe meliore senex.
Antè alios fratres Regali germine natus,
Ordine qui senior, sic pietate prior.
Prædicat hinc bonitas, illinc sapientia plaudit.
Inter vtrumque decus te sibi quisque rapit.
De patruo pietas, & de patre fulget acumen,
Vnius in vultu viuit vterque parens.
Quas habuere ambo laudes, tu colligis omnes,
Et reparas solus lege fauente duos.
Semita iustitiæ, grauitatis norma refulges,
Et speculum vitæ dat preciosa fides.
Tranquillis animis moderatio fixa tenetur,
Qui portum in proprio pectore semper habes.

A Tempestas nullo penetrat tua corda tumultu;
Ne sensu titubes, anchora mentis adest.
Constantes animos non ventilat aura susurrans;
Nec leuiter facili mobilitate trahit.
Hinc benè disposito comitatur gloria cursu;
Quod se maturè mens moderata gerit.
Consilium vigilans alta radice retractas;
Et res clausa aliis, est manifesta tibi.
Publica cura mouens, Proceres si congreget omnes;
Spes est, consilij, te monitore, sequi.
Hinc quoties felix Legatio denique pergit;
Ingreditur cautè quam tua lingua regit.
Quòd tam mirifico floret patientia cultu;
Est tibi Dauidicæ mansuetudo lyræ.
Iustitiæ rector, venerandi iuris amator;
Iudicium sapiens de Salomone trahis.
Tu melior fidei merito. Nam Principis ampli
Traiani ingenium de pietate refers.
B Quid repetam maturum animum; qui tempore nostro
Antiqui Fabij de grauitate places?
Si veniant aliquæ variato murmure causæ,
Pondera mox legum Regis ab ore fluunt.
Quamuis confusas referant certamina voces,
Nodosæ litis soluere fila potes.
Obtinet adueniens fructum, cui iusta petuntur,
Quem sua causa fouet præmia victor habet.
Cuius clara fides valida radice tenetur,
Antea mons migrat, quàm tua verba cadant.
Spes promissa stat nullo mutabilis actu,
Pollicitata semel perpetuata manent.
Illa domus propriori pondere tuta tenetur,
Quæ fundamento stat benè fixa suo.
Cùm sis progenitus clara de gente Sicamber;
Floret in eloquio lingua Latina tuo.
Qualis es in propria docto sermone loquela,
Qui nos Romanos vincis in eloquio?
Splendet in ore dies detersa fronte serenus,
Sinceros animos nubila nulla premunt.
Blanda serenatum circumdat gratia vultum,
C Lætitiam populus Regis ab ore capit.
Muneribus largis replet tua gratia cunctos,
Vt mea dicta probes, plebs mihi testis adest.
O bonitas immensa Dei, quæ diuite censu
Quod famulis tribuit, hoc putat esse suum!
Erigis abiectos, erectos lege tueris,
Omnibus in totum factus es omne bonum.
Protegat Omnipotens pietatis munere Regem,
Et Dominum seruet, quem dedit esse patrem.
Ciues te cupiant, tu gaudia ciuibus addas,
Plebs placeat famulans, Rex pietate regat.

De THEODECHILDE *Regina.*

V. INCLITA progenies regali stirpe coruscans,
Cui celsum à proauis nomen origo dedit.
Currit in Orbe volans generis noua gloria vestri;
Et simul hinc frater personat, inde pater.
Sed quamuis niteat generosa propago parentum,
Moribus ex vestris multiplicatur honor.

Cernimus in vobis quicquid laudatur in illis, A
Ornasti antiquum THEODECHILDA genus.
Mens veneranda, decens, solers, pia, chara, benigna,
Cùm sis prole potens, gratia maior adest.
Euitans odij causas, micat ampla potestas,
Quæ terrore minus, plus in amore venis.
Mitis ab ore sonus, suauissima dicta resultant,
Verbáque colloquij sunt quasi mella faui.
Fœmineum sexum quantum præcedis honore,
Tantum alias superas & pietatis ope.
Si nouus adueniat recipis sic mente benigna,
Ac si seruitiis iam placuisset auis.
Pauperibus fessis tua dextera seminat escas,
Vt segetes fructu fertiliore metas.
Vnde foues inopes, semper satiata manebis,
Et quem sumit egens, fit tuus ille cibus.
Peruenit ad Christum quicquid largiris egeno,
Et si nemo videt, non peritura manent.
Cùm venit extremus finis concludere mundum,
Omnia dum pereunt, tu meliora petis.
Ecclesiæ sacræ te dispensante nouantur, B
Ipsa domum Christi condis, & ille tuam.
Tu fabricas illi terris, dabit ille supernis,
Commutas melius, sic habitura polos.
Stat sine fraude tuum quod mittis ad astra talentum,
Quas bene dispergis, has tibi condis opes.
Quæ Domino viuis, summos non perdis honores,
Regna tenes terris, regna tenendo polis.
Sit modo longa salus pro munere plebis in vrbe,
Felix quæ meritis luce perennis eris.

De Bertechilde.

VI. MENS deuota Deo BERTHILDE corde coruscans,
Pectore sub cuius Christus amore manet.
Despiciens mortale malum, vitalia seruans,
Vnde fugis terras, hinc petis astra magis.
Immaculata micans, nescis contagia mundi,
Sordibus humanis libera membra geris.
Digna pudicitiæ debentur præmia sacræ,
Virgo dicata Deo, hinc rapienda polo.
Ille tenet cœlos, cui tu complexa videris. C
Quo tuus est sponsus, hic eris ipsa simul.
Non cupis auro humeros, nec collum pingere gemmis,
Sed melius casto pectore pura micas.
Mutasti vestem, mutasti gentis honorem,
Cum thalamis Domini sponsa iuganda venis.
Quàm meliore via meruisti vota tenere,
Quando Creatori forma creata places.
Pauperibus largas das esurientibus escas,
Nescit habere famem, qui tua tecta petit.
Qui sine veste iacet tegmen pietate ministras,
Vnde calet nudus frigora nulla timens.
Te redimente pia captiui vincula laxant,
Quæ soluis, vinctos libera semper eris.
Distribuis censum, nulli sua vota negando,
Diuitiásque tuas omnibus esse facis.
Colligis in cœlis quicquid dispergis in aruis,
Semina nunc fundens, post meliora metes.

Quic-

A Quicquid habet mundus fugitiuo tramite transit,
Tempore tu modico semper habenda facis.
Hic tibi longeuis sit vita superstes in annis,
Rursus in æternum sit tibi vera salus.

De Gelesuintha.

VII. CASIBVS incertis rerum fortuna rotatur,
Nec figit stabilem pendula vita pedem.
Semper in ambiguo speclum rota lubrica voluit,
Et fragili glacie lapsibus itur iter.
Nulli certa dies, nulli est sua certior hora,
Sic sumus in statu debiliore vitro.
Dum gressu ancipiti trahit ignorantia fallens,
Huc latet ars foueæ, quo putat esse viam.
Nescia mens hominum quid sit necis atque salutis,
Lucifer an vita, mors sibi vesper erit.
His premimur tenebris ignari fortè futuri,
Et vaga tam fragile hæc tempora tempus habent.
Toletus gemina misit tibi Gallia turres,
Prima stanto quidem, fracta secunda iacet.
B Alta super colles speciosa cacumine pulchro,
Flatibus infestis culmine lapsa ruit.
Sedibus in patriæ sua fundamenta relinquens,
Cardine mota suo non stetit vna diu.
De proprio migrata solo noua mersit arena,
Exul & his terris, heu! peregrina iacet.
Quis valet ordiri tanta præsagia luctus,
Stamine quo cœpit texere flenda dolor?
Cùm primum algentes iungi peteretur ad arctos,
Regia Regali GELESVINTA toro.
Fixa cupidineis caperet vt frigora flammis,
Viueret & gelida sub regione calens.
Hoc vbi virgo metu audituque exterrita sensit,
Currit ad amplexus GOISVINTA tuos.
Tunc matris collecta sinu, malesana reclinans,
Ne diuellatur se tenet vngue, manu.
Brachia constringens nectit sine fune catenam,
Et matrem amplexu per sua membra ligat.
Illis visceribus retineri filia poscens,
Ex quibus ante sibi lucis origo fuit.
C Committens secura eius se fasce leuari,
Cuius clausa vteri pignore tuta fuit.
Tum gemitu fit mœsta domus, strepit aula tumultu,
Reginæ fletu plorat & omnis homo.
In populi facie lachrymarum flumina sordent,
Infans qui affectum nescit, & ipse gemit.
Instant Legati Germanica Regna requiri,
Narrantes longæ tempora tarda viæ.
Sed matris moti gemitu sua viscera soluunt,
Et qui compellunt, dissimulare volunt.
Dum natæ amplexu genitrix nodata tenetur
Præterunt duplices, tertia, quarta dies.
Instant Legati nota regione reuerti,
Quos his alloquitur GOISVINTA gemens,

. . . .

Illa tamen pergit, qua trita viam orbita sulcat,
Quisque suis vacuos fletibus implet agros.

Inde Pyræneas per nubes transilit Alpes, A
Quáque pruinosis Iulius alget aquis.
Qua niue canentes fugiunt ad sydera montes,
Atque super pluuias exit acutus apex.
Excipit hinc Narbo, qua littora plana remordens
Mitis Atax Rhodani molliter intrat aquas.
Post aliquas vrbes Pictauas attigit arces,
Regali pompa prætereundo viam.
Inclytus ille quibus verè amplus Hilarius oris,
Et satus & situs est, ore tonante loquax.
Thrax, Italus, Scytha, Persa, Indus, Geta, Daca, Britannus,
Huius in eloquio spem bibit, arma capit.
Sol radio, hic verbo genitalia lumina fudit,
Montibus ille diem, mentibus iste fidem.
Hanc ego nempe nouus conspexi prætereuntem,
Molliter argenti turre rotante vehi.
Materno voluit pia quam Radegundis amore
Cernere feruenter, si daret vllus opem.
Sæpè tamen missis, dulcis sibi, dulcis adhæsit,
Et placidè soluit quod modo triste dolet.
Turonicas terras Martini ad sidera noti
Inde petit, lento continuante gradu. B
Vigennæ volucer transmittitur alueus alno,
Turba comis rapidis, alueus exit aquis.
Excipit inde repens vitreâ Liger algidus vnda,
Quo neque vel piscem leuis arena tegit.
Peruenit qua se piscoso Sequana fluctu
In mare fert iuncto Rhotomagense sinu.
Iungitur ergo thoro Regali culmine virgo,
Et magno meruit plebis amore coli.
Hos quoque muneribus permulcens, vocibus illos,
Et licèt ignotos, sic facit esse suos.
Vtque fidelis ei sit gens armata per arma
Iurat, iure suo se quoque lege ligat.
Regnabat placido componens tramite vitam,
Pauperibus tribuens aduena mater erat.
Quoque magis possit regno superesse perenni,
Catholicæ fidei conciliata placet.
O dolor! insignis quid differs tempora fletus,
Lugubrésque vices plura loquendo taces?
Improba sors hominum! improuiso condita lapsu, C
Tot bona tam subitò sorte volante voras.
Nam breue tempus habens, consorti nexa iugalis,
Principio vitæ funere rapta fuit.
Præcipiti casu volucri præuenta sub ictu
Deficit, & verso lumine lumen obit.
Infœlix nutrix audito funere alumnæ
Exanimum ad corpus vix animata volat. &c.

De Horto Vltrogothonis Reginæ.

VIII. Hic ver purpureum viridantia gramina gignit,
Et paradisiacas spargit odore rosas.
Hic tener æstiuas defendit pampinus vmbras,
Præbet & vuiferis frondea tecta comis.
Pinxerúntque locum variato germine flores,
Pomáque vestiuit candor, & indè rubor.
Mitior hîc æstas, vbi molli blanda susurro
Aura leuis semper pendula mala quatit.

Hæc magno inseruit Rex CHILDEBERTVS amore.
Carius ista placent quæ manus illa dedit.
De cultore trahit mellitum planta saporem,
Forsan & hîc tacitos miscuit ille fauos.
Regis honore nouis duplicata est gratia pomis,
Nare suauis odor, dulcis in ore sapor.
Qualiter ille hominum potuit prodesse saluti,
Cuius & in pomis tactus odore placet?
Felix perpetua generetur ab arbore fructus,
Vt de Rege pio sit memor omnis homo.
Hinc iter eius erat, cùm limina sancta petebat,
Quæ modo pro meritis incolit ille magis.
Anteà nam vicibus loca sacra petebat amatus,
Nunc tamen assiduè templa beata tenet.
Possideas felix hæc VLTROGOTHO per æuum,
Cum geminis natis tertia mater ouans.

Ad Dinamium Massiliensem.

XI. B EXPECTO te noster amor, venerande DINAMI,
Quamuis absentem, quem mea cura videt.
Quæ loca te teneant, venientia flabra requiro,
Si fugias oculos, non fugis hinc animos.
Massiliæ tibi regna placent, Germania nobis,
Vultus ab aspectu pectore iunctus ades.
Quò sine te tua pars huc vsque oblita remansit,
Nec reuocas animo membra relicta tuo?
Si sopor obrepsit, tibi me vel somnia narrent.
Nam solet vnanimes ipsa videre quies.
Si vigilas, fateor, veniam tibi culpa negabit,
Nil vnde excuses desidiosus habes.
Altera signiferi reuolutis mensibus anni
Solis anhelantes orbita lassat equos.
Cùm mea discedens rapuisti lumina tecum,
Et modo nil sine te cerno patente die.
Vel mihi verba dares de fonte refusa loquaci,
Vt faceret tecum pagina missa loqui.
Sed tamen vt tandem venias huc, charius hortor,
Et reuoces oculis lumen amice meis.

C

EX LIBRO SEPTIMO.

Ad Gogonem.

I. ORPHEVS orditas moueret dum pollice chordas,
Verbáque percusso pectine fila darent,
Mox resonante lyra tetigit dulcedine syluas,
Ad citharæ cantus traxit amore feras.
Vndique miserunt vacuata cubilia damas,
Deposita rabie tygris & ipsa venit.
Sollicitante melo nimio philomela volatu,
Pignora contemnens fessa cucurrit auis.
Sed quamuis longo spacio lassauerat alas,
Ad votum veniens se recreauit auis.
Sic stimulante tua captus dulcedine GOGO,
Longo peregrinus regna viator adit.
Vndique festini veniant vt promptiùs omnes
Sic tua lingua trahit, sicut & ille lyra.

Ipse fatigatus huc postquàm venerit exul,
Antea quo doluit te medicante caret.
Eruis afflictis gemitus, & gaudia plantas,
Ne tamen arescant oris ab imbre foues.
Ædificas sermone fauos, noua mella ministras,
Dulcis & eloquij nectare vincis apes.
Vbere fonte rigat labiorum gratia pollens,
Cuius ab arcano vox epulanda fluit.
Peruigili sensu diues prudentia regnat,
Fomite condito cui salis vnda natat.
Qui fulgore animi radios à pectore vibras,
Et micat interior lux imitata diem.
Sed vicibus, mundum modò Sol, modò lumina complens,
At tua semper habent corda serena diem.
Visceribus promptis templum pietatis haberis,
Muneribúsque sacris es fabricata domus.
Forma venusta tibi proprio splendore coruscat,
Vt mentis habitum vultus & ipse probet.
Omne genus laudum specie concludis in vna,
Nec plus est aliquid, quàm tua forma gerit.
Principis arbitrio SIGIBERTI magnus haberis,
Iudicium Regis fallere nemo potest.
Elegit sapiens sapientem, & amator amantem,
Ac veluti flores docta sequestrat apes.
Illius ex meritis didicisti talis haberi,
Et domini mores, serue benigne, refers.
Nuper ab Hispanis per multa pericula terris
Egregio Regi gaudia summa vehis.
Diligis hunc tantùm, quantum meliora parasti,
Nemo armis potuit, quod tua lingua dedit.
Hæc bona si taceam, te nostra silentia laudant,
Nec voces spectes qui mea corda tenes.
Vera fauendo cano, neque me fallacia damnat:
Teste loquor populo, crimine liber ero.
Hæc tibi longinquos laus ardua surgat in annos,
Hæc te vita diu seruet, & illa colat.

Ad eundem.

IV. NVBILA quæ, rapido perflante Aquilone, venitis,
Pendula sidereo quæ mouet axe rota:
Dicite qua vegetet charus mihi GOGO salute,
Quid placidis rebus mente serenus agat.
Si prope fluctiuagi remoratur littora Rheni,
Vt salmonis adeps rete trahatur aquis.
Aut super vuiferæ Musellæ obambulat amnem,
Quod leuis ardentem temperet aura diem.
Pampinus & fluuius, medius vbi mitigat æstus,
Vitibus vmbra rigens, fluctibus vnda recens.
Aut Mosa dulce sonans, quo grus ganta, anser, olórque est,
Triplice merce ferax, alite, pisce, rate.
An tenet herbosis qua frangitur Axona ripis,
Cuius aluntur aquis pascua, prata, seges.
Isara *, Sara, Chares, Schaldis, Saba, Somena, Sura,
Seu qui Mettin adit de sale nomen habens.
Aut æstiua magis nemorum, saltúsque pererrans,
Cuspide, rete, feras hinc ligat, inde necat.
Ardennæ an Vosagi, cerui, capræ, Helicis vrsi
Cæde sagittifera silua fragore tonat.

* Esara

A Seu validi bufali ferit inter cornua campum,
Nec mortem differt vrsus, onager, aper.
An sua rura colens, exusta noualia sulcat,
Et rude ceruici taurus aratra gemit.
Siue Palatina residet modo lætus in Aula,
Cui schola congrediens plaudit amore sequax.
An cum dulce LVPO pietatis iura retractat,
Consilioque pari mitia mella creant.
Quo pascatur inops, viduæ solatia præstent,
Paruus tutorem sumat, egenus opem.
Quicquid agunt pariter, felicia vota secundent,
Et valeant Christi Regis amore frui.
Vos precor, ô venti, qui curritis atque reditis,
Pro FORTVNATO nuncia ferte suo.

De Bodegisilo Duce.

V. PECTORE de sterili si flumina larga rigarem,
Non te sufficerem, Dux BODEGISLE, loqui.
B Inuasit nostram subitò tua gratia mentem,
Vt modò plus vester, quàm meus esse velim.
Quo primùm placidos merui cognoscere vultus,
Oris ab vnguento membra refecta gero.
Colloquio dulci satiasti pectus amantis.
Nam mihi deuoto dant tua verba cibum.
Distribuunt epulas alij, quæ corpora supplent,
Vnde animum saties, das magis ipse dapes.
Non sic inficiunt placidissima mella falernum,
Ceu tuus obdulcat pectora nostra sapor.
Qualiter oblectas, quos semper amare videris,
Horæ qui spacio me facis esse tuum.
Quæ tibi sit virtus, si possem, prodere vellem,
Sed paruo ingenio magna referre vetor.
Exiguus titubo tantarum pondere laudum,
Sed meliùs gradior, quem tua facta regunt.
Massiliæ ductor, fœlicia vota dedisti,
Rectorémque suum laude perenne refert.
Hic tibi consimili merito Germania plaudit,
Cuius ad laudem certat vterque locus.
De bonitate tua lis est regionis vtræque:
C Te petit illa sibi, hæc retinere cupit.
Iusticiam pauper nunquam, te Iudice, perdit,
Nec poterit precio vertere vera potens.
Non ligat immunem, non soluit pœna nocentem:
Nil persona capit, si sua causa neget.
Lumina cordis habes, animi radiante lucerna,
Et tuus æterna luce coruscat apex.
Ingenio torrente loquax de fonte salubri,
Diuitiásque pias ore fluente rigas.
Si videas aliquem defectum forte labore,
Nilus vt Ægyptum, sic tua lingua fouet.
Qui patrias leges intra tua pectora condens,
Implicitæ causæ soluere fila potes.
Assiduis epulis saturas venerande cateruas,
Et repletus abit, qui tua tecta petit.
Si venis in campos, ibi plebs pascenda recurrit,
Consequiturque suas, te comitando, dapes.
Vota feras cunctis per secula longa superstes,
Et maneas populi semper in ore potens.

A

*Gallimagni.

De Palatina filia Gallimagni *, vxore Godegisili Ducis.

VI. LVCIFER vt nitidos producit in æthere vultus,
Clarior & læto nunciat ire diem.
Ornat eundo polum, terris quoque lampada mittit,
Atque inter stellas lumine regna tenet.
Sic tua diffundens radiantia lumina vultu,
Femineos vincis pulchrior ore choros.
Et tibi sic cedit muliebris turba decore,
Vt Solis radiis lumine Luna minor.
Clara serenatos permutat forma colores,
Lilia nunc reparans, nunc verecunda rosas.
Credite, nam si quis vultus conspexerit illos,
Hic relegit flores, quos dare verna solent.
Pingere non possunt preciosam verba figuram,
Nec valet eloquium mira referre meum.
Gratior incessu, sensu reuerenda pudico,
Talis in ingenio, qualis in ore nitor.
Blandior alloquio placidis suauissima verbis,
Despiciámque lyram, si tua lingua sonat.
Pectore perspicuo sapientia prouida fulget, B
Ornatur sexus te radiante tuus.
Coniuge peruigili nituit magis aula mariti,
Floret & egregia dispositrice domus.
Iure quidem magna est, quæ est GALLI filia MAGNI,
Sed meritò natæ creuit honore pater.
Non aliter poterat nisi munere clarior esse,
Quæ meruit celso digna placere viro.
Eligit è multis quam charus amaret amantem,
Et Iudex patriæ iudicat ipse sibi.
Ambo pares iuncti longos maneatis in annos,
Et quæcumque volunt gaudia vestra, ferant.

De Lupo Duce.

VII. ANTIQVI Proceres, & nomina celsa priorum,
Cedant cuncta, LVPI munere victa Ducis.
Scipio quod sapiens, Cato quod maturus habebat,
Pompeius felix, omnia solus habes.
Illis Consulibus Romana potentia fulsit, C
Te Duce sed nobis hic modo Roma redit.
Te tribuente aditum, cunctis fiducia surgit,
Libertatis opem libera lingua dedit.
Mœstitiam si quis confuso in pectore gessit,
Postquam te vidit, spe meliore manet.
Fundatus grauitate animi, quoque corde profundus,
Tranquilli pelagi fundis ab ore salem.
Sed facunda magis plebi tua munera prosunt,
Tu condis sensus nam salis vnda cibos.
Consilij radix, fæcundi vena saporis,
Ingenio viuax, ore rotante loquax.
Qui geminis rebus fulges, in vtróque paratus,
Quicquid corde capis prodere lingua potest.
Pectore sub cuius firmantur pondera Regis,
Pollet & auxilio publica cura tuo.
Subdis amore nouo tua membra laboribus amplis,
Pro requie Regis, dulce putatur onus.

A O felix animus patriæ qui consulit actus,
Et viuit cunctis mens generosa viris!
Legati adueniunt, te respondente ligantur,
Et iaculo verbi mox iacuere tui.
Lancea sermo fuit, quoque vox armata loquentis,
Auspicium palmæ te SIGEBERTVS habet.
Responsum gentis sensu profertur ab illo,
Et votum populi vox valet vna loqui.
Cuius ab ingenio sortita est causa triumphum,
Assertoris ope, iustior illa fuit.
Nullus enim poterit proprias ita pandere causas,
Ceu tua pro cunctis inclyta lingua tonat.
Nilus vt Ægyptum recreat, dum plenus inundat,
Sic tu colloquij flumina cuncta foues.
Iustitia florente, fauent te Iudice leges,
Causarúmque æquo pondere libra manes.
Ad te confugiunt, te cingula celsa requirunt,
Nec petis vt habeas, te petit omnis honor.
In cuius gremio nutritur adepta potestas,
Quo rectore datus crescere nouit apex.
B Quàm meritò retinet concessos semper honores,
Per quem digna magis culmina culmen habent.
Antiquos animos Romanæ stirpis adeptus,
Bella moues armis, iura quiete regis.
Fultus vtrisque bonis, hinc armis, legibus illinc,
Quàm benè fit primus, cui fauet omne decus.
Quæ tibi sit virtus cum prosperitate superna,
Saxonis & Dani * gens cito victa probat. *al. Rhodani
Bordaa * quo fluuius sinuoso gurgite currit, *al. Borda à quo
Hic aduersa acies te Duce cæsa ruit.
Dimidium vestris iussis tunc paruit agmen.
Quàm meritò vincit qui tua iussa facit.
Ferratæ tunicæ sudasti pondere victor,
Et sub puluerea nube coruscus eras.
Támque diu pugnas acie fugiente secutus,
Laugona dum vitreis terminus esset aquis.
Qui fugiebat iners amnis dedit ille sepulchrum,
Pro Duce felici flumina bella gerunt.
Inter conciues meruit te Gallia lumen,
C Lampade qui cordis splendor vbique micas.
Sunt quos forma potens, sunt quos sapientia præfert,
Singula sunt aliis, sed bona plura tibi.
Occurrens dominis veneranda Palatia comples,
Et tecum ingrediens multiplicatur honor.
Te veniente nouo domus emicat alma sereno,
Et reparant genium Regia tecta suum.
Nempe oculos recipit, cùm te videt Aula redire,
Quem commune Ducum lumina lumen habent.
Principis auxilium, patriæ decus, arma parentum,
Consultum reliquis, omnibus vnus amor.
Admiranda etiam quid de dulcedine dicam,
Nectare qui plenus construis ore fauos?
Chara serenatum comitatur gratia vultum,
Fulget & interiùs perpetuata dies.
Qui satias escis, reficis sermone benignus,
Sepositis epulis sunt tua verba dapes.
Quis tibi digna loqui valeat, quem voce patente
Rex pius ornatum prædicat esse suum?

Sit tibi summus apex illo regnante per æuum, A
Vitáque sit præsens, atque futura colat.

Ad Lupum Ducem.

IX. OFFICIIS intente piis, memorator amantis,
Promptè per affectum consulitur tuum.
Charius absentis nimium miseratus amici,
Quando latente loco signa requirit amor.
Vnde meis meritis datur hoc, vt protinus esset,
Spes Fortunati cura benigna LVPI?
Exul ab Italia nono puto voluor in anno,
Littoris Oceani contiguante salò.
Tempora tot fugiunt, & adhuc per scripta parentum
Nullus ab exclusis me recreauit apex.
Quod pater, ac genitrix, frater, soror, ordo nepotum,
Quod poterat regio, soluis amore pio.
Pagina blanda tuo sub nomine missa benigno,
Nectarei fontis me recreauit aquis.
Nec solùm à vobis me dulcis Epistola fouit,
Missus adhuc in rem portitor inde venit. B
Munera quis poterit, rogo, tot memor ore referre?
Affectum dulcem pandere lingua nequit.
Sed tibi restituat Rex cuncta supernus ab alto,
Quæ minimo fiunt, qui docet esse suum.

Ad Magnulphum fratrem Lupi.

X. QVAM citò fama volat pernicibus excita pennis,
Et loca cuncta suis actibus aucta replet!
Nam tibi cùm Rhenus, mihi sit Liger ecce propinquus,
Hic MAGNVLFE decens magnus honore places.
Sic tuba præconis Sigimundi missa cucurrit,
Vt tua diffuso sint bona nota loco.
Quod tamen in breuibus vix signat Epistola verbis,
Non quia cuncta canit, nec reticere cupit.
Iuridico in primis pollens torrente relatu,
Sic regis, vt reuoces facta vetusta nouus.
Cuius in officiis æqui cultoris aratrum
Semine iustitiæ plebs sua vota metit.
Nemo caret propriis, alienis nemo recumbit. C
Sic facis vt populum non vacet esse reum.
Sollicitudo tua reliquis fert dona salutis,
Et labor vnius fit populosa quies.
Æqualis concors vt ab omnibus alme voceris,
Legibus hinc Iudex, hinc bonitate parens.
Da paucis veniam, quoniam mihi portitor instat,
Nam de fratre LIPI res monet ampla loqui.
Sic tribuat Dominus meritis reparetis vt illum,
Quem pariter tecum cordis amore colo.

Ad Iouinum Rectorem Prouinciæ.

XI. PROSAICO quoties direxi scripta relatu,
Nulláque de vestro pocula fonte bibo.
Quem priùs irrigua recrearas ditior vnda,
Nec modo Castaliis redditur haustus aquis.
Si me cura minor vestri tenuisset amoris,
Iam fuerat lucrum, stringere colla manu.
Nunc magis, inde minus capio, quia diligo maius,
Et cùm plus cupiam, vota negata gero.

A Qui tibi transfudit mea pectora pectore tuto,
Cur rogo non pariter lumina lumen habent?
Vel quod amice licet scriptis fero chare salutem,
Sed mihi qua releuer pagina reddat opem.

Ad eundem.

* * * *

XII. CVM ASPASIO pariter caris patre, fratre LEONE,
Longa stante die, dulcis amice vale.

Ad Felicem socerum eius.

XIII. ARDVA Pierio cui constant culmina fastu,
Vix humili valeo tangere claustra manu.
Sed quoniam patriæ fuit aula sodalibus vna,
Affectu fidens pulso benigne fores.

De Mummuleno.

XIV. DVM mihi fessus iter gradior prope noctis in vmbra,
Solis in occasu iam fugiente die.
Cum super vndarum viridantes gramine ripas,
B Pascua conspexi, pastus & ipse fui.
Huc oculis captus, voto ducente, trahebar,
Deflecténsque viam prosperiora peto.
MVMMOLENVS enim, qui celsa Palatia Regis
Altis consiliis crescere rite facit:
Inter conciues merito qui clarior extat,
Quémque super Proceres vnica palma leuat
Nobilitate potens, animo bonus, ore serenus,
Ingenio solers, & probitate sagax:
Cui genus à proauis radianti luce coruscat,
Moribus ipse tamen vicit honore patres.
Huc ergo adueniens epulis expletus opimis,
Quem vidisse mihi constitit esse cibum.
Fercula magna quidem dapibus cumulata benignis,
Ac si colle tumens, discus onustus erat.
Vndique montis opus, medium quasi vallis habebat,
Quo meliore via piscis agebat iter.
Ille natans oleum pro vndis, pro cespite discum
Incoluit, cui pro gurgite mensa fuit.
Attamen antè aliud data sunt mihi mitia poma,
C Persica, quæ vulgi nomine dicta sonant.
Lassauit dando, sed non ego lassor edendo,
Vocibus hinc cogens, hinc tribuendo dapes.
Mox quasi parturiens subitò me ventre tetendi,
Admirans vterum sic tumuisse meum.
Intus enim tonitrus vario tumore fremebat,
Viscera conturbans Eurus & Auster erat.
Non sic Æoliis turbatur arena procellis,
Nec vaga per pelagus puppis adacta tremit.
Nec sic inflantur ventorum turbine folles,
Malleolis famulos quos faber vstus habet.
Alter in alterius ructabat molle susurros,
Et sine me mecum pugna superba fuit.
Sit tibi longa salus celsa cum coniuge rector,
Et de natorum prole voceris auus.
Laudis honore potens felicia tempora cernas,
Et valeas dulces concelebrare iocos.

De Berulfo Comite. A

XV. Delicias BERVLFE tuas spectando libenter,
Me fateor duplicem sustinuisse famem.
Sic ego credebam quartâ satiarer vt hora,
Me nec ad octauam mensa benigna vocat.
Per vestras epulas didici ieiunia gestans,
Litania fuit prandia vestra magis.
Det tibi vota Deus, per quem modò læta notamus,
Hæc quoqúe dum scribo, plus satiatus agor.

De Condone Domestico.

XVI. TEMPORIBVS longis regali diues in Aula,
Enituit meritis gloria CONDO tuis.
Nam semel vt iuuenem vigili te pectore vidit,
Elegit secum semper habere senem.
Quis fuit ille animus, vel quæ moderatio sensus,
Cùm fueris tantis Regibus vnus amor?
Mens generosa tibi, precioso lumine fulget,
Quæ meritis propriis amplificauit auos. B
Floret posteritas, per quam sua crescit origo,
Et facit antiquos surgere laude patres.
Nam si præfertur generis qui seruat honorem,
Quanta magis laus est nobilitare genus?
Qui cupit ergo suum gestis attollere nomen,
Ille tuum velox præmeditetur opus.
A paruo incipiens existi semper in altum,
Pérque gradus omnes culmina celsa tenes.
THEODERICVS ouans ornauit honore Tribunum,
Surgendi auspicium iam fuit inde tuum.
THEODEBERTVS enim Comitiuæ præmia cessit,
Auxit & obsequiis cingula digna tuis.
Vidit vt egregios animos meliora mereri,
Mox voluit meritos amplificare gradus.
Instituit, cupiens, vt deinde Domesticus esses,
Creuisti subitò, creuit & Aula simul.
Florebant pariter veneranda Palatia tecum,
Plaudebat vigili dispositore domus.
THEODOVALDI * etiam cùm parua infantia vixit, C
Huius in auxilium maxima cura fuit.
Actibus eximiis sic publica iura fouebas,
Vt iuuenem Regem redderes esse senem.
Ipse gubernabas veluti si tutor adesses,
Commissúmque tibi proficiebat opus.
CHLOTHARII rursus magna dominatus in Aula,
Quique domum simili iussit amore regi.
Mutati Reges, vos non mutastis honores,
Successórque tuus tu tibi dignus eras.
Tantus amor populi, solertia tanta regendi,
Vt hoc nemo volens surripuisset onus.
Nunc etiam placidi SIGEBERTI Regis amore,
Sunt data seruitiis libera dona tuis.
Iussit & egregios inter residere potentes,
Conuiuam reddens proficiente gradu.
Rex potior reliquis meritò meliora parauit,
Et quod maius habet, hoc tua causa docet.
Sic tuus ordo fuit, semper maiora mereri,
Vitáque quàm senior, tam tibi creuit honor.

* THEVDEBALDI

A Quæ fuerit virtus, tristis Saxonia cantat,
Laus est arma truci non timuisse seni.
Pro patriæ votis & magno Regis amore,
Quo duo natorum funera chara iacent.
Nec grauiter doleas cecidisse viriliter ambos,
Nam pro laude mori, viuere semper erit.
Læticiam vultus hilari diffundit ab ore,
Et sine nube animi gaudia fida gerit.
Munificus cunctis, largiris multa benignus,
Et facis adstrictos per tua dona viros.
Sit tibi longa salus placidis felicior annis,
Atque suum reparet proles opima patrem.

*Ad Gundoarium.**

* Gumharium.

XVII. Si prodi verbis affectus posset amantis,
Carmina plura tibi pagina nostra daret.
Sed quòd ab ore loqui nequeo quod pectore gesto,
Sit satis ex multis vel modo pauca dari.
Nam si respicias votum per verba canentis,
Malueram maius qui tibi parua fero.
B Aspicimus sensum totum in dulcedine fusum,
Quo sine nube doli corda serena micant.
Puro fonte rigans, nectar de fauce redundat,
Cuius verba libans pectore, corde bibo.
Prouidus, exertus, vigilans, moderatus, honestus,
Condimentum animæ mens tua semper habet.
Reginæ egregiæ patrimonia celsa gubernas,
Quæ tibi commisit, sensit vbique fidem.
Nemo piæ poterat Reginæ charior esse,
Quàm qui pro meritis talis & ipse foret.
Gundari longo vigeas placiturus in æuo,
Coniuge cum propria luce perenne manens.

Ad Bosonem Referendarium.

XIX. Sic tegat Omnipotens radiantia culmina Regis,
Atque eius causas arma superna regant.
Sic dominum ac seruos diuina potentia seruet,
Et patriæ maneat hoc dominante salus.
Sic placido Regi summus pius auctor ab alto,
C Qui dedit ante Petro, porrigat ipse manum.
Sic te longæui comitetur gratia Regis,
Et florente illo gaudia fixa metas.
Hoc rogo quàm citiùs veniat quicumque iubetur,
Nec grauet vltrà animos hîc mora tarda meos.
Nam qui festinat, statuit quòd certa voluntas
Si votum acceleret, dulcius esse solet.
Illud enim nimium per verba precantia posco,
Commender Domino te memorante meo.
Actibus excellens maneas per secula felix,
Et memor ipse mei dulcis amice vale.

Ad Galactorium Comitem.

XX. Sæpius optaram fieri me remige nautam,
Curribus vndifragis vt ratis iret aquis.
Flatibus aut rapidis per dorsa Garumnica ferrer,
Burdegalense petens vt celer actus iter.
Velaque fluctiuagum traherent Aquilone secundo,
Me quoque littoreo redderet aura sinu.

A

Quæ pius Antiſtes ſacra GVNDEGISILVS offert,
Culmine pro populi qua micat ara Dei.
Tu quoque quo reſides meritis Comes ample ſerenis,
Chare GALACTORI, ſedula cura mihi.
Cui rite excellens Rex GVNTHERAMVS honores,
Maius adhuc debet, qui tibi magna dedit.
*Himus Cùm tamen hoc vellem, timor obſtitit, & Hunus * ille,
Qui cumulo rapidæ mors fremit albus aquæ.
Dulcedo inuitat ciuilis, & vnda repugnat:
Sic vocat atque vetat, hinc amor, inde pauor.
Plane hoc quod ſupereſt ſoluat vel Epiſtola currens,
Littera quod facerem reddat amore vicem.
Maximè nunc igitur, te dulcis amice ſaluto,
Sperans à Domino te ſupereſſe diu.
Cúmque domo, ſociis, Antiſtite, coniuge, natis,
Viue Comes, cui ſint iura regenda Ducis.
Pontificis ſummo commendet opime precatu,
Sic tua pars meritis ſit data dextra polis.
Si ſupereſt aliquid, hoc fortè tributa redundant,
Qui modo mitto apices, te rogo mitte pices.

B

EX LIBRO NONO.

Ad CHILPERICVM *Regem, quando Synodus Brinnaco habita eſt.*

1. ORDO Sacerdotum, venerandáque culmina Chriſti,
Quos dedit alma fides Religione Patres:
Paruulus opto loqui Regis præconia celſi,
Subleuet exigui carmina veſter amor.
Inclyte Rex armis, & Regibus edite celſis,
Primus & antiquis culmina prima regens.
Rector habes naſcendo decus, moderando ſed auges.
De radice patris flos generate potens.
Æquali ſerie vos nobilitando viciſſim,
Tu genus ornaſti, te genus ornat aui.
Excepiſti etenim fulgorem ab origine gentis,
Sed per te proauis ſplendor honore redit.
Te naſcente patri lux altera naſcitur Orbi,
Nominis & radios ſpargis vbique nouos.

C

Quem præfert Oriens Lybies, Occaſus, & Arctus,
Quo pede non graderis notus honore venis.
Quidquid habet mundus peragraſti, nomine Princeps,
Curris & illud iter quod rota Solis agit.
Cognite iam ponto & rubro pelagóque ſub Indo,
Tranſit & Oceanum fulgida fama ſopho.
Nomen vt hoc reſonet, non impedit aura nec vnda.
Sic tibi cuncta ſimul terra vel aſtra fauent.
Rex bonitate placens, decus altum, & nobile germen,
In quo tot Procerum culmina culmen habent.
Auxilium patriæ, ſpes & tutamen in armis,
Fide tuis virtus, inclitus atque vigor.
CHILPERICE potens, ſi interpres barbarus extet,
Adiutor fortis, hoc quoque nomen habes.
Non fuit in vanum ſic te vocitare parentes,
Præſagium hoc totum laudis & omen erat.

Iam

A Iam tunc iudicium præbebant tempora nato,
Dicta priora tamen dona secuta probant.
In te, dulce caput, patris omnis cura pependit,
In te tot fratres, sic amor vnus eras.
Agnoscebat enim te iam meliora mereri,
Vnde magis coluit, prætulit indè pater.
Præposuit genitor cùm plus dilexit alumnum,
Iudicium Regis frangere nemo potest.
Auspiciis magnis creuisti, maxime Princeps,
Hinc in amore manens plebis, & indè patris.
Sed meritis tantis subitò mors inuida rerum,
Perturbare parans Regna quieta tibi:
Concutiens animos populorum, & fœdera fratrum,
Lædere dum voluit, prosperitate fauet.
Denique iam capiti valido pendente periclo,
Quando ferire habuit, repulit hora necem.
Cùm retinereris mortis circumdatus armis,
Eripuit gladios sors operante Deo.
Ductus ad extremum, remeas de funere vitæ,
Vltima quæ fuerat fit tibi prima dies.
B Noxia dum cuperent hostes tibi bella parare,
Pro te pugnauit fortis in arma fides.
Prospera iudicium, sine te, tua causa peregit,
Et rediit proprio celsa cathedra loco.
Rex bone, ne doleas. nam te fortuna querelis,
Vnde fatigauit, hinc meliora dedit.
Aspera tot tolerando diu modo læta sequuntur,
Et per mœrores gaudia nata metis.
Multimodas per opes seminans tua Regna resumis,
Namque labore graui crescere magna solent.
Aspera nòn nocuit, sed te sors dura probauit,
Vnde grauabaris, celsior indè redis.
Altior assiduis crescis, non frangeris armis,
Et belli artificem te labor ipse facit.
Fortior efficeris per multa pericula Princeps,
Ac per sudores dona quietis habes.
Nil dolet amissum, te Rege superstite, mundus,
Qui se seruarunt debita Regna gradu.
Consuluit domui, patriæ, populóque creator,
Quem Gentes metuunt te superesse virum.
C Ne ruat armatus per Gallica rura rebellis,
Nomine victoris hìc es, & ampla regis.
Quem Geta, VVasco, tremunt, Danus, Estio, Saxo, Britannus,
Cum patre quos acie te domitasse putet.
Terror & extremis Frisonibus atque Sueuis,
Qui neque bella parant, sed tua frena rogant.
Omnibus his datus es timor illo iudice campo,
Et terrore nouo factus es altus amor.
In te rector habet regio circumdata murum,
Ac leuat excelsum ferrea porta caput.
Tu patriæ radias adamantina turris ab Austro,
Et scuto stabili publica vota tegis.
Neu grauet hæc aliquis, pia propugnacula tendis,
Ac regionis opes limite forte foues.
Quid de iustitiæ referam moderamine, Princeps:
Quo malè nemo redit, si benè iusta petit?
Cuius in ore probo mensuræ libra tenetur,
Rectáque causarum linea currit iter,

Nec mora fit, vero falsus nihil explicat error,
Iudiciisque tuis fraus fugit, ordo redit. A
Quid? quoscumque etiam Regni ditione gubernas,
Doctior ingenio vincis, & ore loquax.
Discernens varias sub nullo interprete voces,
Et generum linguas vnica lingua refert.
Erigit exiguos tua munificentia cunctos,
Et quod das famulo, credis id esse tuum.
Qualiter hinc itidem tua se præconia tendunt,
Laudis & hoc cumulo concutit astra fragor.
Cui simul arma fauent, & littera constat amore,
Hinc virtute potens, doctus & indè places.
Inter vtrumque sagax armis & iure probatus,
Belliger hinc radias, legifer indè micas.
De virtute pater, reparatur auunculus ore,
Doctrinæ studio vincis & omne genus.
Regibus æqualis, de carmine maior haberis,
Dogmate vel qualis non fuit antè parens.
Te arma ferunt generi similem, sed littera præfert, B
Sic veterum Regum par simul atque prior.
Admirande mihi nimium Rex, cuius opimè
Prælia robur agit, carmina lima polit.
Legibus arma regis, & leges dirigis armis,
Artis diuersæ sic simul itur iter.
Discere si possit rector tua singula quisquis,
Ornarent plures quæ bona solus agis.
Sed tamen hæc maneant & crescant prospera vobis,
Et liceat solio multiplicante frui.
Coniuge cum propria, quæ Regnum moribus ornat,
Principis & culmen participata regit.
Prouida consiliis, sollers, cauta, vtilis Aulæ,
Ingenio pollens, munere larga placens.
Omnibus excellens meritis, FREDEGVNDIS opima,
Atque serena suo fulget ab ore dies.
Regia magna nimis curarum pondera portans,
Te bonitate colens, vtilitate iuuans.
Qua pariter tecum moderante Palatia crescunt,
Cuius & auxilio floret honore domus. C
Quærens vnde viro duplicentur vota salutis,
Et tibi mercedem de RADEGVNDE facit.
Quæ meritis propriis effulget gloria Regis,
Et Regina suo facta corona viro.
Tempore sub longo hæc te fructu prolis honoret,
Surgat & indè nepos, vt renouëris auus.
Ergo creatori referatur gratia dignè,
Et cole Rex Regem, qui tibi præbet opem.
Vt seruet cumuletque bonum. nam rector ab alto
Omnia solus habet, qui tibi multa dedit.
Da veniam victor, tua me præconia vincunt,
Hoc quoque quod superor, fit tibi maior honor.
Paruulus opto tamen sic prospera vota secundet,
Vt veniant terris hæc pia dona polis.
Aëra temperie faueant tibi, tempora pace,
Frugibus arua micent, fœdera Regna ligent.
Edomites omnes, tuearis amore fideles,
Sis quoque Catholicis Religionis apex.
Summus honor Regis, per quem donantur honores,
Cui longæua dies constet, & alma fides.

A Regibus aurum alij, aut gemmarum munera soluant,
De FORTVNATO paupere verba cape.

Epitaphium CHLODOBERTI.

IV. FLERE mouent populum crudelia funera Regum,
Cùm caput orbis humo mœsta sepulchra legunt.
Hoc igitur tumulo recubans CHLODOBERTVS habetur;
Qui tria lustra gerens raptus ab Orbe fuit.
De proauo veniens CHLODOVECHO celsa propago,
CHLOTHARIIque nepos, CHILPERICIque genus.
Quem de Regina sumpsit FREDEGVNDE iugali,
Auxerat & nascens Francica vota puer.
Quem, patris & patriæ dum spes adolesceret ampla,
Accelerante die sors inimica tulit.
Sed cui nulla nocent queruli contagia mundi,
Non fleat vllus amor, quem modò cingit honor.
Nam puer innocuus, viuens sine crimine lapsus,
Perpetui regni se fauet arce frui.

Epitaphium DAGOBERTI.

B V. DVLCE caput populi DAGOBERTE, perennis amore;
Auxilium patriæ, spes puerilis obis.
Germine regali nascens generosus & infans,
Ostensus terris, mox quoque rapte polis.
Belligeri veniens CHLODOVECHI gente potenti,
Egregio proaui germen honore pari.
Regibus antiquis respondens nobilis infans,
CHILPERICIque patris, vel FREDEGVNDE genus.
Te veneranda tamen mox abluit vnda lauacri,
Hinc licet abreptum lux tenet alma throno.
Viuis honore ergo, & cùm Iudex venerit Orbis,
Surrecturus eris fulgidus, ore nitens.

Ad Baudounaldum Episcopum.

VIII. SVMME Sacerdotum, bonitatis opima facultas;
Culmen honore tuo, lumen amore meo.
Officiis venerande sacris, pietatis alumne,
Pignore amicitiæ corde tenende meo.
Florens in studiis, & sacra in lege fidelis;
C Semper agens animæ dona futura tuæ.
Te Pater ergo precans, terram, freta, sidera, testor;
Vt velis ore sacro me memor esse tuum.

Ad Sidonium Maguntiacensem Episcopum.

IX. REDDITA ne doleas felix Maguntia casus,
Antistes rediit, qui tibi ferret opem.
Ne mœrore graui lacrimans orbata iaceres,
Te meruisse fame . . . .
Porrigit ecce manum genitor SIDONIVS vrbi,
Quo renouante loco, prisca ruina perit.
Iura Sacerdotij sacro moderamine seruans,
Per cuius studium creuit & ipse gradus.
Parturis assiduè grauidos Ecclesiæ fructus,
Quamuis Apostolico vinctus amore regis.
Suscipit heredes cœlesti germine natus,
Tali nupta viro quando marita placet.
Te vigili custode lupus non diripit agnos,
Te pascente gregem, non ouis vlla perit.

Cautiùs in toto per mitia pascua ducis, A
Toxica ne noceant, florea rura paras.
Sis cibus vt populi, placidè ieiunia seruas:
Et satias alios, subtrahis vnde tibi.
Nudos veste tegis, captiuis * vincula soluens,
Deposito reddens libera colla iugo.
Exulibus domus es, & esurientibus esca,
Felix cui Christus debitor indè manet.
Te doctrina probum, prouidentia sacra modestum
Fecit, & eloquio vincere mella tuo.
Templa vetusta nouans, specioso fulta decore,
Inseris hinc populis, plus in amore Deum.
Vt plebem foueas, & Rheni congruis amnes,
Quid referat terris, qui bona præbet aquis?
Hîc quòd fana micant, & instaurata quod extant,
Viuis in æterno laude fluente tibi.
Hac cresces longos meritorum fruge per annos,
Et crescente diu de grege vota feras.

* captorū

Ad Rhagnemundum Episcopum.

X. SVMME pater patriæ, dulci mihi lumine RVCCO, B
Interiora mei cordis amore tenens:
Quidquid amicitiæ veteris collegimus ambo,
Crescit in affectum semper, opime, meum.
Nam mihi nulla meos obliuio tollit amantes,
Ante sit extremum, quàm mihi desit amor.
Vnde, beate Pater, properans dependo salutem,
Optans longinquo te superesse gradu.
Hinc etiam genitæ reddunt tibi pectore grates
Munere pro niueo, marmore de Pario.
Quæ, quotiens epulæ disco tribuuntur in illo,
In doni specie te pietate vident.
Nam pro gemmarum serie tibi reddat honorem,
Cui data proficiunt, crux veneranda throno.

Ad Droctoueum Abbatem.

XI. VIR venerande, sacer meritis, & honore colende,
DROCTOVEE mihi semper amore pater.
Qui de discipulis GERMANI iure beati
Norma magisterij factus es ipse sui.
Cuius Pontificis sacra per vestigia currens, C
Despicis hunc mundum, dum cupis ire polo.
Perge libenter iter cœli, mansurus in orbem,
Et pro me famulo, quæso, precare Deum.

Ad Faramundum Referendarium.

XII. DVLCIS amice mihi, memorabile nomen amantis,
Promptus in officiis, vir FARAMVNDE, bonis.
Si non ipse adij, te pagina missa salutet,
Soluat & obsequium quod minus ipse gero.
Commendésque libens dominis me Regibus, oro,
Et referas grates pro pietatis ope.
Impenso affectu me pagina vestra requirat,
Hoc remeante tamen redde benigne vicem.

Ad Lupum & Vualdonem Diaconum.

XIII. CORDE parentali iugi pietate colendi,
Hinc Lupe blande mihi, Vualdo vel indè sacer.

A Vt bonitate pari simul estis honore ministri,
Sic mihi consimili semper amore rati.
Quod valeo facio, absens dependo salutem,
Si non possum oculis, vos peto litterulis.
Pontifici summo nos commendate precamur,
Regibus & dominis ferte salutis opes.
DROCTOVEO, dulci Clero, & conciuibus, oro,
Quod præsens facerem, vos adhibete vicem.
MVMMVLVS egregius veneretur, Cæsareúsque,
Et Constantino me memorate meo.

Ad Chrodinum Ducem.

XVI. INCLITE Dux meritis totum vulgate per Orbem,
Quem nimis egregium splendida fama refert.
Non ego prætercam præconia celsa, CHRODINE,
Ne videar solus magna silere bonis.
Itala terra tibi, pariter Germania, plaudunt,
Laus tua cunctorum semper in ore sonat.
B Clarus ab antiquis digno generosior ortu,
Regibus & patriæ qui placiturus eras,
Tutorémque alij, nutritorémque fatentur,
Et fit certamen de pietate tua.
Vt habeant alij, nulla tua dona recusas,
Tu tibi plus auges, quas benè fundis opes.
Cui possis præstare, lubens exquiris, & optas,
Vt sis apud cunctos, hoc facis esse tuos.
Es generale bonum, nulli grauis, omnibus æquus,
Iustitiæ socium nulla rapina tenet.
Mitis in alloquio, placidus, gratus, atque modestus,
Omnia cui data sunt, vt decus omne geras.
Gentibus adstrictus, Romanis charus haberis,
Felix qui populis semper in ore manes.

EX LIBRO DECIMO.

De Platone Episcopo.

C

XVII. PROVIDA disponunt Reges solatia plebi,
Pontificem dantes, quem probat alma fides.
Vt colat Hilarium, quem dat Martinus alumnum,
Et Confessoris protegat ala potens.
Dirigat hic populum successor honore beato,
Et Clerum Ecclesiæ qui moderetur ope.
Floreat arce decens Rex CHILDEBERTVS in Orbe,
Cum genitis, populo, matre, sorore, iugo.
Gaudia læta paret præsentia sancta GREGORI,
Et geminas vrbes adiuuet vna fides.
Qui modo discipulo PLATONE Antistite summo,
Sollemnem Ecclesiæ hic dedit esse diem.

Ad Armentariam matrem domini Gregorij Episcopi.

XVIII. FELIX bis meritis sibi Machabæa, vel Orbi,
Nobilitas generis nobilior genitis.
Quæ septem cœlo palmas transmisit ab aluo,
Martyriique decus protulit ille vterus.

Tu quoque prole potens rectè ARMENTARIA felix, A
Nec minor ex partu, quàm prior illa sinu.
Illa vetus numero maior, tu maxima cœlo:
Quod poterant plures, vnicus hoc tuus est.
Fœtu clara tuo, geniti circumdata fructu,
Est tibi GREGORIVS palma corona nouus.
Me FORTVNATVM humilem commendo verenter,
Ac mihi cœlestem, quæso, preceris opem.

Sigoaldo, pro Comitatu eius.

XIX. FINIBVS Italiæ cùm primùm ad Regna venirem,
Te misit constituit Rex SIGIBERTVS opem.
Tutior vt graderer tecum comitando, viator,
Atque pararetur hinc equus, indè cibus.
Implesti officium, custos reuocaris amico,
Et mihi vel tandem iam mea cura redit.
Dic meus, vnde venis post tempora plurima, dulcis,
Magnus honore tuo, maior amore meo?
Promptus in affectu, SIGOALDE benigne, clientum,
Et FORTVNATO nomen amice pium.
Rex CHILDEBERTVS crescens te crescere cogat.
Qui modò dat Comitis, det tibi dona Ducis. B
De Domino tali videant sua vota fideles,
Cursibus & fiat prospera vita via.

Ad Sigoaldum Comitem, quòd pauperes pro Rege pauerit.

XX. ACTIBVS egregiis præconia fulgida fulgens,
Laus tua Christe sonet, dum bona quisque gerit.
Vnde genus hominum placeat, tu summe, ministra,
Nam nisi tu dederis, prospera nullus ager.
Diuitibus largus, fortè hinc & parcus egenis,
* Se Vt * redimat diues, quando fouetur egens.
Dulciter ista tui pia sunt commercia Regni,
Dum escam sumit egens, diuitis auget opes.
Pauper ventre satur satiat mercede potentem,
Parua capit terris, præparat ampla polis.
Diuitibus plus præstat egens, quàm diues egenti:
Dat moritura cibi, sumit opima Dei.
Dans terræ nummum, missurus ad astra talentum,
Et modicis granis surgat vt alta seges.
Dent, iactent, spargant, commendent semina Christo. C
Hic dare nec dubitent quæ reditura manent.
Da, si Christus erit tibi thesaurarius indè,
Præsta inopi quidquid reddere Christus habet.
Hic animatus ope, exposcens meliora Tonantis,
Nec dubitante fide, quòd Deus ista dabit:
Pro CHILDEBERTI Regis florente salute,
Surgat vt in solio qui fuit altus auo.
Fiat vt hinc iuuenis validis robustior annis,
Ceu viguit proauus sic sit in orbe nepos.
Ergo suus famulus SIGOALDVS amore fidelis,
Pauperibus tribuit Regis vt extet apex.
Hinc ad Martini venerandi limina pergens,
Auxilium domini dum rogat ipse sui.
Et dum illic moderans Rex pro regione laborat,
Vt precibus sanctus hunc iubet, illud agit.
Denique procedens cupidus sacra festa tenere,
Pauperibus Christi præbuit ipse dapem.

A Dispensata placent alimenta per agmina Christi,
Pascitur & populus quem fouet arce Deus.
Plurima cæcorum refouetur turba virorum,
Est quibus interna lux Deus atque via.
Hinc alitur claudus, quem dirigit ordine Christus,
Quíque sui domini pendulus implet opus.
Quis referat tantos memorare sub ordine morbos,
Occurrens pariter quos sua cura fouet?
Vnde cateruatim coeuntia millia pascens,
Erogat vt habeat, Rex quoque cuncta regat.
Te FORTVNATVS Comes SIGOALDE salutans,
Regis in auxilium des meliora precor.

Ad Galactorium Comitem.

XXII. VENISTI tandem, quod debebaris amice,
Ante Comes merito, quàm datus esset honor.
Burdigalensis eras, & cùm defensor, amator,
Dignus habebaris hæc duo digna regens.
Iudicio Regis valuisti crescere Iudex,
Famáque quod meruit regia lingua dedit.
B Debet & ipse potens, vt adhuc benè crescere possis,
Prestet vt arma Ducis qui tibi restat apex.
Vt patriæ fines sapiens tuearis, & vrbes
Adquiras vt ei, qui dat opima tibi.
Cantaber vt timeat, Vasco vagus arma pauescat,
Atque Pyrænea deserat Alpis opem.
Aut quasi grande loquor, facit hoc sacer vnicus auctor,
A Domino erigitur paruus & altus homo.
De tyrone Duces, venit & de milite Princeps,
Vt reliquos taceam, Iustinianus erat.
Hoc & in Ecclesia Christo tribuente refertur,
De Exorcista aliquo Pontificalis honor.
Egregius merito Martinus testis habetur,
Qui fuit ante sacer, quàm sacra iura daret.
Hoc agit omnipotens, totum qui condidit Orbem,
Magnáque sola putes quæ facit ipse potens.
Lætior ergo precor maneas in culmine rector,
Maiora sperans vir ratione sagax.
C Rege sub hoc florens, æternáque regna requirens,
....
Iustitia ac pietas tecum comitata coruscent,
Illa tuum pectus protegat, ista latus.
Alta fides etiam dilectio fida mitescat,
Et FORTVNATO sis Comes amplus amor.

EX LIBELLO SINGVLARI III.

Ad Artarchin.

POST patriæ cineres, & culmina lapsa parentum,
Quæ hostili acie terra Toringa tulit.
Si loquar infausto certamine bella peracta,
Quas priùs ad lacrimas femina rapta trahar?
Quid mihi flere vacet pressam hanc funere gentem?
An variis vicibus dulce ruisse genus?

Nam pater ante cadens, & auunculus indè secutus, A
Triste mihi vulnus fixit vterque parens.
Restiterat germanus apex, sed sorte nefanda
Me pariter tumulo pressit arena suo.
Omnibus extinctis, heu! viscera dura dolentis!
Qui super vnus eras HAMALAFREDE iaces.
SIC RADEGVNDIS enim per tempora longa requiror,
Pertulit hæc triste pagina nostra loqui.
Tale venire diu expectaui munus amantis,
Militiæque tuæ hanc mihi mittis opem?
Dirigis ista meo nunc serica vellera penso,
Vt dum fila traho, soler amore soror?
Siccine consuluit valido tua cura dolori,
Primus & extremus nuncius ista daret?
Nos aliter lacrimis per vota cucurrimus amplis,
Venerat, optanti dulcia, amara dari.
Anxia sollicito torquebar pectora sensu,
Tanta animi febris his recreatur aquis.
Cernere non merui viuum, nec adesse sepulcro, B
Perferor exequiis altera damna tuis.
Cur tamen hæc memorem tibi care ARTARCHIS alumne,
Fletibus atque meis addere flenda tuis.
Debueram potiùs solamina ferre parenti,
Sed dolor extincti cogit amara loqui.
Non fuit ex longa consanguinitate propinquus,
Sed de fratre patris proximus ille parens.
Nam mihi BERTHARIVS pater, illi ERMENEFREDVS,
Germanis geniti, nec sumus orbe pari.
Vel tu care nepos placidum mihi redde propinquum,
Et sis amore meus quod fuit ille priùs.
Méque Monasterio missis rogo sæpè requiras,
Ac vestro auxilio stet locus iste Deo.
Vt cum matre pia vobis hæc cura perennis
Possit in astrigero reddere digna throno.
Nunc dum distribuat vobis felicibus vt sit
Præsens larga solus, illa futura decus.

C

A

EPITAPHIA VETERA
REGINARVM, PONTIFICVM, PATRICIORVM, & aliquot aliorum.

Ex vetusto Codice Ms. Bibliotheca Alex. Petauij Senatoris Parisiensis nunc primùm euulgata.

Titulus memoriæ sancti Iusti.

I. HIc patris antiqui condigno nomine Ivsti,
In spe perpetuæ requiescunt pignora vitæ,
B Membra beata satis quæ semper dedita Christo
Per varios semet cruce confixêre labores,
Vt meliùs celeri rapiantur in aëre nube,
Cùm cœlo adueniens Iudex effulserit ipse.
Hic fuit egregius primùm Leuita Viennæ.
Inde gregem Domini doctrinâ insignis & actu
Conspicuus Præsul Lugduni pauit in vrbe.
Post Anachoriticæ vitæ flammatus amore,
Longinqua Ægypti sitiens deserta petiuit,
Quo senibus sacris pietatis fœdere iunctus,
Cùm miram extremo clausisset lumine vitam,
Plebis amore suæ patriam reuocatus ad vrbem,
Cum viatore pio Christi tumulatur ad aram.
Vt quos peruigili viuens pietate nutriuit
Continuis precibus foueat per secula natos.

Titulus memoriæ sancti VValdomeris.

II. Hic famulus Christi mira virtute refulgens
VValdomeris humo conditus, astra tenet.
C Conspicuus vitâ, preciosa morte sacratus,
Credentum populis dona beata ferens.
Huius enim precibus soluuntur vincla reatus,
Et præsens Christus fert bona cuncta suis.
Languidus hinc hospes remeat, hîc dæmonis atri
Vis truculenta fugit, vita salúsque redit.
Hîc perdunt zabulus vires, incendia Maurus.
Cedunt hîc meritis tartara Sancte tuis.
Te pietas, te clara fides prouexit ad astra.
Nos tua prex tristi seruet ab igne reos.
Soli insunt tumulo sacrati corporis artus.
Vidimus ipsi, oculis fit manifesta fides.

Epitaphium sanctorum Seuerini, Exsuperij, & Feliciani.

III. Martyribvs reuerenda tribus hæc fulgurat Aula,
Quorum cœlesti seruantur nomina libro.
Hi Domini ob nomen felici sorte perempti
Vrbe Viennensi æthereas sumpsere coronas.
Inde huc translati post longi temporis annos,

Præſentem inluſtrant meritis viuacibus Aulam A
Conſpicuo in Templo, præfatæ quod pius vrbis
Condidit Antiſtes, tantóque honore beauit,
Séque piis ſupplex tradens in ſecla patronis,
Hic vitâ exceſſit, hic ſacris conditur aruis.
Quem ſine fine tegens foueat miſeratio Chriſti.
Nominà Sanctorum cupiens cognoſcere Lector,
Scito Seuerinum, Exſuperium, ac Felicianum,
Auctoris nomen commendant ſcripta ſepulcri.

Epitaphium Caretenes religioſæ Reginæ, quæ condita eſt Lucduni in Baſilica S. Michaëlis.

IV. Sceptorvm columen, terræ decus, & iubar orbis,
Hoc artus tumulo vult Caretene tegi.
Qua famulam tu Chriſte tuam, rerúmque potentem,
De mundi Regnis ad tua Regna vocas.
Theſaurum ditem felici fine ſecutam,
Fotis pauperibus quem dedit illa Deo.
Iamdudum caſtum caſtigans aſpera corpus
Dilituit veſtis murice ſub rutilo.
Occuluit læto ieiunia ſobria vultu, B
Secretéque dedit Regia membra Cruci.
Principis excelſi curas partita mariti,
Adiuncto rexit culmina conſilio.
Præclaram ſobolem dulcéſque gauiſa nepotes,
Ad veram doctos ſollicitare fidem.
Dotibus his pollens ſublimi mente ſubire
Non ſpreuit ſacrum poſt diadema iugum.
Cedat odoriferis quondam dominata Sabæis,
Expetiit mirum quæ Salomonis opus.
Condidit hæc Templum præſens quod perſonat orbe,
Angelicíſque dedit limina celſa choris.
Laxatura reos, Regi quas ſæpè ferebat
Has offerre preces nunc tibi Chriſte poteſt.
Quam cùm poſt decimum rapuit mors inuida luſtrum,
Accepit melior tum ſine fine dies.
Iámque bis octona Septembrem luce mouebat
Nomen Meſſalæ Conſulis annus agens.

Epitaphium ſancti Auiti Epiſcopi. C

V. Qvisqvis mœſtificum tumuli dum cernis honorem,
Ceſpite concludi totum deflebis Avitvm.
Exue ſollicitas triſti de pectore curas.
Nam quem plena fides, celſæ quem gloria mentis,
Quem pietas, quem prompta manus, quem fama perennat:
Nil ſocium cum morte tenet. quin proſpice Sancti
Geſta viri, primùm floreſcens indole quanta
Spreuerit antiquo dimiſſos ſtemmate faſces,
Maturum teneris animum dum præſtat in annis,
Et licitum mundi voti virtute relegat.
Nec mora Pontificis ſic digna inſignia ſumit,
Augeat vt ſoliti felicia cœpta laboris.
Culmen dulcedini, non obſtat pompa rigori.
Subicitur magnus, ſeruat mediocria ſummus.
Diſtribuit parcus, paſcit ieiunus amando.
Terret, & auſteris indulgentiſſima miſcet.
Cunctantem ſuaſu, iuuit ſolamine mœſtum.

A Iurgia diremit, certantes fœdere iunxit.
Dissona veridicam fingunt quæ dogmata legem,
Hortatu, ingenio, monitis, meritisque subegit
Vnus in arce fuit quo quolibet ordine fandi.
Orator nullus similis, nullúsque Poëta.
Clamant quod sparsi per crebra volumina Libri.
Quis vixit, viuit, pérque omnia secula viuet.

Epitaphium sancti Hesicij Episcopi.

Extat in Antiq. Vien. ad calcem Bib. Floriac, cum aliis duobus sequentibus.

VI. PRÆSVLIS iunctum tumulóque Auiti,
Funes HESICI tegitur sepulcro,
Qui cluens olim micuit honore
Pontificali.
Quique mundanis titulis peractis,
Quæstor & Regum habilis, benignus,
Ambiit demum habitare sacris
Incola tectis.
Cultibus Christi sapienter hærens,
B Fautor & pacis studuit furentes
Reddere ciues speciali voto
Mentis amicæ.
Temporum mensor numeros modósve
Calculo cernens strenuúsque doctor
Vnde fraterna docuit libenter
Agmina templi.
Septenum necdum peragendo lustrum
Corpus huic Sedi posuit beatæ,
Mente cum iustis habitans refulget
Luce perenni.
Quem soror Marcella gemens obisse,
Vltimum præbens lacrimis leuamen,
Nomen hic scalpsit, titulúmque fixit
Carmine paruo.

Epitaphium sancti Pantagati Episcopi.

VII. SANCTORVM vitam transactis cursibus æui
Scriptis posteritas cernere magna cupit.
Vt valeat similis certis consistere veris,
Atque procul tendat viuere post obitum.
C Hoc igitur sancti conduntur membra sepulcro
PANTAGATI Patris Pontificisque pij.
Cuius vita fuit gemino sublimis honore,
Fascibus insignis, Religione potens.
Arbitrio Regum Quæsturæ cingula sumpsit,
Stemmate præcipuus, plus probitate cluens,
Dans epulas primis, & largo munere gazas,
Pauperibúsqne dedit cœlica regna petens,
Ingenio sollers ingenti dogmate fulsit,
Orator magnus, vates & ipse fuit.
His igitur studiis primæuo flore iuuentæ
Inter summatos esse prior studuit.
In sobolem felix diuino munere vidit,
Pars sacrata Deo, pars genitura manet.
Post matura verò quàm cessit tempore vita,
Culmen Apostolicum contulit alma fides.
Sic linquens mundum cœlestem possidet arcem,
Qui sit præsidium celsa Vienna tibi.

Bis senum vitæ compleuit tramite lustrum, A
Annis quinque super secula nostra videns.
In quibus æternæ contemplans præmia vitæ,
Lucem perpetuam promeruítque suæ.

Epitaphium Namatij Episcopi.

VIII. HVMANOS quicumque tremens sub pectore casus,
Ingemis, & lustras oculo manante sepulcra,
Atque dolens nimio tecum mœrore volutas,
Quòd cunctos mors sæua voret, quod sæpiat vmbra
Perpetua leti, nullum solutura per æuum.
Huc vultus conuerte tuos, huc lumina flecte,
Et cape solamen posito mœstissime fletu,
Æternum quia viuit homo si iusta sequatur,
Si teneat Christíque libens præcepta facessat,
Vt tenuit tumulo positus NAMATIVS isto.
Qui cùm iura daret commissis vrbibus amplis,
Adiuncta pietate modis iustissima sanxit,
Patricius, Præsul, patriæ Rectórque vocatus.
Hinc spretis opibus, titulis mundique reiectis,
Æterno sese placuit submittere Regi, B
Et parere Dei mandatis omnibus aptus.
Sic postquam meritis seruata & lege superna
Maxima Pontificis suscepit munera dignus,
Quinetiam sumpto mercedes addet honore.
Pauper lætus abit, nudus discedit opertus,
Captiuus plaudit, liber sese esse redemptum,
Cuius agit grates, tantóque Antistite gaudet.
Inter se aduersos inlata pace repressit.
Perfugium miseris erat & tutela benignis,
Nobilis eloquiis, & stemmate nobilis alto,
Nobilior meritis, & vitæ clarior actu,
Viuat vt æternum & Christi gratetur amore.
Huius si quæras æuum, finémque salutis,
Septies hic denos & tres compleuerat annos,
Post fasces posuit vel cingula Simmacus alma,
Iunior & quintus decimus cùm surgeret orbis,
Ad summos animum * cælos emisit opimum,
Corpus humi mandans, terræ terrena reliquit.

* al. animā opimam.

Epitaphium Siluiæ matris Celsi Patricij. C

IX. QVISQVIS lucifero sortitur munere seclum,
Occasu potiùs proditur ille suo.
Cunctáque mundano currentia tempore gesta,
Vel bona vel probra, omnia morte cadunt.
Phœbus nempe nitens merito producitur ortu,
Si pronus claro clauserit orbe diem.
Consulibus atauis pollens hîc SILVIA corpus
Terrenum liquit, cælica Regna petens.
Insignis gemino vitæ quæ sidere fulsit
Culminibus seclo, Religione Deo.
Natorum splendore potens, subfulta vigore
Gaudebat partu se reparasse patres.
Vnde Sacerdotij claro dotatus honore,
Et CELSVM meruit cernere Patricium.
Ter quinum rapida vergebant tempora lustrum,
Et super adiectus tertius annus erat.

Martius

A Martius aurati redimitus sydere veris,
Nono Sole micans, præmia tanta tulit.
Hæc suprema dies cælesti in limite prima,
Quam rapuit seclo hanc dedit ipsa polo.
Pignora desistant lacrimis planctúque grauari,
Non placeat gemere quod celebrare decet.

Epitaphium sancti Gregorij Papæ.

X. SVSCIPE terra tuo corpus de corpore sumptum,
Reddere quod valeas viuificante Deo.
Spiritus astra petit, lethi nil iura nocebunt,
Cui vitæ alterius mors magis ipsa via est.
Pontificis summi hoc clauduntur membra sepulcro,
Qui innumeris semper viuit vbique bonis.
Esuriem dapibus superauit, frigora veste,
Atque animas monitis texit ab hoste sacris.
Implebátque actu quicquid sermone docebat,
Esset vt exemplum mystica verba loquens.
Ad Christum Anglos conuertit pietate magistri,
B Adquirens fidei agmina gente noua.
Hic labor, hoc studium, hæc tibi cura, hoc Pastor agebas,
Vt Domino offerres plurima lucra gregis.
Hísque Dei Consul factus lætare triumphis,
Nam mercedem operum iam sine fine tenes.

Epitaphium Iulij Auiti.

XI. CHISTICOLAS inter populos animásque sacratus,
Queîs patet angusti peruia porta poli.
IVLIVS vnigenæ Diui venerator AVITVS,
Syderea fruitur lege pari domibus.
Corporeámque solo fæcem tabémque relinquens,
Purpureum Domini purus adit solium.
Accipe sublimem gratantum turba piorum,
Consortémque tene casta corona virum.
Illi perfidiæ perpes metus, ac fuga fraudis,
Fucis & maculis mens inimica fuit.
Seruator recti sempérque probator honesti,
Fœcunda largi fruge boni viguit.
His laudum titulis ingentes addidit auctus,
C Consilium felix, diues & eloquium.

Epitaphium Austrigildis Reginæ.

XII. CONDITVR hîc Regum genetrix & Regia coniunx,
Præcellens lumen patriæ, lux orbis, & Aulæ,
AVSTREGILDE potens Regis decus, gloria mundi,
Principis inuicti quæ magnum auferre furorem
Sueuerat, & pulsis absoluere corda periclis.
In qua magnorum præcessit culmen honorum,
Omnipotentis amor, cuius dum sedula iussis
Paret, & æterni sequitur præcepta magistri,
Ad cœlos præmisit opes, dextrísque rogantum
Terrenum statuit transferre ad sidera Regnum.
Sed tantis prouecta bonis sunt tempora vitæ
In spacio breuiata suo, cui pulchrior ætas
Ter denos tribuens geminos superaddidit annos,
Magna sed angusto deducens secula cursu.

Epitaphium CHLODOMERI *filij* GVNTCHRAMNI *Regis.* A

XIII. OLIM quæ propriis lætata est Gallia Regnis,
Inque nouos luctus gaudia prisca rapit.
Conueniunt lamenta tibi, est & causa doloris,
Gloria qui potuit nominis esse tui.
CLODOMERES enim excellens Regia proles
Migrauit regnum raptus ad æthereum.
Qui tendas * annos, animis dum vincitur ætas,
Tempora præcurrens cœperat esse puer.
Cuius præcipuis crescens infantia rebus,
Ipsáque iam verbis murmura mixta dabat.
Verbáque maiorem nec dum monstrantia sensum,
Certabat magnis paruulus ingeniis.
Lactea mellifluis reserabat pectora dictis,
Erumpens tenero cordis ab ore rigor.
Hunc rapuit mox sæua dies cùm quarta tumescens
Densaret gelidas horrida bruma niues.

Epitaphium CLOTHARII *fratris Chlodomeri.* B

XIV. IVNGITVR hîc tumulo fratris germanus, & almo
Dulcia consocians tradidit ossa loco.
Vt cœlo reddens animam, sic membra sepulcro
FLOTHARIVS magni nomine dictus aui.
Abstulit hunc decimus mundanis cursibus annus,
Festiuus celsis addere lucra polis.
Francica sic patrium senserunt Regna dolorem,
Qui quoque cum populis perculit & Proceres.
Concussit & sceptra simul patrísque Tribunal,
Quamuis immotus Principis esset honor.
Heu! nullæ vires poterunt, non vlla potestas,
Vitare morsum mors inimica tuum.
Nunc quia Regis amor nescit deponere luctus,
Vincit & inuictum sors miseranda virum.

Carmen de morte Euantij.

XV. NOBILIS & magno virtutum culmine celsE
Ingens consiliis, & dextro belliger actV
Care migi genitor, & vita carior ipsA, C
Hoc nati pietas offert post funera CarmeN,
Offerre incolumi quod mors nefanda vetauiT.
Lux tibi summa Dei, necnon & gratia ChristI
Adsit perpetuo nec desit temporis vsV
Omnipoténsque tuis non reddat debita CulpiS.

Epitaphium Fortunati Episcopi.

XVI. INGENIO clarus, sensu celer, ore suauis,
Cuius dulce melos pagina multa canit.
FORTVNATVS apex Vatum venerabilis actu,
Ausoniâ genitus hac tumulatur humo.
Cuius ab ore sacro Sanctorum gesta priorum
Discimus, hæc monstrant carpere lucis iter.
Felix quæ tantis decorans Gallia gemmis,
Lumine de quarum nox tibi tetra fugit.
Hos modicus prompsi plebeio carmine versus,
Ne tuus in populis sancte lateret honor.
Redde vicem misero, ne iudice spernar ab æquo,
Eximiis meritis posce beate precor.

A

Epitaphium Dinamij Patricij, & Eucheriæ coniugis.

XVII. CONIVGII dulcis hoc est commune sepulchrum,
Quód nec post fatum liquit amicus amor.
Quos pietate pares etiam post funera iunctos
Vnus & affectus & locus vnus habet.
DINAMIVS hic nam paritérque EVCHERIA coniunx
Martyris Hippolyti limina sancta tenent.
Stemmate sublimes quamquam, sed moribus ortum
Vicerunt probi nobilitate sua.
Hos pietas, hos prisca fides, hos gloria perpes,
Pacifer hos sensus fecit vbique bonos.
Hos iunxit sic castus amor, vt mente sub vna
Alter in alterius corde maneret homo.
Lustra decem felix tulerat post terga maritus,
Cùm dedit hanc sedem morte suprema dies.
Cuius nam geminis priuato lumine lustri
Vixisti coniunx vita abeunte minus.
Non lugere pios placidè post fata parentes,
Vita breuis quorum præmia longa dedit.
B Patricium te culmen habet, tu Rector in orbe es;
Sit tibi perpetuo tempore læta dies.
DINAMIVS parua lacrimans hæc carmina fudi,
Nomen aui referens, patre iubente, nepos.

Epitaphium THEVCHILDIS *Reginæ.*

Ex Odoranni Monachi S. Petri Senonensis Chronico.

HVNC Regina locum Monachis construxit ab imo,
THEVCHILDIS rebus nobilitando suis.
Cuius nunc licet hoc corpus claudatur in antro,
Spiritus astrigero viuit in axe Deo.
Implorans testes pastoribus, euge beatum
Det rapientibus hinc, heu! mala digna Deus.

C

A

FRAGMENTA DE REGVM FRANCORVM REBVS PIE GESTIS.

Ex Historiis, seu Vitis Sanctorum, qui eorumdem Regum temporibus claruerunt.

A Clodoveo I. usque ad Dagobertvm Magnum Clotharij II. filium.

B

Ex Vita sancti Germani Episcopi Autißiodorensis, auctore Constantio Presbytero.

Apud Surii Tom. IV. Lib. I. c. 19. EODEM tempore ex Britanniis directa Legatio Gallicanis Episcopis nunciauit, Pelagianam peruersitatem in locis suis latè populos occupasse, & quamprimùm fidei Catholicæ debere succurri. Ob quam causam Synodus numerosa collecta est, omniúmque iudicio duo præclara Religionis lumina vniuersorum precibus ambiuntur, GERMANVS ac LVPVS, Apostolici Sacerdotes, terram corporibus, cœlum meritis possidentes. Et quantò laboriosior necessitas apparebat, tantò eam promptiùs heroës deuotissimi susceperunt, celeritatem negocij fidei stimulis maturantes. -- &c.

Lib. 2. c. 5. VIX domum de transmarina expeditione remeauerat, & iam Legatio Armoricani tractus fatigationem beati Antistitis ambiebat. Offensus enim superbæ insolentiâ regionis vir magnificus AETIVS, qui tum Rempublicam gubernabat, EOCHARICH ferocissimo Alamannorum Regi loca illa inclinanda pro rebellionis præsumptione permiserat, quæ ille auiditate barbaricæ cupiditatis inhiauerat. Itaque genti bellicosissimæ, Regique idolorum ministro, obiicitur senex vnus, sed tamen omnibus, Christi præsidio, maior & fortior. Nec mora, festinus egreditur, quia imminebat bellicus apparatus. Iam progressa gens fuerat, totúmque iter eques ferratus impleuerat, & Sacerdos noster obuius ferebatur, donec ad ipsum Regem, qui subsequebatur, accederet. Occurrit in itinere iam progresso, & armato Duci inter suorum cateruas opponitur: medióque interprete, primùm precem supplicem fundit, deindè increpat differentem. Ad extremum manu iniecta, freni habenas inuadit, atque in eo loco vniuersum sistit exercitum. Ad hæc Rex ferocissimus admirationem pro iracundia, Deo imperante, concepit. Stupet constantiam, veneratur reuerentiam, auctoritatis pertinaciâ permouetur. Apparatus bellicus, armorúmque commotio, ad consilij ciuilitatem, deposito tumore, descendit: tractatúrque, qualiter, non quod Rex voluerat, sed quod Sacerdos petierat, compleretur. Ad stationem quietam Rex exercitúsque se recepit, pacis securitatem fidelissimam pollicetur ea conditione, vt venia, quam ipse præstiterat, ab Imperatore vel ab Aëtio peteretur. Interea per intercessionem & meritum Sacerdotis Rex compressus est, exercitus reuocatus, Prouinciæ à vastationibus absolutæ. &c. C

A

Ex Vita sancti Lupi Episcopi Trecensis.

Ortvs est beatus Lvpvs in Leucorum oppido, nobili imprimis familiâ, patre Epirochio. Quo ex hac luce subtracto, traditus est Alistichio patruo suo, multa generis nobilitate æquè conspicuo. Eius operâ scholis adhibitus, Rhetorum studiis est imbutus. Deindè verò iam apprimè eruditum florentis eloquij fama per regiones diuulgauit. Iuncta autem ei est matrimonio Pimeniola sancti Hilarij Episcopi Arelatensis soror illustris memoriæ, quæ in ipsa iuuentute sensus maturitate pollens, pudicitiæ semper amore flagrabat. Cùm iam septimus coniugij annus volueretur, instigante Domino, se ad conuersionem mutuis adhortationibus contulerunt. Itaque superiori spiritus vigore incitatus Lupus, ad animi cultum transferens vestium splendorem, relicta paterna domo, cunctisque mundanæ cupiditatis vinculis dissipatis, Euangelicæ perfectionis feruens desiderio, eximiæ claritudinis & virtutis virum beatum Honoratum alacri animo statuit inuisere. Erat is Abbas primæ habitationis Lirinensis Monasterij. -- ⁝ *Apud Surium Tom. IV.*

Cúmque annum vnum illic egisset, magno fidei calore regressus est ad vrbem Matisconensem, vt ea quæ ipsi remanserant pauperibus elargiretur. Et ecce de improuiso ad vrbis Trecensis Episcopatum rapitur. -- ⁝

B

Exacto verò biennij spatio, cùm esset pollens ingenio, clarus eloquio, sanctitate præcipuus, cum sancto Germano totius perfectionis & gratiæ spiritalis pleno, contra heresim Pelagianam, quæ sanam oppugnabat fidem, in Britanniam profectus est. -- ⁝

Non longa post tempora Hvnni erumpentes, & per omnem Galliam diffusi, partim simulatæ pacis arte tentabant vrbes, partim vi expugnabant. Vbi ad Trecensem infesto agmine venêre ciuitatem, patentibus campis sitam, & nec armis munitam, nec muris, solicitus pius Antistes, ad vsitata se recipiens præsidia, solis ad Deum fusis precibus, supernæ opis auxilio eam defendit. At immanis ille & ferus Attila, fidem sancti viri altiori sensu suspiciens, pro sua exercitúsque sui salute & incolumitate secum eum vult proficisci ad Rhenum vsque: pollicens, vbi eò ventum sit, se ipsum dimissurum. Mox copia offertur ab eo loco reuertendi. Non negatur reditus, iter quoque indicatur. Orat tyrannus obnixè sanctum virum, vt velit pro ipso Dominum deprecari, interprete vsus Hunigasio. Reuersus autem vir Dei, vt vidit se desperatione suorum turbatum, ad montis perfugium Latisconem ceteris solertior festinauit, vt eò transferret plebem, quam orationum suarum suffragiis discrimini subiacentem inter excidia publica & hostilia arma defenderat. Illud perfugium distat ab vrbe milliaribus v. & xl. Manens verò illic biennij spacio, offensus raritate suorum eò venientium, Matisconem sibi censuit expetendam, *&c.*

C

Ex Vita Ms. sancti Aniani Episcopi Aurelianensis.

Hvnorvm gens perfida vaginâ suæ habitationis egressa, crudelitate sæuissima in plurimarum gentium frendebat pericula. Cuius ad satiandam rabiem, truculentus Attila tenebat regiam dignitatem. Cúmque vulgatum esset in populo, quòd suæ ferocitatis impetu Gothis obuiam properans, extenderet ad amnem Ligericum, vt subuersis Aurelianensium mœnibus, satiaret suæ malitiæ incrementa. Tunc vir Domini Anianvs, non vt in defensione hominum speraret elegit, sed Apostolicæ memor sententiæ, qua per beatum Petrum præcipimur, *Subditi estote propter Dominum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus, quasi ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Arelatensem vrbem expetere decreuit, & Aiecivm Patritium, qui sub Romano Imperio in Galliis Rempublicam gubernabat, videndum expetiuit, vt ei furorem rebellium cum periculo suorum ciuium intimaret.

Itaque Arelatum veniens, multos Domini repperit Sacerdotes, qui ob varias necessitates aduentantes, videre non poterant faciem Iudicis ob fastum po-

tentiæ secularis. Sed cùm sanctus aduenisset ibidem ANIANVS, diuina gratiâ A inspirante commonitus, protinus egressus est obuiam supplex Aiecius. Et quem pompa regia Imperialibus fascibus reddebat inclytum, Sacerdotalis gratia reddidit ad sibi conciliandum subiectum. Quem cùm ille benigniter inquisisset, cur vir sanctus laborem tam longi itineris assumpsisset, ille prudenti vsus alloquio, vel egregij prædicatoris exemplo, priùs pro aliorum vtilitatibus omnia petens obtinuit, & tunc demum causam aduentus sui auribus principalibus intimauit. Simúlque plenus prophetiæ spiritu, VIII. Kal. Iulij diem esse prædixit, quo bestia crudelis gregem sibi creditum laniandum decerneret. petens vt tunc prædictus Patricius veniendo succurreret. Videns Aiecius florem torrentis eloquij, acumen ingenij in viro Dei sanctitatis gratiâ comitante, omnia præstitit, quicquid Sacerdos expetiit, & benignè se venire vt ille suggesserat repromisit. Quo obtento, vir Domini valedicens seculi Principi, ad propriam regressus est ciuitatem: & plebem suam, quæ de Pastoris mœrebat absentia, spiritalia confortabat in gaudia: præparante populo iterum omnia, quæ ad repellenda hostium iacula, portis, muris, vel turribus fuerant opportuna. -- ⁝

Nec post longum interim interuallum cruentus ATTILA murorum vallans ambitum, omne suæ malitiæ argumentum in iamdictæ ciuitatis conuertit interitum. Sed Pontifex fixus in Domino, per muri ambulatorium Sanctorum gestans pignora, suaui vocis organo more cantabat Catholico. Interim hostilis exercitus tela iactabat instantiùs, atque cum arietibus latera muri crebris quatiebat impulsibus. Tunc fugiente ad Ecclesiam populo, sanctus ANIANVS forti eos animo B esse monebat in Domino, numquam fuisse deceptum quicumque firmiter sperasset in Christo. Ipse verò festinanter murum ascendit, & tacitus respexit ad cœlum, ac pias aures Domini intima prece pulsauit. Cúmque sibi diuinum auxilium adesse sensisset, repentè contra barbaros expuit. Tantáque subitò cum sputo eodem moles pluuiæ descendit, & impiorum impetum triduana inundatione compressit, vt nequaquam se vllus pugnaturus ex hostibus transferre in locum alterum potuisset. -- ⁝

Cessante igitur nimbo profluo, sanctus Anianus ad Attilæ pergit tentorium, pro sibi commisso rogaturus populo. Spretus à perfido responso contrario, ciuitatis sese retulit claustro. Postera autem die, apertis portarum repagulis, Attilæ Proceres ingressi sunt Aurelianis. Sortéque ad diuidendum populum missa, onerabat plaustra innumera de plebis capta substantia. Iubens crudelis impietas, vt immineret subditis dura captiuitas. Cúmque sanctus Anianus populum ammoneret, vt nec sic quoque desperarent de Domino, nihílque esse Deo inualidum, qui suos tueri præualet etiam sub momento: repentè more prophetico sanctus Anianus est translatus à Domino, atque in eodem loco, vbi Aiecius Patricius cum suo degebat exercitu, secum pariter TORSOMODO* Rege Gothorum, ostensus militi talia dedit mandata Patricio. » Vade, inquit, & dic filio meo Aiecio, » quia si hodie ad ciuitatem adesse distulerit venire, iam crastina nihil proderit. His dictis, statim recessit. Et quia diuina virtute hoc opus actum fuerat, miles C sapiens recognouit. Statímque ad Aiecium pergens, rem per ordinem pandit. Tunc ille lætus redditus, & victoria iam securus, vtpote diuina reuelatione commonitus, vnà cum THEODORO & TORSOMODO Regibus, vel suo ac Gothorum exercitu, equum ascendit, ac concitus pergit. Nec mora Aurelianis peruenit, hostes imparatos repperit. Tantæque cædis stragem super eos exercuit, vt nulli dubium fieret, quin meritis Aniani Pontificis flexus ad misericordiam Dominus Rex cœlestis vindictam hanc exerceret per suos satellites, quos honore ditauerat Regiæ dignitatis. Itáque alij succubuerunt gladiis, alij coacti timore tradebant se gurgiti Ligeris, sortituri finem mortis. Sanctus verò ANIANVS plures per suam precem eripuit, quos coram se trucidandos aspexit. reddens scilicet bona pro malis, multi ne morerentur obtinuit, nisi quos repentinus hostium furor oppressit. Reliqua pars HVNORVM, quæ ibidem prostrata non cecidit, fugæ præsidium expetunt: donec iudicante Domino, in loco qui vocatur Mauriacus, trucidanda gladiis mortis sententiam expectaret. -- ⁝

* al. Torismodo.

A *Ex Vita Ms. sanctæ Genouefæ Virginis.*

FAMA diuulgante, quæ tam veri quàm falsi nuntia, refertur, quòd ATTILA Hunorum Rex sæuitiâ superatus Gallias decreuisset populari, ac suæ ditioni subiicere. Terrore eius perculsi Parisiaci ciues, bona facultatum suarum in alias tutiores ciuitates deferre nitebantur. Quorum matronas conuocans GENOVEFA, suadebat vt ieiuniis & orationibus ac vigiliis insisterent, quatinus possent, sicut Iudith & Hester, superuenturum inimicorum impetum euadere. Consentientes ergo Genouefæ, & per dies aliquot in baptisterio vigilias exercentes, ieiuniis & orationibus soli Deo vacauerunt. Viris quoque earum pariter suadebat, ne bona sua à Parisio auferrent. Nam illas ciuitates, quas tutiores esse credebant, gens irata vastaret: Parisium verò incontaminatam ab inimicis Christo protegente saluandam. -- :·

Oportunum quoque videtur inserere, qua veneratione CHILDERICVS Rex Francorum, licèt adhuc paganis ritibus deditus, pro miraculis, quæ ab ea in Christi nomine perficiebantur, cum omnibus Comitibus suis eam dilexerit. Adeo vt vice quadam, ne vinctos, qui ab eo tenebantur multandi, exigentibus meritis Genouefa arriperet, egrediens vrbem Parisiorum portam claudi præcepit. At vbi perfidus internuncius, videlicet Regis deliberatio, aures Genouefæ pulsauit, confestim ad liberandas animas concito gradu perrexit. Nec minimum populi admirantis fuit spectaculum, quòd tunc porta ciuitatis inter manus eius sua B sponte sine claue patefacta est. Sicque Regem consecuta, ne vinctorum capita amputarentur obtinuit. -- :·

DE CHLODOVEO I.

Ex antiqua & rudi Vita Ms. sancti Vedasti Atrabatensis Episcopi & Confessoris.

Quam postea Alcuinus petente Radone Abbate emendauit.

IGITVR cùm inclytus Francorum Rex CHLODOVIVS omni industriâ solers Francis regnauit, euenit vt quodam tempore inter incendia bellorum aduersum Alamannos gentem ferocem bellaturus pergeret. Quò cùm venisset ab vtroque acies, & nisi obuium hostem habuisset Rheni, tam Franci quàm Alamanni ad mutuam cædem inhiarent: commisso prælio, ita vehemens terror Chlo- C douij animum obrepserat, vt in ea pugna se viuendi finem horrenda anxietate trucinaret. Cúmque ergo suos penè ad internicionem opprimi cerneret, tandem diuino fultus auxilio in animo, oculósque in cœlum eleuatos attollit: Vnice, inquit, potestatis ac maiestatis Deus, quem CHROTILDIS collateranea mea confitetur, quémque humili prece die noctúque supplicare non cessat, tu mihi hodie de his hostibus concede victoriam: vt & ego te deinceps corde credendo teneam, & adorem. Cúmque his huiusmodi precibus rerum auctorem pulsaret, cessit tandem hostis, terga vertendo, victoriam Chlodoueo. Victor deinde Alamannos cum Rege in ditione cepit, ouánsque ad patriam festinus rediens, ad Tullum oppidum venit. Et cùm iam desiderium, vt celer ad baptismi gratiam confugeret, sciscitando comperit inibi beatum VEDASTVM sub Religionis cultu vitam degere, quem mox sibi itinere iunxit. Dum pariter pergerent, quadam die venerunt in pago Vongise ad locum qui dicitur Grandeponte, iuxta villam Riguliago super fluuium Axona. Deinde ad Remorum vrbem ad Pontificem REMIGIVM, qui tunc inibi Sacerdotalem Cathedram regebat, perduxit. Quo quantisper moratus sacræ Trinitatis fidem CHLODOVEVS professus baptismi gratiam recipit. Indéque progressus, victor ad patriam rediens, iam dictum Vedastum beato Remigio commendauit. -- :· Cúmque iam celeberrimæ famæ in præfata vrbe Remorum esset, & beatus Remigius eum venerationis cultu attollere niteretur, fuit

tandem consilij, vt Atrabatum vrbi eum Pontificem faceret: quo FRANCORVM gentem ad baptismi gratiam paulatim, docendo, ac de industria monendo, attrahere curaret. -- ⁝ A

Actvmqve deinceps vt mortuo Chlodoueo, CHLOTHARIVS filius eius in locum patris suffultus à Francis regnaret, & egregiè Regni regimina regeret. Euenit vt aliquis vir Francus nomine HOZINVS Regem Chlotharium ad prandium vocaret, aut inter Aulicos Regis venerabilem virum Vedastum Pontificem inuitaret. At ille, non quòd eis consentiendo gulæ faueret, sed quò adunatam ad Regis prandium turbam suis salubribus doctrinis edoceret, ac per Regis auctoritatem pleniùs ad sacrum baptismum prouocare vellet. Cúmque ergo attonitus beatus ad prandium venisset, domum introiens, conspicit gentile ritu vasa plena ceruisæ domi adstare. Responsum est, se alia Christianis, alia verò paganis obposita, ac gentile ritu sacrificata. Cúmque ita sibi denunciatum fuisset, omnia vasa de industria signo crucis sacrauit, ac omnipotentis Dei nomine inuocato cum fidei amminiculo cœli tunc auxiliante dono benedixit. Cúmque benedictionem crucis signo super vasa, quæ gentile fuerant ritu sacrificata, præmisisset, mox soluta ligaminibus cunctum ceruisæ liquorem, quem capiebant, in pauimentum deiecerunt. -- ⁝ Quæ causa multis qui aderant profuit ad salutem. Nam multi ex hoc ad gratiam baptismi confugerunt, ac sanctæ Religioni colla submiserunt, &c. B

Ex Vita Ms. sancti Remigij Remorum ciuitatis Episcopi,

Quam partim ex vetustissima Historia de ortu ac vita & virtutibus illius, quæ & à Gregorio Turonensi Episcopo citatur, partim ex aliis Historiis, pitatiolis, ac vsitata præcedentium relatione, HINCMARVS *eiusdem ciuitatis Episcopus se descripsisse testatur.*

CVM gentis FRANCORVM, vt Historiæ produnt, de Troia ciuitate, impugnantibus & expugnantibus Græcis, pars cum Ænea in Italiam perrexit: pars eorum, videlicet XII. milia in finitimas Pannoniæ partes secus Meotidas paludes peruenerunt. Ibique ciuitatem aduenientes ædificauerunt, quam ob suam memoriam Sicambriam vocauerunt: in qua multis annis habitauerunt, & in gentem magnam vsque ad tempora Valentiniani Imperatoris creuerunt. Et ita sub Principibus crinitis iuxta morem gentis subinde succedentibus, per Turingiam regionem Germaniæ, à castello Dispargo, in quo diu habitauerunt, ad Belgicæ Prouinciæ Tornacum atque Camaracum ciuitates aggressi sunt. indéque vsque ad Sumnam fluuium partem Belgicæ Prouinciæ occupauerunt. Vbi plurimis temporibus degerunt sub CHLODIONE & MEROVEO Rege vtili, à cuius celeberrimo nomine Franci vocati sunt MEROVINGI: sicut à Valentiniano Imperatore Attica linguâ vocati sunt Franci, hoc est feroces. Cui Meroueo in Principatum successit CHILDERICVS, qui de BASINA Regina Turingorum habuit filium CHLVDOVVICVM, qui fuit magnus super omnes ante se Reges Francorum, pugnator bellicosissimus, atque egregius. In illis temporibus ceperunt Franci Agrippinam ciuitatem super Rhenum, quam Coloniam vocauerunt: & Treueris ciuitatem super Mosellam, quæ ab Hunis antea diruta & afflicta fuerat, succendentes ceperunt. In illo tempore, in his partibus circa Rhenum vsque Ligerim fluuium habitabant Romani, quorum Princeps erat EGIDIVS. Vltra Ligerim autem dominabantur Gothi, quorum Princeps erat ALARICVS. Burgundiones quoque Arriani & Gothi habitabant iuxta Rodanum fluuium, vsque ad ciuitatem Lugdunum, & ei confines vrbes, quorum Princeps erat GVNDEBAVDVS. Eo tempore mortuus erat Egidius, & successit in Principatum Romanorum, qui habitabant in Galliis, filius eius SIAGRIVS. Mortuo autem Childerico, qui Aurelianis & Andegauis ciuitates cum suo exercitu Francico occupauit atque vastauit, Chlodouuicus filius eius sagaciter Francorum Regnum suscepit. Anno V. Chludouuico regnante, Siagrius filius Egidij, Dux Romanorum qui in Galliis habitabant, in Suessionis ciuitate, quam pater eius tenuerat, residebat. Super quem Chludouuicus cum hoste aduenit, atque deuicit, quémque ab Alarico, apud quem in Tolosa fugiens Chlodouuicum aliquamdiu habitauit, C

A sibi transmissum recepit, & occidi præcepit. & omnia quæ illius fuerant suæ potestati subegit.

Eo tempore multæ Ecclesiæ à Chludouuici exercitu deprædatæ sunt. Erant autem, sicut & Rex illorum, fanatici & pagani. Attamen audientes miracula, quæ fiebant per beatum Remigium, reuerebantur eum: & licèt pagani, diligebant eum, in quo lux cœlestis gratiæ omnibus resplendebat. Et Rex illorum libenter illum audiebat, & audito eo multa faciebat, & à multis nequitiis se cohibebat.--:

Transitum autem Rex faciens secus ciuitatem Rhemi, per viam, quæ vsque hodie propter Barbarorum per eam iter Barbarica nuncupatur, noluit in eandem ciuitatem introire, ne ab exercitu suo aliquod malum ibi fieret. Sine voluntate autem & conscientia ipsius pars quædam indisciplinatorum, quoniam non erat potestas temporalis inhabitantium quæ eis resisteret, eandem ciuitatem intrauit, & quædam ornamenta atque sacra vasa indè rapientes, vt prædones solent, asportauerunt. Inter quæ vrceum miræ magnitudinis atque pulchritudinis rapientes tulerunt. Sanctus autem Remigius missos suos ad Regem Chludouuicum direxit, deprecans vt si aliud de sacris vasis Ecclesiæ recipere non mereretur, vel illum vrceum missis suis reddere iuberet. Hæc audiens Rex, ait ad missos Ecclesiasticos: Sequimini nos vsque Suessionis ciuitatem, quia ibi cuncta quæ acquisita sunt diuidenda erunt. Cúmque mihi vrceus ille in partem obuenerit, quæ B Episcopus postulat adimplebo. Veniens autem Suessionis ciuitatem, cunctam prędam, quæ asportata, vel adquisita fuit, rogat afferri in medium. Cúmque omnia fuissent in præsentiam Regis allata, dixit: Rogo vos, ô fortissimi pugnatores, vt mihi dare istum vrceum non negetis. Hoc Rege dicente, illi Franci, qui bono animo fuerunt, aiunt: Omnia, gloriose Rex, quæ cernis, tua sunt, & nos tuo dominio sumus subiecti. quod tibi bonum videtur, hoc fac. Nullus enim tuæ potestati resistere audet. Cùm hæc illi benignè dixissent, vnus Francus leuis cum vociferatione, eleuata bipenna, quæ alio nomine appellatur francisca, percussit vrceum illum, dicens: Tu nihil hinc accipies, Rex, nisi quod tibi sors vera donauerit. Obstupefactis omnibus, Rex iniuriam suam patienter sufferens, acceptum vrceum nuncio Ecclesiastico reddidit, seruans iram in corde absconditam. Transacto anno Chludouuicus Rex, vt omnium armorum nitorem videret, omnem exercitum iussit cum armorum apparatu venire secundum morem in campum Martium. Sic enim Conuentum illum vocabant à Marte, quem pagani Deum belli credebant. à quo & Martium mensem, & tertiam feriam diem Martis appellauerunt. Quem Conuentum posteriores Franci Mai campum, quando Reges ad bella solent procedere, vocari instituerunt. Verùm vbi Rex cunctum exercitum circuit, venit ad hominem illum, qui vrceum præterito anno cum bipenna percusserat, & ait ad eum: Nullus hîc tam inculta & sordida arma habet, sicut tu habes, quia neque clypeus, neque lancea, neque bipenna est vtilis. Accepit C autem Rex franciscam eius quæ vocatur bipenna. & proiecit in terram. Cùm autem ille se inclinasset eam recolligere, Rex statim eleuata manu franciscam suam in caput eius defixit, & ait: Sicut tu in Suessionis ciuitate superiore anno in vrceo illo fecisti, sic & facio tibi. Mortuóque illo, exercitum Rex de ipso campo iussit ad propria in pace discedere. Grandis timor & pauor pro hac causa in Francorum populo consurrexit.

CHLVDOVVICVS decimo anno regni sui commoto exercitu, sibi Thuringiam Prouinciam subiugauit. Inde GVNDEBAVDI Regis Burgundionum neptem, filiam videlicet fratris sui CHILPERICI, quem gladio interfecerat, nomine CHROTHILDEM, pulchram satis puellam, & verè Christianissimam, interueniente Aureliano Consiliario ac Legatario suo, nutu diuino in coniugem sumpsit.

In diebus illis dilatauit Rex Chludouuicus Regnum suum vsque Sequanam. Sequenti tempore vsque fluuium Ligerim occupauit. Accepitque Aurelianus castrum Milidunense, quod & in Ducatum obtinuit.

Concepit denique, ac peperit Chrothildis filium. Quem cùm sacro baptismate consecrari vellet, Rex non adquiescebat ei. Necdum enim credebat in Dominum Deum cœli. Regina enim cotidie illi prædicabat eum. At ille nolebat eam audire. Interea Regina parat filium ad baptismum, ornat Ecclesiam velis atque

CHLODOVEVS I.

cortinis, vt Regis cor ad credendum compungeret. Baptizatus est puer, quem A
INGOMIRVM vocauit, quique in albis decessit. Vnde Rex nimis contristatus reputabat Reginæ, increpando dicens ad eam: Quia si in nomine Deorum meorum puer dedicatus fuisset, vtique incolumis diu vixisset. Quia verò in nomine Dei vestri baptizatus est, viuere non potuit. Regina verò dicebat: Deo gratias ago, qui me non duxit indignam, vt de vtero meo primogenitum in regno suo recipere sit dignatus. Ego autem nullum dolorem in corde meo pro hac causa retineo. Postea verò genuit filium alium, quem in baptismo CHLODOMIRVM vocauit. Et hic cùm ægrotare cœpisset, dixit Rex: Non potest aliud, nisi & de isto sic fiat, quomodo fuit de fratre eius, vt baptizatus in nomine Christi vestri citò moriatur. Sed orante Regina, & Domini misericordia præcurrente, recepit sanitatem. Regina quoque non cessabat Regi prædicare, vt Deum verum coleret, & idola quæ colebat vana derelinqueret. Sed nullo modo animum eius ad credendum poterat commouere: donec tandem aliquando bellum contra Alemannos Sueuósque moueret. In quo compulsus est Deum confiteri, quem antea negauerat.

Factum est autem, bellantibus inter se Francorum scilicet exercitu & Alemannis atque Sueuis, vt Chludouuici exercitus nimis corrueret. Aurelianus Consiliarius eius intuens Regem, ait: Domine mi Rex, crede modò Deum cœli, quem domina mea Regina prædicat, & dabit tibi ipse Rex Regum, & Deus cœli ac terræ, victoriam. Ille verò eleuatis in cœlum oculis, commotus in lacrimis ait: IESV CHRISTE, quem Chrothildis Regina mea prædicat esse filium Dei viui, B
qui subuenis in tribulatione, qui das auxilium in te sperantibus, tuum adiutorium deuotus postulo: vt si mihi victoriam super hos hostes dederis, & expertus fuero illam virtutem, quam de te populi prædicant, credam tibi, & in nomine tuo baptizabor. Inuocaui enim Deos meos, & vt experior elongati sunt ab auxilio meo. Vnde credo eos nulla potestate esse præditos, qui sibi credentibus non succurrunt. Te verum Deum ac Dominum inuoco, & in te credere desidero. tantùm vt liberer ab aduersariis meis. Cúmque hæc orans clamaret, Alemanni in fugam lapsi terga dederunt. & videntes Regem suum interfectum, Chludouuici potestati se subdunt, dicentes: Parce, precamur, domine Rex, ne pereat plus populus: iam tui sumus. Tunc iussit Rex imminentem plagam cessare, & Alemannos cepit, ipsósque ac terram eorum sub iugo tributarios constituit. Sicque facta victoria, reuersus est in Franciam ad Reginam suam, & narrauit ei qualiter per inuocationem nominis Iesu Christi victoriam meruerit obtinere. Acta sunt hæc anno XV. Chludouuico regnante.

Tunc Regina, vt impleretur dictum Apostoli, *Saluatur vir infidelis per mulierem fidelem*, vocauit sanctum REMIGIVM vrbis huius Remensis Antistitem. deprecans eum, vt Regi salutis viam prædicaret. Quem sanctus Sacerdos per multam salutaris vitæ doctrinam ad baptismum venire prædicabat. Et ille ait: Libenter te audiam, beatissime Pater. Sed vnum restat, quia populus, qui me sequitur, non vult Deos suos relinquere. Vadam autem adhortari eos iuxta verbum C
tuum. Et veniens Rex ad populum, cœpit hortari eos vt in Deum, qui eis victoriam dederat, crederent. quoniam Dij illorum in tribulatione sua nihil eis prodesse potuerunt. Acclamauerunt autem omnes, præcurrente misericordia & potentia Dei: Mortales Deos relinquimus, gloriose Rex, & verum Deum immortalem, quem Remigius prædicat, credere parati sumus. Nunciantur hæc sancto Remigio, ille quoque gaudio magno repletus, Regem & populum, qualiter diabolo & operibus ac pompis eius abrenunciare, & in Deum credere deberent, apertis & breuibus verbis instruxit. Et quia dies sancti Paschæ imminebat, ieiunium secundum Christianorum consuetudinem eis indixit.

Die verò passionis Domini, quem Parasceuen vsus Ecclesiasticus vocat, pridie scilicet antequam baptismi gratiam Rex & populus eius percepturi erant, cùm sanctus Remigius & venerabilis côiux Regis Chrothildis pro Regis & populi eius salute in oratione pernoctaret, Episcopus ante altare sanctæ Mariæ multas effundens lacrimas, & Regina in Oratorio sancti Petri iuxta domum regiam, expleta oratione Pontifex ad ostium regij cubiculi pulsaturus accessit: vt videlicet per alta silentia noctis aliis curis Regi absoluto liberiùs posset committere sacra

A mysteria verbi. Quem ostiis apertis Cubicularij Regis reuerenter suscipiunt, & cum honore debito vsque ad penetralia Regis introducunt. Sed & Rex alacriter ei obuiam prosiliuit, cúmque amplexus, cum ipso & venerabili coniuge in Oratorium beatissimi Apostolorum Principis Petri, quod, vt diximus, cubiculo Regis contiguum erat, processit. Cúmque illi tres, Pontifex scilicet, & Rex, atque Regina, dispositis sedilibus consedissent, circumstantibus quibusdam Clericis qui cum Pontifice venerant, & familiaribus Regis atque Reginæ, & sanctus Præsul Regem monitis instrueret salutaribus, ac Euangelicis disciplinis imbueret, ad confirmandam veræ fidei prædicationem per sanctum depromptam Pontificem etiam visibiliter ostendere Dominus voluit quod fidelibus cunctis promisit: *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, repentè lux tam copiosa totam repleuit Ecclesiam, vt claritatem Solis euinceret. & cum luce vox pariter est audita, dicentis: *Pax vobis, ego sum. nolite timere. Manete in dilectione meâ.* Et post hæc verba, lux quæ aduenerat recessit, & incredibilis suauitatis odor in eadem domo remansit. vt patenter ostenderetur, illuc auctorem lucis & pacis atque suauitatis venisse. Quem nemo eorum qui aderant, præter Episcopum, propter fulgorem luminis timore perculsi intueri voluerunt. Tantáque claritatis gloria Pontificem sanctum perfudit, vt splendor ex eo procedens plus conspicuam domum, in qua sedebant, reddiderit, quàm lucernarum lumina ibidem
B lucentia. Rex itaque ac Regina pedibus se sancti Sacerdotis prosternunt, & cum magno pauore ac gemitu consolationem eius requirunt: & quid sibi ad vtilitatem atque salutem pertinens esset agendum, cum magna expetunt deuotione. parati audire, & opere complere quæ à sancto Pontifice discerent. Nam lumen, quod eos exteriùs perfudit, etiam interiùs illuminauit, & ad quærendum salubre consilium incitauit. Delectabantur namque in verbis illis quæ audierant, licèt exterriti essent de luminis claritate. At verò vir sanctus sancta repletus sapientiâ cœpit eos instruere, hanc esse visionis diuinæ atque Angelicæ consuetudinem, vt in aduentu suo terreant corda mortalium, sed sequenti consolatione demulceant præcedentem timorem. Instruens eos ex auctoritate sanctarum Scripturarum, quomodo singulis, quibus apparuerant, & in primordio apparitionis incusserint videntibus se timorem: sed pòst per gratiam consolationis gratissimam eorum cordibus præbuêre lætitiæ hilaritatem. Cúmque iam sanctus vir eos de talibus sufficienter instruxisset, prophetico repletus spiritu, cuncta quæ eis vel semini eorum euentura erant prædixit. qualiter scilicet successura eorum posteritas Regnum esset nobilissimè propagatura atque gubernatura, & sanctam Ecclesiam sublimatura, omníque Romana dignitate Regnóque potitura, & victorias contra aliarum gentium incursus adeptura. Nisi fortè à bono degenerantes, viam veritatis reliquerint, & diuersos vitiorum fuerint secuti anfractus, quibus neglegi Ecclesiastica solet disciplina, & quibus Deus offenditur, ac per hoc Regna solent subuerti, ac de gente in gentem transferri.
C Interea eundi via ad baptisterium à domo regia præparatur, velisque ac cortinis depictis ex vtraque parte protenditur, & desuper adumbratur. Plateæ sternuntur, Ecclesiæ componitur baptisterium, balsamo & ceteris odoramentis conspergitur. Talémque gratiam Dominus sumministrabat in populo, vt æstimarent se paradisi odoribus refoueri. Sicque præcedentibus sacrosanctis Euangeliis & crucibus, cum hymnis & canticis spiritualibus, atque letaniis Sanctorum nominibus acclamatis, sanctus Pontifex manum tenens Regis, à domo regia pergit ad baptisterium, subsequente Regina & populo. Dum autem simul pergerent, Rex interrogauit Episcopum, dicens: Patrone, est hoc regnum Dei, quod mihi promittis? Cui Episcopus. Non est hoc, inquit, illud regnum, sed initium viæ per quam venitur ad illud. Cùm verò peruenissent ad baptisterium, Clericus, qui chrisma ferebat, à populo est interceptus, vt ad fontem venire nequiuerit. Sanctificato autem fonte, nutu diuino chrisma defuit. Et quia propter populi pressuram vlli non patebat egressus vel ingressus Ecclesiæ, sanctus Pontifex oculis ac manibus protensis in cœlum, cœpit tacitè orare cum lacrimis. Et ecce subitò columba niue candidior attulit in rostro ampullulam chrismate sancto repletam, cuius odore mirifico super omnes odores, quos ante in baptisterio senserant, omnes qui aderant inæstimabili suauitate repleti sunt. Accipiente autem sancto

CHLODOVEVS I.

CHLODOVEVS I.

Pontifice ipsam ampullulam, species columbæ disparuit. De quo chrismate fudit venerandus Episcopus in fontem sacratum. Viso autem Rex tanto miraculo, abnegatis diaboli pompis & operibus eius, petiit se à sancto Pontifice baptizari. Procedit nouus Constantinus ad lauacrum salutiferum, in quo delendi erant lepræ veteris morbi, sordentésque antiquæ peccatorum maculæ diluendæ: diuino muneri obsequente beato Remigio, in quo Apostolica doctrina & virtutum gratiâ alter repræsentari videbatur Siluester. Ingresso autem in fontem vitalem » Chludouuico, sanctus Episcopus dixit ore facundo: Mitis depone colla Sicam- » ber. adora quod incendisti, incende quod adorasti. Præceptis salutaribus illum instituens humili deuotione venerari Ecclesias ad cultum Religionis ædificatas: vt Deum adoraret in eis, quas rigida profanitate incendere consueuerat, & idola, quæ in asilis suis pro Deo adorare solebat, fidei ardore succensus deiciendo incenderet. Et sic post confessionem orthodoxæ fidei ad interrogationem sancti Pontificis secundum Ecclesiasticum morem, baptizatus est trina mersione, in nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus sancti. Et susceptus ab ipso Pontifice de sancto fonte, perunctus est sacro chrismate cum signo sanctæ crucis Domini nostri Iesu Christi. Baptizantur autem de exercitu eius tria milia virorum, exceptis paruulis & mulieribus. Baptizantur sorores eius, ALBOFLEDIS, & LANDEHILDIS. Et factum est gaudium magnum in illa die Angelis sanctis in cœlo, & hominibus deuotis in terra.-- ⁝ B

Multi denique de Francorum exercitu necdum ad fidem conuersi, cum Regis parente RAGANARIO vltra Sumnam fluuium aliquamdiu degerunt, donec Christi gratiâ cooperante gloriosis potitus victoriis eundem Raganarium flagitiis turpitudinum inseruientem, vinctum à Francis sibi traditum Rex Chludouuicus occidit, & omnem Francorum populum per beatum Remigium ad fidem conuerti & baptizari obtinuit.

BAPTIZATVS autem Rex cum gente integra, plurimas possessiones per diuersas Prouincias sancto Remigio tam ipse quàm Franci potentes dederunt. Quas ipse per diuersas Ecclesias tradidit, ne Franci eum rerum temporalium cupidum esse, & ob id ad Christianitatem eos vocasse putarent, & fidem Christi ac sanctum Sacerdotium vilipenderent. De quibus rebus in Orientalibus Franciæ partibus, petentibus traditoribus, portionem quandam Episcopio Remensi adiunxit: & de his, quæ in Remensi Prouincia illi fuerant traditæ, non modicam partem Ecclesiæ sanctæ Mariæ in castro Lauduni Clauati Remensis parrochiæ, vbi nutritus fuerat, tradidit. Ibique GENEBAVDVM virum carne nobilem, & tam in Scripturis sanctis, quàm & in secularibus litteris eruditum, qui relicta vxore, nepte scilicet ipsius beati Remigij, vitam religiosam expetierat, Episcopum ordinauit, & parrochiam ipsius Comitatus Laudunensis præfato castro subiecit.-- ⁝

CHLVDOVVICVS Rex sedem suam in Suessionis ciuitate, vnde Siagrium expulerat, constituens, delectabatur præsentia & colloquio beati Remigij. Sed quia villas, quas sibi Rex & Franci in pagis, Suessonico videlicet ac Laudunense dederunt, vt suprà dictum est, Episcopio Laudunensi & aliis casis Dei donauerat, non habebat in vicinitate ipsius ciuitatis Suessorum nisi vnam villulam, quæ sancto Nicasio data fuerat. Vnde suadente religiosissima Regina, & petentibus locorum incolis, qui multiplicibus exeniis erant grauati, vt quod Regi debebant Ecclesiæ persoluerent, Rex sancto Remigio concessit, vt quantum circuiret dum ipse meridie quiesceret, totum illi donaret. Sanctus autem Remigius per fines, qui manifestissimè parent, pergens, signa sui itineris misit -- ⁝ Surgente interea Rege à somno meridiano, reuersus est ad eum sanctus Remigius, & omnia quæ ambitus circuitionis illius continuit, ei præcepto suæ auctoritatis Rex donauit, quæ vsque hodie Remensis Ecclesia, quarum rerum capita sunt Luliacus * & Codiciacus, iure quieto possidet.-- ⁝ C

* In edit. Surij malè Iuliacus.

EVLOGIVS quidam vir præpotens conuictus apud Regem Chludouuicum de crimine regiæ maiestatis, cùm se purgare non posset, ad Ecclesiam sanctæ Mariæ, & ad intercessionem beati Remigij confugium fecit. Cui sanctus Remigius & vitam & rerum suarum possessionem apud Regem obtinuit. Isdem autem recompensationis gratiâ sancto Remigio Sparnacum villam suam in proprietatem dare voluit. Sanctus autem Remigius retributionem temporalem pro intercessionis

A sionis suæ beneficio recipere noluit. Sed quoniam idem Eulogius verecundiæ confusione addictus, quia contra natales suos vitâ donari per alterius indulgentiam meruit, in seculari habitu stare non voluit, sanctus Remigius ei dixit, vt si perfectus esse vellet venderet omnia sua, & daret pauperibus, & sequeretur Christum. Et sic de thesauro Ecclesiastico taxatum precium, quinque scilicet milia libras argenti Eulogio dedit, & eandem villam in possessionem Ecclesiæ comparauit.-- ⁝· Partem etiam maximam siluæ in Vosago precio comparauit, & mansionilia ibidem constituit, quæ ab aquis, super quibus constituta sunt, Cosla & Gleni vocantur, hominésque in eisdem mansionilibus de vicina Episcopij villa, quæ Berna dicitur, à Francis sibi data, manere disposuit: vt picem annuatim religiosis locis Ecclesiæ Remensis amministrarent.-- ⁝· CHLODOVEVS I.

CHLVDOVVICVS Rex cùm Dei benedictione per sanctum Remigium accepta, de victoria sibi ab eo prædicta securus, & in mandatis accipiens vt tamdiu ad dimicandum pergeret, quamdiu illi benedictum vinum sibi à Deo datum in cotidiano vsu potatum sufficeret, iter arripuit contra GVNDEBAVDVM & GODEGISLVM fratrem eius, commoto exercitu maximo. Et Burgundiones cum ingenti multitudine venerunt contra eos super Oscharam fluuium, secus castrum quod Diuion dicitur. Ibique inter se atrociter confligentes, Gundebaudus ac Godegislus cum Burgundionibus terga verterunt, & vix
B fugâ lapsi euaserunt. Chludouuico, vt solebat, existente victore, Gundebaudus se in Auinione reclusit, & per Aredium Consiliarium suum pacem à Chludouuico expetiit. Chludouuicus verò ablatis thesauris, cum præda maxima, & Francorum exercitu, ad propria est reuersus. Et mittens Legatum nomine Paternum virum industrium ad ALARICVM Regem Gothorum, de amicitiæ inter eos conditione mandauit. Alaricus verò cùm per Paternum vellet Chludouuicum decipere, à Paterno, exploratis quæ circa eum erant, & thesauris eius ingenio subarratis, illusus est.

IN diebus illis Rex Chludouuicus cùm venisset Parisius ciuitatem, vbi sedem suam constituit, ait ad Reginam & ad populum suum: Satis mihi molestum est, quòd Gothi Arriani partem optimam Galliarum tenent. Eamus cum Dei auxilio, & eiciamus eos de ipsa terra, nostrisque ditionibus, quia valdè bona est, eam subiciamus: habentes iustitiam aduersus Alaricum, ad quem pro amicitiæ conditione Legatum direximus, per quem nos decipere voluit. Placuit hoc consilium Proceribus Francorum. Tunc per consilium Reginæ suæ fecit Ecclesiam in honore Apostolorum Petri & Pauli in Parisius ciuitate: & per consilium beati Remigij in Aurelianis ciuitate Episcoporum Synodum conuocauit. in quo Conuentu multa vtilia constituta fuêre. Rex quoque deuotissimus pergens contra Alaricum Arrianum, benedictionem petiit à sancto Remigio. Cui & benedictionem dedit, & victoriam in verbo Christi spopondit. Deditque
C illi plenum vas, quod vulgaris consuetudo flasconem appellat, de vino quod benedixit, sicut etiam fecerat quando post baptismum contra Gundebaudum perrexerat: præcupiens illi vt tam longè ad bellum procederet, quamdiu illi & suis, quibus indè dare vellet, illud vinum de prædicto flascone non deficeret. Bibit ergo indè Rex, ac regalis familia, & numerosa turba populi, & exindè vberrimè satiantur. & vas vini detrimentum non patitur, sed benedictione Dei per sanctum Remigium indita, more fontis inundatione repletur. Mouit autem Rex cunctum exercitum suum de populo Francorum versus Pictauis ciuitatem. Ibi enim tunc Alaricus Rex Gothorum commorabatur. Et sic per pagum Turonicum pergens, & reuerentiam beato Martino atque sancto Hilario exhibens, cum Alarico Rege Gothorum in campo Mogotense* super fluuium Glinno, miliario decimo ab vrbe Pictauis bellum conserunt. Illisque inter se compugnantibus, Gothi cum Rege suo nimis collisi terga verterunt. Chludouuicus, sicut solebat, victor extitit. Cúmque Alaricum interficeret, duo Gothi cum contis eum in latera feriunt ex aduerso. Sed propter loricam, qua indutus erat, lædere nequiuerunt. Magis autem Dominus loricâ fidei indutum per orationem sancti Remigij patris & patroni sui adiuuit eum. Patrata siquidem victoriâ, & multis ciuitatibus suæ ditioni subiugatis, vsque Tholosam perrexit, & thesauros Alarici accipiens, per Equolisinam ciuitatem, cuius muri ante conspectum eius

*Sic habet Ms. Codex, sed in edit. est, Moglotinse, & apud Greg. Turon. Vocladense,

CHLODOVEVS I. corruerunt, interfectis Gothis Arrianis qui ibi erant, cum gloriosa victoria de multis ciuitatibus ad propria rediit.-- A

Per idem tempus ab ANASTASIO Imperatore codicellos Chludouuicus Rex pro Consulatu accepit. Cum quibus codicellis etiam illi Anastasius coronam auream cum gemmis, & tunicam blatteam misit. & ab ea die Consul & Augustus est appellatus. Sed & ORMISDA Romanæ Sedis Pontifex sancto Remigio antiquæ Metropolis Episcopo, quæ tunc temporis habebat sub se XII. ciuitates, & totidem Episcopos eisdem præsidentes, vices suas in Regno Chludouuici nuper cum integra gente ad fidem conuersi per sanctam eius prædicationem Domino cooperante, & sermonem confirmante sequētibus signis, commisit hoc modo.

» Dilectissimo fratri REMIGIO Ormisda. Suscipientes plena fraternitatis tuę congratulatione colloquia, quibus nos germanæ salutis tuæ lætificauit inditio, corporali cum spiritualibus officiis incolumitate subnixa: congruum esse perspeximus hanc ipsam, quam mente gerimus, verbis aperire lætitiam. Agis enim summi documenta Pontificis, dum & prædicanda facis, & ea insinuare non differs. Prærogatiua igitur de nostri sumpsimus electione iudicij, quando id operatum te esse didicimus, quod ceteris agendum obnixiùs imperamus: vt in Prouinciis tanta longinquitate disiunctis, & Apostolicæ Sedis vigorem, & Patrum regulis studeas adhibere custodiam. Vices itaque nostras per omne Regnum dilecti & spiritualis filij nostri CHLVDOVVICI, quem nuper adminiculante superna gratiâ plurimis, & Apostolorum temporibus æquiparandis signorum miracula prædicationem salutiferam comitantibus, ad fidem cum gente integra conuertisti, & sacri dono baptismatis consecrasti, saluis priuilegiis quæ Metropolitanis decreuit antiquitas, præsenti auctoritate committimus: augentes studij huius participatione ministerij dignitatem, releuantes nostras eiusdem remedio dispensationis excubias. Et licèt de singulis non indigeas edoceri, à quo iam prabauimus acutiùs vniuersa seruari, gratius tamen esse solet, si ituris trames ostenditur, & laboraturis iniuncti operis forma monstratur. Paternas igitur regulas & decreta sanctissimis diffinita Conciliis ab omnibus seruanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam fraternæ monitu exhortationis ostendimus. His ea quanta dignum est reuerentiâ custoditis, nullum relinquit culpæ locum sanctæ obseruationis obstaculum. Ibi fas nefásque præscriptum est, ibi prohibitum ad quod nullus audeat aspirare. ibi concessum quid debeat mens Deo placitura præsumere. Quotiens vniuersale poscit Religionis causâ Concilium, te cuncti fratres euocante conueniant. Et si quos eorum specialis negotij pulsat intentio, iurgia inter eos oborta compesce, discussa sacra lege determinando certamina. Quicquid autem illic pro fide & veritate constitutum, vel prouida dispensatione præceptum, vel personæ nostrę auctoritate fuerit confirmatum, totū ad scientiā nostram instructa relationis attestatione perueniat. Eo fit, vt & noster animus officij caritate dati, & tuus securitate perfruatur accepti. Deus te incolumem custodiat, frater cariss. B

Huius sancti Ormisdæ Pontificatus tempore sæpefatus Chludouuicus Rex gloriosus coronam auream cum gemmis, quæ Regnum appellari solet, beato Petro sancto Remigio suggerente direxit.-- C

POST hæc omnia mortuus est Chludouuicus Rex in pace, & sepultus est in Basilica sancti Petri Apostoli, quam ipse ac Regina sua ædificauerat. Mortuus est autem anno quinto postquàm cum Alarico Rege Gothorum pugnauit. regnauit quoque simul annis XXX. Et eodem momento, quo mortuus est Chludouuicus Parisius, reuelante Spiritu sancto Remigius, cùm esset Remi, defunctum fuisse cognouit, & sibi assistentibus indicauit. His ita gestis, filius CHLODOMIRI filij Chludouuici Regis nomine CHLODOALDVS, interfectis fratribus suis, quos vnà cum eo post patris obitum Chrothildis Regina nutriebat, in Clericum se totondit. & processu temporis vitæ ac religionis suæ merito partem hereditatis à patruis Regibus obtinuit. De qua Duziacum villam in pago Mosomagensi cum appendiciis suis sancto Remigio ac Remensi Ecclesiæ tradidit. & villam Ruilliacum in pago Biturico sancto Dionysio delegauit. Villam verò Nouientum in pago Parisiaco, cum omnibus ad se pertinentibus, matri Ecclesiæ Parisius ciuitatis, vbi Presbyter extitit ordinatus, donauit. In qua villa plenus virtutibus migrans ad Dominum, in Ecclesia, quam ipse ædificauerat, corpore fuit in pace sepultus.

Ex Vita Ms. sancti Maximini Confessoris.

GENTEM FRANCORVM fuisse bellicosissimam, & Regibus floruisse strenuis, & antiquis probatur historiis, & ampliatione terminorum. Quæ se per diuinum adiutorium longè latéque porrigens, & diuinum beneficium eis impertitum, & eius gentis manifestè testatur fortitudinem. Porrò, vt dixi, cùm Regibus floruerit clarissimis, CHLODOVEVS inter ceteros emicuit, nulli priorum secundus, vtpote quem ornabat virtus inuicta: sed ideò inuicta, quia erat ei mens Deo deuota. Et idcirco magis ornabatur & firmabatur diuinis viribus, quàm victoriis carnalibus. Sed cùm auspicia eius regni multimodis vrgerentur incursibus, sicut se habent multorum voluntates, quæ cupidæ sunt mutationum, & nouellis rebus antequam conualescant, inferre nituntur perniciem vel difficultatem: plurimi tales in Regno eius reperti sunt, talium cupidi rerum. Inter ceteros verò ciues VIRIDVNENSIS oppidi defectionem atque perduellionem contra eum dicuntur meditati. Sed idem præfatus Rex ratus non esse in talibus rebus procrastinandum, viribus vndequaque coactis, cum valida manu militari ad eandem vrbem venit iniuriæ gratiâ vlciscendæ. Cuius muros corona militum obambit, aggeres struit, aspera complanat, & quæque essent vrbi capiendæ commoda ordinat. Portis custodias ammouet, & ne quis tutò exeat, magno studiosóque conamine prouidet. Quo in tempo-
B re Episcopus eiusdem ciuitatis [nomine FIRMINVS*] diem clausit vltimum. Obsessi verò cùm, vt dixi, clausi tenerentur, viribúsque diffiderent, sed & murorum firmitas arietibus, atque aliis machinis iam cedere videretur, & mortuo Episcopo nullus putaretur aptus reperiri, qui preces populi conuenienter allegaret coram Principe irâ feruente: omnes in vnam coiere sententiam, vt sanctum virum EVSPICIVM nomine, qui in eadem vrbe sub titulo Presbyteratus degebat, clarissimúsque virtutum titulis florebat, ad Principem miserorum ciuium postulationem, lacrimásque depositurum mitterent. Vir autem Deo ac misericordiâ plenus, suorum ciuium postulata non renuens, sed in eo confidens qui discipulis suis præcepit, dicens: *Cùm steteritis ante Reges & Principes, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* ad Principem, vt petebatur, ire disposuit, & calamitatem, quæ iam iámque suis imminebat, Domino propellendam commendauit, simúlque vt ipse in ore eius esset suppliciter exorauit. neque spes eum fefellit.

* *Sic vocatur in vita S. Euspicij Ms.*

HIS Rex exauditis, & vi dictorum grauitatéque perspecta, cœpit eius rigor animi mansuefieri, & amaritudo fellis dulcorari. Denique tactus diuino monitu Rex adeò est affectus, vt postulationi eius libentissimè annueret, & impunitatem quamuis nocentissimis contribueret. Igitur viro beatissimo ordinan-
C te, & Regis manum tenente, repagula portarum vrbis reduci iussa sunt, & portæ aperiri. Sed & Clerus præcedere ordinatus est, Regem cum laudibus & Deo dignis cantilenis suscepturus: per quæ & Principi dignum sedulitatis suæ monstraret obsequium, & liberationis propriæ Domino offerret tripudium. Itaque Rex postquam ira refrigerata per famulum eius se sensit ab immani ereptum piaculo, gratias in Ecclesia Deo reddidit: & ciuibus principali indulgentia datâ, ad curanda iuxta morem epulis regalibus corpora sese conuertit. Quibus biduò indulgens, & recreatum exercitum post laborem itidem ad alia paria negocia curanda ducere volens, tertia demum die sanctum EVSPICIVM suis aspectibus euocari voluit, & vt vrbi, cuius subuentor fuerat, quámque ab imminenti excidio eripuerat, Episcopali dignitate & honore præesset ammonuit, & ammonendo petiuit. At verò sanctus ille diuinæ institutionis non immemor, qua præcipitur. *Quanto magnus es humilia te in omnibus, & coram Domino inuenies gratiam,* oblatum honorem, vel potiùs onus Sacerdotij, humiliter recusauit. Cúmque Rex hoc ab eo obtinere nequisset, vt Pontifex scilicet crearetur, iussit vt sibi comes fieret, quousque ad Aurelianensem vrbem deueniret.

IAM ergo in crastinum discessurus, cùm inter gaudia regalia à beato & præfato viro, ne id sibi molestum esset, multimodis precibus obtinere niteretur,

CHLODOVEVS I. & ad consensum eius se peruenisse gauderet; id ab eo muneris reciproci exa- A
ctum est, quatenus Regis præcepto MAXIMINVS nepos eius consors illius fieret itineris, & baculus senectutis. Videbat námque in eo ingenitam bonitatis docilitatem, & à puero innocentiæ puritatem, & crescentia virtutis insignia per dies incrementa. Rex verò libentissimè petitioni eius assensum præbuit. Quid plura? Cùm ab oppido Viridunensi pedes extulisset, & res regno suo dignas per loca opportuna & ciuitates ordinauisset, ad AVRELIANORVM vrbem peruenit, comitatui eius adhærentibus prædictis viris. In qua vrbe dum aliquantisper remoraretur, quadam die dum more Regibus solito alacritate vltra solitum vtitur, motus instinctu diuino, sanctum senem EVSPICIVM, eiúsque tam virtute quàm sanguine proximum aduocari iussit Maximinum. Cui & dixit: » Nostræ quidem fuerat voluntatis, & vt putaueramus » Ecclesiæ vtilitatis, vt te doctore & duce frueretur ciuitas & populus tibi san- » guine socialis. Sed quia suggerente animo nostro vsque ad hæc te traximus lo- » ca, forsitan voluntate operante diuina, optamus te in his partibus locum ali- » quem eligere, in quo & tuæ voluntati, & vtilitati satisfiat, & per vos futura » ætas prouectum vtilitatis percipiat. quatenus & vobis in hac re certantibus » merces adcrescat, & nobis fautrix diuinitas existat. Sed & vobis successuri » emolumentum capiant salutare, nostrúmque teneant continuum memoriale. » Vestrum est ergo istud prouidere, nostrum verò erit prouisa ordinare. Qua in- B
dulgentiâ viri sancti percepta, diligentissimè inuestigare cœperunt, qui locus eorum voti esset commodus. scilicet vbi secreti compotes fierent, & menti semper amica silentia adipisci possent. Sed cùm quod quærebant, diuinitate fautrice reperissent, & à Rege super hac re sciscitati essent, sanctus Euspicius, qui sciret imminere sibi diem vocationis extremæ, non suo nomini tantum munus adscribi, sed sub titulo nepotis sui beati MAXIMINI voluit confir- » mari, dicens: Quia ætas mihi emensa non multos promittit annos, & famuli » vestri nepotis mei Maximini industria, animi quoque deuotio meliora de se » sperare suadet, peto vt agrum MICIACENSEM ei liberalitas vestra conce- » dat, paruulámque possessionem quæ vocatur Cambiacus, simúlque aliam quæ » vocatur Litimiacus. Quatenus dum supersumus, Deo nobis vacare ibi li- » ceat, cum his qui nostræ iungi voluerint societati, adiuuante nos atque fauen- » te huius vrbis Præsule EVSEBIO. Nam ibidem Rege consistente isdem Eusebius loco præcedentis substitutus fuerat Episcopus.

HIS auditis, Rex libentissimè annuit, & petitis venerabilis viri assensum præbere iudicauit. Ideóque accitis Commentariensibus & Notariis publicis, solemnes ordinatæ atque conscriptæ, vel confirmatæ sunt conscriptiones, adhibitis signis atque sigillis sub nomine beati MAXIMINI: vt in eodem agro Miciacensi, vbi veteres parietinæ structuram tantummodò priscam præferebant, C
noua famulorum Christi vsibus reparare liceret habitacula, & in eis famulis Dei absque vllo liceret Domino famulari incommodo. Isdem namque fundus, qui eis adtributus est, Miciacensis scilicet, adeò est sancto Ordini monachico congruus, vt specialiter, si dici potest, ad hoc videatur à Deo dispositus. Nam hinc inde dum fluuiis alluitur, & seruis Dei præbet secretum habitaculum, & importunis quibusque sese ingerere cupientibus arcet accessum. Porro intra sinus sui spacium insula ipsa maioris est bonitatis & fertilitatis, quàm magnitudinis. Est enim ferax tritici, vinum abundans atque præcipuum reddens. Hortorum varietas quid ibi venustatis, quid conferat vtilitatis, quis explicet? Porrò nemora tam agrestia, quàm insitiua, multam eidem loco augmentant pulchritudinem. Et vt dotes eius sub vno comprehendam, omnigenum est altrix matérque bonorum. Cui & ad cumulum delectationis & gratiæ plurimum conferunt naues à mari commercia marina portantes. His ita peractis, Rex CHLODOVEVS eosdem venerabiles viros supradictos Præsuli EVSEBIO cum prædiis suprà memoratis commendauit, vt eius iuuamine tuerentur: quo & locus supra scriptus ad cupitum præpararetur officium, & ab eodem sancto viro & Episcopo ad id peragendum acciperent emolumentum. Ipse autem Rex, vt se habet negocium Regni administrandi, ad alia curanda se vertit, vrbémque reliquit.

A

Ex Vita Ms. sancti Arnulphi Episcopi & Confessoris.

BEATISSIMVS ARNVLPHVS nobilissimis Francorum parentibus ortus est & genitus. Pater eius nomine Quiriacus primò gentilis, post fidei dono claruit insignis. Mater verò cognomine Quintiana simili modo diabolica fraude irretita, postremò diuinæ cognitionis suscepit sacramenta. Ea tempestate sanctus Remigius diuini verbi agricola studiosissimus, vicem agebat commissi Pontificatus. Itaque cùm comperisset hos, de quibus sermo habetur, variis superstitionibus impediri, omnem adhibuit diligentiam, quo eorum animos ad eum, qui est vita, veritas, & via, conuerteret. Quorum siquidem mentes spiritalibus disciplinis quotidie excolebat. Quid plura? vterque credidit, & baptismi gratiam adeptus est. Mutatis verò gentilitatis nominibus, ille Rogatianus, ista dicta est per congruam sui nominis etymologiam Eufrasia. Antequam baptizarentur, erant ambo steriles, & amore sobolis coartabantur per singulos dies. Vnde factum est, quòd omnia quæ in villa REITESTE nomine habere videbantur, sancto Remigio tradiderunt: vt eius meritis sibi filius condonaretur. Nec multò pòst susceperunt filium, cui ab antiqua Senatorum prosapia nomen imposuerunt ARNVLPHVM. Quem cùm baptizari fecisset sanctus Remigius, ipse pater acceptionis eius est in baptismate factus. Baptizatum verò genitrici
B nutriendum dedit, ac post triennium sibi reexhibitum disciplinis liberalibus imbuendum tradidit.-- :.

PROCESSV verò temporis, cùm iam in robur virilis venisset ætatis, diuinitus accidit, quòd CHLODOVEVS Rex eatenus gentilis, Christianitatis legem suscepit. Quem cum omni Francorum exercitu sanctus Remigius baptizauit, & baptizato sanctum ARNVLPHVM prece qua potuit commendauit, ac vt plurimùm coleret suppliciter obsecrauit. Qui in tanta apud eum habitus est honoris reuerentiâ, vt inter suos Domesticos præcipuam meruisset familiaritatis gratiam. Hinc actum est, vt neptem suam nomine SCARIBERDAM traderet loco sponsæ & coniugis, cum Comitatu Remensi, & honore frequenti.-- :.

Ex Vita Ms. sancti Melanij Episcopi & Confessoris.

SANCTVS Dei Sacerdos MELANIVS Rhedonensis Episcopus fuit admirandæ sanctitatis, de parochia Venetensi, ex nobilissimis parentibus oriundus. Qui in fundo, qui Platio vocatur, nutritus, quamuis emineret nobilitate generis, supereminebat tamen nobilitate fidei: quantóque dignitate seculi inter suos elatus, tantò diuinorum munerum gratiâ erat præcipuus.-- :.

HIS & huiusmodi virtutibus pollens, CHLODOVEO Regi Francorum fit
C cognitus, & eius præcipuus efficitur Consiliarius. Eius quippe consilio multas à fundamentis construxit Ecclesias, dirutásque restaurauit, & Monasteria quædam decentissimè fabricauit. Pauperes quoque eius consilio abundantissimè sustentans, Dei seruos, cuiuscumque fuissent ordinis condigna reuerentiâ honorabat. Iustitiam per populos ipsius monitis exercebat, cultúmque diuinum pro posse amplificabat.

DENIQVE reperitur, quòd idem Rex in Aurelianensi ciuitate congregauit Synodum triginta duorum Episcoporum, quorum omnium in refellendis hereticorum obiectionibus, atque in constituendis Catholicæ fidei sanissimis sententiis, sicut in præfatione eiusdem Concilij habetur insertum, sanctus Melanius Rhedonensis Episcopus velut quidam strenuus signifer enituit.-- :.

A

DE CHIDEBERTO I. CHLODOVEI FILIO.

Ex Vita Ms. sancti Auiti Confessoris atque Abbatis Miciacensis Monasterij.

ACCIDIT autem CHILDEBERTVM Francorum Principem congregato exercitu ad obtinendum properare Hispaniæ Regnum. Audita igitur beati AVITI, (cuius corpus ex decreto viri nobilitate pollentis ac maximi iure imperij præpotentis nomine ELEVSII, post obitum eius Aurelianis delatum, & sepulturæ traditum fuerat) virtutum fama, tota mentis deuotione pollicitat, vt si ab eisdem partibus eius intercessione rediret prosperè, Ecclesiæ suæ adcresceret statum. Quem peracto petitionis desiderio, ex voluntate Domini, ac merito serui, non multò post triumphantem sua recepit regio. Non immemor siquidem promissionis suæ, quod spoponderat opere compleuit. Huius verò ædificationis curæ quemdam suorum præfecit Procerum vocabulo VVADDONEM, quem ob laborem credimus præmij participem. Quo in loco multarum B gesta clarebant virtutum, quoniam omnibus pro qualitate infirmitatum conferebatur sanitatis præmium. Ex tanta denique cœlestis operatione mysterij Aurelianorum lætatur congregatio, quia beati Aniani operibus in virtute miraculorum socium adepta est beatum Auitum. -- :.

Ex Vita Ms. sancti Eusicij Confessoris.

HIS verò diebus CHILDEBERTVS Rex Francorum moto exercitu suo ad debellandam Hispaniæ terram, propter ALMARICVM, qui sororem Regis sibi coniugem impiè tractabat, de Franciæ finibus est egressus. Erat cum Rege nobilissimus vir quidam ex eius genere VVLFINVS nomine, moribus honestus, fide præclarus, qui vitæ sanctitate atque iustitia omnes alios præcellebat. Igitur dum transiret cum exercitu suo Rex sapiens CHILDEBERTVS, à beato Deodato cæterisque Dei cultoribus talem Dei famulum hîc [nempe in Bituricensi pago] habitare didicit. De eius quoque actibus diligenter edoctus, iter suum reuertendo decreuit dirigi ad virum Dei, si sibi reditum conferret prosperum virtus Dei. Et vt pro se suisque ad omnipotentem Deum interueniret, inclitus Rex delegauit ei. si quid etiam de euentu eius sentiret, per internuncios suos mandare sibimet dignaretur. EVSICIVS ergo mandatum regale suscipiens, vt verus propheta, Regis conflictus cum Almarico prosperos vaticinauit futuros. Audiens igitur Rex viri Dei salubre responsum, quemadmodum decreuerat, in breui pergit iter suum. C Tunc quoque Deo auxiliante hoste deuicto, Rex piissimus Galliæ Regnum volens reuisere, dum redit ad propria, per hominem Dei venire festinat. Cùm autem deuenisset Rex ad Sanctum Dei, pacis osculum dare non distulit: intimans benè omnia contigisse, sicut ei mandauerat. Ideóque cum gratiarum actione de sua partem substantia beato Eusicio, scilicet nummorum libras circiter XV. spontanea voluntate largiri præcepit, quibus CELLVLÆ suæ dignas apparet officinas: & quicquid plus peteret, libentiùs sibi dari iuberet. Quod cùm audisset fidelis seruus & prudens, circumquaque respiciens, cernit ligatos quos regalis exercitus ducebat captiuos, more canum binos & binos insimul copulatos. Horum miseriei compassionem intra se suscipiens misericordissimus Pater, supplici prece petit à Rege quos Dei voluntas illi permiserat triumphali palma superare, captiuos scilicet, quos vinctos minabant satellites. Cuius petitioni benigno fauore Rex assentiens, iubet captiuos perquiri, & sine contradictione reddi. -- :.

Reuerso igitur Rege cum exercitu suo in Galliarum partibus, vnicuique decreuit secundum acceptationem personæ seruicium quod fecerat remunerare. Igitur VVLFINVS eiusdem generis vir nobilissimus, inter cæteros moribus ac

A honestate præcipuus, remunerationis suæ præmium, sicut & ceteri, præstolabatur. Sed quia celebre beati viri cognouerat nomen, nihil petit sibi dari nisi super Chari fluuium quem Rex habebat honorem. Tunc quoque mente pura Rex illi concessit totum, quicquid ab eo postulabat. Mox indè reuersus, ad virum Dei venit festinus, ac eius se condonans voluntati, plura de his quæ à Rege beneficiis impetrauerat, eidem venerabili viro, vt indè viuere possent qui Dei seruicium inibi peragerent, largiri corde tenus ordinauit. Ipsi verò viro Dei EVSICIO Monasterium, in quo primùm se fecit Monachum, subiugauit, quia regalis auctoritatis teste priuilegio commendabat. Atque de membro facto capite, obtinuit cuncta geminis Ecclesiis pertinentia principalibus, quæ nominatur Patriciacus vna: altera modicum distans ab ea quæ Monasterium nuncupatur. Necnon & aliæ villulæ multæ, quæ sub iure capitalis Ecclesiæ mouebant, sub nomine beati viri præfatæ CELLVLÆ obedientiam præferentes, vsibus suis computantur. Vnde fratres, qui in suo regimine siti fuerunt, prout facultas competebat, necessaria capiebant. ⁘ CHILDEBERTVS I.

Ex Vita sancti Marculphi Abbatis.

Eo tempore, quo gloriosus & Deo amabilis CHILDEBERTVS Rex Francorum sceptra strenuè honestéque regebat; beatissimus vir MARCVLPHVS magnus & præclarus enituit moribus & actibus. Cùm enim nobilissimis, ditissimis, atque Christianissimis Baiocassinis ciuibus ortus esset, ab ipsis puerilibus annis toto nisu ingentique desiderio ad supernam cœpit patriam anhelare. ⁘ *Apud Surium Tom. III.*

B

Cùm Rex CHILDEBERTVS cum Regina VLTROGODE, multáque Procerum frequentia, quodam festo die diuini celebrationem officij in Ecclesia deuotè præstolaretur, ipse Marculphus superuenit cum duobus Fratribus Cariulpho & Domardo. ⁘ Venientem Rex officiosissimè salutat, blandéque ex eo sciscitatur, quibus ab oris eò aduenisset. Cui beatus Marculphus, Vrbis, inquit, « Baiocassinæ indigena sum, parentibus non infimis progenitus. Iussione verò di- « uina admonitus, ab illis partibus occiduis ad tuam amplitudinem & magni- « ficentiam accessi, oraturus vti fiscum vrbis Constantiensis, qui Nantus di- « citur, cum omnibus suis redditibus, non mihi, sed Christo, quo donan- « te amplas obtines possessiones temporarias, & ampliores expectas in cœlis, so- « lemni donatione largiaris. Certò enim scias Dei omnipotentis hanc esse vo- « luntatem & iussionem, vt locus iste, quem dixi, non humano deinceps, sed « diuino mancipetur dominio: vt ibi Monasterium construatur, & Fratres seuerio- « ris vitæ, qui pro tua totiúsque rei publicæ salute Christum sedulò orent, in eo col- « locentur. Hac petitione Rex impensè exhilaratus, accito Notario, iubet regale « conscribi Testamentum de donatione, quam petierat vir Dei. Eóque benè munito, cunctis suffragantibus tradidit Rex fiscum supradictum cum vniuersis eius

C

prouentibus Deo & sancto viro, eiúsque posteris perpetuò possidendum. His ita gestis, vir sanctus abeundi ad suos copiam sibi dari poposcit. Adiunxit autem ei Rex Leontium quendam è suis, qui fisci huius agros certis finibus determinaret. Reuersus igitur beatus Marculphus, cœpit locum illum excolere, conditque Monasterium, regulari institutioni aptum & accommodatum. Ac deinde rebus intus & extra prudenti dispensatione apparatis atque dispositis, non paucos, cum quibus vitam monasticam duceret, sibi Fratres adsciuit. ⁘

Aliquando piratæ ad tria millia ab inexhaustis gentis Saxonicæ scaturiginibus prorumpentes, conscensis nauibus, cursum velocem remis & velis accelerarunt, quandam Brittanniæ adiacentem insulam, quæ Agnus vocabatur, quam vir beatus cum beato Romardo ingressus erat, deprædari, & prorsus depopulari volentes. Senserunt id procul insulæ habitatores, qui non ampliùs triginta fuisse feruntur, valdéque consternati animis quid agerent, quóue se reciperent, quippe mari vndique vallati, nesciêrunt. Tandem salubri vsi consilio ad beatum Marculphum properant. Cuius sermonibus ac monitis animati, audacter corripiunt gladios, nec sua, sed præpotentis Dei nitentes dexterâ viríque beati precibus muniti, cum piratis manus conserturi fortiter illis occurrunt. Fit vtrinque atrox pugna, sed Dei virtute, beato viro impetrante, insulares omnes ma-

CHILDEBERTVS I. nent illæsi: barbari pauci quidem ferro necati, at plurimi marinis absorpti vndis, sic prorsus interiere, vt nullus superesset, qui ceterorum casum in patria renunciaret. Audiens autem eius insulæ dominus tot hostium millia beati Marculphi precibus tam præclarè superata, immensas Deo gratias egit, sanctique viri ditione dimidiam insulam deinceps deuota traditione teneri voluit. Itaque construxit illic sanctissimus Sacerdos Monasterium, adductis in illud quibusdam Fratribus, qui Domino constanter famularentur. -- ⁝ A

Cùm autem dissolutionis suæ tempus vir beatus Spiritu sancto reuelante non longè abesse prænosceret, Regem CHILDEBERTVM, priùs quàm de hac vita migraret, adire decreuit, vt prædiorum donationes Cœnobiis ab ipso constructis à multis fidelibus pro suarum salute animarum præstitæ, auctoritate regali semper essent ratæ, Cœnobiisque saluæ & inconuulsæ absque vlla posterorum calumnia permanerent. Postquàm igitur ad Compendium castrum, vbi tum Rex morabatur, peruenit, iussit Rex confici literas de prædiorum donationibus, quales vir Domini postularat, idque præsente Regina VLTROGODE, ceterisque Optimatibus, annulóque suo cunctis illis attestantibus eas voluit obsignari. Præterea verò Rex & Regina multis eum donantes muneribus, supplices rogarunt, vt Christum pro ipsorum salute deprecaretur. His ita gestis, beatus Marculphus domum reuersus est. -- ⁝ Venerabilis Constanciensis vrbis Episcopus LAVDO visitandi studio ad eum accurrit. -- ⁝

Ex Vita Ms. sancti Leonorij Episcopi, quæ in Britannia maiori scripta fuisse videtur. B

FVIT vir quidam in Britanniæ partibus nobilissimus nomine Hoeloc, & vxor eius dicebatur Almapompa. Quibus à Domino per Angelum reuelatur, quòd illis filius nasceretur, cui nomen esset LEONORIVS, & diuino iussu disciplinis traderetur. Nato autem beato Leonorio, & quinquennino facto, ducunt eum eius parentes ad Scolam, & commendant eum Helturo viro sapientissimo. -- ⁝

Diuina igitur dispositione factus Episcopus, cum LXXII. *discipulis*, exceptis aliis seruicio Fratrum deputatis, nauim ascendit, & in Galliam transiuit, vbi cum Fratribus suis siluam complanauit -- ⁝ Illo autem tempore CHILDEBERTVS Rex Franciæ imperabat, simúlque Britanniæ transmarinæ. Audita itaque sanctitatis eius famâ, orauit eum ad se venire. Qui Regis parens voluntati, assumptis Fratribus aliquantis cœpit ire. -- ⁝ CHILDEBERTVS autem Rex, coniúxque eius nomine VLTROGODIS, & Optimates Regni, obuiauerunt festiuè sancto Antistiti, & petita eius Episcopali benedictione, gaudentes eum deducunt ad Regiam. -- ⁝

Extitit igitur quidam Dux Brittanus RIGVALDVS nomine, vxorem habens & filium, Qui præuentus morte, reliquit vtrumque. Nefandissimus autem vir vocabulo COMMORVS inuasit Ducatum, & vxorem illius violenter duxit, priuato dignitate & honore filio Rigualdi nominato IVDVALO. Interim mater pueri videt in somnis, quia filius eius in vertice sederet montis porrecti. Ad quem Proceres Brittonum venientes, virgas, quas ferre manibus videbantur, procliui vultu Iudualo offerebant. Ille autem eas susceptas ocissimè surgens, antecedebat omnes, qui prosequebantur posteriori ordine dignanter ouantes. Mater euigilans, ignara quid portenderet somnium, sigillatim aperit viro suo Commoro. Continuò felle commotus, indignans grauiter, ait: Nunquid tuus filius „ in ista regnabit super me patria? Pro certo scito, repertus summo mane plecte„ tur capite, amodóque carebit Ducatu ostenso tibi. Illa hoc audito, nimium do„ lore filij perterrita, occasione reperta surgit è stratu, vocatáque puella ..... priuinno Commori, filio videlicet suo, imperat ocissimè tutelam fugiendo arripiat. Ille audito matris iussu, quantociùs surgit, & cum omni velocitate fugam iniit, ignorans cuius conamine posset tueri: cùm repentè Deo inspirante memor famæ beati Leonorij, quæ longè latéque respersa, præcipuè in parte quæ sub axe ponitur Occidentis, peruolasset, sub eius tutela Christo duce peruenit -- ⁝ No- C

A ßte autem instante parata iam naui, Iudualum cum sociis suis in eam imposuit --:·

In crastino adest festinus Commorus, grandi pompa militum circumuallatus, requirit ostendi sibi inimicum. Cui sanctus Leonorius ait: Respice illam nauim, « & vide qui in medio stat iuuenem, hic est quem tu quæris. Commorus illum vi- « dens, furiâ inuectus, palmam in faciem sancto Pontifici dedit, & habenas equi spumantis reflexit. Statim diuinitas vltrix affuit. Calcaribus itaque tondens caballi latera, dum agit celerem cursum, subitò elabitur cornipes, elisóque collo enecatus iacet. Commori denique coxa confringitur in partibus tribus. Sic Commorus ad domum euehitur propriam, diutinóque & insanabili vexatus dolore, diutiùs excruciatus expirauit. Audita itaque morte, IVDVALVS ad proprias Britanniæ reuertitur sedes. Orationibus denique sancti Leonorij adiutus, honorem paternum sine effusione sanguinis recipere meruit integrum.

Ex Vita Ms. sancti Leobini Episcopi Carnotensis.

CVM AETHERIVS Carnotensis vrbis Episcopus beati viri LEOBINI prospiciens sanctitatem, ad Diaconatus proueheret officium, & Fratribus Braiacensis Monasterij præponeret, dignum duxit, vt Præfecturæ officium com-
B modiùs ageret, si ad Presbyterij onus eum ordinabiliter sublimaret.--:·

Interea beatus Aetherius, vitæ suæ cursu consummato, migrauit ad Dominum. Cúmque de successore eius varia esset inquisitio, Rex cœli Dominus, in cuius manu cor Regum est, CHILDEBERTI Regis cor ita sua inspiratione inflexit, vt de beato Leobino Monacho Pontificem in successorem eligendo, regale daret decretum. Vniuersi itaque, qui aderant, beatum Leobinum non solùm à Rege, sed à Deo esse electum alacri corde lætantes, consono ore, & concordi voto conclamare cœperunt, eum cathedra Episcopali in successione affore dignum. In hac ergo electione cùm vniuersus assentiret populus, quod non absque liuore inuidiæ actum esse credimus, quidam Episcoporum cœperunt resistere, & contradicere eius ordinationi, eo quòd modica pars naris quondam incumbente cancri ægritudine mutilata videretur. Sed voce omnium vnanimiter conclamantium oppressa inuidiæ illatione, & penitus frustrata, vir sanctus secundum Dei dispensationem ordinandus decernitur.--:·

Dum gloriosissimus Rex CHILDEBERTVS beatum Leobinum Episcopum Rotoialo speraret ad se venturum, & in ipso itinere accederet à Vallo vico, oblatus est quidam hydropicus nimis tensus visceribus sanitati restituendus.--:·

Quodam alio tempore, dum beatus Leobinus cum MEDEVEO consacerdote à sæpedicto Rege Parisius fuisset inuitatus, & dies Paschæ vice Pontificis illius loci defuncti Episcopaliter transegisset, à parte Basilicæ beati Laurentij no-
C ctu edax ignis exiliens, domos pendulas, quæ per pontem constructæ erant, exurere cœpit; & non solùm ex vicino fluuio incessanter aqua superfusa non adquieuit, sed etiam ciuitati proximus, ciuibus vt vniuersa consumeret magnum rumorem incussit. Vt autem Rex ob clamorem populi expergefactus, sopore quietis abrupto, causam tumultus agnouit, confestim ad beatum Leobinum dirigit missum, vt celerrimè veniens succurreret ciuitati. Sed dum multis hortantibus, vt ante eum iret locum, quo magnum flagrabat incendium, ait: Viri fratres, illic « occurrendum est nobis, vnde contra flammæ globum diuinum potiùs quàm hu- « manum imploretur auxilium. Qui cùm pergeret ad Ecclesiam, & in terram pro- « stratus diuinum efflagitaret suffragium, fretus oratione, vnà cum consacerdote ad ignem properauit impiger. Mox ignis eius oratione compressus in semetipso deficit, & vires, quas incendendo ædificia assumpserat, obliuiscitur: & ita flamma eius interuentu consumitur, vt in semetipsa mortua penitus consopiretur.--:·

Quidam beatus vir nomine CALETRICVS nobilis genere, sed nobilior meritis, post excessum beati Leobini Carnotis constitutus Episcopus, dum in Presbyteri gradu se tam in conspectu Dei, quàm in oculis hominum sancta conuersatione redderet gratum, tanta infirmitatis angustiâ est correptus, vt vix vltimo palpitaret anhelitu. Cuius venerabilis germana nomine MALLEGVNDIS,

CHILDEBERTVS I. directis velociter missis ad sanctum Episcopum Leobium, vt ad leuiandum fratris sui infirmitatem benedictum dirigeret oleum: ipse verò cum oleo præsentialiter venit --:· Tunc ille æger statim vt sacræ vnctionis oleo est perunctus, tantæ sanitatis gratiæ est restitutus, vt nullius infirmitatis molestia vnquam eius membra fuissent attracta. --:· A

DE THEODORICO I. ET THEODOBERTO EIVS FILIO.

Ex Vita Ms. sancti Theoderici Abbatis Remensis.

SANCTVS vir THEODERICVS patre Marcardo, de pago Remensi, villáque Alamandorum curte oriundus, atque secus pedes beatissimi REMIGII educatus.

SVSANNA Abbatissa tunc prouidentia beati Remigij puellarum præerat congregationi in vrbe Remensi. --:·

Est siluula tribus à ciuitate distans milibus, sita in monte cui vocabulum est Or. In quo visum est venerabili semper in diuinis fulgenti Patri Remigio ædificari Cœnobium, vbi cateruam Monachorum sub beati THEODERICI regimine coadunaret Deo militantium. --:· B

Defuncto CHLODOVEO Magno Rege, quem beatissimus Remigius à ritu gentilitatis ad fidem Christi conuerterat, & ex sacro fonte baptismatis susceperat, filius eius THEODERICVS Regni gubernacula suscepit. Vir acer, & agilis animo, bello potens, & astutus ingenio. Ab orbe etiam vniuerso semper venerandus, æuo florens & miraculis coruscans sanctus Remigius adhuc Remorum regebat Ecclesiam. Huius itaque Rex expertus plurimorum relatu virtutes, pro filia rogaturus, quam vnico amore diligebat, quæque graui incommodo tenebatur, missos eidem dirigit: obnixè deprecans, vt ad eum veniret, & langore fortissimo ægrotanti cum subsidio orationis manum imponeret. Sanctus Remigius misit sanctum Theodericum, qui filiam iam mortuam, cùm peruentum esset in Palatium, resuscitauit. --:·

Rex itaque non solum discipulum, sanctum scilicet Theodericum, sed & beatum Remigium cupiens dono munificentiæ sublimare, Venderas super fluuium Maternam reuerendo Patri Remigio: Gaugiacum verò villam in pago Remensi sitam, præcepto suæ auctoritatis roboratam, sancto Theoderico contulit. --:·

Postea idem THEODERICVS Rex sanctum Theodericum remuneratus est de Germiniaco, pro salute oculi reddita: eiúsque post obitum funeri interfuit. --:· C

Ex Vita sancti Mauri Abbatis, Auctore Fausto eius discipulo.

Habetur apud Surium Tom. I. LOCVS ille, qui à beato BERTICRANNO Cenomanensi Episcopo ad construendum Cœnobium prouisus ac delegatus fuerat, non admodum aptus vel congruus regulari erat Religioni, vt nobis nostri dicebant ductores. Nam ex ipso nomine, quod Rupiacus, deformis à nobis & scabrosus æstimabatur, HARDERARDVS (Vicedominus Cenomanensis) indè certissimè comperiens, quòd DOMNVLVS Episcopus (Berticranni successor) nihil de hac re facere vellet, lætissimus effectus licentiam ab eo ad nos reuertendi petiit. Qua sibi concessa, nepotem suum strenuæ iuuentutis virum nomine HADEMARVM beato transmisit MAVRO: mandans illi, vt nullo modo mœstum gereret animum, sed quàtociùs posset cum omnibus, quos cum eo dimiserat, Andegauensem adire festinaret regionem, quò ille nobis se occurrere per nuncium designauerat. Cùm itaque tam beatus Maurus, quàm & nos omnes, qui cum eo remanseramus, alacriores tali effecti nuncio fuissemus, decimo die postquàm Aurelianis ciuitatem fueramus

THEODEBERTVS I.

A iter arripientes, tendere quò iussi fueramus summopere certabamus. Quinto tandem die ad locum, qui Restis nuncupatur, peruenientes, honorabilem virum Harderardum, & vxorem eius ac filios, aduentum nostrum iam per biduum ibi præstolantes inuenimus. Qui cùm honorificè nos recepissent, post abundantissimam, quam nobis præparauerant, refectionem, supradictus vir Harderardus cum coniuge sua CECILIA nomine secretiorem expetens locum, adscito beato Mauro, omnia illi quæ cum suo inuenerat Episcopo per ordinem nunciauit. At cùm ei diceret Maurus, Quid nobis nunc agendum, vir illustrissime, vel potius « eligendum esse decernis? Ille amabiliter, vt vir iucundissimi erat vultus, respon- « dit: Est mihi consobrinus nomine FLORVS, magnis tam in his quàm in aliis « regionibus pollens possessionibus, qui primus inter primos totius Regni Fran- « corum Proceres decentissimè omnia iussus à Rege Palatina disponit moderamina. « Hic itaque ab ineunte ætate in seculari licèt habitu constitutus, omnipotenti Deo « sollicitè placere semper studuit. Cui ex amissa coniuge, quam vt acciperet inui- « tum eum tam Rex quàm nostri coegêre parentes, vnus tantummodo superest fi- « lius. Qui si alicubi perfectos in hac Religione posset inuenire viros, in sua pro- « pria possessione, quæ ei de paterna euenit hereditate, Monasterium construere « desiderat, filiúmque suum ibidem Deo offerre cupit: ac sic demum relictis om- « nibus quæ sunt huius mundi negociis, Deo in eodem deseruire liber ex omnibus « exoptat Cœnobio. Ad hunc ergo missum nostrum directum ab eo, qui illi aduen- «
B tus nostri causam pleniter enarrare valeat, vel si in deliberatione animi sui per- « seuerat explorare. Vos tamen si placet, vsque dum aut ipse, quem ei direxerimus, « reuertatur, locum ipsum, de quo loquimur, inspicere & considerare habeamus. « Hoc beatus Maurus audiens, gaudio gauisus est magno. Et statim altera die cum « honorabili comitatu pergit ad considerandum locum.

THEODEBERTVS Rex eo tempore nobiliter Regni Francorum apicem gubernabat. Cui supradictus clarissimus vir FLORVS ita familiaris & carissimus in omnibus erat, vt quidquid in omnibus ditione facere vellet, absque alicuius contradictione permissus à Rege obtineret. Qui cùm relatu nuncij, quem ei Harderadus direxerat, tam beatum Maurum quàm & nos aduenisse cognouisset, & quia Cinomannicus Antistes nos recipere noluisset, illicò accedens ad Regem causam ei aduentus nostri pleniter enarrauit, ac voluntatem suam, quam de ædificando Cœnobio habebat, ei aperuit, petiitque ab eo vt nos eius permissu suscipere mereretur, quatenus ei Monasterium sicut desiderabat construeremus. Cui THEODEBERTVS Rex respondit, dicens: Non ita nobis hactenus « seruisti, vt aliquid tibi negare, aut contradicere possimus. Vnde perge quanto- « ciùs, & nostra comitatus gratiâ, ac roboratus auctoritate, eosdem sanctissimos « viros omni suscipe reuerentiâ: peragens cum eis desiderium, quod animo tuo « superna inspirauit dignatio. Simul & deprecare illos, vt pro nobis ac liberis no- « stris, populóque totius Regni à Deo nobis collati, ipsius assiduè exorare di- «
C gnentur misericordiam. Paratissimos etenim nos atque promptissimos in om- « ni suo inuenient obsequio, si formam Religionis huius ita ab eis obseruari com- « pererimus, sicut ~~iam fama~~ vulgante ab eorum Magistro arduè satis eam traditam « audiuimus. Tuum verò erit artifices illuc ad operandum, vbicumque eos in om- « ni nostra inueneris potestate adducere & adunare, vt opus ipsum celeriùs pos- « sit expleri. Nec nostra iuxta voluntatem & consilium tuum regia loco illi dee- « rit largitas, si aptè eum constructum, & conuenienter perspexerimus ordina- « tum.

Talibus ac tantis Regis promissionibus nobilissimus vir Florus roboratus, concitus prædium possessionis suæ, quod GLANNAFOLIVM dicebatur, aduenit. Tunc beatus Maurus ait ad illum: Obseruatio Ordinis nostri summam « deposcit quietem & securitatem. Quapropter si nobilitati generositatis tuæ vide- « tur non esse contrarium, primum omnium res, quas Deo eiúsque famulis trade- « re pro remedio, vt asseris, animæ tuæ desideras, simul perlustrantes inspicere de- « bemus. Inde verò facto Testamento, te tradente nobis coram Testibus, recipere « eas in nostram conuenit dominationem. Cui cùm assensum suum FLORVS præ- « buisset, ascensis equis, post diem tertium inspectis omnibus ad supradictum reuersi sunt locum. Tunc clarissimus vir Florus, scripto Testamento iuxta consilium

THEODOBERTVS I. beati Mauri tradidit ei omnia, & de suo iure in eius delegauit potestatem atque dominium. Obtulit etiam ipso die Domino filium suum nomine BERTVLFVM, puerulum octo scilicet annorum, nutriendum & instituendum doctrinâ & magisterio beatissimi Mauri, sicut & ipse à sanctissimo magistro suo Benedicto educatus in omni nostra fuerat obseruatione. -- :· A

Congregatis igitur plurimis artificibus & operariis, iactisque fundamentis, opus cœptum cotidie certatim accelerabant. Sed quia paruus deorsum super ripam fluminis erat locus (ex vna enim parte obiectu montis, ex altera verò alueo Ligeris angustabatur) in deuexo ipsius montis latere fabrica omnis ædificari cœpta est. Primùm ibi vnam non admodum magnam ædificauerunt orationis domum, quam beatus Maurus in honore sancti Martini Confessoris Christi consecrari fecit. In qua etiam Dei dispositione, & sua electione eum sepeliuimus -- :· Prædictus denique vir Florus, cùm in omni Regno THEODEBERTI Regis summam obtineret potestatem, ac Vicecomitis in Andegauensi eo tempore fungeretur pago, peritissimos vndique illuc conuenire fecit artifices tam lignarios quàm cementarios, quámque etiam in aliis doctos artibus. -- :·

Igitur octauo anno postquam ibidem adueneramus, Monasterium omne satis conuenienter in omni constructione consummatum, atque ab Episcopis Prouinciæ ipsius dedicatum est. Regebat per idem tempus Andegauensem Ecclesiam vir sanctissimus EVTROPIVS. Porro in ipso Monasterio Ecclesiæ quatuor ædificatæ fuerant: quarum maior, in quam Fratres tam ad diurnum quàm ad nocturnum conueniebant officium, consecrata est in honore beati Petri Apostolorum Principis: secunda, vt superiùs iam dictum est, in honore beati Martini: tertia verò, quæ & minor erat ceteris, in veneratione sancti Seuerini: quarta autem, quæ in modum turris quadrifidæ in ingressu Monasterij altissimè ædificata est, benedicta fuit in honore sancti Archangeli Michaëlis. His itaque expletis, prædictus vir Florus, non immemor promissionis quam Deo vouerat, pergens ad THEODEBERTVM Regem, licentiam ab eo expetiit, vt ei regularem liceret suscipere habitum, & peccata sua, quæ plurima in seculari contraxerat conuersatione, ieiuniis & orationibus, ceterisque spiritus fructibus redimere. Quam cùm ei Rex negare nequiuisset, tristis licèt & mœrens, pro eo quòd ab eo separari nollet, permisit illi quæ deposcebat implere. -- :· Veniens ergo ad Monasterium cum multis optimatibus ac nobilibus viris, qui eum de Palatio Regis fuerant secuti, viro Dei voluntatem Regis aperuit. Qui cùm ei respondisset, nihil loco offerre, sed potiùs in meliorationem eius ipsius ad eum aduentum, quantum ipse intelligeret, proficere: certum diem Regi Florus, quo ad Monasterium venire deberet, mandauit. Qui dum venisset, & magnificè, vt regiam decebat sublimitatē, à beato Mauro & cōgregatione eius, qui sanctissimus grex iam quadragenorum excesserat numerum, susceptus fuisset: post orationem in conuentum Fratrum pergens, regiámque dignitatem paruipendens, beato se Mauro ac Congregationi, regali indutus purpurâ, humiliter prostrauit, & vt pro illo Dominum exorare dignarentur, lacrimis perfusus precabatur. Cúmque eum vir Dei à pauimento releuasset, Rex ait ad eum: » Celebre nomen magistri nostri BENEDICTI ad nostram olim delatum fuerat no» titiam. cuius sanctitatis & virtutis opera insignia, quæ de illo audiuimus, per vos » cotidie fieri gaudio lætamur non modico. Tunc beatum Maurum petiit, vt Fratres eum recipere dignarentur in societatem, & nomen eius inter sua scribere nomina. Filiúmque suum THEODEBALDVM sancto viro ac Fratribus commendabat attentiùs, præcipiens ipsi vt semper deuotus erga illum locum esset, ac in omnibus sanctæ illi congregationi adiutor & defensor existeret. Interrogauitque virum Dei, quinam illi essent Fratres, qui cum illo venerant. Qui cùm nos digito illi designasset, in parte nos stare præcipiens intuebatur attentiùs, nomen vniuscuiusque ab eo sciscitans. Quæ cùm didicisset, osculatus est nos, deinde omnem congregationem. Videns autem BERTVLFVM adolescentem inter reliquos Fratres stantem, interrogabat quis esset. Cui beatus Maurus cùm hunc esse Mauri filium indicasset, vocans eum ad se Rex, atque ad pectus suum amplexando stringens, beato Mauro eum attentiùs amore patris eius commendare cœpit, & vt carissimè ab eo nutriretur deposcere. Vnde cùm omnia habitacula Monachorum circumiens perlustrasset, ac conuenienter constructa esse laudasset, ingressus iterum Ecclesiam B C

sancti

A sancti Petri, dedit ad ipsum locum fiscum regium, qui Boscus vocatur, cum omnibus villis & reditibus qui ad eum pertinebant. Vocánsque ANSEBALDVM, qui Scriptoribus Testamentorum regalium præerat, præcepit ei vt antequàm de ipso Monasterio egrederetur, Testamentum de eisdem scriberet rebus, ac de annulo eius regali firmaret more. Concessítque beato Mauro, vt si quid vellet ex illo die apud illum obtinere, ipsúmque ei adire placuisset, liberam haberet facultatem introeundi quocumque eum sciret. Posuit quoque super altare beati Petri pallium preciosissimum, & crucem auream cum lampadibus valde preciosis. FLORVS autem accedens ad Regem, deprecatus est illum, vt Præceptum regiæ dignitatis facere iuberet super Testamentum, quod ipse de propriis rebus, quas loco illi tradiderat, scribere rogauerat. Quod Rex libentissimè annuit. Tunc in conspectu Regis allata sunt munera non modica in argento & auro, gemmis quoque, & diuersarum vestium multiplicitate, quæ isdem vir eo die Domino & Sanctis eius obtulit. Dimisit etiam viginti ex seruis suis liberos, priùs eos ditans magnis donis. Deinde veniens ante sacrosanctum altare, adstante beato Mauro & omni congregatione, Rege quoque ex altera parte cum populi numerositate, quæ cum illo venerat, ac cingulum militiæ, quo eatenus vsus fuerat, deponens, atque super altare mittens, iubente viro Dei Rex primus post eum de coma capitis eius totundit, deinde quicumque ex Optimatibus eius voluit. Rex verò præ gaudio lacrimas effundebat, congaudens deuotioni animi eius. Vocánsque ad se nepotem ipsius Flori nomine AVDRANNVM, dedit ei per sceptrum regale, quod manu gestabat, quæ-B cumque Florus patruus eius ex regali possederat dono. -- ⁖ Vnus ex Consiliariis eiusdem Regis vir sapientissimus ABBO nomine. -- ⁖

Marginal notes: THEODEBERTVS Rex. — THEODEBERTVS.

THEODEBERTVS igitur Rex cùm XIIII. annis strenuè ac nobiliter Francorum gubernasset Regnum, THEODEBALDO filio suo sedem Regni post se dereliquit, qui iuxta patris sui imperium non minimum quoad vixit tempore tam beatum Maurum quàm nostram dilexit congregationem. Hic itaque patris sui sequens vestigia, cùm & ipse beatum Maurum ac ipsum locum aliquando venisset inuisere, contulit & ipse nihilominus ibidem, vt magnificentiæ regiæ dignum erat, testamentaria auctoritate, villas duas, quarum vna vocabatur villa Fabrensis, altera verò Vosda. Sed & hic cùm paruo tempore Regni apicem honorificè cum pace obtinuisset, immatura præuentus morte, CLOTHARIO Principatus dimisit Monarchiam. Qui Clotharius, audita famâ beati Mauri, frequenter eum ad se euocans, eius sapientissimis vtebatur consiliis. -- ⁖

PER idem tempus CLOTHARIVS Andegauis veniens, viro Dei ad Monasterium se ire velle mandauit. Cui cùm à viro Dei vt veniret remandatum fuisset, paucis secum assumptis ire perrexit. Cúmque venisset, tradidit ad ipsum locum fiscum regium, qui Blazon nuncupatur. Villam etiam, quæ Longus campus dicitur, auctoritate regia ibi delegauit. Quem etiam beatus Maurus deprecatus est, vt regali edicto firmare dignaretur, quatenus congregationi ipsius electio-C nem propriam per succedentia liceret habere tempora. Quod cùm præcepto regiæ potestatis iuxta petitionem viri Dei Rex libenter annuisset, comitatus eius benedictione profectus est. -- ⁖

Postea beatus Maurus omnem conuocans congregationem, de substituendo sibi Abbate sollicitus pertractabat. Cúmque omnis congregatio hoc in eius posuisset deliberatione, ipse Pater sanctissimus BERTVLFVM nobilissimum ac perfectissimum in omni religione virum, quem ipse sanctissimè edocuerat, ad tale onus suscipiendum idoneum esse iudicauit. Cui cùm omnis congregatio in tali electione assensum præbuisset, ipse Pater sanctissimus in loco eum sessionis suæ sedere constituit. -- ⁖ Quo defuncto, FLORIANVS vir totius religionis, filius ductoris nostri HADERARDI, qui à beato Mauro nutritus fuerat, ei in Monasterij regimine successit. -- ⁖

CLOTHARIVS I.

A

DE CLOTHARIO I.

CLODOVEI FILIO.

Ex Vita Ms. beatißimi Iuniani Confessoris & Sacerdotis, quam Boetius VVlfinus Episcopus ad Godolenum Abbatem scripsit.

IGITVR beatissimi IVNIANI natiuitatis exortus extitit in pago Pictauensi, in sibi subiecto territorio nuncupante Briossio, in prædio quodam vocabulo Campaniaco, nobilissimis ex progenitoribus originis prosapiam duxit. -- :·

Processu temporis beatissima RADEGVNDIS nobilissima, & orthodoxi gloriosissimi viri CLOTHARII coniux, ex partibus Germaniæ, transiens Ligeris fluuium, Aquitaniæ telluris accola esse cœpit. Cuius tanta meritorum prærogatiua extitit, vt toto Orbe clarior haberetur, & in pago Pictauiensium in vltimis quemadmodum terræ finibus posita, vsque in Orientem eius præclarissimæ sanctitatis lumen resplenderet. Temporibus iam prædicti Principis & gloriosissimi Clotharij Regis, cùm propter eius præclarissimæ virtutis triumphos, & animi prudentissimi dispositionem, Regnum eius vndique diffunderetur, & plurimæ B natiores dominatu illius colla subicerent, inter ceteras famosissimas & ferocissimas nationes, TORINGORVM valde nobilissimam gentem sui Imperij ditionibus fecit esse subiectam. Nam cùm contra eam arma corriperet, & viriliter dimicaret, adeptus est ex illa præclarissimos triumphos. Et cùm in prædam gentis illius populi caderent, hæc sanctissima puella Regis neptis, BRITTHARII filia, capta est. Quæ cùm conspectibus excellentissimi Regis oblata esset, statim cohæsit animo eius. Erat quippe elegantißsima, speciosa nimis, & venusta aspectu, labiis gratiosa. Hæc puerilem adhuc habens ætatem, quam inuictissimus Rex nobiliter nutrire iussit, & litteris instruere. Quas illa sagacissimè didicit, & strenuè operibus exercuit. At vbi ventum est ad puellares annos, & fieret ætate nobilis, & apta nubendi, complexibus Regis sociata est: & nuptiali obsequio peracto, carißsima coniux effecta est. Quam tanto amore dilexit, vt nihil præter illam se habere aliquoties fateretur. Sed illa beatißsima, quamuis regali fastigio sublimata, & tanti culminis regiæ dignitatis gloriam adepta, omnia pro nihilo ducebat, semper in sui pectoris antro Christum meditabatur. Illi se semper spiritalibus amplexibus sociabat, nocturnis horis denudata vestigia Basilicam quotidie perlustrabat, matutina sese agens pauperum curam gerebat. Surgens à latere Regis frequenter de cõuiuio, cum pauperibus cibum & potum sumebat. Monachorum nutrix, seruorum Dei amatrix. In tantum enim se de virtute in virtutem agebat, vt Rex iocaretur, non se Reginam coniugem, sed Monacham habere. Quæ sanctißsima non multo pòst tempore relicto regali thoro, tota se Deo & mente & corpore C consecrauit, velaminis sacri cultum arripuit, Aquitaniæ profuga venit: & ob amorem tanti viri Hilarij Pictauiensis quondam Pontificis, vt eius meritis & doctrina proficeret, incolendum Pictauis elegit. Vbi postea iubente & permittente inuictißsimo Rege CLOTHARIO Monasterium condidit, & sub Regula beati Cæsarij Pontificis Arelatensis vitam ducens, secum plurimas Deo sacratas habuit, & clementißsimè instruxit, & ad cœlestia perduxit.

Eo tempore beatißsimus IVNIANVS clausus in loco nuncupante Coloniaco vitam ducebat. Cui hæc sanctißsima tanta familiaritate cohæsit propter eius sanctitatem, vt nullum sibi tam socium, tàmque familiarem crederet. -- :· Cúmque multarum virtutum miraculis iam præclarus haberetur, cœpit crescere Monachorum numerus. Quòd cùm sibi locum perexiguum cerneret, vbi priùs initium suæ Religionis adsumpserat, transiuit in pago nuncupante Castoloco. Cúmque ibidem conaretur construere Cellulam, vbi Deo laudis hostias immolaret, & antelucanos conuentus celebraret, accidit eo tempore, iam supradicto gloriosißsimo Rege CLOTHARIO Aquitanicas partes ingredi. Cúmque venisset in Regis prædium nuncupante Gauarciaco, diffamatus vir ille apud

CLOTHARIVS I.

A Regem à seruis loci illius, dicentes quòd de illius prædio & territorio fisci aliquid eius Monachi inconsultè vsurpare niterentur, & sibi vindicare. Vnde cōmotus Rex iussit sanctissimum Sacerdotem Iunianum per quendam virum magnum nomine AVRELIVM sibi in Palatio præsentari. At ille inluster vir Aurelius paret dictis, pergit cum omni festinatione ad imperiū Regis. Cúmq; ventum esset ad locum, in quo vir religiosissimus Iunianus commorabatur, reperit eum in Oratorio more solito prostratum terræ, preces Domino fundentem. Quem paulùm dum sustinet vt ab oratione exigeretur, & sibi quod iniunctum erat expleret, tantus in eum timor repente inruit, vt nequaquam ei vt venerat commotus asperè loqui auderet. Sed cùm peracta oratione ibidem vir venerabilis post tergum conuersus videret stantem Aurelium Regis Legatum, ille statim pronus adorauit beatissimum Sacerdotem, & quid eius vellet aduentus supplicibus verbis indicauit, dicens quòd Rex sibi eum adstare iuberet, & idcirco missus esset vt eum in conspectu eius exhiberet. Quibus auditis, venerabilis Sacerdos & Monachus protinus se iturum pollicetur, & propter vtilitatem totius reipublicę, & salutem animæ illius, prompto animo proficisci se velle. Qui conuersus in Cellulam, sumptis secum duobus Monachis, virgam manu gestans. Nam hoc ei semper consuetudinis erat, vt baculum manu ferret, & imbecillitatem corporis eius adminiculo sustentaret. Cúmque pergerent pariter, & pedibus iter conficerent, ventum est ad Regis Palatium. Vbi cùm aliquid moræ facerent propter regaliū fasces, & pōpam regiæ Celsitudinis, ad fores B Palatij resedit. Interea ductor illius iam prædictus Aurelius ingrediens Palatium, Regis auribus innotuit, Iunianum Monachum adesse, & ad ianuam Palatij residere. Tunc Rex præcelso in solio residens, iussit eum sibimet præsentari. Cúmque introductus esset baculum manu gestans, quem semper ferre consueuerat, & ob fastum Regiæ Celsitudinis nullus ex sociis eius ingrederetur nisi ipse solus: vt adpropinquauit solio Regis, vt est consuetudo Monachorum, pronus Regem adorauit, baculum retrorsum relinquens erectum, vt manu gestauerat. Cúmque Rex eum surgere iussisset, & ad eius imperium ille surrexisset, cœpit Rex cum illo loquente ex multis & variis sermocinando de rebus eum interrogare. Sed cùm pariter loquerentur, intuens Rex baculum stantem, non terræ fixum, sed supra pauimenti testudinem erectum, nullius manu adtactum stantem, valde admiratus est, & tanto terrore perculsus, vt etiam genua illius conliderentur. Vnde compulsus, Proceres quosque Palatij vocauit, indicans illis miraculum, & manu porrecta ostendit, dicens eis: Verè hic homo sanctus est, & verè Dei cultor, & Christianæ Religionis maximus institutor. Ex quo etenim mecum cœpit loqui, virgam quam manu tenebat post tergum erectam relinquens, quia nemo qui eam adprehenderet adfuit, ecce erecta vt fuerat ab eo dimissa perseuerat. Quod omnes pariter admirantes, omnibus stuporem mentis & admirationem incussit. Et ita ab omnibus deinceps venerabatur, ac si in pectore ipsius Christum Dominum & saluatorem nostrum cernerent. C Post multam conlocutionem gloriosissimus Rex interrogauit eum, quid operis haberet, quæ vita, aut cuius Religionis esset. Cui ille dulcissimo alloquio respondit, se sub monastico Ordine vitam degere, & Monachis prælatum, & beatissimi Benedicti instituta seruari, regularem eius vitam in omnibus obseruari: nisi quòd propter angustiam loci non eam plenissimè custodire cum suis valeret, nec se habere vbi exercitium operis fieret secundum Regulam iam supradicti Benedicti Patris. Quibus auditis, Rex statim adiunxit, & ait: Si ex prædio fisci nostri aliquid vobis vicinum est, & loci opportunitate congruum, quantum tuæ sanctitati placet, & tibi tuisque sufficere possit, tam in exercitio operis, quàm etiam in pascua iumentorum & pecorum necessarium, concedimus tuæ sanctitati, ad vsus videlicet seruorum Dei & Monachorum tibi cohærentium.

Post hæc Rex surgens à solio, flexo genu adorauit sanctissimum virum, & vt eum manibus susciperet, & in sacrificiis suis orationibus commendabilem Deo faceret, & pro se, suáque domo, pro statu Regni, & totius reipublicæ vtilitate Dominum exoraret, deprecatus est. Et vt cellulas construeret, Monachos congregaret, & Deo animas lucraretur, ammonuit: & quæ sibi necessaria essent poscere, omnia se cum deuotione præbere pollicitus est. Tunc vale faciens, eumdem virum, qui eum sibi adstare fecerat, remisit: & vt de prædio fisci quantum illi visum erat opportunum acciperet, eo videlicet

CLOTHARIVS I. consignante AVRELIO, qui eius ductor fuerat ad Palatium. Vbi repertus est locus valdè ad construendum Monasterium aptus nomine Mariacus *. Quo in loco diuina suffragante clementiâ Cellulam à fundamentis construxit, & Monasterium ædificauit, vbi & congregationem Monachorum instituit, & sub beatissimi Benedicti Regula perfectè viuere fecit. A

*fort. Marnacus.

Ex Vita Ms. sancti Constantiani Abbatis.

REGENTIBVS atque tenentibus CHILDEBERTO ac CLOTHARIO fratre eius Monarchiam Regni Francorum, & feruente Christi cultus augmento, quidam sancti viri desiderio diuino accensi, reliquentes.... parentes, prædia, & omnia, atque propria deserentes: Monasteria artiorémque quærentes vitam, venerunt in pagum Cenomannicum. Inter quos fuerunt sanctus Auitus, atque sanctus Carilepphus. Quidam autem & eis coniuncti venerunt in prædictum pagum Cenomannicum, id est sanctus CONSTANTIANVS, &.... rambaldus, de aliis locis, cum quibusdam sociis, & reliquis subditis, ac discipulis eorum.-- ⁖

Tempore ergo CHILDEBERTI & CLOTHARII Regum Francorum Cenomannicum adeuntes Ducatum, à sancto INNOCENTE Episcopo benignè suscepti, ac Sacerdotes Domino dicati, & ab eo sunt ad prædicandum directi. Dedit itaque sanctus Innocens sancto Constantiano vicum HEBRON, de cuius videlicet Sedis Ecclesiæ iure erat. Ad præfatum nẽpe vicum Hebron sanctæ Cenomannicæ matris Ecclesiæ titulatus, ac Presbyter ordinatus fuit iamdictus Constantianus à memorato sancto Innocente Episcopo, illúcque ad prædicandum ab eo directus. Cùm enim vicum, quem sanctus ex.... Constãtianus à sæpedicto Episcopo, quo aliquam Cellulam ad animas Deo lucrandas construeret, atque in ea quosdam monachico ordine edoctos congregaret, nutu Dei antedicti Episcopi fretus auxilio facere meruit. Erat enim tunc consuetudo, quæ hactenus apud nos seruatur, vt in omnibus vicis Fratres congregati in vnum communem vitam ducerent, & omnia in commune haberent. Quam vitam iamdictus Episcopus semper erigens & releuans, tales quærebat viros, qui hanc condignè ducerent. Sed supradictus sanctus Constantianus ac socij eius, non solùm communem vitam, sed & regularem ac pauperem ducere cupiebant, atque labore manuum suarum viuere satagebant.-- ⁖ B

CLOTHARIVM denique Regem persequentem CHRAMNVM filium suum suscipere meruit, & caritatem ibidem facere, atque ieiunium soluere persuasit. A quo tam ex rebus fisci, quàm ex aliis bonis atque muneribus ditatus est, ad construendum & immeliorandum eundem locum. Ipse verò benedicens memoratum Clotharium Regem Francorum, prophetauit ei victoriam super emulos suos, insuper & filium suum habere. Quod & nutu Dei, meritis, vt credimus, ipsius factum esse, haud dubium, &c. C

Ex Vita Ms. sancti Licinij Andecauorum Episcopi, quæ Daniele quodam eius discipulo narrante scripta fuit.

BEATISSIMVS igitur LICINIVS Episcopus prosapiâ Regum gentis Francorum, vtilis satis, nobilísque, atque ditissimus in rebus seculi fuit, nobilior quoque atque sublimior in disciplina & fide Christi permansit.-- ⁖ Cúmque iam pleniter edoctus ad roboratam peruenisset ætatem, protinus pater eius commendauit eum CLOTHARIO Regi Francorum, cuius & consanguineus proximus erat. Nam & pater prædicti sancti Licinij Satrapa antedicti Clotharij Regis erat, atque inter proximos eius superiorem locum tenebat. Erat enim memoratus sanctus Licinius adolescens sapiens, aspectu amabilis, colloquio affabilis, recta conuersatione & sancta fide, tam cum ipso Rege, quàm & cum omni domo eius gradiens: ita vt cum omnibus bonis fieret conformis, malis verò & indisciplinatis informis. Erat etiam formâ præcipuus, fortis, & velox, agilis, & multum sapiens, & dulcis: castitate verò, câritate, & humilitate fundatus. Cúmque prædictus Rex ita eum probatum habuisset dignum, suo in ministerio aptauit, atque Comitem sui Stabuli & omnium equorum, custodémque eorum constituit. Nam virtutem belligerandi, seu potentiam illius Domino adminiculante, qui eum suis in actibus

A custodiebat, multam habebat: præsertim cùm suo mucrone multas aduersariorum phalangas sæpissimè, Domino opem ferente, fugaret. -- ⁝ CLOTHARIVS I.

Interea verò cùm tempus adueniret, vix cogentibus amicis atque parentibus, ab inclyta & nobilissima gente puellam sibi desponsauit, vt eam tempore congruo duceret vxorem. -- ⁝ Sed postea rubore confusus, statuit in animo vt cunctam seculi militiam dimitteret, & Regi omnium Sanctorum Domino soli militaret. Quod & nutu Dei factum esse haud dubium est. Consilio autem inito, relictis omnibus, militiæ spirituali & clericali se tradidit: & domino soli vacare studuit. Nam antea Comes atque Dux Andegauensium erat, & inter primos in Palatio iamdicti Regis pollebat. -- ⁝

Cúmque in diuersorum bonorum operum studiis tam potentissimus auriga memoratus sanctus Licinius inuigilaret, interuenientibus annis contigit, vt præfata Andegauensium vrbs Præsule indigeret. Tunc copiosa multitudo virorum regionem illam habitantes, & cognoscentes præscripti sancti Licinij prudentiam, fidem, & opera, conuersationémque nobilissimam, & vitam clarissimam, consonâ voce in inuicem & in Pontificem sibi fore eligere disponebât. Optimates verò atq; viri illustrissimi, qui eo tempore Rectores Palatij videbantur, glorioso memorato CLOTHARIO Francorum Regi eius consanguineo famam beati viri innotescunt, & actus eius non silentes, testimonium perhibent dignum, tantum talémque virum Pontificem eorum fieri, atque summo fungi Sacerdotio eorum electione deberi. B Quorum petitio auxiliante Domino effectum obtinuit, libentérque impetrauerunt quod deuoti postulauerunt. Tunc omnis plebs in spiritu sancto simul paritérque accepto consilio cum Regis eiusdem imperio, adminiculante Domino, à quo olim electus erat, subrogatus est vt præesset prædictæ Ecclesiæ Andegauensi. -- ⁝

Dedit igitur prædictus sanctus Pontifex BERTIGRANNO Cenomanensium Episcopo quasdam reiculas & vineas in adiutorium ad Monasterium Apostolorum construendum, quod ipse tunc temporis in honore diuino & sanctorum Apostolorum iuxta prædictam Cenomanicam vrbem in territorio suæ Sedis Ecclesiæ construere, & deuotè tam proprij quàm & prædictæ suæ Sedis Ecclesiæ dotare atque ditare nitebatur, sicut in Testamento, quod de præfato Monasterio memoratus dominus Bertigrannus composuit, & propria manu, cum aliorum bonorum legali consensu etiam regiè atque canonicè corroborauit, hactenus habetur insertum, *&c.*

Ex breui Vita Ms. sancti Medardi Episcopi Nouiomensis, quæ in quibusdam Codicibus antiquis Fortunato Presbytero tribuitur.

PATER igitur huius nomine NECTARDVS de forti Francorum genere, non fuit infimus libertate. Mater nomine PROTAGIA Romana, absolutis claruit C seruitute natalibus. -- ⁝

Quadam vice præcelsus CLOTHARIVS Rex in procinctu Francorum mouens exercitum, cùm transisset fluuium Summam vocabulo, omnia quæ inueniebant loca prædantes, & pecora, peruenientes inter castellum, quod dicitur Nouiomacum, & Isaram fluuium, quicquid fuit vehiculorum carra vel summas * trahentium, pedes adfigentes de loco nullatenus mouerunt per triduum. Ad villam sancti Medardi, Selentiacum quæ dicitur, occurrunt viro sanctissimo. Et data oratione, discaricantes quæ tulerant, laxati pergunt itinera. -- ⁝ **. al.* sagmas.

Dei ergo piam maiestatem fusis indesinenter precibus exoremus, vt clementissimi THEODEBERTI Regis nostri felicitatem crebris successibus dilatatam, vel in externis gentibus iusto dominandi iure procul extensam, pro sua pietate longæuet, & clementissimi SIGIBERTI quondam Regis sempiternam requiem præstare dignetur. Quatinus qui templi eius (nempe sancti Medardi) spacia deuotus extendens, ad excelsa fastigij tegmina sumptuoso decore perduxit, eodem intercedente seruato culmine Regis diadematis, prætendantur sceptra regiæ potestatis, *&c.*

CLOTHARII I. A

Ex alia Vita eiusdem sancti Medardi auctiore, quæ & ipsa sub Fortunati nomine edita reperitur.

Apud Surii Tom. III. BEATISSIMVS MEDARDVS, egregiæ vir sanctitatis, patre Nectardo, matre verò Protagia genitus, apud Salentiacum hereditariam prædecessorum suorum possessionem, natus atque altus est. Est autem prædium illud Salentiacus in Episcopatu situm Viromandensi, in regione autem Nouiomensi. Qui Nouiomus cùm tunc temporis castrum seu munitio haberetur, postmodum ipsius eiusdem gloriosi Pontificis Medardi ordinatione, Pontificalis Cathedræ honore sublimatus est.-- ⁖

Rex postea CLOTARIVS exercitum mouens, Somenam violenter transiuit fluuium, & vbicumq; potuit deprædatus, adiacens omne deuastauit territorium. Cùm multa illa præda inter Nouiomum reuertebatur & Isaram. Verùm quia & Episcopium Viromandense, & quæ sub illa degebant Ecclesia deprædatus erat, diuinæ vltionis dignè & laudabiliter prædicandam non euasit sententiam. Parcens quippe Dominus & ipsi Clotario, & qui cum ipso huius erant participes criminis, equos tamen eorum, & omnia vehicula, plaustra scilicet, & alia, quibus præda euehebatur, adeò diuinitus afflixit, vt per omne triduum à loco illo nullo modo possent moueri. Perspicientes autem tantum hoc Dei miraculum, ad sanctum Dei Sacerdotem Medardum, qui tunc temporis Salentiaci remorabatur, suppliciter confugiunt, eique vnanimi deuotione quæ deprædati fuerant restituentes, cùm ab eo super commissis absolutionem suscepissent, diuino illo vinculo resoluti, læti & alacres ad propria reuersi sunt.-- ⁖ B

Verùm priusquã beatissimus Pontifex Episcopali sublimatus fuisset Cathedra, crebris & intolerabilibus Vuandalorum, Hunnorum, & aliarum gentium irruptionibus vniuersalis deuastata est Gallia. Destructis ciuitatibus, diruta Gallicana lamentabatur Ecclesia. Exectis matrum visceribus, inhumata infantium proiiciebantur corpora. Coniugibus interfectis, matronæ viduatæ remanserant, & præ nimia desolatione ad internecionem vsque indigenæ omnes penè deuenerant. Dolens itaque vir beatus ciuitatis illius Viromandensis, quam regendam susceperat, iam factam destructionem, veritúsq; iterandam paganorum irruptionem, NOVIOMVM, quem munitionem prænominauimus, sano satis consilio sedem constituit Episcopalem. Est enim regio illa fertilis & amœna, vineis & hortis abundans, multáque annonæ cultura, bellicosos generans homines, & in Ecclesiasticis officiis vtriusque sexus personas Deo generosè seruientes. Est & regio ipsa siluis circundata & paludibus, & sua ipsius habilitate cõtra hostiles non parum munita excursus. Ipse quoque inter geminos riuulos cõstitutus est Nouiomus, ab Oriente Galliola, ab Occidente Margareta circumfluitur: quos ambos tertius quidam suscipit, qui Versa nominatur. Et sic pariter confluentes, non longè à mœnibus illis in Isaram, qui magni est nominis, dilabuntur. Circumquaque ibi virent pomœria, grata ibi planities est & amœnissima, pratisque & pascuis virentibus, suis non modicum arridet habitatoribus. Est etiam locus ipse ab Oriente & Occidente rupibus adeò vallatus & riuulis, montibus quoque & vallium cuniculis, quò contra plurimam hostium incursionem à paucis commodissimè possit defendi.-- ⁖ C

CHRANNVM. CVM autem beatus hic Pontifex vitæ appropinquaret ad exitum, contigit CLOTARIVM Regem, postquam GRANVM filium suum cum vxore sua ac filiabus combusserat, à regione reuerti Britannorum. Cognita verò huius inualitudine Pontificis, ad eum visendum humiliter festinauit, eius se non diffidens contra diabolicas infestationes benedictione muniri, & intercessione apud diuinam Maiestatem reconciliari. Cùm ergo in hac regali visitatione, in conspectu eiusdem & Principum, de sepultura Pontificis tractaretur, suorum assensu filiorum, sua se in Sede sanctus ipse præordinauit sepeliendum. Cuius sententiæ obstinato Rex animo resistens, SVESSIONIS eum constituit transferendum, asserens se super corpus eius Basilicam decenter ædificaturum, & ad laudem & gloriam diuinæ Maiestatis Cœnobialem seruorum Dei Regulam ordinaturum. Cessit igitur beatissimus Pontifex regiæ dispositioni, & indefessè se suósque Domino commendans, finita oratione spiritum exhalauit.-- ⁖

Manè verò facto, cùm Episcopi, quibus interesse contigerat, suum defuncto

A celebrassent officium, inopinabilis multitudo conuenit nobilium de castellis & ciuitatibus, de agris & municipiis adiacentibus inæstimabilis accurrit conuentus: alij eius deuotè desiderantes interesse obsequiis, alij admodum lugentes patrem separari à filiis. Per medias ergo plorantium lacrimas Rex irrumpens cum Episcopis & Optimatibus, suis ipsius humeris corpus sustulit sanctissimum, Suessionis sicut ipse prædixerat efferre volens ad sepeliendum.-- ⁘ Episcopi & Optimates ad id se officij hilariter cohortantur, & onus illud leue sentientes, ex præcepto Regis apud Attipiacum villam fluuium Axonam nauigio transgrediuntur. Postmodum iter dirigentes contra eiusdem fluminis vndam, sicut Rex præordinauerat, iter ad vrbem flectunt Suessionicam. Dei & sancti Pontificis gratiâ BANDAREDVS Suessionensis Episcopus cum debita processione reuerenter occurrit, ac sanctissimum corpus prout decebat honorificè suscepit.-- ⁘ Retransmeant ex præcepto Regis prædictum flumen Axonam, perueniúntque in prædium, vbi Rex sancti Pontificis præordinauerat sepulturam.-- ⁘

Rex ad Sancti loculum non sine multa deuotione appropinquauit, & solemni facta traditione, villæ illius regalis CROICIACI, in qua Sanctus ipse sepeliendus erat, medietatem Sancto eidem perenniter habendam sigilli regalis impressione confirmauit. Contigit illicò res mirabilis, & laudabiliter recitanda. Mox enim vlnis suppositis, onus illud sanctissimum parte quidem ex altera sine vlla difficultate subleuare potuerunt: parte verò ex altera incredibilis ponderis & penitus immobile persenserunt. Ad hæc Rex iucundo satis vultu tantam Dei retractans gratiam, quàm citiùs potuit ad sanctissimi Confessoris dominium illam, quam sibi retinuerat, iussit resigillari partem residuam. Nec morâ, Dei adeò gratiâ Sanctum mox sustulêre leuiatum, vt quod eatenus desperauerant, sine vlla difficultate à paucis deportaretur ad sepulcrum.-- ⁘

Peractis celeberrimè beatissimi Dei athletæ inferiis, Rex CLOTARIVS supra venerabile Sancti corpus paruum ad tempus iussit ædificari tugurium, quousque ad faciendam inibi Ecclesiam necessaria pararet expensarum. Contracta verò vndecumque potuit non parua pecunia, sanctum illud Dei habitaculum instanter ordiri perproperabat, & plerisque negociis postpositis, ad hoc perficiendum enixiùs elaborabat. Fecissétque paruo in tempore quod beneuola conceperat mente, nisi secundum quod vnicuique imminet, rebus eum humanis intempestiuè contigisset excessisse. Cùm enim in Cotia sylua venatu exerceretur, valida, proh dolor! correptus febre, cùm ad Compendij Palatium repedasset, paruo post tempore morte præuentus, postmodum verò in Ecclesia eadem, quam iam ædificare cœperat, ante scilicet sancti Medardi altare, honorificè est sepultus. Expensas verò, quas huic præparauerat operi, secundum quod Dauid Rex filio suo Salomoni ad Templi Domini ædificationem fecerat, filio suo SIGIBERTO nomine, ad ædificationem Ecclesiæ, quam Deo vouerat, expendendas dereliquit: mandans & remandans ei, quatenus si qua ei erga patrem caritatis debitæ dilectio maneret, omni occasione seposita, sanctæ huic quam prænominauimus ædificationi, quousque honorificè compleretur, totam prorsus intentionem adhiberet. SIGEBERTVS verò, patre sepulto, in Regno confirmatus, quod à patre in hoc susceperat negocij largifluè prosecutus est. Admirabili enim diuersi generis lapidum constructione, secundum quod à patre suo susceperat, Ecclesiam illam decorauit, auro & argento, ac necessariis in officio Ecclesiastico ornamentorum varietatibus abundanter exornauit, censu & reditibus, prout regiam decebat dignitatem, affluenter & excellentissimè ditauit. Eleganter verò Ecclesia composita, vndecumque potuit elegantiores ibi sacri Ordinis ordinauit personas, quô & patris sui votum benignissimè compleret, & inibi Deo in æternum Ecclesiasticum officium ex debito pro vniuersali, sua videlicet, & patris sui, omniúmque fidelium salute, perenniter exhiberetur. Idem ipse venerabilis Rex SIGEBERTVS, cùm fratrem suum CHILPERICVM nomine, apud vrbem Tornacum obsidere disponeret, apud Victoriacum FREDEGVNDIS Reginæ versutiâ interemptus, cùm priùs eum Lambris sepelissent, ab ipso eodem fratre suo Chilperico postmodum Suessionis relatus in Ecclesia, quam decentissimè composuerat, prope patris sui tumulum decenter est sepultus.-- ⁘

Tuguriolum illud, quod corpori sancto superædificatum esse præscripsimus,

CLOTHARIVS I. tantæ virtutis, diuina disponente gratiâ, compertum est esse, vt si quis dolore A
dentium attactus, ex virgulis, quibus contextum fuerat, locum doloris tangeret, confestim omnis illa dentium infirmitas abigeretur. Quod & in Palatio Regis diuulgatum est. Quidam namque CHARIMERIS nomine, qui eo in tempore CHILDEBERTI Regis Referendarius habebatur, quia hoc eodem morbo grauissimè laborabat, ad eandem sancti Medardi Basilicam deductus est. Cúmque ianuas Ecclesiæ clausas reperisset, & eum dentium dolor magis ac magis vrgeret, de vna ianuarum fiducialiter hastulam excidit, & vbi magis infirmitas grassabatur confidentissimè quod exciderat apposuit. móxque ab eo, quem diu perpessus erat, dolore liberatus est.-- ⁖

Post aliquod verò temporis interuallum, cùm iam ipse locus multæ circumquaque haberetur venerationis, VVARINBERTVS quidam, qui sic nominabatur, post venerabilis AVTBERTI decessum regia præceptione regendum idem cœnobiale suscepit Monasterium. Quo cùm aliquot potitus esset annis, DRAVSIONEM Suessionicæ ciuitatis Episcopum vitâ contigit excedere, Sedémque illam aliquamdiu absque Rectore vacuam manere. Post eius autem lugubres inferias, vnanimi consilio Regis & ciuium, Vuarinbertum hunc, quem prædiximus, cathedræ illi Pontificali suo magis quàm Dei, vt pòst patuit, arbitrio Rectorem substituunt. Adeptus ergo regimen Episcopale, multo elaborabat studio, ne priori priuaretur dignitate. Et licèt cum difficultate non minima, obtinuit tamen quod malè quæsierat.-- ⁖ B

Erat siquidem in pago Cenomanico quoddam prædium, quod Rex SIGEBERTVS eiusdem ædificator Ecclesiæ, ad eius, quam ibi Domino aggregauerat, congregationis firmauerat dominium. Prædium illud MADVALLIS dicebatur, ex Britannica videlicet & Latina lingua nomine composito, quod BONAVALLIS, nostro scilicet & Romanæ linguæ vulgari potest interpretari eloquio. Maduallem itaque illam, id est bonam vallem, quia multis abundabat reditibus, ipse sibi Vuarinbertus ad perditionem suam vsurpauerat, & ex toto neglectis Fratribus illis, villæ illius census suis vsibus mancipabat, *&c.*

DE GVNTCHRAMNO

CLOTHARII I. FILIO.

Ex Vita sancti Austregisili Archiepiscopi Bituricensis, ab eius quodam æquali conscripta.

Apud Surium Tom. III. BEATVS AVSTREGISILVS apud vrbem Bituricensem patre Gundino natus est. Facultates ei mediocres fuêre, quæ ad vitam degendam abundè sufficerent. In pueritia litteris discendis admotus est. Sed cùm ei corporis vires accreuissent, parens eum adduxit ad GVNTRAMNVM Regem, vt ei suam nauaret operam. Itaque tempus non exiguum in eius Regis Aula exegit, prudenter se gerens in iis, quæ ex officio ei facienda incumberent. Et erat sanè Regi gratissimus, eíque manus abluenti offerebat linteum, quo eas tergeret. Quo factum est, vt eum Mapparium id temporis vocitarent.-- ⁖ C

Erat per id tempus in Palatio Regis BETELLINVS quidam, homo potens, qui per fraudem ex fisco regio quippiam sibi magna temeritate vendicarat. Cùm autem eum argueret Rex, ille per calumniam & mendacium in Austregisilum culpam conferre nitebatur. Accersitus ergo à Rege Austregisilus, & ea de re interrogatus, negauit se in culpa esse. Illis ita disceptantibus, Rex ira vehementer commotus, iussit eos duello inter se certare, vt fallax diuino iudicio demonstraretur. Iam certaminis aderat dies, & Austregisilus manè surgens, clypeum cum iaculo per pueros suos misit in agrum, vbi Rex inter se confligentes expectare consueuerat. Ipse autem ad Ædem sancti Marcelli precandi causa se conferens, pauperem obuiam habuit, cui quid daret præter trientem vnum non habuit.

A Dato triente, ingreditur in Basilicam: factáque oratione, crucis se signo muniuit, quod est armatura Dei. Deindè fretus conscientia innocentiæ suæ, & nihil hæsitans adfuturum sibi iustum Iudicem Deum, imperterritus properabat ad certaminis locum. Vbi cùm sustineret aduersarij aduentum, ecce quidam è Betellini ministris adest, nunciat Regi anhelus, & vultu lugubri, mortuum esse Betellinum. Rex tam celerem eius obitum certiùs indagare volens, sciscitatur ecquid illi acciderit. Respondit minister: Cùm Betellinus seruus tuus hesterno die ad Palatium veniret, mansit quodam loco. Die autem hodierno illucescente, equum mansuetissimum sibi iussit apparari. Quem vbi ascendit, mansit equus immotus. Betellino autem calcaribus eius latera fodiente, velocissimo cursu exiliens, ingenti impetu sese contorsit, capútque iungens pedibus, anteriores pedes sursum extulit, & eo vsque Betellinum miserandum in modum exagitauit atque concussit, donec ab alto præceps in terram rueret. Nec sic tamen contentus fuit equus, sed iunctis pedibus caput illius calcauit & protriuit: ita vt sanguis è naribus & auribus erumperet, citiúsque animam efflaret, quàm posset leuari è terra. His auditis, Rex Austregisilum ad se vocat, dicitque illi: Deus omnipotens, cuius tu opem fideliter implorasti, pugnauit pro te. Mortuus est enim Betellinus, diuina eum vltione prosequente.-- :· GVNTCHRAMNVS.

Crescebat interim in amore Dei Austregisilus, & bonis operibus quotidiana B adiiciebat incrementa, valdéque cupiebat in Clerum adscribi. sed cuius opera id à Rege impetraret, necdum compertum habebat. Erat autem apud Regem id temporis inter alios Aulæ Proceres vir præstantissimus, idémque prudentissimus, ÆTHEREVS nomine: cuius fidei arcana sua omnia Rex committere non dubitabat. Qui tunc dignus quidem Episcopatu, postea Lugduni, quæ est Galliæ nobilissima ciuitas, Episcopus ordinatus est. Is Austregisilum in primis carum habebat, eúmque rogauit Austregisilus, vt ageret apud Regem, quò eius permissu liceret ipsi in Clerum transire. Egit ille cum Rege, & Rex assensit. Acceptis indè litteris, abiit Austregisilus Autissiodorum, & à beato AVNARIO Episcopo decisa cæsarie, Clericus effectus est, & ordinatus Subdiaconus. Deindè ad memoratum Æthereum profectus est, qui iam Lugduni factus Episcopus, eum cum ingenti gaudio humanissimè accepit, Presbyterúmque & Abbatem beati Nicetij Episcopi & Confessoris ordinauit, atque in amoris testimonium & augmentum, de rebus Ecclesiæ quemdam ei locum, quem Albianum vocant, attribuit.-- :·

Tempus aderat, quo ad sublimiorem honoris gradum eum Dominus subuehere voluit. Mortuo Bituricensi Episcopo APOLLINARI, in eius locum omnium vnanimi consensu, Rege quoque annuente, suffectus est Austregisilus. Quam functionem XII. annis præclarè administrauit.-- :·

C

DE SIGEBERTO I.

CLOTHARII I. FILIO.

Ex Vita sanctæ Consortiæ Virginis.

CVM defunctis genitoribus suis (Eucherio Lucdunensi Episcopo, & Galla,) sancta CONSORTIA in sua potestate esse cœpisset, construxit Ecclesiam in agro suo, qui dicitur Mocton vicus, in honore sancti Stephani protomartyris, & Xenodochium ibi de rebus suis instituit. Quod verò superfuit pauperibus erogans, thesaurum sibi collocauit in cœlo. Familiam verò suam liberam esse constituit. His ita dispositis, ad CHLOTARIVM Regem Francorum ire perrexit, petitura ab eo, vt per iussionem eius quieta in Regno illius manere posset, & in virginitate Domino deseruire. Cúmque illa Palatio post multos viæ labores appropinquasset, Dominus per visum præfato Regi, cuius filia multo iam tempore ægrotabat, apparere dignatus est, dicens: Quare tristaris super filia tua? Ecce

SIGIBERTVS I.

vna ex famulabus meis ad te venit, cuius nomen vocatur CONSORTIA, quæ A
filiæ tuæ reddet pristinam sanitatem. Vide tamen vt libenter ei præstes quicquid
» à te petierit. Cùm ergo Rex euigilasset à somno, vocatis fidelibus cuncta quæ per
» visum audierat narrauit. Et ait: Ite, & perquirite præostensam mihi famulam
» Dei, sicubi eam fortè reperiatis, & adducite eam ad me. Quæ cùm ab eis esset
inuenta, & interrogantibus nomen suum & patriam, indicasset illi, festinato introduxerunt illam ad Regem. Quæ flebat dum duceretur, & orabat: metuens ne
concupisceretur à Rege, qui eam tam sollicitè præcepisset inquiri. Sed cùm ve-
» nisset in Palatium, surrexit Rex de solio suo, & pergens ei obuiam ait: Ora pro
» me famula Dei, & redde filiæ meæ pristinam sanitatem, sicut mihi hac nocte Do-
» minus reuelare dignatus est. Cúmque illa diceret, se nihil tale mereri, cùm talia
agere Sanctorum sit: nihilominus Rex certus de promissione Domini, cubiculum
eam fecit intrare, vbi puella febribus correpta iacebat. Compulsa igitur, positis
» genibus orauit cum lacrimis. indè consurgens, salutauit puellam, dicens: Pax te-
» cum. Cui illa, quæ iam sermonis officium visa fuerat amisisse, resumpto spiritu
» respondit: Scio quia pax mecum est, quoniam videre te merui. Statim quippe vt
» tu in Palatium introisti, me febris dimisit qua torquebar. & ecce sana effecta sum.
» Precor itaque vt benedicas mihi, & recrees me cibis tuis, quibus tu cotidie ve-
sceris. Dedit ergo ei ancilla Christi fragmen panis ordeacei, & nuces amigdalinas. Hic enim erat cotidianus cibus eius. Rex verò audiens quòd conualuisset fi-
» lia sua, velociter ad eam intrauit. Dixitque sanctæ Consortiæ: Quicquid in Re-
» gno meo à me petieris, fiet tibi. Aurum quoque vel argentum quantum volueris B
» libens tribuo. Illa autem eius genibus proluta: Obsecro, ait, domine mi Rex, vt
» ea quæ mihi promittis pauperibus eroges, mihique permittas, quod vel maxi-
» mè peto, absque vllius inquietudine in cœpto virginitatis proposito permanere:
» & quicquid in loca Deo sacrata, vel in meos famulos contuli, vel contulero, per
» vestram munificentiam ratum permaneat. Cuius petitioni Rex libenter annuens,
præstitit quæ voluerat, Epistolas per suos fideles dirigens, vt cuncti cognoscerent
quòd si quis contra eam mali aliquid moliretur, tanti Principis offensam incurreret. Si quid autem de suis agere vellet facultatibus, inconuulsum omni tempore perduraret. Et sic Dei famula remeauit ad propria.

Non post multos dies mortuo Rege CHLOTARIO, missus est vnus ex primoribus Palatij HECCA nomine à SIGEBERTO, qui patri suo in Regnum successerat, vt Prouinciam Massiliæ disponeret. Qui dum hoc ageret, quemdam ex
» loci incolis diabolus in organum suæ fraudis assumens, dixit ei: Est in his locis
» puella quædam speciosa nimis nomine Consortia, nobilibus orta parentibus, qui-
» bus vnica superest, habens possessiones multas, ac pecunias innumerabiles, & mi-
» nisteria copiosa. virúmque non nouit. Quod audiens Hecca, præmisso puero, qui
eum venturum nunciaret, concitus ad Dei famulam venit. Cúmque eam verbis
simplicibus salutasset, post collocutionem sumpserunt cibum. Inter hæc autem
intuens eam curiosiùs, admiratus eius pulcritudinem, & sermonum prudentiam, C
tantus in corde eius concupiscentiæ ignis exarsit, vt vix semetipsum posset reprimere. Nullatenus verò ei suum animum patefaciens, festinus ad Regem regressus est. Cui cùm omnia, propter quæ missus fuerat, prosperè acta renunciasset,
» adiecit: Domine mi Rex, est in illis partibus puella absque viro, quæ amissis pa-
» rentibus vnica in eorum prædiis habitat. Quam obsecro, si inueni gratiam in ocu-
» lis tuis, permittas mihi accipere in vxorem. Quod cùm sicut petierat impetrasset, misit ad sanctam Consortiam nuncium suum, cum vno de pueris qui assistebant Regi, vt indicaret illi quòd sibi esset à Rege concessa: quatenus præpararet
se ad nuptias die tricesimo celebrandas. Illa his auditis, affatim contristata respon-
» dit: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Ego Regis ancilla sum, po-
» testati eius resistere nequeo: sed quicquid iusserit implere studebo. Dicebat autem hæc de vero Rege, Domino scilicet Iesu Christo. Nuncij verò existimantes
quòd de SIGEBERTO Rege diceret, reuertentes narrauerunt quæ audierant
illi qui miserat eos. Qui gaudio multo repletus, præparauit se, vt ad eam citiùs
perueniret.

IAM aduenerat dies tertia, & ecce præcurrens quidam nunciat in vlteriore
ripa Durentiæ sponsum consistere. Egreditur ei obuiam induta festiuo habitu,

A pauperum psallentium agmine constipata. HECCA hæc videns, nauim præ gaudio incautus egreditur, sublapsisque pedibus, lanceâ, quam fortè manu tenebat, confossus, corruens expirauit. Quod cernens famula Dei, cum lacrimis agens gratias Deo, leuauit corpus eius, & inuolutum linteaminibus, in loco quem ei parauerat sepeliuit. Pueri namque eius inhumatum corpus relinquentes, ad Regem festinatò regressi, nunciauerunt quæ viderant. Erat ille dies natalis Regis, & germana eius, quam sancta Consortia ab infirmitate curauerat, circa Regem discumbens, cùm videret eum de nuncio contristari, inquirit ab eo causam. Cui cùm Rex narrasset quæ audierat, illa respondit: Puto quòd puella, pro qua, vt audio, tam subita morte Hecca interit, ipsa sit Consortia virgo sacra, quæ de prouincia Massiliensi genitore nostro viuente huc veniens, me per orationes suas febribus liberauit. Vide ergo ne propter eam fiat in Regno tuo ruina, si contra illam temerè aliquid permiseris fieri. Pater enim tuus valde diligebat eam. Cùm ergo rescisset Rex, & inuenisset quòd ipsa erat, misit Epistolas ad Principem præfatæ Prouinciæ, præcipiens vt nullus molestus esset sanctæ Consortiæ, sed liceret ei vti priuilegio, quod illi pater eius indulserat, &c. SIGEBERTVS.

Ex Vita sancti Columbani Abbatis, ab eius æquali Iona Abbate conscripta.

PERVENIT inter hæc fama beati viri COLVMBANI in Aulam SIGEBERTI Regis, qui illo tempore duobus Regnis Austrasiorum & Burgundionum inclytus apud Francos rerum potiebatur, quorum præ ceteris Galliarum populis eximium nomen habetur. Ad quem cùm vir sanctus cum suis accessisset, gratus Regi & Aulicis effectus est ob egregiæ doctrinæ copiam. Tandem Rex ab eo petiit, vt intra Galliarum terminos resideret, nec se suósque ad alios commigrandò relinqueret: quicquid voluntas ipsius exposceret, id se præstiturum affirmans.-- ⁝ *Apud Surium, Tom. VI. Cap. 6.*

Id vbi audiuit Columbanus, obtemperauit Regis persuasioni, eremúmque petiit, quæ Vosagus dicebatur, vastam sanè, in qua castrum erat olim dirutum, quod antiquitus Anagratas nuncupabant. Ad quod cùm vir sanctus per aspera vastæ solitudinis scopulosáque peruenisset loca, ibi cum suis resedit, exiguo alimento contentus.-- ⁝ Postea virtus æterna per visum admonuit Abbatem CARANTOCVM, qui Monasterio, cui Salicis nomen est, præerat, vt famulo suo Columbano in eremi vastitate degenti necessaria deferret.-- ⁝

Cùm iam multi se in eius contubernium & societatem Monachi adiunxissent, de commodiori in ea eremo inquirendo loco cogitare cœpit, vbi Monasterium construeret. Inuenit autem castrum quoddam, quod olim munitissimum fuisset, à supradicto loco distans plus minus octo milliaribus, priscis temporibus LVXOVIVM nuncupatum: vbi etiam thermæ, siue aquæ calidæ eximio opere extructæ habebantur. Multæ illic statuæ lapideæ erant, quas cultu miserabili ritúque prophano pagani quondam coluerant, execrabilibus eas ceremoniis prosequentes. At C nunc solæ illic feræ belluæ, vrsi, bubali, lupi, frequentes visebantur. Ibi ergo vir egregius Monasterium construere cœpit.-- ⁝ *Cap. 10.*

ERAT tunc temporis Dux quidam nomine VVALDELENVS, qui gentes, quæ intra Alpium septa, & Iurani saltus arua incolunt, regebat. Hic cum coniuge sua FLAVIA nomine & genere & prudentia nobili, ad beatum Columbanum ex Vesontiensi oppido pergit: precantes simul, vt pro eis Dominum deprecaretur. se multis opibus esse ditatos, sed cui hereditatem post obitum relinquerent, heredem non habere. Quibus vir sanctus: Si, inquit, voti vestri est, vt largitoris donum eius nomini consecretis, mihique ex lauacro suscipiendum tradatis, pro vobis ego Domini clementiam implorabo. Vt non solùm eum, quem Domino voueritis, habeatis, verùm etiam quanta volueritis post pignora suscipiatis. At illi læto animo promittunt se eius imperiis parituros. tantùm pro ipsis Domini misericordiam non desinat implorare. Mirum dictu! vix domi remeant, donum Creatoris aluo grauida mater futura exspectat. Editum ad virum sanctum defert, suis orationibus largitum munus demonstrat. Quem vir sanctus suis manibus receptum sacrauit, sacróque ablutum fonte ipse suscepit, DONATVMque nomen imponit, matríque ad nutriendum reddit. Qui pòst altus in eodem Monasterio, sapientiâ imbutus, Vesontionensi Pontifex præfectus, nunc vsque *Ex Cod. Ms. Cap. 14.*

CHILDEBERTVS. superest eandem Cathedram. Qui post in amorem beati Columbani, ex ipsius Regula Monasterium virorum construxit, quod Palatium nuncupant ob veterum monumenta virorum. Addiditque post eum bonitatis largitor famuli sui promissum alium filium RAMELENVM nomine. qui nobilitate & sapientiâ pollens, post patris obitum in eius honore est suffectus. Quamuis seculari habitu, tamen in creatoris amore vigil. Nam & ipse in amore beati viri in saltu Iorense super hunc Visonam fluuiolum Monasterium ex eius Regula construxit, in quo SIAGRIVM Abbatem præfecit. Addiditque adhuc duas filias pristino munere & seculo nobiles, & in Christo timore deditas. Post ista munera mater ipsorum FLAVIA post mariti obitum Monasterium puellarum in supradicta vrbe Vesontione construxit, omni munimine roborans multarum puellarum concionem adunauit. Tantum in eis viri Dei gratia flagrauit, vt omnia faleramenta præsentis vitæ contemnentes, ad omnipotentis Dei cultum anhelarent. A

DE CHILDEBERTO SIGEBERTI FILIO.

Ex Vita sancti Gaugerici Episcopi Cameracensis. B

Apud Surium Tom. IV. INTEREA diem suum obiit VEDVLPHVS Cameracensis Episcopus; exemptúsque rebus humanis ad meliora commigrauit. Igitur grex eius Pastore destitutus, spiritalis patris solatia & Ecclesiæ orbatæ rectorem expetens, diuino instinctu, comperta iam viri sancti fama, vno animo & pari voluntate tum Clerus, tum populus, à CHILDEBERTO Austrasiorum Rege, beatum GAVGERICVM sibi Episcopum ordinari postularunt. Rex confestim missis literis ad ÆGIDIVM Remensem Episcopum, voluit populi votis satisfieri, vt bonæ existimationis Leuita Christi Gaugericus Cameracensi Ecclesiæ Præsul ordinaretur. Id vbi cognouit Antistes Ægidius, cunctis acclamantibus beatum Gaugericum Episcopali honore esse dignissimum, incunctanter illum in Cameracensis Ecclesiæ Sede collocauit.-- :

DE THEODORICO II. ET THEODOBERTO II.

C

Ex Vita Ms. sancti Fidoli Confessoris.

CONTIGIT quorumdam insolentiâ, Aruernos atque Bituricos odium Regis THEODERICI, qui tunc cum fratre THEODEBERTO, simúlque auia BRVNECHILDE, Regnum Francorum strenuè gubernabat, incurrere, eandémque gentem bellorum, incendiorum, simúlque rapinarum discrimini subiacere. Præfatus enim Rex fratrem Theodebertum in auxilium euocans cum finitimis Regni sui gentibus, tanta calamitate eandem gentem attriuit, vt præclaros quosque gentis illius, & omni priùs rerum affluentiâ exuberantes, publicè mendicare compelleret, plerosque etiam stipis quærendæ gratiâ ad extraneas nationes transire perurgeret. Sed nec hoc quidem hostibus satis esse videbatur. Pueros enim quosque atque adolescentes venustioris formæ, scitisque vultibus puellas exercitus aduentitius iunctis post terga manibus secum ducens, per diuersa loca precio accepto distrahebat: nulli compatiens, nec remeare sinens. Dum ergo huiusmodi clade gens illa premeretur, & non sexui, non ætati ab hostibus parceretur, contigit venerabilem quoque FIDDOLVM capi cum ceteris, atque in

A in modum alterius Ioseph duris irretitum ligaminibus, abstractum patriâ duci à Barbaris. Necesse verò erat eos, in quorum sorte vir Domini præda factus deuenerat, per Trecorum confinia iter habere, vbi post beatum LVPVM vicem Apostolicam eo tempore administrabat CAMELIANVS, omnimoda bonorum actuũ claritate conspicuus, nonus ab AMATORE, qui primus illius ordinatus, est ciuitatis Episcopus. In huius autem vrbis territorio quidam Dei seruus AVENTINVS nomine super subditum sibi Monachorum gregem pij Patris sollicitudinem impendebat. Is verò reuelatione admonitus iubetur redeuntibus Barbaris ire obuiam, ac pro redimendo viro Dei quàm poscerent dare pecuniam.

THEODORICI II. THEODOBERTI II.

Ex Vita sancti Austregisili Archiepiscopi Bituricensis.

CVM adhuc in humanis ageret beatus AVSTREGISILVS, tanquam pastor bonus curam Ecclesiæ & plebis sibi commissæ quotidie peruigilem gerebat, atque eam à luporum faucibus seruare studebat. Accidit autem vt ex Palatio THEODORICI Regis, ipso Rege permittente, ad vrbem Bituricensem accederet GVARNERIVS homo sæuissimus, auaritiæ & turpi lucro addictus, superbiâ tumidus, ab ea vrbe pecuniam Regis nomine, quam dare non consuesset, exacturus. Permoti ciues insolito onere, omnes ad beatum Austregisilum con-

Apud Surium Tom. III.

B fugiunt: orant, vt hanc vim ab ipsis propulsare velit. Vir sanctus ad Deum se confert, diurnis atque nocturnis precibus eius aures continenter pulsat, vt populũ suum hac vexatione liberet. Iam ad vrbem aduentabat miser ille Guarnerius, & ad eum exit sanctus Episcopus, atque pro commissa sibi plebe murum se opponit: paratus etiam, si res ita postulet, Christi exemplo pro ouibus suis animam ponere. Dicit Guarnerio: Vnde venis homo improbe? Ecquid facere instituisti? Non permittat Deus, vt in hanc intres vrbẽ, & ciuium censum agas. Tum verò Guarnerius acriter cõmotus, quòd inuito Episcopo non posset Regis & suam explere voluntatem, furibundus ad Regem abit: nunciat illi, renitente Austregisilo Episcopo, quod ipse iussisset se facere non potuisse. Interea verò beato fine Austregisilus quieuit in pace, eiusque Diaconus SVLPITIVS illi successit. Redit postea Guarnerius, executurus sub Sulpitio, quod sub Austregisilo non potuerat. Sulpitius verò anxius ad Dominum confugit, ab illo consilium rei bene gerendæ petens. Erat enim vir mitis & lenis, hominisque violentiæ vt resistere posset non videbat. Deinde Guarnerium adit, orat vt qui sub ipsius decessore ab eiusmodi onere immunes fuissent, illos etiam suis temporibus pateretur solita gaudere libertate. At Guarnerius homo ferus viri Dei preces contempsit. Dixit itaque illi Sulpitius: Siquidem contra ius & fas tua eris potitus voluntate, non diu tamen impunè feres. Ille verò in vrbem ingreditur, facit vt erat iussus, omnibusque pro voto expeditis, corpore, non animo, adit sancti Austregisili Ecclesiam, tan-

C quam preces illic oblaturus. Vt vidit autem monumentum sancti viri à fidelibus Christianis auro argentóque mirificè exornatum, dixit arrogantissimè; Austregisilus aurum suum & argentum in pauperes erogare debuit, non iubere vt suum sepulcrum illo tegeretur. Non hoc ille dicebat, quòd ei curæ essent pauperes, sed instar Iudæ proditoris auaritiâ æstuabat. Pòst à sepulcro viri Dei discedens, orationis causâ altaria circumibat. Cùmque in ipsa Basilica ambularet, lignum quoddam, ad quod vela suspensa erant, ab alto ruit super caput eius. Manauit igitur sanguis per oculos & barbam, & ad terram vsque defluxit. Et miser ille clamauit voce, qua potuit: Austregisilus, dum vixit, semper in me hostili animo fuit, & iam mortuus me prope interficit. Ita infelix nec culpam agnouit suam, nec à beato viro veniam petiit: immò verò feruens malitiâ, Augustudunum ire instituit, vt eius loci Episcopum perderet. In ipso autem itinere in pago quodam, cùm omnes recubuissent, surrexit à mensa, & ad exonerandum ventrem secessit. Mox autem intestina eius & viscera omnia in cloacam deciderunt. eaque nocte vitam perdidit. Ex eo tempore nemo ausus fuit regiorum ministrorum ab vrbe Bituricensi eiusmodi pecuniam extorquere, absterrente omnes tam diro interitu illius, qui talis exactionis primus auctor fuisset.

A

THEODERICVS II. THEODEBERTVS II.

Cap. 18.

Ex Vita Ms. sancti Columbani Abbatis, ab eius æquali Ionâ Abbate conscripta.

CREVERAT iam passim fama sancti viri per vniuersas Galliæ vel Germaniæ prouincias. Erátque omnium rumore laudabilis, omnium cultu venerabilis. In tantum vt THEVDERICVS Rex, qui eo regnabat in tempore, ad eum sæpè veniret, & orationum suarum suffragia omni cum humilitate deposceret. SIGIBERTVS etenim, cuius superiùs fecimus mentionem, apud Victoriacum villam publicam, quæ in suburbano Arauiensis vrbis sita est, CHILPERICI germani sui dolo, qui apud Tornacum oppidum tunc erat, vsque internecionem interfectus est. Perempto itaque Sigiberto, CHILDEBERTVS filius eius Regni sceptra suscepit, annuente matre BRVNICHILDE. Mortuo deinde Childeberto inter adolescentiæ annos, regnauerunt filij Childeberti duo, THEVDEBERTVS, & THEVDERICVS, cum auia Brunichilde. Regno Burgundionum Theudericus potitus, Regnum Austrasiorum Theudebertus suscepit regendum. Theudericus, quia inter terminos Regni sui beatum Columbanum haberet gratulabatur. Ad quem sæpissimè cùm veniret, cœpit vir Dei eum increpare, cur concubinarum adulteriis misceretur, & non potiùs legitimi coniugij solamine frueretur: vt regalis proles ex honorabili Regina prodiret, & non potiùs ex lupanaribus videretur emergi. Cúmque iam ad viri Dei imperium Regis sermo obtemperaret, & se omnibus illicitis segregare responderet, mentem Brunichildis auiæ, secundæ vt erat Zezabelis, anguis adiit, eámque contra virum Dei stimulatam superbiæ aculeo excitat. quia cerneret viro Dei Theudericum obedire. Verebatur enim, ne si abiectis concubinis Reginam Aulæ præfecisset, dignitatis atque honoris sui modum amputasset. B

Cap. 19. Euenit ergo vt quadam die beatus Columbanus ad Brunichildem veniret. erat enim tunc apud Brocariacum villam. Cúmque illa eum in Aulam venisse cerneret, filios THEVDERICI, quos de adulterinis permixtionibus habebat, ad virum Dei adducit. Quos cùm vidisset, sciscitatus est quid sibi vellent. Cui Brunichildis ait: Regis sunt filij, tu eos tua benedictione robora. At ille: Nequaquam, inquit, istos regalia sceptra suscepturos scias, quia de lupanaribus emerserunt. Illa furens paruulos abire iubet. Parátque deinde insidias moliri vicinis Monasterij. Per nuncios imperat, vt nulli eorum exire Monasterij terminos iter pandatur: neque receptacula Monachis eius, vel quælibet subsidia tribuantur. Cernens beatus Columbanus regios animos aduersum se permotos, ad eos properat, vt suis monitis miseræ pertinaciæ intentum frangat. Erat enim tunc temporis apud Spissiam villam publicam.-- ⁖ Ad hæc rursum permota Brunichildis, Regis animum aduersus beatum Columbanum excitat, omnique conatu perturbare intendit. Hortatúrque Proceres Aulicos, Optimates omnes, vt Regis animum contra virum Dei perturbarent.- ⁖ Abactus itaque Rex ad virũ Dei Luxouium venit.-- ⁖ C Deinde discessit, relinquens virum quendam Procerem nomine BALDVLFVM. Is enim cùm remansisset, virum Dei à Monasterio pellit, & penes Vesontionense oppidum ad exulandum perducit, quoadusque regalis sententia quod voluisset decerneret.-- ⁖

Cap. 21. Post hæc vir Dei cernens quòd nullis custodiis angeretur, à nullóque molestiam ferret, ascendit Dominica die in verticem ardui cacuminis montis illius. Ita enim situs vrbis habetur, cùm domorum densitas in diffuso latere procliui montis sita sit. Prorumpunt ardua in sublimibus cacuminibus, qui vndique abscisi fluminis Douæ alueo vallante nullatenus comeantibus viam pandit. Ibi vsque ad mediam diem exspectat, si aliquis iter ad Monasterium reuertendi prohibeat. & cùm nullus contrarius existeret, ipse per mediam vrbem cum suis ad Monasterium regreditur. Quo audito, Brunichildis ac Theodoricus, quòd scilicet ab exilio reuertisset, atrocioribus iræ aculeis stimulantur. Iubéntque militum cohortem, vt rursum virum Dei vi abstrahant, & ad pristinum prorsus exilium reuocent.- ⁖ Quibus renunciantibus auribus regiis, quia illum omninò non repperissent, illi aucto furore miseræ intentionis, BERTHARIVM Comitem ad eum attentiùs perquirendum virorum cum præsidio, simúlque & BAVDVLFVM,

A quem superiùs direxerat, destinarunt. Quò cùm venissent, beatum Columbanum in Ecclesia positum, psallentem, orationique deditum cum omni congregatione Fratrum repperiunt, sicque virum Dei alloquuntur: Vir Dei, precamur vt tam regiis quàm etiam nostris obedias præceptis, egressúsque pergas eo itinere, quo primùm his aduentasti in locis.-- ⁖ Videns itaque vir Dei periculum, cum omnium eiulatu atque mœrore egreditur. Deputatis custodibus, qui, quousque ditionis suæ Regno pelleretur, non eum relinquerent, Namnetis vsque perducunt. Inter quos primus RAGAMVNDVS erat.-- ⁖ Venerabilis etiam vir, qui post in eodem Monasterio Pater extitit EVSTASIVS discipulus & minister sancti viri, violenter auellitur, intendente super eum MIETIO auunculo eius, qui Lingonicæ Ecclesiæ Pontifex erat. Egressus ergo vir sanctus cum suis vicesimo anno post incolatum heremi illius per vrbem Bisontionum Augustudunúmque ad Caualloneṁ * castrum peruenit. Deinde ad Choram fluuium properans, ad domum cuiusdam nobilis & religiosæ feminæ THEVDEMVNDÆ peruenit.-- ⁖ Exin Autissiodorum properauit, ibique alloquutus Ragamundum est, quia ipse eum viâ qua ibat duceret: Memento, inquit, ô Ragamunde, CHLOTARIVM, quem nunc spernitis, intra triennium Dominum habebitis.

THEODORICVS II. THEODOBERTVS II.

* Aualóne, in edit.

Progressus exin ab Autissiodoro, ad Niuernense oppidum venit, custodibus antecedentibus ac subsequentibus, vt Ligeris scapha reciperetur, Britannicóque sinui redderetur.-- ⁖ Cap. 23.

B Nauigantes ergo per Ligerem, ad Turonensem perueniunt vrbem. vbi vir sanctus custodes precatur, vt scapham portui appropinquent, séque ad sepulcrum beati Confessoris Martini ire sinant.-- ⁖ Egressus sanè ad sepulchrum beati Martini accedit, tota ibi nocte in oratione excubat. Illucescente verò die à LEVPARIO vrbis illius Episcopo inuitatus ad esum, ire non abnuit præsertim ob suorum requiē Fratrum, moratúsque eo die cum supradicto Pontifice. Qui cùm hora refectionis cum eo ad mensam resideret, interrogatus cur retro ad patriam repedaret, respondit: Canis me THEVDERICVS à Fratribus meis abegit. Tunc vnus è conuiuis CHRODOALDVS nomine, qui amitam Theudeberti Regis in coniugio habebat, Regi tamen Theuderico fidelis erat: hic viro Dei humili voce respondit, se melius esse lac potare quàm absinthium. Cui vir Dei: Cognosco, ait, te Regis Theuderici fœderis iura seruare velle. At ille fatetur, se fœdus fidei promisisse quamdiu viueret obseruare. Si, inquit, Regis Theuderici vinctus es fœdere, amico tuo & domino lætus eris Legatus directus. Hæc ergo eius auribus infer, Et ipsum, & suos liberos, intra triennij circulum esse delendos, radicitúsque eius stirpem Dominum eradicaturum.- ⁖ Postea verò præbens necessaria Leuparius viro Dei, vale dicit. Qui nauli itinere ouans vsque Nammetense oppidum venit.-- ⁖ Cap. 24.

Post hæc SVFFRONIVS Nammetensis vrbis Episcopus, vnà cum THEVDOADO Comite, iuxta Regis imperium beatum Columbanum naue susceptum ad Hiberniam destinare properabant.-- ⁖ Sed vir Dei moratus inibi paululum, Cap. 25. 26.

C post ad CHLOTHARIVM Chilperici Regis filium, qui in Austrasiis Francisque regnabat extrema Galliâ ad Oceanum positis, pergit. Porrò Chlotharius audierat, quantis qualibúsve iniuriis virum Dei Brunichildis ac Theudericus fatigauerant. Quem cùm vidisset, velut cœleste munus recepit. Ouánsque precatur, vt si vellet intra sui Regni terminos resideat, séque ei prout voluerit famulaturum. At ille, Nequaquam ait his in locis se consistere velle, vel ob suam peregrinationem augendum, vel illius inimicitiarum occasionem sedandam. Tenuit ergo eum Chlotharius quantis potuit penes se diebus, castigatúsque ab eo pro quibusdam erroribus, quibus vix Aula regia caret: spondet se Chlotharius iuxta eius imperium omnia emendaturum. Erat enim Chlotharius solers in amore sapientiæ. Inuentum ergo optatum munus gratificabat. Morante ergo eo penes Chlotharium, lis oritur inter THEVDEBERTVM & THEVDERICVM: disceptantibus vtrisque de Regni sui terminis. Vterque ad Chlotharium Legatos dirigunt, & vterque aduersum parem auxilium postulat. Quod Chlotharius beato Columbano insinuare procurat, consulens vt si videretur eius consilij, se vnum consentiendò contra alium dimicare. Ad quē ille prophetico repletus spiritu ait: Neutris te fore pariturum consiliis, cuam intra triennij tempus in ditionē vtrorum Regna venire. Videns Chlotharius à viro Dei talia sibi prophetico ore dici, neutri parere voluit.

THEODORICVS II. THEODEBERTVS II. sed promissum sibi tempus fideliter exspectans, postpositus est triumphus victoriæ. A

Cap. 27. Post hæc egit apud Chlotharium vir Dei, vt sibi solamen largiretur, vtque per THEVDEBERTI Regnum si valeret, ad Italiam Alpium iuga transcendens perueniret. Datis ergo comitibus, qui eum vsque ad Theudebertum perducerent, 28. itinere arrepto ad Parisius vrbem peruenit. -:· Deinde ad Meldense oppidum properat. Cui cùm quidam vir nobilis HAGNERICVS Theudeberti conuiua, vir sapiens, & consiliis Regis gratus, & nobilitatis sapientiâ vallatus inesset, is virum Dei miro gaudio recepit. séque habere curam spondit, qualiter ad Theudeberti Aulam accederet. Non esse necesse alios comites è regio latere habere. Ad hoc enim aliorum differebat subsidium, vt virum Dei secum quamdiu valeret teneret, & eius doctrina sua domus nobilitaretur. Benedixit ergo vir Dei domum eius, filiámque eius nomine BVRGVNDOFARAM, quę intra infantiæ annos erat, benedicens Domino vouit. Progressúsque deinde, venit ad villam quandam Vulciacum, quæ supra amnem Matrona sita est. Ibi receptus à quodam viro AVTHARIO nomine, cuius coniux AGIRA dicebatur. Eræntque ei duo filij infra infantiæ annos decem, quos mater ad benedicendum viro Dei obtulit. Videns ille matris fidem, infantulos sua benedictione sacrauit. qui post, mox vt pubescere cœperunt, Chlothario Regi primùm, ac deinceps DAGOBERTO gratissimi habiti. Qui postquam seculi gloriâ fuerunt illustrati, anhelare cœperunt vt per gloriam seculi non carerent æterna. Quorum maior natu ADO nomen, semet suis voluptatibus abdicauit. pôstque intra Iuranum saltum Monasterium ex beati Regula Columbani construxit. Iuniórque nomen DADO intra Briegensem saltum supra fluuiolum Resbacem ex supradicti viri Regula Monasterium construxit. -:· B

Cap. 29. Exinde ad THEODEBERTVM venit. Quem cùm Theodebertus vidisset, ouans suis recepit sedibus. -:· Dedit ergo Rex optionem, quamcumque in partem voluisset experimento quæreret locum, qui sibi & suis placuisset. Inquisiuitque locum, quem fauor omnium reddebat laudabilem, intra Germaniæ terminos, *Rheno* tamen vicinum, oppidum olim dirutum, quem Bricantia nuncupabant. -:· Quem peragrans vir Dei, non suis placere animis ait, sed tamen ob fidem in Gentibus serendam, inibi paulisper moraturum se spondet. Sunt etenim ibi vicinæ nationes SVEVORVM. Quo cùm moraretur, & inter habitatores loci illius progrederetur, repperit eos sacrificium profanum litare velle. vásque magnum, quod vulgò cupam dicunt, quod viginti modia plus minúsve capiebat, *ceruisæ* plenum, in medio positum. Ad quod vir Dei accessit, sciscitatúrque quid de *illo fieri* vellent. Illi aiunt, se Deo suo VODANO nomine velle litare. Ille pestiferum opus audiens, vas sufflat, miróque modo vas cum fragore dissoluitur, & per frusta diuiditur, vísque rapida cum liquore ceruisæ prorumpit. -:· Eo itaque tempore THEODERICVS atque Brunichildis non solùm aduersus Columbanum insaniebant, verumetiam & contra sanctissimum DESIDERIVM Viennensis *vrbis* Episcopum aduersabantur. Quem primò exilio damnatum multis iniuriis affligere nitebantur, ad postremum verò glorioso martyrio coronare. -:· C

Cap. 30. Interea inter THEODERICVM & THEODEBERTVM lis firmatur, ac quisque aduersus fratrem vsque ad internecionem desæuit. vtrisque gentium robore superbientibus. Inter quæ vir Dei ad Theodebertum accedit, eúmque suadet vt cœptum arrogantiæ supercilium deponeret, séque Clericum faceret, & in Ecclesia positus sacræ subderetur Religioni: ne simul cum damno præsentis, æternæ *pateretur* dispendia vitæ. Quod & Regi, & omnibus circumastantibus ridiculum excitat. aientes, se nunquam audisse Regem in Regnum sublimatum, voluntarium fuisse Clericum. Detestantibus ergo omnibus, beatus Columbanus ait: " Si voluntarius nullatenus Clericatus honorem sumat, in breui inuitus Clericus existat." His ergo dictis, vir Dei ad Cellulam remeat, móxque prophetici dicti euentum res non diu dilata affirmat. Nec mora Theodericus Theodebertum ad bellum ciet, & propter Tullum deuictum fugat. Post quem collecto robore exercitus persequitur. similique modo gentium multarum Theodebertus robore vallatus, ad Tulbiacense castrum pugnaturus occurrit. Ibi prælio inito, innumeræ hominũ phalanges ex vtroque exercitu perierunt. Victus tandem Theodebertus fugit. -:· Persequutus est ergo Theodebertum Theodericus, & suorum proditione captum ad auiam Brunichildem direxit. Quem cùm auia recepisset, quia Theoderici par-

Atribus Brunechildis fauens erat, furens Theodebertum Clericum fieri rogauit: ac non post multos dies impiè nimis post Clericatum perimi iussit. THEODORICVS II. THEODOBERTVS II.

Porro THEODERICVS penes Mettense oppidum morans, diuinitus percussus, inter flagrantis ignis incendia mortuus est. Post quem Brunichildis filium eius SIGIBERTVM in Regnum suffecit. Itaque CHLOTHARIVS memor prophetiæ viri Dei, collecto exercitu, fines Regni, quæ suæ ditioni debebantur, conatur recipere. Contra quem Sigibertus cum hostium cuneis pugnaturus aduenit. Quem Chlotharius captum peremit; fratrésque eius quinque Theoderici filios cum proauia Brunichilde cepit. Pueros separatim perimit. Brunichildem verò primò ignobiliter camelo impositam hostibus girando monstrauit. Póstque indomitorum equorum caudis irretitam vitâ priuauit. Funditus ergo radicitúsque deleta Theoderici stirpe, Chlotharius potitus est trium Regnorum solus Monarchiam. Quo facto, beati Columbani prophetia in omnibus est impleta, vnum intra triennium cum omni stirpe funditus deletum; alium violenter Clericum factum, tertium trium Regnorum possessione ac dominatione dilatatum. Cap. 31.

Beatus ergo Columbanus cùm audisset, vt suprà diximus, deuictum à Theoderico Theodebertum, relicta Gallia atque Germania, Italiam ingreditur. Vbi ab AGILVLFO Langobardorum Rege honorificè susceptus est.-- ⁖ Cap. 32.

INTEREÀ memoratus CHLOTHARIVS viri Dei prophetiæ effectum in se fuisse impletum cernens, beatum EVSTHASIVM, qui eius in loco Luxouiense Monasterium regebat, ad se venire imperat. Quem pio affamine rogat, vt sibi cum supplemento publico Legatione fungere curet: sociósque quos vellet nobilium virorum haberet, qui sui vadimonij arbitri essent. Post beatum Columbanum pergerent, quocúmque reperissent in loco eleganti suasu ad se venire hortarentur. Perrexit itaque venerabilis discipulus, Magistri vestigia prosecutus. Qui cùm ad eum venisset, Chlotharij verba depromit. Viso ergo Eusthasio, beatus Columbanus gauisus, recepti muneris aditum gratulabatur.-- ⁖ Dimissum post hæc ad Chlotharium ire iubet, tabulisque responsis regias mulcire imperat aures, séque retrò repedare nullatenus ratum duceret. Tantummodo poscere, vt sodales suos, qui Luxouio incolebant, regali amminiculo ac præsidio foueret. Litteras castigationum affamine plenas Regi dirigit. gratissimum munus Rex velut pignus fœderis viri Dei ouans recepit. Nec eius petitioni obliuionis noxam præponit; omni præsidio supradictum Monasterium munire studet. Annuis censibus ditat; terminos vndique, prout voluntas venerabilis Eusthasij erat, auget: omnique conatu ad auxilium inibi inhabitantium ob viri Dei amorem intendit.-- ⁖ Cap. 33. B

Ex Vita Ms. sancti Romarici Abbatis, quam ad magnificam matrem sanctarum Virginum Romarici montis domnam Ceciliam Auctor coætaneus scripsit.

C

BEATVS ROMARICVS nobilis in Palatio, atque parentibus suis clarus & amabilis vbique resplenduit. Nam cùm in laico habitu religiosam vitam gereret, reddebat quæ Regis sunt Regi, & quæ Dei Deo.-- ⁖ Quodam namque tempore, cùm THEODERICVS Rex germanum suum THEODEBERTVM persecutus fuisset, genitore * supradicti viri interfecto, villæ eorum fisci ditionibus redactæ sunt. & deinceps Romaricus, quia fidem seruauerat, à persequentium nequitia fugatus Mettis petiit. Erat denique tunc temporis in Palatio vnus Episcopus nomine ARIDIVS, qui BRVNICHILDÆ Reginæ sedulo famulabatur alloquio. Illiúsque supradictus vir pedibus prostratus, supplicat vt Rex apud Reginam suo interuentu recipere potuisset. Illéque irâ sauciatus, os viri pede excusso impiè verberauit.-- ⁖ Sed inlucescente die crastina, vulgatum est Regem Theodericum mortis sententia percussum fuisse. Ac deinceps accitus à Regina, vel Episcopo Aridio, Romaricus, reddito patrimonio supplicatur, vt saltem per ipsum isdem de vrbe Mettensi fugiendi darentur spatia.

* *In recentiore eiusdē Sancti Vita, pater illius* ROMVLFVS, *mater* ROMVLINDIS *vocatur.*

Post hæc denique tempus euenit, vt in CLOTARII Regis Palatio inter ceteros electus haberetur. Sed ineffabilis Deus videns militem suum sub tenebrosi huius seculi bellis belligerantem, voluit illum ad lucidos producere campos. actum-

SIGEBERTVS II. que est, vt ex heremi secretis beatus educeretur AMATVS. Quid plura? Inueniens hominem, hortatur vt detonso capite, rebúsque in pauperibus dispersis, tanquam sibi thesauro in cœlis posito, iam ad perfectiora pergeret. Quibus ille auditis, vt erat totus sancto desiderio repletus, cum multarum rerum substantia Monasterium Luxouium petiit, multis videlicet priùs ex seruicio libertatem adeptis. Ibique sanctam humilitatem & obedientiam propter Christum sectandam accepit.-- ⁝ A

CVM adhuc ad bonum opus profuturum vnam tantummodò reseruasset villam, consilio deinceps inito, beatus Amatus cum eodem ad Monasterium puellarum ædificandum pergit. Multis namque adunatis puellis, in heremo properantes, sanctum instituunt opus.-- ⁝ Hæc deinceps, sicut nunc in præsentiarum cernitur, in eorum operibus suppleta monstrantur.

DE SIGEBERTO II.

THEODORICI II. FILIO.

Ex Vita sancti Galli Abbatis, Auctore VValafrido Strabo Abbate Augiensi. B

Lib. I. Cap. 5. PERGENS cum suis beatus Columbanus, peruenit in castrum quod Arbona vocatur, & inuenit ibi Presbyterum bonitate conspicuum, nomine VVillimarum.-- ⁝ Inter sacræ igitur ædificationis colloquia Presbyterum illum interrogauit, si sciret aliquem in solitudine locum, in quo Cellula fieri potuisset, custodiis » aliquantulum regularibus opportuna. Hospes huic inquisitioni respondit: In hac » solitudine locus quidam est, antiquæ structuræ seruans inter ruinas vestigia, vbi » terra pinguis, & fructuariis prouentibus apta, montes per gyrum excelsi, heremus » vasta, & imminens oppido planicies copiosa, victum quærentibus fructum laboris » non negat. Et cùm loci ipsius situm per multa laudasset, indicat nomen eius Brigantium.-- ⁝

Cap. 6. Venerabilis autem Abba comitibus GALLO & quodam Diacono nauim conscendens, inuocato nomine Domini ad locum desideratum viâ rectâ peruenit. Egressi de nauicula Oratorium in honore sanctæ Aureliæ constructum adierunt, quod postmodum Columbanus in priscum renouauit honorem. Repererunt autem in Templo tres imagines æreas deauratas parieti affixas, quas populus dimis» so altaris sacri cultu adorabat, & oblatis sacrificiis dicere consueuit: Isti sunt dij » veteres & antiqui huius loci tutores, quorum solatio & nos & nostra perdurant » vsque in præsens. Columbanus itaque beato Gallo id iniunxit officij, vt populum ab errore idolatriæ ad cultum Dei exhortatione salutari reuocaret.-- ⁝ C

Cap. 8. Interea nonnulli ciuium propter idolorum suorum abolitionem prædicationis eorum monita contemnentes, cœperunt contra eos odia concitare, insidias machinari. Qua etiam intentione locorum ipsorum Ducem nomine GVNZONEM adierunt, & apud eum accusauerunt Sanctos. Quo audito, Dux furore succensus, missis nunciis famulos Dei de loco eodem discedere iussit.-- ⁝

Cap. 14. Postea nuncius venit ad Presbyterum VVillimarum, indicans Constanciensem Episcopum GAVDENTIVM nomine de hac vita migrasse. Septima post hæc die GVNZONIS Ducis Epistola venit ad Presbyterum præcipientis illi, vt die duodecimo ad Iburningas * villam veniret, & virum Dei GALLVM secum adduceret. Nam filiam eius nomine FRIDEBVRGAM, quæ illi erat vnica, singulari pulchritudine fulgens, spiritus inuasit malignus: à quo dum diuersis torqueretur molestiis, penè continuam tolerauit inediam, & sæpiùs terræ prostrata, inter spumas horribiles miserabili volutabatur insania, adeò vt vix quatuor virorum teneri posset instantiâ. Post triginta autem dierum circulum, ex quo ei hoc accidit, cœpit ille habitator malignus per eam diras emittere voces. Hanc ob caussam pater eius nuncios misit ad Regem SIGEBERTVM THEODORICI filium, qui eam habuit desponsatam, vt ei nunciarent quidquid circa puel-

* Iburgas in Cod. Ms.

A lam agebatur. Rex verò cum omni festinatione misit duos Pontifices, de quorum meritis potissimum præsumebat, cum donis regiis ad puellulam, vt eam medicamine orationum à furoris vesani languore sanarent. SIGEBERTVS II.

VVillimarus verò Presbyter, cùm secundum iussionem Ducis virum Dei Gallum ad eum duxisset, is oratione facta, & imposita manu super caput puellæ, sanam eam matri reddidit. Quibus patratis, Dux iussit ei afferri dona, quæ Rex puellæ transmiserat, & insuper vt apicem Constanciensis Pontificatus dignaretur assumere postulauit. Sed vir beatus huius regiminis pondus recusauit. Dux autem sanctitatis eius tam manifesto compunctus indicio, iussit Arbonensi Præfecto, vt cum omni plebis officio iret ad locum Cellæ, ædificia iuxta viri Dei dispositionem, & quæcumque necessitas poposcisset construeret. Cap. 16. 17. 18. 19.

SIGEBERTVS igitur Rex cùm audisset puellæ redditam sanitatem, mandauit patri eius vt eam suis conspectibus exhiberet. Qui sumens dona ingentia, & puerorum multitudinem ac puellarum, cum magno suorum comitatu duxit eam vsque ad Renum, indéque per Comites ad Regem transmisit. A quo dum gratanter suscepta fuisset, interrogata quomodo suæ remedium consecuta esset infirmitatis, cùm per Pontifices ad hoc missos sanitati non posset restitui, hanc reddidit rationem: Domine mi, inquiens, est vir quidam in Prouincia, quam huc ducta reliqui, cuiusdam incola solitudinis, de gente Scotorum, nomine GALLVS, tantæ apud Deum virtutis & meriti, vt aduersus dæmones singulari quadam vtatur potentiâ. Nam cùm ego ancilla tua graui vexatoris instantiâ periculosum vitæ nutantis finem penè subirem, rogante patre meo idem vir Dei superuenit, & signo vexilli salutaris me muniens imperiosa voce iussit exire tyrannum. Cúmque sacrificij cœlestis me pabulo confirmaret, pristinæ restituta sum sanitati. His ita relatis, puella procidens ad pedes Regis, Obsecro, ait, Domine, vt virum ipsum tuæ gratiæ foueas lenitate, & pro me dignas illi gratiarum actiones rependere non grauêris. Interrogauit autem eam, in qua heremo vir mansitaret eximius. Et illa respondit, In saltu, qui Arbonensi territorio adiacet, & est publici possessio iuris. Situs autem inter Alpes Retiarum, & Brigantini marginem lacus. Rex igitur vt audiuit in publicis eum commorari possessionibus, iussit fieri conscriptionem firmitatis, vt vir sanctus locum quem incolebat per auctoritatem regiam obtineret. Auri quoque libras duas, & argenti pondo totidem, cum Epistola concessionis iamdictæ per suos nuncios viro Dei destinauit, se sacris orationibus eius commendans attentiùs. GVNZONI autem Duci præcipiens, vt si solitudinis incola vellet, solatiorum ei copiam ad ædificandam Cellam sumministraret. Cap. 21. B

Non multis in medio reuolutis diebus, volens Rex ibidem puellam suis thalamis sociare, celebri edicto Sacerdotum & Principum suorum Senatum nuptiarum præcepit adesse sollemniis. Cúmque stipatus agmine Procerum introiisset vbi ipsa manebat, dixit illi: Ascendamus in Palatium. nam nuptiæ paratæ sunt, Sacerdotes & capita populorum cum benedictionibus congruis aduenerunt. Quibus illa auditis cecidit ad pedes eius, dicens: Mi Domine, quia præterita passio suo me pondere tabefecit, vires absorbuit valitudo contraria; membrorum officia ægritudine sunt resoluta: da mihi vel septem dierum inducias, vt aliquatenus virium detrimenta recuperem, & sic tuis possim applicari conspectibus. Quam petitionem dum Rex piè susciperet, ad Palatium remeauit, illa in priuato commorante cubiculo. Fiebat autem vtroque in loco ingens apparatus lætitiæ; admirantibus multis cùr tam diu diuisi conuiuio distulissent connubia. Transactis interea septem diebus, circa matutinum officium puella cum duobus viris totidémque puellis Ecclesiam beati Stephani protomartyris introiuit; & secedens post ianuas Templi exuit se vestimentis regalibus, & habitum propositi sanctioris assumpsit, nescientibus hoc viris qui pariter cum illa aduenerunt. Deposito ergo terrenæ dignitatis amictu, sanctimoniæ nitorem cum quodam sui secuta contemptu, accessit ad altare, & in faciem proruens Dominum studiosiùs adorauit. Viri ergo, qui erant cum illa, hæc videntes, venerunt ad Regem, & nunciauerunt ei quæ facta fuerant. Et ille aduocans Sacerdotes & quosdam Principes suos, cœpit inquirere ab eis, quid super hac re faciendum censerent. CYPRIANVS Arelatensis Regi respondit: Quia, vt liquidò claret, puel- Cap. 22. C

SIGEBERTVS II. la hæc cùm à dæmonio erueretur, hoc se voto, quod perfecisse videtur, constrinxit, cauendum tibi est, ne fortè si irritum feceris votum eius, rediuiuo dæmonum comprimatur incursu: tu verò tanti criminis reatum incurras. Rex ergo iustitiæ tenax, & timore Domini plenus, huic consilio deuotæ mentis pandit assensum: & ingressus Ecclesiam, fecit afferri vestem nuptiis præparatam, & coronam sponsæ nitoribus imponendam. His allatis, dum puellam ad se iussisset accedere, sponsa Dei iam Agni comitatibus hærens, auelli non potuit ab altari, quia se timebat de Ecclesia protrahendam. Cúmque instantiùs aræ cornibus inhæreret, Rex eam ne timeret admonuit: „Hodie, inquiens, per omnia tuæ voluntatis videbis effectum. Porrò illa inter spem & metum posita, caput super altare reclinans: „Ecce, ait, ancilla Domini, fiat mihi secundum voluntatem eius. Rex verò iussit Sacerdotibus vt eleuarent eam, & ad se perducerent. Quo facto, induta est illo iubente veste regali, & sacro velamine coronata: Intuitus autem eam Rex religiosus, dixit illi: „Ecce meis te nuptiis præparatam sponsi cœlestis Domini nostri videlicet Iesu Christi credo complexibus. Et dexteram eius comprehendens, posuit in altari. Deinde & Ecclesiæ limen excedens, lacrimis absconditum patefecit amorem. Post hæc vocauit eam, & iuxta se fecit in Palatio residere, & donis ingentibus honoratam prætulit Monasterio ancillarum Dei, quod in honore beati Petri Principis Apostolorum constructum est in Metensium ciuitate, vbi gesta sunt vniuersa, quæ proxima narratione retulimus. A

B

DE CLOTHARIO II.

CHILPERICI FILIO.

Ex Vita Ms. sancti Betharij Carnotensium Præsulis.

EO quoque tempore CLOTHARIVS Rex secundus, filius CHILPERICI Regis, cum Regina Fredegunde nomine, regnabat super gentem Francorum. Qui audiens famam beatissimi viri, suum constituit Archicapellanum, & pignora multa Sanctorum, quæ secum deferebat, vt mos est Regum, ditioni illius constituit, vt sanctus cum Sanctis haberet custodiam sanctitatis, & vt meritò de illo diceretur, *Cum sancto sanctus eris*. Suscepit namque officium à Rege sibi commissum, & erat gratus tam Deo quàm hominibus.—

Præfatus igitur Papulus Episcopus ipso in tempore ab hac luce migrauit. Tunc cunctus Clerus & deuotissimus populus, diuina admonitus inspiratione ad Palatium pergit, aures Regis tota fortitudine pulsat, scilicet petens vt beatum BETHARIVM sibi daret Pastorem & Episcopum. Rex verò contristatus est super hoc negocio, & omnes Optimates illius, quia sicut Angelum Dei venerabantur eum. Verumtamen non distulit vota petentium, quin illicò expleret fidelium votum. Tunc iussu imperatorio, omniúmque Optimatum, Carnotensium Ecclesiæ suscepit principatum.— C

Eo namque tempore CLOTHARIVS, vt suprà taxauimus, Monarchiam Regni Francorum regebat. THEODERICVS verò in Burgundia tyrannicam exercebat potestatem, qui consilio auiæ suæ Brunichildæ impulsus, cùm esset acerrimus, ingenióque facilis, hostilem exercitum quasi arenam maris innumerabilem ex Burgundia, & Alemannia, atque Gothia, ceterísque gentibus contraxit, & contra Clotharium patruelem suum perrexit. Clotharius econtrà commouens exercitum, conuenerunt in vnum. Sed Clotharius fugâ lapsus vsque Perticam siluam peruenit. Audiens autem Theodericus, quòd Carnotensis Ecclesiæ ciuitas valdè munitissima esset, thesaurique innumerabiles illic repositi essent, atque viro Domini commendati, direxit contra illum maximam exercitus sui partem. Veniénsque innumerabilis exercitus, ac barbara multitudo, Carnotis, cupientes comprehendere beatissimum Betharium anno ordinationis suæ

A VI. Tunc prædictus Sacerdos vnà cum Clero & populo infra muros ciuitatis conclusus, fortiter se defendere est conatus. Sed beatissimus vir accepto ab iis sacramento, vt nec ipse, nec sui aliquid mali paterentur, credens fidei illorum aperuit portas ciuitatis. Illicò autem vt patefecit aditum, inuaserunt more barbarico totam ciuitatem, deuastantes omnia. De populo verò maxima multitudo corruit gladio.-- ⁝

Cernens autem sanctus Betharius interitum suæ ciuitatis, dedit se periculo, mediis scilicet hostibus se inferens, vt se solum perimerent postulans, & populum innocentem ab incursionis nece dimitterent. Hostes autem irâ commoti, fundâ manus eius ausi sunt alligare, secúmque vsque perduxerunt ad portum qui vocatur Vilemeldis cum omni iniuria super fluuium Audura. Cùm esset vir Domini plenus caritate, firmissimus fide, & nullatenus valeret mitigare furores crudelissimæ gentis, elegit consilium vt precium daret pro redemptione captiuorum. Sed vnde daret omnimodis non habebat, maximè cùm ligatis loris fortissimè teneretur à perfidis, nullâque sui corporis parte in terra cerneretur habere potestatem, mira dispositione omnipotentis Dei affuerunt sibi impræsentiarum solidi quingenti. Quos videntes canini hostes abstulerunt, & aliquantulam partem captiuis reddiderunt. Ipsum verò sanctum virum vsque ad præsentiam THEODERICI Regis perduxerunt. Interea vnus è barbaris gentis ipsius nisus B est abstrahere à sanctis manibus eius chyrotecas, quod vulgò vvantos vocant, & suas tegere indignas. Sed subitò diuina affuit vltio. Nam arreptus à dæmonio propriis dentibus semetipsum cœpit lacerare, manúsque suas rodendo truncare; & qui quondam homicida alterius extitit, crudeli nece seipsum interfecit. Videntes talia inimici, cœperunt lapidea corda emollire sua, & famulo Domini omni deuotione seruire.-- ⁝

Interea beatus Betharius pro plebe captus, atque ligatus, vsque ad Regem Theodericum & Brunichildem est deductus, à quibus tam crudelis exercitus fuerat destinatus. Videns autem Rex & Optimates illius humilitatem, seu sanctitatem, comperto quòd esset Dei electus, cœperunt eum venerari cùm tremore diuino. Insuper etiam prouoluti eius genibus, rogabant vt dignaretur eos recipere suis in orationibus. Qui etiam consensit, & mox quod petebant expleuit. Credimus etiam, quòd ideo Dominus seruum suum cum tanta contumelia ante Regem ire permisit, vt perfidi videntes humilitatem ipsius, & cognoscentes sanctitatem eius, à ferocitate se nimia mitigarent, & captam prædam, quam iniustè tulerant, redderent. quod ita factum fuit. Imperante namque Theoderico, redditur omnis captiuitas, prædáque magna, thesaurique Ecclesiæ. Insuper etiam aliis multis muneribus à Rege cunctisque Optimatibus honoratus, reuertitur ad propriam, Christo propitiante, ciuitatem.

C *Ex Vita Ms. sancti VValarici Abbatis.*

CVM solummodo solium Regni Neustrasiorum vir valdè idoneus & Deo amabilis Rex CLOTHARIVS sibi vendicabat, quem Columbanus sacra sua doctrina monuerat tam de amplificando Dei regno, quàm de præda; ceteris Regibus sibi inuicem rebellantibus, vnà cum stirpe eorum iusto Dei iudicio à Regno quidem malè vsurpato infra triennium esse perituros, & Monarchiam Regni eorum ipsi Clothario adunandam esse, sæpè prædixerat. Quidam verò fratrum sancti Columbani nomine VVALDOLENVS licentiam ab ipso rogauit, vt inter gentes prædicaret, & venerabilem virum VVALARICVM pro solatione fouendæ religionis secum abire permitteret. Cui beatus Pater respondisse fertur: Etsi pro bono fili desideras, sed hoc scias quòd ille Dei seruus magnus est, quem « tecum ire perquiris. Hoc autē caue, ne ei aliquid molestiæ ingeras, ne pro hoc scan- « dali machinamenta incurras. Cúmque hoc ei vt postulauerat beatus Columbanus permisisset, cum dicto factum venit in prosperum, sicut à sancto Dei fuerat prædictum. Cúmque in Neustria peruenissent, accesserunt ad quendam Regem CLOTHARIVM, cui remotum locum residendi poposcerunt. Aduenientes verò ad quendam locum Ambianensium perueniunt VValimago, vbi quidam Comes nomine SIGOBARDVS iuxta morem seculi concioni præsidebat, quod rustici

CLOTHARIVS II. mallum vocant. Et cùm ibidem, vt solet adesse, malis gestis iusta vel iniusta sententia vnicuique manifestatur, contigit vt quidam reus ob meritum quidem reatus sui morte damnatus, in eculeo iam esset suspensus atque defunctus. Cúmque eum à longè beatus VValaricus inspexisset, permotus visceribus vt erat pietate plenus, concito cursu ad stipitem peruenit, & prohibentibus eum carnificibus ne cadauer iam mortuo illo modo tetigisset, ille intrepidus vt quidam ait, *Perfecta dilectio foras mittit timorem*, vinculum incidit, & corpus defuncti manibus propriis ad terram deposuit, & super supinata membra eius summo studio caritatis sese cum lacrimis admodum profusis in oratione prosternit, itaut facie sua faciem illius imprimeret. Et quantum promptior in prece fuerat, tantum citiùs à Domino obtinuit quod poposcit. Nam astantibus cunctis, immóque stupentibus, quasi ex profundo somno paulatim calefientibus membris, qui mortuus fuerat statim incolumis reuixit. Cúmque tam magnum miraculum in conuentu populi præsentiæ Præsidis præsentatum fuisset, tunc vir Domini supplicare cœpit, vt quem Dei pietas resuscitauerat, bonitas ipsius Iudicis vbicumque liberum ire permitteret. Sed ille sæuo furore accensus, iterum eum in patibulum suspendi iubet. At inquit illi seruus Dei: Homo Dei, constat te iam illum interfecisse, quem potentia Domini resuscitauit. Et nisi meipsum cum eodem suspenderis, aliter eum mihi tollere non præualebis. Et si tu me exiguum Christi seruulum forsitan audire contemnis, est verò mundi Creator, qui se inuocantem neminem spernit, & nos pro suis legibus certantes sua solita pietate modò dignabitur exaudire. Cúmque his dictis & precibus victus fuisset tyrannus, iussit eum solui, qui multa per tempora vixit. Tum verò præfatus Rex vna cum consensu Pontificis Ambianensis, beato VValarico iuxta petitionem ipsius locum secretum & remotiorem, qui Leuconaus antiquo vocabulo dicebatur, concessit, in quo beatus Pontifex Ambianensis vocabulo BERGVNDVS diebus Quadragesimæ solebat contemplationi diuinæ insistere. Ibi autem se beatus VValaricus in quadam Cellula segregatus à fratribus inclusit, vt omni curâ mundi postposita diuinæ tantummodo contemplationi vacaret. Ceteri verò Fratres construxerunt sibi Cellulas, viuebántque de elemosina Regis. Situs verò loci valdè congruus erat. Nam vno ex latere vicinum erat mare, & ex alio fluuius habens pisces multos: tertium verò latus terrâ frugifera & amœnissimis cingitur siluis. In ipso loco beatus VVALARICVS à tumultu circumhabitantis populi voluit se latere, sed felix fama virtutum & bonorum operum exempla vbique eum clarum & insignem reddebant.

Ex Vita Ms. sancti Lupi Episcopi Senonensis.

SANCTVS igitur LVPVS parentibus inclytis, ex parte sanguine Regali contiguus, oriundus extitit vicina amnis Ligeris Prouincia Aurelianensium ciuitatis. Cuius genitor BETTO, genitrix AVSTREGILDIS vocabulo AGA auunculi cognomento.

Erant fratres illius genitricis venerandi Antistites, AVSTRENVS Aurelianorum Pontifex; AVNARIVS Præsul Autissiodorensis virtutum signis effulgens. Qui cùm cernerent prædictum puerum normam Religionis amare, & Christi præcepta diligere, Clericatus officio studuerunt mancipare.

Sed & cùm fama illius longè latéque percurreret, & amor in bonorum præcordiis glomeratus accresceret, mox vt Papa ARTEMIVS Senonis defunctus est, vt iamdictæ ciuitatis cathedram sanctus Lupus susciperet, Clerus vel populus vrbis Senonicæ aures Regis vnanimiter postulauit. Diuino igitur decreto Pontificali locatus in Cathedra, cœpit virtutibus miraculis coruscare.

ILLO itaque tempore Rex THEODERICVS cum BRVNECHILDE auia Regnum Burgundiæ gubernabat. Cùm igitur quidam regius Aulicus FVLCARIVS dictus, illustris natalibus ortus, Comes Aurelianensibus datus, qui maximè ob hoc sancto viro erat amicus, quia BETTO pater ipsius de sacris eum susceperat fontibus, ad virum Dei veniens, indicasset quòd eum in Palatio detrahi à quibusdam audisset, quasi ancillam Dei quandam Volosiam nomine filiam antecessoris sui Artemij immoderatè diligeret: Sanctus ad Euágelica arma recurrens,

A contra detrahentium impetum Christi tubâ insonuit, *Beati*, inquit, *estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes.* CLOTHARIVS II.

Defuncto TEODERICO Principe, dum Rex Francorum CLOTHARIVS Burgundiam cœpisset intrare, armatum manu hostili BLIDEBODEM direxit Ducem ad Senonicam vrbem. Dúmque eam cœpisset crudeliter iaculis infestare, Sanctus fidens in Domino, aulam petiit matris Ecclesiæ in honorem protomartyris Stephani constitutæ. Et dum ad euocandum populum signum prædictæ Ecclesiæ tangeret, omnis fortitudo & sensus ab hostium caterua recessit. Tantúsque terror super eos irruit, vt nullatenus euadere se crederent, nisi fugæ præsidium expetissent.

Obtento itaque CLOTHARIVS Regno Burgundiæ, præcepit cuidam viro potenti, dignitatis seculi immani gloriâ præpollenti, FARVLFO homine, Duci, Regalia negocia explicare. Qui progressus à latere regio, cùm in eius specie Decreta Regis studeret, prope Senonas veniens, exarsit iracundiæ flammis: indignè nimium ferens, quòd sibi cum muneribus obuiam prædictus non processisset Antistes. In ciuitatem namque susceptus, cùm contra virum Dei vultu incederet toruido, hoc ab eo responsum accepit: Magis quàm hominibus obedire semper conuenit Deo. Sacerdotem enim plebem regere, & Principes seculi oportet diuina præcepta docere: illos autem ad ipsum condecet conuenire. Regressus igi-
B tur frendens FARVLFVS, cur à sancto viro non fuisset pleniùs remuneratus, plura falsiloquiis contra virum Dei principalibus intulit auribus. Maximè instante viro nequissimo nomine MEDEGISILO, qui sancti Remigij in suburbio tenens Monasterium, sancti Pontificis cupiebat inuidus inuadere locum. His itaque insistentibus iaculis venenosis, Rex CLOTHARIVS felle commotus, virum Dei LVPVM Episcopum retrusit exilio, in pago quodam Neustriæ nuncupante Vinemaco, traditum Duci pagano nomine BOSONI LANDEGISILO. Quem ille direxit in villa, quæ dicitur Andesagina super fluuium Auciæ: vbi erant templa fanatica, à Decurionibus culta. Cúmque vir Domini ad eundem peruenisset locum, fruebatur de peregrinatione solatio, Patriarcharum priorum exemplo: recordans sancti Ioseph in Egypto, cuius seruierunt officio manus. Gaudebat quippe in Domino, sentiens se à Deo missum ad populum incredulum instruendum. Ibique quendam illuminans cæcum, prædictum Ducem superbum sub sanctæ crucis humiliauit signaculo, atque vitali tinxit in lauacro. Plurimúmque FRANCORVM exercitum, qui adhuc erroris detinebatur in laqueo, Sanctus humiliauit per baptismum.

Interim diuina dextera iudicante, ciues Senonici zelo Dei promoti, dolentes arreptum impia rapacitate Pastorem, in Basilica sancti Remigij prædictum Medegisilum imitatorem Iudæ per proditionem magistri, acerba trucidauerunt
C morte. Sicque infelix negato sibi spacio pœnitendi, in cloacam descendit inferni.

Pollebat eo tempore in Tricasina vrbe sanctus VVINEBALDVS, in Basilica antiqui Præsulis LVPI, qui quiescit corpore iuxta eandem ciuitatem, Abbatis fungens officio, mirabili sanctitate. Tunc Archidiaconus Ecclesiæ Senonicæ REGNEGISILVS nomine, incitatus precibus populi, quin potiùs amore nominis Christi, sanctum VVinebaldum flagitauit precibus, vt ad Regem CLOTHARIVM pergeret, intentáque prece deposceret, quatenus sanctum Lupum de exilio reuocaret, & ad pristinam dignitatem remitteret: ne plebs sine Pastore posita, à lupinis faucibus deperiret. Qua suggestione impensa, sedata Tyranni ferocia, Rex humilitate flectitur, odium in amorem conuertitur. Missus è latere Regis vir Dei VVinebaldus, deuotus ad beatum pergit Antistitem. Videntes se inuicem, præ gaudio flere cœperunt, alterutrum loquentes.

Tunc VVinebaudus cum beato LVPO Episcopo lætus ad Palatium remeans, Regis obtutibus Antistitem præsentat. Rex seu turba Procerum gratulatur Sacerdotis præsentiâ, contemplatúsque est eum, & eius duricia ad pietatem promouetur. Ante Pontificis pedes se in terram prosternit, veniam & indulgentiam illius postulat. Videns etiam Rex beatum afflictum, & corpus illius tabefactum, vt erat intonsus barba & capillo, pro abstinentia cumulando rigorem, tremens &

CLOTHARIVS II. eiulans in gemitum mouetur, & pietatis more lacrimis irrigatur. Reum se esse A. in huius penuria, irritationis iacula in Sancti accusatores imprecatur. Iussit eum cum magno decore reparari, & seruitium impendi, comam & barbam cum honore pristino detonderi. Recepto itaque decore Ecclesiastico, suo Rex præcepit interesse conuiuio. fit Christi ope repentè conuersio. Efficitur Rex ex persecutore minister, vt ipse suis manibus partes tribueret, qui illi priùs afflictionis penuriam ingessisset. Petens ergo iterum veniam pro scelere, à sancto leuatur de puluere, offerens multorum munerum congeriem, ministeriis profuturam Ecclesiæ, atque eum iussit ad ciuitatem propriam remeare. -- ⁖

Audito Rex CLOTHARIVS de signo sancti Stephani, quòd miram haberet dulcedinem, iussit illud Parisius deportari, vbi ipsum sæpiùs debuisset audire. Sed dum hoc sancto non placuisset Pontifici, mox vt sublatum est signum à Senonica vrbe, perdidit dulcedinem sonitus sui. Quo Rex agnito, ilicò iussit loco pristino restitui signum. At vbi peruenit pontem Syriacum, reddito sono à Domino in virtute sancti Lupi, insonuit miliario septimo.

Ex Vita Ms. sanctæ Rusticulæ siue Marciæ ciuis Vasionensis, Abbatissæ Monasterij sancti Cæsarij Arelatensis,

Quam Florentius Presbyter Ecclesiæ ciuitatis Tricastinæ ad Celsam eiusdem Monasterij Abbatissam scripsit. B

CLARISSIMIS igitur orta natalibus VALERIANO & CLEMENTIA coniugibus Romanis, cultum Christianitatis cum summa veneratione colentibus. Commorantibus eisdem in agro Hebocasiaco, qui est situs in territorio Vascionensi, factum est vt nasceretur eis filius. Etenim multo pòst tempore dedit eis Dominus hanc sacratissimam prolem RVSTICVLAM. Transactis igitur non plurimis diebus, defunctus est & paruulus. Postmodum verò mater viduitatis veste contecta, tristitiam, quam coniugis amissione vel filij assumpserat, per hanc prolem fœcunditatis suæ vtero editam consolabatur. Quam genitrix ad sacri baptismatis vndam Christo obtulit sanctiendam; eámque in regenerationis fonte ex suo genere Rusticulam vocitauit. Ab omni verò domus familia MARCIA nuncupabatur. -- ⁖

Igitur cùm esset virgo annorum quinque, rapta est à quodam viro nobili nomine CHERAONIO. Cúmque eam ad domum suam perduxisset, genitrici suæ eam obtulit enutriendam, vt cùm ad legitimam peruenisset ætatem, sibi eam matrimonio copularet. Sed ille, qui non dormit, neque dormitat in æuo, qui custodit Israël, reuelauit spiritu suo sancto beatissimæ LILIOLÆ Abbatissæ Monasterij, quod sanctæ recordationis vrbis Arelatensis Cæsarius Papa fundauit, vt peteret à venerabili SIAGRIO Episcopo, qualiter agere deberet apud gloriosissimum GONDERANVM Regem, vt intra septa Monasterij faceret eam introire. C Tunc suprascriptus Cheraonius cùm hoc factum comperisset, cœpit mùltis precibus & muneribus precari, vt illa concederetur ei in matrimonium. Sed diuina gratia concedente, ita ipsi Regi in suo cordé largitus est Dominus, vt eam per quemdam Abbatem virum magnæ conuersationis ad sanctam Liliolam dirigere deberet. -- ⁖ Venientibus autem illis ad ciuitatem Arelatensem, vbi Pontifex erat illius temporibus Apostolicus vir SAPAVDVS, introduxerunt eam ad sanctam Liliolam Abbatissam. Quæ gauisa de aduentu eius, excepit illam cum gaudio magno intra septa sancti Monasterij, & edocens illam omnem fidei sanctitatem, adgregauit Virginibus Christi. -- ⁖

Itaque beatissima Liliola de hac luce migrante ad Dominum, visum est ad omnem illam sanctam Congregationem, vt dilectam Dei RVSTICVLAM sibi eligerent fieri matrem. Illa autem refutabat, indignam se dicens esse ad hoc opus. Quid multa? fauente Domino, impletur deuotio ancillarum Dei. Impositóque sibi honore Christi, sancto moderamine inuigilabat pro animabus ad se pertinentibus. Erat autem tunc annorum circiter decem & octo. -- ⁖

Diabolus verò bonis semper inuidens, consilio suo maligno suasit cuidam Episcopo

A Episcopo MAXIMO nomine (nam non opere) & cuidam Principi nobili secundum seculum (nam non apud Deum) nomine RICCIMIRO, vt falsum testimonium cogitarent aduersum famulam Christi, quòd illa occultè Regem nutriret. Et abeuntes ad Regem CLOTHARIVM, accusauerunt eam. Ille autem hæc audiens, commotus est ira vehementi; & iussit suprascripto Principi, vt diligenter hæc inquiri iuberet, & sibi denunciari. Ille verò cum multis Episcopis, & reliquis similibus suis, ad ciuitatem Arelatensem veniens, cœpit plus minas ingerere, quàm rei veritatem inquirere. -- ⁘ Postmodum suprascriptus vir Riccimirus direxit quosdam è suis ad Regem, qui adserere deberent, quòd culpabilis inuenta fuisset beatissima virgo Christi in hoc falso crimine. Et ampliùs furore accensus Rex, misit quendam de Optimatibus suis nomine FARAVLTVM *, qui suis eam præsentaret obtutibus. Ipse verò veniens cœpit grauiter insistere, vt extraheret à sancto ouili virginem Christi. Vidénsque quia quod sibi iussum fuerat si non adimpleret, periculum sibi esset venturum, cœpit ex iussione Regis Principi ciuitatis ipsius nomine NINFIDIO minacibus verbis adhærere, quòd si eam ipsa die de Monasterio non abstraheret, periculum capitis sui esse futurum. Ille verò, eo quòd nimium veneraretur famulam Dei, cum lacrimis & humilitate qua decebat eam precabatur, vt absque aliqua iniuria voluntariè egrederetur. Igitur instigatione præsentium nec innocentiæ fides attenditur, nec accusationis veritas flagitatur: sed falsis assertionibus condemnata, abstrahitur à sancto ouili, atque in Cella Monasterij,
B quod est in ciuitate, sub custodia mancipatur. -- ⁘

CLOTHARIVS II.

* fort. is est qui FARVLPHVS dicitur in vita S. Lupi suprà.

Expletis igitur septem diebus, adducitur de ciuitate, quò cœperat pergens. Dominus autem, qui non derelinquit sperantes in se, sed exaltat humiles, reuelauit per spiritum suum sanctum cuidam Apostolico viro Episcopo ciuitatis Viennensis nomine meritisque DOMNVLO, vt protinus ad Regem gradiretur, & renunciaret ipsi grauem se offensionem Dei habere, quòd iniusto iudicio condemnasset famulam Christi, & protinus se à filio orbari pro tam immisericordi iussione. Audiens autem hæc Rex, timore nimio corripitur, & direxit duos Comites viros Deum timentes, qui cum honore & reuerentia ad se eam deberent perducere. Sed & de singulis ciuitatibus quæ ei necessariæ erant, opes ministrari præcipiens. -- ⁘

Igitur cùm perducta fuisset ad Regem, Christo duce salutatura eum aggreditur. Interea famulam Christi non iam fama vulgante, sed corporali præsentia comprobante, tam Rex quàm Regina, & Optimates sui, cum magno honore & reuerentia venerari cœperunt. Inquirenti verò Regi Principibus suis si vera essent quæ ipsi de ea fuerant nunciata: ista cum iuramento asseruit, testificans Deum, non solùm se non fecisse, sed nec cogitare potuisse huiusmodi rem. Cúmque ita agerentur, & Rex ipse dubietatem in suo animo gereret, filius suus, quem valdè diligebat, extrema agere cœpit: & quod ei antea fuerat prædictum, per
C iniusta iudicia quæ in Dei famulam exercuerat, filium se amissurum, compleuit in meritum. Defuncto itaque eo, tristis ac mœrens Rex, quidnam de Christi ancilla fieri iuberet ignorabat. Accedentes verò ad eum Palatij illius primarij, hoc ei dederunt consilium, vt dilectam Dei RVSTICVLAM, quam cum iniuria ad se fecerat venire, cum magno honore iuberet ad propria remeare. Quod & factum est. -- ⁘

Ex Vita sancti Eusthasij siue Eustachij Abbatis Luxouiensis, auctore Iona Abbate eius contemporaneo.

QVO tempore CLOTHARIVS Chilperici filius strenuè Francos regebat, religiosissimi extitêre viri, discipuli aluij Patris Columbani, Attala, & Eustachius: quorum prior in Bobiensi, alter in Luxouiensi Cœnobio eius successores fuêre, & magistri instituta suis alumnis seruanda tradiderunt. -- ⁘ Porro venerabilis Pater EVSTACHIVS ex Italia à beato Columbano reuersus, paterno affectu & æquo iure subditas Monachorum regebat cateruas. Contigit autem eum pro communi necessitate ire ad CLOTHARIVM Regem, qui eo tempore in extremis Galliæ finibus, & in locis maritimis morabatur. Iter autem habuit Eustachius per saltum quendam pagúmque Briegium, peruenit-

Apud Surium Tom. III. Cap. 3.

CLOTHARIVS II. que ad villam CHAGNERICI, vbi dudum eius magister aliquandiu moratus fuerat. Villa ea Pipimisicum dicebatur, distans ab vrbe Miledorensi * duobus plus minus milliaribus. Ibi tum Chagnericus cum coniuge sua LANDEGVNDA, benè Christiana, & sanæ mentis femina, degebat. Cuius filium MAGNOALDVM apud se habebat. Viso autem Eustachio, Chagnericus cum ingenti gaudio eum excepit. Erat autem cum patre & matre filia BVRGVNDOFARA, quam beatus Columbanus Domino consecrauerat. -- ∴ Peracta Legatione Eustachius eam Religionis vestem per Pontificem vrbis illius GVNDOALDVM nomine induit, sacrátque salutaribus sacramentis. Monasterium virginum Christi super paternum solum inter fluuios, Mugram & Albam ædificat, Fratres qui structuræ curam habeant deputat, germanum puellæ CHAGNOALDVM, & qui ei postea successit Vualdebertum, vt Regulam eas doceant, decernit.

* Meldensi

Cap. 4. Cùm vir Dei cœptum iter perageret, quendam fratrem AGILVM nomine, qui modò Respacensis Cœnobij Præsul existit, quémque tum vehementer febrium ignis excoxit, manu tetigit, interuentúque orationum suarum pristinæ sospitati ilicò restituit. -- ∴ Fuit autem hoc illi studio, vt multos sua facundiâ erudiret. Et quidem complures ex eis postea Ecclesiarum Præsules extiterunt: Chagnoaldus Lugduni, Acharius Viromandorum & Nouiomensis ac Tornacensis Episcopus, Rachnacarius Augustoduni & Basileæ, Audemarus Bononiæ & Taroanensis oppidi. -- ∴

Cap. 5. Idem verò EVSTACHIVS cùm omnium Franciæ Procerum studio & honore fulciretur, atque CLOTHARII Regis amore & veneratione clueret, exarsit more suo liuidus aduersus sanctorum famam chelydrus, excitátque à finibus matris nouum proditorem, qui magistri dicta scinderet. Excitat vnum è subditis, Agrestium nomine, qui quondam THEODORICI Regis Notarius fuerat, & quadam cordis compunctione tactus, omnia quæ possederat relinquens, & ad Luxouium veniens, se & sua omnia supradicto Patri tradiderat. Is ergo religionis speciem in Monasterio gestans, pòst licentiam postulat, vt gentium esse prædicator permitteretur. At vir sanctus illum diu obiurgans increpat, ait illum se non debere ad tale opus idoneum vel dignum, quippe rudem adhuc in religione, putare: omnibus Ecclesiasticis ornamentis decoratum esse oportere, qui ad tantum opus satis aptus censeatur. Sed cùm his rationibus nihil proficeret, quem tenere non valet abire finit. Qui vbi ad Baioarios peruenit, ibi paululum moratus, nullum fructum attulit. Deinde Aquileiam proficiscitur. Porro Aquileienses tum desciuerant à communione Sedis Apostolicæ. Veniens igitur Agrestius Aquileiam, socius statim schismatis effectus, à Romanæ Sedis communione seiunctus ac separatus est. Hoc ergo schismate imbutus, Epistolam venenosam, increpationibus plenam, ad beatum Attalam per Aureum ADALVALDI Regis Longobardorum Notarium dirigit. Quam beatus Attala perlectam, ridiculo habitam, mihi tradidit seruandam: & ego quidem per multorum annorum spatia illam abditam habui, sed postea mea negligentiâ perdidi. Missa autem ad beatum Attalam Epistola, ipse ad Luxouium properat, deinde beatum Eustachium scismaticis tentat aculeis, si sanam eius mentem sua vesaniâ corrumpere queat. Sed cùm præ imperitia nihil posset obtinere, beati Columbani Regulam sibi carpendam sumpsit, & per quoscumque potuit sui similes murmur excitauit: annuente illi ABELENO Genuensis vrbis Episcopo, qui illi sanguinis coniunctione proximus erat. Et is quidem Abelenus vicinos Episcopos in Agrestij subsidium omni studio sensim sibi iungere nitebatur, ita vt ipsum quoque Regem CLOTHARIVM tentarent, num ipsorum parti esset assensum præbiturus. At ille sciens, & experimento cognitam habens beati Columbani sanctitatem, & discipulorum eius doctrinam, primò suis eos studuit responsis redarguere. Sed cùm nihil proficeret, statuit vt Synodali examine Regula probaretur. Emanante ergo regia iussione, multi Burgundionum Episcopi in suburbio Matisconensis oppidi conueniunt. Inter quos MAXIMVS residebat Tretecus * Episcopus, propter quem præcipuè Synodum fieri vrgebat Vuarnacharius beati Eustachij inimicus. Sed præualuit beati Eustachij deprecatio, vt qui fautor & patronus fieri voluit miseræ intentionis, is correptus à Domino, omnium vires frangeret. Nam præfixo & statuto die, quo aduersus Eustachium altercatio futura erat, ipse mor-

* fort. Tricastinus.

A te præuentus interiit. Fractæ ergo in illo Agrestianæ partis vires. Tum verò cogentibus cunctis, Agrestius simulatam pacem postulat, vti postea factis declarauit. Eustachius miti animo, & mente virtutum conscia, suasione poscentium flexus, pacem tribuit, osculum porrigit. Agrestius interim manifestam vesaniam metu verecundiæ continuit, non tamen à malis penitus recessit. CLOTHARIVS II.

Porro Abelenus & ceteri Galliarum Episcopi pòst ad roboranda Columbani instituta adspirant: & multi iam amore beati Columbani, & eius Regulæ, Monasteria construunt, Fratres adunant, greges Christi congregant. Inter quos fuit illustris vir ELIGIVS, qui modò Viromandensi Ecclesiæ Pontifex præest. Is verò apud Lemouicensem vrbem Monasterium nobile super fluuium Vincennam, Solemniacum nomine, exstruxit, distans ab ea vrbe millibus quatuor. & alia multa iisdem locis Cœnobia. Sed & Parisius puellarum Monasterium, quod regio munere acceperat, ædificat. Cui Christi virginem AVREAM præfecit. In Bituricensi verò vrbe puellarum Monasterium secundum beati Columbani Regulam BERTVARA * nobilis genere & religione femina construxit. In suburbio Bituricensi vir venerabilis THEODVLPHVS cognomento BABELENVS, Monasteria ex Regula beati Columbani religione omni pollentia extruxit: primùm in insula super fluuium Milmandram, vbi religiosorum virorum adunauit caterуam: aliud Gaudia cum nomine, haud procul à fluuio Albetâ: tertium Christi virginum in loco dicto Carantonio, super fluuium iam dictum Milmendram. Item aliud Christi virginum iuxta Niuernense oppidum sub eadem Regula construxit. Cap. 6.

B

* al. BERTOARA.

Ex Vita Ms. sancti Faronis Episcopi vrbis Meldensis.

CAP. IX. *Quibus determinetur Gallia limitibus.*

OMNIS namque GALLIA his limitibus determinatur. Ab Oriente Alpium iugis tuetur, ab Occasu sinu Oceani clauditur, à Meridie prærupta Pyrenæi obstant, à Septentrione Rheni fluentis atque Germania obcluditur. Quæ namque in decem & septem Prouincias est diuisa. Ad horum quoque distinctionem duæ Prouinciæ annotantur, quarum vna Gallia Belgica dicitur, & altera Gallia Lugdunensis seu Celtica, quæ nunc BVRGVNDIA appellatur, ducta per longum, & per angustum inflexa, Aquitanicam Prouinciam cingit. Hæc ab Oriente habet Belgicam, à Meridie partem Prouinciæ Narbonensis, in qua Arelas ciuitas est, & mari Gallico Rhodani flumen accipitur. Siquidem Galliarum Prouinciæ sortiuntur nomina à ciuitatibus suis Metropolitanis, quarum pluralitatem quindenarius complectitur numerus. Inter quas tollit ad sydera nomen, capútque inter nebula condit ciuitas prorsus Senonum Metropolitana feliciter decorata, cui adiunctæ sunt aliæ ciuitates per comprehensionem senarij numeri.

X. *De nomine Meldis, & eius compositione.*

Ex quibus vna ciuitas, quæ dicitur MELDIS, pollet clarissima, sitúque loci aptissima, & opibus felicissima. In cuius insulæ spaciosissimo & amœnissimo ambitu circum virectat * flumen Matrona. Inibi siquidem electissimus Antistes Domini FARO Monasterium famosissimum omni laude dignitatis ac religionis nobilitauit suæ requietioni.

C

XI. *Quomodo sanctus Faro intra Aulam Regis Theodeberti sit nutritus, & quibus parentibus progenitus.*

Vt ergo tanta ac talis lucerna Christi pullulare potuisset, à primæuo flore teneræ iuuentutis intra Aulam Regis THEODEBERTI nobiliter eum doctrina Christiana nutriendo lactauit. Genitor quippe eius inter primores Procerésque illius Regis non mediocriter fulsit. Pollebat namque insignis de nomine HAGNERICVS consiliis Regalibus gratus, ac nobilitate sapientiæ vallatus. Huius enim laus in descriptionibus vitæ beati Columbani exarata memoriæ floret, quem Meldensi vrbe velut cœleste munus hospitio excœpit, ab extrema Gallia eo veniente sancto ad Oceanum posita. Accessionem denique amici Dei ad hanc vrbem causa subsequens pandit. Adierat autem CHLOTHARIVM vir Dei Regem, qui in Austrasiis Francis regnabat, vt sibi solamen largiretur, quò per THEODEBERTI Regnum si valeret ad Italiam Alpium iuga transcendens perueniret. Datis ergo comitibus, qui eius tramitem vsque ad Theodebertum Regem procu-

CLOTHA-RIVS II. rarent, feliciter itinere arrepto ad vrbem Parisiacam pro hospitio aduertit. Dehinc vrbs Meldensis viam ei transeundo donat, vbi præfato viro Hagnerico coniungitur, qui curam optimi viri in omnibus habere se spopondit. vt ad Theodeberti Aulam accederet, non esse necesse comites alios è regio latere habere. A

XIII. *Quomodo Hagnericus filiam suam Faram manu sanctificationis S. Columbani Deo obtulerit.*

Igitur benedictione amici Dei dono eius decoratus, filiam eius nomine FARAM, in qua infra infantiæ annos flos puellaris vernabat, manu sanctificationis suæ Deo vouit.

XIV. *Quòd amore sancti Autharij prædictum Dei virum ad eiusdem deduxerit domum.*

Progressus indè beatum Columbanum fecit habere transitum per villam, quæ ad notitiam vulgarem dicitur VVilciacus, prædictus Hagnericus, ob amorem sui propinqui illustrissimi viri, qui clarus erat iustis actibus, & notus nomine AVTHARIVS. Cuius enim coniunx non impar deuotione religionis Aia * dicebatur. A quibus miro gaudio susceptionéque desiderij amplexatus est.

VVicy.

* al. Agira.

XV. *De benedictione S. Columbani in filios S. Autharij.*

Obtulerunt itaque proprios duos filios benedictioni illius, quos spiritalibus verbis, roréque cœlestis gratiæ, cum genitore matréque eorum, perfundens, inuocauit electos Dei fieri, participésque regni æterni. Cuius verbis hodie fulget sanctus Autharius cœlo meritis, & in territorio super fluuium Matrona villæ præfatæ humatus coruscat miraculis. B

XVI. *De Monasterij Iotri constructione à sancto Adone sub institutione S. Columbani Regula.*

Nec etiam filij eius ab hac gratia Christi extiterunt remoti, vt qui vnius viri Dei benedictione fuerunt vniti, essent & pares, & æqualis meriti. Quoniam maior natu ADO nomine, semetipsum suis voluptatibus abdicauit, póstque intra Iotri saltum Monasterium ex beati Regula Columbani construxit.

XVII. *De eo quod super fluuiolum Resbacensem Briegensi in saltu sub eiusdem Regula viri sanctus Dado Monasterium dicauerit Deo.*

Iunior verò nomine Dado intra Briegensem saltum supra fluuiolum Respacem ex supradicti viri Regula Monasterium clarissimum Deo dicauit.-- ⁝

XX. *De discordia & prælio Regum, id est Theodeberti & Theoderici Fratrum.*

Sæuiebat tunc fraterna discordia inter THEODERICVM & THEODEBERTVM Reges, & ad inuicem impendebant omnes curas animi aduersi, & instabant odiis, quibus alter ab alterius posset occumbere armis. Denique præcipiti certamine arma inter sese corripiunt in loco qui dicitur Tulpiacum castrum. Horresco referens. Iamiámque in ipso limine belli, dum vir virum legit, tollunt clamores ad sidera, itque nouus pauor per ossa gelida, cœlúmque subtrahitur nube ferruginea. Fusa iacet innumera caterua, fit seges armorum per campos patentes horrida. Stat quoque quasi gloria palmæ inglorio THEODERICO, dum fratricida insequendo THEODEBERTVM ciuitate Coloniæ peremit. C

XXI. *Quòd clarus adhuc etiam tyro in Aula Theodeberti Regis habetur beatus Faro.*

Illis itaque diebus, dum hæc controuersia germana fuscis alis perturbationum volitaret, clarus in Aula Regis THEODEBERTI habebatur adhuc miles beatus Faro, iuuenili pollens ætate. In qua tantum virtute prudentiæ vbertim floruit, vt à Regibus honore magnificentissimo amplificaretur.

XXXI. *De percussione diuinitus Theoderici Regis.*

Porro THEODERICVS post internecionem sui fratris Theodeberti, penes Metēsē morans oppidum diuinitus percussus iuxta gesta beati Columbani, sed iuxta Francorum, à Brunechilde veneno infectus, infeliciter hominem exuit. Post quem Brunechildis filium eius nomine SIGEBERTVM in Regnum successorem destinauit.

XVXI. *De fuga, comprehensione, iugulatione Sigeberti Regis, simulq; filiorum acerba morte.*

Igitur CHLOTHARIVS non immemor prophetiæ viri Dei Columbani, contracto in vnum exercitu fines Regni, quæ suæ ditioni debebantur, audacibus molitur recipere viribus. At SIGEBERTVS impar armis consiliisque sese ei vltrò offert. Cuius præsumptionem ingloriam pugna acerrima ad nihilum redegit, postmodúmque captus est: & quem seruauit ad modicum fuga belli, comprehendit in breui iugulatio gladij, vnà cum filiis suis, quos propagatio sermonis ad hanc infelicitatem ei forte protulit.

A XXXII. *De merita turpissimáque morte Brunichildis Reginæ, & radicitus abolitâ Theoderici Regis stirpe.*

BRVNECHILDEM verò ipse CHLOTHARIVS ignobiliter camelis impositam exercitui suo girando ostendit, pósteque indomitorum equorum caudis irretitam vitâ priuauit. Funditus ergo radicitúsque abolitâ THEODORICI stirpe, Chlotharius potitus est trium Regnorum Monarchia. A quo egregius FARO inter Proceres Regnorum nobiliter est sublimatus.

XXXVI. *Quòd sanctum Chagnoaldum fratrem sancti Faronis vir Dei Columbanus ministrum habuerit à patre quondam in pueritia delegatum.*

Amabilis Deo Eusthasius fecit arrepta via transitum per saltum pagúmque Briegium, accidítque diuertendi necessitas ad quandam villam HAGNERICI genitoris clarissimi Faronis. Est quoque vocabulum villæ Pipimisium, quæ interiacet situ positionis ab vrbe Meldis circiter millibus duobus. Tunc verò tempus illud ibi aptauerat Hagnericum genitorem amantissimi Dei Faronis, cum coniuge sua matre ipsius electi Dei LEODEGVADA nomine, Christicola & sanæ mentis femina. Horum proles insignis de nomine CHAGNOALDVS ibi aderat, qui minister Dei viri Columbani in officio Clericatus puer à patre Deo deuotus quondam fuerat. -- ⁝ Iste etenim Chanoaldus germanus beati Faronis Præsul Lugduno Clauato floruit. -- ⁝

LVIII. LIX. *Quòd beatus Eusthasius sanctam Faram sanctimonialibus induit per Episcopum Meld. vestimentis, & quòd Monasterium in hereditario iure ei procuratum sit à patre.*

B Itaque cùm ad præfatam villam insperatus accessisset cultor Dei Eusthasius, collegit eum miro gaudio officiosissimè Hagnericus genitor militis Christi Faronis. Eratque cum patre, matréque, & filiabus, BVRGVNDOFARA, quam deuotus Dei Columbanus Regi æterno sacrauerat. - ⁝ Quam puellam postea sanctimonialibus diu desideratis vestibus per Antistitem vrbis illius Meldẽsis GVNDOBALDVM nomine, virum Deo carum, ornatam sub meditullio regularis disciplinæ delegauit. Et vt aptus esset locus exercitationi athletæ Christi, Monasterium procuratur originale iam à patre. Flexus tandem pietate paterna in solo iure sibi hereditario libens illud præparat, ac inter amœnos fluuios, videlicet Mugram & Albam, diuitibus donis præstantissimè componit.

LX. *Quòd fratres eiusdem Virginis, sanctus scilicet Chagnoaldus, & beatus VValdebertus procuratores fabricæ loci sint ordinati.*

Prouidentur autem conditores huius operis à præfato Præsule Gundoaldo fratres dulcissimi beatæ Faræ, Chagnoaldus scilicet, & VVALDEBERTVS, qui successor felix istius Gundoaldi hac in vrbe claruit. -- ⁝

LXXI. *De superbissimo Regis Bertoaldi mandato Saxonum, ad Regem Chlotarium Francorum.*

Gens SAXONVM illo in tempore, fide instabilis effecta, efferatáque duris animis ad dinoscendum quòd sub nullius ditione esse decreuisset, mittit Nuncios vna cum C consilio Regis sui nomine BERTOALDI Regem ad Francorum in hæc verba: Scio, « inquit, quia non colligis tu CHLOTHARI vires bellandi in animo aduersus poten- « tiam virtutis meæ, nec tantam spem concipis in robore corporis. Quapropter mi- « tiùs agam ne depopuletur terra iam non tua, sed mea, vbi gloriosus residere fida dis- « positione dispono, & occurre mihi obuiam, ductorémque mei per ignotam ter- « ram te præmoneo. Ibi enim consilio meorum tractandum est, bella cum quibus « agenda erunt: quoniam in te & in tuis imbellibus non experiemur ea. «

LXXII. *Quòd Nuncios Saxonum Rex capitali iussit puniri sententiâ, contra fas & Francorum iura.*

At Legatorum verba dum per aures vsq; ad notitiam animi Regis CHLOTHARII peruenissent, illico eius fel immoderatè efferbuit, móxque furibunda voce tulit irretractabiliter in eos capitalem sententiam. Nam stipatores & archiseniores Principum hoc edictum irę ingeminando ab ore Regis auribus vt hauserunt, contradicendo pulsu vocum suarum refringere temptauerunt. Violari namque, in- « quiunt, nefas est ritum ac legem Regni Francorum interfectione horum, atque « omnium si reminisceretur ab origine nationum. «

LXXIII. *Quòd obtentu S. Faronis industriæ dantur illis vnius noctis induciæ.*

Sed illius ira, ruptis habenis recti consilij, liberè impatientérque per eius animum sæuiẽte, b. FARO, qui aderat inter Magnates illic non mediocris, astutè Regis verbis

 obtemperare præmonuit ad præsens: sed tamen hoc differre in crastinum, vt sic dilata res causa liberationis eorum fieret. A

LXXIIII. *Qualiter sanctus Faro Legatos Saxonum consiliis liberauerit præditationum.*

Hoc autem dum cunctorum sedisset animis, etiam dies illa decederet, Missi Saxonum custodiæ militum deputantur trepidantibus animis. Quorum corda inter mortem & vitam pauitando pendentia occultè miles Christi Faro alloquiis diuinis miserando aggreditur, suadens fonte Christianitatis sibi ipsis subueniri, & à duplici morte, præsenti videlicet & æterna, sese seruare. Ad hæc animis illi inclinati, præualentibus meritis misericordissimi Faronis fonte sacri sunt abluti baptismatis; nóxque erroris conuersa est in illis in diem fidei & claritatis: & de numero seruientium idolorum mutati in consortium sunt Christianorum.

LXXV. *Quòd eos sanctus Faro nunciat Christianos esse, quos Rex deliberat morti tradere.*

Dum in his sic nox occupata sibi transiret, & dies redderetur iam terris nono lumine solis, Procerum cohortem iam contrahebat Consilium ad tecta Regis causâ „ consilij quærendi super verbis Legatorum directis à gente Saxonum: vel quid vti„ litatis, quidue damni conferret interitus eorum. Sed cùm de his sermonem alter„ natim ad eligendum vtilius consilium conferrent, inter eos miles Christi Faro lon„ gas querimonias dubietatis soluens, ait: Hos Legatos certum est non esse gentis „ Saxonum, sed modo consortes effectos Christianorum. Sicut enim semper mira„ biliter auctor orbis, & spes vnica mundi, Deus operatur: ita in his etiam mirabilia eius opera hac non defuerunt nocte, dum conuersi ad militiam Christianitatis fortè alicuius Dei fidelium gratiâ prædicationis operante, abluti sunt à sordibus vndâ sacri baptismatis. quos etiam me huc accedente vidi albere nouis vestibus baptizatorum. B

LXXVI. *Quòd sic primitias Christianitatis beatus Faro Germaniæ miserit.*

Ad hæc Rex cunctique in admirationem versi, qui tractabant eorum de morte pericli, statuunt iam donis preciosis eos confirmare in fide Christi, quasi in alios viros mutati. Dehinc redeunt ad patriam maternam remissi. Hanc quippe nouellam plantationem egregius Faro primus penè de gente Saxonum semine verbi Christi excoluit. portendens iam officium futuri Pastoris, cuius seges multiplicata prædicatione votis ipsius felicibus respondet in cœlis.

LXXVII. *Quòd Rex perdurantis Germaniæ proceritatem superbiæ ad mensuram quam ferebat decurtauerit spata.*

Postmodum autem ipsa est gens à CHLOTHARIO Rege depopulata ex humano semine in tota terra illa, neminémque reliquit maiorem, nisi ad eam mensuram, quâ Regis ensis se attollebat.

LXXVIII. *Quòd etiam tantæ apud Regem gratiæ esset sanctus Faro, vt ei coniungeretur Carmine publico.*

Ex qua victoria Carmen publicum iuxta rusticitatem per omnium penè volitabat ora, ita canentium. feminæque choros indè plaudendo componebant. C

De CHLOTHARIO *est canere Rege Francorum,*
Qui iuit pugnare in gentem Saxonum.
Quàm grauiter prouenisset Missis Saxonum,
Si non fuisset inclytus FARO *de gente Burgundionum!*

Et in fine huius Carminis,

Quando veniunt Missi Saxonum in terram Francorum,
FARO *vbi erat Princeps transeunt per vrbem Meldorum*
Instinctu Dei, ne interficiantur à Rege Francorum.

Hoc enim rustico Carmine placuit ostendere, quantum ab omnibus celeberrimus habebatur. -- ⁝

XCI. *De contempto ab eo mundi Principatu & deliciis, spretóque coniugio, & Clericatu adepto.*

Denique intantum inspiratus amore diuino extitit, vt gloriam regalem, deliciásque Principatus funditus contemneret, licitáq; coniugia in flore iuuentutis refrænaret, séque Ecclesiastico ordini sociaret, ac coniugem suam nomine BLIDECHILDEM non imparem huius sanctæ voluntatis sacro velamine Deo coniungeret. -- ⁝

CLOTHARIVS II.

A XCII. *De Ecclesiis Christi ab eo decentissime prædiis & facultatibus dicatis.*

Paupertate marcescentem Ecclesiam ciuitatis Meldensis, quæ compta suffragiis protomartyris beati Stephani, ac eius roseo sanguine decenter fulget ædificata, ditissimis villarum opibus munerans; magnificentiorem ac nobiliorem omnium reddidit oculis. Illius siquidem supplemento ac studio omnis locus virginis Faræ sublimis per orbem ad vsque polum scandit nomine alto. Quàm pulcra etiam domorum habitacula pompaticis erexerit structuris, Episcopij scilicet atque Monasterij, possessiones vsque hodie ceterique videntes dignè mirantur. At in quodam territorio suo Monasterium, quod dicitur Broilum, situm retinetur, tribus distans millibus ab vrbe Meldis. quod accepit vir sanctus Fefrus * in possessione copiosissima ab Antistite Christi Farone.

* Fiacrius

CIII. *Quòd post dormitionem sancti VValdeberti sui ipsius fratris, Meldensis Præsulatus sanctum Faronem meruerit Præsulem.*

Interea factum est post dormitionem VValtberti Episcopi huius vrbis, de quo iam præmisimus, vt frater eius Faro lege consanguinitatis quasi iure hereditario fraternam successionem Pontificatus hac in vrbe Meldensi mereretur. A viris etenim religiosissimis huius Prouinciæ missa est suggestio de eo Regem ad CHLOTHARIVM, vt suo assensu præberet constituendum eum dignissimum Pontificem in populo. Qui gratulatione dignâ ex hoc valdè placidus, non solùm consensioni animum inclinauit, sed etiam fieri sine scrupulositate aliqua adiudica-
B uit. Post quod præclarissimum factum, quàm mira sanctitatis opera eum in cunctis ornauerint, testantur digna admonitione Christi magnificæ virtutes, quæ ob meritum illius mundo celebriorem voluerunt reddere.

 A

GESTA
DOMNI DAGOBERTI
REGIS FRANCORVM,
FILII CHLOTHARII II.

Scripta à Monacho Cœnobij sancti Dionysij, anonymo quidem, sed contemporaneo.

Ex Bibliotheca viri cl. Alexandri Petauij Senatoris Parisiensis. B

INCIPIVNT CAPITVLA ISTIVS LIBELLI.

DAGOBERTVS I. A

I. QVARTVS ab Chlodoueo, qui primùs Regum Francorum ad cultum Dei docente beato Remigio Remensi Episcopo conuersus est, CLOTHARIVS filius Chilperici, Regnum sortitus est. Qui elaborata à maioribus dignitate potitus, cùm & plurima strenuè gesserit, tum præcipuè illud memorabile suæ potentiæ posteris reliquit indicium, quò rebellantibus aduersum se Saxonibus, ita eos armis perdomuit, vt omnes virilis sexus eiusdem terræ incolas, qui gladij, quem tum fortè gerebat, longitudinem excesserint, peremerit. Quippe vt iunioribus tumoris ausum recordatio illius vitalis seu mortiferi gladij amputaret. Tanta tum Francorum potentia, tanta Regum animositas erat. Quomodo autem aut qualiter hoc peregerit, in subsequentibus suo ordine pleniùs intimabitur. Fuit nempe idem Rex Clotharius patientiæ deditus, literis eruditus, timens Deum, Ecclesiarum & Sacerdotum magnus ditator, pauperibus eleemosynam tribuens, benignum se omnibus & pietate plenum ostendens, belligerator insignis, venationibus ferarum nimium assiduè vtens.

II. HVIC fuit filius nomine DAGOBERTVS, quem ex BERTEDRVDE Regina susceperat, qui patri succederet & industriâ dignus, & viribus. Hic deniq; in annis puerilibus positus, traditus est à genitore venerabili ac sanctissimo ARNVLFO Metensium vrbis Episcopo, vt eum secundùm suam sapientiam enutriret, eique tramitem Christianæ Religionis ostenderet, atque ei Custos & Baiulus esset. Cùm autem adolescentiæ ætatem, vt genti Francorum moris est, venationibus exerceret, agere ceruum quadam die instituit. Qui facilè repertus, oblatrantibus atque certatim insequentibus canum agminibus, ea pernicitate qua illud animal fertur, siluas montésque, & si qua occurrêre flumina, transcurrens, canum industriam effugere conabatur. Tandem ergo victus ad vicum, qui Catulliacus dicitur, se contulit. Hic ab vrbe, quæ Lutetia siue Parisius vocatur, quinque fermè milibus abest. Siquidé in ea vrbe Reges Francorum maximè sceptra tractare consueuerant. B

III. IN eo sanè vico temporibus Domiciani, qui secundus ab Nerone in Christianos arma corripuit, primum memoratæ vrbis Episcopum beatissimum Dionysium, cúmque eo Rusticum, & Eleutherium, quorum alter Presbyter, alter Diaconus erat, pro Christi nomine in prospectu ipsius ciuitatis interemptos quædam materfamilias vocabulo Catulla, à qua & vico deductum nomen dicunt, quia palam non audebat, clam sepulturæ mandauit. Signauit tamen loculum, vt rei gestæ iunioribus constaret noticia. Sic incomparabilis thesaurus diu latuit, nec præter famam locus ille quicquam habebat conspicuum. Et quamuis quædam inibi ab anterioribus Regibus propter assidua quæ ibidem agebantur miracula conlata fuissent, tamen quia locus ipse eo tempore sub potestate Parisiaci Antistitis constitutus erat, & cui vellet Clericorum cum iure beneficij tradebat: illéque cui concedebatur non honestatem loci, sed terrenum lucrum, quemadmodum in quibusdam locis hodiéque cernitur, sibi inde in proprios vsus accumulari videbatur: ob hoc, vt diximus, locus ille nimium negligebatur. Vilis quippè tantum ædicula, quam, vt ferebatur, beata Genouefa super sanctos Martyres deuotè construxerat, tantorum Martyrum corpora non ambiebat, quoad, sicut in processu expediam, profuturum orbi eorum nomen enituit; & procurante Deo, ad singularem excellentiam locus, qui tam magnis, tam certis, tam denique antiquis illustrabatur, quamuis occultè, patronis, prouectus est. C

IV. SED vt ad propositum redeam, ceruus diu huc illúcque per vicum oberrans, ædem beatorum Martyrum ingreditur, séque ibi componit. Instabant canes, & licèt idem eis quod & ceruo pateret ostium, & qui eos abigeret nemo visibilium custodum adesset, attamen sancti Martyres suum domicilium non patiebantur immundorum violari ingressu. Videres hinc ceruum tutum reperisse perfugium, indè canes eius præsentiam latratibus indicare, séque ab introitu ædis diuina virtute arceri. Dagobertus citato cursu peruenit, rem spectaculo dignam admiratur: stupet, amplectitur. Finitimos tum rumor iste vulgò sollicitat, & cùm maximè Dagobertum, tum etiam eos ad amorem & venerationem Sanctorum instigat. Et vt verè fatear, vt ex gestis postmodum claruit, nullus Dagoberto locus aut dulcior, aut iocundior fuit.

A v. IGITVR anno XXXVI. regni Clotharij, Bertedrudis Regina mater Dagoberti moritur, quam vnico amore Clotharius dilexerat, & omnes Duces bonitatem eius probantes vehementer amauerant. Post cuius obitum Clotharius Rex aliam accepit vxorem nomine SICHILDEM, de qua habuit filium nomine HAIRBERTVM.

VI. ITAQVE Dagobertus sic probitate vt ætate indies crescebat, spémque futuri Regis optimam subindè indiciis operum ingerebat. Et pater Clotharius quendam, vt putabat, spectatæ fidei SADREGISILVM rebus sub se tractandis præfecerat, Aquitaniæ Ducatu specialiter ei cómisso. Hic tanto dignitatis fastu elatus, Regis filium Dagobertum partim collatæ potestatis superbiâ, partim spe Regni laborans, non æquo animo prosperiùs agere ferebat. Nec quid moliretur simulato saltem amore obtegere diu valuit. Sed quia metu patris manifestus non poterat, occultum se ei inimicum crebro contemptu aperuit. Excusatio sanè iuuenilis erat ætatis, ne rudis adhuc animus tumorem ex subiectione Principum contraheret, ne dominatione immaturè adepta fastigia impubem ab exercitationis studio reuocarent. Fit igitur ad Dagobertum tam inuidiosa relatio. Et quamuis sua ipse industriâ id iam deprehendisset, aliorum sententiâ in rem pleniùs inducitur. Verùm, quia eum in ordinem redigere non sufficeret, duxit latiùs opportunitatem opperiri, qua & causam efficaciùs exploraret, & in æmulum quod meruisset temptaret. Clotharius igitur quadam die venatum iit, longiúsque fortè
B recessit. Contigit autem & Dagobertum, & memoratum Ducem domi resedisse. Tum Dagobertus exoptabilem oblatam sibi nactus occasionem, Ducem ad se euocat, iubétque secum prandere. Ille nihil minus quàm quod futurum erat cogitans, remissiùs habere, & futuro, imò iam Domino debitum honorem non exhibere. térque ab eo porrecta sibi pocula, dignus in quem prioris contumaciæ vindicta recideret, non sicut à Domino, sed velut à socio infaustè oblata præsumit. Deinde Dagobertus, vt patri infidelis, vt sibi æmulus, vtque sociis inuisus foret, orsus est exponere. non oportere seruiles quidem molestias diu differri, & ne in immensum tumorem tanti fastus procederent, suas iniurias non vlcisci. Flagellis ergo eum adfici imperat. Post verò barbæ rasione (ea enim tum præcipua erat iniuria) deturpat. Sic ex improuiso, qui secundarum rerum successu futurum se Regem auspicabatur, quàm longè ab illa dignitate abesset admonitus intellexit.

VII. REVERTENTI igitur Clothario hiis contumeliis dehonestatus Sadregisilus se offert, & quid præterea, quæ palam erat passus, vel à quo fuerat, inlacrimans indicat. Rex itaque Ducis sui motus iniuriis, filióque multa furibundè interminans, accersiri eum à se iubet. Quo præcognito, Dagobertus, quia resistere nec fas nec possibile erat, in eo se illi obniti posse iustè credidit, si in ædem præfatam beatorum Martyrum iram patris inclinans concederet. Iniit itaque tutissimam fugam, & quo se insequente ceruum viderat, ipse quoque patre
C persequente se confert. Persuasum sibi hoc facto demonstrans, vt qui canes ab ingressu suæ ædis remouerant, se quoque à Regis insectatione protegere possent. Nec spem euentus elusit.

VIII. QVIPPE Clotharius vt eum Sanctorum tutelam expetisse audiuit, adhuc in maiorem tollitur iram, mittitque satellites qui indè eum abductum sibi ocissimè præsentarent. Maturabant illi quod fuerat iussum implere. Cúmque ad sanctum locum tendentes non plus vno miliario abessent, vltra aspirare viam tendentes diuino nutu prohibentur. Redeunt ad Dominum, & quid passi fuerant pandunt. Quorum fidei derogans, quippe qui suo imperio amorem filij prætulissent, delegit alios, qui quod hij neglexerant sagaciter implerent. Rursum illi similia patiuntur, & regressi eandem rem iterato ingeminant. Sed nec sic animositas Regis deferbuit, & quod per ministros nequiuerat, per se implere contendit.

IX. INTEREA dum hæc aguntur, Dagobertum Martyribus humili corde prostratum somnus repente corripit. Eique prono ita coniacenti adstant tres viri, & corporum liniamentis, & vestium nitore conspicui. Cúmque in eos stupefactus intenderet, vnus eorum, qui socios præstare veneranda canicie & auctoritate videbatur, sic eum affatus est: Scias, ô iuuenis, nos esse, quos pro Christo passos «
fama asseuerante audisti, Dionysium, Rusticum, & Eleutherium, & nostra hîc «

DAGOBERTVS I. corpora tegi. Sed quia famam nostram sepultura, quam vides, & domus huius vilitas obscurauit: si memoriam nostri te ornatum ire promittis, hac te possumus quam pateris liberare angustia, & in cunctis auxiliante Deo præstare suffragium. Et ne putes somnij te illusum fantasia, accipe signum veritate subnixum. Egesta humo, qua monumenta nostra teguntur, quem quod sepulcrum contineat, literæ in singulis expressæ docebunt. Ilicò expergefactus nomina quæ audierat describit, & ex Martyrum alloquio ingenti exultatione tripudians, voto se, quod postea studiosissimè reddidit, obligat. A

X. POST hæc Clotharius filium, vt prætuli, à Sanctorum memoria per se auellere cupiens, comitantibus plurimis adpropinquabat. Sed quia non minus in Reges quàm in alios homines diuina quod vult exercet potentia, qui inertes alios arguerat, fit ipse iners. vt manifestè intelligeret, quamuis ipse esset potens, potentioribus concedendum. Quippe Martyres fugitiuum tuebantur, & econtrà hostes longè à suis penetralibus arcebant.

XI. VICTVS ergo Clotharius, & rei magnitudine stupefactus, ponit furorem, filióque redit in patrem: ignoscit culpam, de securitate pollicetur. Ita demum abeundi copia concessa, ædi beatorum Martyrum succedit, eósque patronos humili prece ascíscit, quorum expertus fuerat manifestum virtutis indicium. Vtque quàm probata sibi eorum merita essent agnouit, plurimum auri & argenti ad exornandas eorum memorias obtulit, & ad exaltandam loci magnificentiam numerosa & optima prædia dedit. B

XII. ANNO verò XXXIX. regni sui Clotharius Dagobertum filium suum consortem regni facit, cúmque super Austrasios Regem statuit, retinens sibi quod Ardenna & Vosagus versus Neustriam & Burgundiam excludebant.

XIII. IGITVR anno XLII. regni Clotharij DAGOBERTVS cultu regio ex iussu patris honestè cum Ducibus Clippiaco procul * Parisius venit. Ibíque germanam Sichildis Reginæ nomine GOMATRVDEM in coniugium accepit. Transactis itaque nuptiis, die tertia inter Clotharium & filium eius Dagobertũ grauis orta fuit intentio. Petebátque Dagobertus, vt cuncta quæ ad Regnum Austrasiorum pertinebant suæ ditioni reciperet. Sed Clotharius vehementer denegabat, eidem ex hoc nihil volens concedere. Electis igitur ab his duobus Regibus duodecim Francis, vt eorum disceptatione hæc finiretur intentio, inter quos & domnus Arnulfus Pontifex Mettensis cum reliquis Episcopis eligitur, vt benignissimè, sicut sua erat sanctitas, inter patrem & filium pro pacis loqueretur concordia: tandem à Pontificibus vel sapientissimis viris Proceribus pater pacificatur cum filio. Reddénsque ei solidatum, quod aspiciebat ad Regnum Austrasiorum, hoc tantùm exindè, quod citra Ligerim vel Prouinciæ partibus situm erat, suæ dicioni retinuit.

* prope

XIV. DAGOBERTVS itaque pulcherrimus iuuenis, efficax, atque strenuus, in omnibus sollerter ingeniis probatissimus, cum PIPPINO Duce in Hoste * regnaturus à patre dirigitur. Austrasij verò Franci superiores congregati in vnum, Dagobertum super se Regem statuunt. In illis quoque diebus Saxones nimium rebelles cum BERTOALDO Duce commouerunt exercitum gentium plurimarum contra Dagobertum Regem Austrasiorum. Dagobertus verò & ipse collecto hoste plurimo Renum transit, contra Saxones ad pugnam exire non dubitat. Illisque valde pugnantibus, Dagobertus super galea capitis sui percussus est, atque abscissa particula de capite cum capillis ad terram decidit. Adtira autem armiger eius à retro stans collegit eam. At ille læsum cernens exercitum suum, dixit ad ipsum iuuenem. Perges velociter festinus deferens crines captis mei, nuncia patri meo, quatinus veniens succurrat nobis antequam cunctus corruat exercitus. Qui statim cursum arripiens Renum transiit, atque in Ardennam siluam, eo quòd Rex Clotharius eo tempore inibi moraretur, Longolarium vsque peruenit. Cúmque nunciasset ea quæ contigerant, & deferens Regi abscisam particulam de capite filij sui adpræsentasset, Rex nimio dolore commotus cum strepitu tubarum, & exercitu Francorum illicò de nocte consurgens, velociter Renum transiit, atque in auxilium filij sui celerrimè peruenit. Cúmque simul coniuncti in vnum hilari corde manibus iocundissimè plauderent, supra Vuisera fluuium tendentes fixère tentoria. Bertoaldus verò Dux Saxonum ex alia parte ripæ fluminis stans, C

* leg. vid. Austria

paratus

A paratus vt ad pugnam procederet, audiens tumultum Francorum interrogabat quid hoc esset. At illi responderunt, dicentes: Dominus Clotharius Rex aduenit, & ob hoc lætantur Franci. Quibus respondit cum cachinno dicens: Formidantes vos nimium, mentimini delirantes. Clotharium enim, quem vobiscum habere dicitis, nos mortuum esse auditum habemus. Rex autem super ripam fluminis stans, galea induto capite, crinésque cum canicie variata obuolutos habens, & hæc audiens, galeam celerrimè à suo capite deposuit. Cùm nudatum à galea apparuisset caput Regis, agnouit eum Bertoaldus Regem esse, & irridens ait: Tu hîc eras bale iumentum? Rex verò hæc audiens, valde indignatus, & hoc conuicium grauiter ferens, VVisera fluuium impatienter ingressus, cum equo velocissimo transnatauit, atque ferus vt erat corde Bertoaldum persequebatur. Francorúmque exercitus sequentes Regem, natando vix fluuium cum Dagoberto transibant per gurgites immensos. Rex itaque Clotharius persequutus Bertoaldum, certabat valde cùm eo. Dixitq; ei Bertoaldus: O Rex recede à me, ne fortè interficiam te. Qui si præualueris aduersum me, ita omnes homines dicent, quòd seruum tuum Bertoaldum gentilem intercemeris. Si autem ego interfecero te, tunc rumor magnus in cunctis gentibus audietur, quòd fortissimus Rex Francorum à seruo sit interfectus. Rex verò nequaquam adquieuit dictis eius, sed fremens ira, magis magisque insurgebat super eum. Equites itaque à longè sequentes Regem, clamabant dicentes: Confortare contra aduersarium tuum domine Rex. Erántque manus Regis valde B graues. Erat enim Rex loricatus, & aqua sinum eius dum transnataret fluuium replens indumenta omnia nimium adgrauauerat. Sed diu multúmque decertantes, tandem insurgens Rex super Bertoaldum, interfecit eum. Tolléńsque caput eius in conto, reuersus est ad Francos. Illique lugentes, (nesciebant enim quid Regi contigisset) viso eo gauisi sunt gaudio magno. Rex verò totam terram Saxonum deuastans, & omnem populum interficiens, non ibidem maiorem hominem viuentem reliquit, quàm longitudo gladij sui, quem spatam vocant, habere videbatur. Hoc itaque signum in regionem illam statuit, scilicet vt posteri discerent, quanta Saxonum perfidia extiterit, & quanta Francorum polleret potentia, quantáque Regum prouocata præualeret animositas.

XV. ANNO igitur XLV. regni sui Clotharius magnus Rex moritur, & suburbano Parisius in Ecclesia sancti Vincentij sepelitur. Dagobertus ergo audiens genitorem suum defunctum, vniuersis Principibus, quibus imperabat in Austria, iubet exercitum promouere, missósque in Burgundiam & Neustriam dirigit, vt Regni ei regimen indubitanter deberent statuere. Cúmque Remis peruenisset, suggestio peraccedens, omnes Pontifices & Duces de Regno Burgundiæ inibi se tradidisse noscuntur. Sed & Neustrasij Pontifices & Proceres, plurimáque pars Regni, Dagobertum nisi sunt expetisse.

C XVI. HAIRBERTVS autem frater eius nitebatur si posset Regnum assumere. Sed illius voluntas pro simplicitate parum sortitur effectum. BRVNVLFVS verò, qui frater fuerat SICHILDIS Reginæ, volens nepotem suum Hairbertum stabilire in Regnum, aduersus Dagobertum muscipulare cœperat. Sed huius rei vicissitudinem postea probauit euentus. Cúmque Regnum Clotharij, tam Neptricum, quàm Burgundia, à Dagoberto fuisset occupatum, captis thesauris & suæ ditioni redactis, tandem misericordia & pietate motus, consilio sapienti vsus, citra Ligerim & limitem quod tenditur partibus VVasconiæ, seu & montes Pyrenæos, pagos, & ciuitates, quod fratri suo Hairberto ad trans agendum, & ad instar priuato habitu conuiuendum posset sufficere, placuit concessisse. Pagum scilicet Tolosanum, Caturcinum, Agennensem, Petrogoricum, & Sanctonicum, vel quod ab his versus Pyrenæos montes excluditur, hoc tantùm Hairberto fratri suo regendum concessit. quod & per pactionis vinculum firmauit, vt ampliùs Hairbertus nullo tempore aduersus Dagobertum de Regno patris repetere præsumeret. Hairbertus verò sedem Tolosanam eligens, regnabat in partibus Prouinciæ Aquitaniæ. Qui post annos tres cùm regnare cœpisset, totam VVasconiam cum exercitu superans suæ ditioni redegit, & aliquantulum Regni sui spacium largiorem fecit.

XVII. DAGOBERTVS denique Deo annuente Regnum paternum retinens,

 inter alia quæ laudabiliter gessit, memor voti iamdicti, accessit ad suprà memoratum locum; & sicut in somnis præmonitus fuerat, sanctorum Martyrum Dionysij, Rustici, & Eleutherij corpora requirens, digesta eorum in sarcophagis nomina repperit, quæ & in alium eiusdem vici locum summa cum veneratione x. Kal. Maias transtulit, eorúmque memorias auro puro & purissimis gemmis exornauit. Et quamuis Ecclesiam, quam ipse à fundamine construxerat, intrinsecus miro decore fabricauerit, foris quoque desuper absidiam illam, infra quam veneranda Martyrum corpora tumulauerat, vt pleniùs deuoti animi expleret desiderium, ex argento purissimo mirificè cooperuit. A

XVIII. NAM & de proprio teloneo, quod ei annis singulis ex Massilia soluebatur, cẽtum solidos in luminaribus eiusdem Ecclesiæ eo tenore concessit, vt oleum exinde actores regij, secundum quod ordo cataboli esset, quasi ad opus Regis studiosè emerent, & sic demum missis ipsius loci annuatim traderent. Præceptúmque exinde taliter firmare studuit, vt tam in ipsa Masilia, quàm Valencia, Fossas, & Lugdunum, vel quocumque per reliqua loca transitus erat, omne teloneum de sex plaustris, quibus hoc videbatur deferri, vsquequo ad ipsam Basilicam peraccederent, omnimodis esset indultum.

XIX. GAZOFILACIVM quoque ante cornu altaris eiusdem Ecclesiæ ex argento fieri iussit, vt introducta ab offerentibus alimonia per manum Sacerdotis ipsa pauperibus erogaretur substantia, quatinus iuxta illud Euangelicum huiuscemodi eleemosyna fieret abscondita; & omnipotens Dominus, qui occulta omnia conspicit, centuplicata in æterna retributione vnicuique restitueret. B In quo etiam centum solidos annua inlatione idem Rex pro æterna recompensatione intromitti de Kalendis in Kalendas Septembris destinauit, indéque tale Præceptum edidit, vt deinceps tam ipse quàm filij sui, vel qui postmodum Reges Francorum succederent, recurso anni circulo præfinitum solidorum numerum ex ærario publico inibi inferre tempore inlibato non obmitterent. *Ipsi* autem centum solidi non alibi, nisi in omnibus distribuerentur pauperibus. nullúsque hoc præsumeret abstrahere, sed quamdiu Regnum consisteret à Regibus succedentibus suo tempore in prædicto gazofilatio inferrentur, vt de ipsa collatione, & quod Dominus ab aliis hominibus ibidem voluisset adhuc augeri, pauperes & peregrini exinde valerent per inconuulsa tempora recreari.

XX. CRVCEM etiam magnam, quæ retro altare aureum poneretur, ex auro puro & preciosissimis gemmis insigni opere ac munitissima artis subtilitate fabricari iussit, quam beatus Eligius, eo quòd illo in tempore summus aurifex ipse in Regno haberetur, cùm & alia, quæ ad ipsius Basilicæ ornatum pertinebant, strenuè prępararet, eleganti subtilitatis ingenio, sanctitate opitulante mirificè exornauit. Nempe moderniores aurifices asseuerare solent, quòd ad præsens *vix aliquis* sit relictus, qui quamuis peritissimus in aliis extet operibus, huiuscemodi tamen gemmarij & inclusoris subtilitate valeat per multa annorum *curricula, eo* quod de vsu recesserit, ad liquidum experientiam consequi. Nam & per totam C Ecclesiam auro textas vestes, margaritarum varietatibus multipliciter exornatas, in parietibus & columnis atque arcubus suspendi deuotissimè iussit: quatinus aliarum Ecclesiarum ornamentis præcellere videretur, & omnimodis incomparabili nitore vernans, omni terrena pulcritudine compta, atque inæstimali decore irradiata splendesceret. Vtque diuina laus perpetuò à Dei cultoribus ibidem ageretur, plurima & ingentia prædia addidit.

XXI. IGITVR cùm iam anno VII. in maximam partem paterni Regni, vt suprà memini, regnaret, plurimorum comitatu vallatus Burgundias ingreditur. Tantum autem timorem Pontificibus & Proceribus in Regno Burgundiæ consistentibus, seu & ceteris Ducibus, aduentus ipsius incusserat, vt cunctis esset admirandus. Pauperibus namque iustitiam quærentibus gaudium vehementer irrogauerat. Cúmque Lingonis ciuitatem venisset, tantam vniuersis sibi subditis tam sublimibus quàm pauperibus iudicabat iustitiam, vt crederetur omninò fuisse Deo placabilis. Apud quem nullum intercedebat præmium, nec personarum acceptio, sed sola dominabatur iustitia, quam diligebat Altissimus. Deinde Diuionna, immóque Latona residens aliquantis diebus, tantam intentionem cum vniuerso Regni sui populo iustitiæ iudicandæ posuerat, vt huius

A benignitatis desiderio plenus, nec somnum caperet, nec cibo satiaretur: intentissimè cogitans, vt omnes cum iustitia recepta de conspectu suo remearent. Eodem autem die quo ab Latona Caballonnum deliberare properat, priusquàm lucesceret balneum ingreditur, ibique Brunulfum auunculum fratris sui Hairberti propter infidelitatem suam interfici iussit. Qui ab Amalgario & Arneberto Ducibus, & VVillibado Patricio interfectus est. DAGOBERTVS I.

XXII. CVMQVE Caballonnum iustitiæ amore quæ cœperat perficienda ipsa intentione pergeret, post per Augustidunum Autissiodorum pergens, indéque per ciuitatem Senonas, Parisius venit. Ibique GOMATRVDEM Reginam Romiliaco villa, eo quòd esset sterilis, cum consilio Francorum relinquens, NANTHILDEM quandam speciosissimi decoris puellam in matrimonium accipiens, Reginam sublimauit. Vsque ad illud tempus, ab initio quo regnare cœperat, consilio primitus beati Arnulfi Mettensis vrbis Pontificis, & PIPINI Maioris domus vsus, tanta prosperitate regale culmen in Austria regebat, vt à cunctis gentibus immensi honoris laudem haberet. Timorem verò tam fortem sua concusserat iudicialis potentia, vt etiam deuotione concurrerent eius se tradere ditioni; quatinus gentes etiam, quæ circa limitem Auarorum & Sclauorum consistunt, eum promptè expeterent, vt ille post tergum eorum iret feliciter, intantum vt Auari & Sclaui, ceterarúmque gentium nationes manu publica ipsius ditioni se subiciendas fiducialiter sponderent. Post discessum verò beati Arnulfi, adhuc consilio Pipini Maioris domus, & Chuniberti Pontificis vrbis Coloniæ vtens, & ab ipsis fortiter admonitus, prosperitatis & iustitiæ amorem complexus, vniuersarum sibi gentium subditarum, vsque dum Parisij, vt suprà memini, peruenisset vrbem, adeò fauoribus extollebatur, vt nullus de præcedentibus Francorum Regibus illius laudibus fuisset præcellentior. Veniénsque ad veneranda sepulcra beatorum Martyrum Dionysij sociorúmque eius, Dominum precabatur, vt ea quæ cœperat ipsis Martyribus intercedentibus in eo vota perficeret. Vt autem eosdem Martyres sibi pleniùs conciliaret, Stirpiniacum villam in pago VVilcassino præsentaliter per firmitatis suæ Præceptum eorum Basilicæ tradidit.

B

XXIII. ERAT siquidem ipse præcellentissimus Princeps atque Rex Dagobertus satis admodum cautus, & ingenio astutus, circa beniuolos & sibi fideles mansuetus, rebellatibus verò seu perfidis nimium videbatur in Regno terribilis. Qui optimè regalia sceptra gubernans, & piis semetipsum benignissimum exhibens, vt leo tamen feruidus rebellium colla deprimens, exterarum gentium feritatem vallante fortitudine animi sæpissimè triumphabat. Ecclesiarum verò, & Sacerdotum atque pauperum, seu peregrinorum ditator supra modum largissimus extiterat. Exercitiis viritim & venationibus assiduè vtens, in omni agilitate corporea strenuus atque incomparabilis erat. Nempe etsi aliqua more humano reprehensibilia circa Religionem, grauatus Regni pondere, ac iuuenilis inlectus ætatis mobilitate, minus cautè secus quàm oportebat exegit, quia nemo in omnibus perfectus esse potest; credendum est tamen quòd tantarum erogatio eleemosynarum, atque Sanctorum oratio, quorum memorias ornare, & Basilicas ditare, ob redemptionem suæ animæ, supra omnes anteriores Reges incessanter studebat, apud misericordissimum Dominum, vt hoc ei clementer indulgeret facillimè impetrari posse.

C

XXIV. DENIQVE anno VIII. regni sui, cùm Austriam regio cultu circumiret, mœstúsque esset nimium eo quòd filium, qui post eum regnaret, minimè habere potuisset: quandam puellam nomine RAGNETRVDEM stratu suo asciuit; de qua eo anno largiente Domino habuit filium, multis precibus atque eleemosynarum largitionibus adquisitum. HAIRBERTVS itaque Rex frater eius Aurelianis veniens, filium eius de sancto lauacro excepit. Namque dum eundem puerum venerabilis vir Amandus Treiectensium vrbis Episcopus benediceret, eúmque caticuminū faceret, finitáque oratione nemo de exercitu tantæ multitudinis respondisset, *Amen*, aperuit Dominus os pueri, qui non ampliùs quàm XL. dies à natiuitate habebat, atq; audientibus cunctis, respondit, *Amen*. Statimque eum regenerans sanctus Pontifex sacro baptismate, impositóque nomine SIGEBERTO, Reges & vtrumque exercitum magno repleuit Dominus gaudio, atque admira-

DAGOBERTVS I. tione, huiusmodi signo. Igitur EGA quidam de primoribus cum ceteris Neustrasiis consilio Dagoberti erat assiduus. Eo anno Legati Dagoberti Regis, quos ad Eraclium Imperatorem direxerat, his nominibus, Seruatus & Paternus, ad eum reuertuntur, nunciantes pacem se cum Eraclio firmasse. A

XXV. CVM autem esset Eraclius Imperator litteris nimium eruditus, peritissimus ad vltimum Astrologus efficitur. Qui cognoscens in syderum signis quòd à circumcisis gentibus diuino nutu eius Imperium esset vastandum, ad Dagobertum Regem Francorum dirigit, petens vt omnes Iudæos Regni sui secundum fidem Catholicam baptizari præciperet. Rex verò Dagobertus hac occasione nactus, & Dei zelo ductus, cum consilio Pontificum atque sapientium virorum omnes Iudæos, qui regenerationem sacri baptismatis suscipere noluerunt, protinus à finibus Regni sui pellere iussit. Et Rex quidē hoc summo peregit studio. Sed Eraclio non de Iudæis, sed de Agarenis, id est Sarracenis circumcisis gentibus, fuerat denunciatum: quoniam ab ipsis eius Imperium postmodum noscitur esse captum, atque violenter vastatum. Anno itaque nono regni Dagoberti, Hairbertus frater eius moritur, relinquens paruulum filium nomine Childericum. quique etiam nec post moram defunctus est. Omnéque Regnum Hairberti vnà cum VVasconia Dagobertus Rex protinus suæ ditioni redegit. Ad adducendos quoque thesauros Hairberti, & sibi præsentandos, Barontum quendam Ducem direxit. Barontus autem graue dispendium fecisse dignoscitur, fideliter vnà cum thesauris furtum faciens, nimiúmque exindè fraudulenter subtraxit. B

XXVI. EODEM tempore germanus Nanthildis Reginæ nomine LANDEGISELVS defunctus est, atque in Ecclesia beatorum Martyrum Dionysij sociorúmque eius iubente Rege honorificè sepultus. Regina verò deprecante, vt pro sepultura sui fratris Alateumvillare situm in pago Parisiaco, Basilicæ prædictorum Martyrum delegaret; eo quòd prædictus Landegiselus dum viueret per Præceptum regale eandem villulam promeruerat. Rex libentissimè concedens annuit, Præceptúmque insuper de supradicto Alateo villare fieri præsentialiter iussit, atque propria firmitatis auctoritate subscripsit, & anuli impressione signari præcepit.

XXVII. Eo igitur anno Sclaui cognomento Vuinidi, quorum Regnum Samo tenebat, negociatores Francorum cum plurima multitudine interficiunt, & rebus exspoliant. Hæc autem res fuit initium scandali inter Dagobertum Regem Francorum & Samonem Regem Sclauorum. Dirigens itaque Dagobertus Sicharium * Legatarium ad Samonem, rogabat vt negociatores, quos sui interfecerant, & res eorum inlicitè vsurpauerant, cum iustitia faceret emendare. Samo autem nolens Sicharium videre, Sicharius veste indutus ad instar Sclauorum, cum suis ad conspectum peruenit Samonis, atq; vniuersa quæ sibi fuerant iniuncta eidē nunciauit: de his & aliis contentionibus, quæ inter partes ortæ fuerant, rogans vt iustitia redderetur in inuicem, eo quòd Samo & populus Regni sui Dagoberto C
„ Regi deberent seruitium. Samo verò respondens iam saucius dixit: Et terra quam
„ habemus Dagoberti est, & nos sui sumus, si tamen disposuerit nobiscum amicitias
„ conseruare. Sicharius dixit: Non est possibile vt Christiani & Dei serui cum cani-
„ bus amicitias coniungere possint. Samo econtrariò dixit: Si vos estis serui Dei, &
„ nos Dei canes, dum vos assiduè contra ipsum agitis, nos permissum habemus vos
„ morsibus lacerare. Statimque eiectus est Sicharius de conspectu Samonis. Cúmque hæc Dagoberto Regi nunciata fuissent, illicò iubet de vniuerso Regno Austrasiorum contra Samonem & Vuinidos mouere exercitum. Igitur cum tribus turmis legionum super Vuinidos exercitus ingreditur. Etiam & Langobardi ad solatium Dagoberti hostiliter in Sclauos perrexerunt. Sclaui autem his & aliis locis se econtrariò reparantes, Alamannorum exercitus cum Rodoberto Duce in parte qua ingressus est victoriam obtinuit. Langobardi item cum Dagoberto victoriam obtinuerunt, & plurimum numerum captiuorum de Sclauis Alamanni & Langobardi secum duxerunt. Rex verò terram illam deuastans, ad proprium Regnum reuersus est.

* al. Suharium

XXVIII. SIQVIDEM eodem anno inter Auaros cognomento Chunos & Regnum Hispaniæ vehemens surrexit contentio, eo quòd certarent inter se, cui deberetur Regnum ad succedendū: altera pars ex Auaris, & altera ex Bulgaris. Col-

A lecta itaque multitudine, cùm vtrique se inuicem impugnarent, tandem ab Auaris Bulgari superantur. Qui deuicti nouem millia cum vxoribus & liberis de Pannonia expulsi Regem Dagobertum expetunt, petentes vt eos in terram Francorum ad manendum reciperet. Rex autem ad hiemandum eos in Baiuuariam recipere præcepit, dummodò pertractaret cum Francis quid exindè faceret. Cúmque dispersi per domos Baiuuariorum ad hiemandum fuissent, sapienti consilio Francorum Rex Baiuuariis iubet, vt Bulgares illos cum vxoribus & liberis vnusquisque vnumquemque in domo sua in vna nocte interficeret. Quod protinus à Baiuuariis impletum est, nec quisquam ex illis remansit.

XXX. EODEM verò anno quid partibus Hispaniæ vel eorum Regibus contigerit, non prætermittam. Defuncto Sisebodo Rege clementissimo, cui Sentila ante annum circiter successerat in Regnũ, cùm esset Sentila nimium in suis iniquus, & omnium Regni sui Primatum incurreret odium, cum cõsilio ceterorum Sisenandus quidam ex Proceribus Dagobertum Regem expetiit, vt ei cum exercitu auxiliaretur, qualiter Sentilam depelleret Regno. In huius verò beneficij recõpensatione missorium aureum nobilissimum ex thesauris Gothorum, quem Thuresmodus Rex ab Etio Patricio susceperat, Regi dare promittit, pensantem auri pondera quingenta. Rex autem Dagobertus vt erat in præliis strenuus, exercitum in auxilium Sisenandi totum Regni Burgundiæ iure prælij conuocari præcepit, eidémque Abundantium & Venerandum Duces instituit. Cúmque in Hispania diuulB gatum fuisset, exercitum Francorum ad auxiliandum sibi Sisenandum adgregari, omnis Gothorum exercitus se ditioni Sisenandi subegit. Abundantius verò & Venerandus Duces Dagoberti Regis vnà cum exercitu Tolosano tantum vsque Cæsaraugustam ciuitatem cum Sisenando accesserunt; ibique omnes Gothi de Regno Hispaniæ conglobati Sisenandum sublimãt in Regnum. Abundantius autem & Venerandus cum exercitu Tolosano muneribus honorati reuersi sunt ad proprias sedes. Rex denique Dagobertus Legationem ad Sisenandum Regem per Amalgarium Ducem & Venerandum dirigit, vt missorium illum quem promiserat eidem transmitteret. Cúmque à Sisenando missorius ille Legatariis fuisset traditus, à Gothis per viam tollitur, nec eum exindè abstrahere permiserunt. Posteà verò discurrentes Legati ducenta millia solidorum missorij ipsius precium Rex à Sisenando accepit. Fertur enim quòd ipsum argentum ad opus fabricæ Ecclesiæ S. Dionysij Martyris cum aliis pluribus ornamentis Dagobertus Rex deuotissimè obtulerit. Eo namque tempore tam creberrima erat inibi obtentu Martyrum frequentia miraculorum, vt quibuscumque infirmitatibus oppressi vndique aduenientes deuoto animo eundem locum expeterent, sanitate reddita cum gaudio ad propria remearent. Quod cernens Rex, quicquid in thesauris suis preciosius inueniri poterat, ad exornandum ipsum locum indubitanter offerebat. Nam & Matriculam & Senodochium, ceteráque diuersa loca ad hoc ibidem instituit, vt pauC peres vtriusque sexus, siue etiam qui Sanctorum ope sanitati donari digni fuissent, in reliquum ipsius elemosynis sustentati, qui vellent in seruitio Ecclesiæ ac si pro gratiarum actione permanerent.

XXXI. DENIQVE anno X. regni sui, cùm ei nunciatum fuisset exercitum Vuinidorum Toringam fuisse ingressum, cum exercitu nil moratus ex Regno Austrasiorum ab vrbe Mettis promouens, transita Ardenna Magontiam adgreditur; disponénsque Renum transire, scaram de electis viris fortibus ex Neustria & Burgundia cum Ducibus & Grafionibus secum habens, Saxones missos ad eum dirigunt, petentes vt eis tributa, quæ fiscorum ditionibus desoluebant, indulgeret. Ipsi verò studio suo & vtilitate Vuinidis resistendum spondent, & Francorum limitem de illis partibus custodire promittunt. Rex itaque Dagobertus consilio Neustrasiorum adeptus, eis quod poscebant præstitit. Saxones autem, qui huius petitionis suggerendi causa venerant, sacramentis, vt eorum mos erat, super arma patratis, pactum pro vniuersis Saxonibus firmant. Sed parum hæc promissio sortitur effectum. Attamen Saxones tributum, quod reddere consueuerant, per præceptionem Dagoberti hactenus habent indultum. Quingentas enim vaccas inferendales annis singulis à Clothario seniore censiti reddebant. quod tunc à Dagoberto Rege cassatum est.

XXXII. ANNO itaque XI. regni sui, cùm Vuinidi iussu Samonis iterum fortiter

sæuirent, & sæpe transcenso proprio limite, Regnum Francorum vastandum, Toringam, & reliquos pagos ingrederentur: Dagobertus Rex Mettis vrbem veniens, cum consilio Pontificum seu & Procerum, omnibúsque Primatibus Regni consentientibus, SIGEBERTVM filium suum in Regno Austriæ sublimauit, sedémque Mettis ciuitatem habere permisit. Chunibertum verò Coloniæ Pontificem, & ADALGISVM Ducem Palatij ad Regnum gubernandum instituit, thesaurúmque quod sufficeret filio tradidit. Et condignè, vt decebat, eum huius culminis honore sublimauit, & quodcúmque eidem largitus fuerat præceptionibus robotandum decreuit. Deinceps enim Austrasiorum studio limitem & Regnum Francorum contra Vuinidos vtiliter defensare noscitur. A

XXXII. CVMQVE anno XII. Dagoberti Regis eidem filius nomine HLVDOVVIVS * de Nantilde Regina natus fuisset, consilio Neustrasiorum, eorúmque admonitione per pactionis vinculum cum Sigeberto filio suo firmasse cognoscitur: atque Austrasiorum omnes Primates & Pontifices, ceteríque Duces Sigeberti manus suas ponentes, insuper sacramentis firmauerunt, vt Neptricum & Burgundia solidato ordine ad Regnum HLVDOVVII post Dagoberti Regis discessum aspiceret. Austrasia verò eodem ordine solidata, eo quòd & de populo & de spatio esset coæquans, ad Regnum Sigeberti, eidémque in integritate deberet aspicere, & quicquid ad Regna Austrasiorum iam olim pertinuerat, totum Sigebertus Rex suæ regendum ditioni reciperet, & in perpetuo dominandum haberet, excepto Ducatu Dentilonis, quod ab Austrasiis nequiter ablatum fuerat, iterum ad Naustrasios subiungeretur, & HLVDOVVII regimini subiceretur. B Sed has pactiones Austrasij terrore Dagoberti Regis coacti, vellent nolléntque firmasse visi sunt. quas & post temporibus Sigeberti & Hludouuij Regibus conseruatas fuisse constat.

* aliis CLODOVEVS

XXXIII. PER idem tempus Dagobertus Rex Parisius rediens, atque in amore sæpedictorum Martyrum Dionysij sociorúmque eius, propter magnificas, quas ad eorum veneranda sepulcra cotidie Dominus operabatur, virtutes, magis ac magis gliscens, areas quasdam infrà extráque ciuitatem Parisij, & portam ipsius ciuitatis, quæ posita est iuxta Carcerem Glaucini, quam negociator suus Salomon eo tempore præuidebat, cum omnibus teloneis, quemadmodum ad suam cameram deseruiri videbatur, ad eorum Basilicam tradidit, & per Præcepti sui auctoritatem perpetualiter id mansurum esse, proprij nominis subscriptione, atque anuli impressione firmauit.

XXXIV. IN ipso quoque tempore annuale mercatum, quod fit post festiuitatem ipsorum excellentissimorum Martyrum prope idem Monasterium, eidem sancto loco & fratribus Deo & sanctis Martyribus ibidem deseruientibus concessit, & exinde huiusmodi Præceptum firmare studuit, vt omne teloneum vel quicquid ex eo fisci partibus sperare poterat, & quod in ipsa ciuitate, seu in omnibus locis reliquis, infra ipsum pagum Parisiacum inibi denominatis, ab ipsa festiuitate vsque dum illud mercatum finiretur, iure exigi quacumque iudiciaria potestate valuisset, pro æterna retributione, atque vt eisdem Dei seruis deuotiùs pro eo omni tempore futuro diuinam delectaretur exorare clementiam, totum ex integro absque vlla exceptione siue diminutione in eorum vsibus perpetualiter sanciret esse indultum. C

XXXV. ANNO itaque XIII. regni sui, cùm Sadregiselus Dux Aquitanorum * à quibusdam hominibus interfectus esset, de quo supra mentionem fecimus, quòd propter contemptũ sui eum flagellis affici & barbæ rasione deturpari in sua infantia Dagobertus iusserit, & ob hoc patrem metuens tutelam sanctorum Martyrum expetierit: & cùm haberet ipse Sadregiselus filios in Palatio educatos, qui cùm facillimè possent mortem patris euindicare noluerunt, propterea postea secundum legem Romanam à Regni Proceribus redarguti, omnes paternas possessiones perdiderunt. Cúmque omnia ad regalem fiscum fuissent recepta, præcellentissimus Rex Dagobertus Ecclesiæ Christi Martyrum Dionysij sociorúmque eius, easdem villas iamdicti Sadregiseli, id est Nouientum in pago Andegauense, Parciacum, seu Nuiliacum, necnon Podentiniacum, & Pascellarias, atque Anglarias in pago Pictauense, aliásque quamplures cum salinis supra mare, quarum nomina hîc recensere longum duximus, deuotissimè tradidit: medietatémque earum

* al. Equitaniorum

A in stipendiis fratrum Deo ibidem seruientium contulit, atque eos turmatim ad instar Monasterij Agaunensium siue sancti Martini Turonis psallere instituit, & aliam medietatem matriculariis ac seruitoribus ipsius Ecclesiæ concessit, nihil exinde ad suum opus retinere volens. Easdem autem villas infra vnius Præcepti conclusionem nominatim inserens, proprij nominis subscriptione atque anuli impressione firmauit. Quarum nomina si aliquis diligentiùs perquirere voluerit, ipsam præceptionis Cartam in archiuo ipsius Ecclesiæ requirat, & vt reor viginti & septem villarum nomina inibi inserta inueniet. DAGOBERTVS I.

XXXVI. ANNO denique XIIII. regni sui cùm VVascones fortiter rebellarent, & multas deprædationes in Regno Francorum, quod Haribertus tenuerat, facerent, Dagobertus Rex de vniuerso Regno Burgundiæ exercitum promoueri iubet, statuens in capite Adoindum Referendarium, qui temporibus Theoderici quondam Regis in multis præliis probatus est strenuus. Cum quo x. Duces, vna cum exercitibus missi sunt: id est Harimbertus, Amalgarius, Leudobertus, VVandalmarus, VValdericus, Ermenricus, Barontus, Hairhardus, ex genere Francorum: Ramelenus ex genere Romano: VVillebadus Patricius ex genere Burgundionum, Agino ex genere Saxonum. excepto Comitibus plurimis, qui Ducem super se non habebant. Qui omnes in VVasconiam vnà cum exercitu perrexerunt. Cúmque tota VVasconiæ patria ab exercitu Burgundiæ fuisset repleta, VVascones de inter montium rupibus egressi ad bellum properant. Et B cùm præliari cœpissent, vt eorum mos est, terga vertentes, dùm cernerent se esse superandos, in fauces vallium montiúmque pinnas latebram dantes, se locis tutissimis per rupes eiusdem montis collocantes latitarent: exercitus post tergum eorum cum Ducibus insequens, plurimum numerum captiuorum vinci, VVascones superatos, seu ex his multitudine interfecta, omnésque domos eorum incensas, peculiis & rebus expoliant. Tandem VVascones oppressi atque perdomiti, veniam & pacem à supradictis Ducibus petentes, promittunt se gloriæ & conspectui Dagoberti Regis præsentatos, séque ipsius ditioni traditos, cuncta ab eodem iniuncta impleturos. Feliciter autem Regis exercitus absque vlla læsione ad patriam esset reuersus, si Harimbertus Dux maximè cum Senioribus & nobilioribus exercitus sui per negligentiam à VVasconibus in valle Robola non fuisset interfectus. Exercitus verò Francorum, qui de Burgundia in VVasconiam accesserat, patrata victoria rediit ad proprias ædes.

XXXVII. EODEM autem tempore deuotissimus Rex Dagobertus Ecclesiam Christi Martyrum Dionysij ac sociorum eius heredem propriorum fecit præceptorum subscriptionibus de Campania villa, quæ sita est in pago Camliacense, quam eidem Regi quædam mater familias nomine Theodila tradiderat: & de Tibernione *, quæ sita est in pago Aurelianensi, quam idem Rex cum sancto Ferreolo Augustidunensi Episcopo commutauerat: necnon & de Clippiaco superiore, & Idcina, atque Salice, seu Aquaputta, quæ omnes constant in pago Pa- * Tiuernione.
C risiaco: seu etiam de Latiniaco, quæ sita est in territorio Meldico, quam ipse Rex cum BOBONE Duce, & TACILONE Comite Palatij, de suo proprio fisco commutauerat. Sanctorum semper auxilium contra visibiles & inuisibiles aduersarios expetens: vt sicut ei tempore pubertatis in somnis prædicti Martyres promiserant, ab imminentibus angustiis eum eriperent, atque ei & in vita & post mortem pollicita suffragia ferrent. Super hæc verò centum vaccas inferendales, quæ ei de Ducatu Cinomannico annis singulis soluebantur, Fratribus inibi Deo seruientibus per proprij Præcepti subscriptionem, vt eisdem pro eo Dominum & sanctos Martyres deuotiùs delectaretur exorare, visus est omni futuro tempore annuatim concessisse.

XXXVIII. POST hæc itaque Dagobertus Rex Clippiaco Palatio residens mittit nuncios in Britanniam, vt quæ Britanni contra suos admiserant emendarent, & ditioni eius se traderent. Alioquin exercitus supradictus Burgundiæ, qui in VVasconiam fuerat, præsentaliter in Britanniam irrueret. Quod audiens IVDICAIL Rex Brittannorum, cursu veloci Clippiaco cum multis muneribus ad domnum Dagobertum Regem peruenit. Ibique veniam petens, cuncta quæ sui Regni Britanni contra Duces Francorum inlicitè perpetrauerant, emendandum spondet. & seper se & Regnum Britanniæ, quod ipse regebat, subiectum ditioni Regis Dagoberti

DAGO-BERTVS I. esse, postmodum omni tempore Francorum Regibus iureiurando promittit. Sed tamen cum Dagoberto Rege ad prandium discumbere noluit, eo quòd esset Iudicail religiosus & timens Deum valde. Cúmque Rex resedisset ad mensam, Iudicail egrediens de Palatio ad mansionem DADONIS Referendarij, qui vocabulo AVDOENVS dictus est, posteáque Episcopus Rotomorum extitit, quia cognouerat eum Iudicail sanctam religionem sectantem, cum eo accessit ad prandium. Indéque in crastinum Iudicail Rege Dagoberto vale dicens, in Britanniam repedauit. Condignè tamen à Rege muneribus honoratur. A

XL. EODEM siquidé anno Dagobertus Rex postquã omnes gentes, quæ in circuitu Regni sui erant, subiugauerat, & opitulante Domino iam pace firmata, filiósque suos Sigebertum, & Hludouuium, vt supradiximus, Reges designauerat, consilio diuinitus inspirato, conuocatis filiis, omnibúsque totius Regni Primatibus, x. Kal. Iunias in Palatio Bigargio Placitum generale instituit. Cúmque vt Francorum Regibus moris erat, super solium aureum coronatus resideret, omnibus coram positis ita exorsus est: Audite me, ô vos Reges & dulcissimi filij, omnésque Proceres, atque fortissimi Duces Regni nostri. Priusquam subitanea transpositio mortis eueniat, oportet pro salute animæ vigilare, ne fortè inueniat aliquem imparatum, eique sine aliquo respectu præsentem lucem auferat, atque perpetuis tenebris, & æternis eum tormentis tradat. Quin potiùs, dum proprio libertatis iure subsistit, ex caducis substantiis in æterna tabernacula vitam quærat mercari perpetuam: vt inter consortium iustorum desiderabilem valeat adipisci locum, & retributorem sibi præparet Dominum, atque ex rebus transitoriis ad loca venerabilia Sanctorum in alimoniis pauperum curet impendere, quatenus ab ipso Domino fructum indeficientis paracliti inter astra matutina mereatur refoueri. De cuius fonte viuo perfecta fide poscenti nec subtrahitur poculum, nec minuitur alueus, sed potiùs quisquis hauserit irrigatur dulcedine cœlitus, atque suauis ei flagrat odor balsami paradisi. Et ideò ego discutiens conscientiam ac mei cordis excessum, atque considerans examinationem superni Regis, iudiciúmque ipsius metuens, necnon etiam verens pœnas hominum infelicium, maximè autem concupiscens gloriam infinitam iustorum, & præcauens illud, ne vltimus dies iuxta dispensationem Domini, nos de memoria Sanctorum, vel consolatione egentium pigros inueniat, ita nobis sana mente sanóque consilio placuit, & vt iam diximus, deuotio animæ admonuit, pro æterna retributione testamentum condere, in quo Basilicas Sanctorum penè omnes Regni nostri temporibus nostris nominatas propriis nostris donationibus heredes fieri præciperemus, & pro immutabili beneficio quatuor vno tenore, vnóque temporis momento, vobis omnibus conscientibus firmare decreuimus, & quicquid vbique ad loca Sanctorum per eadem nunc ad præsens contulimus, infra simili adnotatione contextimus. Ex quibus vnum Lugduno Galliæ dirigimus, alium verò Parisius in archiuo Ecclesiæ commendamus, tertium Mettis ad custodiendum domno ABBONI donamus. Quartum autem, quem & in manibus tenemus, in thesauro nostro reponi iubemus. Hæc igitur propria extat nostra deuotio, & hæc Domini nostri consolatio, qui perfecta vota dignanter excipit: quia videlicet illi certa fiducia in die necessitatis manebit, quisquis locis Sanctorum, atque Sacerdotibus & egenis hîc alimoniam tribuit. quoniam Scriptura teste fœneratur Domino qui miseretur pauperi, & ipse regnator Olympi vicissitudinem reddet ei. Vnde, sicut diximus, pro remedio animæ nostræ ipsa condicio admonuit, vt post discessum, quandoquidem Deus iusserit, nostrum, Sacerdotes qui in illo tempore in locis infra scriptis officij curam gesserunt, sicut in præsenti pagina continetur, absque vllius expectata traditione præsentaliter cum omni integritate recipiant, atque ad supra scripta loca Sanctorum in reliquum cuncta aspiciant, & sub integra emunitate pro nostra mercede ibidem in perpetuum proficiant. Cúmque vnusquisque eorum sibi collata tempore illo receperit, nomen nostrum in libro vitæ omnimodis inserat, & omnibus Dominicis diebus, seu præcipuis Sanctorum sollemnitatibus per omnia recenseat. Illud verò, quod ad medelam animæ nostræ pleniùs pertinere confidimus, per hanc paginam vos Sacerdotes temporibus illis in ipsis sanctis locis consistentes, & officia inlibata procurantes, per cœlestem Regem coniuramus, cùm sibi collata vnusquisque perceperit, insequentibus diebus

A tribus annis Missas pro nobis celebrent, & sacrificia misericordissimo Regi pro sarcina commissa peccaminum soluenda omnimodis offerant. Hoc verò testamentum Domino iudice ac teste præcipuè per hanc paginam omnibus qui adestis consentientibus committimus dulcissimis filiis nostris Sigeberto & Hludouuio Regibus, quos nobis Christi largitio concessit habere in prole, aut quos adhuc Dominus dederit filios, qui nobis succedere debeant, vt hoc cõmune nostrum decretum faciatis in omnibus conseruare, & hæc collata nostra non præsumatis cõuellere. Sed per omnipotentis nominis Trinitatem, vel virtutes Archangelorum, Patriarcharum, & Prophetarum, Apostolorum, atque Martyrum, omniúmque Sanctorum, & tremendum diem iudicij, seu aduentum Domini nostri IESV CHRISTI, ante cuius conspectum resurgere videmur, coniuramus, quatinus statuta nostra, quæ præsens declarat Scriptura, stabili firmitate perpetim faciatis custodire. Nos autem præsentes Cartas testamenti pro nostra in perpetuum mercede propria studemus roboratione firmare, & omnibus qui adestis Episcopis, Abbatibus, Proceribus, atque magnificis viris ad præsens iubemus vestris subscriptionibus vel signaculis adfirmare. Et iterum iterúmq; sicut supra diximus, vos Reges & dulcissimi filij, vel qui postmodum nobis successuri sint admonemus, quatinus facta nostra nullomodo præsumatis conuellere, si ea quæ post nostrum discessum statueritis inconuulsa manere vultis. quia illud nolo dubitetis, quòd successores & vos habituri eritis, & si nostra non conseruaueritis, nec vestra statuta B stabilia esse credatis. Cúmque hoc Rex omnibus intentè audientibus prudentissimè perorasset, cuncti longæuam ei vitam pacémque Regni gratanter optantes, prædictum testamentũ tam ipse Rex quàm omnes Regni Primates alacriter firmauerunt. In quo etiam non immemor peculiaris patroni sui domni Dionysij, quamuis eidem iam plurima prædia contulerit, villam nomine Brauniadum inserere studuit. Ordinatísque rite omnibus, quæ ad Regni honorem pertinebant, omnes cum gaudio ad propria remeare concessit. Illud verò testamentum, quod in Thesauro suo reponi iusserat, vsque hodie in archiuo Ecclesiæ beatorum Martyrum Dionysij ac sociorum eius venerabiliter custoditur.

XLI. DENIQVE eodem tempore plumbum, quod ei ex metallo censitum in secundo semper anno soluebatur, libras octo milia ad cooperiendam eandem supradictorum beatorum Martyrum Ecclesiam eo ordine concessit, vt tam per Regales, quàm & per easdem villas, quas ipse ante eidem sancto loco contulerat, in alio semper anno adduceretur, & à gentibus vel Thesaurariis ipsius venerandi Monasterij traderetur. quatinus sicut ipse Basilicam eorumdem Martyrum deuotissimè tegere videbatur, ita ipsis intercedentibus eum omnipotens Deus vmbrâ suarum protegeret alarum. Nam & Præceptum exinde taliter firmare studuit, vt omni pòst futuro tempore à Regibus succedentibus eadem traditio inuiolabiliter obseruata custodiretur.

C XLII. ANNO igitur XV. regni Dagoberti, VVascones omnes seniores terræ illius cum HAMANDO Duce ad Regem Clippiaco venerunt, ibique in Ecclesiam sancti Dionysij Martyris regio timore perterriti confugium fecerunt. Clementia verò Regis Dagoberti ob reuerentiam sancti Dionysij vitam habent indultam. Ibique ipsi sacramenta firmantes, simul & promittentes omni tempore Regi & filiis eius, Francorúmque Regno se esse fideles, quod more solito sicut semper fefellerant post hæc probauit euentus, permissu Regis regressi sunt in terram VVasconiæ.

XLIII. LONGVM est enarrare quàm prouidus idem Rex Dagobertus in consilio fuerit, cautus iudicio, strenuus militari disciplinâ, quàm largus elemosynis, quámque studiosus in componenda pace Ecclesiarum, præcipuéque quàm deuotus extiterit in ditandis Sanctorum Cœnobiis, præsenti opere declarare, minúsque necessarium, & maximè ob fastidientium lectorum vitandum tædium: præsertim cùm nullis abolenda temporibus luce clariora earum rerum extent indicia. Idcirco nunc ad obitum ipsius describendum vertens articulum, quid in ipsa infirmitate positus gesserit, & vnum quod in quadam vetustissima repperi Charta, quam vt ferebatur beatus Audoenus Episcopus scripserat, quódque memorato Regi eius post mortem contigit, breuiter narrabo miraculum. Post gloriosam Regni administrationem XVI. postquam Regnum sortitus fuerat anno, pro

DAGOBERTVS I.

fluuio ventris Spinogilo villa super Sequanam fluuium, nec procul Parisius ægrotare cœpit. A Exinde verò ad Basilicam sancti Dionysij Martyris à suis defertur. Post paucos autem dies, cùm vitæ suæ sentiret periculum imminere, Egam Consiliarium suum sub celeritate ad se venire præcepit. Reginam verò Nanthildem & filium suum Hludouiuum eidem in manu commendans, seq; iam discessurum sciens, consilium tamen eius pergratum habebat, quòd cum ipsius instantia Regnum filius suus strenuè gubernare posset. Conuocatis deinde primoribus Palatij, filiúmque & vxorem eis, & ipsos eidem cum fidelitatis sacramento vt moris est commendans, matriculariis quoquo iamdictæ Basilicæ beatorum Martyrum de villis Acuciaco & Cusduno, immóque Magno-villare, & Mediano-villare, atque Gellis præceptum fieri iussit. In quo etiam Sarclidas, quam antea iisdem contulerat, inseruit. Omnibúsque Optimatibus dolore consternatis, virtute qua potuit benignissimè consolatus est, & inter cetera quæ ad memoriam reducere longum est, hæc intulit. Quamuis miserrimus homo quamdiu incolumis est, semper præ oculis debeat habere futuram omnipotentis Dei discussionem iudicij, in ægritudine tamen positus de illius piissima misericordia nullomodo debet desperare, sed pro salute animæ suæ attentiùs eum oportet inuigilare, & de propriis rebus quantum possibile est in alimoniis pauperum semetipsum redimere. quatenus apud misericordissimũ iudicem ęternã post obitum valeat retributionem adquirere. Idcirco ego pro remedio animę meę matriculariis basilicę domni Dionysij peculiaris patroni nostri, in qua ipse preciosus Martyr cũ sociis suis corpore quiescit, B & nos sepeliri optamus, villas quæ in præsenti cõtinentur Præcepto præsentaliter cum omni integritate conferimus: & sicut à fisco nostro hactenus fuerunt possessæ, ita ex nostra indulgentia propter adquirendam animæ nostræ salutem, vel pro filiorum nostrorum stabilitate, prædictis matriculariis, qui in præfata Basilica vel atrio eius deseruiunt, præsenti & futuro tempore in perpetuum proficiant, nullúsque de filiis aut Regibus vmquam nostris successoribus, nec Pontifex, nec Abba ipsius Monasterij prædictas villas, & Sarclidas, quam antea iisdem fratribus contulimus, ab eis auferre præsumat, si iram Dei & offensam domni Dionysij non optat incurrere. Quod si quis præsumpserit, ante tribunal Domini nostri Iesu Christi cum sancto Martyre & ipsis matriculariis exinde rationem deducat. Annualis enim victus inde Deo donante, vt credimus, sæpedictis pauperibus poterit sufficere, vt semper pro anima nostra & ipsos & successores eorum nostra pasti eleemosyna pleniùs atque deuotiùs delectet orare. Nos verò præsens Præceptum iam minimè valemus subscribere, quia inualescente ægritudine calamus in manu nostra trepidat. Et propterea rogamus dulcissimum filium nostrum Hludouiuum Regem, vt per signaculum sui nominis istam Cartam adfirmet, & Dado eam offerat, & Optimates nostri illam subscribant. Cúmque Rex hîc loquendi finem fecisset, filius eius Rex Hludouuius ipsum Præceptum secundum iussionem patris, offerente Dadone Referendario, subscripsit, omnésque Proceres qui in præsenti aderant propriis eundem subscriptionibus firmauerunt. His C taliter explosis, post paucos dies XIIII. Kal. Februarias, Christianissimus Rex Dagobertus humanis rebus exemptus est. Intolerabis autem luctus subitò repleuit Palatium, vniuersúmque Regnum ob ipsius mortem acerbissima occupauit lamentatio.

XLIIII. CONDITVS autem aromatibus cum ingenti populorum dolore atque frequentiã translatus est in Basilicam beatissimorum Martyrum, quam ipse, vt suprà diximus, condignè ex auro & gemmis & multis preciosissimis speciebus ornauerat, & condignè in circuitu fabricare præceperat, atque iuxta eorum tumulum in dextrò latere honore merito sepultus. Tantæ verò opes ab eodem, & villæ ac possessiones multæ per plurima loca ibi fuerant conlatæ, etiamque hîc minimè ob fastidium, vt iam dixi, quorundam vitandum recensentur, vt hodiéque deuotio animi ipsius miretur à pluribus. Ordinem autem psallentium ibidem ad instar Monasterij Agaunensium, & sancti Martini Turonis instituerat, sed facilitas Abbatis Agiulfi * eandem institutionem noscitur refragasse.

* Haigulfi.

XLV. LEGATIONEM tum fortè illustris defensor Pictauensis Ecclesiæ Ansoaldus in partes Siciliæ agebat. Ea peracta, cùm nauali reuerteretur subsidio, applicuit ad quandam breuem insulam, in qua reuerentissimus quidam senex, cui

A nomen erat Iohannes, solitariam ducebat vitam. ad quem mare commeantium, vt orationis eius fulcirentur solatio, plurimi ventitabant. In hanc ergo insulam tanti viri meritis redimitam appulsus diuino nutu Ansoaldus, dum de cœlestibus gaudiis cum eo sermocinaretur, interrogat senex vnde, vel cur venisset. Igitur cognito de Galliis qua de causa missus fuisset, rogat senex vt Dagoberti Regis Francorum sibi mores studiúmque exponat. Quod cùm ille diligenter fecisset, senex addidit, quòd dum quadam die, vt pote iam fractus ætate, & fatigatus vigiliis, quieti paululum indulsisset, accessisse ad se virum quendam canitie venerandum, séque expergefactum admonuisse, quatinus properè surgeret, & pro Dagoberti Regis Francorum anima diuinam clementiam exoraret, eo quòd ipso die spiritum exalasset.] Quod dũ facere maturaret, apparuisse sibi haud procul in pelago teterrimos spiritus vinctum Regem Dagobertum in lembo per spacium maris agitantes, atque ad Vulcania loca, inflictis insuper verberibus, trahentes, ipsúmque Dagobertum beatos Dionysium & Mauricium Martyres, & sanctissimum Confessorem Martinum ad sui liberationem continuis vocibus flagitantem. Nec mora intonuisse cœlum, fulmináque per procellas disiecta, intérque ea repente apparuisse præcellentissimos viros niueis comptos vestibus, séque tremefactum ex eis quæsisse quinam essent. illósque respondisse, quos Dagobertus in adiutorium vocauerat, Dionysium scilicet & Mauricium ac Martinum esse, vt eum ereptum in sinu Abrahæ collocarent. Itaque hostes humani generis velociter insequen-B tes, animam quam verberibus minísque vexabant exemptam ad æthera secum leuasse canentes, *Beatus quem elegisti & assumpsisti Domine, inhabitabit in atriis tuis. Replebimur in bonis domus tuæ, sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.* Hæc in memorata Charta inter alia ferebantur, quæ non tam verisimilia, quàm verissima, vt arbitror, videri possunt. Quoniam idem Rex cùm & alias longè latéque Ecclesias ditasset, tum præcipuè horum copiosissimè locupletauit. Vnde & eorum post mortem flagitabat auxilium, quos præ ceteris se dilexisse meminerat.

DAGOBERTVS I.

XLVI. ITAQVE post Dagoberti Regis discessum, filius eius HLVDOVVIVS sub tenera ætate sibi Regnum patris asciuit, omnésque Duces de Neustria & Burgundia eum Massollaco villa sublimant in Regnum. Ega verò, qui fuerat Consiliarius Regis Dagoberti, cum Regina Nanthilde, quam idem Rex reliquerat, anno primo Regni Hludouuij, & secundo imminente regni, condignè Palatium gubernabat & Regnum. Ipse namque inter ceteros Primates Neptrici prudentiùs agens, & plenitudine patientiæ imbutus, cunctis erat præcellentior. Erátque genere nobilis, opibus abundans, iustitiam sectans, eruditus in verbis, paratus in responsis. Tantummodò à plurimis blasphemabatur, eo quòd esset auaritiæ deditus.

CLODOVEVS II.

XLVII. IGITVR post obitum Dagoberti Regis, quo ordine eius thesauri inter filios diuisi fuerint, non obmittam, sed dilucidato ordine serie libelli in-C serere procurabo. Cùm Pipinus Maior Domus post discessum Regis, & ceteri Austrasiorum Duces, qui vsque in transitu Dagoberti ei fuerant ditione detenti, SIGIBERTVM vnanima conspiratione expetissent, Pipinus cum Chuniberto, sicut & prius amicitiæ cultu inuicem coniuncti fuerant, & nuper inter se sicut & antea amicitiam vehementer firmitérque perpetuò conseruandam ligant: omnésque Duces Austrasiorum secum vterque prudenter & cum dulcedine attrahentes, eósque benignè gubernantes, eorum amicitiam constringunt semper seruandam. Igitur discurrentes Legati partem Sigeberti debitam de thesauris patris Dagoberti, Nanthildi Reginæ & Hludouuio, Sigeberto habendam requirunt. ad quam reddendam Placitus instituitur. Chunibertus itaque Pontifex vrbis Coloniæ, & Pipinus Maior domus, cum aliquibus Primatibus Austriæ, à Sigeberto directi villam Compendium vsque perueniunt, ibique thesauri diuæ memoriæ Dagoberti Regis iubente Nanthilde & Hludouuio Rege instantiâ Egani Maioris Domus præsentantur, & æqua lance diuiduntur. Tertiam tamen partem de omnibus, quæ Dagobertus Rex adquisierat, postquam Nanthildis Regina regnare cœperat, eidem reseruant. Chunibertus verò & Pipinus Maior domus partem Sigeberti Mettis faciunt perduci, ibique Regi Sigeberto præsentatur atque describitur. Post ferè euoluto anni circulo Pipinus moritur, nec par-

CLODOVEVS II. uum dolorem eius transitus cunctis generauit in Austria, eo quòd ab ipsis pro iustitiæ cultu, & bonitate, nimium dilectus fuisset. Ega quoque anno tertio Hludouuij Regis Clippiaco villa febre vexatus, & ipse moritur. A

XLVIII. POST discessum verò eius, HERCHINOALDVS, qui ex parte genitricis Dagoberti Regis consanguineus fuerat, Maior domus in Palatio Hludouuij efficitur. Erat enim homo patiens, bonitate plenus, cautus ingenio, seruos Dei omnésque Sacerdotes humiliter venerans, rebus admodum mensuratè ditatus, qui ab omnibus Regni Primatibus miro venerabatur affectu. Anno verò IIII. Regni Hludouuij, cùm Nanthildis Regina post discessum Egani vnà cum filio Aurelianis in Burgundiæ Regnum venisset, ibi omnes seniores Pontifices cum Ducibus & primoribus ipsius Regni ad se venire præcepit, cunctósque sigillatim benignissimè attrahens, Flaucatum genere Francum Maiorem domus statuit in Regno Burgundiæ: Pontificum & Ducum electione huiusmodi honoris gradu eum stabiliens, neptémque suam nomine RAGNEBERTAM ipsi desponsauit.

XLIX. TESTAMENTVM autem de villis, quibus eam Rex Dagobertus, & filius ipsius Hludouuius ditauerant, eodem tempore ad loca opportuna Sanctorum fieri ordinauit. in quo etiam Latiniacum villam, quæ sita est in Brieio, ad Basilicam domni Dionysij tradens, inserere iussit. Tria siquidem exemplaria vno tenore exinde scribi præcepit, ex quibus vnum in scriniis sæpedictæ Ecclesiæ vsque hodie custoditur. His ita compositis, & rebus prosperè ab ea gestis, filióque iam vtiliter in Neptrico & Burgundia regnante, Nanthildis Regina moritur, atque in Ecclesia beatorum Martyrum Dionysij ac sociorum eius iuxta Dagobertum Regem in eodem sepulchro sepelitur. B

L. DEINDE Hludouuius filius eorum, parentibus, vt prædiximus, à seculo decedentibus, in Regnum successit. & Præcepta quæ gloriosus Rex pater suus propria auctoritate firmans sanctorum sæpedictorum Martyrum Ecclesiæ contulerat, ipse quoque suo tempore studuit renouare, atque propriæ manus subscriptione, & anuli item impressione firmare. Anno verò XIIII. Regni sui absidam, infra quam prædictorum Christi Martyrum Dionysij ac sociorum eius corpora requiescunt, quam inclytus Rex pater suus desuper argenteo, vt prætuli, tegumento deuotissimè foris operuerat, quorundam suasione & consilio ipsum argentum desuper prædicta absida pauperibus Christi & egenis atque peregrinis, quia vt fertur eo tempore fames valida inerat, erogari præcepit, & insuper Aigulfo Abbati, cui tunc cura Monasterij ipsius commissa erat, præceptum huiusmodi dedit, quatinus ipse Abba hoc cum timore Dei fideliter studeret adimplere, nullámque requisitionem nec à suo Pontifice, eo quòd adhuc illo tempore Monasterium illud sub potestate Pontificis Parisiorum Ecclesiæ videbatur esse subiectum, nec à quolibet vnquam homine pertimesceret.

LI. SVCCEDENTE verò tempore, XVI. anno regni sui HLVDOVVIVS Rex Clippiaco residens, conuocatis Pontificibus, necnon & Regni Primoribus, Regio stemmate ex more comptus, inter ceteras principalium rerum actiones, ob quas pro salute Regni tractandas Optimates, vt diximus, congregauerat, diuino impellente nutu ita cœpit: Oportet nos sedulè secundum paternam institutionem locis venerabilibus Sanctorum reuerentiam exhibere, vt eos in die necessitatis patronos & defensores contra inuisibiles hostes possimus habere. Ideóque consilium, quod, vt credo, omnipotens Dominus cordi nostro dignatus est inserere, vos domni & sanctissimi Sacerdotes, necnon Regni & Palatij nostri Principes, intenta aure percipite, & si probaueritis esse vtile vnà mecum Christo protegente salubriter pertractate. Siquidem omnipotens Pater, qui dixit de tenebris lumen splendescere, per incarnationis mysterium vnigeniti filij sui Domini nostri IESV CHRISTI, vel inlustratione sancti Spiritus inluxit in corda Sanctorum Christianorum, pro cuius amore & desiderio inter gloriosos triumphos Martyrum beatissimus Dionysius, Rusticus, & Eleutherius, meruerunt palmam victoriæ & coronam percipere gloriosam. In quorum Basilica, vbi requiescere videntur, per multa tempora non minima miracula ad laudem sui nominis Christus dignatus est operari. In quo etiam loco genitores nostri domnus Dagobertus & domna Nanthildis videntur requiescere. Vt per intercessionem sanctorum illorum C

CLODOVEVS II.

A rum in cœlesti Regno mereantur participes esse, & vitam æternam possidere. Et quia ab ipsis Principibus, & à ceteris priscis Regibus, vel à Deum timentibus Christianis hominibus ipse sanctus locus in rebus propter amorem Dei, & adipiscendam vitam æternam, cernitur esse ditatus, nostra integra deuotio atque petitio extat, vt Apostolicus vir LANDERICVS Parisiacæ Ecclesiæ Episcopus priuilegium ad ipsum sanctum locum Abbati vel fratribus ibidem consistentibus facere & confirmare, si vobis ita videtur, pro quiete futura debeat, quo faciliùs congregationi ipsi liceat pro stabilitate Regni nostri ad limina Martyrum ipsorum diuinam clementiam iugiter exorare. Hoc autem & ipse Pontifex iuxta petitionem deuotionis nostræ promptissima voluntate præstare, & confirmare dinoscitur. Nos verò pro reuerentia ipsorum Martyrum, vel nostra confirmanda mercede, huiuscemodi præceptum præsentaliter vna vobiscum confirmare volumus, vt si qua ad ipsum sanctum locum, in villabus, mancipiis, vel quibuscunque rebus à priscis Regibus seu genitoribus nostris, vel Deum timentibus hominibus propter amorem Dei ibidem delegata, aut deinceps fuerint addita, dum ex munificentia parentum nostrorum, vt diximus, ipse sanctus locus videtur esse ditatus, nullus Episcoporum, nec qui præsens, nec qui futuri erunt successores, aut eorum ordinatores, vel qualibet persona possit quoquo ordine de loco ipso aliquid auferre, aut aliquam potestatem sibi in ipso Monasterio vsurpare, aut aliquid quasi per commutationis titulum absque voluntate ipsius congregationis vel no-
B stro permissu minuere, aut calices, vel cruces, seu indumenta altarium, siue sacros codices, argentum, aurúmve, vel qualemcumque speciem, quicquid ibi conlatum fuit aut erit, auferre, nec ad ciuitatem deferre præsumat. Sed liceat ipsi sanctæ Congregationi quod inibi per rectam delegationem conlatum est perpetim possidere, quatinus eidem pro animabus parentum nostrorum, & pro stabilitate Regni nostri Dominum attentiùs iugiter delectet exorare. Nos enim propter Dei amorem, & reuerentiam ipsorum sanctorum Martyrum, atque adipiscendam vitam æternam, hoc beneficium ad ipsum sanctum locum cum vestro consilio gratissimo animo & integra voluntate volumus præstare: eo scilicet ordine, vt sicut ibidem tempore domni & genitoris nostri Psallentium ordo per turmas fuit institutus, vel sicut in Monasterio sancti Mauricij Agaunis, & sancti Martini Turonis die noctúque tenetur, ita in loco ipso per omnia futura tempora celebretur. Itaque dum Regem omnes Regni Principes hæc concionantem attonitis auribus diligenter intenderent, Pontifices qui aderant optimam deuotionem Regis adprobantes, Præceptum ab ipso Rege modo suprà scripto factum, tam Rex quàm Pontifices & Principes qui præsentes aderant firmauerunt. Inter quos nonnulli Pontifices extiterunt, quos hodie sancta Ecclesia sanctissimos esse non dubitat, eo quòd ad eorum venerabilia sepulchra virtutes non modicas vsque in præsens Dominus operetur. Scilicet beatus Audoenus, & sanctus Rado frater ipsius, necnon beatus Palladius, & sanctus Clarus, atque domnus Eligius, vel sanctus Sulpicius,
C beatus quoque Aubertus, & domnus Castadius, sanctúsque Etherius, aliique quamplures, & venerabilis Landricus Parisiorum Episcopus, qui prædictum priuilegium sua sponte consensit & confirmauit.

LII. HLVDOVVIVS itaque Rex cunctis diebus absque bellis in Regno Regem habuit. sed fortuna impellente quondam in extremis vitæ suæ annis ad supradictorum Martyrum corpora quasi causa orationis venit. Volénsque eorum pignora secum habere, discooperire sepulchrum iussit. Corpus autem beati & excellentissimi Martyris atque Pontificis Dionysij intuens, minus religiosè, licèt cupidè, os brachij eius fregit & rapuit, confestimque stupefactus in amentiam decidit. Tantúsque terror & metus ac tenebræ locum ipsum repleuerunt, vt omnes qui aderant timore maximo consternati, fugæ præsidium peterent. Post hæc verò vt sensum recuperaret, villas quasdam ad ipsum locum tradidit. Os quoque, quod de sancto corpore tulerat, auro ac gemmis miro opere vestiuit, ibíque reposuit. Sed sensum ex aliquantula parte recuperans, non autem integrè recipiens, post duos annos vitam cum Regno finiuit.

EXPLICIVNT GESTA DOMNI DAGOBERTI REGIS FELICITER.

A

EPITAPHIVM DAGOBERTI REGIS.

Ex Cod. veteri Alex. Petauij Senat. Parif.

Hac DAGOBERTVS humo Francorum gloria Princeps
Cum Narchil * decubat coniuge pacis apex.
Quem meritis sceptro Dionysius extulit alto,
Cuius ope & gazis hic stat in arce locus.
Nonum Ianus agens decimúmque per æquora solem,
Vicesimo lustro reddidit ossa solo.
Diues, inops, proceres, populus, Rex, aduena, ciuis,
Sint horum memores, dent ac in astra preces.

* al. Nanthil.

VERSVS ALII DE DAGOBERTO REGE,

Qui extant in Claustro Monasterij sancti Dionysij, statuæ eiusdem Regis basi insculpti.

B

FINGITVR hac specie bonitatis odore refertus,
Istius Ecclesiæ fundator Rex DAGOBERTVS.
Iustitiæ cultor, cunctis largus dator æris,
Affuit & sceleris ferus ac promptissimus vltor.
Armipotens bellator erat, velutique procella
Hostes confregit, populósque per arma subegit.

A

VITA
SIGEBERTI III. AVSTRIÆ
FILII DAGOBERTI I.

Cuius Auctor etsi coætaneus non fuit, eam tamen ex veteribus Historiis & Sanctorum Vitis se collegisse testatur.

Ex Cod. Ms. Bibliotheca Alexandri Petauij Senatoris Parisiensis.

QVIA de Vita SIGIBERTI Francorum Regis quæritis, quæque de eo, vel de ordinatione Regni in Historiis, vel de sanctæ religionis propagatione in Sanctorum legimus gestis, inde collecta expediam paucis. Et quia tres huius nominis Reges Francorum fuisse scimus, nobilitatis eius antiquitatem repetam altiùs, vt quis fuerit primus Rex Sigibertus, quis secundus, quis iste, de quo nunc agitur, tertius, vobis patefiat clarius: & simul cunctis palam fiat vnde gens Francorum nomen vel originem trahat, & vnde & quando Gallias inuaserit, quas per annos iam fermè sexcentos tenuit, & adhuc tenens potenter regit & feliciter.

Alia huius SIGEBERTI Regis Vita extat apud Surium, à Sigeberto Monacho Gemblac. scripta.

B

POSTQVAM Græci nobilem Frigiæ vrbem euerterunt, Æneas & Antenor nobiles Troianorum, cum reliquiis Troianorum ad exteras nationes se contulerunt. Æneam quidem ad Italiam venisse, & Romani Imperij fundamenta iecisse etiam à Scholaribus cantatur. At duodecim milia Troianorum, qui Antenorem secuti sunt, Scithiæ regiones peruagati, circa Meothidas paludes consederunt, & ab Antenore Antenoridæ vocati sunt. Hinc & in Virgilio legitur:

Antenor potuit mediis elapsus Achiuis,
Illiricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timaui.

Quorum posteri condita ciuitate metropoli sui Regni, quam Sicambriam nominauerunt, à qua etiam ipsi Sicambri denominati sunt, in gentem magnam coaluerunt, & semper suæ gentis Regem habentes nunquam alicuius gentis iugo subiici passi sunt. sed vicinis semper gentibus terrori fuerunt. Sed cùm, sic dispensante Deo, vniuersus orbis Imperio Romano subactus est, & descriptione facta sub censu redactus, etiam ipsi Romanorum tributarij facti Romanorum tamen prouincias crebris incursibus infestabant, & nomen suum longè latéque propalabant. Ab excidio Troiæ vsque ad hæc tempora Valentiniani Imperatoris res Francorum ita se habuerunt.

C

VALENTINIANO imperante, quo scilicet tempore sanctus Martinus Turonorum Episcopus per Gallias clarebat sanctitate & miraculis, cùm quædam Scithiæ gens, qui dicuntur Alani, contra Romanos rebellassent, eósque Romani propter inaccessibiles Meothis fluminis paludes vincere non possent, Romani pactum proposuerunt, vt si qui eos vincerent à tributis decem annis liberi essent. Sicambri, quorum tunc temporis Rex erat PRIAMVS, Alanos vicerunt, & ob hoc à Valentiniano Imperatore honore & munere digni habiti, ab eo lingua Græca FRANCI, id est feroces appellati sunt. Post annos decem cum exigentibus Romanis tributa soluere nollent, & insuper audacter rebellarent, Valentinianus eos bello victos contriuit, & Regem eorum Priamum peremit. Post Priamum filio eius MARCOMIRO regnante, Franci Sicambriâ egressi in Thoringia Germanorum prouincia consederunt. Post Marchomirum filius eius FARAMVNDVS fuit Rex crinitus, à quo Franci crinitos Reges habere cœperunt. Post quem CLODIVS filius eius regnans Francis à Thoringia aduectis Gallias inuasit, & capta vrbe Tornaco Cameracum

SIGEBERTVS III. vsque progressus multos Romanorum in Galliis peremit. Galliæ siquidem à tempore Iulij Cæsaris, qui eas decennali bello domuit, sub Imperio Romano erant, & ab eis Principes recipiebant. Sed omni auxilio destitutæ, VVandalis, & Gothis, ceterisque nationibus barbaris expositæ direptioni patebant. Post Clodium MEROVECVS filius eius regnauit, qui quia satis vtilis fuit, Francos à se Merouingos denominauit. Huius tempore Attila Rex Hunnorum vt fera tempestas ab Aquilone irruens totas Gallias inundauit, & Metis, Treueris, Tungris, Remis, & omnes pene vrbes, castra vel oppida, vsque Aurelianis, diro excidio exterminauit. Sed tandem ab Ethio Romanorum Duce, eique auxiliantibus Francis, bello victus repatriauit. Anno post mortem sancti Martini LIIII. factum hoc excidium Gallicarum vrbium, Merouechi anno quinto. A

Deest hîc folium in Cod. Ms.

* * * * * * *

Nam quamuis DAGOBERTVS Rex esset egregius bellator, Sacerdotum Dei & Ecclesiarum pius amator, pauperum Christi largus subleuator, & multarum artium bonarum executor: tamen carnalis incontinentiæ morbo nimis laborabat, & inde claritudini nominis sui fœdam infamiæ notam contraxerat, & quod grauius erat Regis regum iram contra se accenderat. Reginas enim suas fictis ex causis alias pro aliis repudiabat, ipsis quoque desponsatis pellicum amores superducebat. Et quamuis adeò deditus esset carnali commercio, nullam tamen spem propagandæ posteritatis habebat, ex nulla tot vxorum filio suscepto. Permaximè ergo dolebat, quia se Dei offensam incurrisse sentiebat, præsertim quòd ex regio patrum suorum semine nullum superesse sciebat præter se, & fratrem suum CHARIBERTVM. Qui Charibertus propter simplicitatem nimiam minùs idoneus erat ad Regni gubernaculum. Sed quamuis desperaret de prolis posteritate, non tamen desperans de Dei miseratione, præcordialiter eum deprecabatur, vt sibi ex eius nutu filius daretur, qui sibi in regimine Regni subrogaretur. Iustus & prius Dominus, qui hominum erratibus ad iram attrahitur, precibus etiam humilium ad misericordiam reducitur. Rex siquidem Dagobertus dum circuiret Austrasiam nono anno regni sui, puellam quamdam RAGNETRVDEM nomine vultus elegantiâ laudabilem, genere etiam inter Austrasios non ignobilem, cum regij cultus honore vxorem sibi iunxit. quæ Deo ita volente eodem anno ei filium genuit, quem sacro fonte regeneratum SIGIBERTVM nominauit. B

PERACTO aliquanto tempore Rex Dagobertus cum omni exercitu suo magno tripudians gaudio anno regni sui XI. Mettim adiit, ibique Procerum & Pontificum Conuentum adesse iussit, eorúmque consilio & consensu filium suum Sigibertum in Regnum Austrasiorum sublimauit, sedémq; Regni Mettis habere permisit, partem etiam thesaurorum sufficientem tradidit. Post annum nascitur Regi Dagoberto filius, qui CLODOVEVS est nuncupatus. Qui iterum cunctis Primatibus Austrasiæ & Neustriæ in generali Conuentu congregatis, iterum diuisionem Regni inter duos filios ordinauit, eorum consilio & assensu confirmauit, datis & acceptis inuicem pactis & sacramentis, vt scilicet determinato vtriusque Regni certo limite, Sigibertus regnaret super Austrasiam, Clodoueus verò regeret Neustriam. Eam partem Fráciæ quæ spectat ad Meridiem & Orientem vocabant AVSTRASIAM, eam quæ vergit ad Aquilonem & Occidentem vocabant NEVSTRIAM. C

REX Dagobertus tam iustè & tam prudenter Regno vtroque ordinato, ne aliquando aliquo modo vel fratres inter se fraterno odio dissiderent, vel Regnum in se ipso diuisum ciuilis belli desolaretur scandalo, anno regni sui XVII. mortuus, & Parisius in Basilica sancti Dionysij sepultus, Regnum dimisit ab exteris pacatum gentibus, & in nullo diminutum à suis finibus. Post cuius obitum duo Reges & fratres Sigibertus & Clodoueus se quisque in Regno suo agebant prudenter, & inter suos valebant potenter. Interea PIPINVS Maior Domus ex hac luce est subtractus, qui ipsum Sigibertum paternè nutrierat à puero, & valido sui auxilij sustentauerat brachio. Hic omnimodis Regno vtilis, genere, potentia, prudentia, & fortitudine super omnes nominabilis, Grimoardum filium suum rerum suarum heredem fecit: duas quoque filias suas Gertrudem & Beggam ad laudem & gloriam generis sui post se reliquit: quarum vna GERTRVDIS Christo quàm sponso carnali malens nubere, sanctæ religionis proposito inseruiens, in Niualensi Cœnobio

A à sua matre fundato spiritualem prolem adhuc non desinit Deo gignere. Soror eius BEGGA nupta Ansigiso sancti Arnulfi Metensis Episcopi filio, Regiæ dignitatis decus, quod penitus disperierat per Regum Francorum inauditam desidiam, per suam reparauit prosapiam. Ipsa siquidem genuit Pipinum, Pipinus Karolum, qui Tudetes, id est Martellus, est agnominatus, Karolus Pipinum primum Regem, Pipinus Karolum cognomento Magnum Francorum Regem, & Imperatorem Romanorum, qui eò honoris & potentiæ processit, vt nullus de Regibus Francorum vel ante eum, vel post eum comparari potuerit. SIGEBERTVS III.

GRIMOALDVS pro patre suo Pipino constitutus Maior Domus potenter in Aula Sigebrti Regis principabatur, & domi militiæque Regnum viriliter tutabatur. Quia verò Sigibertus Rex Grimoaldum Maiorem Domus sibi in omnibus fidelem, morigerum, & cooperatorem eatenus erat expertus, filium eius CHILDEBERTVM Regni Austrasiorum heredem delegerat, hoc tamen proposito conditionis tenore si ipsum contingeret sine liberis obire. Rex quidem, vt pote futurorum nescius, quod tunc sibi videbatur ex temporis conuenientia fecit: postea verò filium genuit, quem nomine patris sui DAGOBERTVM vocauit. Et priori testamento ad irritum tracto, hunc nutriendum commisit Maiori Domus Grimoaldo, vt eius potentia contra omnes tutus sublimaretur in Austrasiorum Regno. Ipse autem Sigibertus duodecim Monasteria in diuersis Re-
B gni sui partibus ædificauit, eisque ex suis reditibus Regia liberalitate necessaria suppeditauit: vt illic sub Apostolicæ vitæ regula viuentes; dum sua meterent carnalia, sibi seminarent spiritualia. Inter quæ eminent in nostra vicinia Stabulaus, & Malmundarium, Cœnobia infra syluam Ardennam sita, quæ idem Rex à se cooperante sibi Maiore Domus Grimoaldo constructa, S. Remaclo Tungrensi Episcopo tradidit ordinanda. Expletis autem ætatis suæ annis XXXI. regni autem XXVIII. anno ab Incarnatione Domini DCXLII. à transitu S. Martini anno CCXLIII. 642.
Rex terribilis apud omnes Reges terræ, qui aufert spiritum Principum, in flore iuuenilis ætatis eum acerba morte rapuit de præsenti seculo nequam, & in cœlesti Curia ei contulit veræ dignitatis gloriam. Obiit Kalendis Februarij, & sepultus est in vrbe Mettis, quæ Regni sui sedes fuerat, in Basilica quam ad laudem & gloriam Dei in honore sancti Martini gloriosi Confessoris Regia liberalitate construxerat, quæ sita est ad radices montis, qui plurimus imminet vrbi, aduersásque aspectat desuper arces.

O QVAM multos sæpè ambitio decepit! ô quàm multos perfidos diuina vltio sæpè pessum dedit! Mortuo Sigiberto Rege, Grimoaldus Maior Domus DAGOBERTVM filium eius suæ fidei commendatum, vt Austrasiorum potiretur Regno, tonsorauit in Clericum, consilio Didonis Pictauiensis Episcopi, qui fuit auunculus sancti Martyris Leodegarij, & per manum ipsius Didonis insontem puerulum in Scotiam direxit exilio inreuocabili. Filium verò suum Childebertum Austrasiorum Regno constituit Regem. Franci ægrè ferentes perfidiam Grimoaldi,
C captum eum destinant Parisius ad iudicium Regis CLODOVEI, qui fuit frater Sigiberti. Quem Clodoueus vinculatum carceri mancipauit, & crudeliter vt dignus erat vsque ad mortem tormentauit. Austrasij HILDRICVM filium Clodouei assumunt, & in Regno Austrasiorum, quod Sigibertus patruus eius tenuerat, Regem constituunt. Hic est Hildricus Rex, ad cuius tempus fuit sanctus Lambertus Martyr & Episcopus. * *

VITA BEATI PIPINI DVCIS

Qui fuit Maior domus Austriæ sub CLOTHARIO, DAGOBERTO, & SIGEBERTO, potentissimis Regibus.

Ex Cod. Ms. Claudij Doremieux Atrebatensis.

NOTISSIMVM est, ac celebri fama peruulgatum, patrem beatissimæ Dominóque dilectæ virginis Gertrudis PIPINVM exstitisse. Sed præter nomen, cetera vitæ gestorúmque eius cunctis penè Historias ignorantibus manent incognita. Nos quidem pauca in gestis Francorum sparsim inuenta colligentes, nostro stilo continuam facere narrationem curauimus. Quam idcirco volumus in propositi nostri operis exordio præmittere, vt si quis nobilissimæ virginis genus nosse cupiat, de ipsius hoc vita familiariùs, quàm aliunde petat. Fuit igitur, PIPINVS Carolomanni filius Dux & Maior Domus sub CLOTHARIO, DAGOBERTO, & SIGEBERTO potentissimis Regibus. Qua dignitate modicè differente à sublimitate Regiâ præditus, omnia prudentissimâ dispositione ordinabat, præstabátque tam in bello fortitudine, quàm iusticiâ in pace. Erat erga Regem fidei seruantissimus, erga populum verò tenacissimus æquitatis, & in disceptanda vtrorumque causa firmissimo animi iudicio persistens. Nec munera populi ad subuertendum ius Regium respiciebat, nec gratiam Regis ad obruendam populi iustitiam attendebat. Siquidem Regem Dominum Regi hominum præferebat. Eius mandato prohibitum nouerat, vultum potentis honorare, vel personam pauperis in iudicio attendere. Tam ergo quæ plebis erant plebi defendebat, quàm quæ Cæsaris Cæsari restituebat. Studebat ad lineam diuinæ Iustitiæ omnes iudiciorum suorum sententias dirigere, quæ res tum totius plebis testimonio, vt pòst docebimus, tum verò vel maximè hinc arguitur, quòd beatum ARNVLPHVM Metensium Pontificem, quem in timore & dilectione Domini nouerat excreuisse, omnium consiliorum suorum vel negotiorum socium assumebat. Si quid enim litterarum ignoranti animus cæcutierat, ille quasi fidelissimus diuinæ voluntatis interpres rectissimè enuntiabat: qui & sacrarum scripturarum sententia eruditus erat, & ante Pontificatum hanc eandem dignitatem irreprehensibiliter administrarat. Hoc adiutore fretus, Regem ipsum æquitatis fræno cohibebat, quoniam neglecto iure potestate Regia abuti voluisset. Defunctóque prædicto viro, beatum CVNIBERTVM Coloniensium Antistitem, pari sanctitatis famâ illustrem, curabat in hac negotiorum administratione participem habere. Perpendere potes quòd æquitatis ardore accensus fuerit, qui tam circumspectos custodes, támque incorruptos arbitros consiliis delegeret. Quia enim à prauitate reuersus rectis & honestis studiis attentissimus exstitit, semper vsus est in exercitio sancti operis sanctorum virorum consiliis.

Quomodo DAGOBERTVM *Regem adolescentem in tutelam suam receperit.*

PRIMVM ergo hic egregius Princeps sub CLOTHARIO Rege patre Dagoberti Maior Domus effectus, præcipuam potestatem summúmq; venerationis locum apud ipsum obtinuit: eo quòd eum idem Rex erga Dominum Deum pietate, erga se verò deuotissimum fide cognouit. Qui cùm proposuisset filium suum DAGOBERTVM in amplissimi Regni parte Regem ordinare, sed in infirmis annis,

A &in malis aduersibus * parùm fideret, hunc talem virum præ cunctis Principibus credidit, quem teneræ ætatis rectorem, ac Regiæ administrationis prouisorem statueret. Commisit ergò adolescentem in manum eius, fretúmque consiliis & industriâ prudentissimi monitoris eum ad regnandum in AVSTRIAM direxit. Susceptúmque itáque iuuenem studuit Pipinus quàm optimis moribus adornare, timorem Domini & amorem iustitiæ inculcare. Docens quod scriptum est: *Rex, qui iudicat in veritate pauperes, tronus eius firmabitur in æternum.* Eius verò prudentiâ Dagobertus non solùm hanc partem prosperè administrauit, sed totum patris Regnum, quod latissimum erat, post decessum eius obtinuit: cùm tam frater eius CHARIBERTVS, quàm pleriq; Principes, summo studio contrà niti vellent, ac potestatem Regiam in se quisque reflectere certarent. Sed citò oppressa est factio illorum sanis consiliis prudentissimi Ducis. Dagobertus igitur breui confirmatus in Regno, liberalitate, iustitiâ, mãsuetudine, aliisque artibus, quibus Regem decebat, cunctos sibi arctissimo amore deuinxit, ac boni monitoris industriâ eo celebritatis splendore enituit, vt cunctis ante se Regibus nobiliore famâ præcelleret, omnésque eum immensis laudibus prædicarent. Sed hanc regiam viam, hanc virtutis lineam tenuit, quamdiu sanam doctrinam sapientissimi præceptoris sustinuit, & non ad sua desideria coaceruauit sibi Magistros. Felix, si secundum viri sapientis monitum de mille pacificis suis vnum hunc elegisset Consiliarium. Sed demum Salomonis exemplo deprauatum est ad tempus cor eius per mulieres: vt B quæ solet in magna rerum copia & liberalitate soluta prona esse in consensum peccati natura mortalium, ob diuitiarum affluentiam, non secundùm rerum successus, à bono honestóque in prauum abstractus, saluberrimis monitis aures occlusit. Cœpit ergo tam auaritia quàm libidine æstuare, rebus Ecclesiarum nouos thesauros implere, & præter concubinas, quarum multiplex erat numerus, contra ius Canonicum, decus Regium, trium Reginarum incestis abuti amplexibus. Quo dolore PIPINVS permotus, eum liberrimo ore increpabat, exprobrans quòd maximis Domini beneficiis ingratus existeret. Sed ille obscœnis libidinibus potiùs, quàm sanis monitis obtemperans, malebat more frenetici medicum quolibet modo extinguere, quàm à prauitatis suæ furore resipiscere. Ad quod scelus non parum incitabatur peruersis suggestionibus reproborum hominum, virtuti Pipini inuidentium maliciosè. Sed Pipinus, in modum sancti animalis habentis oculos antè & retrò, vndique circumspectus, prudenter agebat in cunctis. Verumtamen vt ipsis verbis historiæ Francorum vtar, amor iustitiæ, ac timor Domini, quem diligebat, ipsum liberauit à malis. Nec mirum si, deprauante tanta rerum gloria, Rex minus in via Domini adhuc profectus, ab eius magisterio in domum fornicationis, & homicidij cupiditatem incidit: cùm ipse Dauid, qui secundum cor Domini electus fuerat, quique Prophetas suos eruditores habebat, mox vt pressuræ pondere caruit, ea lasciuientis animi leuitate captus est, vt in illicitos amplexus alienæ coniugis primò rueret, post ad obruendam infamiam perC petrati flagitij deuotum militem extinguens, adulterium homicidio cumularet. Sed benignus Deus, qui Dauid à commisso scelere per pœnitentiam purgauit, hunc quoque ab effusione iusti sanguinis desperata opportunitate innoxium seruauit. Nam videns DAGOBERTVS minimè eum insidiis capi posse, simul etiam saniore consilio reputans dignitatis suæ statum labefactari, si virum nobilem, potentem, fide ac iustitia popularibus acceptum perimeret, paulatim animum reflexit, cœpitque egregium Ducem magis revereri.

DAGOBERTVS.

Quomodo SIGEBERTVM *Dagoberti filium in tutelam suam susceperit.*

DENIQVE conceptam maliciam ita in pacem & gratiam commutauit, vt filium suum SIGEBERTVM illi absque suspicione commendans in Austriam ad regnandum mitteret. Expertus in se ipso fidem eius, & efficacem industriam, quâ prosperè hanc ipsam Regni partem adhuc patre suo superstite administrauerat, eóque defuncto, ad totius Regni obtentum reuictis omnibus aduersariis peruenerat. Transfusa est ergo per eiusdem Rectoris prudentissimum consilium eadem prosperitas in filium, itavt Sigeberto regnante, sed PIPINO regente, & accommodante operam suam, deinceps Austrasij terminos suos contra barbaros

SIGEBERTVS III. strenuè defenderint, quorum creberrimis incursibus eatenus impugnari solebant. A Sed & mortuo postmodum Dagoberto, omne Regnum Francorum ad Sigebertum transtulisset, nisi priùs facta descriptione totius Regni pater cum Sigeberto pactum firmasset, vt ipse Austrasiâ contentus, iuniori fratri CLODOVEO Franciam permitteret. In huius verò Clodouei potestate, matrisque eius NANTILDIS Reginæ, copiosissimi thesauri Dagoberti Regis indiuisi fuerant relicti. Quorum diuisionem Pipinus cum Cuniberto Pontifice expostulans, ex arbitrio suo obtinuit, iustámque partem receptam Sigeberto Regi Mettis deportari fecit. Sed eodem anno expleto, egregius Dux, ac verissimus pater patriæ, rebus humanis excessit. Cuius mors tanto dolore totam Austriam perculit, vt planctui eius planctus Regum nequaquam conferri possit. Fuit namque probatissimæ vitæ ac purissimæ famæ, sapientiæ domicilium, consiliorum thesaurus, defensio legum, controuersiarum finis, munimentum patriæ, Curiæ decus, via Ducum, & disciplina Regum. Qui profectò si beati Iob exemplo suas laudes prædicare voluisset, ex persona sapientiæ, quæ eum vberrimè repleuerat, verissimè, & absque vicio dicere potuisset, Per me Reges regnant, & conditores legum iusta decernunt.

Testimonia bonitatis eius de gestis Francorum collecta.

SED ne videar de vita beatissimi Ducis nouum attulisse figmentum, non ab re B erit, si in testimonium sanctitatis eius eadem verba quæ in gestis Francorum diuersis in locis inserta sunt, hîc in vnum collecta sub oculis posuero. Sunt ergo in hunc modum sese habentia. Vsque ad id tempus ab initio quo regnare cœpit Dagobertus, consilio beatissimi Arnulfi Metensis vrbis Pontificis, & Pipini Maioris Domus vsus, tanta prosperitate regale regimen in Austria regebat, vt à cunctis gentibus immensam laudẽ haberet. Et paulò infrà. Post decessum beati Arnulfi, adhuc consilio Pipini Maioris Domus, & Cuniberti Pōtificis vrbis Colonię vtens, & ab ipsis fortiter admonitus, tantæ prosperitatis & iusticiæ amorem complexus, vniuersas sibi gentes subditas sic regebat, vt nullus de Francorum Regibus præcedentibus sua laude fuisset præcellentior. Item post narrationem de tribus Reginis & concubinis Dagoberti: Hæc cernens Pipinus, cùm esset cautior cunctis, & consiliosus valdè, plenissimus fide, ab omnibus est dilectus pro iusticiæ amore, qua Dagobertum instruxerat, dum suo vsus fuerat consilio. Sibi tamen nequaquam oblitus iustitiam, neque recedens à via bonitatis, cùm ad Dagobertum accederet, prudenter agebat in cunctis, & tantum se in omnibus ostendebat. Zelus Austrasiorum vehementer in eum surgebat, vt etiam ipsum conarentur Dagoberto odiosum facere, vt potius interficeretur. Sed iustitiæ amor, & Dei timor, quem diligenter amplexatus fuerat, ipsum liberauit à malis. Et aliquanto infrà: Dagobertus Mettis vrbem veniens, cùm consilio Pontificum seu Procerum Sigebertum filium suum in Austriæ Regno sublimauit, & Cuniberto Pontifici, C & Adagisilo Duci, & Pipino Maiori Domus Regnum gubernandum constituit, quorum studio deinceps Austrasij limitem & Regnum Francorum contra VVinidos vtiliter defensasse noscuntur. Item post pauca: Cùm Pipinus Maior Domus post Dagoberti obitũ, & ceteri Duces Austrasiorum cum Sigeberto vnanimiter conspirationem expetissent, Pipinus cum Cuniberto sicut & amicitiæ cultu inuicem colligati fuerant, & nuper sicut & prius amicitiam perpetuò se firmiter conseruaturos obligauerant, omnésque leudes Austrasiorum secum vterque prudenter & cum dulcedine attrahentes benignè gubernabant. Ac deinceps: Cunibertus Pontifex & Pipinus Maior Domus à Sigeberto directi villam Compendium vsque perueniunt, ibíque thesaurus Dagoberti iubente Nanthilde & Clodoueo præsentatur, & æqua lance diuiditur. Cunibertus & Pipinus partem Sigeberti Mettis faciunt perduci, & Sigeberto præsentatur, & describitur. Vltimum verò laudabilis & honestissimæ vitæ præconium eadem Historia his verbis concludit: Post anni circulum Pipinus moritur, nec paruum dolorem eiusdem transitus cunctis generauit in Austria, eo quòd ab ipsis pro iusticiæ cultu & bonitate eiusdem dilectus fuisset. Quis plura testimonia industriæ, potentiæ, ac bonitatis eius desideret? Quia hæc de vita præclarissimi Ducis Pipini retulimus, pauca etiam de vxore eius, ac liberis & nepotibus retexamus.

A

De nobilitate beatæ Ittæ.

VXOR igitur eius venerabilis ITTA ex clarissima nobilitate Aquitaniæ oriunda fuit, sicut ex possessionum eius traditione ad nos facta indubitatè cognoscimus. Quas quidem per multa tempora, quamdiu pax viguit, Ecclesia nostra tenuit, multámque indè pecuniam per annos singulos exactores nostri referre solebant. Sed demum ingrauescente bellorum tumultu, quia res longè remota erat, & sine legatorum periculo adiri non poterat, paulatim negligi cœpit, donec tandem in ius alienum cessit. De hac igitur sancta muliere satis quid erit dicere, quomodo post obitum pij consortis vixerit, vt ex quo quid sanctè egit in libertate sua, notum sit quàm religiosè se habuerit sub mariti disciplina. Viduata itaque beata Itta pij consortio coniugis, statuit non vltra alium amatorem admittere, qui eam abstraheret à prioris sponsi affectu, & in nouos mores vel amores traheret. Elegit sanctæ continentiæ propositum, vt quia primam illam virgineæ integritatis palmam assequi non poterat, proximum saltem virginitati ac penè coniunctum viduitatis meritum obtineret. Sed cautè considerans tam sanctæ deliberationis votum his modis impugnari solere, vel quia mulier naturali in se concupiscentia victa virum appetere cogitur, vel quia in se intus libera, foris tamen à concupiscente viro in amplexus allicitur; vtriusque tam intimæ quàm extimæ temptationis occasionem voluit amputare, illam afflictione carnis, hanc verò impositione B sacri velaminis. Illam tamen interioris concupiscentiæ flammam dudum consueta lacrimarum affluentia funditus restinxerat, sed per eorum temptamenta maiorem tutandæ castitatis sollicitudinem ingerebant. Nam aliqui eam propter morum honestatem, aliqui propter generis excellentiam, aliqui verò ob multiplices prædiorum possessiones & numerosam familiam petebant. Sed mulier sancta soluta à viro ex consilio Apostoli nolebat vltra alligari: quæ quidem sic virum habuerat tanquam non haberet, & sic vsa fuerat hoc mundo tanquam non vteretur. Dum igitur contra hæc assidua intentione cogitaret, contigit beatum Antistitem Amandum verissimè tam à Deo quàm ab hominibus amari dignum, ad domum eius consolandi gratia diuertere. Hic eximiæ sanctitatis Antistes, ex nobilibus Aquitaniæ fuerat oriundus. Qui cùm orationis studio Romam adisset, beati Petri Principis Apostolorum visione iussus est in Galliam transire, & inculta adhuc Gallorum corda cœlestis prædicationis semine fœcundare. Mox huic iussioni humiliter obtemperans, commigrauit in hanc viciniam, atque ita iniunctum sibi officium prædicandi fideliter ac deuotè exercuit, vt audita huius sancti studij fama ad Aulam inuitatus, iussu DAGOBERTI Regis Traiectẽsis Ecclesiæ ordinaretur Episcopus. Hunc itaque sanctũ virum ad se introeuntem beata Itta lætissimè suscepit. Iam enim etiam in vita mariti assueuerat hospicio pauperes recipere, sanctorum pedes lauare, tribulationem patientibus subministrare, ceteráque C exercere pietatis opera sanctis viduis ab Apostolo iniuncta. Hunc itaque pio consolatori sanctum animi propositum aperuit, & de manu eius sacrum velamen in signum castæ viduitatis, & deuotæ continentiæ accipere postulauit. At ille sublatis in cœlum manibus oculos attollens benedixit Domino, qui ancillæ suæ tam sanctum desiderium iecisset, quique eum in eo quòd hortari venerat præuenisset. Gratias, inquit, ago Deo & Domino Iesu Christo, qui respectu amoris sui gloriam mundi huius in oculis tuis despectam fecit, & euulso affectu carnalis concupiscentiæ dilectionis suæ radicem in corde tuo fixit. Age mulier sancta, quod diuina inspiratione cœpisti. Transiit denique tempus amplexandi, subiit tempus longè fieri ab amplexibus. Præterit enim figura huius mundi. Quocirca sanissimo consilio delegisti, ô mater sancta, Christi coniugium petere, & sine sollicitudine esse. Namque teste Apostolo, mulier innupta cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat viro. Quod iam esse non magis credis, quia ab Apostolo audisti, quàm quia in temetipsa id experimento didicisti. Perfice ergo beata vidua quod animo concepisti, & misericordia Dei, quæ aspirando præuenit vt continentiam vouere velis, ipsa adiuuando subsequatur, vt votum hoc integrum conseruare possis.

SIGEBERTVS III.

A

Quomodo à sancto Amando velamen suscepit.

HAc viri exhortatione venerabilis Itta confirmatiorem animum erga Deum, & propensius assumens votum, non solùm se diuinæ seruituti mancipauit, sed largiore beneuolentiâ omnia quæ habere potuit Domino deuouit. Primùm ergo consecratione adhibita, in Ecclesias mutauit propriæ domus fastigia, eámque tam donauit prædiis, quàm diuersi generis decorauit ornamentis. Deinde inter Missarum sollemnia de manu reuerendi Pontificis sacrum velum & religionis habitum suscepit, seséque redigens in numerum Sanctimonialium, quas ibidem ad seruiendum Deo de suo ordinauit, nobilissimæ ceruici iugum nobilius Dominicæ seruitutis imposuit. Verè admirabilis, & immensis laudibus dignissima prædicari hæc femina, quæ tantam mundi gloriam, qua Regum vxores æquabat, tam forti animo abiecit, vt his se consortem faceret, quarum famulatum in priore statu pro dignitatis magnitudine dedignari potuisset. Taliter ergo illis qui eam sibi matrimonio iungere concupiuerant, spem omnem nuptiarum abstulit. Sed quas persecutiones ab illis ob sanctæ professionis votũ pertulit, quia eas communiter sustinuit cum filia sua beatissima Gertrude, tunc commodiùs explicabo, cùm ad vitam gloriosæ Virginis describendam diuinæ pietatis ductu venero.

Quàm sanctè in viduitatis habitu vixerit.

B

IN hoc ergo sanctitatis habitu quamdiu vixit, Deo seruire non destitit. Erat autem spe longanimis, caritate dilatata, fide sublimis, humilitate summissa, in ieiuniis & ieiuniis longissima, habens perseuerantiam in assidua psalmorum meditatione ac iugi affluentia lacrimarum præmaximam sortita gratiam. Habebat semper præ oculis sanctam Annam, à qua in nouo testamento vidualis continentiæ cœpit origo, quæ vidua vsque ad annos octoginta non discedebat de templo, ieiuniis & orationibus seruiens die ac nocte: sic & ipsa mortificationem IESV in corpore suo circumferebat, summo studio Apostolorum illud deuitans obprobrium, *Vidua quæ in deliciis est viuens mortua est.* In largitione elemosynarum, ac peregrinorum susceptione, non alium modum tenebat, nisi vt tanti pauperes rebus eius participarent, quanti & illarum participes esse potuissent. Quippe quæ sua omnia Deo deuouerat, nihil in his suum potiùs, quàm omnium indigentium recognoscebat. Tanta itaque in ea accumulata est virtutum omnium perfectio, vt sorores quæ ab annis puerilibus illius angelicæ conuersationis exercitium cœperant, vitam eius attentis animis considerarent; & indè viuum sibi sanctitatis exemplar sumerent. Hanc igitur beatæ actionis semitam annis XII. post obitum pij coniugis indefesso gradu cucurrit. Quibus transactis, excurso stadio huius vitæ peruenit ad brauium felicitatis æternæ: migránsque sexagesimo ætatis anno ad Dominum, recepit debitum sanctæ viduitati sexagesimum fructum. Sepulta est ergo in Basilica beati Petri Apostoli, religiosa deuotione fidelium defleta vt vera ac pia mater à fratribus & sororibus, viduis & orphanis, cæcis & claudis, omnique genere pauperum ac debilium. Hæc de vita beatissimi Pipini, & beatæ vxoris eius Ittæ diximus. Nunc diuina persequente gratiâ ad liberos & nepotes eorum transitum faciamus.

C

De Grimoaldo fratre beatæ Gertrudis.

HORVM itaque liberi extitere Grimoaldus & Begga, & virgo Gertrudis electissima Regis Angelorum sponsa. GRIMOALDVS sese cum sancto Cuniberto Pontifice in amicitia fortiter strinxit, cúmque esset vir strenuus, & instar patris diligeretur à pluribus, factus est Maior Domus in Palatio SIGEBERTI, & omne Regnum Austrasiorum in manum eius confirmatum est vehementer. Cuius dignitatem cùm Otto quidam æmulus eius superbiâ tumidus cæca ambitione præripere, & in se transferre conaretur, in gratiam ipsius à LEVTHERIO Alemannorum Duce interfectus est. Aliud quoque iudicium tam potentiæ suæ inter homines, quàm & deuotionis erga Deum exhibuit, in eo quòd cum Sigeberto Rege

A communiter iussit, vt in Dei cultum ædificarentur duo templa præclara illa Monasteria Stabulaus & Malmundarium. Quæ administratione sua ædificata & exornata omni plenitudine & pulcritudine, peracta dedicationis ac Missarum celebratione, tradidit idem Maior Domus Grimoaldus in manibus Pontificis REMACLI, vt Monasticam vitam illic institueret. Hanc occasionem effugiendi tumultum secularium rerum, solique Deo vacandi, vir sanctus arripiens, substituto pro se in cura Episcopali beato THEODARDO postmodum Martyre ad hæc loca secessit, & continentioris vitæ, disciplinæ, ac promotioris virtutis exercicio sese deuouit. Cuius doctrinis & exemplis dum Grimoaldus sanctæ conuersationis studium cotidianis incrementis proficere cerneret, annuente Sigeberto ex circumiacentibus terris cultis & incultis XII. levvas in longum, totidémque in latum ei tradidit in vsum fratrum ibidem Deo famulantium, & traditionem hanc testamento, ac Regij sigilli impressione signauit.

HÆC de Grimoaldo dixisse sufficiat. Sed in filias reuerendũ paternæ ac maternæ virtutis meritum vberius transfusum, cumulatiorem reddidit tam carnalis quàm spiritualis propaginis fructum. Nam vt interim de gloriosa sponsa Christi omittamus Gertrude, soror eius BEGGA Duci Ansigiso felici matrimonio coniuncta, generosæ familiæ ac nobilissimorum Regum mater extitit. Genuit siquidem PIPPINVM ex se iuniorem, sicut nomine, ita factis quoque & moribus omni honestate vitæ auo consimilem. Hic mortuo sine liberis Hilderico Rege, sub B quo beatus Lambertus eximia sanctitate claruit, etsi non Regio nomine, tamen Regia potestate in Austria regnare cœpit, bellóque adortus Theodericum Regem Francorum, eum cum Berchario Duce suo ingenti prælio vicit, & in fugam vertit. nec multo pòst interempto à suis Berchario, Principatum eius à Rege pactione pacis extorsit. Quem filio suo DROGONI tradens, ipse in Austriam victor remeauit. Postea quoque multa alia bella gessit contra Rathbodum Ducem gentilem & alios Principes, contra Sueuos, aliásque quamplurimas nationes, in quibus omnibus victor extitit. Quæ si quis pleniùs nosse desiderat, de gestis Francorum ea latiùs conscripta petat. Sed & beatum Lambertum factione Faramundi de Episcopatu eiectum in Cathedra sua decentissimè relocauit.

IS Pippinus aliis ante se prædecedentibus filiis KAROLVM superstitem, non solùm dignitatis suæ heredem, sed & virtutis reliquit, herculè virum bellicosum, Ducem inuictum, imò victoriosissimum. Qui patrios limites transiliens, paternásque victorias suis nobiliter exaugens, honestissimos triumphos de Ducibus ac Regibus, de populis ac barbaris nationibus reportauit, itavt à Slauis & Frisonibus vsque ad Hispanos & Saracenos nihil contra se erectum dimitteret, quod non imperio suo substratum dominatione premeret. Francorum Regem bis deuicit, Francisque Regem ex arbitrio suo imposuit, gloriosius ducens Regnum habentibus imperare, quàm Regnum habere. Sarracenos tribus eorum Regibus deuictis C vsque ad internicionem cæcidit. Narbonam & Burdegalam expugnauit, Gottósque deuincens, famosissimis vrbibus eorum incensis & domibus, dirutisque muris vsque ad fundamenta subuertit. Post multiplices alias & insignes victorias, quas ob prolixitatis fastidium silentio supprimo, diuisit Regnum duobus filiis suis, ac deinde bellicosissimus ac victoriosissimus Princeps in pace quieuit.

De Karolomanno & Pippino Rege.

FILII eius extitere KAROLOMANNVS & PIPPINVS. Ex quibus Karolomannus post bella plurima, & nobiles triumphos, reliquit secularem miliciam, factúsque Monachus in Montecassino mancipauit se diuinæ miliciæ. Pippinus verò in potestate persistens, iudicio & auctoritate domini Papæ Zachariæ, deposito Hilderico, qui vltimus de stirpe Clodouei Francis imperauit, primus in hac familia Regum nomen obtinuit, cùm tam ipse quàm alij ante eum officium & administrationem sine nomine regio habuissent. Vnctus est ergo in Regem ipse primùm à beato Bonifacio Maguntiacensi Archiepiscopo & Martyre, deinde tam ipse quàm & vxor eius, quámque liberi eorum, iterata vnctione confirmati sunt. **

A

VITA SANCTI LEODEGARII AVGVSTIDVNENSIS EPISCOPI, ET MAIORIS DOMVS FRANCIÆ.

In qua plurimæ res ſub CHILDERICO & THEODORICO Regibus, CLODOVEI II. filiis, geſtæ, grauiter ac fideliter ab illius temporis Auctore deſcribuntur, quas alij Francorum Hiſtorici prætermiſerunt. B

Ex vetuſto Cod. Ms. Iacobi Sirmondi Societatis Ieſu nunc primum in lucem edita.

PROLOGVS.

DOMINO *verè ſancto, & Apoſtolica veneratione colendo*, ERMENARIO *Auguſtidunenſis vrbis Epiſcopo.* PERSÆPE à vobis iuſſus, & ſpiritalium fratrum flagitatione compulſus, geſta beati LEODEGARII Martyris atque Pontificis tandem ſcribere ſum aggreſſus. Ideò enim diu implere iuſſa vel petita diſtuli, quia duplicem pœnam contra me videbam conſurgere, vnam ignorantiæ caliginem metuens & ignauiæ, aliam prudentibus indè riſu verens pateſcere. Oro ergo veſtram fidelem deuotionem in primis, vt meæ ruſticitati veniam detis, & tantummodo quæ vobis placuit clam ſoli interim lectitetis, donec aut altiori ſermone ea quæ nos vobis iubentibus vſurpauimus, reperiatis; aut aliorum Sapientum correcta iudicio inreprehenſibilis, quam poſt legatis, à vobis probata placeat dictio. Hoc autem ſpecialiter peto, vt vires ad hoc opus exequendum, quas mihi conſcientiæ denegat imperitia, veſtrarum precum ſollerti ſtudio apud Dominum obtineant opportuna ſuffragia. C

INCIPIT VITA.

I. GLORIOSVS igitur ac præclarus LEODEGARIVS vrbis Auguſtidunenſis Epiſcopus, qui Chriſtianorum temporibus effectus eſt Martyr nouus, vt fuit terrena generoſitate nobiliter exortus, ita diuina gratiâ comitante, dum primæua ætate in virili robore accreſceret, in quocumque gradu vel ordine proueheb atur, extitit præ cæteris rectus. Cùmque à DIDONE auunculo ſuo Pictauenſi Epiſcopo, qui vltra affines ſuos prudentiâ diuitiarúmque opibus inſigni copia

A pia erat repletus, fuisset strenuè enutritus, & ad diuersa studia, quibus seculi potentes studere solent, adplenè in omnibus disciplinis politus esset, in eadem vrbe Archidiaconus fuit electus: tantæque in eo subitò fortitudinis atque sapientiæ robur emicuit, vt par sui in antecessoribus nullus appareret. Nam cùm mundanæ legis censuram non ignoraret, secularium terribilis Iudex fuit: & dum canonicis dogmatibus esset repletus, extitit Clericorum doctor egregius. Erat quoque in disciplina delinquentium viuidus, qui carnis luxu nunquam extitit resolutus: sagaci curâ peruigil in Ecclesiasticorum officiis, strenuus in ratiociniis, prudens in consiliis, rutilans in eloquiis. Incubuit interim causa necessitatis, vt in Augustidunensi vrbe eum ordinare deberent Episcopum. Siquidem nuper inter duos contentio de eodem Episcopatu exorta fuerat, & vsque ad sanguinis effusionem certatum. Cúmque vnus ibidem occubuisset in morte, & alter pro perpetrato scelere datus fuisset in exilij trusionem: tunc BALTHILDIS Regina, quæ cum CLOTHARIO filio Francorum regebat Palatium, diuino vt credimus inspirata consilio, ad memoratam vrbem hunc direxit virum, vt ibidem esset Episcopus: quatinus & Ecclesiam, quæ penè biennio iam quasi viduata in seculi fluctibus remanserat, huius gubernatione vel fortitudine teneretur, & ab his quibus impugnabatur defensaretur. Quid multa? Ita in aduentu eius territi sunt omnes B Ecclesiæ vel vrbis illius aduersarij, necnon & hi, qui inter se odiis & homicidiis incessanter certabant, vt memoriam transacti scandali nollent audire: quia quos prædicatio ad concordiam non adduxerat, iustitia & terror cogebat. Iam enim in Episcopatum dispensante Deo eleuatus, quantum in alimonia pauperum eius excreuerit præcipua cura, longum est enarrare per singula. Sed nobis ista tacentibus testantur opera, vel matricula, quæ ab eodem instituta residet ad Ecclesiæ ianuam; vel specierum pulchritudo, quæ aureo fulgore rutilant in Ecclesiæ ministerio; necnon & baptisterij ornamenta miris operibus fabricata; quantúmque in amore Martyrum eius mens fuerit deuota, silentibus nobis indicat sancti Symphoriani Martyris sepultura, seu translatio sancti corporis gloriosa. Præterea innuunt eius industriam Ecclesiæ pauimenta, vel laquearia, & atrij constructio noua, murorum vrbis restauratio, domorum reparatio, & quæ erant nimia vetustate consumpta per se redintegrata visa dant videntibus testimonia. Sufficiant hæc inprimis pauca de plurimis. ad illud tempus conuertamus eloquium, quo athleta Christi contra diabolum dimicandi sumpsit exordium.

II. SANCTVS itaque Pontifex LEODEGARIVS dum in Augustidunensi vrbe felix in pace conuersaretur, postquam omnia quæ diruta fuerant innouauerat, & in diuinis officiis Clericos erudierat, prædicationéque assiduus cœlesti populum commoneret, & in Dei mandatis custodiendis eius animus C esset intentus; ita fuit efficax illius voluntas in omnibus, vt quæque implere decreuisset, ei à Domino absque difficultate tribueretur effectus. Nec enim immeritò suam omnipotens Deus illi contulerat gratiam, quia priùs ipsius se tota deuouerat custodire mandata. Sed quia à bona voluntate semper discordat malitia, & antiquus serpens inuidus semper inuenit per quos scandalum seminet, aliqui honorati spiritalia nescientes, sed potiùs potentiam secularem timentes, videntes hunc virum inflexibilem per iustitiæ culmen existere, inuido cœperunt liuore torqueri, & statuunt si sit aditus eius obuiare profectibus. Erat in illis temporibus EBROINVS Maior Domus, qui sub Rege CLOTHARIO tunc regebat Palatium. Iam Regina, quam suprà diximus, in Monasterio, quod sibi antea præparauerat, residebat. Præterea * memoratum inuidum adeunt Ebroinum, & contra Dei virum eius in furorem suscitant animum: & dum veritatis accusationem non inuenientes mendacium falsitatis confingunt, quasi dum omnes iussionibus Ebroini obedirent, solus LEODEGARIVS Episcopus eius iussa contemneret. Erat enim memoratus Ebroinus ita cupiditatis face succensus, & in ambitione pecuniæ deditus, vt illi coram eo iustam causam tantùm haberent, qui plus pecuniæ detulissent. Cúmque alij timoris causâ, alij pro redimendâ iustitia eum

CLOTHARIVS III.

* Propterea

CHILDE-RICVS II. auri argentíque immensa replessent pecuniâ: quorumdam animi ob huius causam exspolij dolore tacti, contra eum fuerant iam commoti. & quia non solùm rapacitatis exercebat commercium, verumetiam pro leui offensa sanguinem nobilium multorum fundebat innoxium. A

III. SANCTVM itaque Leodegarium Episcopum ideò habebat suspectum, quia eum superare non valebat in verbo, nec adulationis ei vt ceteri impendebat obsequium, & contra omnes minas suas semper eum cognouerat permanere intrepidum. Tyrannicum enim dederat tunc Edictum, vt de Burgundiæ partibus nullus præsumeret adire Palatium, nisi qui eius accepisset mandatum. Tunc de metu prioris fuerunt omnes suspecti, quòd hoc excogitaret ad suum facinus cumulandum; vt aut quosdam capitis amissione damnaret, aut dispendia facultatum infligeret. Interim donec causa suspenditur, Rex CLOTHARIVS à Domino vocatus de hac luce migrauit. Sed cùm Ebroinus eius fratrem germanum nomine THEODERICVM conuocatis Optimatibus solemniter, vt mos est, debuisset sublimare in Regnum, superbiæ spiritu tumidus eos noluit deinde conuocare. Ideo magis cœperunt metuere, eò quòd Regem, quem ad gloriam patriæ publicè debuerat sublimare, dum post se retineret eum pro nomine, cui malum cupierat audenter valeret inferre. Cúmque multitudo nobilium, qui ad Regis noui properabant occursum, mandante Ebroino itineris accepissent repudium; inito in commune consilio, relicto eo omnes expetunt CHILDERICVM iuniorem eius fratrem, qui in Austrasia acceperat Regnum. Quod consilium qui tunc noluit sequi, aut fugaciter euasit, aut cum periculo incendio comminato adquieuit inuitus. Cùm enim omnes ob Ebroini tyrannidem metu Childericum induxissent tam in Neustria quàm in Burgundiæ Regno, agnoscens tyrannus suo hoc facinore perpetratum, ad Ecclesiæ confugit altare, eiúsque in multis partibus subitò thesaurum direptum: & quod iniquus diu congregauerat malè, dispersum est subitò benè. Episcopis tunc quibusdam intercedentibus, & præcipuè interuentu Antistitis LEODEGARII, eum non interficiunt: sed Luxouio Monasterio dirigitur in exilium, vt facinora quæ perpetrauerat euaderet pœnitendo. Sed quia terrenæ cupiditatis puluere oculos cordis habuit cæcos, ideò in animam maliuolam spiritalis non profuit sapientia. Cùm enim Childericus germanum, supra quem petitus venerat, sibimet præsentari iussisset, vt colloqui ei deberet: tunc quidam, qui in Regno videbantur esse primarij, & Childerico cupiebant auidè placere, crinem sui domini temeritatis ausu iusserunt amputari, sicque fratri suo eum studuerunt præsentare. Sed cùm ab eo interrogaretur, quid de se agere vellet, ille verò hoc solùm, eo quòd iniustè fuerit de loco Regni deiectus, iudicium se à Deo celer expectare est professus. Tunc ad Monasterium sancti Martyris Dionysij residere est iussus, ibíque expectare, donec crinem quem amputauerunt enutriret; & Deus cœli, quem se iudicem habiturum est professus, feliciter postmodum ipsum permisit regnare. B

IV. INTEREA Childericum Regem expetunt vniuersi, vt alia daret decreta, per tria quæ obtinuerat Regna; vt vniuscuiusque patriæ legem vel consuetudinem deberent sicut antiquitus Iudices conseruare, & ne de vna Prouincia Rectores in aliam introissent, neque vnus ad instar Ebroini tyrannidem assumeret, & postmodum sic ille contubernales suos despiceret: sed dum mutuam sibi successionem culminis habere cognoscerent, nullus se aliis anteferre auderet. Vt verò ille libenter petita concessit, stultorum & penè gentilium deprauatus consilio, vt erat iuuenili leuitate præuentus, subitò quod per sapientum consilia confirmauerat refragatus est. Sanctum igitur LEODEGARIVM, eo quòd cognouerat præ omnibus sapientiæ luce esse conspicuum, secum assiduè retinebat in Palatium. Huius rei causâ malorum creuit rediuiua inuidia, atque contra eum rursus accusationum exquirentes initia, ita vt quæque Rex ageret, iusto iniustóve iudicio, dicerent illius crimine factum: cuius si obtemperasset consiliis, in mandatis ambulasset diuinis. Sed quia cœlitus iam superuenerat data sententia, ideò cor eius non valuit apprehendere iusticiæ disciplinam: sed iudicium, quod THEODERICVS se à Deo expectare professus est, celeri meruit sententiâ terminari. Vir autem Domini vt cognouit

A inuidiam diaboli contra se recalescere, tunc iuxta Apostolum sumens loricam fidei, & galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, contra antiquum hostem iniit singulare certamen. Et quia sacerdotalis integritas minas Regis nescit metuere, CHILDERICVM cœpit arguere, cur consuetudines patrias, quas conuerti in melius præceperat, tam subitò immutasset. Simul fertur dixisse, quòd Regina, quam habebat coniugem, filia sui esset auunculi, & nisi hæc facinora cum reliquis illicitis sceleribus emendatione corrigeret, diuinam certè vltionem sibi citò imminere cognosceret. Et quidem primitus libenter cœperat auscultare, sed satellitum præuentus consiliis, dum verba eius debuerat ad emendationem aptare, de illius mortis occasione in beatum virum cœpit inquirere, suadentibus hoc illis qui iusticiam cupiebant euertere, & indisciplinati iuuenilia opera Regis faciebant exercere, necnon & hi qui suum decretum ei elicuerant irrupisse. Metuebant enim hi omnes, & horum similes in voluptatibus seculi conuersantes, à Dei homine sua opera destrui, dum eum iam nouerant per iusticiæ callem inflexibiliter deambulare. Virilitatem enim cœlestis ciuis senescens mundus grauatus viciis non valuit sustinere.

v. AFFVIT in illis diebus vir quidam nobilis HICTOR nomine, qui tunc regebat in fascibus Patriciatum Massiliæ, quique vt generis nobilitate claro B stemate ortus, ita erat prudentiâ seculari præ ceteris præditus. Hic autem ad CHILDERICVM Regem pro quadam causa aduenerat, & per viri Dei intercessionem obtinere petita sperabat, eúmque hospitalitatis gratiâ in vrbe sua Dei sanctus receperat, donec sicut petierat suis intercessionibus eum Regi commendare deberet. Nam sæpedictum Childericum in vrbe sua in Paschali sollemnitate rogauerat aduenire. Hanc inuidi repererunt occasionem, per quam nequitiam, quam nuper in cor Regis effuderant, adimplerent. Maiorem Domus tunc nomine VOLFOALDVM in sua accusatione coniungunt, mendacem fabulam de Leodegario & Hictore confingunt: quasi ideò venissent insimul coniuncti, vt Regiam dominationem euerterent, & potestatis sibi iura vendicassent. Erat tunc quidam sub Religionis habitu ad Monasterium sancti Symphoriani corpore, non mente, reclusus, nomine Marcolmus; sed vt postea publicè patuit, potiùs pro ambiendis humanis laudibus vel honoribus specie Religionis factus nimium cupidus. de cuius conuersatione, maximè dum omnibus patuit, melius puto silendum, quàm loquendum. Hunc ergo Rex ignorans quàm fallax esset, quasi Dei prophetam habebat in omnibus, eo quòd de viri Dei accusationibus eius voluntati fauendo adulabatur præ omnibus. Ea igitur nocte, qua sancti Paschæ vigiliæ celebrabantur in vrbe, Rex iam quasi suspectus ibidem noluit aduenire: sed cum paucis tunc fautoribus ad præfati hypocritæ recurrens consilium, iam contra Dei famu- C lum gestans malignum animum, illic temporaneum Paschale non timuit recipere sacrificium. Postea verò cum dedecore, à vino iam temulentus, aliis ieiunis sancta sollemnia præstolantibus, Ecclesiam est ingressus. LEODEGARIVM clamitans requirebat ex nomine, vt eum quasi in fugam conuerteret, dum gladij percussione iam inter nuncios eum feriendum minitans terruisset. Cúmque eum sæpiùs clamitans esse in baptisterio cognouisset, ibi quoque introiens, ad tanti luminis claritatem, seu odorem chrismatis, quæ illic in baptizatorum sanctificatione gerebantur, obstupuit. Sed cùm ad clamorem eius ipse responderet, Adsum, ipsum nullatenus recognoscens pertransiit, atque in Ecclesiæ domum, vbi paratum erat, resedit. Episcopi verò alij, qui cum Dei viro vigilias celebrauerant, redierunt ad hospicia. Ipse verò, vt sacrum peregit officium, intrepidus Regem adiit iratum, eúmque verbis mitibus requisiuit, cur ante vigilias non venisset, vel in tam sacræ noctis sollemnia repletus irâ persisteret. Sed ille ad ineffabilem beati viri sapientiam cùm aliud respondere turbatus non valuisset, suspectum eum se quadam de causa dixit habere. Igitur vir Domini Leodegarius cernens apud eius animum esse defixum, quòd suadentibus satellitibus eum vnà cum Hictore sicut decreuerat redderet interfectum, aut Hictor in angustia sicut timebat contra Re-

CHILDERICVS II.

gem subiret contemptum, non de sua veritus morte, sed de illorum, qui A
ad eum causâ tuitionis aduenerant, pertractans salutem; elegit potiùs interim latere per fugam, quàm occasionem præberet, vt per eius martyrium in Resurrectionis Dominicæ sollemniis cruentaretur, vel diriperetur Ecclesia: vt ne id quod contra se fiebat in Consulem verterent, & sic idem Consul vitam amitteret. Nec enim adeo æstimandum est, eum formidasse martyrium. Nam cùm pridem per quendam Monachum nomine Bercharium in Dominica Cœna de suo ei fuisset interitu nunciatum, die Passionis Domini cruentum Regis adiit Palatium, & vltrò se ingerens, in eò die sanguinem voluit offerre Christo, quo pro mundi salute sanguinem Christus effuderat suum. Nam & Rex eadem die ipsum propria manu percutere voluit, sed ob Dei reuerentiam Optimatum quorumdam sapientum consilio prohibitus fuit. Indubitanter verò credendum ad hoc eum tunc fuisse seruatum, vt si quid de humana conuersatione, quæ sine culpa non ducitur, aliquid contrarium fortassis adtraxerat, longa persecutionis fornax exureret, vt post arido mundo despecto, in diadema sui Regis impositus, ad instar gemmarum fulgentium miraculorum virtutibus coruscaret. Cùm autem ab his, qui occasionis huius expectabant euentum, persecutio velox fuisset commota post eum, prædictus vir ibidem est interfectus. Et quia viriliter se fuerat defensare conatus, permittente Deo fuit à multitudine oppressus cum aliquibus qui ei comitabantur. Nec enim impossibile creditur sancti Martyris meritis posse apud Dominum illis animabus veniam obtinere, qui cum B
eodem innocenter persecutionis procellam voluerunt declinare.

VI. IGITVR Leodegarius Dei famulus cùm à quibusdam tunc fuisset detentus, CHILDERICO subitò nunciant factum. Maximam namque Regis gratiam se credidit habiturum, qui valuit comprehendere Leodegarium. Consilio autem Optimatum vel Episcoporum, iubetur interim duci Luxouio in Monasterio, donec in commune consulerent, quid facerent de tanti nominis viro. Interea cùm hi, qui videbantur esse primi Palatij, cùm simul à *Childerico* fuissent conquisiti, quòd iudicium de Sancto Dei decernerent, hoc consona voce responderunt, vt si ei vitam concederet, sub perpetuo exilio eum in Luxouio Monasterio permanere iuberet. Confirmauit ergo subitò decretum Iudicum, Episcopis aliquibus vel Sacerdotibus ideò consentientibus, vt ad præsens eum ab ira Regis redderent liberum. Sæpedictus autem Rex prauorum illectus consilio, eum adduci iusserat de Luxouio, vt ad voluntatem accusantium cum irrisione depositum, prout voluissent redderet interfectum, sicut quondam Herodes disposuerat Iudæis facere Petrum. Aderat autem venerabilis vir Abbas sancti Symphoriani Basilicæ nomine ERMENARIVS, cui post discessum viri Dei Rex petitionibus populi Augustidunensem commendauerat vrbem, qui immensis precibus crebrò Regis prouoluebatur pedibus, vt eum in *Luxouio* permitteret residere, ne ad expectationem crudelium, quos diabolus contra eum in furorem succenderat, iuberet adduci. Taliter ob huiusmodi preces C
tunc ab interfectione saluatus sanctus vir. Sed quidam falsò opinabantur, quòd ideò Regis cubicula frequentaret, vt accusantium primus esset, quò facilius ei Episcopatum illum tenere liceret. Nam longè aliter extitit. Nam quia carnalis oculus spiritalem dilectionem non videt, illius testantur opera, quia quousque in præsenti superfuit vita, eius necessitatibus inquantum valuit caritate ministrauit deuota.

VII. IN illis igitur diebus adhuc exul in Luxouio residebat Ebroinus Monachali habitu tonsoratus, simulatam gerens concordiam, quasi dum vterque vnam, sed disparem exilij accepissent sententiam, concordem ducerent vitam. His interim ita gestis, diuina non distulit vltio suum de Childerico dare iudicium. Nam eius dissoluta conuersatio omnibus meruerat Optimatibus Palatinis. Tunc vnus ex eis hoc molestiùs ferens præ ceteris, dum venationem in sylua securus exerceret, eum vulnere mortis percussit. Igitur priusquàm hæc euenissent, ex duobus Ducibus, quibus iussum fuerat sanctum Leodegarium adducere de Luxouio, cùm eotenus demorati essent, vnus eorum cum ministro conspirauerat, vt si famulum Dei extra Luxouium cerneret, eum gladij percussione occide-

THEODORICVS I.

A ret. Vt autem ad hoc peruentum fuit, ita cor illius intolerabilis pauor perfudit, vt non solùm dixisset, sed cur de Dei famulo tam grauia cogitasset, publica voce confiteretur: & tremens eius prouolutus pedibus, indulgeri sibi ab eo hanc nequitiam deprecaretur. Igitur cùm Childerici mors subitò nunciata fuisset, tunc hi, qui ob eius iussionem exilio fuerant condemnati, tanquam verno tempore post hiemem de cauernis solent serpentia venenata procedere, quidam sine metu fuerunt reuersi. Quorum debachante furore surrexit magna perturbatio patriæ, itavt manifestè crederetur aduentum imminere Antichristi. Hi verò, qui Rectores regionum esse debuerant, surrexerunt contra alios, & qui pacis fœdera debuerant continere odiis se inuicem cœperunt lacessere. Et cùm Rex tunc non esset stabilitus in culmine, quod vnicuique rectum videbatur in propria voluntate, hoc agebat sine formidine disciplinæ. Adeo enim tunc iram Dei manifestè cognouimus euenisse, vt etiam stella appareret in cœlo, quam Astrologi vocant Cometem, in cuius ortu asserunt fame terram turbari, mutatione Regum, vel commotione Gentium percussionis gladium imminere. Hæc omnia enim manifestè ex tunc constitit euenisse. Sed quia, vt scriptum est, stulti non corriguntur verbis, quantum minimè signis; hi qui cum maliuolo animo redierunt de exilio, quicquid post sua pertulissent facinora, Leodegarij factionibus hæc se incusant fuisse perpessos.

VIII. His diebus vir Domini à commemoratis Ducibus erat ob saluationem B detentus, à quibus nuper de Luxouio fuerat iam eiectus. Tunc enim ibidem famulo suo gratia superna concesserat venerabilem dignitatem, vt in illis locis tam prædicti Duces, quàm eorum matronæ, simúlque ministri vniuersæque familiæ, necnon & vulgus populi ita in eius conspirassent amore, vt si ita necessitas immineret, semetipsos pro eo non dubitarent offerre. Cúmque illi, qui sanctum Dei famulum retinebant, circa se manentibus potestatibus aliis nunciassent, eò quòd diuinam gratiam super Dei famulum Leodegarium cognouissent religioso Christianitatis amore; multi, qui eorum fuerunt auxilio sociati, conspirantes inter se confirmauerunt: vt dum indisciplinata & insueta erat exorta turbatio, si priusquam THEODERICVM pariter sublimassent in Regno, aliquis forsitan sanctum voluisset lædere Leodegarium, eorum protegeretur auxilio. His diebus egressus est de Luxouio etiam Ebroinus Iuliano similis, qui vitam fictam Monachorum tenuit. Etenim tam amicorum quàm famulorum constipatus subito comitatu, prædicti exules eius expetentes auxilium, malum quod de sua accusatione confixerunt ipsum in caput constituunt; vt eius auxilio vel consilio vsi, in Dei hominem valerent vnanimiter vindicare. Ipse enim Ebroinus caput reuelauit venenosum, quasi vipera restaurans venena sua, simulans se esse tunc Theodorici fidelem, & ob hoc ad eum cum sociis quantociùs festinare. Cùm enim vir Domini cum sociis suprascri-C ptis eodem festinaret itinere, factum est quantum nec vnius diei itineris spacium, antequam Augustidunum vrbem accederent, vrguentibus fautoribus Ebroinus immemor amicitiæ dudum promissæ, eum ibidem voluit comprehendere, si non GENESII Metropolis Lugdunensis Episcopi consiliis prohibitus, aut manu valida, quæ cum eo aderat, perterritus, & fictam rursum amicitiam simulans, mixto agmine pariter peruenerunt in vrbem. Lætatur Ecclesia de præsentia Pastoris rediuiua, plateæ exornantur virentiis, aptant Diaconi cereos, Clerici tripudiant cum Antiphonis, gaudet ciuitas tota de aduentu sui Pontificis. Post persecutionis procellam non immeritò laudum ei exhibebantur excubiæ, quia præsente Deo ad coronam properabat martyrij. Ibi etiam pro aduentu Præsulis delicias parauerunt etiam aduersariis. Crastina verò die exindè pariter promouentes, vt ad occursum Theoderici peruenirent vniti; interim dum isti cœpto itinere peruenissent ad Regem, de ipso itinere penè iam medio Ebroinus tyrannus eorum deserens comitatum, ad suos vsque pertransiens, Clericatum abiciens, ad mulierem vt canis ad vomitum post sacrum rediens: & quia in Christi castra militare non potuit, cum aduersariis secularia arma arripuit. Et quia dereliquerat fidem & Deum, contra terrenum dominum etiam apertum se prodidit aduersarium. Nouigento enim villa iam recuperato regno tunc THEODERICVS residebat securus, cùm repentino superuen-

THEODO-RICVS I. tu Ebroinus cum Austrasiis affuit. Quis enim enumerare planè valeat, quæ A tunc fuit direptio de Regni thesauro, vel Ecclesiarum ornamentis, quod ob amorem Christi Catholici retrò Principes deuotè in Dominicum contulerunt Sanctuarium, Maiore Domus tunc etiam interfecto? Dolebant se abiectos esse meritò, dum populum vniuersum cernerent fideliter declinasse post Theodericum, eo quòd iam in Regno confirmato, & Dei famulo cum illius gratia in sua vrbe residente, liuore inuidiæ vri iterum cœperunt. Quia dum iniustè stabant erecti, ad recuperationem accedere non valebant peruersi: & quia suadente diabolo, qui eos fide nudauerat, dum veritatis consilium iam cæcati non inuenerunt, per quod destruerent Sanctum Dei, declinant ad maiorem intentum per falsitatis commentum, per quod in Regno intulerunt magnum malum, & stragem depopulationis in persecutione multorum. Denique acceperunt quendam paruulum, quem CLOTHARII fuisse confinxerunt filium, hunc in partibus Austri secum leuant in Regnum. Qua de re multum collegerunt hostiliter populum, eò quòd verisimile cunctis esse videretur. Etenim cùm depopulando patriam subiugarent, etiam in nomine sui Regis, quem falsò fecerant, Præcepta Iudicibus dabant. Tunc qui eis libens noluit adquiescere, aut iura potestatis amisit, aut si non fugâ latitando discessit, gladij interemptione deperiit. Quanti autem per hoc calliditatis figmentum THEODORICVM tunc defunctum, & CLODOVEVM Clotharij esse filium crediderunt? Erant enim in hoc B mendacio primi, & quasi Rectores Palatij, DESIDERATVS cognomine DIDO, qui quondam Cabilloniæ habuit Principatum, necnon & eius collega BOBO, qui vrbem Valenciam habuerat in dominium. Nec enim digni sunt vt vrbium nominentur Episcopi, qui magis terrenis desideriis inhiabant, & cœlestia non curabant. Horum talium Sacerdotum, & similium Optimatum Ebroinus tyrannus vsus consilio, adeo vsque eleuatus & excæcatus est in hoc seculo, quousque impœnitens præcipitatus est in infernum. Redeamus ad opus cœptum.

IX. IN illis diebus cunctis vt dicta sunt gestis, & per singula euolutis, postquàm Childericus interfectus, postquam Episcopi vel Patricij cum Optimatibus de Neustria in gratiam Theoderici redierunt; iam eodem Theoderico in Regno restabilito, cùm etiam iam securi omnes residerent in sedibus propriis, iterum inuidi hostes contra Sanctum commouerunt, qui cuncta quæ Childericus egerat, eius actu, factione, & consilio confinxerunt. Tunc adiunctis sibi nequissimis consiliis iniquorum, consulere cœperunt, quemadmodum beatum Pontificem destruere possent. Ex his autem Consiliariis duo, DIDO & VVAYMIRVS, caput malitiæ effecti, dixerunt se posse rapere eum de ciuitate, & in eum facere vindictam, ex qua malitia Ebroini esset satiata. Gauisus namque Ebroinus de eorum responso, dedit eis exercitum copiosum valde. qui festini perrexerunt ad ciuitatem. Vir autem Dei Leodegarius cùm ad suam plebem restaurandam resideret in vrbe sua, vbi destinatum contra se hostium sensit impulsum, non est passus vt C vltra fugaciter tenderet gressum, sed intrepidus de se Domini expectabat iudicium. Cùm enim tam familiares quàm clerici vel fideles ei imminerent, vt thesauros quos ipse contulerat auferret, & abscederet: quatenus hoc audito à perditione ciuitatis, vel illius persecutione desisterent. Ille hæc nullatenus adquiescens, sed eos continuò in thesauros conuocans, omnia quæ ibi addiderat adsignans, talia prosequitur verba: „Hæc omnia quæ cernitis, fratres, quamdiu terrenorum hominum me voluit gratia, ad communem ornatum prout potui fideliter contuli. Nunc verò forsitan ideò mihi irati sunt homines terreni, quia Dominus nos vocare dignatur ad gratiam cœli. Vt quid enim hæc hinc auferam, quod mecum in cœlum non tollo? Ergo si vobis placet, ego eligo consilium, hæc potiùs dare in vsus pauperum, quàm cum turpi sarcina huc illùcque oberrare per seculum. Et imitemur beatum Laurentium, qui pro eo quod dispersit, dedit pauperibus, iusticia eius manet in seculum seculi, cornu eius exaltatum est in gloria. Statim iussit custodi discos argenteos cum reliquis vasis quamplurimis foras eicere, & argentarios cum malleis adesse, qui minutatim cuncta confregerunt, quod per fidelium dispensationem iussit pauperibus erogare. Quæ autem exindè fuerant Ecclesiasticis vsibus apta, Ecclesiæ addidit ministeriis. Monasteria sanè tam virorum quàm virginum, infra vrbem vel territorium, de

eodem argento consolatus est paupertatem multorum. Quæ fuit tunc vidua vel orphana, vel omnis in commune paupertas quæ ibi affuit, quæ de eius largitate consolationem non habuisset? Vir autem Domini vt erat plenus spiritu sapientiæ, hæc verba locutus est fratribus: Ego, fratres, decreui iam de hoc seculo nihil penitus cogitare, sed magis spiritalem nequitiam quàm terrenum hostem metuere. Terrenus homo si talem à Deo acceperit potestatem, vt persequatur, comprehendat, perdat, incendat, interficiat, hæc nullatenus possumus declinantes effugere. Et si hîc tradimur de rebus transitoriis ad disciplinam, non desperemus, imò potiùs gaudeamus in futuro de venia. Muniamus ergo virtutibus animam, simúlque ciuitatis custodiam, ne inueniat vterque hostis aditum, per quem inferre possit periculum. Commouēs igitur vniuersum vrbis illius populum, cum triduano ieiunio, cum crucibus & Sanctorum reliquiis murorum ambitum circumiens, per singulos aditus portarum terræ adhærens, Dominum precabatur cum lacrimis, vt si illum vocabat ad passionem, plebem sibi creditam non permitteret captiuare. & ita præstitum est euenisse. Itaque cùm ob metum hostium certatim populi vndique se recepissent in vrbe, & meatus portarum forti obturassent serratu, & super omnia stabilissent in ordine propugnacula, iussit Dominus vniuersos ingredi in Ecclesia, cunctorum simul postulans indulgentiam; vt si quenquam illorum, vt adsolet, dum pro zelo rectitudinis increpasset, aut B in verbo læsisset, ei indulgentiam darent. Sciebat autem vir Dei iter passionis ingrediens, non prodesse martyrium, vbi liuore deterso non priùs fuerit cor emundatum, vel lampade caritatis illustratum. Nullus tunc fuit ibidem tam ferreum pectus possidens, qui etiam si fuisset grauiter læsus, non omnem cordis malitiam indulsisset deuotus. Post hæc nec diu vallatur ciuitas exercitu, eodémque die ab vtroque populo fuit fortiter vsque ad vesperum dimicatum. Sed cùm ab agmine hostium esset ciuitas obsidione validè circundata, & die noctúque vociferantes vt canes circumirent vrbem, perspiciens vir Domini ciuitatis imminere periculum, compescuit omnem supermuralem conflictum, & his verbis sum exorare aggressus est populum: Sinite, quæso, contra hos pugnando confligere, si mei tantùm causâ huc isti aduenerunt. de memetipso paratus sum eorum satisfacere voluntati, eorúmque mitigare furorem. Tamen ne inauditi videamur egredi, mittatur vnus ex fratribus eos inquirere, qua de causa hanc obsident ciuitatem. Cùm subitò hi MEROALDO Abbati per muri repugnaculum parassent descensum, perueníssétque ad Didonem, ait ei: Si hæc nostra commiserunt facinora, peto vt interim Euangelicam recorderis sententiam, vbi Dominus dixit: *Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra.* & illud, *In quo iudicio iudicaueritis iudicabimini.* simúlque deprecans vt hostem compesceret, & redemptionem quam vellet acciperet. Sed quia iam tanquam lapidis duritia, sicut quondam Rex Egyptius obdurauerat cor, ad verba diuina nullatenus potuit emolliri: comminánsque non C se ab impugnatione ciuitatis discessurum, quoadúsque Leodegarium posset comprehendere, & sui furoris vesano desiderio satisfaceret, nisi CLODOVEO, quem falsò Regem fecerant, promitteret fidem. Hæc enim erat simulata occasio, quia omnes cum sacramento THEODERICVM asserebant esse defunctum.

x. AVDITIS itaque vir Domini his verbis, hæc dedit illis responsa: Hoc vobis omnibus notum sit tam amicis & fratribus, quàm inimicis & hostibus; quia quousque me Deus in hac vita iusserit superesse, non mutabor à fide quam Theoderico promisi coram Domino conseruare. Corpus meum decreui potiùs in mortem offerre, quàm animam pro infidelitate turpiter denudare. Hostes verò his auditis responsis, cum telorum iaculis, ac cum incendio festinanter vndique insistebant irrumpere ciuitatem. Ipse verò vniuersis fratribus vale dicens, panis & vini participatione communicans, eorúmque dubia corda confirmans, suam eis vt Christus discipulis passionem commendans, ad portarum aditus perrexit intrepidus, apertísq; claustris sponte se obtulit inimicis. Aduersarij verò gauisi, tanquam ouem innocuam ipsum vt lupi susceperunt in prædam. Qui exclamans fertur dixisse: Gratias ago omnipotenti Redemptori, qui me dignatus est hodie glorificare. Illi autem iniquissimum penè excogitantes commentum, ab eius capite lumen euulserunt oculorum. In qua euulsione vltra humanam naturam incisio-

THEODO-RICVS I. nem ferri visus est tolerasse. Testes enim sunt multi illustres viri, qui aderant in præsenti, quia nec vinculum in manibus est passus imponere sibi, nec gemitus processit ab ore, dum eius beati oculi à capite abstraherentur. Sed glorificans Deum, modulamen semper studuit canere Psalmorum. Inter ceteros enim Dux quidam erat Campaniæ VVAYMERVS vocatus, qui ad hoc malum perpetrandum à finibus Austri venerat cum Didone. Hi duo cuidam BOBONI, qui nuper fuerat anathemate de Episcopatu Valentiæ vrbis deiectus, Augustiduno adsignauerunt in dominium, imò quod verius est, ad deuastandum. Ciues verò oppressi receperunt aduersarium, qui iam pastorem suum amiserant, per cuius dispensationem penè omnem thesaurum asportauerunt Ecclesiæ. Nam pro ciuitatis redemptione occasione reperta, in quinque milibus solidorum fuit Ecclesiæ argentum distractum, præter spolia ciuium. Sed licèt Ecclesia pertulisset de transitoriis rebus dispendium, nullum tamen exinde Dominus permisit abire captiuum. A

XI. IGITVR cùm hostes læti diuisissent spolia supra scripta, VVaymero hominem Dei tradiderunt in custodiam, qui cum eodem, & cum parte sui exercitus festinans repedauit ad patriam. DESIDERATVS verò cognomento Dido, vnà cum Bobone, & cum ADALRICO Duce, quem ipsi volebant *Patricium* fieri Prouinciæ, vt patriam subiugarent, perrexerunt vsque Lugdunum, vt ita exinde adducerent Genesium, sicut de Augustiduno quondam expulerant Leodegarium. Sed manu valida populi vndique collecti vrbem hanc maximam Deo præsule non permiserunt irrumpere. Hi verò, qui Dei famulum duxerant Leodegarium, vt nunciauerunt Ebroino quod factum fuerat, in syluarum secreto eum iubet retrudi, & de eius morte quasi necato in aquis, fabulam mendacem confingere, etiam & tumulum sepulturæ eius constituere, donec longæ famis media deberet consumi. quod qui audire potuit, aut videre, verum credidit esse. Sed qui Heliam per coruum pauit in heremum, nec suum ibi deseruit famulum. Etenim post longam, quam Dei Martyr pertulit, famis *inediam*, reminiscens VVaymerus humanam in eo naturam non aliter ita posse durare, nisi eum Christi gratiâ sustentaret, in domum suam eum iubet perduci. Dura etenim viscera pietate cœperunt emolliri. Cùm enim in familiare colloquium ei fuisset assuetus, ita feritatem illius in paruo temporis tractu edomuit, & tam ipsum quàm coniugem ad Dei timorem conuertit, vt argentum *Ecclesiæ*, quod nuper pro redemptione ciuitatis Augustiduni receperat, ei deuotus offerret, vt faceret quicquid exindè facere decreuisset. Quod vir Dei acceptum per quendam fidelem Abbatem nomine BERTONEM ad prædictam redirigens vrbem: ipse verò Abbas juxta Apostolum ad domesticos fidei diuidens, voluntatem viri Dei opere caritatis fideliter adimpleuit. B

XII. IGITVR cùm, sicut suprà dictum est, facinus suum diutius *Ebroinus* occultare non posset, de Rege, quem falso fecerat, declinat ingenium, & *vt in* Theoderici rediret Palatium, quorumdam factione suscipitur, & *iterùm subitò* Palatij Maior Domus efficitur. Sed cùm eum alij gaudentes, *alij trementes* in culmine sublimassent honoris, continuò tale dedit Edictum, vt si quis cuiquam cùm in perturbatione fuisset intulisset dispendium, vel prædam, nullus ex hoc gereret calumniam. Hæc autem fuit occasio, vt non redderet spolium, quod ministri sui ei contulerant ex deprædatione multorum. Cùm autem tumere in rediuiuam cœpisset superbiam, simul ac metuens ne superstites haberet æmulos eos, quorum parentibus intulerat malum. Iura enim potestatis iam adeptus, duplicauit malitiam cum inuidia. Nam priores Optimates cœpit instanter persequi, & si quempiam eorum in aliqua occasione comprehendere valuit, aut gladij interfectione prostrauit, aut ad gentes extraneas ablatis facultatibus effugauit. Sanè feminarum nobilium Monasteria destruens, & ipsius Religionis primarias in exilium dirigens: & quia margaritarum conculcandi acceperat potestatem, ideò sine vlla miseratione vt porcus non timuit thesauros conculcando ornamenta irrumpere. Et quia non valebat respicere cœlum, ideò cor eius in terrenæ cupiditatis luto vltra modum fuit defixum. Etenim cùm Ebroinus crudelis de supradictis rebus suum satiasset furorem, rursum occasiones cœpit exquirere, vt blasphemiam suæ crudelitatis valeret ab oculis humanis auferre. Tunc Childerici mor-

A tem simulabat se velle vindicare, cùm nullus eum prior quàm ipse voluisset interficere. Publicè enim aliter quem odisset non addebat persequi. Iusserunt autem Principes cum germano suo sanctum Leodegarium à Monasterio, in quo tenebatur absconditus, egredi, & in præsentia Regis iussus est adstare. Qui cùm adstaret, Ebroino sic ait: Quoniam dum omnes habitatores superare cupis in tota Francia, tuam potiùs perdes quam indignus accepisti gloriam. Hoc audiens Ebroinus nequissimus, furore magno repletus iussit ministris GAERINVM fratrem eius foras abstrahi, & à germano separari, vt separatim puniri viderentur, ne simul eos delectaretur talia verba fari. Cùm autem duceretur, beatus Leodegarius eum alloquitur, dicens: Æquo animo esto, frater carissime, quoniam oportet nos hæc pati, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in vobis. Peccata etenim nostra sunt multa, sed misericordia omnipotentis supereminens est & magna, quæ ad abluenda delicta se laudantium semper est parata. Hæc ad tempus patimur, quia morti debitores sumus. Sed illa nos expectat vita, si sapienter sustinemus pœnas istas, vbi sine fine lætabimur in cœlesti gloria.

XIII. TVNC ministri ad stipitem ligatum GAERINVM lapidibus obruere cœperunt. Ille verò deprecabatur Dominum, dicens: Domine IESV bone, qui non venisti vocare iustos, sed peccatores, suscipe spiritum serui tui, qui me dignatus es ad similitudinem Martyrum vitam istam mortalem finiri, iubeas clementissime B veniam scelerum meorum tribuere. Hæc dicens, orando vltimum afflauit spiritum. Beatus igitur Leodegarius cupiens cum germano suo vitam finire, vt simul mererentur futuræ ac beatæ participare vitæ & gloriæ. Sed Ebroinus tyrannus differre volens eius exitum, vt per pœnas longè dilatas ei præpararet æternas, & ne coronam acciperet martyrij, quin potiùs careret præmiis gloriæ sempiternæ: Tunc iussit eum nudis gressibus per quandam piscinam transduci, in qua erant petræ quasi claui incidentes acutæ. Sed & labia eius, & faciem concauam crudeliter iussit incidi ferro, necnon & linguæ plectrum ferro secante auferri: vt dum oculi ablati, pedes iam forati, lingua ac labia essent incisa, dum etiam se cerneret omni felicitate ablata, corporisque viribus vndique negatis, dum nec oculi cernerent viam, nec pedes incederent callem, nec linguæ officium dare laudem nequiret Creatori suo, ac per hoc in blasphemiam incideret, desperans, potiùs auferendo sibi salutem, quàm laudando cœlestem adipisci meruisset gloriam. Sed qui absque vocibus cordium est auditor Deus, magis amat cor contritum, quàm elatione superbum; suscipiens vocem tacentis magis quàm elatè loquentium, huius postulat sibi auxilium non voce, sed humilitate cordis. Nam cùm se cognouisset præsidium amisisse humanum, totis viribus sibi petiit adesse diuinum: & quantum humana impietas reuocare cupit ab alto, tantum diuina pietas sociare eum fecit cœlo. Sanctum itaque Leodegarium diutiùs ad vindictam seruauerunt viuum, & turpiter denudatum per platearum palustra iusserunt per-C trahi nudum, eúmque ad vindictam quasi deformatum tradiderunt viro nomine VVARINGO, vt sub eius graui dominio emitteret cruciatus spiritum. Cui ait iniquus Ebroinus: Accipe, inquit, Leodegarium, quem aliquando vidisti virum superbum, & constitue sub tua custodia. Erit enim citò tempus suæ vocationis, recipiēs quod meritus est ab inimicis suis. Cùm enim longè eius esset hospicium, sanctum Dei Martyrem imposuerunt in vili iumento. Et vt cognouit ita esse impletum, corripuit hunc Psalmi versiculum: *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*. Et cùm labia nō haberet neque linguam, silere non potuit laudes Dei mens deuota, quas voce qua valuit insonuit de cordis arcano. Cúmque omnes cernerent eum sic grauiter cruentatum, crediderunt quòd tantis pœnis affectus statim redderet spiritum. Etenim cùm vnus è nostris fratribus Abbas nomine VVINOBERTVS prædictum sanctum Dei vsque ad hospitium secutus fuisset, deprecans custodes, vt latenter ei ad eum accedere non negarent. Vt autem tandem obtinuit, repperit eum iacentem in stramine, opertum de vetusto panno tentorij tenui spiritu palpitantem. Et dum illum ad præsens crederet exspirare, insperatum inuenit miraculum. Nam inter sputamina sanguinum incisa lingua sine labiis solitum reddere cœpit eloquium. Et quia desectio labiorum ordines nudauerat dentium, tamen ab intro afflatu dante sonitum reddiderunt verborum. Tunc is,

THEODORICVS 4.

THEODO-RICVS I. qui ei funeris excubias venerat exhibere ad transitum, cœpit flere præ gaudio, & A concito gradu HERMENARIO Episcopo nunciat factum. Ipse quoque audiens, VVaringo postulabat aditum ad Dei Martyrem accedendum. Cúmque etiam sui merito ei fuisset concessum (omnes enim vt leonem iratum metuebant sæuum tyrannum) vulnera eius studuit diligenter curare, & arte qua valuit potu ciboq; reficere, vestéque quam habuit meliorem induere. Non enim iam vt terreno homini, sed vt Martyri qui iam cœlestia petisset, reuerenter honorem impertiuntur. Qua de re non solùm indulgentiam de præteritis, verùm etiam benedictionem ab eo promeruit de futuris. Postquàm enim VVaringus eum perduxit ad propria Dei comitante gratiâ, cœperunt velociùs eius contra naturam recrescere labia vnà cum lingua, necnon & verba vidi vltra solitum ab eius ore indesinenter effluere. Cùm hoc miraculum cognouisset VVaringus, non obdurat animum contra eum impendere ei malum, vt à tyranno fuerat iussum: sed versa vice iam Dei Martyrem recognoscens, tunc eum acceptum ad suum perduxit Cœnobium, quod vocatur FIRCANVM*, vbi erat Congregatio Sanctimonialium ac Virginum, quibus præerat CHILDOMARCA famula Christi. In quo multis diebus conuersans & habitans, stetit sub custodia. Nam & lingua præcisa solitum recepit officium, & magnum doctrinæ suæ semen ostendit in populo; & quandoque inter virginum accedebat cateruam, tanta vt fertur eloquentiâ, vt mirarentur quicumque audientes quanta Dei operabatur clementia, & conuersi à prauis B operibus velociter peterent pœnitentiæ fructus. Vbi dum intra paruum spacium oris, faucium, vel linguæ recepisset officium, eo quòd oblatus fuisset ipse iam Domino, cotidianum immolare studuit sacrificium: & dum intrinsecus eum lux spiritalis impleuerat, de corporeis oculis nil curabat. Nam diebus ac noctibus in Dei cultu peruigil adstabat, & vel paululum pro necessariis corporis vix aliquando ab Ecclesia procederet, vel quippiam somni ac cibi perciperet.

* FISCANVM.

XIIII. IGITVR cùm post tot flagella, vt decebat Martyrem, fideles populi ei famulatum exhiberent venerabilem. Et quia non potest sub modio lucerna abscondi, manifestè omnipotens Deus declarauit, cœpítque tunc in aduersarios eius vlcisci derepente. Nam dum per biennium ferè ibidem in Dei laudibus resedisset, aut eos illi nunciauerunt interfectos, aut pro infidelitatis culpa in regionibus aliis effugatos; quos ille grauiter deflés, non de vltione gauisus, eo quòd sine pœnitentia eos comprehenderit mortis occasus. Eodem tempore vir gloriosus THEODERICVS Rex, & idem Ebroinus Synodo ad quandam villam regiam venientes, multam Episcoporum turbam adesse fecerunt. Ibíque inter ceteros DIDONEM, qui sanctum virum Leodegarium cum VVaymero expulit de suo Episcopatu, & pœnæ tradidit illectu condemnatum ab ipsa Synodo, caluaria accepta in capite expulsum segregant à sancta congregatione. Deindè exilio condemnatus, mortéque secuta, pœnâ capitis exsoluit quicquid doli in sanctum virum exercuit. Alij verò Episcopi tunc à Rege per Ebroinum in ipsa Synodo pœnam similem sortiti, C perpetuo exilio sunt deportati. VVaymerus etenim, qui ad supradictum famulum Dei capiendum, & ad implenda Ebroini dicta socius perniciei extiterat, posteaquàm ab ipso Ebroino, eo quòd in eius vltione consenserat, Episcopatus gradu dolo fuerat sublimatus, post paululum interuallo interposito in offensam incidens, Dei vt opinamur nutu multis flagellis obtritus est. nempe vt fertur laqueo suspensum, ac morte turpissima, vt decebat iusti proditorem, condemnatum, transmisit ad tartarum. Adhuc autem vir Dei sanctus Leodegarius in eodem Monasterio Sanctimonialium, in quo ad custodiendum positus fuerat, commorabatur. Igitur ad beati Martyris persabricandam coronam, artifex versutus ex illis Ebroinus tyrannus superfuit vnus, qui ea quæ passionis eius gloriæ supererant adimplere deberet. Iterum antiquus serpens inuidus diabolus molestè ferens se ab eodem loco eius orationibus fuisse expulsum, stimulare rursum cœpit Ebroinum, atque reduci eum præcepit ad Palatium, vt in Episcoporum Concilio eius disrumperet vestimentum, quatinus ob hoc ei esset interdictum, vt vltra offerre non præsumeret sacrificium. Vbi dum deductus fuisset ad medium, inquirentes ab eo verbum, vt de CHILDERICI morte se conscium fateretur fuisse; cognoscens per diabolicum commentum rursum sibi imminere conflictum, vt de humano se non excusaret delicto, ita de hoc facinore nullatenus dixit fuisse se conscium,

A sed potiùs Deum quàm homines hoc est scire professus. Tunc & ipsum beatum virum ad eandem Synodum accersierunt, nec tamen infra Concilium confirmatur fuisse, sed seorsum eo tempore cum Rege eodem collationem fecisse dicitur, in qua ei multa futura prædixit, quæ euenisse certò habetur. Et cùm diu flagitatus ab eo aliud non valuisset elicere, eius tunicam consciderunt à capite, eúmque CHRODOBERTO cuidam viro, qui tunc Comes erat Palacij, iussit tyrannus impius tradere, & præsentem vitam in gladij percussione auferri. Lætabatur autem Dei Martyr in omni patientia, quia debitam, sibi remunerante Domino Martyrij sentiebat appropinquare coronam. Accepto eodem, Chrodobertus vt eum ad suam domum deduceret, cernens eum ex itinere ac infirmitate defessum, iussit ei ad refocillandum potum dari. Antequam ei pincerna adsisteret, lumen magnum quasi in rotæ circulo de cœlo descendens, super caput eius refulsit. Tunc trementes omnes, qui hoc signum viderunt: Quid est hoc, inquiunt, Domine, quod paret super caput tuum quasi in circuli modum lumen splendidissimum de cœlo, quod numquam à nobis simile visum est? Ille pronus in terra adorauit, dicens: Gratias tibi agò omnipotens Deus, consolator omnium, atque refero, qui super seruum tuum ostendere dignatus es tàle miraculum. Tunc videntes omnes quasi in excessu mentis positi, tandem quidem repositi, simul glorificantes Deum omnipotentē, & conuersi alter ad alterum, dicentes: Verè hic homo seruus Dei est. Et pollicebantur ad Deum prorsus totis se tendere pro viribus.

B Etenim memoratus vir cùm eum in domum propriam perduxisset, ita in eius aduentu benedictionem cœlestem recepit, vt cùm omnes illic habitantes hoc manifestè cognoscerent, peccata propria confitentes, certatim ad pœnitentiæ lamenta confugerent. Hac enim gratiâ Dominus suum famulum illustrauerat, vt vbicumque exul fuisset traditus, vt ei inferrentur nequitiæ, versa vice famulabilem omnes illi impenderent reuerentiam. Tandem peruenit dies muneris, in quo persecutionis eius iàm esset finis. Tunc à Palatio sententia mandata est decreti, Leodegarium diutiùs viuere non debere. Et timens impius Ebroinus, ne à fidelibus Christianis honor ei impenderetur martyrij, in syluarum condensa iubet perquirere puteum, & ibidem corpus eius immergere trucidatum, quatinus os putei terrâ vel lapidibus obturatum, incognitum esset hominibus illius sepulchrum. Præfatus etenim Chrodobertus eo prædicante iam aliquantum cœperat esse conuersus, ideo non ferens mortem viri Dei conspicere, quatuor iussit è famulis, vt ea quæ sibi fuerant iussa explerent. Vt enim in illius domum peruenit hoc nuncium, eius coniunx luctu flere cœpit amaro, eo quòd in viri sui ministerio peruenisset tam crudele facinus.

XV. IGITVR vt cognouit vir Domini suum adesse iam terminum, mulierem cœpit consolari lugentem, dicens: Noli, quæso, mei transitus causâ flere, quia nequaquam tibi mors mea ad vindictam requiretur: sed potiùs benedictio de cœ-

C lis dabitur à Deo, si corpusculum meum deuotè condideris in sepulchro. Et cùm hæc dixisset, vrgentibus ministris vale dicens educitur in sylua, vt iussionis implerent sententiam. Iam enim antea quæsierant puteum, vbi corpus illius abscon-derent sicut fuerat iussum, sed nullatenus fuit vltra ab eis repertum. Educentes autem per loca incognita vsque in quendam locum, in ipso loco adstitit dicens: Non necesse habetis, filij, longiùs fatigari, ad quod venistis citò facite, vt impleatis votum maligni. Hi verò, qui venerant ad eum perimendum, erant quatuor numero. Tres autem ex his prouoluti ad pedes eius, deprecabantur vt eis indulgentiam daret, & benedictionem suam super eos dignaretur tradere. Quartus verò superbus astabat euaginato gladio, paratus ad interimendum. Et postquàm benedictionem suam super eos tradidit, & suis interfectoribus verbum Domini adnunciauit, tunc vir Dei incumbens orationi, ait: Domine Deus omnipotens, pater Domini nostri IESV Christi, per quem tuam notitiam accepimus, Deus virtutum, & omnis creaturæ, ac totius humani generis creator, te benedico, te glorifico, qui me dignatus es ad hanc certaminis diem perducere. Rogo, deprecórque Domine, vt ipse in me iubeas misericordiam pietatis tuæ largiri, & meritis Sanctorum tuorum me dignum facias participari, & vitæ æternæ consortem: & tribue indulgentiam his qui me tribulant, quoniam ego per eos in conspectu tuo credo, clementissime Pater, glorificatus fieri. Et exsurgens, ceruì-

THEODO-RICVS I. cem tetendit, gladiatores monuit, vt quod sibi iussum fuerat adimplerent. Cùm hæc diceret, percussor extendens gladium amputauit caput eius. Et erectum corpus eius substitisse quasi vnius horæ spacio dicitur, sed dum non statim eum cedere gladiator cerneret, eum pede percussit, vt citiùs in terra decideret. Sed non multò pòst percussor eius arreptus à dæmonibus, & mente captus, ac Dei vltione percussus, in ignem se proiecit, ac vitam finiuit. Tunc iussu coniugis huius viri Chrodoberti in quandam villam Sarcinio cum magno fletu plangentium à suis latenter deportatus, & huius feminæ decreto in vestibus, in quibus trucidatus fuerat, in paruulo Oratorio beatus Martyr est sepultus. In quo sepulcro annis duobus & dimidio humatum fuisse dicitur. A

XVI. His itaque diebus Sacerdos, qui huius Oratorij fungebatur officio, lumen splendidum absque ministerio humano in eodem cognouit loco noctibus refulsisse, & terribiliter cum iureiurando canticum se illic asseruit audisse Angelicum, adeo vt tremens refugeret, ne insolens spiritali visui interesset. Vnde rumor magnus emanauit in circuitu loci huius, & veniente ad eiusdem beati Martyris venerandi Oratorium turba multa languentium, diuersis infirmitatibus detentos sanauit, claudis scilicet gressum dedit, cæcis lumen tribuit, obsessos à dæmonibus mundauit, multísque virtutibus in huius loci venerando habitaculo emicuit. Hoc itaque eiusdem Ecclesiæ adtestabatur Sacerdos. Nam & huius Sacerdotis minister Clericus, & ipsius Ecclesiæ custos, quadam nocte latrocinium est passus, itaut à latronibus omnis substantia eius fuisset ablata. Inter quæ caliculam beati Martyris, quam pro reuerentia sibi reseruauerat, habebat abscondi, quam latro nesciens secum portauit. Qui maturè ab Oratorio consurgens, & ad domicilium suum pergens, inuenit omnia sua furata. Qui festinus pergit ad huius viri Dei sepulcrum, deprecans vt ei redderet quod ei furtim ablatum fuerat. Nam tota illa die, & sequenti nocte, in oratione ad eius tumulum ieiunans, & psalmodiis insistens adstabat. Cùm verò expleta oratione ad suam Cellulam remeasset, nihil ex eis imminutum, sed totum cum calicula beati Martyris saluum inuenit. Dominus verò latronis pro seruo iureiurauerat, nequaquam hoc malum egisse seruum. sed reuersus domum protinus vitam finiuit. Seruus verò scelus quod fecerat malè consummauit. Tunc magis magísque fama sanctitatis beati Martyris latè prorupit. Quæ paulatim posteaquàm videri cœperunt, Ebroinum non latuit. Quo audito, nuncium misit occultè, qui hoc inquirens studiosè, sibi vera nunciaret. Qui nuncius iussis eius obtemperans ad eius accessit tumulum, & interrogans custodem, didicit vbinam Leodegarius iaceret: cùm cæcus, qui visum receperat in virtutibus Dei, huic, vbi Sancti corpus requiescit, diceret, & ipse pro recepto lumine deseruiret, hoc nullatenus credidit: sed superbiâ tumidus accedens, orationi distulit incumbere, quin potiùs despiciens humum pede percussit, & stultè loquitur, dicens eo quòd nesciret virtutem Dei. Etenim, inquit, mortuus virtutes nequaquam faciet. Nam miser reuersus, priusquàm ea nunciaret huic, à quo missus fuerat, in se cognouit quantum sanctus Martyr virtutibus polleret. Dum enim iter carperet, ille vitam perdidit, & ei à quo missus fuerat minimè renunciauit: & quem elatus non credidit, allisus compulsus est cognoscere quem despexit. Sed cùm tantæ rei diuulgaretur opinio, & fidelibus hoc prouenisset ad gaudium, hæc cognita Ebroinus iniquissimus tacito corde retinebat, & tremens intra se verecundè præter coniugi nemini manifestare audebat: ne fortè crescente gloria Martyris, sua, qui tale lumen extinguere cupiebat, esset diminuta in populis. Nam his spaciis dierum, quantum ille miser hoc bonum latere cupiebat, tantò magis vbique rumor virtutum supradictarum beati Martyris dilatatus radiabat. Mox etiam vt Ebroinus hoc percognouit, noluit corrigere quod fecerat malum: sed corde iam cæco cum suis sequacibus incredulitatis obduratur obstaculo. Iubebat enim minando abscondere quod Christus Dominus ad confortandum incredulos, ad gloriam sui Martyris, supra candelabrum suæ Ecclesiæ ad illustrationem fidelium dignatus est demonstrare. Etenim cùm mens errabunda tyranni nutaret, & nullatenus ad emendationem vel humilitatem sui conuerteret, etiam vltra solitum in fastu superbiæ ceruicem eius contra diabolus diriguisset, tunc impletum fuit in eum illud Salomonis prouerbium: *Priusquàm humilietur*

B

C

A *humilietur cor hominis eleuatur, & ante ruinam exaltatur spiritus*. Et nè tanti piaculi factum impunitum euaderet, ipse sibi velut freneticus articulum mortis inquirit. Nam cuidam Optimati, qui tunc functionem fiscalem ministrauit, inuenta occasione eousque intulit spolium, donec penè auferret omne eius prædium, insuper minabatur ei mortis periculum. Cernens autem vir ille iam post expolium mortem sibi insuper imminere, & exilium, obfirmat animum, atque matutino ad eius ostium ante lucem obseruat egressum. Dies agebatur Dominica, ideò processurus erat ad Matutinarum sollemnia. Cùm autem ille pedem foras misisset de limine, ecce iste insperatè prosiliens, gladio eius percussit caput. Ob cuius ictum duplicem decidit in mortem, & ita est ablatum de regno eius iniquum dominium, sicut quondam Dauid à filiis Israël abstulit obprobrium, prostrato Goliath allophylo.

THEODORICVS I.

XVII. TRANSACTO igitur spacio trium annorum in Ebroino semper lugendo, qui hanc lucernam visus est extinguere, sermo diuinus impletur. Nam quia gladiis multos interemit, percussus gladio & ipse periit. Infelix ac miser, qui tantis honoribus sublimatus, in tribus mundi partibus dilatata fama industriæ suæ pollebat inter homines, quoniam noluit inimicis mandatum Dei implere, indulgentiam tribuere, eos verò vlciscendo multos regna cœlorum fecit habere. Quamobrem valde verendum est, vt qui tantos Sacerdotes ac Proceres suæ vltionis crudelitate interemit, se potiùs ad pœnam præparasset æternam; & tam excelsam, quam nullus Francorum habere meruit gloriam perdidisset; & beatam vitam, quam per patientiam adipisci quiuerat, amisisset. Sed postquam infelix Ebroinus vitæ finem dedit, quod inuidiâ ductus de Dei seruo absconderat, magnis laudi-
B bus longè lateque percrebuit. Postquàm namque serenitati Regis, eiúsque Palatio de virtutibus sancti Martyris veraciter fuit percognitum, quòd Christus Dominus ad titulum suæ laudis sic eum clarificasse dignatus est signis virtutum, cum admiratione Rex credidit factum, & cœpit verè venerari Martyrem, quem per accusationem tyranni crediderat priùs fuisse culpabilem. Tunc etiam perlatum cum laude in Palatium, quod multis diebus ab æmulo latuit absconsum. Erat enim multitudo ibi magnorum ac maximorum, Episcoporum scilicet ac Procerum, qui dum collationem de sancto Martyre inter se haberent, & admirarentur quæ de eo audiebantur; tunc vir vitæ sanctissimæ ANSOALDVS vrbis Pictauensis Antistes verbum intulit, dicens: Vtinam daretur mihi optio, quia notum est meum « esse parentem, & ex parrochia mihi commissa ad honoris processit gratiam, vel « eius corpusculum habere meruissem mecum. Ibi autem aderat ERMENARIVS « Pontifex, qui ei successerat in Episcopatu Augustidunense, qui & ipse ait: Iure « mihi datur huius viri corpus, quoniam iustum est ibi eum requiescere, vbi Episco- « pus fuit. Tunc etiam & VENDICIANVS Præsul Atrabatensis, in cuius fuerat diœcesi interfectus, dicitur respondisse: Nequaquam ita fiet, vt vos sancti Pontifices « locuti estis, sed mihi donetur facultas huius beati viri corpus habere, quoniã huic « loco datus est, in quo dignatur quiescere. Adstante verò cunctorum turba Præsulum, decreuerunt vt ieiunia & orationes in hoc conflictu fierent: vt per hoc dignaretur Dominus ostendere, in cuius diœcesi iure deberet requiescere. Hæc audientes adquieuerunt decreto, & facta oratione cum ieiunio, & tribus paruis epistolis definitione scripta super altare positis, vt transacta oratione per eas Dominus declararet, in cuius sorte hoc sanctum beati Martyris corpusculum perueniret. In crastina verò die oratione completa, ac Missarum sollemniis consummatis, vnus ex ministris iussus à Pontificibus manum incognitam subter pallam posuit, & cognitio veritatis in manu sua venit. Videntes cuncti, qui huic spectaculo erant cognoscentes, acclamauerunt Ansoaldi Pontificis esse iustitiam, quoniam huius rei veritatem declarabat epistola, quæ veraciter teneretur. Iam tunc sine ambiguitate confirmato consilio, cuidam viro Dei Abbati suo nomine AVDVLFO ab eodem beato Martyre olim enutrito, isdem Pontifex Ansoaldus iussit, vt festinus propter hoc sacrum corpus pergeret, & cum reuerentia ipsum vsque solum Pictauense deferret, & vbi priùs incœperat cultum Dei exercere, ibi eius lucerna omni tempore sui luminis emicaret. Tunc vir Dei sancti sui Pontificis iussis obtemperans, gaudens cum festinatione perrexit, ac peruenit ad locum, vbi requieuerat corpusculum. Quod audientes qui habitabant in circuitu loci,

THEODO-RICVS I. multitudo Monachorum, ceterorúmque virorum, ac mulierum, deuotione magna compuncti, festinantes concurrebant ad locum. Vbi cùm sanarentur multi à languoribus diuersis, exultabant, ac læti cum magnis laudibus, & turba multorum canentium simul & flentium, ipsius sancti Martyris, sicut iussum fuerat à glorioso domno Rege, promouerunt hoc sanctum corpus. Ergo cùm iter agerent, diuulgatum est per itineris loca, & cœperunt vndique sponte dextra leuáque concurrere ex Monasteriis, ac viculis, & villis, turba Monachorum, ac Clericorum, & populi, cum crucibus, incensis, cereis, magísque suauitate odoris obuiam procedentes. Tanta autem multitudo erat, vt vix quisquam accedere posset ad feretrũ, vt acceptis cornibus eius deferri posset scapulis. Nã quacumq; aliquis detineretur infirmitate, etiamsi feretro accedens tangere potuisset manu, statim ad pristinam reuertebatur sanitatem. Nulli etenim negabatur sanitas, si ex fide tangeret fimbrias opertorij, quo feretrum tegebatur. In pago autem Caturcino quibusdam fidelibus poscentibus, & præcipuè petitionibus ERMENANÆ Abbatissæ, quæ ad hoc opusculum impatienter præter ceteros nos compulit ad scribendum, de sanctis quæ comitabantur virtutibus relationem veram misit memoratus AVDVLFVS, vbi inseruit quod non valuit perstringere scriptura, & numero, multitudinem miraculorum quæ viderat choruscare: solummodò dum beatus Martyr de loco prioris sepulturæ ad locum, quo nunc honorificè quiescit, deferretur. Adserebat enim si ea quæ viderat quisquam paginæ inserere voluisset, Psalterij volumen excedere quantitatem libri, in quo forent descripta beati viri miracula. Nos verò quæ per eandem relationem cognouimus, audire breuiter volentibus intimamus. B

XVIII. IN quadam villa, cuius est vocabulum GAVDIACVS, erat puella quædam nomine Radigna, quæ ab annis septem in parentum domo iacebat cæca, muta, & paralytica. Sed cùm allata à parentibus ad feretrum beati Martyris fuisset, eadem nocte sopore detenta visum vidisse dicitur, duos viros splendidos cum reliquiis ante eam astitisse. Sed cùm euigilasset, & secum visionem miraretur, oculi eius receperunt visum, & pedes gressum, & lingua locutionis officium, itaut ipsa exclamaret, dicens: „ Gratias tibi ago, omnipotens Deus, „ quia per sanctum Martyrem Leodegarium ad integram sanitatem restituta sum. In hac laude erecta, & omnibus membris sana, cum parentibus perrexit ad propria, longo tempore postmodum victura. Deinde cùm in territorio Turonicæ ciuitatis peruenissent, in viculo vocabulo Solnaco erat mulier à dæmonio vexata. Quod audientes parentes eius, trahentes eam per brachia, cœpit vocibus clamare, quia nolebat ad sancti viri feretrum accedere. Sed inuita tandem pertracta ad eius peruenit feretrum. Quæ cùm tetigisset paulelum huius feretri vestimentum, mundata est protinus à dæmonio, & reuersa ad sensum proprium, magis circa feretrum adhuc volebat assistere, quia ab aduersariis se iterum metuebat arripi, ex quo iam liberam factam se cernebat. His itaque gestis, peruentum est ad Turonis vrbem. Quod audiens Pontifex huius ciuitatis, qui tunc aderat, vir Dei BERTVS, processit obuiam cum choris psallentium, cum lampadibus, vel cum omni Clero, & accepto cum suis feretro cùm per medium transiret ciuitatis, quædam mulier accusata pro morte viri sui, collo ac manibus teneretur catenata, cùm traheretur à custodibus, exclamauit dicens: „ Subueni mi- „ hi beate Leodegari, quia innocens pereo falsis accusatoribus alligata. Cùm hoc dixisset, illicò confracta cathena ex collo cecidit, & manibus eandem super feretrum proiecit, & apparuit idonea quæ fuerat absque noxa punita pœnæ. Cùm verò idem Pontifex cum magnis laudibus per suam parrochiam hoc sanctum corpus deduxisset, & introisset intra Pictauense solum, ad quod erat destinatum, requieuit paululum in quodam viculo vocato IGORANDE. Vbi obuiam occurrens quidam claudus, sed cùm se in orationibus ad sancti viri corpus in terra proiecisset, statim sanus factus, & super pedes erectus, ad propria est incolomis reuersus. Tunc audiens quædam mulier, à cuius manibus ablata fuerat species propria (nam digiti eius curui facti erant, ita vt in medio infixi essent palmæ, intantum vt vngues in carne essent absconsæ, à se propriam amiserant virtutem) ipsa tamen cùm adpropinquasset ad feretrum, inuocato Dei nomine, & sancti Martyris, directa ad pristinam sanitatem, magnas agens gratias C

A Deo, reuersa est ad propriam domum. Sed & hoc non est silendum, quia vir Dei ANSOALDVS Pontifex audiens sanctum appropinquasse iam corpus, velocem direxit nuncium, qui ex Interamnis villa sua daret abundantiam vini, vnde pauperes, & reliquum vulgus qui comitabantur sanctum corpus, habere potuissent ad refocillationem refectionis. Sed cùm hoc fuisset actum, non multum post spacium nunciatum est, quòd omnia vasa, quæ intra apothecam erant, vnde ipsum vinum exierat, penè vacua remanserant, nunc tam plena erant, vt etiam superfluentia vina in pauimento deciderent, ipsa tamen vascula plena remansissent. Post hæc cùm ad Vigentiam fluuium, in vico Sanoreæ peruenissent, erat ventus contrarius supereminens ipsum flumen tumidum. Vnde metuentes nautæ cœperunt prohibere introire nauigantes, ne periclitarentur in flumine. Tunc Dei Abbas iam dictus, cuius curæ erat deferre Sancti corpus, confidens sancti Martyris de meritis, compulit eos, dicens: Mittite in nauim, & transite securi, quia Dominus potens est in huius Sancti meritis his vndas conquiescere. Cùm autem positum esset in naui, & nauigare cœpissent nautæ, statim vndæ quieuerunt, & prosperè illud flumen illæsi transierunt. Sed cùm ibi noctu in Ecclesia requieuissent, & quædam peregrina mulier cum infantulo cæco paruulo aduenisset, tota illa nocte in oratione peruigilans, diluculo infans lumen quod amiserat recepit. Deinde recto itinere pergentes, peruentum est ad quandam villam Gelnacum, ad quam vir Dei Ansoaldus Antistes accessit cum suis, scilicet cum multitudine Clericorum, populorúmque promiscui sexus, & ætatis, & pauperum, cum turibulis, ac incensi fragrantia, cum crucibus & cereis accensis, agminibúsque multis canentium, hoc sanctum corpus suscipiens, pergere cœpit ad vrbem. Tunc ibi quędam aderat femina multis iam annis intantum curua, vt etiam caput inflexum penè adhæreret genibus. cùm paululum oculos erexisset ad sanctum Martyrem & ad feretrum, reuersum est ad pristinum vigorem eius corpusculum. Mirans hoc Pontifex, & omnes illic astantes, virtutem Dei ac beatissimi Martyris, tunc cum Canticis & magnis laudibus peruentum est ad vrbem. In suburbana Basilica, in qua beata Radegundis requiescit, introiuit beatus Pontifex cum sancto corpore Martyris, ibique aderat quidam paralyticus, & in eius aduentu protinus sanus effectus est, & in aliquo itineris spacio secutus est feretrum, & remansit sanus. Sed cùm ad Basilicam sancti Hilarij delatum fuisset beatum corpus, alius paralyticus iacens in via, huius tangens feretrum, sanus protinus factus est. Paulò pòst quædam puella cæca Sanctum Dei inuocans, lumen amissum recepit, quæ secuta vsque ad eius tumulum perueniens, vsque adhuc deuota residet ac deseruit.

XIX. IGITVR cùm ipsum sanctum corpus amotum fuisset ab vrbe, & ab ipsius ciuitatis Præsule cum suis Sacerdotibus & ministris humeris propriis fuisset quibusdam spaciis deportatum, & vsque ZEZINOYALO * quodam viculo cum magno triumpho fuisset delatum, vbi cum magna turba Monachorum de sancti Maxentij Cœnobio, in quo priùs fuerat Abbas constitutus, gaudentes obuiam processerunt, suúmque pastorem cum magno fauore suscepturi, deuotione magna cum psalmodiis in eadem Ecclesia pernoctantes. Diluculo verò quædam mulier accedens, deferens semiuiuum infantulum in brachiis, penè annorum trium, qui priusquam ad sanctum corpus accederet amisisse fertur spiritum. Quæ deportans, peraccedens posuit sub feretro, & cum fletu inuocauit sanctum virum, dicens: Domine mi, redde filium meum. Et cùm ferè per horarum trium spacium hoc deprecando clamaret, quasi de graui somno euigilans infans, voce qua valebat matrem requirens, ait: Mater, vbi es? Ipsa gaudens recepit filium rediuiuum, quem amiserat defunctum. Hoc magnum & mirabile fuit miraculum, ex quo magna fides processit in populo de tam perfecto viro, cuius iusticia manet in cœlo. Deinde verò sublatum est corpus beatissimi Martyris, & quemadmodum decebat talem virum, deferre cœperunt. Deinde ad Monasterium beati Maxentij, in quo priùs Pater fuerat effectus Monachorum, ire cœperunt. Et quia inibi priùs cœperat mentes hominum peruersorum mutare ad cultum diuinum, iusto iudicio Dei ac prouidentiâ censetur, vt virtutibus fulgendo summis operibus plurimos adnecteret diuino seruicio. Cùm autem deferretur, occurrerunt ei in via

* al. Zizoliolo.

THEODO-RICVS I. duo pauperes, vir scilicet cum vxore. Vir enim vnum oculum ablatum perdiderat, vxor verò duos. Vterque accedens ad feretrum, mulier fide lumen oculorum recepit, vir eius dubitans recessit cum vno oculo cæcus. Priusquàm enim accederent, vir trahebat funiculo cæcam. Redeuntes verò, vxor recepto lumine vicem reddebat, virum trahens postmodum cæcum. Nam cùm priùs Monachi ex ipso Cœnobio in eius properassent occursum, quædam puella, quæ iacebat in atrio S. Maxentij paralytica, atque omnium membrorum amisisse notum erat officium. Quæ cùm nomen audisset beati Leodegarij, manus vna ei restituta est sanitati. Cùm verò die tertia beati Martyris corpus in ipso peruentum fuisset atrio, omnia membra eius dissoluta, omnique infirmitate amissa, in pristinis reuersa est officiis, ac tota est incolumis reducta. Hoc videntes qui ibidem aderant miraculum, tanta vndique adgressa fuit multitudo populi, vt vix Ecclesiæ seu atria caperent multitudinem aduenientium, & populorum cateruam. Interea mulier alia ex longinquo veniens, lumen oculorum perditum, cùm ad sancti Martyris accessisset tumulum, recepit quod amiserat pristinum. Quidam adolescens simul & puella dæmoniis vexati, cùm tremefacti accessissent ad locum, vomitu sanguinis euulsis dæmonibus, ad sanitatem peruenerunt suam.

XX. MVLTÆ & innumerabiles virtutes illis in diebus per eundem Dei Martyrem operatæ sunt. Nam quicumque venissent multorum languentium, cæcorum, surdorum, mutorum, aridorum, claudorum, atque à demonibus vexatorum, redditi sunt incolomitati & sanitati. Nam dum in itinere deferrentur, penè sine numero fuit multitudo portantium. Matronæ verò nobiles vestimentorum ornamenta gestantes, oblatis palliis velamen ex auro, & serico, & ornamentis offerentes super feretrum Martyris, in tantum vt is melior in meritis esse gauderet, qui in honorem Martyris prior votum suum Domino obtulisset. In ipsius beatissimi Martyris honore, iussu Pontificis domni Ansoaldi, opere huius Audulfi Patris Monasterij, miræ magnitudinis fabricata est domus. Cuius fabricæ ædificatio est dissimilis omnium Basilicarum constructio. Quo carismate supradictus Pontifex votum quod vouit perficere volens, huic loco accessit cum omnibus suæ Ecclesiæ Sacerdotibus, ac turba magnificorum, cateruáque populi, & plebe magna. Et quidem cum magnis laudibus sanctum sepelierunt corpus beati Martyris. In quo loco operantur culmina virtutum, vbi ad laudem nominis CHRISTI perpetuum sit gaudens recursus populi, medela languentium, indulgentia peccatorum, & omnibus qui ex fide adeunt precum suarum obtinere concedat supplementum. Præstante Domino nostro IESV Christo, cui est honor & imperium, virtus & potestas, per infinita secula seculorum, amen. Consummatum est martyrium S. Leodegarij Episcopi V. Non. Octob. & dedicatio Basilicæ ipsius III. Kal. Nouembris, translatio sancti corporis medio Martio mense.

A

VITA ALIA
S. LEODEGARII EPISCOPI AVGVSTIDVNENSIS,
ET MAIORIS DOMVS FRANCIÆ SVB CHILDERICO CLODOVEI II. FILIO.

Auctore VRSINO, *qui eam iubente* ANSOALDO *Pictauorum Pontifice scripsit.*

PRÆFATIO.

B DOMINO *sanctóque Pictauorum Pontifici* ANSOALDO, *peccator* VRSINVS. Iussioni obtemperans vestræ, beatissime Papa, summopere vrgente AVDOLPHO Patre Monasterij beati Maxentij, vt de Vita & Passione beati LEODEGARII, pauca è multis eius bonis commemorando, scriberem: equidem opus suscipere, atque etiam edere cupiebam. Sed imperitia & simplicitas mea, atque iners facundia, non valet explicare tanti viri virtutes. Cuius quidem patientia modernis innotuit temporibus, sed multa iam antè perpessus est, quæ nemo nouit, nisi ille solus, cui ea intrinsecus exposuit. Nam finis operis ostendit extrinsecus, quanta intus clam & nemine conscio sit operatus. Quæ tamen mihi de eius vita cognita sunt, multorum relatione comperta, quanquam rustico sermone, vobis imperantibus, edere conatus sum. In quibus si interdum prolixioribus verbis vsus videbor, feci id, vt à veritatis linea non discederem. Si quid verò ex eius virtutibus prætermisi, non studio
C id factum est, sed ignorantiâ. Puto autem, etiamsi quis multa sermonis sublimitate & eloquentiâ huius viri Dei res gestas apertiùs explicare velit, non posse id citra mendacij notam fieri. Poteram fortassis etiam ego, annuente Deo, occultis & incognitis verbis vti. Sed ea causa nolui, vt rustici & illiterati me possint intelligere, & homines pij ac Deo deuoti eius imitari exempla appetant, cuius miracula cognouerint.

INCIPIT VITA.

IGITVR beatus LEODEGARIVS ex Francorum præcelsa & nobilissima progenie ortus, in primis ætatis initiis à parentibus in CLOTARII Regis Palatium adductus est: nec diu pòst ab eodem Rege DIDONI Pictauensis vrbis Præsuli, auunculo scilicet suo, litterarum studiis imbuendus traditus est. Is autem Præsul cuidam Dei Sacerdoti, viro eruditissimo, eum erudiendum commendauit: qui etiam permultis annis magna curâ eum docuit, ac deinde benè institutum Episcopo reddidit. Receptúmque eum Episcopus cum suis cubiculariis *Apud Surium Tom. V.*

CLOTHARIVS III. sub custodia disciplinæ adhibuit: vt quemadmodum ipse se castum corpore conseruarat, ita illum quoque sui similem efficeret. Quamobrem etiam creberrimè illum admonendo dicere solebat, vt se virginem conseruaret, quo posset in Ecclesia Dei dignum electionis effici vas. Optabat enim illum eius ciuitatis post se Episcopum habere. A

Cap. 2. Cvi quidem rei cùm illum cerneret aptum & idoneum, infra viginti annos ad officium electus est Diaconatus, atque ab ipso Pontifice consecratus. Deinde non multo elapso tempore Archidiaconus effectus, omnibus eius diœcesis Ecclesiis ab eodem Pontifice præfectus atque prælatus est. Erat enim egregiè facundus, corporis staturâ procerus, inter plerosque pulcherrimus, adspectu decorus, suauis eloquio, ingenio peracutus, prudentiâ prouidus, Dei zelo & amore feruidus, perpetuæque virginitatis custos. Scripturæ diuinæ, tum etiam Pontificij & Ciuilis Iuris cognitione penè omnes eius parochiæ, quam administrandam susceperat, habitatores antecedebat. Intantum verò & seniores, & æquales, & inferiores omnes superabat, vt eloquentia eius grata esset omnibus, qui cum illo loquerentur: mœstósque afficeret lætitiâ, & criminibus obnoxios ad disciplinæ studium reuocaret. Et breui quidem temporis spacio sub illo Antistite magnam pacem Pictauensi solo regiminis sui prouidentia conciliauit.

Cap. 3. Cvm autem Pater Monasterij in sancti Maxentij honorem conditi obiisset, iussu eiusdem Pontificis illud regendum suscepit. Quod sex ferè annis ille gubernans, & structuris & magnis opibus ditauit. Interea verò & Episcopo suo egregiè probatus, & præ omnibus clarus habitus est: tantáque nominis eius fragrantia in partes omnes dimanauit, vt in ipsum etiam Regis Palatium penetrarit. Per id tempus minor Clotarivs Rex cum Baldechilde sua matre Regni Francorum habenas moderabatur. Qui cùm eius prudentiam auditione accepissent, cuperéntque eum apud se in Palatio habere, petierunt ab Episcopo, vt ei faceret copiam cum ipsis in Palatio manendi. Episcopus statim iussa complens, magnis rebus instructum, & sapientiæ floribus redimitum, eum misit ad illos. qui eum sanè honorificè acceperunt. Ille verò intra paucos dies virtute & integritate sua, sermonísque comitate id consequutus est, vt Rex & Regina, & plerique Pontifices eum præcipuè charum haberent, consensúque omnium maximè Francorum, Episcopi functione dignus proclamaretur. Itaque ab omnibus electus, Augustiduni, quæ est Heduorum ciuitas, Episcopum curarunt ordinandum. Quo munere decem annis strenuè functus cùm esset, Clotarivs Rex, qui eum promouerat, excessit è viuis. B

Cap. 4. CHILDERICVS II. Tvm verò beatus Leodegarius Episcopus id audiens, celeritate ad Palatium profectus est, & cum aliis de Rege constituendo tractare cœpit. Cúmque comperissent Childericvm Austrasiorum Regem adolescentem pro sua ætate Regnum optimè administrasse, quædam Francorum pars eum voluit habere Regem. Sed Ebroinvs, qui Maior Domus fuerat sub Rege Clotario, Theodoricvm germanum cupiebat substituere fratri in Regno. Eius autem nomen tum erat odiosum apud Francos, vt qui illo rursus iugo premendos se vererentur, quod sub Clothario per eum experti essent. Itaque Ebroini consilio posthabito, Childericvm Francorum Regem elegerunt. Cernens ergo Ebroinus se destitutum, consiliúmque suum prorsus negligi, multo timore correptus, petiit à Rege, vt rebus omnibus derelictis, permitteret ipsi vita incolumi degere in Monasterio. Illo sic rogante, & Leodegario quoque pro eo intercedente, Rex assensit, & ilicò ad Monasterium Luxouium eum destinauit, vt illic Monasticum institutum complecteretur. Deinde in Regno confirmatus Childericus Rex, germanum suum Theodoricum cuidam seruo Dei conseruandum ac nutriendum commisit. Porrò Leodegarivm Episcopum omni Domui suæ præfecit, & in omnibus Maiorem Domus esse voluit. C

Cap. 5. Is ergo, ea accepta potestate, quicquid aduersus priscorum Regum & magnorum Procerum leges comperit ineptè introductum, cùm esset vita & moribus inculpatis, ad pristinum reduxit statum. Vsque adeò verò totum Francorum Regnum vsquequaque restituit, vt omnes se gratularentur Regem habere Childericvm, ac Rectorem Palatij Leodegarium. Cùm hæc annis ferè tribus cum multo decore agerentur, malus dæmon, qui pro insita sibi inuidentia

A bona destruere solet, administris suis, quos idem Antistes sibi socios adhibuerat rerum gerendarum, inuidiæ faces admouere cœpit, & per illos inter Episcopum & Regem discordiæ zizaniam seminare. Imminente igitur tum Paschatis celeberrimo die, Episcopus à Rege petiit, vt in Augustiduno vrbe sua ipsum sanctissimum diem Rex celebraret. Non abnuit Rex, sed Episcopi precibus studet obsequi. In ipsis igitur vigiliis Paschæ pro antiquo more illis pariter euntibus ad Missarum solemnia celebranda, odij seminario adhuc latitante, is, qui malorum incentor erat, accedens ad Episcopum, ait: Caueas tibi, sancte Pontifex. « Missarum enim celebritate peracta, iussu Regis interficiendus es. Nam semen ne-« quam, ab hostibus tuis in eius satum pectore, hac nocte exeret sese. « CHILDERICVS II.

HIS auditis, dissimulat interim Episcopus, neque eam rem magni pendens, lætum & serenum vultum exhibet, inchoatáque Missarum solemnia honestissimè consummat. Postquàm autem ipse & Rex Eucharistiam sumpserunt, Rex ad Palatium pransurus abscessit. Episcopus verò peracto ministerio, haustóque cum suis mero, vt sese habet humana fragilitas, Regis animos metuens, cum illis tractare cœpit, quid hac in re agendum videretur. Vbi autem ad Dominum preces fudit, consultius ei visum est, posthabitis omnibus Christum sequi, quàm cædi locum dare, ne manus Regis tam festo die Sacerdotis sanguine inquinarentur, atque indè in Francorum odium & contemptum incideret, vniúsque hominis causâ, totius populi concertatio & conflictus oriretur. Relicto igitur Rege, cunctísque B Regni Proceribus, pro nihilo ducens, quid in mundo haberetur, eadem nocte cum paucis iter suscepit, eò profecturus, vbi pauper Christi effici posset. Id vbi Rex cognouit, valde contristatus, ac animo mœrens, quemdam è fidelibus suis cum magno exercitu post illum misit, qui eum tota nocte insecutus, diluculò assecutus est. Deprecante autem humiliter Pontifice, vt liceret ipsi quoque, relicto seculo, vacare Deo in Luxouiensi Cœnobio, mox id ei permissum est. Itaque celeriter ad Monasterium perueniens, Ebroinum iam Clericum inuenit, eúmque rogauit, vt si quid in ipsum peccasset, veniam inuicem peterent, & animorum inter se concordiâ iungerentur. Attamen ab Abbate seiuncti, aliquanto temporis spatio pœnitentiam agentes, inter Monachorum contubernia tam strenuè se gesserunt, vt perpetuò illic in monastico instituto mansuri viderentur. Cap. 6.

PER idem autem tempus Childerico Rege defuncto, frater eius THEODORICVS ad Regni sceptra peruenit. Id vbi vtriusque amici compererunt, videre illos cupientes, cum ingenti studio & fauore illos ad propria reuocare nituntur. Itaque ad Monasterium venientes, cogunt eos indè egredi, & ad suas domos reuerti. At illi multum anxij, tandem illorum dilectioni & amicitiæ assentiunt. quippe quos sua causâ nouerant prolixi itineris laboribus fatigatos. Cum benedictione ergo Abbatis inter se pacis concordiâ iuncti Leodegarius & Ebroinus, Augustidunum proficiscuntur. Eorum aduentu tota exhilaratur ciuitas, obuiámque eis procedentes ciues, cum magno triumpho eos excipiunt: multùm C lætantes quòd reciperent Patrem suum, quem olim se gubernatorem amisisse planxerant. Restituunt igitur eum in Sedem suam, & cùm ingenti gaudio pariter afficerentur ac tripudiarent, ipse Episcopus voluit altera luce Ebroinum magnis affectum muneribus honorificè à se dimittere. At EBROINVS non ferens suos vel pauxillum quiescere, nocte fugam capessens, ab vrbe recessit: & Austrasios, quos olim aduersarios habuerat, sibi amicos asciuit. Non diu post multis perpetratis sceleribus, cùm sibi flagitiorum socios adiunxisset, in Francorum fines per vim inuasit: immanissimámque exercens tyrannidem, in THEODORICI Regis conspectum venit, atque ab illo in pristinum gradum restitutus est. Cap. 7. THEODORICVS I.

ITA ergo Rector Palatij & Maior Domus effectus, cogitare cœpit de vlciscendis inimicis, qui eum noluissent habere Subregulum. Itaque instar leonis rugientis, per Francorum terras rugitus eius insonuit: cunctíque, qui olim aduersus eum egerant, qui tamen cædem effugere potuêre, fugæ præsidia captarunt. Porro vir Dei LEODEGARIVS instaurandæ plebi suæ intra vrbem suam Heduam siue Augustidunum intentus erat. Reminiscens autem Ebroinus malorum omnium, quæ cum Childerico Rege illum suspicabatur sibi intulisse, adhibitis in consilium hominibus nequissimis, cum eis tractare cœpit, quâ ratione illum Episcopum perdere posset. Ex iis verò duo, DIDO & VVAIMERIS, caput ma- Cap. 8.

THEODORICI I. litiæ effecti, aiunt se illum rapere posse ex vrbe eius, in eúmque exercere vindictam, quæ Ebroini malitiam exsatiet. Illorum promissis exhilaratus Ebroinus, copiosum valde exercitum eis tradidit: cum quo illi festini abière Heduam, & vrbem circa mœnia vastare cœperunt. Id cernens vir Dei Leodegarius, zelo magno accensus erga plebem sibi commissam, & Domini exemplo malens animam suam ponere pro ouibus suis, eásque lucrifacere potiùs, quàm vni suæ temporariæ saluti consulere; collecto totius ciuitatis Clero, cum reliquiis, crucibus, & psallentium choris, Deique laudibus, obuiam processit hostibus suis, spontéque se obtulit ad obeundum martyrium, si voluntas percussori non defuisset. A

Cap. 9. At illi, qui eius capiendi causa venerant, nulla erga sacras reliquias moti reuerentiâ, eum comprehenderunt. Fertur tunc exclamans dixisse: Gratias ago omnipotenti Deo, redemptori meo, quòd me hodie dignatus est glorificare. Ductus est autem ab illis extra vrbem, atque illic, vt Ebroinus iusserat, eruti sunt oculi eius. Et humano quidem illum orbarunt lumine extrinsecus. at intus mansit illi diuinum lumen. Cúmque eum custodibus tradidissent, in quoddam Cœnobium perduxerunt, vbi biennium ferè latuit, & magnum reliquit patientiæ & humilitatis exemplum.

Cap. 10. Eodem verò tempore eius germanus nomine Gairinus*, qui ob metum Ebroini cum aliis ab eo profligatis Francorum Proceribus, aliis in locis degebat, iussu Regis Theodorici, & Principis Ebroini, ad Palatium reuerti compulsus est. Simul etiam beatus Leodegarius ex Monasterio, in quo tenebatur absconditus, in Regis Theodorici præsentiam adduci iussus est. Cúmque ambo fratres in Principum conspectum venissent, multis contumeliis & opprobriis affecti ab Ebroino, illi sic respondisse feruntur: Nos quidem dignè hæc patimur, quia peccauimus Domino: sed maior tamen eius clementia est, qui nos dignatus est ad tantam gloriam vocare. Tu verò miser Ebroine, qui tantam iniuriam irrogas Francorum genti, teipsum potiùs vlcisceris, dum aliis vitam auferre cupis: Multos quidem decepisti, & à paterno solo exulare compulisti: at tu ipse magis etiam exul eris, quandoquidem & temporalem & æternam gloriam citò perdes. Dum enim totius Franciæ homines excellere meditaris, tuam, qua indignus præditus es, gloriam amittis. B

* Gerinus.

Cap. 11. Hæc vt audiuit Ebroinus, furore magno correptus, iussit ministris, vt Gairinum à Leodegario separarent, vti separatim punirentur, nec possent coniunctim eiusmodi sermones proferre. Cùm ergo abduceretur Gairinus, beatus Leodegarius dixit ei: Æquo feras animo, frater charissime, quòd nos isthæc pati oporteat. Non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Peccata quidem nostra multa sunt, sed supereminet magna Dei omnipotentis misericordia, qui ad abluenda se laudantium delicta semper paratus est. Et nos ad breue tempus hæc patimur, quia mortis debitores sumus. Sed si patienter tulerimus, illa nos expectat vita, vbi sine fine lætabimur in cœlesti gloria. Deinde ministri ad palum alligatum Gairinum lapidibus obruere cœperunt. At ille deprecabatur Dominum, ita dicens: Domine Iesu Christe, qui non venisti vocare iustos, sed peccatores, suscipe spiritum serui tui: & qui me ea gratiâ dignatus es, vt instar Martyrum lapidibus vitam istam mortalem amitterem, mihi quoque clementissime des veniam scelerum meorum. Hæc dicens, inter verba orationis supremum efflauit spiritum. C

Cap. 12. Et beatus quidem Leodegarius cupiebat cum fratre sanguinem fundere, vt simul mererentur coronari. Sed Ebroinus eius obitum differre volens, vt per pœnas diu productas ei æternas quoque conciliaret, & ne coronâ frueretur martyrij, immò verò etiam præmiis gloriæ sempiternæ priuaretur, iussit eum nudis pedibus per quandam piscinam traduci, in qua erant petræ instar clauorum acutæ. Deinde euulsis iam oculis, humi eum prosterni, linguámque & labia incidi; vt ablatis oculis, pedibus contritis & conscissis, linguâ & labiis incisis, membrorum vsu erepto, corporis viribus omni ex parte eneruatis, vt nec oculis posset terram cernere, nec pedibus ingredi, nec linguæ officio laudare Creatorem: tandem in blasphemiam rueret, atque ita salute omni priuaretur, quam, laudando Deum, sibi ingentem cœlitus obtinuisset. At verò, qui sine voce corda audit Deus, magísque rogatur corde contrito, quàm elatione superborum, vocem ta-

A centis propensiùs audiuit, quàm elatè loquentis. Ille enim vir sanctus diuinum implorabat auxilium, non sono vocis, sed cordis humilitate. Nam cùm se omni humano præsidio destitutum cerneret, totis viribus diuinum sibi adesse poposcit. Itaque quantum humana impietas eum à supernis abstrahere moliebatur, tantùm pietas diuina erigebat ad cœlestia. THEODORICVS I.

PORRO Ebroinus quemdam accersiens virum, cui nomen VVANINGVS: Tu accipe Leodegarium, inquit, quem aliquando vidisti virum superbum, & tuta eum custodiâ asserua. Aderit enim quandoque tempus, vt ab inimicis suis recipiat quod meretur. Quo accepto, ad suum perduxit Cœnobium, quod vocatur Fiscapnum, vbi erat congregatio Sanctimonialium ac Virginum, quibus præerat CHILDOMARCHA famula Christi. In eo Cœnobio beatus Leodegarius multis diebus stetit sub custodia. At verò lingua eius præcisa suum recepit officium, & magnum doctrinæ semen sparsit in populo. Quando autem ad Virgines accedebat, tanta, vt fertur, ab eius ore sermonis suauitas manabat, vt mirarentur quicumque audirent, tanta per illum efficere clementissimum Deum, vt morum suorum prauitate damnata, quamprimùm ad pœnitentiæ fructus & remedia aduolarent. Ille enim vir beatus diu noctúque in Dei laudibus peruigil adstabat, vt vix parumper ab Ecclesia ad corporis res necessarias interdum recederet, aut quippiam vel cibi vel somni perciperet. Cap. 13.

EODEM namque tempore THEODORICVS Rex & idem EBROINVS Synodum conuocauerunt, & ad quandam villam regiam venientem multorum Episcoporum turbam ibi adesse fecerunt. Ibique inter laicos DIDO, qui sanctum virum Leodegarium cum Vuaimere expulit de sede Episcopatus, & pœnam ei tradidit, inter alios condemnatos ab ipsa Synodo, caluariam accepit in capite, expulsus à sancta congregatione. Deindè exilio condemnatus, mortéque sequuta pœnam capitis suscipit, & quicquid dolosè in sanctum virum exercuit, ab vno Episcopo per Ebroinum in ipsa Synodo similem pœnam est sortitus. Porrò VVAIMERIS, qui Didoni socius fuerat ad exequenda in sanctum virum Ebroini iussa, cùm ab eodem Ebroino, quòd eius tyrannidi assensisset, per fraudem esset in Episcopum promotus, in eius indignationem, Dei, vt putatur, nutu incurrit, multis flagellis cæsus, turpissiméque, vt decebat iusti proditorem, condemnatus, laqueo suspensus est, & transmissus in tartarum. Morabatur eo tempore beatus Leodegarius in Virginum supradicto Monasterio. Tunc & ipsum ad eandem Synodum accersierunt, non ad Concilium confirmandum, sed seorsum Rex & Ebroinus cum eodem colluctationem fecisse dicuntur, in qua eis multa prædixit futura, quæ euenisse manifestum est. Ebroinus verò in sua malignitate perseuerans: Multum te, ait ad virum Dei, grandiloquentia tua ad dicendum exstimulat. Martyrem te fore suspicaris. idcirco hac temeritate vteris. Multùm verò te extendis, sed frustrà tale præmium expetis. Vt enim commeritus es, ita martyrio potieris. Cupiebat Ebroinus sanctum virum in anima & corpore perdere, & cui iam omnem seculi gloriam ereptam cernebat, à Sanctorum quoque meritis excludere. Sed quibus rebus ille sibi videbatur eum à Christo auellere, iis ipsis efficiebat, vt Christo, quem desiderabat, magis adhæreret. Quantum enim crescebat eius pœna, tantum etiam præmia augebantur. Cap. 14. B C

TVNC tradidit eum cuidam viro Chrodoberto, dicens, vt eum multa cura custodiret. Veniet enim quandoque, ait, tempus, quo tollatur è medio. Ille acceptum eum duxit ad domum suam. Cernens verò eum ex itinere & morbo defessum, iussit refocillandi eius causa potum ei præberi. Sed priusquàm ad eum pincerna veniret, ingens lux instar circuli è cœlo descendens, super caput eius resplenduit. Tum illi qui aderant: Quid sibi vult, aiunt, Domine, quòd super caput tuum sphærica figura apparet, cœlitus lapsum lumen splendidissimum, cuius nos antehac nunquam simile vidimus? Ille verò in terram prostratus: Gratias ago tibi, inquit, omnipotens Deus, omnium consolator, qui super me seruum tuum tale dignatus es ostendere miraculum. Porrò reliqui omnes, conspecto eo lumine, tanquam extra sese in exstasim rapti, tandem collectis viribus simul laudauerunt Deum, & ad se mutuò conuersi dixerunt: Reuera hic homo seruus Dei est. Simúlque promiserunt se toto corde velle ad Deum conuerti. Atque ita eius sermonibus penè omnes qui in illa domo erant, paterfamilias, eius coniunx, & Cap. 15.

THEODORICVS I. familia tota, conuersi sunt ad Dei cultum. Quotquot autem eius famam percepere in locis adiacentibus, ad eum concurrebant, verba salutis audituri. Ille verò non cessabat sua prædicatione docere omnes, quemadmodum ad regna cœlorum possent peruenire. A

Cap. 16. SED non multo euoluto tempore, cùm iam præpotens Deus pro tam insigni patientia decreuisset remunerare fidelem seruum suum, Ebroinus iam obstinatus volens suam in eum crudelitatem perficere, velocissimos post eum equites misit, qui eum neci darent. Illi ergo acceptum eum è domo viri illius, cui custodiendus datus erat, abduxerunt per loca ignota. Cúmque ad certum locum ventum esset, illic constitit, ita dicens: Non opus est, filij, vt diutiùs vos fatigetis. Cuius causâ huc venistis, id ociùs perpetrate, vt satisfiat voto vestro. Ad eius autem cædem quatuor missi erant, è quibus tres prouoluti ad pedes eius, rogabant, vt ipsis veniam daret, & suam benedictionem impertiret. Quartus verò superbè erectus, districto gladio paratus erat ad perpetrandam cædem.

Cap. 17. POSTQVAM autem, data benedictione, percussoribus suis benè precatus est vir Dei, & verbum Dei eis ministrauit, in preces incumbens, ait: Domine Deus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, te benedico, te glorifico, qui me dignatus es ad hunc certaminis perducere diem. Oro & obsecro te, Domine, vt tuæ pietatis misericordiam mihi impertias, & Sanctorum tuorum meritis dignum me facias, & eorum participem, vitæque æternæ consortem. Ignosce illis qui affligunt me, quandoquidem ego, clementissime Pater, per eos credo me in conspectu tuo glorificandum. Dum hæc diceret, percussor sublato gladio amputauit caput eius. Ferunt tum erexisse sese corpus eius, & quasi horæ vnius spacio stetisse. Id conspicatus percussor eius, pede eum trusit, vt citiùs in terram corrueret. Sed miser ille non diu pòst arreptus à dæmonibus, & mente captus, diuina in eum vltione animaduertente, in ignem se coniecit, & mortuus est. Tunc iussu coniugis Chrodoberti in quandam villam Sarcingum nomine cum magno fletu plangentium latenter à suis deportatus est, & cum vestibus, in quibus trucidatus fuerat, in exiguo Oratorio beatus Martyr sepultus est VI. Non. Octobris. In quo monumento annis duobus & dimidio humatum fuisse aiunt. B

Cap. 18. ILLO igitur in tempore Sacerdos quidam, qui huius Oratorij fungebatur officio, lumen splendidissimum noctibus didicit eo in loco absque humano ministerio fulsisse. Eius rei fama in vicina loca sese diffudit. Itaque multa languentium turba ad beati Martyris venerationem orationis causâ eò adueniens, à diuersis morbis liberata est. Claudi gressum, cæci lumen receperunt: purgati sunt ab impuro spiritu dæmoniaci. Nec rarò in venerando illo loco lumen emicuit, quemadmodum illius Ecclesiæ Sacerdos testatur. Eiusdem Sacerdotis minister Clericus, & custos illius Ecclesiæ, quadam nocte rebus suis omnibus per fures spoliatus est: in quibus fuit etiam caligula beati Martyris, quam pro eius reuerentia apud se absconditam habuerat. Is ergò maturè ab Oratorio surgens, ad domicilium suum abiit, & omnia sua ablata conspexit. Properè ergo redit ad beati viri sepulcrum, orans vt furto erepta restituat. Et quidem tota illa die & nocte in oratione & psalmodia ad eius tumulum ieiunus permansit, atque indè reuersus domum, res suas omnes sibi redditas inuenit. Serui quidem illius, qui hoc furtum fecerat, dominus iurauerat, nequaquam id eum perpetrasse. Sed domum reuersus, mox abiit è vita. Seruus quoque scelus, quod admiserat, malè consummauit. C

Cap. 19. TVM verò fama sanctitatis beati Martyris longè latéque manauit, & paulò pòst ea, quæ gesta fuerant, ad EBROINI quoque notitiam peruenêre. Ille verò nuncium clam misit, qui accuratè inquireret, & rem certam ad ipsum referret. Paret nuncius, venit ad beati viri tumulum, discit à custode, vbi sit humatus sanctus Martyr. Propiùs indè accedens, non solùm precari non vult, sed etiam per contemptum pede humum percutit, & Dei virtutem nesciens, stultè & impiè dicere non veretur: En mortuum, nulla virtutum signa efficientem. Abit indè, sed priusquàm nunciare posset ei, à quo missus erat, in seipso Martyris virtutem experitur, in ipso itinere subitò è vita sublatus. Id vbi resciuit Ebroinus, apud sese tacitum habet, nec cuiquam, præter coniugem, id indicare ausus est: ne fortè crescente gloriâ Martyris, ipsius apud populum existimatio diminueretur, vt qui tale lumen extinguere conatus sit. Sed interim tamen, quantò plus miser ille vir-

A tutes beati viri latere cupiebat, tantò illorum fama vbique augescebat magis. Tribus indè ferè elapsis annis, omni lacrimarum fonte plangendus Ebroinus, qui illustrem hanc lucernam nitebatur extinguere, iuxta Domini sententiam, cùm multos ipse gladio interemisset, gladio percussus interiit. Infelix sanè ac miser, tantis auctus honoribus, & per cuncta mundi climata eius industriæ propagata famâ, apud mortales cumprimis celebris, quandoquidem noluit, conuenienter præcepto Domini Saluatoris, inimicis suis veniam dare, sese miserè perdidit, permultos ad cœlestia regna transmisit. THEODORICVS I.

POSTQVAM autem miser ille viuendi finem fecit, cum multa laude in Palatium earum rerum rumor penetrauit, quas ille diu supprimere studuerat. Aderat tum illic magna Episcoporum & Procerum frequentia. Qui cùm inter se de sancto Martyre conferrent, admirarentúrque ea quæ de illo dicebantur, vir sanctissimus ANSOALDVS Pictauorum Episcopus: Vtinam, inquit, liceret mihi in mea parochia habere corpus eius, quem meum constat fuisse parentem! At verò ERMENCHARIVS*, beati viri in Episcopatu Augustidunensi successor, Iure quidem, inquit, mihi dabitur viri huius corpus: cùm iustum sit illic eum requiescere, vbi fuit Episcopus. Denique VINDICIANVS Præsul Atrabatensis, in cuius diœcesi interemptus erat, ita dixisse fertur: Nequaquam ita fiet, vt vos sancti Pontifices loquuti estis; sed mihi fiat potestas sacrum beati viri corpusculum retinendi. quippe qui illi loco datus videatur, in quo dignatus est quiescere. Cap. 20.

* al. ERMENARIVS.

B Tum vna omnium Episcoporum, qui illic aderant, sententia fuit, vt ieiunia & orationes in hoc conflictu fierent, vti sic dignaretur Dominus ostendere, in cuius diœcesi iure sacrum illud corpus condendum esset. Indicto igitur ieiunio, & facta oratione, in tribus paruis epistolis diffinitionem scriptam super altare posuerunt, vt transacta oratione per eas Dominus declararet, ad cuius sortem sanctum corpus Martyris perueniret. Crastina verò die oratione completa, ac Missarum solemniis consummatis, vnus ex ministris iussus à Pontificibus manum super palam posuit, & cognitio veritatis ad manum suam peruenit. Quod conspicati omnes, qui huic spectaculo aderant, acclamauerunt, ANSOALDI Pontificis esse iustiores preces, chartula extracta id satis declarante. Ita ergo sine vlla ambiguitate confirmato concilio, cuidam viro Dei Abbati suo AVDVLPHO, qui à sancto Martyre nutritus fuerat, Ansoaldus præcepit, vt ociùs pro sancto corpore proficisceretur, & cum debita reuerentia illud vsque ad Pictauense solum perduceret: & vbi sese diuino cultui manciparat, illic eius lucerna perpetuò emicaret. Fecit vir Dei Audulphus vt Episcopus imperarat, & properè abiit ad locum, in quo sanctum illud corpusculum quiescebat.

VBI id audierunt qui in circuitu eius loci habitabant, tum Monachi, tum alii vtriusque sexus homines, magna deuotione compuncti, confestim eò aduolarunt, & cum magna partim lætantium, partim flentium turba, sancti Martyris, vt Rex iusserat, loco suo motum est corpus. Iter autem illis facientibus, res C passim diuulgata est. Et ecce vndique sua sponte dextrâ læuáque accurrunt plurimi, ex Monasteriis, villis, ac viculis. Monachi, clerici, laici, cum crucibus, cereis, suffitu, & odoribus suauissimis procedunt obuiam, tanta hominum frequentiâ, vt vix quisquam ad feretrum posset accedere, sublatúmque in humeros portare. Quotquot enim aliquo laborarent morbo, si feretrum manu contingere possent, ilicò sanabantur: nec cuiquam negabatur sanitatis beneficium, si ex fide feretri operimentum, aut eius fimbrias tetigisset. Cap. 21.

INTER hæc ventum est in villam Gaudiacum Carnotensis parochiæ, vbi erat puella Radinga, quæ in parentum domo septem annis iacuerat cæca, muta, & paralytica. Allata verò à parentibus ad beati Martyris feretrum, ea nocte dormiens per visum vidisse fertur duos viros splendidissimos, cum aliis illic adstantes. Cúmque euigilasset, & visionem admiraretur, oculi visum, pedes gressum, lingua loquendi recepit facultatem. Itaque exclamans, ait: Gratias tibi ago, omnipotens Deus, quòd per sanctum Martyrem Leodegarium sanitati restituta sum. Ab hac laude membris omnibus sana erecta, cum parentibus domum abiit, diu pòst victura. Cap 22.

DEINDE cùm in Turonensis territorij viculo vocabulo Salnaco peruenêre, quædam dæmoniaca à parentibus per brachia tracta, clamare cœpit se nolle ad Cap. 23.

THEODORICUS I. sancti viri feretrum accedere. Sed eò inuita perducta, cùm paululum tetigisset feretri operimentum, à dæmonio mundata est. Igitur ad sese rediens, nolebat à feretro separari: timens ne rursus arriperetur ab hoste, à quo se cernebat liberatam. A

Cap. 24. INDE ventum est ad Turonis vrbem. Id audiens ciuitatis Episcopus, qui tum aderat, RVOTBERTVS*, cum choris psallentium & lampadibus iuit obuiam, acceptúmque cum suis feretrum per mediam duxit vrbem. Ibi tum quædam mulier, quòd diceretur occidisse maritum suum, collo ac manibus catenis vincta, » ità exclamauit: Subueni mihi, beate Leodegari: quandoquidem innocens pereo, à falsis accusatoribus alligata. His dictis, mox rupta catena à collo & manibus decidit. Quam illa super feretrum proiecit, & apparuit idonea, quæ fuerat absque noxa punita.

*VINDIBERTVS,

Cap. 25. CVM sic autem idem Pontifex sacrum corpus cum magnis laudibus per suam parochiam deduxisset, & infra Pictauense solum peruenissent, paulum in vico Egorandæ vocabulo quieuit. Vbi claudus quidam occurrens, postquàm ad sacrum corpus in preces se prostrauit, statim reualuit: & in pedes erectus, incolumis abscessit.

Cap. 26. AVDIENS id quædam mulier, cuius manus propriam amiserant formam, digitis adeò incuruis, vt mediæ palmæ infigerentur, & vngues intra carnem hærerent absconditi: inuocato Dei nomine & sancti Martyris, sanata est, & gratias agens Deo, domum repetiit.

Cap. 27. ILLVD verò nequaquam silentio premendum est miraculum, quòd cùm vir Dei ANSOALDVS Episcopus Pictauorum sacrum didicisset aduentare corpus, velocémque misisset nuncium, qui ex villa ipsius, quam Interamnem vocant, abundè vinum promeret, vnde pauperes & reliquum vulgus, quod sanctum corpus prosequebatur, refici posset, idque ita factum esset: non diu pòst indicatum est, omnia vasa, quæ in Cella, vnde vinum depromptum fuit, penè vacua remanserant, adeò redundare, vt vinum in pauimentum manaret, & nihilominus vasa manerent plena. B

Cap. 28. POST hæc cùm ad Vigennam fluuium in vico Sannone venissent, ventus contrarius vndas commouit. Metuentes itaque nautæ, nolebant admittere vt in nauim intrarent, ne nauigantes flumen in discrimen coniicerentur. At vir Dei AVDVLPHVS Abbas, cuius curæ sacrum corpus commissum erat, sancti Martyris » meritis fidens, eos compulit, dicens: Mittite in nauim, & transite securi. Potest » namque Deus per sancti sui merita has sedare vndas. Cùm ergo sacrum corpus esset naui impositum, & nautæ iam nauigare cœpissent, confestim vndæ subsederunt, & fluuium prosperè transmiserunt. Illis verò nocte in Ecclesia quiescentibus, quædam peregrina mulier cum cæco infantulo aduenit, tota illa nocte in oratione peruigilans. Et ecce mane videt infantulo redditum lumen, quod amiserat.

Cap. 29. INDE recto itinere venerunt ad quandam villam nomine Gelnacum, ad quam vir Dei Anfraldus obuiam progressus est cum turba Clericorum, vulgi, & pauperum, cum thuribulis & suffimentis, cum crucibus & accensis cereis, cum hymnis & canticis: sacrúmque corpus excipiens, perrexit ad vrbem. Vbi tum quædam erat femina multis annis adeò curua, vt caput propemodum genibus inhæreret. Cúmque ea paululum sublatis oculis ad sancti Martyris feretrum precata esset, corpori eius pristinus vigor rediit. Mirabatur Pontifex, & qui ei adstabant, virtutem Dei & beati Martyris eius. Deinde cum canticis & magnis laudibus in suburbanam peruenêre Ecclesiam, in qua beata Radegundis quiescit. Ibi verò quidam curatus est paralyticus, idémque aliquantisper feretrum secutus, permansit incolumis. Vbi autem ad beati Hilarij Basilicam apportatum est sacrum corpus, alius paralyticus in via iacens, tacto feretro, surrexit sanus. Paulò post cæca puella inuocans sanctum Martyrem, lumen recuperauit: atque ad eius tumulum perueniens, vsque in præsens deuota ei inseruit. C

Cap. 30. POSTEA verò sacro corpore ex vrbe Pictauensi ipsius Episcopi Ansoaldi & Sacerdotum ac ministrorum eius humeris aliquantisper exportato, atque vsque ad viculum Zezolliolum * honorificentissimè perducto, magna turba Monachorum ex sancti Maxentij Cœnobio, vbi quandoque Abbatis erat functus ministerio, lætabunda in eius venit occursum, suúmque Pastorem magno studio suscipiens, cum

* In Cod. Ms. legitur, Zezinolaum

A cum psalmodia in Ecclesia pernoctabat. Manè verò quædam mulier attulit infantem trium ferè annorum, propè exanimem, qui priusquàm ad corpus sancti viri accederet, fertur expirasse animam. At nihilominus mater eum sub feretro deposuit, & cum lacrimis inuocans sanctum Martyrem: Domine mi, inquit, redde mihi filium meum. Ita trium ferè horarum spatio illa deprecante, quasi de graui somno euigilans infans, voce qua potuit ait ad matrem: Mater mea, vbinam es? Tum illa gaudens recepit filium rediuiuum, quem planxerat extinctum. Fuit hoc sanè ingens & stupendum miraculum, vnde etiam magna in populo fides excreuit de tanti viri sanctitate, cuius gloria manet in cœlo sempiterna.

RVRSVS ergo sublatum est beatissimi Martyris corpus, & eo quo par erat honore deportatum. In itinere autem occurrerunt ei duo pauperes, vir cum coniuge sua, alter vno, altera vtroque carens oculo. Vtroque ad feretrum accedente, mulier non hæsitans amborum oculorum recepit lumen: vir dubitans, mansit etiam altero lumine orbatus. Priùs autem quàm accederent, vir funiculo trahebat cæcam vxorem. Postea vxor videns, vicem reddidit viro, cæcum eum ducens per viam. Indè perrexerunt ire ad beati Maxentij Monasterium: in quo cùm vir beatus primò cœperit peruersorum hominum animos traducere ad colendum Deum, non sine iustissima Dei prouidentia factum videtur, vt ibidem superioris vitæ exemplis etiam miraculorum gloriam adiungeret. Cap. 31.

ET quidem cùm Monachi eius Cœnobij in eius properarent occursum, puella in atrio eius paralytica iacens, atque omnium membrorum officio destituta, cùm sancti Leodegarij nomen audiisset, sanam se sensit. Id miraculum conspicati sunt qui illic aderant. Mox verò tanta vndique confluxit multitudo, vt atrium vix sufficeret capiendis hominum turbis. Cap. 32.

B

INTEREA mulier quædam cæca, ex longinqua regione veniens, cùm ad sancti Martyris adiisset tumulum, lumen recepit. Adolescens quidam, itémque puella, à dæmone vexati, tremebundi eò venerunt, & per vomitum dæmone vnà cum sanguine reiecto, curati sunt. Innumera alia per id tempus sancti Martyris virtutum signa claruêre. Sanabantur cæci, surdi, muti, aridi, claudi, dæmoniaci. Cap. 33.

PORRO in sancti Martyris honorem, iubente Ansoaldo Pontifice, opere Audulphi Abbatis Monasterij, amplissimum extructum est Templum, cuius structura alia est quàm ceterarum Basilicarum. Eo Templo exædificato, idem Pontifex votum suum executurus, cum omnibus Ecclesiæ suæ Sacerdotibus, multísque Proceribus, & magna populi caterua, eò venit, & cum magnis laudibus sepulturæ mandauit corpus beatissimi Martyris. Quo in loco cotidie cumulantur virtutum insignia in laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, cui est honor & virtus in secula seculorum, amen. Cap. 34.

C

PASSIO
SANCTI RAGNEBERTI MARTYRIS
FILII RADEBERTI DVCIS,

Quem Ebroinus Maior Domus THEODORICI REGIS interfici iussit.

Ex Ms. Codice Claudij Doremieux Atrebatensis.

SPIRITV sancto intonante per Psalmistam dicimus, *Dextera Domini fecit virtutem.* Vnde in laudem Redemptoris, qui in omnium Sanctorum est virtute mirabilis, augmentum capere dinoscitur deuota mens fidelium, dum Ecclesiæ frequentans oraculum audit miracula Martyrum per ostensionem virtutum. Sanctus igitur RAGNEBERTVS ex præcelso genere ortus, RADEBERTI Ducis filius extitit, qui inter amnis Sequanæ atque Ligeris confinium telluris Prouin- Idus Iulij.

THEODORICVS I.

cias rexit temporibus multis. Hic igitur nutritus Aulâ Palatij, fortis corde, promptus ingenio, armis doctus, assiduè mundanæ sapientiæ floribus ornabatur vndique. Sed dum gerebat fortia seculi, vt pòst in fine claruit, diligebat attentiùs corde Deum. Cúmque multi circa eum arderent inuidiâ, & ille maliuolorum tendicula plantâ calcaret proterua, in illis diebus EBROINVS nomine ex infimo genere ortus, Deo & Sanctis contrarius, in Maioris Dominatus * honore fuerat sublimatus. Huic studium erat, vt quoscumque ex Francorum genere alta ortos progenie nobilitate vidisset in seculi vtilitate proficere, ipsos vel interfectos, aut effugatos, sublatos de medio, tales in eorum honore subleuaret, quos aut mollitie obligatos, vel sensu debilitatos, aut vilitate aliqua parentelæ, non auderent eius præceptis impiis resultare. Cúmque plures ex Francis dolere contra se cerneret, iamdicto Dei famulo RAGNEBERTO imputare studuit, quòd tale consilium cum duobus Palatij Proceribus, BODONE & VNNISCANDO * nominibus habuisset initum, vt iamdictum EBROINVM absque decreto Regis conarentur occidere. Sed cùm hoc ipse nec prodere vellet crimen, nec denegare facinus, intercedente Dei famulo AVDOENO Pontifice, Rodomæ vrbis Præsule, cuius fama Sacerdotij illo tempore orbem repleuerat Galliæ, non est continuò interfectus: sed cuidam viro potenti TEVDEFREDO nomine partibus Burgundiæ in exilio commendatur, eo scilicet factionis obtentu, vt dum in exilium trusus crederetur, absque Francorum improperio latenter morte perimeretur. Sed dispensante Deo, in cuius manu corda consistunt, ipse vir nobilis, cui fuerat ad mortem traditus, miseratione compunctus eum magis viuum seruare studuit, quàm feralia præcepta EBROINI Principis in eius sanguinem adimplere. Igitur hoc diuina clementiâ factum est, cuius iudicio purgantur cordis occulta, vt dum mors iussa suspenditur, famulus Dei per pœnitentiam purgaretur. Dúmque paucorum annorum tempore fuisset in relegatione exilij toto corde conuersus ad Dominum, quod maculauerat seculi conuersatio, lauit lacrimis atque orationibus sui cordis cubiculum.

* Domatus

* VIMISGANDO

INTEREA, cùm iam promissum tempus propinquaretur, quo beatus vir transferendus de seculo Christi præsentaretur obtutibus, iterum bestia serpentino sibilo misit mandata, vt absque dilatione RAGNEBERTO tollerent vitam. Cúmque inuiti suscepissent eum, vt implerent mandata tyranni, duxerunt eum per quoddam desertum in confinium Lugdunensium Iuræ vicinum. Deducentes igitur eum ignari, venerunt nocte ad quemdam locum Bredone vocabulum, vbi quidam Dei seruus nomine Domitianus religionis obtentu in honore S. Genesij Martyris, dum in ipsa eremo sanctorum Patrum Eremitarum viueret exemplo, artum construxerat Oraculum. Deprecatus est igitur athleta Christi seducentibus, vt eum in ipsa Ecclesia orare permitterent. Cúmque hoc illi nullatenus præstitissent, intellexit Dei seruus quòd se ad mortem deducerent, atque permittentibus sibi carnificibus, in loco vbi erat suam orationem compleuit. Qua consummata, gladiatoribus ait: » Ecce quod iussum est adimplete, sed deprecor per Dominum » ne fatigationem faciatis longiùs mihi. Cúmque eum super quendam lapidem sedere fecissent, vnus ex his mucrone lanceæ eius vitam extorsit. Redeuntes ab scelere cultoribus dixerunt. Oraculo quodam se in vicino inuenisse corpusculum, atque hortati sunt vt mercedis obtentu eum studerent mandare sepulcro. Sed iuxta vocem prædicatoris egregij, incomprehensibilis est altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Sacerdos ille, qui eius confessionem susceperat dum in exilio erat, septem annorum curriculo pœnitentiam agendam indixerat. Et quia antedicto termino mors immatura præuenit, bis septeno annorum spacio transacto tempore, tum primùm ad illius tumulum diuina virtus effulsit. Sepultus quidem fuerat in Ecclesiæ porticu, sed virtutum se publicante miraculis, à fidelibus est indè translatus in Ecclesiæ Templum, iuxta sancti Dei analogium constitutus. Et quia Græcè oleum misericordia nuncupatur, diuina dispensatione in lampadibus ibidem constitutis fluere oleum facit vsque in hodiernum diem.

A

FRAGMENTA DE REBVS PIE GESTIS DAGOBERTI REGIS, FILIORVM EIVS, AC NEPOTVM.

Ex Historiis siue Vitis sanctorum Pontificum, Abbatum, & aliorum, qui tunc præcipuè in Palatio, sed & in aliis Regni partibus floruerunt.

B

DE DAGOBERTO CLOTHARII II. FILIO.

Ex Vita Ms. sancti Eligij Nouiomensis Episcopi, quam beatus Audoenus Rothomagensis Præsul, eius sodalis, conscripsit Libris tribus, & ad Rodobertum Episcopum Parisiensem misit.

IGITVR ELIGIVS Lemouicas Galliarum vrbe, quæ ab Oceano Britannico ferè ducentorum milium spacio seiungitur, in villa Catalacense, quæ à prædicta vrbe sex circiter milibus ad Septentrionalem plagam vergit, oriundus fuit. Est itaque præfata ciuitas partibus sita in Transligeritanis * in vlteriori Gallia, primáque Aquitania: quæ ad plagam respicit Occidentalem. Cui contigua est ab Oriente Prouincia Lugdunensis, Galliáque Belgica. Habet etiam ab Euro & Meridie Prouinciam Narbonensem, à Circio autem ambitur Oceano. Porrò ab Occasu habet Hispanias. In hac ergo regione parentibus ingenuis, atque ex longa prosapiâ Christianis, Eligius natus atque altus est. Cuius pater Eucherius, mater verò Terragia vocitata est. Ipse autem diuina gratiâ præsciente congruum sibi ac veluti speculum mentis suæ Eligius nomen accepit. -- :.

DAGOBERTVS I. Ex Lib. 1.

* Sic habetur in Cod. Lemouic in aliis in Armoricatis, in edit. Armoricanis,

C Cùm autem videret pater eius filij ingenium, tradidit eum ad imbuendum honorabili viro ABBONI vocabulo, fabro aurifici probatissimo, qui eo tempore in vrbe Lemouicina publicam fiscalis monetæ officinam gerebat. A quo in breui huius officij vsu plenissimè doctus, cœpit inter vicinos & propinquos in Domino laudabiliter honorari. -- :.

Interea post aliquot annos extitit quædam causa, diuina credo gubernante prouidentia, vt relicta patria & parentibus Francorum adiret solum. Vbi paucis degens diebus, factus est notus cuidam Regis Thesaurario BAOBBONI vocabulo, viro honesto & mansueto: cuius se patrocinio committens, sub eius ditione degebat. Post aliquod autem temporis interuallum peruenit ad notitiam CLOTHARII Francorum Regis huiusmodi ex causa. Volebat enim idem Rex sellam vrbanè auro gemmisque fabricare. Sed non inueniebatur in eius Palatio, qui huiusmodi opus sicut mente conceperat posset opere perficere. Cùm sciret ergo præfatus Regis Thesaurarius Eligij industriam, cœpit eum explorare, si quo minus opus optatum posset perficere. Et cùm facilè apud eum id fieri intellexisset, ingressus ad Principem indicauit ei, inuenisse se artificem industrium, qui dispositum sine cunctamine aggrederetur opus eius. Tunc Rex mente gra-

DAGOBERTVS I. tissima tradidit copiosam auri impensam. Sed & ipse nihilominus tradidit Eligio. At ille acceptum opus cum celeritate inchoauit, atque cum diligentia celeriter consummauit. Denique quod ad vnius opificij acceperat vsum, ita ex eo duo composuit, vt incredibile foret omnia ex eodem pondere fieri potuisse. Opus ergo perfectum defert protinus ad Palatium, tradiditque Regi quam donauerat sellam, altera penes se, quam gratuitò fecerat, reseruata. Cœpit tunc Princeps mirari, simul & efferre tantam operis elegantiam. iussitque ilicò fabro tribuere mercedem laboris dignam. Tunc Eligius altera ex occulto in medio » prolata: Quod superfuit, inquit, ex auro ne neglegens perderem, huic ope» ri aptaui. Confestim stupefactus CLOTHARIVS, & maiori ammiratione detentus, sciscitabatur opificem, si cuncta ex eodem penso facere potuisset. Et cùm consequenter iuxta id quod fuerat sciscitatus responsum accepisset, » ingenium eius sublimi fauore attollens: Ex hoc iam, inquit, etiam in maxi» mis credi poteris. Porrò hoc fuit initium, necnon & testimonium in Palatio Regis honorandi, immóque credendi Eligium. Ex hoc nempe ad auctius consurgens, factus est aurifex peritissimus, atque in omni fabricandi arte doctissimus. Inuenitque gratiam in oculis Regis, & coram cunctis Optimatibus eius Domino iuuante roboratur in fide, & à Rege prouocatus crescebat cotidie in melius.

Me igitur præsente, nescio quam ob causam, nisi quod facilè datur intelligi fidelitatis obtentu, dum apud Regem puerulus habitarem, quadam die Rotoilo in agro accito Rex Eligio coram reliquiis Sanctorum, præcipiebat ei, vt impositione manuum sacris pignoribus donaret sacramentum. Sed ille diuino intuitu verens, recusare humiliter omni nisu temptabat. Cúmque instantiùs id facere compelleretur, anxius valdè cœpit mox vbertim lacrimas profundere. Metuens scilicet Regem offendere, septuplúmque pauens sanctis pignoribus manus imponere. Intuens itaque Rex eius timorem, simúlque mirans tantam viri deuotionem, desiit eum vltrà cogere. Sed magis blandè leniterquè demulcens, lætissimo illum vultu dimisit. pollicens se plus eum ex hoc iam crediturum, quàm si multimoda tunc dedisset iuramenta. B

Hoc ergo fuit initium virtutum eius, imò omnipotentis Dei, per quem omnes omnia possunt. Quod cùm vir sanctus sodali suo AVDOENO nomine, cognomento DADONI, quem sicut animam suam diligebat, secretiùs narrasset: iámque ex hoc spretis seculi blandimentis, cupiebat ex studio Eligium æmulari ad bonum. Accito etiam germano suo ADONE in consilio communi: erant enim viri inclyti, Optimates Aulæ, filij scilicet AVTHARII. Hi ergo communi habito consilio, cœperunt imitari quæ ab Eligio gerebantur. Erátque eis familiare consortium, & cor vnum in Domino, atque anima vna.

Mortuo interea CLOTHARIO Rege Francorum, DAGOBERTVS filius eius Monarchiam Regni solus obtinuit. A quo Eligius tanta familiaritate habitus est, vt plurimorum eius felicitas ingens gigneret odium. Siquidem oderant eum praui quique, quoniam magnopere oderat ipse superbiam, diligebat veritatem. Sed planè illum boni omnes ammirabantur & diligebant, quia nouerant Catholicam hominis scientiam, ac patriæ cœlesti mentem iugiter intentam. C

Pollebat itaque magis ac magis in vigiliis, in ieiuniis, atque in caritate. Fabricabat in vsum Regis vtensilia quamplurima ex auro & gemmis. Sedebat fabricans in defossum, & contra eum Thille vernaculus eius, ex genere Saxonum. Qui magistri vestigia sequens, & ipse postmodum venerabilem vitam duxit. Fragrabat eius vbique fama, in tantum, vt si qui ex Romana, vel Italica, aut Gothica, vel qualicumque Prouincia, Legationis fœdere, aut alia quacumque ex causa Palatium Regis Francorum adire pararent, non priùs Regi occurrerent, quàm Eligium aggrederentur: vel iuuamen alimoniæ ab eo poscentes, vel certè consilium salubre petentes. Sanè vbicumque venundandum intellexisset mancipium, magna cum misericordia & festinatione occurrens, mox dato precio liberabat captiuum. Interdum etiam vsque ad viginti & triginta, seu & quinquaginta numero simul à captiuitate redimebat. Nonnunquam verò agmen integrum, & vsque ad centum animas, cùm naui egrederentur, vtriusque sexus, ex diuersis

A gentibus venientes pariter liberabat: Romanorum scilicet, Gallorum, atque Britannorum, necnon & Maurorum. Sed præcipuè ex genere Saxonum, qui abundè eo tempore veluti greges à sedibus propriis euulsi, in diuersa distrahebantur.-- ∴ O quotiens debitor esse voluit, vt debitoribus subueniret! Quotiens brachile aureum, pugnam quoque auro gemmisque comptam sibi subripuit, tantùm vt miseris subueniret! DAGOBERTVS I.

Habebat præterea secum plures vernaculos in suo contubernio degentes, sibique necessario iugiter obtemperantes. Ex quibus erat Baudericus eiusdem liber comprouincialis; qui in omnibus honestè valdè eius curam gerebat. Erat etiam Titeunus genere Sueuus fidelis cubicularius laicus. qui postea ad mercedis cumulum peruenit interemptus. Necnon & BVCHINVS ex gentili conuersus, qui & ipse postea venerabilis extitit, ac Ferrariensi Cœnobio præfuit. Andreas quoque, & Martinus, atque Ioannes: qui eo etiam procurante ad Clericatum peruenire meruerunt.-- ∴

Aliquando rogatus à Rege Legatione fungi partibus Britanniæ, nihil ille cunctatus perrexit tam ocius, quàm Christi caritate securus. Quò cùm peruenisset, IVDICARIVM* Britannorum Principem adiit, causas pacti indicauit, pacis obsidem recepit. Et cùm nonnulli iurgia eos vel bella mutuò sibi indicere æstimarent, tanta præfatum Principem benignitate & mansuetudine ac lenitate attraxit, vt etiam secum eum adducere facilè suaderet. Commoratus ergo ibidem aliquamdiu, rediens demum perduxit secum Regem cum multo exercitu generis sui. Eúmque Crioilo* in villa Regi Francorum præsentans, pacificè confœderauit. Qui copiosa munera intulit, sed vberiùs muneratus ad propria rediit.-- ∴

* al. Iudicaelem. Deest autem nomen hoc in edit.

* In edit. Priulo, sed corruptè.

B

Porrò Rex DAGOBERTVS torrens pulcher & inclytus, ita vt nullus ei similis fuerit in cunctis retrò Francorum Regibus, intantùm diligebat eum, vt frequenter cateruis Principum, Optimatum quoque, & Ducum, atque Episcoporum, se subtrahens, Eligij secreta peteret conciliabula. Nam quicquid eundem Eligius postulasset, absque vlla dilatione impetrabat. Quicquid verò adipisci potuisset, in eleemosynis egentum, in precia captiuorum, in remedia debilium expendebat. Vnde & ipse Princeps libentissimè præstabat quod sciebat non vni, sed pluribus prodesse.

Denique inter cetera expetiuit ab eo villam quandam in rure Lemouicino cognominatam SOLLEMPNIACVM, dicens: Hanc mihi, Domine mi Rex, Serenitas tua concedat: quo possim ibi & mihi & tibi scalam construere, per quam mereamur ad cœlestia regna vterque conscendere. Quam eius petitionem libenter Rex sicut solebat annuit, & quod poposcerat sine mora dato Præcepto concessit. Erat enim tempus, quò census publicus ex eodem pago Regis thesauro exigebatur inferendus. Sed cùm omnis census in vnum collectus Regi pararetur ferendus, ac vellet Domesticus simul & Monetarius adhuc aurum ipsum fornacis coctione purgare, vt iuxta ritum purissimum ac rutilum Aulæ Regis præsentaretur metallum (nesciebat enim prædium esse Eligio concessum) toto nisu atque conatu per triduum vel quatriduum labori insistentes, nulla poterant Deo id præcedente arte proficere, vsquequo ab Eligio præueniens nuncius opus cœptum interciperet, idque eius domino reuocaret. Mox ergo vt hoc nunciatum est, cunctis loci illius accolis exultantibus, & opus perfectum est, & eius ditioni commissum. Quo in loco primum ac potissimum virorum Dei construxit Monasterium. Vbi etiam Abbate constituto, multos ex suis vernaculis mancipauit. Plures quoque ex diuersis Prouinciis vsque ad centenarium, quem quinquagenarius supergreditur numerus, Monachos congregauit. redditus etiam terræ, qui affluenter sufficere possent, delegauit. Ipse verò tanta se deuotione, tantoque amore eodem loco diffudit, vt quicquid habere potuisset, quicquid Regi auferre, quicquid dignè aliquid comparare, quicquid etiam gratuitò ei à potentibus largitum esset, cuncta prædicto loco destinaret. Videres plaustra vehere onera copiosa, vascula vtique vsibus necessaria, ærea simul & lignea. Vestimenta etiam, & lectuaria, ac linteamina mensalia, necnon & volumina sacrarum Scripturarum quamplurima. Sed & omnia, quæ erant Monasterij vsibus necessaria, intantum vt praui quique ingenti ex hoc succenderentur inuidiâ. Cogitabat enim & ipse demum eidem se

C

DAGOBERTVS I. mancipare Monasterio, nisi eum alio in loco Dei obligasset dispensatio. Quo in loco ipse quoque accessi, & tantam sacræ Regulæ obseruantiam vidi, vt penè singularis sit vita eisdem Monachis præ cæteris Galliæ Monasteriis. Est autem congregatio etiam nunc magna, diuersis gratiarum floribus ornata. Habentur ibi & artifices plurimi diuersis artibus periti: qui Christi timore perfecti, semper ad obedientiam sunt parati. Nullus ibi quicquam proprium vendicat, sed vt in Actibus legitur Apostolorum, sunt omninò omnia omnibus communia. -- Est autem idem Cœnobium haud procul à Lemouica vrbe situm, sex circiter millibus ad plagam distans meridianam. Ambitur verò in sperio * muro non quidem lapideo, sed fossato sepe munito, decem ferè stadiorum spacium habente in circuitu. Ex vno quidem latere munitur optimo flumine, super quod mons excelsus silua opertus, ac prærupta valdè eminet rupes. Omne autem spacium Monasterij arbusta diuersi generis pomifera occupant.

* id est, in rotundo

Isto igitur Cœnobio in omni opere perfecto, omnique ex parte cum solertia stabilito, cogitabat Parisius in vrbe fabricare Xenodochium. Sed excellentiore consilio Deo inspirante concepto, cœpit in domum suam, quam in eadem vrbe ex munere Regis perceperat, Virginum Christi ædificare domicilium. In quo opere diu multúmque instantissimè desudans, dignum tandem sanctarum Virginum construxit Archisterium. Vbi districtam Regulæ constituens disciplinam, vsque ad trecentarum numerum puellarum ex diuersis gentibus, tam ex ancillis suis, quàm ex nobilibus Franciæ matronis congregauit. Quibus & Abbatissam dignam Deo puellam nomine AVREAM, filiam scilicet Maurini & Quiriæ constituit. B Terræ etiam reditus copiosos delegauit, atque ex integro omne suum illic studium conuertit. --

Cuncto opere Monasterij peracto, atque omnibus ædificiis ancillarum Dei expletis, ædificauit postremò Basilicam in honore sancti Apostoli Pauli ad ancillarum Dei corpora sepelienda. Cuius tecta sublimia operuit plumbo cum elegantia. Qua in Basilica beatus quoque QVINTILIANVS iacet Abba humatus. Ædificauit etiam, immóque renouauit Basilicam in honore sancti Martialis Lemouicini Pontificis & Confessoris. Qua vtique vrbanè stabilita, plumbo eius cooperuit tecta. --

Post aliqua temporis curricula, cœperat vrbs Parisiaca sæuissimo cremari incendio. Nam cùm tota penè arderet ciuitas, vsquequaque vis flammæ edacis ferebat glomerantes quaque in parte fauillas. Tunc Eligius mœstus, cùm videret iam supra suum Monasterium prædictámque Ecclesiam flante vento globos flammarum cum axibus & carbonibus ferri, grauiter ingemuit. Iam enim inualescente igne, in promptu erat vt etiam tegumentum Basilicæ funderetur vi vallantis incendij. » Attollens ergo Eligius vocem cum gemitu, dixit: O sancte Martialis! cur domui » tuæ modò non succurris? Certè enim noueris, quòd si te hodie non curante cre» matur, nunquam iam ab Eligio in æuum restaurabitur. Confestim igitur affuit Domini gratia, & aliam in partem vento flammas impellente, & Ecclesia, & totum eius Monasterium remansit incolome. -- C

Inter alia bonorum operum insignia, multas Sanctorum ex auro, argento, atque gemmis fabricauit thecas siue tumbas: puta Germani Parisiensis Episcopi, Seuerini Abbatis Agaunensis, Piatonis Presbyteri & Martyris, Quintini, Luciani Bellouacensis Apostoli, Genouefæ, Columbæ, Maximiani, Iuliani, multorúmque aliorum. Sed præcipuè beati Martini apud Turonos, DAGOBERTO Rege impensas præbente, miro opificio ex auro & gemmis thecam confecit. Sancti quoque Briccij fecit tumbam, itémque aliam, in qua corpus beati Martini antea iacuerat, eleganter composuit. Magnum præterea beneficium eidem Ecclesiæ apud Regem obtinuit. Nam pro reuerentia sancti Confessoris Martini, Eligio rogante, censum omnem, qui fisco soluebatur, DAGOBERTVS Rex illi Ecclesiæ ex toto condonauit, scriptóque confirmauit. Atque ab eo tempore omne ius fiscalis census Ecclesia sibi vendicat, & vsque in præsens in eadem vrbe per Pontificis literas Comes constituitur. Fabricauit etiam Eligius mausoleum sancti Martyris Dionysij in Parisiensi ciuitate, & super illud tectum marmoreum mirifico opere auro & gemmis ornatum, itémque cristam & species de fronte magnificè composuit: necnon & axes in circuitu throni altaris auro operuit, & posuit in eis poma

A aurea atque gemmata. Lectorium quoque & ostia diligenter argento vestiuit. Sed & tectum throni altaris argenteis operuit axibus. Fecit quoque repam in loco anterioris tumuli, & altare extrinsecus ad pedes sancti Martyris fabricauit. Tantúmque illic, suppeditante Rege, suam exercuit industriam, atque ita suum declarauit ingenium & artificium, vt penè singulare sit in Galliis ornamentum, & in magna omnium admiratione vsque in hodiernum diem. DAGOBERTVS I.

HIS operibus mirificè perfectis, atque omnibus circumquaque gentibus sedatis, ferocissimis etiam Vacceis ditioni suæ hostili gladio subactis, mortuus est Rex magnus & inclytus DAGOBERTVS: & sepultus est in eadem sancti Dionysij Basilica, sub arcu in latere dextero. Cui successit in Regno filius eius iuuenculus ætate, nomine CLODOVEVS. Sub huius Regni principio nefanda heresis in partibus Orientis cœperat pullulare, Constantio tunc Romani Imperij apicem gubernante. Ii ergo Heresiarchæ nequiter Ecclesiasticam ausi sunt violare regulam, & peregrina quædam à veritate docere ac prædicare, asserentes Dominum & Saluatorem nostrum Iesum Christum minimè habere formam serui, neque eum ex Maria veram assumpsisse carnem, profanis vocibus garriebant. Quæ res plurimos in Ecclesia Dei perturbabat, & plerosque iam contagium huius pestiferæ assertionis infecerat. Nec solùm vrbes, in quibus morabantur, sed & vrbem, quæ est caput omnium, Romam paulatim iam eorum prauitas penetrabat. Erat autem eo tempore Romæ Præsul beatissimus Papa MARTINVS, qui B solicitè ac viriliter pro hac causa inuigilans, adeóque pugnans, multa probra & aduersa ab hereticis sustinebat. Vndè tandem permotus, cùm & Imperatorem, & plures alios cerneret eorum assertionibus intento satis animo obsecundare, congregauit Concilium Sacerdotum causâ compescendi, immò delendi huius dogmatis prauitatem. In quo Concilio, omnibus orthodoxis consentientibus, edidit contra hereticos fidem magnificè valde atque accuratè. Quam etiam cum subiuncta Epistola Galliarum partibus destinauit, mandans & obtestans Regem Francorum, vt si essent ei viri Catholici eruditi, eos ipsi adminiculum ad comprimendam heresim faceret destinare. Quò tunc etiam Eligius cum sodali suo libentissimè perrexisset, nisi ei res quædam impedimento fuisset. CLODOVEVS II.

Per idem ferè tempus, quo apud vrbem Romam hæc gesta sunt, quidam hereticus pulsus à partibus transmarinis in Gallias venit. Móxque se conferens ad ciuitatem, quæ olim Hedua, nunc autem Augustidunum vocatur, cœpit tam cautè quàm fraudulenter sua nefanda dogmata prodere. Quod cùm in Palatio ad aures Eligij peruenisset, cœpit vigilanter, vti semper in eiusmodi rebus solicitus erat, cum AVDOENO, & ceteris Catholicis viris tractare, quemadmodum hanc pestem palam omnibus manifestatam detegerent. Nec destitit Episcopos commonere & Optimates, quo vsque iussu Principis Sacerdotale Concilium apud vrbem Aurelianensem congregaretur. Vbi eo, quem diximus, heretico in medium deducto, conabantur eum docti quique diuersis modis interpellare. sed C nullo poterant genere concludere. Tanta quippe dicendi arte obiectis quæstionibus occurrebat, vt vbi maximè putaretur constrictus teneri, ibi ceu anguis lubricus quibusdam foraminibus dilapsus, eorum se fronti opponeret. Cúmque nullo genere à quoquam posset concludi, aut superari, extitit quidam ex nostris pro Dei prouidentiâ doctissimus Episcopus, nomine SALVIVS, qui ita ei in omnibus obuiauit, vt ingens ea causa nostris fieret gaudium & expectatio. Omnes enim eius versutias & artes, quas ille nunc occulere, nunc etiam dissimulare conabatur, frequente disputatione palam funditus detexit. Sicque aduersus eum omnium Episcoporum sententia prolata, & per singulas ciuitates super eius nomine decretis constitutis, cum ea qua par erat ignominia & dedecore è finibus Galliæ eliminatus est.

ELIGIVS itaque iam antè in Palatio militauerat sub habitu seculari æterno omnium Principi Christo, idque temporibus CLOTHARII Mansueti Francorum Regis, & DAGOBERTI inclyti Principis, eiúsque filij CLODOVEI. atque vsque ad initium regni iunioris CLOTHARII mansit in corpore. Sed illis diebus immaniter Simoniaca heresis pullulabat in vrbibus, & cunctis finibus Regni Francorum. maximéque à temporibus BRVNECHILDIS infelicissimæ Reginæ, vsq; ad tempora Dagoberti Regis, violabat hoc contagium fidem Catho- Ex lib. II.

CLODO-VÆVS II. licam. Solicitè tamen contra hoc inuigilabant sancti viri Eligius & Audoënus: & A communi cum ceteris Catholicis viris habito consilio suggesserunt Principi & Optimatibus eius, vt hoc mortiferum virus citò extirparetur à corpore Christi, quæ est vniuersalis Ecclesia. Habuit itaque effectum eorum pia petitio, & libenter obtinuerunt quod deuotè rogauerunt. Tunc ergo placuit omnibus, vno in Spiritu sancto accepto consilio, simul cum Regis imperio, vt nullus precio dato ad Sacerdotale officium admitteretur: neque eos, qui vt lupi rapaces dando munera, mercanda censebant dona Spiritus sancti, sed illos potiùs, qui essent boni testimonij viri, & irreprehensibilis vitæ, ad Pontificatus ministerium eligerent.

Exinde igitur elegerunt ob meritum sanctitatis ad Sacerdotale officium cunctis bonis operibus prædtium sanctum ELIGIVM, iam lumine Spiritus sancti irradiatum, vt præesset Ecclesiæ Nouiomensi. Decesserat enim eo anno ACHARIVS eius vrbis Antistes. Elegerunt autem cum eo & AVDOENVM sodalem eius, qui vocabatur Dado, vt præesset Ecclesiæ Rothomagensi. Hoc ergo modo aurificem inuitum detonsum constituerunt custodem vrbium seu municipiorum, quorum hæc sunt vocabula: Veromanduensis scilicet, quæ est Metropolis vrbs: Tornacensis, quæ quondam fuit regalis ciuitas: Nouiomensis, & Flandrensis, Gandensis, atque Corturiacensis. Ob hoc autem vel maximè eum his dederunt Pastorem, quòd eius regionis incolæ magna adhuc ex parte B gentilitatis errore detinerentur, vanisque superstitionibus satis dediti essent, & tanquam agrestes feræ nullius salutarem sermonem admitterent. Itaque vir beatus cùm se nullo modo ab imposito munere excutere posset, ne in vllo à Catholica regula deuiare videretur, non se permisit priùs Sacerdotem consecrari, quàm sub Clericatus normula aliqua temporis curricula exegisset. Eo igitur tempore transacto, & Audoëno à partibus Transligeritanis reuerso, iámque eo Presbytero à domino DEODATO Matascensis vrbis Episcopo ordinato: inito consilio, pariter sub vnius diei articulo Apostolicam benedictionem gratuitò meruerunt eo tempore, quo apud Gallias à cuncto populo Rogationes celebrabantur. Conuenientes igitur simul in ciuitate Rothomagensi XIIII. die mensis tertij, anno III. CLODOVEI iuuenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias, inter cateruas populi, inter agmina Clericorum, inter choros psallentium, consecrati sumus gratis ab Episcopis pariter Episcopi, ego Rothomago, ille verò Nouiomo. Atque ita Episcopatu suo suscepto, ad Sedem suam remeans, qualem se deinceps, quantúmque præstiterit, quis dignè valeat explicare?-- ⁝

Porrò autem Pastoris curâ solicitus, lustrabat vrbes & municipia circumquaque sibi commissa. Sed Flandrenses, atque Andouerpenses, Frisones quoque & Sueui, & barbari quique circa maris littora degentes, quos velut in extremis remotos nullus adhuc prædicationis vomere exararat, principio eum hostili animo C & auersa mente exceperunt. Postmodum verò cùm paulatim per gratiam Christi eis verbum Dei insinuare cœpisset, pars maxima trucis ac barbari populi, relictis idolis, conuersa est ad verum Deum, & Christo subiecta.-- ⁝

Extruxit quoque in oppido Nouiomensi ancillarum Christi Monasterium, cui magnam congregationem, & vitæ seueram institutionem adhibuit. Terræ quoque redditus sufficienter delegauit, & omnia quæ essent illi necessaria solerti satis curâ prouidit.-- ⁝

Causa quandoque extitit, quæ eum cogeret in eam proficisci regionem, quæ propriè Prouincia nuncupatur. Cúmque die quodam cum nobili suo comitatu eius Prouinciæ regiones peragraret, venit in villam, quæ Ampucius vocatur, sitáque est in ripa Rodani fluminis, pertinétque ad prædium ERCHENBERTI illustrissimi viri.-- ⁝ Cùm verò iam satis ea omnia, quorum causâ aduenerat, expedisset, cunctósque amicos & Episcopos Prouinciæ visitasset, domúmque ASPASII, qui filius erat Iunini Christianissimi viri, inuisisset: postremò omnium AVRELIANO Vzecensi Episcopo, conuiuio peracto, valedicere instituit. Post hæc ad vrbem propriam est regressus.-- ⁝

Rogauit eum aliquando ERCHONOALDVS Præfectus Palatio, vt cum ipso longiùs proficisceretur. At ille multa secum reputans, nolebat ire cum eo. Sed tamen coactus à Senioribus & Abbatibus ciuitatis suæ, verentibus ne tanti viri

A animum offenderet, ita palam dixit: Quid necesse est, fratres, vt tanta nos afficiatis molestia? Equidem noui quod vos ignoratis, si cum illo ierimus, malè id cessurum. Ille enim hinc quidem exit, sed ibi morietur. Iuit tamen cum illo. ventum est ad locum destinatum. Cúmque illic nocte quadam aliis dormientibus, casu beatus Eligius foras egressus obambularet, & de Psalmis nescio quid secum volueret, subitò vidit columnam ignis è cœlo descendere, & magna vi cubiculum Erchonoaldi penetrare. Rei itaque euentum tacitè secum considerans, interitum bestiæ illius Diacono suo, qui fortè solus tum ei aderat, indicauit. Mox autem diuinitus percussus Erchonoaldus, sentiens magno ardore cruciari viscera sua, iubet ociùs ad se introduci Eligium. Venit Eligius, videt hominem magnis correptum angoribus: hortatur eum, vt quando iam desperat se victurum, vel moriturus faciat quod viuens spontè noluisset. videlicet vt loculos multos auro tumentes, quos equi vehebant, pauperibus quamprimùm erogaret pro refrigerio animæ suæ. Id solùm profuturum ei asserens, nocitura verò quæ in thesauris esset relicturus. Sed ille vt rapax, ita etiam tenax, dum moras nectit, repente extremum efflat anhelitum. Corpus eius misericordiâ motus Eligius secum absportauit, & tradidit sepulturæ.

FLAVADVS * tyrannus crudelissimus VVILLIBAVDVM Christianissimum virum, Burgundiæ Patricium, immerentem occidit. Id vbi ad aures beati Eligij perlatum est, ille narrantibus ait: Vos quidem dicitis VVillibaudum cæsum, « Flauadum incolumem. At ego illum, quem vos interfectum dicitis, pro eximiis « meritis aio nunc in cœlis melius viuere: Flauadum verò, quem vos gratulabun- « B di asseritis vitâ frui, breui malè periturum. VVillibaudus, inquam, verus Dei « cultor, mortuus quidem videtur, sed sine fine vitam viuet beatissimam: Flauadus « verò, qui diu victurus putatur, intra hos decem dies, vti dignus est, ma- « lè morietur. Post dies septem de improuiso Flauadus percussus, miserè excessit « è vita.

* al. FLAVCATVS.

Permulta alia, cùm iam Episcopus esset, prædixit. Quinetiam adhuc laicus futura annunciauit. Nocte quadam post absolutas ex more preces, paululum se ad quiescendum componens, mox in somnis visus est res admodum serias agere. Excitatus ergo à Clerico, & interrogatus quid vidisset, sic respondit: SIM- « PLICIVS Lemouicum Episcopus nuper obiit, & FELIX ei successurus, mit- « tit nuncios ad nos, vt ei nostram operam nauemus. Cum illis ego iam loquebar. « & certè breui hîc aderunt. Dixit, & reddit se quieti. Indè sub lucem nuncij illi pulsant fores eius, iis apertis ingrediuntur, indicant Episcopi mortem, afferunt multam pecuniam missam à Felice, vt ei ad obtinendum Epispopatum esset adminiculo. Sed Eligio persuadere nulla ratione possunt, vt quicquam eius attingat. Attamen ingressus ad Principem, gratis impetrauit quicquid illi petebant. sicque eos à se dimisit.

Multa alia in colloquiis familiaribus prædixit, puta mortem ARIBERTI C Regis, itémque DAGOBERTI inclyti Principis, natiuitatémque CLOTHARII Iunioris. Qui cùm adhuc matris vtero gestaretur, & Regina valdè solicita timeret se feminam parituram in Regni detrimentum: Eligius venit ad eam, & iucundissimè eam appellans, ait coram omnibus, masculam prolem edituram, séque è baptismo eam suscepturum. Nomen etiam necdum nato tum imposuit, CLOTHARIVM eum vocans. Præter quem alios duos eadem Regina peperit. qui cùm adhuc paruuli essent, & Rex atque Regina pacificè & amanter victitarent, talis Eligio oblata est visio. Adspiciebam, inquit, in visione noctis So- « lem sub horam diei tertiam clarè lucentem, repentè disparere. Cúmque inso- « lens prodigium intentè contemplarer, video repentè ceu dimidiam oriri Lunam, « tribus in orbem vallatam Stellis, eáque via ingredi, qua solet quotidie Sol re- « currens: Ecce autem dum hîc quoque attonitus defigo obtutus, mox Stellis « manentibus, Luna euanescit. Deinde illas tres accuratè considerans Stellas, ad « horam penè meridianam video eas accedere, vicissimque suis se radiis cæde- « re, & eam, quæ inter eas præstantior erat, de improuiso non apparere. Cúmque « duæ reliquæ inter se coniungi viderentur, dicto citiùs altera eorum obscurata « & sublata, vna sola remansit, eáque recto tramite Solis cursum imitans, ma- « gno tandem lumine aucta est: quantóque ad Occidentem magis ferebatur, «

CLODOVEVS II. tantò eius lux copiosiùs propagabatur. Porrò vbi ad vltimum peruenit occubitum, tantam vim luminis ex se diffudit, vt Solis splendorem vinceret videretur. A
„ Huius autem visionis hæc est interpretatio. Defuncto CLODOVEO Rege, qui
„ sine dubio breui desinet esse in humanis, aliquandiu Regina coniunx eius cum
„ tribus filiolis Francorum Regnum obtinebit. Illa autem sublata, & filiis in Re-
„ gno relictis, vnus ex iis cadet: nec diu pòst, alter quoque è duobus Regno priua-
„ bitur. Tertius verò solus obtinebit Monarchiam, eritque eius magna gloria &
„ potentia. Huc vsque Eligius. Nos verò dubitare non debemus ita fore, vt prædixit, cùm iam nonnulla impleta videamus. Nam & CLODOVEVS Rex intra breue tempus in pace obiit, & Regina coniunx cum tribus paruulis ad paucos annos regnans, filiis postea reliquit Principatum. Paucis interim labentibus annis, maior natu, dum pacificè regnat, excedit è viuis, duobus relictis fratribus: de quibus quid futurum sit, solus Deus nouit.-- ⁝

Idem beatus Eligius post decessum suum cuidam in Regis Palatio commoranti apparens, iussit vt quamprimùm adeat Reginam BATHILDEM, admoneátque eam pro Christi reuerentia deinceps missa facere vestium aurea gemmatáque ornamenta, quibus etiamnum vteretur. Aperit ille hoc Reginæ, quæ ociùs ponit ornamenta omnia, nihil præter manicas aureas retinens: cunctáque pauperibus distribuens, elegantiora quæque seruauit, atque ex iis Crucem pulcherrimam fecit, eámque ad caput beati Eligij deponi iussit. Thecam quoque ex multo auro & argento, in quo eius sacra ossa conderentur, miro opere conficien- B
„ dam curauit, ita dicens: Hic vir beatissimus multorum Sanctorum effecit thecas,
„ & ego quoque, vt dignum est, eius memoriæ, si potero, operam dabo. Cúmque id fecisset, tanta deinceps à Proceribus & potentibus ei loco auri & argenti atque gemmarum copia collata est, vt eam difficile sit verbis explicare.

Dum vir sanctus etiamnum in terris ageret, GARIFREDVS Comes Veromanduorum, quiddam in eum admiserat, quod etiam illo iam defuncto minimè expiarat.- ⁝ Post hunc fuit Veromanduorum Comes INGOMARVS homo prędiues & potens, qui metuens grassantem per aliquot Franciæ vrbes pestem, totum se contulit ad beati Eligij patrocinium implorandum.- ⁝ Idem vir beatus equum habuerat mansuetissimum, qui cùm post eius decessum cessisset Abbati eius Ecclesiæ, MOMMOLENVS eius loci Episcopus valde illi inhians, vi eum abstulit Abbati.-- ⁝

EBROINVS vir illustris, Præfectus Palatio, siue, vt vulgò dicunt, Maior Domus, filium habuit BOBONEM, ipsi & matri eius vnicè charum. Is morbo grauissimo correptus, magnum parentibus mœrorem attulit, præsertim quòd morbo eius inualescente, vita eius desperaretur. Sed tamen parentes de miraculis beati Eligij magna spe concepta, munera ei offerunt, & balteum filij elegantissimum apud sepulcrum eius deponunt. Eodem temporis puncto puer reualescit, ac deinceps mansit incolumis.-- ⁝

Vir quidam nobilis ob culpam non magnam prorsus infensum habuit Principem. Adducitur ergo in Palatium, & capite damnatur. Interim seruandus traditur AMALBERTO Comiti Nouiomensi. Post aliquot dies audit à famulis eius, proxima luce se capite plectendum. Sed cùm obtinuisset, vt eam noctem apud sanctum Eligium duceret peruigilem, & nimio mœrore depressus obdormisset: mox adest S. Eligius, humanissimóque vultu blandè eum consolans, pollicetur se futurum apud Principem, nec ipsum vllatenus daturum pœnas, sed cum Principe in gratiam rediturum. Eodem die accitus à Principe, liber dimissus est. C

Duo Reges germani fratres, CLOTHARIVS & THEODORICVS, quandoque è Palatio egressi, orandi causa ad Basilicam eiusdem beati Eligij accesserunt. Absolutis precibus exeuntes, illos quidem Proceres admonuerunt, vt aliquam eleemosynam pro sancti Eligij veneratione illi loco tribuerent. Sed Rex senior contempsit: iunior verò aliquot solidos ex radianti metallo ibi reliquit. Vbi ad Palatium reuersi sunt, Rex senior Clotharius molesta confestim febre vexatur: totóque corporis ardore ad caput tendente, secutus est vehementissimus dolor dentium. Nocte igitur illa in summis cruciamentis transacta, manè recordatur quid hesterno die neglexerit, séque confert ad beatum Eligium deprecandum, cui etiam per hominem fidelem multos misit solidos: qui simul atque illati sunt in Templum, dolor omnis repentè sopitus est.

A

Ex Vita sancti Audoëni Episcopi Rothomagensis, auctore, vt putat Surius, Fridegodo S. Odonis Diacono.

Apud Surium Tom. IV. Cap. I.

TEMPORIBVS CLOTHARII clarissimi Principis, filij CHILPERICI Regis Francorum, anno plus minus XX. regni eius, pago Suessionico, quinque milliaribus ab ipsa ciuitate distante eo loco, quem Sanciacum vocant, orti sunt tres venerabiles viri, ex vno semine nobiles in seculo geniti, & gratiâ omnipotentis Dei cœlitus illuminati: puta, ADO, DADO, & RADO. Nati sunt autem patre AVTHARIO, matre verò AIGA*. Cùm essent nobilissimi carnis origine, fuêre nihilominus erga Christianæ Religionis deuotionem perquàm studiosi. -- :

** In Vita Ms. S. Columbani, AGIRA dicitur.*

Cap. 2. Accidit autem eisdem temporibus beatum Columbanum, insignem Dei cultorem, de domo HAGNERICI summi Consiliarij Regis Clotharij remeantem, ad villam quandam in littore amnis Matronæ sitam, Vuilciacum nomine, peruenire, ibique prædictum virum illustrem Autharium cum nobili coniuge sua Aiga inuenire. Qui cùm virum Dei magno exultantes gaudio suscepissent, religiosissima mater iam dictorum trium puerorum ad benedicendum infantulos vero Dei cultori obtulit, obsecrans vt eis benè precaretur. Videns autem eos vir sanctus, præscius futurorum, secundum piæ matris fidem infantulis benedixit, & prophetico spiritu prædixit eos futuros in Christianæ Religionis virtutibus eximios, honoribus & dignitate seculi claros, in Aula etiam Regum gloriosos. Nec potuit tanti viri benedictio cassa vel fortuita vlla ratione putari. Mox ergo vt pubescere cœperunt, primùm CLOTHARIO Regi, deinde DAGOBERTO, in cunctis inuenti sunt gratissimi. Sed illi ad cœlestia tendentes, inter pestifera mundi huius negocia, religiosa semper hominum sanctorum consortia amabant: & licèt ordine diuerso, at singulos tamen promissionum est effectus consecutus.

B

Cap. 3. Namque primogenitus ADO cuncta mundi huius obstacula contemnens, semetipsum abnegans, & propriis voluntatibus renuncians, ex Dei beneficio in castris Regis æterni perpetuò militare elegit: monasticámque appetens vitam, mortiferam mundi huius calcauit dulcedinem. Itaque Monasterium Iodariense ad Matronæ fluuium præclarè condidit in proprio solo, in quo ad præscriptum Regulæ almi Patris Columbani viuerent Fratres, ad eam rem adiuuante eum beatissimo germano suo Audoëno: ditauítque illud rebus & opibus omnibus, atque etiam disciplinis Ecclesiasticis.

Cap. 4. RADO verò, qui extremum natiuitatis ordinem tenebat, Thesaurorum regalium summus Procurator effectus est: quos ille thesauros iusto dispensans ordine, fideliter & Christianè custodiuit. In ipsis autem seculi dignitatibus nihilominus fuit sanctæ Religioni subditus, erga Dei præcepta iustus & religiosus, dilectione amabilis, eleemosynis largus, in militia prouidus. Denique iustè ac piè viuendo, in demandatis ipsi Palatinis fascibus fidum ac strenuum sese declarauit.

C

Cap. 5. Porro sanctus AVDOENVS, cognomento DADO, Auricularij locum & munus in Aula Regis obtinuit: itémque ad obsignanda scripta vel Edicta Regia, quæ ab ipso conscribebantur, sigillum vel annulum Regis custodiebat. Erat verò sensu profundus, eloquio copiosus, consilio prouidus, iudicio iustus, corporis staturâ procerus, vultu decorus, & ante omnia in Christi caritate fundatus. Regi verò etiam carus, cunctísque Principibus & Optimatibus fuit venerabilis. Ad illius nutum omnia Palacij negocia gerebantur: eius consiliis Optimates omnes, atque ipse etiam DAGOBERTVS Rex, ceu diuinis oraculis parebant. Neque enim vllum erat aliud eius consilium, nisi quod & Regi & populo vtilitatem adferret. Et assiduè sanè hortabatur Regem, vt Regem omnium Christum, conditorem ac redemptorem suum, sine quo nemo iustè regnat vel imperat, diligendo, timendo, cunctísque eius mandatis obediendo, piè coleret. Fines Imperij sui ab hostium incursibus strenuè defenderet, imò verò ob abundantiorem Ecclesiæ Christi pacem eosdem fines etiam proferre ac dilatare contenderet. Homines flagitiosos, puta fures, latrones, homicidas, maleficos, hereticos, ceterásque infames perso-

DAGOBERTVS I. nas è Regno exturbaret. Admonebat denique, vt Ecclesiarum & sanctorum locorum præ omnibus curam gereret, renouandorum & construendorum Cœnobiorum studio insisteret: pauperibus, peregrinis, viduis, orphanis, omnibúsque necessitatem patientibus piè subueniret. hoc dicens iustum esse, vt cunctorum qui eius ditione tenerentur necessitati condoleret. Rex verò DAGOBERTVS aurem viro Dei libenter in omnibus, quæ hortabatur, accommodabat. atque eam ob rem & cunctis hostibus fuit fortior, & omnibus Francorum Regibus, qui ante ipsum regnauerant, felicior. Nam per id tempus nobilissima sanctorum virorum examina, instar apum, inclyta Francorum regio protulit: quorum mellifluo collegio idem vir Domini AVDOENVS Apocrisiarius Regis, velut splendidissimum sydus, magnus Christi miles in Ecclesia quandoque futurus, iam emicabat. Vnde non est mirum, si ille Rex, malorum infestatione submota, ponendis hinc indè præsidiis pacis, tanta est vsus prosperitate, qui tam prudenti Silentiario potiebatur.

Cap. 6. Florebat verò in Aula Regis etiam beati viri sodalis ELIGIVS, virtutum sanctitate mirandus, quem haud secus atque animam suam diligebat: erátque eis amor vnus, cor vnum, & anima vna. paríque intentione sub habitu adhuc seculari æterno Regi militabant. Ambo fide Christiana firmissimi, ambo Euangelica doctrina repleti. Ab eis omnes Francorum Proceres capiebant exempla Christianæ Religionis, ab eis hauriebant monita doctrinæ salutaris.-- ⁝ Etsi autem beatus Audoënus in Palatio Regis militari habitu tectus videretur, attamen ab omnibus ferè Monachus potiùs quàm laicus habebatur. Nam sæpissimè preciosis vestibus & aureo balteo extrinsecus ornabatur, subtus vtebatur cilicio.-- ⁝ B

Cap. 7. Itaque in Brigiensis siluæ recessibus Rasbacis fluuioli officinas perlustrans, cunctísque Dei seruis necessariis habitaculis instruens, in suo patrimonio Monasterium supradictæ Regulæ, quod Hierosolymam voluit dici, efficaciter construxit: vbi non solùm præsentem quietis pacem veris Christi cultoribus, verumetiam certam cœlestis visionis requiem suis sectatoribus tum præsentibus, tum posteris, feliciter comparauit. Idem verò Monasterium opimis possessionibus, ornamentis Ecclesiasticis, libris, atque aliis diuersis rebus ad Dei seruitium & cultum pertinentibus, deuotus impleuit, & sanctorum Monachorum multitudinem illic congregans, Abbatem vnum ex almi Patris Columbani *discipulis*, virum in disciplinis regularibus apprimè eruditum, AGILVM nomine, eis *præfecit*. Iámque meditabatur, vt cunctis seculi dignitatibus reiectis, soli Deo intra Monasterij claustra absque impedimento seruiret. Sed resistebant tam Rex quàm Optimates omnes eius tam piæ voluntati, dicentes, debere eum potiùs plurimorum vtilitati consulere, quàm priuatæ suæ deliberationi obsequi. Videns ergo vir Deo dilectus, ratione simul & auctoritate se constrictum (sciebat enim scriptum omnibus, *Potestatibus sublimioribus subditi estote.* &, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari)* ab hac intentione ardentem animum ad tempus reuocauit.-- ⁝ C

Cap. 8. Interea verò defuncto DAGOBERTO Rege Christianissimo, *filius* eius CLODOVEVS in Regnum successit. Cuius postea, tum voluntate, tum multorum religiosorum hominum, præcipuè tamen beatissimi Eligij, quem præ ceteris singulari amore prosequebatur, consilio & hortatu, Clerici tonsuram accepit, vno eodémque tempore etiam ipso Eligio viro Dei comam ponente.-- ⁝

CLODOVEVS II.

Cap. 11. Interea verò temporis defuncto ROMANO Rothomagensis vrbis Episcopo, veneratione digno, beatus Audoënus consensu omnium ad eius Episcopatus subeundum onus compellitur. Illum enim solum ea Sede dignum tam Rex quàm Proceres, itémque Clerus & populus, vna voce testabantur. quippe cuius & fides, & doctrina, & mores tantæ Sedi suspiciendæ conuenirent. Ille autem, licèt humiliter recusaret, sciens tamen quantum sit obedientiæ bonum, voluntati propriæ imperium præposuit plurimorum.-- ⁝

Cap. 14. Perueniens autem Rothomagum, Ordinem Pontificalem ad præscriptum Ecclesiastici & Canonici dogmatis, vnà cum beatissimo Eligio suscepit. Vno namque die apud Rothomagum ambo pariter ordinati sunt, sanctus Audoënus eiusdem vrbis Archiepiscopus, sanctus verò Eligius Nouiomagensis Episcopus, anno Domi-
646. minicæ Incarnationis DCXLVI. Pridie Idus Maias, Dominico die ante Li-
Cap. 17. tanias.-- ⁝

A Inter cetera autem virtutum miracula, quæ idem egregius Præsul effecit, illud omninò prætereundum non est; quòd illustrem virum VVANINGVM sua oratione optatæ sanitati restituerit. Fuit ille Vuaningus sanè prædiues & potens: sed morbo correptus acerbo; in ecstasi multa impiorum supplicia vidit. Cúmque eodem morbo adhuc premeretur, beatus Audoënus Antistes, cùm priùs orasset, benedictionem ei impertiit; & reddita illi est pristina incolumitas. Hortabatur autem eum Audoënus; vt locum illum Deo dicaret. Admonitus enim ille fuerat à beata Eulalia, vt in prædio suo FISCANO; vbi iamdiu discubuerat, ad sancti Præsulis Audoëni iussionem Cœnobium extrueret: simúlque indicatum erat ei, viginti annis illum in corpore victurum. Itaque vitæ redditus, & ad sese reuersus, clarissimum Pontificem Audoënum orat; vt ad se venire velit, vnà cum Sacerdote Christi VVandregisilo. Adfuit verò etiam Rex iuuenis CLOTHARIVS; CLODOVEI iunioris Regis filius; insigne illud, quod in VVaningo perpetratum erat, miraculum magno desiderio cernere cupiens. Non solùm autem Rex; sed & cuncti Proceres, & omnis populi multitudo, qui cum illo aderant; viderunt, & omnipotentis Dei clementiam collaudarunt, beatúmque Audoënum colere & venerari cœperunt. Tum demum sanctus Audoënus vnà cum VVaningo iam Deo consecratum Cœnobium, nobilissimámque & beatam virginem CHILDEMARCHAM. Abbatissam, cum multis Deo sacratis Virginibus sancto viro VVandregisilo, vt sub eius essent magi-B sterio, tradidêre: quem olim sanctus Audoënus sacris Ordinibus ornauerat, & cui à Rege CLODOVEO locum, qui Fontanella dicitur, ad Monasterium construendum impetrauerat. Eius, inquam, operibus bonis, & exemplis atque regularibus disciplinis Monasterium hoc docendum & instruendum commisêre. -- :· THEODORICVS II. Cap. 17.

Iter illo quodam die per Rothomagensem parœciam faciente, ad quendam locum venit, haud procul à Sequana fluuio apud insulam Belcionacam situm. Ibi verò paululum quiescens; in eodem quo quiescebat loco vt in beati protomartyris Stephani honorem Basilicam ædificaret, est admonitus. Accersito deinde ANSBERTO; qui per id tempus Fontanellæ Cœnobij; in cuius territorio locus esse videtur, Abbas erat, eius Ecclesiæ construendæ ei negocium dedit. Is verò clarissimi Pontificis votis fauens; sacram illic ædiculam exiguo quidem, vt se habet loci situs, sed eleganti tamen opere, fabricandam curauit. Porrò eximius Pastor & egregius Pontifex Audoënus Xenodochium pauperum ob memoriam nominis sui sempiternam ibidem instituit; ac patrimonium quoddam, cui Childriaci vocabulum est, in Dunensi pago situm; pauperibus eius Xenodochij gratuita benignitate largitus est. -- :· Cap. 19.

Alio etiam tempore, cùm suas parœcias verbum Dei seminando circumiret, venit in pagum Constantinum. Vbi autem ad Monasterium beati Marculphi accessit, rogatus est à BERNOINO eius Monasterij Abbate, vt corpus sancti Mar-C culphi in alium locum tranferret. Eius precibus vir Dei satisfaciens; transtulit sacrum corpus in apsidem cum hymnis & congruo honore. -- :· Cap. 20.

Iam verò regnante THEODORICO, qui beatum virum non minus quàm Reges superiores carum habuit, inter reliqua eius beneficia id ab eo præstitum est sancto Audoëno, vt in eius parœcia nec Episcopus; nec Abbas vel Abbatissa, neque Comes; neque alius quisquam iudiciaria potestate præditus, absque eius consensu rectorem vel successorem constituere auderet; nisi quem vir sanctus vel suis, vel aliundè pro vitæ merito instituere vellet. Erat tum in eius, quem diximus; Regis Palatio primaria dignitate vir illustris VVARATTO. Is filium habuit strenuum & industrium, sed animo ferum ac moribus asperum, & ipsi parenti suo insidiantem. GISLEMARI nomen erat illi. Nec destitit à concepta malitia, donec trem suo Principatu deiecit. Etsi verò obiurgaret eum beatus Audoënus; quòd tantam nequitiam aduersus parentem exerceret: at ille tamen monita eius salutaria audire noluit. Sed non multò pòst à Deo percussus, impiissimam animam exhalauit, quemadmodum ei vir Dei antè prædixerat. Cap. 26.

Orta autem discordia inter Francos & Austrasios, vir beatus componendæ pacis causa Coloniam venit. -- :· Tum verò inter discordes populos instau- Cap. 27.

THEODORICUS I. 28. rato pacis fœdere, indè discedens in Neustriam, Virdunum peruenit. A

Indè ad Palatium veniens, quæ de conficienda pace prosperè egisset, cuncta explicauit.

Cap. 29. Anno igitur XVI.* regni THEODORICI Regis, & CRATILDIS* Reginæ, res Palatij administrante VVARATTONE Subregulo, apud villam Clipiacum, vbi tum vir beatus de pace inter Francorum populos constituta nuncium attulerat, iam longæuæ ætatis senio confectus, in morbum incidit. Cúmque febribus corpus attenuaretur, & obitum suum iam imminere cerneret, hortabatur Regem, vt Abbatem ANSBERTUM* sibi faceret successorem est. quod & factum est. Postremò fusis ad Dominum precibus, sibi gregem creditum deuotè commendauit, atque ita spiritum reddidit in manus Creatoris. Rexit autem Rothomagensem Ecclesiam annos XLIII. menses III. dies X. Nonagenarius migrauit ad Dominum IX. Calendas Septembris, die Dominico, anno ab Incarnatione Christi DCLXXVII.

* AUBERTUM.

677. Cap. 30. Completur interea luctu ingenti Domus Regia, omnis Palatina dignitas mœret, omnis sublimitas humiliatur, gaudium omne in lamentum vertitur, risus omnis excluditur. Plangunt cuncti prudentissimum Consiliarium, pacem populo Dei semper conciliantem, & humani sanguinis profusionem instantissimè amolientem.

Cap. 31. Tum verò permultis Episcopis in vnum conuenientibus, adiunctisque venerabilibus Abbatibus, Sacerdotibus, Monachis, & Clericis, itémque viris B illustribus & turbis populorum, cum crucibus, & lampadibus, & thymiamateriis, in Volcassinensem prouinciam sunt ingressi, summóque cum honore beatum corpus humeris gestantes, laudes & hymnos Deo canebant, non sine multis lacrimis respectantes feretrum Pastoris sui. Ita demum Rothomagum cum sacro corpore perueniunt, atque illic in beati Petri Apostoli Basilica, loco, quem ipse sibi præparauerat, decentissimè illud sepeliunt.

Cap. 32. Illa verò Basilica, in qua sancta eius membra quiescunt, miro opere, quadris lapidibus, Gotthica manu, à primo CLOTHARIO Francorum Rege olim nobiliter constructa fuit, anno plus minus quarto & vicesimo regni eius, Sedem Rothomagensem obtinente FLAVIO Episcopo. In qua etiam duæ eius vxores & Reginæ conditæ sunt, HALDETRUDIS, & BERTETRUDIS, itémque DAGOBERTUS filius SIGEBERTI Regis, quem totondit Grimoaldus: atque etiam CHILDERICUS Rex frater Theodorici, cum vxore BILHILDE, & filia; quos ipse vir sanctus iam olim illic sepelierat. qui satellitum suorum Amalberti & Vigoberti insidiis vita atque Regno priuati fuere. Vbi Dominus Iesus Christus, meritis beati Præsulis Audoëni suffragantibus, multa virtutum signa vsque in hodiernum diem efficere non cessat.

Ex Vita sancti VVandregisili Abbatis, à quodam eius prope æquali conscripta.

Apud Surium Tom. IV. Cap. 1. PRÆCLARUS atque gloriosus vir Domini VVANDREGISILUS, cognomento VVANDO, ortum inclytæ natiuitatis in Virdunensi regione ex nobilibus atque religiosis parentibus eo tempore, quo sceptra Regni Francorum fortis Rex DAGOBERTUS honestè gubernabat, habuisse dignoscitur. Denique genitor eius VVALTCHISUS nomine ex nobilissima prosapia ortus, consobrinus fuit PIPINI excellentissimi Principis Francorum. Et vt eiusdem sancti viri claram originem altiùs promam, cùm esset à nobilissimis ac ditissimis parentibus editus, non minùs nobilem se splendidæ vitæ moribus ac piæ conuersationis assiduis exemplis præbebat. Cúmque adolescentiæ polleret ætas in annis, sub iam dicto Rege DAGOBERTO militaribus gestis, ac aulicis disciplinis, quippe vt nobilissimus, nobiliter educatus est. Et crescentibus sanctæ vitæ moribus, cunctis mundanarum rerum disciplinis imbutus, ab eodem Rege Dagoberto Comes constituitur Palatij. Quo gradu paululum administrato, ardore parentum honoribus plurimis, vt sese habet secularis rei dignitas, valde sublimatus, etiam dispositioni rerum plurimarum non multò pòst man-

A cipatur. Suscipiénsque hoc officium, exercebat cum pietatis studio administrationem sibi commissam.-- ⁝ DAGOBERTVS I.

Euoluto autem tempore, parentum hortatu, licèt inuitus, quandam sibi desponDit puellam nobilissimis natalibus procreatam: solemnique more castas celebrans nuptias, virginei floris immaculatum adeptus est torum. Denique suadebat suæ coniugi virginitatem integram custodire, castitatísque munere angelicarum virtutum promereri consortium. Illa verò hac prudenti admonitione roborata, ac superno illustrata lumine: Quæso, inquit, nobilissime virorum, vt quæ ore promis, explere properes actu, & temetipsum à seculi curis exuas, méq; famulam tuam castris comittas Regis perpetui. At ille exultans eius laudabili deuotione, gratiarum actiones bonorum omnium inspiratori hilariter persoluit. Fit itaque ex vtraque parte, magnificè Christo donante, saluberrimus castitatis consensus. Ipse Clericatus habitum sumpsit, ac coniugem suam velo piæ religionis opertam Sanctimonialium Monasterio ilicò tradidit sociandam. In quo viriliter suimet custos callem imitabilis vitæ peragens, triumphum Domino reportauit: talísque eius enituit conuersatio, vt ad declaranda ipsius merita, plurimæ à Domino per eam patratæ dicantur virtutes.-- ⁝ Cap. 2. & 3.

Postquàm autem ipse vir sanctus mundi huius oblectamenta deseruit, optabat in sancto Cœnobio diuinæ insistere Philosophiæ, ac Monasticæ Regulæ venerabilem animum tradere informandum. Ac primùm in loco, qui dicitur Mons-Falconis, cum viro sancto nomine BALTFRIDO, non multum temporis habitauit.- ⁝ Denique hostis inuidus eius insuperabilem conspiciens deuotionem, nitebatur omnibus modis impedire pios eius actus & studia. Ac primùm Regis animum & Procerum illius aduersus eum commouit: scilicet vt auulsus à sancto loco, habitum compelleretur recipere secularem. Sed ipse indesinenter precibus insistens, diuinis armis inimici euacuabat molimina. Cap. 5. B

His temporibus Rex inclytus DAGOBERTVS, amator videlicet Dei ac Sanctorum, Ecclesiarum atque Monasteriorum venerabilium strenuus fautor pariter & fundator, ac proprij Regni fortissimus defensor & propagator inuictus, sceptra Francorum præclarè moderabatur, hostibus vndique suæ ditioni subactis. Et quia præfatus vir Domini in eius Aula nutritus, & suis fuerat olim ministeriis ascitus, nitebatur ei è suorum consilio molestiam inferre, quòd sine eius permissu habitum mutasset, ac Monasticæ se Religioni mancipasset. Itaque eum accersiri quamprimùm iussit in Aulam suam. Ipse autem auxilio Dei fretus, qui ei semper opitulari præsens solebat, reminiscens etiam illius Apostoli Petri: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti*, licèt nolens quidem, in Palatio sese exhibuit obtutibus Regis, & Procerum illius. Porrò Dominus custos & rector omnium placentium sibi, ab hostium læsione eum tutum ac munitum vbique reddebat: omnibúsque liquidò patefactum est, eum fidelissimum Dei esse famulum, qui cunctam huius mundi gloriam pro expectatione calcasset futurorum. Et præcepit Rex, vt nemo illi molestus esset, sed pro voto animi sui diuinis seruiret mandatis, & propositi sui obseruantiam nullo resistente seruaret. Sicque Regia auctoritate securus, de reliquo ad dilectæ habitationis locum reuersus est. Cap. 6. C

Quo loco non multò post occasione quadam relicto, in Elisgangium commigrauit territorium, vbi & Monasterium struxit pro temporis opportunitate in possessione propria. Ibi namque beatus Vrsicinus requiescit venerabiliter humatus.-- ⁝ Postea verò ouans peregrinationem aggressus Alpium iuga transgreditur, atque Italiam ingrediens ad Bobiense Cœnobium accedit.-- ⁝ Vbi cùm aliquamdiu moratus fuisset, in visu admonitus vt Galliarum repeteret rura, iter conuertit ad Alpes. Cùm autem non modico sudore, tamen delectabili, Alpibus transcensis, arua iam tereret Gallica, causa hospitij Monasterium petiit, cuius est vocabulum Romanis, situm vltra saltum Iurensem.-- ⁝ Cap. 7. 9. 10.

His porro in diebus gloriosus Confessor Domini AVDOENVS, anno III. CLODOVEI Regis filij DAGOBERTI, Sedem vrbis Rothomagensis adeptus, verbum salutiferæ prædicationis suis ciuibus administrabat.-- ⁝ Cuius cognita ab omnibus vita, atque laudabili deuotione comperta, admonitus etiam in visu beatus VVANDREGISILVS, vt Occidentalia Galliæ reuiseret loca, de Cap. 12. 13.

DAGOBERTVS I. supradicto Romanis Monasterio cum licentia Patris egressus, iter carpere cœpit, A quod ad Belgicam deducit Galliam: peruenítque ad celebrem vrbem Rothomagensem summa reuerentiâ à venerabili Antistite Audoëno exceptus. Qui memor prioris coniunctionis & societatis, nobilissimæque eius originis, sed & piæ ac Deo dignæ religionis, aliquandiu eum secum in vrbe tenuit, & secundi ordinis honore ampliauit, Subdiaconum eum creans valde reluctantem, sicut & processu temporis Leuitici ministerij onus ei imposuit. Quo feliciter administrato, non multò pòst ad Sacerdotium, licèt renuens, iussu eiusdem beatissimi Præsulis Audoëni, à venerabili AVTMARO Pontifice vrbis Taruannæ consecratus est. -- : At verò ipse egregius Dei cultor districtiorem desiderans ducere vitam, eremi secreta plurimùm ambiens, mundanos toto nisu fugiebat semper honores. Itaque omni conatu tanto negocio opportunum inquirebat locum. -- :

Cap. 13. Cùm autem talia volueret animo, contigit vt largiente ERCHINOALDO Præfecto immodicam soli partem acciperet, quo FONTANELLÆ Cœnobium, vna cum venerando nepote suo GODONE, vt rudis habitator construeret. Quem veterum traditio ob riuum in eo loco fluentem hoc nomine vocitabat. Monstrabantur namque in eodem loco vestigia, immò ruinæ ædificiorum, priscorum accolarum industriâ olim extructorum, sed exterorum hostium feritate belluina solo funditus æquatorum. Et in ipso quidem loco magis lustra ferarum, quàm hominum habitatio, tunc temporis videbantur. Hunc ergo locum vir Domini VVandregisilus, atque ipsius nepos venerabilis Godo, à prædito Patritio sibi donatum, studuerunt cum nonnullis ipsis fauentibus repurgare, superuacanea quæque euellendo: deinde verò etiam iacere fundamenta. Cœptum est autem B
645. hoc opus ab anno Dominicæ Incarnationis DCXLV. sub die Calendarum Martiarum, Indictione III. qui erat annus CLODOVEI Regis II.* obtinente Sedem Romanæ Ecclesiæ beatissimo Papa Martino. Tam verò solerti studio, tantáque industriâ perfectum est, vt penè in illo tempore venerabilibus Cœnobiis æquaretur. Est autem hoc Cœnobium situm in territorio Rothomagensi, distans à memorata vrbe millibus fermè XVIII. porro à fluuio magno Sequana spacio passuum circiter octingentorum.

*In edit. XI.

Cap. 14. Sed quia mentionem fecimus ERCHINOALDI Præfecti, libet de eo aliquid dignum scribere. Is enim post transitum bonæ recordationis DAGOBERTI Regis, Præfecturæ ordinem, ac curam maximam Regni Francorum, etiam cum filio eius CLODOVEO, & BALTILDE* Regina, nobiliter administrauit. Erat namque insignis bonitate, ac eleemosynis largissimus, atque ex materna origine beati viri consanguineus. Postquàm autem excessit è vita Clodoueus Rex, remansit Baltildis Regina cum tribus filiis, Clothario, Childerico, ac Theodorico. E quibus CLOTHARIVS, qui maior natu erat, fastigium adeptus est Regni, rexítque populum Occidentalium Francorum annis XIIII*. & quod pater eius inchoauerat, prædictum locum piis largitionibus ac priuiligijs suæ auctoritatis deuotè studuit augmentare. Terminos etiam ipsius loci, prout voluntas venerandi Patris Vuandregisili erat, deuotissimè auxit. Ibique residens vir Domini, Cœnobium, multorum fretus solatio, construere cœpit. Ad cuius famam plebs vndique concurrere, & cultui Religionis dicare curabant prædia plurima: ita vt multis confluentibus, Monachorum numerus ad trecentos excresceret. Accurrebant vndique nobilium liberi, & spretis seculi oblectamentis, & præsentium pompa facultatum contempta, æterna cupiebant cum tanto Patre præmia adipisci. Ædificauit autem in ipso loco vir Domini Basilicas egregio cultu numero quatuor, in honorem videlicet Principis Apostolorum Petri, simúlque doctoris gentium Pauli, sanctiq; Laurentij, ac Pancratij Martyrũ Christi. Et cùm huic operi insisteret, misit antedictum nepotem suum in vrbem Romam, propter pignora beatorum Apostolorum ac Martyrum Christi: vt ædificatis Basilicis, in promptu haberet reliquias Sanctorum, quorum nomini & reuerentiæ dicare disposuerat. Qui votis pij Patris libentissimè parens, Romam abiit, Vitaliano Papa eodem tempore gubernante Sedem eiusdem Ecclesiæ: atque ab eo suscepta plurima Apostolorum & Martyrum Christi pignora, vnà cum benedictione Apo- C

*al. BLITILDE.

CLOTHARIVS III.

*alij IIII. tantùm habent.

A Italica rediens, secum detulit, codicúmque sacrorum copiam non minimam: prosperóque cursu itinere acto, ouans reuertitur ad virum Dei. cunctáque quæ attulerat idem vir Domini venerabiliter suscepit. Accersito etiam sanctæ recordationis AVDOENO Præsule, præfatas quas ædificauerat Ecclesias vt consecraret, simúlque pignora, quæ Godo cum eius auctoritate Romæ impetrauerat, Christi imponeret aris, supplex exorat. Quod ita à prædicto Præsule confestim constat fuisse impletum. CLOTHARIVS III.

Adiutor prætereà huius operis, & cooperator insignis, VVANINGVS vir illustris extitit, qui viro Dei plurima prædia felici munere ad vsum seruorum Christi deuotè contulit, filiúmque suum DESIDERATVM nomine sub regimine prædicti Patris in eodem loco monasticæ disciplinæ & Christi militiæ tradidit vacaturum. Erat is VVaningus ditissimus, & multimoda Cœnobiorum habitacula in possessionibus propriis construxerat. Ex quibus vnum est, quod vocatur FISCAMNVM.-- ⁝ Cap. 15.

Erat tunc temporis apud Burdegalim vrbem virgo Christi HILDEMARCHA, cuiusdam Monasterij Sanctimonialium sanctissima gubernatrix. Ad quam quidam vir Dei Monachus ac Diaconus, nomine Sindardus, cùm propter vtilitatem seruorum Dei in illas partes mitteretur, causâ hospitij declinare solitus erat. Cui illa intimauit, in visu se esse commonitam, vt tellurem adiret B Rothomagensem, virúmque Dei VVandregisilum inuiseret; atque sub illius regimine diuinis pareret edictis. Quæ ad Christi famulum perueniens, ab illo ad illustrissimum virum VVaningum perducta est. Is verò prædictum Cœnobium Fiscamnum per testamenta tradens beato VVandregisilo, eius suasu religiosissimæ virgini tradidit gubernandum.-- ⁝ Porrò Sindardus Christi famulus pignora sancti Saturnini Tolosæ vrbis Episcopi & Martyris viro Dei detulit, sed & sancti Confessoris Amantij Redonensis * Præsulis: in quorum honore duas condidit Basilicas.-- ⁝ Quarum vna, quæ in veneratione Martyris extat, est sita in vertice ardui montis, vinearum quondam fertilis. Altera verò, quæ in nomine Confessoris est condita, distat ab ipso principali Cœnobio passus sexcentos.-- ⁝ Cap. 16.

* leg. Rodonensis, siue Rutenensis

Porro anno XV. regiminis sui, vir Dei CLOTHARIVM III. Regem accessit, & priuilegium Regiæ confirmationis super area dicti Cœnobij liberalissima datione accepit. Celebrata ea fuit in territorio Castriensi, in loco illo quem Palatiolum vocant.-- ⁝ In prædicto autem territorio illo degente, quidam vir illustris nomine HARTBAMVS filius illustris ERINBERTI, ad conuersionem veniens, tribuit eidem glorioso Patri prædium quoddam nomine Butionem, in quo Ecclesiam ædificauit, habitacula seruorum Dei instituit; & famulaturos diuinæ clementiæ Monachos inibi collocauit. Seruus autem Christi Hartbamus in magnæ religionis obseruantia vitam, auctore Christo, finiuit; permultáque prædia eidem venerabili Patri deuotè largitus est. Eius pater Erin- C bertus, cùm magnis febrium angoribus teneretur, precibus sanctissimi viri sospitati pristinæ redditus est: atque per id tempus prædium Virtlaicum, situm in pago Tellau super amne Eura, eidem Patri deuotè donauit: in ipsa largitione damnationem æternam imprecans iis, qui id prædium inuadere ausi essent.-- ⁝ Cap. 18. Cap. 19.

Ex largitione illustris viri Vattratonis * ad amnem Vuitlanam in honorem Principis Apostolorum Oratorium construxit, quod Monasteriolum appellauit, vbi Monachorum Deo militantium Conuentum collegit.-- ⁝ Cap. 20. * Vuaratonis.

BLITILDI Reginæ, relictæ Clodouei Regis, obitus trium filiorum ac successiones exposuit. E quibus CLOTARIVS, qui maior erat natu, quartumdecimum * regni annum agens, consortiis subitò caruit humanis. Deinde CHILDERICVS temerè ab insidiatoribus interemptus, à præsenti sublatus est vita. Tertius THEODORICVS matri superstes Regni suscepit gubernacula.-- ⁝ Cap. 21. * quartum

Duo erant illi carissimi filij, qui vicissim post suæ fragilitatis decessum in regiminis successerunt locum. Erat namque vnus vocabulo LANTBERTVS, vir eximiæ religionis & generis, ortus in territorio Taruanēsi, qui post beatum Genesium Præsulatum Ecclesiæ Lugdunensis suscepit. Alter verò vir Domini ANSBERTVS, qui beato Audoëno in Pontificatu successit Ecclesiæ Rothomagensis. Sub horum Cap. 23.

DAGOBERTVS I. regimine sanctissimi Patres, beatus VVLFRANNVS Præsul Senonum, & prædicator gentis Frisonum: nec non vir Deo dilectus ERENBERTVS Tolosæ vrbis Pontifex, & sanctus Anachoreta & Presbyter Condedus, Britannia insulâ ortus, Monachicum amplectentes habitum, ad castra Dei fulgida deuotissimè conuolarunt.

Cap. 15. 665. Requieuit sanè beatissimus Pater & Sacerdos Domini VVandregisilus XI. Calend. Augusti anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCLXV. Indict. VIII. anno IX. Pontificatus Vitaliani Papæ, porro tertij CLOTHARII anno regni XI. Peregit autem felici & gloriosa consummatione cursum præsentis vitæ annis circiter XCVI. è quibus in sacro regimine expleuit XIX. annos, menses IV. dies XXI. Interfuit autem in hoc eius sancto transitu inclytus Ecclesiæ Rothomagensis Pontifex Audoenus. Sepultus est primùm in Ecclesia beati Pauli Apostoli, in qua requieuit annis XL. Postea autem à sancto BAINO Episcopo vrbis Taruanæ, & Fontanellensis Cœnobij Abbate translatus est in Ecclesiam beati Petri Apostoli, anno Dominicæ Incarnationis DCCXXIX.

Ex Vita sancti Remacli Episcopi Traiectensis, quam Notgerus Leodiensis Episcopus ad VVerinfredum Abbatem scripsit.

Apud Suriũ Tom. V. Cap. 1. FRANCORVM Regnum ab ipso suo exordio semper inuictum, tum vel maximè præ ceteris ei vicinis Regnis florere visum est, cùm iugo Dominicæ fidei colla supposuit, & quod priùs adorarat exussit, quod exusserat adorauit. Ingens autem accepit incrementum, & sub eo firmum Ecclesia Dei statum, cùm CLOTARIVS Rex legitima successione quartus, trium Regnorum factus est Monarcha, & eum Principatus sui annum agebat quadragesimum, quem Heraclius sanctæ Crucis recuperator Imperij decimum quartum. Is Clotarius nullum ex vicinis Regibus passus est suæ ditioni arma inferre: sed omnes Hispaniæ, Galliæ, & Germaniæ Reges & populos suis habenis studuit coërcere. Porrò inclytum filium suum DAGOBERTVM Austrasianis præfecit, eique etiam Germaniæ ditiones voluit esse subiectas. Eorum temporibus felicissimis vsque adeò Christianismus excreuit, vt penè nulla hodie, aut rara intra limites Regni ipsorum Ecclesia inueniatur, quæ non alicuius eius tempestatis Sancti patrociniis illustretur. Atque vt innumeros prætermittamus, ELIGIVS & AVDOENVS viri sancti Palatij ministeriis fungebantur, beatus ARNVLPHVS & ROMARICVS Regiis consiliis adhibebantur, sanctus AMANDVS, & beatissimus REMACLVS, sanctúsque GOAR, Aquitaniam ortu suo illustrabant. Eam Aquitaniam quidam volunt ferè tertiam esse Galliarum partem, & ab obliquis Ligeris aquis, qui maxima ex parte eam alluit, ac penè in orbem circumdat, ita nuncupatam. A Circio habet Oceanum, qui Aquitanicus sinus dicitur: ab Occasu Hispanias: à Septentrione & Oriente Lugdunensem prouinciam: ab Euro & Meridie Narbonensem. Riuulis & fluminibus piscosis, solo fœcundissimo, pascuis pecorum vberrimis, vinetis nectareis, nemoribus copiosis, magna fructuum abundantiâ celebris: auri, argenti, aliorúmque metallorum ferax, vectigalium prouentu opulenta: sed præ aliis Prouinciis voluptatum omnium luxuriæ dedita. denique viris fortibus, bellicosis, & ferocibus instructa. Habet ea, præter castra & loca munita, vrbes XIIII. prægrandes, eásque populosas & celeberrimas: è quibus duæ sunt Metropoles, vna Burdegalensis, magnis semper viris conspicua: altera Bituricensis, cuius tum Archiepiscopus fuit S. Austregisilus, & beatus Sulpicius Archidiaconus, Austregisili in Episcopatu successor. In quorum parœcia per id tempus REMACLVS in hanc lucem editus est, patre ALBVTIO, MATRINA matre qui ambo pro seculi dignitate, & opibus, & generis nobilitate pollebant. Testantur id magnæ possessiones eius tam nostræ, quàm vestro Monasterio, siue ab ipso, siue à maioribus eius, vel etiam à Regia sublimitate donatæ.

Cap. 2. Educatus verò est bonæ indolis puer Remaclus sub beato *Sulpicio*, in cuius honorem constat ab eodem sancto viro postea permultas in nostra diœcesi Ecclesias dicatas. Vbi autem adoleuit, & prout ea ferebat ætas, totius integritatis & probitatis fructus protulit, beato ELIGIO commendatus est, viro inter eius ætatis homines meritorum gratiâ facilè primo. Is verò in So-

A lenniacensi Monasterio, quod ipse in suo fundo construebat, eum sacris monasticæ disciplinæ institutionibus exactè imbuit. Deinde curam gregis sibi commissi in eum transtulit, suas ei vices demandans, eúmque sibi substituens. Compellebatur enim redire ad Palatium Regis, & suam ei operam nauare. Postea verò longè latéque sparsa est fama sanctitatis vitæ eius, & ad ipsos etiam Aulæ Proceres peruenit. In Aula Regis promulgatur, tantum virum Regis præsentiæ deesse non debere, vt eius prudentiâ Regni negocia disponantur, cuius tam illustria meritorum insignia cernerentur. Euocatur ergo, vt par erat, honorificè, atque in Regis Palatium introducitur, magno deinceps omnibus solatio futurus. DAGOBERTVS I.

Per idem fermè tempus beatus IOHANNES Tungrensium vel Traiectensium Ecclesiam feliciter gubernans, hominem exuit. Porro inclytus Rex DAGOBERTVS, qui patri Clotario in Monarchia successit, beatum Amandum, qui ad prædicandum, vt tum moris erat, factus fuerat Episcopus, ad se accersierat: & quia cum iniuria eum expulerat, ab illo ob quædam facinora reprehensus, nitebatur arctiùs illum deuincire sibi per SIGEBERTI filij sui baptismum, atque in Traiectensi eum cathedra collocare. Et ille quidem vir sanctus per triennium vicos & castra perlustrans, verbum vitæ disseminauit: sed nihil se proficere cernens, ad loca alia, vt priùs fecerat, sese prædicandi causâ contulit. Incompertum verò est quanto tempore plebs Traiectensis tum sine Pastore permanserit, donec SIGEBERTVM pater Regem Austrasianis dedit, & in Mediomatricum vrbe sedem habere voluit. Ei verò Traiectenses ex communi Sacerdotum electione, magnatum multa frequentia, & omnium ordinum postulatione, eiusmodi preces offerunt. Neminem ipsis, nisi beatum Remaclum Episcopum, præfici debere. Quod ei Rex annuit. Cap. 9.

B

Per id tempus SIGEBERTVS Rex loca diuino cultui mancipanda, in quibus non erant locis, cum ingenti animi deuotione condebat: condita vel à se, vel superiorum temporum Regibus, benignissima largitate & opibus sustentabat, atque ne debitus Deo cultus illic negligeretur, tam beati REMACLI, quàm ceterorum Sacerdotum vigilantiâ curabat. Cap. 10. SIGEBERTVS III.

In eo loco, quem Casæcongidunum vocant, ad Sesmarum fluuium, idem Rex Procerum consilio in honorem Apostolorum Petri & Pauli atque Iohannis Cœnobium condidit, quòd aptus videretur is locus Monachorum habitationi & instituto: idque sua liberalitate ditauit, egregios Dei seruos in illud adduxit, quorum beatum Remaclum voluit esse prouisorem, atque etiam magistrum & institutorem, vt ex eo discerent conuenienter sanctorum Patrum traditioni viuere. Extat hodiéque locus orationis, eius opera in rupe excisus, in quo etiamnum malè habentibus præstantur beneficia curationum. Sed cùm non haberet Rex in propinquo, vnde posset is locus dilatari, beatus vir accessit Regem, eíque dixit: Celsitudinem tuam, inclyte Princeps, admonendam censui, quòd cùm multa " passim tua munificentia Dei & Sanctorum eius cultui dicata sint Monasteria, so- " la ARDVENNA, in arduis sita montibus, nulla adhuc Cœnobia obtinet. Iubeat " igitur serenitas tua etiam illic nonnulla ædificari. aderit volenti ex Dei benigni- " tate facultas, & nostræ Sedis vicinitas non deerit. Nec verò difficile erit ea auge- " re & instruere rebus necessariis, cùm loca omnia illi adiacentia tuæ ditioni sub- " esse dubium non sit. Ad hæc ita Rex respondit: Tuum est, Pater beatissime, no- " bis hac in re consilium dare. nostrum erit, tuo consilio accommodare consensum, " & maturè illud exequi. Tu igitur huius rei curam suscipe, & in opus incumbe. nos " loca opportuna, quæ tu elegeris, & impensas tibi non negabimus. Deinde conuo- " cauit Rex fideles viros, sanctum CVNIBERTVM Episcopum, Atetlanum, Theodefridum, & Gislochardum, Episcopos: Optimates quoque suos, GRIMOALDVM Maiorem Domus, FOLCOALDVM, BOBONEM: itémque domesticos suos, CLODVLPHVM, ANSIGISILVM, & Berselanum. iisque dixit: Ex vo- " luntate Dei, & vestro ceterorúmque nobis fidelium consensu, duo statuimus con- " dere Monasteria intra fines Arduennæ, in quibus degant viri religiosi, Monasti- " cæ vitæ cultores, qui pro nostra & successorum nostrorum incolumitate, & totius " Regni stabilitate & tranquillitate, atque eorum, qui curis Regni distinentur, " conseruatione, Deum omnipotentem deprecentur. Eius verò rei procuratorem " & hortatorem Remaclum Episcopum ipsi operi præesse volumus. Cap. 11.

C

SIGEBERTVS III. Cap. 12. Itaque regia auctoritate & necessariis comitibus munitus sanctus Episcopus, Arduennam siluam paludibus & montibus impeditam petit. Vuarchinnam riuulum accedit, inuenit illic certa indicia, loca illa quondam idololatriæ fuisse mancipata. Erant illic lapides, Dianæ & id genus portentosis nominibus inscripti, vel effigies eorum habentes: fontes etiam, hominum quidem vsibus apti, sed gentilismi erroribus polluti, atque ob id etiamnum dæmonum infestationi obnoxij. Igitur adhibita adiuratione per Christi nomen, & sanctæ Crucis signo expresso, locum illum à dæmonum incursatione vindicauit, & expiauit. móxque aqua ab ipso suo meatu guttatim dilapsa euanuit. Videns autem vir sanctus locum illum tum piscosis aquis, tum pascuis vberrimis commodam præbere habitationem, prolixè super fontem precatus, eum benedixit, lapidi signum Crucis insculpsit, plumbum in foramina infundens. Et ecce subitò erumpunt aquæ largissimæ, quovsque in præsens dictis nostris fidem faciunt eas cernentibus. Et quia locum illum à malorum spirituum infestatione mundauerat, MALMVNDARIVM, quasi à malo mundatum, placuit eum appellare. Extruxit autem illic Oratorium, itémque habitacula in vsus seruorum Dei: auxitque ea, quæ ad Dei cultum spectarent.

Cap. 13. Sed cùm is locus in Agrippinensi parrochia situs esset, Cœnobium suscepit construendum, quod suæ diœcesis limitibus contineretur. Procedens igitur indè quasi ad duo milliaria versus Occidentem, Callam riuulum, qui parochiis conterminus est, transiit, & ad Amblauam fluuium in cuiusdam montis confinio substitit: atque ibi aliquamdiu commoratus, multa de se sanctæ conuersationis exempla dedit, quemadmodum possunt qui volunt nosse ab incolis id referentibus. Etsi autem locus ille multos haberet fontes, tamen quòd angustus esset, nec officinis necessariis sufficeret, ad Orientem reflectit gressus: parumpérque procedens, videt locum spatiosiorem, futuróque operi accommodatiorem. Ibi ergo labori cœpit instare attentiùs, aderátque illi, vt in talibus solet, diuina virtus: qua factum est, vt voluntatem effectus sequeretur. Porrò quòd feræ eò vndique ceu ad stabulum vel potûs, vel pastûs causa confluerent, antiquitus *ille locus* STABVLAVS dictus fuit. Quod nomen vir sanctus minimè censuit immutandum, sed & dici & esse voluit stabulum fidelium animarum, eò tanquam ad æternæ vitæ pascua deinceps properaturarum.-- ⁝

Cap. 14. Postea institutis operum præfectis, quid *agerent* exposuit, atque ita Tungros vel Traiectum se recipiens, ad Pastoralis *officij curas animum* intendit. Non multò post Rex ea didicit constructa Monasteria, & immensas omnipotenti *Deo* gratias egit. Et quia Ecclesiæ recens ædificatæ Episcopali benedictione indigebant, beatum Remaclum accersiens, tam eam, quæ erat Coloniensis parœciæ, annuente venerabili Cuniberto Episcopo, quàm illam, quæ nostræ diœcesis est, ab eo voluit solemniter consecrari: vt cuius dispositione & ingenti studio conditæ erant, eius etiam operâ Pontificali benedictione afficerentur. Nec verò ad has res vir sanctus vllas moras attulit: qui sanè & Regi & Proceribus adeò charus erat, tantæque apud eos existimationis, vt nihil quod magni esset momenti absque eius consilio fieret. Atque ea causâ, Missarum peractis solemniis, vtrumque Monasterium GRIMOALDVS Maior Domus illius tradidit solertiæ & industriæ gubernandum: simul indicans ei, si qua essent Monachis necessaria, ea Regem suppeditaturum, vbi per ipsum de iis certior esset factus.-- ⁝

Cap. 20. Porrò autem crescente religione, creuêre etiam Ecclesiæ illius prouentus. *Vbi* enim Rex SIGEBERTVS eum audiuit Fratrum feruorem erga Christi cultum, beatum Remaclum euocans, præter ea quæ priùs dederat, & vir illustrissimus GRIMOALDVS obtinuerat, vnde etiam hactenus Fratres vixerant, ex *consensu* fidelium suorum, tam Episcoporum, quàm Procerum suprà dictorum, *in honorem* Dei & cultum sanctorum Petri & Pauli Apostolorum, & beati *Martini*, quibus ea loca dicata erant, permisit beato Remaclo, vt in vsus seruorum Dei, quô deinceps quietiùs viuerent, & absque vicinorum impressione soli Deo liberiùs vacarent, per vtriusque Monasterij circuitum duodecim leucæ designarentur, intra quarum limites quicquid haberetur, ab solis vtriusque Cœnobij colonis excoleretur. Dicitur autem leuca apud Gallos, spatium mille quingentorum passuum, id est, duodecim stadiorum. Eam donationem Testamento confirmatam, & annuli Regij impressione consignatam, sanctus vir libenter accepit, & reuerenter

A conseruauit. Deinde anno XIV. regni sui idem Rex Testamento legauit beato Remaclo quædam in Aquitania, puta telonium in portu Vetraria ad fluuios Taunacum & Ittam: itémque portum Sellis, & Vogatium ad flumen Ligerim, cum omnibus ad eum attinentibus. Quod quidem testatur Præceptum, eius manu subsignatum: Sancta, inquit, ac venerabilia Monasteria, Stabulaus siue Malmundarium cognominata, vbi vir venerabilis REMACLVS Episcopus & Abba, Christo auspice, præesse videtur, quæ vir illustris GRIMOALDVS Maior Domus in honore sancti Petri ac sancti Pauli, vel sancti Martini, seu ceterorum Sanctorum suo opere in vasta eremi Ardennensis construxit, quemadmodum nos loca ipsa ad ipsa Monasteria ædificanda pro nostra præceptione ex foreste nostra concessimus. quæ licet gratiâ Christi sint ditata, mundanam tamen substantiam cernuntur parumper habere. Ideò diuina inspiratione commoniti, decreuimus aliquantulum de fisco nostro ad ipsa Monasteria respicere & consolari. & cetera quæ in eodem Præcepto sequuntur. Denique ex fiscis, quæ Monasteriis illis adiacent, decimas illi dedit, quas etiamnum ea Monasteria obtinent. SIGEBERTVS III.

Post hæc Rex ille, cùm Austrasiæ Regnum præclarè rexisset, diem clausit extremum. Porrò GRIMOALDVS Maior Domus, siue Præfectus Palatij, sub prætextu munerum accipiendorum, à CLODOVEO fratre Sigeberti Parisius euocatus, illic retentus est: quòd filium domini sui SIGEBERTI, quem in suam fidem susceperat, vt eum patri in Regno substitueret, Clericum effecisset, siue totondisset, suum filium Regem volens constituere. Clodoueo quoque defuncto, CLOTHARIVS filius eius in Occidente, frater Clotharij CHILDERICVS in Austrasia regnarunt. Hunc ergo beatus Remaclus adiit, & quod patruus ipsi donasset, vt confirmaret, petiit. Rex libens annuit, & vt vir Dei petierat, eius successorem THEODARDVM, & ODONEM Domesticum, iussit eiusdem mensuræ solum remetiri: cuius partem dimidiam sibi Rex seruauit, reliquam vsibus seruorum Dei Testamento addixit, & confirmauit. Obiit verò etiam Clotharius Rex, & ad Childericum Monarchia deuoluta est. At ille postea propter morum insolentiam interfectus, fratrem THEODORICVM habuit in Occiduis Regni partibus successorem, cui Maior Domus fuit EBROINVS. Horum tyrannidem auersati Austrasiani, PIPINO Principi studebant, & parebant. Is vbi didicit, in supradictis Monasteriis cultum Religionis augeri, duas ex fiscis suis villas in vsus mensæ seruorum Dei, vnam in Hasbanio, alteram in Arduenna, pro Dei & sancti Remacli amore, attribuit.-- ⁝ Cap. IX. CHILDERICVS II.

B

Ex Vita Ms. sancti Amandi Episcopi, ab eius æquali conscripta.

AMANDVS igitur sanctissimus atque religiosissimus, Aquitaniæ partibus haud procul à maris Oceani littore ex Christianis atque inclytis parentibus editus puer est. Pater eius SERENVS nomine, genitrix verò Amantia vocabatur. Sed cùm iam adolescentiam transiens in robur migraret virile, & immodicis desideriis in Christi flagraret amore, patriam parentésque relinquens, Oiam insulam, quæ à littore Oceani maris XL. distat millibus, felici nauigans cursu, tandem portum Monasterij petiit, ibique à fratribus spiritalibus cum magno receptus est gaudio.-- ⁝ Deinde relicto solo parentibúsque, Turonos ad sepulcrum sanctissimi petiit Martini, vbi comam capitis sui abscidit, adeptúsque Clericatus honorem, omnem gratiam transcendebat in Clero. Post hæc verò ab Abbate ipsius loci, & à fratribus benedictione percepta, ciuitatem Biturigas ad sanctum petiit Austregisilum, qui tunc in Dei rebus magnificus atque insignis habebatur. Cúmque ab eo & ab eius Archidiacone, sanctissimo videlicet Sulpicio, qui postea Episcopus claruit, clementissimè fuisset susceptus, omni ei humanitate exhibita, Cellulam iuxta Ecclesiam in superiori ciuitatis muro construi fecerunt. In qua Cellula multis diebus ob amorem æternæ vitæ cilicio tectus & cinere, ieiunio attritus est atque inediâ.-- ⁝

C

CVM verò loca vel dioceses ob animarum solicitudinem vir Domini circumiret Amandus, audiuit pagum esse quendam præter fluenta Scaldi fluuij, cui vocabulum est Gandauum. Cuius loci habitatores iniquitas diaboli eo circumquaque laqueis vehementer irretiuit, vt incolæ terræ illius relicto Deo arbores &

DAGOBERTVS I. ligna pro Deo colerent, atque fana vel idola adorarent. Propter ferocitatem enim gentis illius, vel ob terræ infœcunditatem, omnes Sacerdotes à prædicatione loci illius se substraxerant, & nemo audebat in eodem loco verbum annunciare Domini. Quo audito, vir sanctus magis eorum miseratus errorem, quàm de vitæ suæ periculo pertimescens, AICHARIVM Episcopum, qui tunc Nouiomensis vrbis cathedram præsidebat Sacerdotalem, adiit: cúmque humiliter postulauit vt ad Regem DAGOBERTVM quantociùs pergeret, Epistolásque ex iussu illius acciperet, vt si quis se non sponte per baptismi lauacrum regenerare voluisset, coactus à Rege sacro ablueretur baptismate. Quod ita factum est. Percepta namque à Rege potestate, & benedictione à Pontifice, illuc vir Domini Amandus perrexit intrepidè. -- ∴ A

Illud etiam operæprecium huic scedulæ annectendum putauimus, quòd viro venerabili Presbytero nomine Bono narrante didicimus, qui testabatur se præsentem fuisse, quando hæc gesta res est. Aiebat namque, quòd Comes quidam ex genere Francorum cognomine DOTTO, congregata non minima multitudine Francorum in vrbe Tornaco, vt erat illi iniunctum, ad dirimendas resederat actiones. Tum subitò à lictoribus ante eum præsentatus est quidam reus, quem omnis turba acclamabat dignum esse morte. Erat namque isdem fur, plagis iam crudeliter affectus, vehementérque cæsus, corpore etiam semiuiuus. Cúmque præfatus Dotto decreuisset, vt eum patibulo deberent affigi, vir Domini Amandus adueniens, obnixa prece postulare cœpit, vt ei vitam concedere dignaretur. Sed vt erat sæuus, nihil apud eum obtinere potuit. -- ∴ B

Interea DAGOBERTVS Rex amori mulierum plus quàm oportebat deditus, omníque spurcitiâ libidinis inflammatus, sobolem minimè videbatur habere. Sed tandem ad Domini confugit auxilium, deprecabatúrque sedulò, vt ei filium dare dignaretur, qui post eum Regni sui gubernaret sceptra. quod ita dante Deo factum est. Cúmque sibi nunciatum fuisset, quòd ei Dominus filium dare dignatus esset, magno mox repletus gaudio cogitare cœpit, cui ipsum puerum traderet, qui eum sacro baptismate regenerare deberet. Statimque accersitis ministris, vt sanctum perquirerent AMANDVM, sagaci intentione præcepit. Nam dudum ipse Pontifex, dum pro capitalibus criminibus, (quod nullus ex Sacerdotibus facere ausus est) ipsum redargueret Regem, in furore accensus, iubente eo, non absque iniuria de Regno eius fuerat expulsus. Ille verò remotiora perquirens loca, verbum Dei gentibus prædicabat. Cúmque à ministris tandem fuisset repertus, & vt ad Regem ire deberet admonitus, memorans illud Apostoli præceptum, Potestatibus sublimioribus se subdi debere, tandem peruenit ad Regem, qui in illis diebus in villa, cui vocabulum Clipiaco est, morabatur. Visóque Rex beatissimo Amando, magno repletus est gaudio, prostratúsque beati viri pedibus, deprecabatur vt tanto sceleri, quod in eum perpetrauerat, veniam largiri dignaretur. Sed ille, vt erat mitissimus, atque supra modum patiens, citiùs eum eleuauit à terra, facinúsque in se perpetratum clementissimè indulsit. Tunc Rex ad sanctum ait C
» Amandum: Pœnitet me valde quòd stultè aduersus te egerim. Precor igitur ne
» memineris iniuriæ, quam tibi irrogaui, atque preci meæ, quam summoperè po-
» stulo, ne dedigneris annuere. Dedit mihi Dominus filium, non meis præceden-
» tibus meritis, precórque vt eum sacro digneris abluere baptismate, atque in fi-
» lium tibi spiritalem suscipere. Quod vir Domini vehementer renuens, scilicet sciens esse scriptum, Militantem Deo non oportere implicari secularibus negociis, & quietum atque remotum Palatia non debere frequentare regia, è conspectu Regis abscessit. Statim igitur Rex misit ad eum virum illustrem DADONEM, atque cum eo venerabilem virum ELIGIVM, qui tunc in Palatio Regis sub seculari degebant habitu: quos tamen postea egregios Sacerdotes, atque præclaros in meritis, signis quoque atque virtutibus fuisse plurimis compertum est. Hi verò humiliter virum Dei petierunt, vt precibus Regis daret assensum, atque filium ipsius sacro dignaretur diluere fonte, & vt eum enutrire, atque lege imbuere diuina quantociùs assentiret. Dicentes quòd si hoc vir Dei non renueret, per hanc familiaritatem liberiùs in Regno ipsius, vel vbicúmque eligeret, haberet licentiam prædicandi: seu nationes quamplures per hanc gratiam se posse conquirere fatebuntur. Tandem fatigatus precibus amborum, facturum se esse promisit.

A Audiens autem Rex, quòd precibus suis sanctus non renueret Amandus, statim ipsum puerum afferri præcepit, qui fatebatur non plus à natiuitate habere, quàm dies circiter quadraginta. Accepit igitur vir sanctus manibus puerum, & benedicens eum catechumenum fecit. Cúmque finita oratione nemo ex circumstante multitudine respondisset, *Amen*: aperuit Dominus os pueri, atque audientibus cunctis clara voce respondit, *Amen*. Statimque eum regenerans sacro baptismate, impositóque nomine SIGEBERTO, Regem atque omnem eius exercitum sanctus Amandus magno repleuit gaudio. His ita gestis, adueniente obitus sui die Treiectensium Episcopus feliciter migrauit ad Dominum. Rex igitur huius viri venerabilis comperiens obitum, sanctum accersire fecit Amandum: congregatáque multitudine Sacerdotum, populíque turba non modica, ad regendam Treiectensium Ecclesiam eum præposuit.-- ⁝ DAGOBERTVS I.

Nec multò post, cùm à fratribus, quos ob animarum curam per diuersa reliquerat loca, rogaretur vt eos præsentiâ suâ visitaret, & vt verbi sacri pabulo reficere dignaretur: tandem prece accepta peruenit ad eos, audiuitque ab eis gentem quandam, quam Vacceiam appellauit antiquitas, quæ nunc vulgò nuncupatur VVASCONIA, nimio errore deceptam, ita vt auguriis, vel omni errori dedita, idola etiam pro Deo coleret. Quæ gens erga Pyrenæos saltus per aspera atque inaccessibilia diffusa erat loca, fretáque agilitate pugnandi frequenter fines occupabat Francorum. Vir autem Domini Amandus eorum miseratus errorem, B enixè elaborare cœpit, vt eos à diaboli reuocaret seruicio.-- ⁝

VIR sanctus Domini Amandus HILDERICVM adiit Regem, eúmque humiliter postulauit, quatinus ei aliquod municipium ad construendum Monasterium non ambitionis gratiâ, sed ob animarum salutem largiri dignaretur. Deditque præfatus Rex ei locum nuncupante Nanto, in quo vir Domini sagaci intentione cœpit ædificare Cœnobium. MVMMVLVS autem quidam Ozidinsis vrbis Antistes valdè ferebat molestè, quòd isdem vir Domini eundem locum impetrauerat à Rege.-- ⁝

Ex suppletione, quæ addita est Libello Vitæ sancti Amandi à Milone Monacho & Sacerdote.

PRÆLATO libello de virtutibus sancti edito, sciendum est quantus vir idem, & cuius honoris apud homines habitus est, licèt ipse declinare honores mundi semper desideraret. Nam Reges & Reginæ, pluresque illustres viri, ei venerationem & gratiam plurimam impendere studuerunt, & de facultatibus suis viuo adhuc illum in corpore manentem non modicè ditauerunt. Villas quoque & prædia, ac proprias hereditates, cognoscentes eum seruum esse Domini, fidelissima deuotione ei se conferre gaudebant. Vbi ipse vir Domini Amandus sagacissima industriâ fidelibus viris, & Christo sincerè desiderantibus militare, Monasteria C construendo, studiosissimè elaborabat. Nam Monasterium, quod dicitur Blandinium, in castro Gandauo situm, aliúdque quod vocatur Marcianas, necnon & illud cui ipse sanctus vir Lotosa nomen imposuit, seu Ronace, quod est præfato penè contiguum: Cellulámque, quæ nuncupatur Barisiacus *, quem locum cum adiacentibus sibi appendiciis illic HILDERICVS Rex, & HYMNECHILDIS Regina, visi sunt condonasse. Cuncta hæc ab ipso Dei viro ædificata fuisse penè omnibus notum est. In quibus locis Fratribus vel Monachis sub regulari norma constitutis, superpositisque Abbatibus, & omnibus benè ordinatis: ad postremum HELNONE Cœnobio ædificato, ipse ibidem cum suis vsque ad sanctissimi obitus diem Christo feliciter militauit.-- ⁝

* leg. vid. Karisiacus,

Ex Vita Ms. sanctæ Salabergæ Abbatissæ, quam ad Omotarium Papam, Anstrudem Abbatissam, & Salabertam, scripsit Auctor coætaneus.

SALABERGA in suburbano Leucorum oppido, territorio Lingonico confini, secundum seculi dignitatem clarissima, parentibus non infimis, ac in seruicio Dei per omnia deuotis, extitit oriunda. Sed quantum illustrior vel nobilior natalibus,

DAGOBERTVS I. adeò irnutriendi cura fuit parentibus sollicitior. Nam cùm illo in tempore Gens A BAICARIORVM, quam Orosius vir eruditissimus, & Historiarum cognitor, Boias prisco vocabulo appellat, in extrema Germania sita, Bonosiaca esset infecta errore, venerabilis vir EVSTASIVS Abbas, diuino vtpote instigatus spiritu, ex Luxouio Monasterio in Vosago saltu sito, quem vir famâ laudabilis, & sanctitate pollens Columbanus, peregrinus ex Hibernia aduenìens, ex munificentia CHILDEBERTI Regis summo studio & labore construxit, præfatam gentem aggressus, eam ab errore reuocauit.-- :·

Denique remeans ex Baicariis idem vir egregius, post Germaniæ Belgicæque laboriosum callem, tandem peruenit ad quendam virum illustrissimum, opibus & diuitiis opulentum, famâque secundum seculi dignitatem præclarum, & Aulicis Regiis aptum, nomine GVNDOINVM. Qui eo tempore manebat apud villam quandam Mosam nomine, ob amnem in eo loco defluentem sic appellatam: qui amnis ex Lingonicis finibus fontem sumens, post multos anfractus, crebrósque terræ circuitus, Reni velocissimi fluminis in se fluenta ex parte recipiens, Oceano barbarico latè ingeritur.

Viso igitur Gunduinus venerabili viro, velut gratissimum munus suscepit. Tunc cœpit idem vir Dei sciscitari, vtrum eidem viro illustri Francorum orto natalibus soboles adesset. Vir verò industrius Gunduinus, cum coniuge sua SARETRVDA, eleganti forma & nobili femina, duos bonæ indolis adolescentulos, ob benedictionis percepturam gratiam præsentauit. Quorum senior LEV- B DINVS*, cognomento BODO, iunior verò FVLCVLFVS, qui & ipse alio vocabulo BODO dicebatur. Sciscitatur denuò vir Dei, si adhuc proles superesset. Ad quem illi fatentur se habere puellam germanam, licèt ætate præferentem, » sed dudum luminibus orbatam. Ad quos vir Deo plenus ait: Veniat, quæso, ip» sa, & nostris præsentetur obtutibus. Triduano igitur à semetipso exacto ieiunio, super oculos puellæ oleum benedictionis vir Dei effudit. Mirum dictu! mox puella sanitatem pristinam, Christi gratiâ opitulante, consecuta est.-- :·

*al. LEVDVINVS.

Interea cùm ad perfectæ ætatis venisset annos, parentes eius cùm vidissent puellam gliscentem, moribúsque ornatam, de liberorum successione cogitantes, contra puellæ voluntatem eam cuidam viro generositate pollenti RICRANNO nomine in matrimonio tradiderunt. Qui vix eam duobus mensibus iure matrimonij habens, humanis rebus exemptus, vitâ priuatus est.

His ita transactis, Eustasius ad Luxouium regressus est. Deinde ad VVarascos, qui partem Sequanorum Prouinciæ & Duuij amnis fluenta ex vtraque ripa incolunt, pergit. Qui & ipsi eodem Bonosij Foteníque maculati errore, æuo iam senes tabescebant. Ad quos vir Dei veniens, eos ad sanctæ Ecclesiæ gremium reuocauit. Sed paulò post vita beata functus, migrauit ad Dominum. In cuius locum beatæ recordationis VVALBERTVS in regimine Fratrum subuectus est.- :·

Prudentissima verò femina SALABERGA, cùm per biennium iam viduata re- C sideret, licèt sub laico habitu degens, decreuit animo, vt ad sacrarum Virginum Cœnobium, quod venerandus vir ROMARICVS ex Palatio magnificè conuersus, per exhortationem & solamen beati Eustasij in Vosago construxerat, latebram fugæ expeteret. Fecissétque satis votis, si sexus non fuisset impedimentum, & Regia non irretissent obstacula.

Per idem tempus Francorum sceptra Regníque gubernacula DAGOBERTVS regebat. Vir in primis acer ingenio, & Principatu clarus. Et non solùm ob fidei iura sibi subiectis, verumetiam exterorum, vicinarúmque gentium famâ metuendus. Metuens autem præfatus Gunduinus, ne ob filiam iram Regis sæuitiámque incurreret, eam à calle, quò ire sponte decreuerat, pedetentim retraxit. Iam enim opinio eius ad aures regias peruenerat. Morabatur denique hisdem temporibus in Aula prædicti Principis vir quidam strenuus, consiliis Regiis gratus, inter suos famâ celeber nomine BLANDINVS, qui cognomentum BASO acceperat. qui vtpote & ipse ex Sicambrorum prosapiâ spectabili ortus est. Mox prædictam SADLABERGAM, non eius sponte, quia iamdudum diuinis præceptis se implicare vouerat, licèt inuitis parentibus, Regio tamen iussu, ob liberorum procreandorum causam, prædictus vir ad suum adsciuit coniugium.-- :·

Concepit autem, & peperit filiam, cui ex auiæ vocabulo SARETRVDÆ

nomen

A nomen indidit. Rursus edidit aliam filiam, quam EBANEM nuncupauit. Deinceps verò genuit filiam tertiam, ipsámque baptismi gratiâ regeneratam ANSTRVDEM appellauit: quæ in cura & regimine sororum processu temporis cuncta annuente caterua successit. Quæ hactenus, Christo auspice, diuinis pollens priuilegiis nunc superest. Vnum etiam edidit liberum, qui & ipse baptismi gratiâ à Sacerdotibus consecratus, EVSTASIVM nomen tradiderunt: qui & infra pueriles annos defunctus est. Quintum verò bonæ indolis edidit prolem, nomine BALDOENVM, quem & ipsum iuxta priores omnipotenti Deo sacrauit.-- ⁞· DAGOBERTVS I.

Denique auctore Deo omnem spem suam post Deum beato viro VValberto, cuius superiùs mentionem fecimus, committens, viro conuerso, prolibúsque Deo sacratis, Religionis veste accepta, inito cum eodē beato VValberto consilio, conuenientiâ existente mariti, Cœnobium puellarum in suburbio Lingonicæ vrbis, in hereditate vel successione paterna conatur extruere. Ad quod opus peragendum venerabilis VValbertus solamen, artificésque ac viros industrios præbuit, atque commisit. Qui locus licèt Austrasiorum finibus immineret, vicinus tamen Burgundiæ erat, distans à Luxouio Monasterio paulò minus millibus quadraginta. Ibique adunatis centum seu amplius tam ex nobilium liberis, quàm ex proprio officio puellis, illum Christo Domino dicauit. Sed cùm iam pars maxima fabricæ Monasterij instructa esset, cœpit famula Christi præsaga, vt pote spiritu Dei repleta, sagaci cum viro trutinare animo, non esse in eodem loco puellarum Cœnobium tuB tum, nihilque stabilitatis habere munitionisque locum. Nam licèt barbaries procul abesset, Regum tamen limitibus hinc indè admixtis, periculi indicium futuris temporibus erat, quod periculum nos deinceps vidimus. Denique nuper ciuile bellum inter Reges Francorum THEODERICVM & DAGOBERTVM* circa illos fines est actum, loca vicina quoque depopulata, agri, villæ, ædes, & ipsa, quod grauius est, Sanctorum corpora, igne sunt cremata. Vnde liquidò patet, diuino eam spiritu fuisse imbutam, quæ pridem anticipauit discrimen.

*leg. vid. CHILDERICVM, qui fuit Austrasiorum Rex, ac Theoderici ipsius frater.

Consilio igitur adepto cum præfato VValberto Abbate, qui ingenio & vigore sagaci, & naturæ bonæ in talibus rebus præditus erat, quem postea & comitem itineris, & socium laboris habuit, relinquens patriæ solum, paternásque sedes, malens cum Christo egere, quàm tot pati discrimina cum vitæ dispendio, ad vrbem LVGDVNI cum maximo apparatu, & cum animabus à Deo sibi commissis, proficiscitur. Quæ vrbs licèt obsidione vallari ab hostibus possit, tamen naturâ loci, & in cacumine saxi sita, munitionem robustam obtinuit: vt frangi nequeat à barbaris, periculo careat. Nam cùm eam VVandali, Alani, Huni, ceteræque Germaniæ & Scithiæ gentes frustra vallassent, nulla aggerum arte imminente, non fundibalorum iaculis, non armorum spiculis iacientibus, nec arietum impulsionibus obtinere valuerunt: sed casso labore frustrati, inertes recesserunt. Excepto enim murorum ambitu, in proceritatem collis extenditur, intrinsecus ipsius muri circuitus humo coæquantur. Vnde fit, vt machinarum ars ibi nulla queat oppidum faC tigare, sed & altrinsecus saxa naturalia ambiunt. Vrbs infra referta puteis, ad ipsos quoque portarum exitus fontes manant perhennes, qui vsui hominum, pecorum, ac iumentorum potum dant.

Igitur cùm iam ad illuminandam vrbem veluti solis radius veneranda femina cum suis sequacibus sanctis appropinquasset, Præsul oppidi illius ATTILO cum summo fauore ei obuiam pergit, tanquam si diuinum munus Angelicáque turba venisset: & ouans sanctas famulas Christi cum choro psallentium, cum psalmodia, & hymnidicis summisque laudibus deducit in vrbem.-- ⁞· Denique contemplatâ conditione loci, cernentésque idoneum ac gratissimum, & absque discrimine, munitionis locum, cœperunt fundamenta Ecclesiarum atque domorum iacere. Quibus peractis, ac prosperè gestis, cœperunt ad laudes Dei omnipotentis Domini nostri Iesu Christi nobilium soboles seruiciúmque concurrere.- ⁞· Inter ceteras autem nobilium Sicambrorum feminas, ODILA nobilitate & ingenij naturâ boni pollens, quæ & ipsa pridem à venerabili VValberto Christiani vigoris insigne ac salubre acceperat antidotum, consilio accepto cum regali viro illustri BODONE, quem superiùs LEVDINVM prædiximus, qui in eo tempore industrius & potens erat, postposita faleramenta mundi, ad Dominum sunt conuersi: résque suas Monasteriis collectas, post beatam Sadlabergam eundem callem tenentes, Lugdu-

DAGOBERTVS I. num properauerunt. Bodo incisa cæsarie, Monachi, inquantum res sinebat, agebat officium. At non multò post Tulli oppidi adeptus Episcopatum, non multò post naturæ debitum reddidit. Veneranda quoque Odila Christi scemate suscepto, sanctarum Virginum se choro coniungens, sub obedientiæ tenore vitam beatam degens, spiritum cui omnia debentur reddidit. A

Ex Vita Ms. sancti Philiberti Abbatis, quæ imperante domno Coschino Gemmeticensium Patre scripta fuit.

Cap. 2. SANCTVS igitur PHILIBERTVS Helisano territorio ortus, seculari prudentiâ non indoctus, vndique iuxta morem gentis strenuus, vrbe VICO-IVLII est nutritus: ea de causa maximè, quòd genitorem ipsius PHILIBAVDVM obtentu regio munere, laicali administratione cessante, ciues loci illius expetissent Pontificem. Qui cùm prædictum adolescētem bonæ indolis florere cerneret, eum Regi DAGOBERTO commendare studuit, qui inter reliquos Francorum Reges fortissimus fuit. Tunc ille nobilitatis lampade fulgens, consortium indeptus est AVDOENI Optimatis, qui sub aureo balteo Deum valde diligens, inter reliquos Regni Proceres valde habebatur illustris. Et præfulgentibus vitæ meritis cathedram subiit Rodomagensium ciuitatis, & nunc virtutum signis fulgorante radio coruscat in terris.-- :·

Cap. 4. Agnito igitur quodam Dei milite AGILVM nomine, qui præerat Cœnobio Rasbacensi, quod sanctus Audoenus cum suis consortibus in propria construxerat tellure, & ipsum virum Dei ibi instituerat de Monasterio Luxouiensium Patrem, quicquid habere potuit in eleemosynam erogauit. Nec quicquam exindè amicis vel parentibus gratis aliquid tribuit, sed totum ac si regalia negocia sibi credita cautè & fideliter dispensauit. Cúmque ad prædictum Cœnobium peruenisset, beatus Agilus illum gratanter recepit. Ibique vir Domini Philibertus comam deposuit, ac iugum Christi suaue & onus leue suscepit. Tantóque Religionis culmine excreuit, vt viris perfectioribus imitabilis fieret.-- :· B

Cap. 8. Igitur cùm beatus Agilus obisset in Domino, Fratrum concordante consensu, vir Domini Philibertus suscepit regiminis locum.-- :·

Cap. 11. Sed cùm diuina virtus lumen illius super candelabrum vellet constitui, vt lampas sanctitatis eius longè latéque fulgorante radio deberet splendere, posuit in corde viri sanctissimi, vt ex proprio labore deberet Monasterium fabricari. Tunc à Rege Francorum CLODOVEO nomine, atque eius Regina vocabulo BALDECHILDE, locum in pago Rodomagensi, quem vetusto vocabulo GEMMETICVM antiquitas consueuerat nuncupare, obtinens suggestione supplici, nobile ibidem Cœnobium visus est extruxisse. C

Cap. 12. Verè digna ethymologiâ nominis GEMMETICVM nuncupatum, qui diuerso vernat decore more gemmarum. Hinc frondium coma siluestris, hinc multiplices arborum fruges: illinc placet vberrima tellus, istinc virentia prata graminibus. Hinc hortorum odoriferi flores, hinc vinearum abundant botriones. Quique turgentibus gemmis, lucentibus rutilant in falernis. Cincta vndique aquis miratur inclyta cespes. Pastui pecorum congrua fundens frugem lactiferam. Diuersis venatibus apta, auium canora melodiâ. Sequana parte trina, millia girat ter quina. Bis quaterno stadio, quod non in ictus pristinos vergit cursum. Vnum tantummodò commeantibus dans ingressum. Nunc ascendens mare eructat, nunc ad sinum rediens aquarum impetus manat. Compendia nauium, commercia plurimorum: nihil penè indigens quicquid ministretur vehiculis pedestribus & equinis, plaustris etiam atque ratibus. Ibidem castrum condiderunt antiqui. Ibi adstant in acie nobilia castra Dei.-- :·

Cap. 18. Cùm igitur virorum increuisset in Monasterio multitudo, aliud construxit Cœnobium PAVLIACVM nomine, decem millibus à Gemmetico sequestratum. Vbi sanctarum congregauit multitudinem feminarum, quas sub Religionis norma pro viri Dei obedientia gubernabat mater prudentissima, orta nobili parentela, vocabulo AVSTROBERTA. Sed & multa Monasteria per eius exemplum sunt constructa in Neustria.-- :·

Cap. 19. Sed cùm pestifer HEBROINVS, qui à Francorum genere pro nimia crudelitate de Palatino honore fuerat pulsus, comâ detonsâ, Clericus Luxouium ingres-

A sus, apostata factus, spiritu malignitatis armatus, cœpisset rabidis dentibus super nobiles, Sacerdotes, & Francos, atque consentientibus plurimis contra mandatum Dei recepisset locum honoris, sanctus ad eum Philibertus abiit, & prædicationis verba impendit. Cúmque ei ille dare munera magna vellet, vir Dei cuncta respuens, ait apostatam eum esse, nec Christianum hominem cum eo participare debere, existimans quòd potuisset hoc facto per acumen ferri palmam martyrij obtinere. Sed seruauit illum Dominus ad multorum profectum, qui per eum vocandi erant ad regnum cœlorum. -- ⁝ Per litteras beati Audoeni Pontificis adiit ad ANSOALDVM virum nobilem Pictauorum Pontificem, ob Monasterij gratiam construendi. Illis itaque diebus in seculi potentia nimium fulgebat Ansoaldus, qui cognoscens virum Dei culmine sanctitatis erectum, in eius se consiliis commendauit ex integro, & sub Religionis norma Episcopalem cœpit inclinare potentiam. Cúmque eum vellet secum retinere in vrbe, & sanctus Philibertus semper desideraret heremi vastitatem, largiente Domino HERO maris insulâ locauit Cœnobium: Ansoaldus opere & eleemosynæ largitate, Philibertus religione, doctrina, opere, & Monachorum congerie. In quem locum de gemmato fauo Gemmetici diuina mella perrexerunt cum animarum examine. Quem Apostolicus vir Ansoaldus de rebus propriis ditauit muneribus magnis, acta commutatione villarum cum Ecclesia Pictauensi. DAGOBERTVS I.

Interim cùm sanctus Philibertus, ne cum Hebroino communionem iungeret, in Neustriam redire non vellet, sanctus Audoenus cùm in loco illius vellet Abbatem constituere, & Monachi fortissimi absque permissu Rectoris sui nullatenus ad consensum potuissent minis ac terroribus vel blandiciis flecti, quidam miser homunculus vocabulo Chrodobertus, cuius filium in seculo sanctus Philibertus de sacris susceperat fontibus, & ipse postea promissa obedientiâ eius extiterat monachus, contra iustitiæ modulum ipsum Monasterium suscepit ad regendum. Eadem namque die damnationis ictu percussus in pede, tantùm est cruciatus acerbissima peste, vt illo viuente ossa ipsi deciderent, & miserabilem vitam miserrima morte finiret. Sed cùm in loco huius RAGETRAMNVS Archidiaconus fuisset à beato Audoeno Antistite subrogatus, inuento loco Abrincatinæ Ecclesiæ cathedram est prælatus, atque HEBROINVS apostata interfectus. -- ⁝ Deinde beatus vir rediit Gemmeticum. -- ⁝ Cap. 20. B

Eodem igitur tempore Princeps Palatij GVARATO nomine in Caltiuo territorio oppidum tradidit ad Monasterium Virginum construendum, VILLARE vocabulo, vbi vsque hodie Religionis norma fulget in loco. Regressus verò beatus Philibertus Pictauo territorio ad supradictum Pontificem Ansoaldum, magno receptus est cum gaudio. Perrexit QVINCIACO Monasterio, quod & ipsum nobili est constructum in loco. Vnde isdem Sacerdos veteribus deturbatis erroribus ipsum impleuerat Monachis, vbi Christus iugiter per famulos conlaudatur in Sanctis. Ibique accepto consilio, vnum de discipulis suis electum Aicadrum nomine, virum idoneum, direxit Gemmeticum, vt ipse pastorali officio illius subrogaretur in loco. Ipse verò Herum reuersus est in insulam, & Quinciacum Monasterium alteri de suis Monachis tradidit ad regendum. -- ⁝ C

Ex Vita sanctæ Austrebertæ Virginis, primæ Abbatissæ Pauliacensis.

POSTQVAM vniuersalis Dominus humanæ salutis auctor pariter ac redemptor, Gallorum feralia suæ ditioni subiugauit colla, quartus à CLODOVEO, qui primus Christianæ Religionis normam, beato Remigio tradente, suscepit, DAGOBERTVS gloriosus Princeps, nobilitate clarus, potentiâ præpotens, armis strenuus, Regi Regum Christo satis deuotus, Regni Francorum, Deo sibi suffragante, suscepit habenas. Cuius tempore velut palma in Galliis sancta mater refloruit Ecclesia, diuersis sanctorum Sacerdotum Monachorúmque virtutibus adornata, ac Deo dicatarum Virginum. Inter quos velut sidus ceteris micantius vir Domini PHILIBERTVS, Monachorum egregius Pastor, Cœnobiorum nobilis fundator, in saltu Gemmeticensi, ex prædicti Regis Dagoberti largitione, Monasterium à primo lapide fundauit, construxit, ac Deo famulantium Monachorum nobili congregatione ornauit. Qua etiam tempestate eius bonitatis fama succrescente, largitione cuiusdã illustris viri nomine AMALBERTI, in fundo, qui Pau- Apud Surium Tom. 1.

DAGOBERTVS I. liacus nuncupatur, aliud Cœnobium struxit, distans à præfato Gemmeticensi millibus fermè decem, vbi ancillarum Dei haud paruam congregationem adunauit. A

Erat eodem tempore in Palatio sæpedicti Principis DAGOBERTI vir honestate vitæ valde venerabilis, moribus honestus, sapientiâ clarus, consilio prouidus, priorum Regum ex prosapia oriundus, officio etiam, vt fertur, Comes Palatinus, nomine BADEFRIDVS. Hic accepit vxorem Alemannorum Regis ex prosapia, nomine FRAMEHILDEM. Erat verò elegans & ipsa facie, sed nimirum elegantior sanctitate. His ergo parentibus in Taruanensi territorio exorta est illa puellarum gloria, vocitata AVSTREBERTHA, priùs à Deo prælecta, quàm in matris alueo concepta.-- :·

Procedente igitur tempore, cùm parentes eius, arrhabone pro amore seculi recepto, tempus præfinitum, & diem statuissent nuptiarum, illa in angustiis posita, iter furtim arripuit. Veniénsque ad flumen, quod dicitur Quantia, vbi pons erat, eo trânsmisso, properauit ad virum sanctum AVDOMARVM nomine, Taruanensis vrbis Pontificem. A quo sacro velamine consecrari petiit, & obtinuit.- :· Aliquando ergo cùm in domo parentum commorata fuisset, cœpit implorare matrem & fratres, vt Monasterium posset ingredi, & sanctis virginibus sociari, sub potestate scilicet alterius victura. Quod illi benignè assentientes, non solùm abeundi liberam ei tribuunt potestatem, verùm etiam cum ea pergentes, ad Monasterium vsque perducunt. Est autem ipsum Monasterium super fluuium, qui dicitur Somma, constructum. nominatur autem Poreus. Ibique præerat spiritualis mater nomine BVRGOFLEDIS. Quæ suscepit eam in filiam, ceterisque sororibus aggregauit.-- :· B

Erat illis temporibus vir vitæ valde venerabilis, Philibertus nomine, cuius suprà meminimus. Qui rogatus à quodam viro potentissimo nomine Amalberto, eo quòd illo in tempore eius opera atque doctrina in fide & religione erant spectata, & singularis ab omnibus habebatur, Monasterium, quod in fundo proprio, qui Pauliacus dicebatur, idem Amalbertus construxerat, filiámque suam paruulam, quæ AVREA dicebatur, cum aliis Deo sacratis Christo inibi seruire deuouerat, ad regendum suscepit. Et licèt vir Dei lectione frequenti easdem Dei ancillas instrueret, prædicatione sancta doceret: tamen quia necessitas exposcebat, vt talibus rudimentis ab eodem sexu regularis disciplinæ norma inhæreret, prædictus Dei famulus, audita iam famâ famulæ Christi Austreberthæ, nuncios ad eam mittere studuit, duos videlicet ex Monachis suis, vt ad hunc locum venire deberet.-- :· Beata itaque Austrebertha duabus sororibus secum adhibitis, perrexit cum homine Dei, à quo curam in eodem loco illico suscepit. Rexit autem idem Cœnobium per plura curricula annorum.-- :·

Ex Vita sancti Richarij Presbyteri, quam stilo simpliciori digestam Alcuinus petente Angilberto Abbate Centulensi cultiùs annotauit. C

Extat inter Opera Alcuini, & apud Surium.

TEMPORIBVS gloriosissimi Regis Francorum DAGOBERTI, qui & seculari potestate præclarus, & Christiana Religione nobilis effulsit, & Optimates suos dignitatibus exaltauit, & seruos Dei honoribus excoluit: in illis, inquam, diebus plurima vbique Monasteria à sanctis Patribus cœperunt construi, necnon & multi ex laico habitu viri religiosi inuenti sunt. Ex quibus RICHARIVS quidam natus in villa Centula prouinciæ Pontiuæ velut lucifer inter vmbras oriens emicuit, non tam nobilibus iuxta seculum parentibus ortus, quàm moribus honestus, & omni probitate deuotissimus.-- :·

Quodam tempore Rex potentissimus DAGOBERTVS, rogante viro illustri GISLEMARO, easdem venire in partes, & virum Dei, vt se sacrosanctis eius orationibus commendaret, inuisere contigit. Quem ipse famulus Dei & sanctitatis suæ benedictione roborauit, & sacerdotali auctoritate libera voce castigauit.-- :· Qua castigatione Rex, vt fuit sapientissimus, benignè suscepta, gaudens eius libera veritatis fiduciâ, Sacerdotem Christi secum ad conuiuium venire rogauit. Cuius constantiâ morum, & instantiâ prædicationis præfatus Rex delectatus, cœpit eum ex animo amare, & honore prosequi: intantùm vt ea ipsa die aliquid de censu suo ad luminaria Domus Dei condonaret. -- :· Porro Gislemarus vir illustris, & Christianæ Religionis deuotus amator, simul & MAVRONTVS nobi-

A Iis quidam vir, & terrarum vel siluarum ad Regem pertinentium seruator, præbuerunt ei locum manendi in silua Crisciacensi. Qui & ipse Maurontus postea, seculari habitu deposito, Monachus factus est in eodem loco. Cúmque viro Dei mansionem solitariam præparasset, Christo Monasterium construere inchoauit.-- ⁝ DAGOBERTVS I.

Ex Vita sancti Iudoci Confessoris, per Florentium Abbatem scripta.

IPSE namque eximius Christi Confessor IVDOCVS, de illustri procedens genealogia RIOVALI, qui principabatur in transmarina siue maiori Britannia, quæ modò dicitur Anglia, & postmodum in copiosa nauium multitudine ac manu valida exteriorem sibi subiecit Britanniam. Filius fuit IVTHAELI Regis Britonum, habuitque fratrem maiorem natu beatum IVDICHAELVM, qui regnauit post patrem ipsorum Iuthaelum. Isti duo fratres, Iudichaelus videlicet & Iudocus, contemporanei fuerunt DAGOBERTI Regis Francorum, cum quo post graues adinuicem inimicitias, pacificatus est in Palatio Clippiaco amicus Dei Rex Britonum Iudichaelus, magnisque honoratus muneribus ab ipso Rege Dagoberto. Rogatus tamen à Dagoberto, vt pranderet cum eo, voluntati eius & voto nō acquieuit regio: sed eligens mensam Dadonis, qui & Audoenus, postmodum Rothomagensis Episcopi, eius dignatus est interesse conuiuio: malens inter B diuersa fercula sacris eruditionibus ipsius informari, quàm ex superfluis exeniorum diuersitatibus in mensa regia fastidium sibi generari. *Apud Surium Tom. VI.*

Regressus consequenter vir Dei IVDICHAELVS Rex in Britanniam, & Regnum relinquere præmeditatus & patriam, ac vitam ducere monasticam, fratrem suum iuniorem se, beatum scilicet IVDOCVM, conueniri fecit de suscipienda Regni gubernatione, vt in suo permanere posset proposito, & Monachorum fratrum cohabitatione. Frater autem eius beatus Iudocus non minùs eo feruens in diuina dilectione, induciis deliberandi per octo dies à Rege fratre suo vix impetratis: die noctúque anxia cogitare cœpit intentione, quomodo relinquere posset, immò effugere & Regnum & patriam, ac fratris sui qui regnabat declinare maleuolentiam. Ipso igitur in Monasterio Lammailmon *, in quo literas didicerat, moram faciente, & orationi frequentiùs hac de causa incumbente, contigit per illud Monasterium XI. peregrinos præterire, prætendentes quòd Romam vellent proficisci. Hos itaque insecutus secretò, & eis associatus, venit Parisius. Verùm vtrum cum eis vlteriùs progrederetur in dubio positus, consilium tandem à Spiritu sancto, qui gressus eius dirigebat, in omnibus vtile consecutus, ab itinere tantùm frequentato à populis, & à strata declinauit publica: dimissisque sibi à Deo transmissis itineris comitibus, ad Pontiui festinauit confinia, quæ antiquis plena nemoribus, deserta erant & inuia.-- ⁝

Ex Vita sanctæ Rictrudis Martianensis, quam Hugbaldus Monachus Elnonensis ad Stephanum Episcopum Cameracensem scripsit.

C RICTRVDIS deuota Christi ancilla patrem habuit ERNOLDVM virum nobilem, & LICHIAM genitricem ex bellicosa Vasconum gente. Quæ gens licèt ea tempestate magna ex parte dæmonum cultui esset addicta, attamen à Deo electa Rictrudis sic ab illis impiis traxit originem, quemadmodum è spinis nascitur rosa. Fuit autem temporibus CLOTHARII Regis, qui à Magno CLODOVEO quartus fuit, atque etiam huius Clotharij filij DAGOBERTI inclyti, qui à beatissimo ARNVLPHO Metensium Episcopo institutus, dignus & industriâ & viribus fuit, qui vnà cum patre regnaret, eíque in Regno succederet. Habuit autem Dagobertus fratrem ARIBERTVM, non tamen germanum. Ei attribuit vrbes & pagos citra Ligerim flumen, & vsque ad Pyrenæos saltus: sapienti videlicet vsus consilio: pactúsque ab eo, nequid vnquam paterni Regni ab eo repeteret. Itaque Aribertus Tolosanam obtinens sedem, cùm in Aquitania regnaret, non diu post totam Vasconiam sibi subegit. *Apud Surium Tom. III.*

At DAGOBERTVS in administrando Regno præclarus, vni vicio subiacuit, immodico deditus amori mulierum. Vnde accidit, vt legitima coniuge sua ob sterilitatem repudiata, alteram sibi copularit. Cúmque id flagitium in eo Pontifices, imprimis autem vir sanctissimus & mirabilium operum patrator Præsul Amandus

DAGOBERTVS I.

reprehenderet: ille indignatione & fastu regio incitatus, eundem venerabilem A Antistitem non absque iniuria è suo Regno eiecit. Ille verò pro Christi veritate persecutionem patientissimè ferens, diuersis in locis diuini verbi sparsit semina, atque tandem etiam in Vasconiam Rictrudis patriam peruenit, vt cœlitus infuso sibi lumine eius regionis gentem illustraret.

Interea autem Dagobertus Rex, cùm non haberet filium, qui ipsi in Regno succederet, ea causâ mœrens non mediocriter, tertiam sibi asciuit vxorem. Atque tum demum conuersus ad Deum, multorúmque expetens preces, & largas præstans eleemosynas, eodem anno ex illa coniuge sustulit filium.-- ⁝·

Cùm verò per id tempus Franci crebrò commearent in Vasconiam, RICTRVDIS puella bonæ indolis, ad nubiles iam perducta annos, conspicitur, amatur, atque appetitur à Franco quodam ADALBALDO, præclaris & iustis orto natalibus: cuius mater GEREBERTA filia fuit sanctæ GERTRVDIS, in Monasterio, quod Hamaticum dicitur, quiescentis, quod ipsa construxerat. Fuerátque is Adalbaldus à puero optimis institutus disciplinis, multisque pollebat opibus & fundis, nec vulgarem gratiæ locum in Regis Aula obtinebat: dignus planè vir, qui Rictrudem haberet coniugem, cui etiam iuxta morem desponsa, & matrimonij lege sociata fuit.-- ⁝· Nati quoque eis sunt filij, & in iis primogenitus MAVRONTVS, postea Abbas & Leuita factus, & tres filiæ, sanctæ virgines: CLOTSENDIS post obitum matris eius Monasterij moderatrix, EVSEBIA bona Dei cultrix, & ADALSENDIS. Maurontus patrem spiritualem habuit venerabilem Sacerdotem Richarium, qui per sacrum baptisma eum Christo regenerauit. Clotsendem egregius Pontifex Amandus & sacris manibus è fonte salutari suscepit, atque in omnibus Deo dignam reddidit. Eusebiam MATHILDIS* Regina, Dagoberti coniunx, ex sacro fonte suscepit. B

*NANTILDIS

Accidit autem vt Adalbaldus à pago Austrebatensi, vbi multæ ei erant possessiones, in Vasconiam triste suis iter susciperet. Prosequebatur euntem aliquò vsque beata Rictrudis, sed iussa citò domum se recipit mœrens, quasi iam animo præsagiret imminens malum. Ecce autem malignorum hominum, quos aiunt fuisse quibus illud coniugium displicuerat, vir pius insidiis appetitur, vulneratur, perimitur. Citò autem tristissimæ rei nuncius perfertur ad Christi famulam Rictrudem, quæ postea velum à sancto Amando consecratum sibi imposuit.--- ⁝· Porro locum, vbi spiritalibus daret exercitiis operam, cum *consilio* & auxilio sæpè dicti Antistitis Amandi, valde sibi congruum delegit, nempè Monasterium, quod MARTIANAS vocant, ab eodem Antistite ad fluuium Scarbum exædificatum. Cui disponendo & constituendo vir sanctus Abbatem præfecerat sanctum IOVATVM venerabilem virum. Et Amandus quidem Monachos illic haberi voluit, sed Iouatus Sanctimoniales ibi congregauit.-- ⁝·

Postquam autem MAVRONTVS ad viriles peruenit annos, cùm esset vir nobilis Regis lateri adhærebat, qui perpetuis eius officiis & ministeriis vtebatur.- ⁝· Sed factus postea Diaconus, illi muneri congrua viuendi ratione & optima conuersatione respondit. In Aula etiam Regis, quippe clara editus prosapiâ, præclarè functus est officio Regiorum conscribendorum Diplomatum, siue Edictorum. C Et vt ad sanctæ conuersationis eius cumulum non parum accederet, sancti AMATI Episcopi ei conuictus obtigit. Qui beatus vir, cùm Senonensis esset Episcopus, falsò apud THEODORICVM Regem insimulatus fuit, tanquam in Regem perfidiæ crimen admisisset. atque ea causa in Perona Monasterio in Veromanduorum oppido sito, cui tum sanctus Abbas Vltanus præerat, iussus est exul degere. Mortuo autem Vltano, traditus est Mauronto Abbati, vt is eum in custodia asseruaret in BROILO Monasterio, quod ipse nuper admodum construxerat in Lætiæ territorio.-- ⁝·

Interea Dei famula Gertrudis auia Adalbaldi, iam prouecta admodum ætate, & multis cumulata operibus bonis, in Hamatico Monasterio, quod ipsa ædificauerat, vbi etiam sacra virgo EVSEBIA eius proneptis educabatur, viam vniuersæ carnis ingressa est, cui in Monasterij regimine eadem Eusebia successit, bonæ quidem indolis puella, sed adhuc teneræ ætatis, vtpote duodennis.-- ⁝·

Postquam autem sanctum Episcopum & Monachum Amatum Dominus ab hoc exilio ad cœlestem patriam Idibus Septembris euocauit, sacrum eius corpus

A Maurontus in sua possessione tumulauit, omniáque prædia sua per Chartarum instrumenta tradidit.-- :·

Ex Vita Ms. sancti Sereni.

BEATVS athleta Christi SERENVS clarus ortus natalibus, patre videlicet Adriano, matre verò Serena, fertur fuisse territorij vrbis Metensis indigena. Quo tempore orta est non parua seditio illis in partibus ab exercitu inclyti DAGOBERTI ob rebelliones terræ ipsius aduersus eum. Quibus victis, captus est vir Deo plenus, atque in captiuitatem ductus. Quem, disponente Deo, emit Dux & Comes nobilissimus nomine BOSO quinque solid. qui tunc præerat cuidam parti terræ Galliarum, quem diligenter ac tenerè fouit. Sed non post multum tempus requisitus à matre diu est, atque repertus. Quo inuento, summa cum hilaritate cordis præfata matrona voluit quantumcumque placeret precij, vt caram reciperet sobolem, dare præfato Comiti. Quod sine aliqua dilatione impetrauit ab eo, prorsus gauisa nimium inde effecta.

Ex Vita Ms. sancti Martini Vertauensis Abbatis.

REX DAGOBERTVS Francorum & Romani populi Princeps, cùm multis & variis bellorum euentibus premeretur, de Cœnobiis Sanctorum multa abstulit, quæ suis militibus partitus est. Hoc autem vt præsumeret, persuasus est Centulfi B consilio, qui erat Princeps Aulicus, nimis callidus, & suasionis idoneus. Cui cùm Rex iussisset, vt consilij sui ipse executor foret, cœpit facultates sanctorum locorum inquirere, & medias tabulas fiscorum regalium inscribere. Quod exequens, cùm similia facturus Vertauum venisset, vbi nobilissima habebantur prædia, mediam eorum partem fisco addidit, & mediam Fratribus reliquit. Qui licèt dolerent, tamen quia his solis censura hæc non processerat, tacendum putauerunt.- :·

Postea idem Centulfus à beato Martino percussus, exta effudit, ac miserè periit.

Ex Vita Ms. sancti Geremari Flauiacensis.

TEMPORE DAGOBERTI Francorum Regis, cùm fideles Christi odium pro veritate incurrerent, & per Galliam à membris diaboli pro nomine Christi multa sustinerent, beatus GEREMARVS ad proterendam rabiem perfidorum, & ad corroborandam fidem Christianorum, villâ VVarandra, quæ sita est in confinio Beluacensium super fluuium Ittam, annuente Dei clementia ortus est. Genitor eius nomine Rigobertus, & genitrix illius nomine Aga ex gente Francorum nobili orta.-- :·

Hæc ita eo agente, audiuit famam sanctitatis eius atque prudentiæ Rex DAGO-C BERTVS, mitténsque nuncios accersiuit eum in Palatio suo. Et videns eum elegantem, & doctum in verbis, & sapientem in consiliis, præfecit eum suis consiliis. Cuius consilio, quamdiu acquieuit, tamdiu strenuè Francorum Regnum obtinuit.-- :·

Beatus autem Geremarus spiritu Dei plenus, omnia quæ in mundo sunt pro nihilo pendens, & cœlibem iam vitam desiderans, Cœnobiis Monachorum plurima de substantia sua tribuebat. Por consilium verò beati Audoeni de propria facultate fundauit Monasterium quod dicitur INSVLA: construxitque ibi omnia ædificia sanctæ Regulæ conuenientia. Ecclesiam ibidem construxit in honore Apostolorum Petri & Pauli, multorúmque Sanctorum reliquias ibi posuit. Constituit ibi congregationem Monachorum sub sancta conuersatione degentium. Præfecit ei ARCHARIVM Abbatem, magni meriti virum, cuius doctrinâ & sapientiâ cotidie grex Christi ad superna tenderet.-- :·

Cùm autem placuisset Domino, vt vita beati Geremari esset exemplum aliorum, misit ei in cor, vt cuncta derelinqueret, solíque se Deo ad seruiendum traderet: postquam ei talis voluntas cecidit in mentem, antequam vlli mortalium hoc confiteretur, adiens Regem, petiit ab eo, vt coram cunctis Principibus Francorum filio suo ALMABERTO cuncta quæ sui iuris erant traderet, eique coram

DAGOBERTVS I. cunctis Principibus Francis indifferenter donaret. Quod Rex audiens, valde mirari cœpit. Tandem petitioni eius libenter annuens, non solùm quod rogabat iuueni tribuit, sed insuper ei multa etiam auxit.-- :· A

DAGOBERTO mortuo, anno XI. regnante CLODOVEO Rege, correptus est beatus Geremarus in viam salutis æternæ. Videns ergo quoniam nihil in mundo perpetuæ mercedis animæ suæ acquirebat, sed magis detrimentum perpetuum sibi præparabat: adhortante eum Audoëno adiit Regem CLODOVEVM, petiitque ab eo, vt filio suo quod pater eius concessit concederet, & capitis comam ei deponere liceret, séque Deo in Monasterio ad seruiendum traderet. Permissione autem Regis, licèt abnegantibus Francis, tonsurauit eum beatus Audoënus, deditque ei Monachilem habitum: & instruens illum cœlestibus disciplinis, misit eum in Monasterium PENTALI vocabulo denominatum, in pago Rothomagensi super fluuium Lizizinum, vt ibi fuisset in obedientia Abbas & pastor ouium Christi, & illuminator animarum.-- :·

Erat autem quædam cripta in vasto solitudinis super fluuium Sequanam, vnde sanctus Samson serpentem eiecit. Hanc petebat, vt ad inhabitandum concederent. Relinquens autem Monasterium beato Audoëno, abiit ad prædictum locum. Dum autem illic moraretur, nuncius venit ei de filio suo ALMABERTO, quem in Palatio reliquerat. Rediens enim de Vasconia cum Rege, graui infirmitate percussus ægrotare cœpit, vnde morbo ingrauescente euadere non potuit. B Sed subripiente mortis articulo, vitam corporis amisit. Et quoniam carus erat Regi & Francis, delatus est vsque ad locum propriæ hereditatis. Cùm autem hoc ei nunciatum fuisset, pergens cum magno psallentium choro, peruenit in pagum VVlcassinum. Quem pertransiens, intrauit Beluacensem pagum, vbi iacebat filij corpus defunctum.- :·

Veniens verò ad locum, qui Baniacus pons dicitur, in eodem loco sic aggrauatum est corpus beati ALMABERTI, vt ab his qui eum portauerant non potuisset moueri.- :· Tunc beatus Geremarus in eodem loco Ecclesiam fieri præcepit in honore S. Iohannis, & XII. Monachos ibidem constituit. quorum vita esset salus sibi, & animæ filij. Vt verò sine indigentia viuerent, & Deo sine murmuratione seruirent, reliquit eis multas villas, scilicet propria prædia, per Chartarum monumenta. His ita promissis, statim inuentum est corpus tantæ leuitatis, vt ab vno homine potuisset portari. Mouentes indè peruenerunt ad prædictũ Monasterium, quod beatus Geremarus adhuc in seculo positus construxerat, vbi honorificè sepelierunt eum. Tunc beatus Geremarus hereditatem suam recepit, & Dominum Iesum Christum ex ea heredem fecit.- :· Deinde vnà cum omnibus sibi commissis ad locum, qui FLAVIACVS nuncupatur, ædificandum aduenit. Ædificauit ibi C Ecclesiam in honore sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, sanctæque Mariæ Virginis, & sancti Iohannis, sanctique Petri Apostolorum Principis. Et ibi totam hereditatem suam tradidit. Construxitque ibi omnia necessaria Monasticæ vitæ congrua.- :·

DE SIGEBERTO III. ET CLODOVEO II. DAGOBERTI FILIIS.

Apud Surium Tom. I.

Ex Vita sanctæ Gudilæ Virginis.

IGITVR SIGIBERTI Regis temporibus, qui fuit DAGOBERTI Regis filius, extitit quidam Comes VVITGERVS in pago Brabatensi probabilis moribus, cuius thalamis inhærebat coniux dignissima nomine AMELBERGA Maioris Domus inclita PIPINI sorore progenita. qui vterque diuinis parili modo obtemperabant monitis. Quibus verò in seculo piè degentibus sanctum & iustum contulit Dominus germen. Eodem namque germine sanctus extitit EMEBERTVS Cameracensium Præsul gloriosus, vitæ admirabilis, & meritis insignis.

A Cuius etiam extitêre sorores simili sanctitate probabiles, REMILDIS scilicet sanctissima, & PHARAHILDIS moribus egregia. Horum igitur genitricem tam felici iocunditate prolis pollentem, omnipotens Dominus adhuc futura fœcundauit prole dignissima. -- ∴ Orta est sanè beata Virgo GVDILA Brabatensium finibus, vt prædictum est, à parentibus tam religiosis quàm nobilibus, eo tempore quo beata Virgo GERTRVDIS vixit celeberrima in Dei rebus. Quæ & virginis regenerationi affuit non solùm, sed & eam manuum suarum mundicia sanctificauit, & de sacro fonte leuauit. Huius etiam sanctæ virginis neptes extitêre sorores ALDEGVNDIS atque VVADELTRVDIS vbertim bonorum operum flore fulgentes. -- ∴ Erat autem in confinio villa Morzella vocabulo, distans ab eorum mansione duorum milliariorum interstitio: in quo ædificatum fuerat Oratorium in honore sancti Saluatoris. Hunc locum diligens Dei virgo crebrò expetiit, remota à suis, vitans eis esse molestiæ in omnibus saltem modicis negociis, atque appetens vacare contemplationi solius diuinitatis. -- ∴ PIPINO seniore Monarchiam tunc Regni regente, VI. Idus Ianuarias, migrauit ad Christum. Sepulta est autem in villa Ham, quam hodie eo ipso vocabulo constat nominatam.

Ex Vita Ms. sancti Alani Confessoris.

B BEATVS ALANVS in pago Herbatilico non longè à littore Oceani Galliæ ab inclytis & Catholicis parentibus traxit originem. -- ∴ Impetrauit autem à Rege SIGIBERTO locum vnum in Gallia, qui dicitur VAVRVM, & ibi Cœnobium ædificauit. -- ∴

Ex Textu Ms. Aduentus corporis sancti Patris Benedicti apud Floriacum.

CVM Regni Francorum gubernacula adeptus esset CHLODOVEVS filius DAGOBERTI, qui vt erat vir nobilissimus, rerum administrationem publicarum miro callebat ingenio: Idem etiam Rex cùm egregiis polleret moribus, petitionibúsque iustis & seruitio Dei aptis assensum præbens, interpellatus est à bonæ memoriæ LEODEBODO Patre Monasterij sancti Aniani, quod est situm prope mœnia vrbis Aurelianæ, vt Monasterium Ordini Monastico congruens sibi liceret construere in agro Floriacensi, datis pro eodem agro mutua vicissitudine prædiis, quæ sibi à parentibus iure hereditario relicta possidebat. Namque isdem ager, Floriacensis scilicet, regalis tunc fiscus erat. Quibus auditis, Rex libentissimè eius precibus annuit, & desiderium illius, quod diu dilatione creuerat, compleri diiudicauit. Igitur ab vtrisque partibus mutuæ commutationes factæ sunt, memorato Abbate dante quod à genitoribus ei relictum C fuerat prædium, & Rege supradicto reciproca vicissitudine pro eo agellum quendam FLORIACVM cognominatum cum appendiciis suis haud longè à littore Ligeris. Quod Testamentum mutuæ vicissitudinis vsque hodie in archiuis publicis nostri reseruatur Monasterij. Prædictus autem vir Domini Leodebodus hoc negocio peracto, nequaquam oblitus sui destinationem desiderij, in supradicto agello cœpit ædificare habitationes vtiles Monachis. Quod opus, sagaci insistens industria, mirifico consummauit effectu. Ædificánsque Basilicam in honore sancti Petri, itémque aliam in honore sanctæ Mariæ, Domino dedicari voluit. Mox etiam vt præparata habitatio non inanis esset, atque sine habitatoribus, collegit ibidem quamplures Domino seruiendum sub norma Regulæ viuere paratos, patrémque & Abbatem his præfecit nomine MVMMOLVM. Qui quamdiu rebus humanis interfuit, vt idoneus Pastor gregis sibi commissi sollicitè curam exhibuit.

Ex Vita Ms. sancti Fursei Abbatis.

BEATISSIMVS FVRSEVS nauigans ex Scotia siue Hibernia venit in Galliam, statímque à Rege CLODOVEO, & Patricio ERCHENALDO hono-

CLODOVEVS II. rificè susceptus, data est ei à Rege licentia prouidendi omnem potestatem suam, A vt sibi condignum locum ad habitandum inueniret.-- ⁖

Cùm venisset beatus Furseus in pagum Pontiuum, in villa quæ dicitur Maior, audiuit planctum magnum in domo HAIMONIS Ducis, eò quòd filius eius vnicus esset defunctus.-- ⁖

Vir domini memoratus ERCHENALDVS audiens famam beati Fursei, obuiam ei perrexit, orans & postulans, vt veniret ad domum suam, ad Palatium Perronensis vici, & in sacrum baptisma filium suum poneret, & à fonte susciperet. Ipse autem annuit. -- ⁖ Princeps verò constituit tres domesticos suos, qui eum per diuersa loca deducerent, & vbicumque sua propria fuissent ei ministrarent, vt qualis locus eius amabilior fuisset, ad habitandum daretur. Qui & fecerunt. Sanctus verò Furseus è multis locis elegit Latiniacum, & expetiuit.-- ⁖

Post aliquod verò tempus vocatus Furseus veniens in possessionem nuncupatam Macerias, quam illi Haimo Dux dederat, ibi infirmitate corripitur, & obit.- ⁖ Audiens hoc illustris ERCHENALDVS, illuc cum turba plurima hostiliter perrexit. Qui veniens ad supradictum locum, HAIMONEM Ducem inuenit vigilantem, & custodientem corpus.-- ⁖ Quod cùm ad villam vocabulo Perronam duci curaret, ecce BERCHARIVS Dux Lugdunensis venit cum exercitu magno, cupiens rapere idem corpus beati Fursei vi. Cui ait Erchenaldus: Cur sic armatus „ venisti? Respondit Bercharius: Meus est legibus, quem ducis, eò quòd primus „ omnium in hac terra Dux fui, & omnem facultatem meam ad cultum amoris „ eius, & parentibus ipsius tradidi. Viuens noluit ad me venire, quòd tu non per- B „ misisti. Tamen obsecro, quatinus non meruissem illum viuum videre, vt saltem „ dimittas me corpus eius custodire.-- ⁖ Sed his dictis non obstantibus, duxerunt corpus ad Montem Cygnophij, qui Perrona nuncupatur. Sepelierúntque vbi ipse priùs multorum corpora Sanctorum condidit.-- ⁖ Crebrescentibus deinde miraculis, beatæ memoriæ ERCHENALDVS, & coniunx eius LEVTSINDIS, ædificauerunt ei Ecclesiam.

Ex Vita Ms. sancti Baboleni Abbatis, cuius Exemplar extat in Bibliotheca Monasterij sancti Germani de Pratis.

REGES Francorum & nobilitate præclaros generis, & bellorum eruditos exercitiis, Historia eorum prætitulata nomine apertè declarat. Qui postquam Christi nominis fidem suscipere meruerunt, victoriosi semper, Deo sibi fauente, contra rebelles extiterunt. Inter quos primus eorum Christianæ sectator Religionis Magnus CLODOVEVS dictus decenter emicuit. A quo cuncti deinceps Francorum Reges sacri baptismatis regeneratione à laqueis diaboli abstracti, Iesu Christi Domini nostri, cuius sanguine erant redempti, signo insigniti, perfectæ Religionis facti sunt cultores, atque sanctæ & indiuiduæ Trinitatis deuotissimi confessores. Post iam dictum verò CLODOVEVM, succedentibus in Regnum eius filiis, C eorum genealogia non decidit, sed per plurima annorum curricula, id est per octoginta quinque annos, Francorum Regnum peroptimè gubernauit: quo vsque ipsius Regni habenas CLODOVEVS suscepit secundus inclyti DAGOBERTI Regis filius, cuius genitor CLOTHARIVS Regum fortissimus est dictus. Hic ergo inclytus Francorum Rex Clodoueus non dispar suis extitit præcessoribus, quia deuotus Christi fidelium amator, sanctæque infra Galliam Ecclesiæ exaltator, atque fidelissimus fore non distulit defensor. Cùm itaque anno incarnati Verbi sexcentesimo quadragesimo tertio *, Indictione prima, post mortem sui genitoris iamdicti Dagoberti, Francorum Regnum suscepisset regendum; miro callebat ingenio, studebátque diligenti conamine, vt Regnum sibi à Deo commissum summo disponeret moderamine. Ipsius etenim temporibus plurima Cœnobia, præeunte Dei nutu & gratiâ, in Francorum Regno à Deo deuotis viris ædificata sunt atque constructa. Excellentia quoque Christianæ Religionis, atque vigor monastici Ordinis tam in perfectorum virorum sanctitate, quàm in deuotarum Deo Virginum effulsit copiosè.

In illis diebus erat quidam vir in omni religione diuina erga Deum deuotum animum habens, nobilis quidem secundum huius seculi honorem, sed longè no-

A bilior moribus & operibus, in prædicta vrbe gerens officium Archidiaconatus, nomine BLIDEGISILVS. Qui pro sua venerabili religione à suprà nominato Rege venerabatur, ac magno amoris studio, vt decebat, conseruabatur. Ab ERCHENALDO quoque, qui tunc Francorum Ducatui præerat, & omnia Palatina officia suo moderamine procurabat, honorabatur. A cunctis etiam Primatibus totius Regni magnopere diligebatur: vt pote qui propinquus & patrinus Regis dicebatur. Erat denique his diebus quoddam vetus castellum non longè distans, sed quasi quatuor miliariis, à mœnibus Parisiacæ vrbis, à Iulio quondam Cæsare nobiliter constructum, antiquorum gentilium mœniis, fossatúmque ac murorum propugnaculis circumcinctum, Materna fluuio permaximo telluris spatio sibi circumfluente firmatum, atque vallatum aquâ & muris vndique, vocitatum CASTRVM BAGAVDARVM ab antiquis, quod iam tunc locus dicebatur FOSSATENSIS. In huius insulæ spacio, velut in Regali quodam Palatio, tam securè & quietè accolæ illius morantur, vt absque Dei, nullius pauore terreantur. Hunc siquidem locum Blidegisilus prospiciens seruicio Domini aptum, meditabatur in secreto cordis, quomodo hoc suæ deuotionis secretum aliquo modo perducere valeret ad effectum. Enimuerò cordis eius erat voluntas, in honorem sanctorum Felicis & Quintini Martyrum, atque Confessoris Christi Germani, illic construere Ecclesiam. Salubriori verò reperto consilio, immutatur talis deuotio. Itaque locus ille

B sicut vsque hodie, ita & tunc Regalis erat fiscus. Ideò eius voluntas valdè impediebatur, nec vllo modo adimplere poterat quod ipsius menti Christi effectus immiserat. Tandem verò repletus consolatione sancti Spiritus paracliti, Regem CLODOVEVM supplex adiit, ac humiliter quod in eius arcano latebat innotuit. Rex, inquit, nobilissime, tui preces famuli suscipe, & quæ deuotè precor libenter annue. Exoro itaque tuam Celsitudinem, vt mihi digneris concedere castrum olim dictum Bagaudarum, cum omnibus adiacentiis sibi subditis cunctarum opportunitatum, sicuti à flumine Materna est circumplexum: quô desiderij mei affectum Christo auxiliante, & te solatium præbente, valeam complere. Cupio enim Ecclesiam in honore Dei ædificare, ac in veneratione perpetuæ Virginis Mariæ, quam sanctorum Petri & Pauli Principum Apostolorum nominibus & reliquiis volo dicare, Monachósque Christo Iesu famulantes inibi adunare, qui pro nostris erratibus Domini clementiam exorent assiduè, & pro totius populi à Deo vobis collati sospitate. Videns ergo Rex eius animi deuotionem, gratanter suscepit ipsius supplicationem, & conuocato iam dicto Duce ERCHENALDO venerabili, coram multis Optimatibus & Primatibus sui Regni, quæ à tanto expetebantur viro libentissimè contulit, eique respondit: Licèt hoc tua mereatur religio, tamen credimus quòd hoc tuo cordi superna immiserit dignatio: Ideò nostra illud tibi libenter concedit largitio, sciens quia non deerit cum Dei adiutorio nostrarũ opum regalis & larga suppeditatio. Quapropter quod iam Deo iuuante mente concepisti, absque retardatione opere non moreris exequi. Dei enim Sapientia, quæ per

C quendam Sapientem cor Regis in manu Dei esse protestatur, vt quocumque voluerit inclinet illud, ipsius cor sua iam ineffabili gratiâ perlustrauerat, eiúsque mentem inuisibili quadam potentia sibi subegerat. Hæc itaque agebantur primo regni sui anno, vt ante omnia secula Dei dispositum fuerat iudicio. Huic tanto negotio eius mater NANDECHILDIS nomine intererat, & cunctis quæ fiebant & quæ dicebantur, provt poterat, libens fauebat. Rex ergo CLODOVEVS virtute diuina motus regali more decreuit, scripto atque sigillo eandem quam nuperrimè incipiebant Ecclesiam, cum omni varenna, quam Maternæ girat fluuius, ab ingressu fossatuum præfati castelli veteris, ab aqua in aquam inrefragabiliter ab omni inquietudine cunctorum malorum perpetuò manere liberam atque securam. Quod regiæ dignitatis Priuilegium in eadem conseruatur Ecclesia vsque ad præsens illæsum.

Nec huic piget immittere paginæ, quis Episcopus tunc præsederit Parisius Episcopali Cathedræ, cuiúsue generis extiterit, aut quo vocatus nomine. Tunc temporis regebat Ecclesiam Parisiacam vir venerandus AVDOBERTVS. Qui die quadam, dum infra beatæ Mariæ Basilicam orandi causa oracula circuiret Sanctorum, repente ante cuiusdam sancti aram reperit S. BABOLENVM flentem & deprecantem Dominum. Quem intuitus humillimo Monachi habitu indutum, suspica-

CLODOVEVS II.

CLODOVEVS II. tus est esse Dei famulum, cúmque continuò ad se accersiuit, & his verbis allo- A
qui cœpit: Vnde, Pater, hanc nostram adisti patriam, aut quo loco Deo coo-
„ perante mortalem transigis vitam? Cui vir sanctus, mente vt erat humili, voce
„ respondit supplici: Sciat Dei sacer, tua caritas, à trans-Alpinis partibus me huc
„ aduenisse: sancti verò Patris Columbani edoctum doctrinâ & eruditione. Causâ
„ quoque peregrinandi veni ad hanc patriam, vt merear inuenire perpetuam. Tum
„ ammiratus Præsul tam sapienti eloquio, inquit illi continuo. Si Christo iuuante,
„ vt asseris, optas ducere laborem tuæ peregrinationis, obsecro vt hîc inhabitare
„ digneris, quo segetis tuæ fructus multorum proficiat animabus. Nam & ego sum
„ peregrinus, à transmarinis huc deuolutus partibus, & Regis Angliæ nomine
„ Choinualæ persecutionem cupiens euadere, Episcopatum vrbis reliqui propriæ,
„ & hanc Francorum patriam cum labore adiui olim mihi incognitam. Sed minimè
„ spreuit me gratia Dei, qui in se fidentibus consueuit misereri. Vt enim in manibus
„ tenes, vt præ oculis hodie habes, mihi Francorum Regis CLODOVEI subuenit
„ clementia, & super plebem dominicam ipsius Domini me exaltauit miseri-
„ cordia: vt qui quondam eram ignotus & aduena, nunc Pastor huius vrbis factus
„ sim eius nutu & gratiâ. Itaque tu, carissime, noli de Domini misericordia diffi-
„ dere. Sed iuxta Psalmistæ vocem, viriliter age, confortetur cor tuum, & Dominum
„ sustine. Non enim longè est ab his qui corde quærunt eum: sed propè est omnibus
„ in veritate inuocantibus, & voluntatem timentium se faciet, & deprecationem
„ eorum exaudiet. Hæc autem dicens, motus pietate, nec etiam à fletu poterat se B
„ cohibere, volens eum prorsus secum retinere. Audiens hæc Pater sanctus, eius co-
„ hortationibus animatus, respondit ei protinus: Pater sancte, tua me lætificat allo-
„ cutio, mitis & grata deprecatio. Quod hortaris faciendum est cum Dei adiutorio:
„ & quæ præcipis non sunt spernenda omninò. Tantum vt impleatur in me vo-
„ luntatis Dei miseratio. Hoc audiens Præsul sanctus, exultabat in Domino atten-
tiùs.

Denique sciens idem Præsul voluntatem jam dicti *Blidegisili Archidiaconi*,
„ conuocans eum ad se, talia depromit: Quoniam iam patuit nobis tuæ mentis de-
„ siderium in ædificando Cœnobio, loco qui dicitur ab antiquis Fossatum Bagau-
„ darum, inde congratulamur bonæ voluntati tuæ, & nos tui laboris participes
„ noueris fore; vt comparticipari mereamur requiei & gloriæ. Ad hoc verò opus
„ exercendum, & ad gregem Christi pascendum, scias quemdam virum nobis à
„ Deo missum, humilem & mansuetum, nomine Babolenum, omni sapientiâ com-
„ ptum, omni actu vtilissimum. Quod audiens Archidiaconus, lætus admodum ef-
fectus ardenti animo videre cupiebat eum, de quo illi à Præsule sermo fiebat.
Et multum diúque suspirans, atque oculos lacrimis præ gaudio madefaciens,
„ venerabili Episcopo respondit continuò: Fateor vsque nunc hanc dubietatem
„ cordis mei fuisse, hanc anxietatem meæ mentis extitisse, ne nobis deesset om-
„ ninò cui cura pastoralis imponeretur, siue quis dignus tali loco Pastor præfice- C
„ retur. Sed quoniam laboris nostri te diuina maiestas voluit fieri cooperato-
„ rem, & tibi ostendere dignata est super tanto negotio virum nobis vtilem, hunc
„ tua dilectio non moretur ad nostram adducere præsentiam. Hoc Præsul audito,
sanctum virum accersiuit ilico. Cúmque ante eos venisset, his verbis eum prior
„ affatur Episcopus: Quoniam ad hanc Deo volente venisti Prouinciam, & meo
„ precatu decreuisti finire in regione hac præsentem vitam, non tibi, vt suprà di-
„ xi, deerit Christi clementia; sed in omnibus comitabitur eius misericordia. Hic
„ enim, quem conspicis, ordine Archidiaconus, nobilitate carnis præcelsus, nomine
„ Blidegisilus, alloqui te cupit dulci affamine, & frui tua visione. Tum *illi Blide-
„ gisilus*: Te, pater, fama refert Christi seruum esse, te confitentur omnes benè
„ huc aduenisse. Quocirca & nos Deum benedicimus, qui huic patriæ tempore
„ nostro mittere dignatus est decus. Circa te verò quanta sit nostra deuotio, præ-
„ sens tibi patefaciet ratio. Nempe CLODOVEI Francorum Regis gratiâ fauente, su-
„ per Maternæ flumen Cœnobium cœpi construere: quod volo Deo iuuante tibi
„ committere, & Monachis Deo illic famulantibus te Patrem & pastorem præficere.
„ Ad hæc sanctus Domini ambobus respondit: Non affectu prælationis cuiuspiam ad
„ hanc sum delapsus patriam, qui Dei amore abnegaui propriam. Enimuero non
ideo

A ideo reieci propria, vt petam aliena. Nam, Abbas Bobiensis olim effectus, iuxta Euangelium renunciaui omnibus; licentia tamen fratrum & assensu Episcopi, & sic demum peregrinare cœpi. Cui illi: Si, vt astruis, peregrinus vis fieri, tibi proficies, & non alij. Et ideò timemus ne incurras sententiam illius serui, qui creditum sibi talentum abscondit, nec aliis impertiens duplicatum reportauit. Ne ergo æstimes ab optata paupertate longe fieri: si arrepta obedientiæ via insistas bono operi. Ille enim cui præficeris locus, videtur esse eremus. Hac ratione & consilio fultus, multisque precibus deuictus, tandem acquieuit vir sanctus.

Itaque die quadam simul ingressi tres viri beati, Præsul scilicet, & Archidiaconus, cum sancto Patre Baboleno, Aulam Regalem, Regis obtutibus eum præsentant. Cui inquiunt: En coram te, Rex, Christi seruus, en à Deo nobis missus. Huc vsque hæc lucerna latuit sub modio, sed Christus eam manifestauit nostro sæculo, vt nos illuminaret religionis radio. Disponat ergo tua iussio Regalis, ipsum præponi ouibus dominicis. Quod Rex CLODOVEVS audiens, & quæ de illo dicebantur vera esse considerans, ad eum inquit: Vt nobis videtur, Pater sancte, decet te gregem Christi regere. Ergo suscipe pastorale onus, quia ob hoc te misit Dominus. Et ne sit tibi contrarium, scias non deesse Domini auxilium, nec affluentiam opum regalium. Suscepit igitur ea die vir sanctus pastorale regimen, licèt inuitus. Tunc Rex eius animi videns deuotionem, dedit ad illam nouellæ plantationis Ecclesiam fiscum Regium nomine Brictonicum, B in prerippio Maternæ situm. Huic tam laudabili spectaculo intererat & nobilium multitudo: inter quos Aunobertus Senonum Archiepiscopus, & sæpefatus Parisiensis Audobertus, atque Maurinus Episcopus Beluacensis, Argundus quoque & Agomarus Præsules reuerendi. Cum quibus & Abbatum erat collegium, Caroandi, Heldoardi, & Carterici venerabilium. Iungebatur his multitudo plebis, nomen Domini super hoc laudantes. Adeptus itaque locum regiminis, cœpit virtutibus radiare, hospitalitatem sectari, zelo Dei succendi, domum sibi traditam strenuè gubernare, vitia radicitus amputare, Sanctorum quoque circuire Cœnobia sub sancti norma Columbani degentia, velut apis prudentissima; vt aliqua sibi retineret virtutum meliora studia. Sicque aromatibus virtutum sanctum iunioribus monstrabat exemplum.

Igitur vir sanctus insistens cœpto operi, Christo iuuante, & Blidegisilo viro venerabili, constructa est Ecclesia in honorem genitricis Dei & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, cum omnibus ædificiis congruentibus Monastico Ordini. Sed cogente loci angustia, ad Aquilonem omnia sunt constructa ædificia: quia ab Austro montis altitudine, à Borea verò artatur fluuij vicinitate. Idem verò locus ita est compositus, vt Monasticæ Religioni credatur à Deo dispositus. Caritas ibidem fulget mira, abstinentia maxima, humilitas summa, immensa parsimonia. Nulla secularis prorsus actio, nulla virorum ac mulierum penes illum cohabitatio. Illic manent qui Deo deseruiunt, nihil habentes proprium: sed tam remoti à C mundialibus, vt delectet viuere cum cœlestibus. Situs autem loci ipsius est tam remotus, vt ab ignorantibus putetur esse eremus. Nam Materna fluuio circumcinctus vnum tantummodo ingressum dat commeantibus. Spaciosa est insula, sed infœcunda. Latitudine tamen vel longitudine sui per duo fere milliaria videtur extendi. Licèt autem sabulosa & arenosa videatur esse, tritici tamen & vini est referta fertilitate. Ibidem castrum nobile condiderunt antiqui. Illic nunc astat in acie nobilis familia Dei, quæ suspirat iugiter desiderio cœlesti. Illic iacet Pater almus, de quo narrat noster textus. Sed ad castrum redeamus, vnde loqui cœperamus.

Cùm Iulius Cæsar totum Orbem Romano subiugasset Imperio, & nauali itinere ab vrbe Senonum vsque Meledunum castrum, indéque Parisius cum sibi familiaribus Romanis, vt ad Meldorum ciuitatem, siue ad reliquas vrbes adueniret, quæ aquarum fluminibus muniebantur, contigit eum transitum hinc habere, sicut in gestis Romanorum legitur. Et quia Romanis mos est, si in expeditione fuerint, non vltra progredi hyemis tempore, sed residendo ibidem vsque ad vernum tẽpus hyemare: dum illic iam dictus Cæsar ageret iter peruium, videns positionem locorum, aquæ & insularum animatus delectatione, & pulchritudine loci firmissimi, statuit inito consilio ibidem hyemare. Fixisque tentoriis illic idem castrum condidit,

CLODOVÆVS II.

murorum firmitatibus adornauit, profunditatibus quoque fossatuum, ac propugnaculis, & omni munitione firmissimè munire studuit. quod etiam Castrum Bagaudarum vocauit, nomine sumpto à custodibus, quos ibi deputauit. Vsque hodie etenim inueniuntur lapides magni optimo opere Romano quadrati, qui in fundamento ipsius ædificij tunc temporis fuerunt positi. Firmitas verò fluuij, quæ non hominis manu facta est, sed Dei virtute & gratia, ante secularia tempora ordinata, æstate & hyeme talis est & tanta, vt nec vadum nec transitum habeat nisi iuuamine pontis, aut remigio nauis. A parte siquidem Orientis, Meridie, & Septentrionis, ita illud idem fluuius circuit, vt cunctis illic commanentibus pro muro habeatur, & in illis impletum videatur quod in Exodo legitur: quia aquæ erant pro muro Israëlitis à dextris & sinistris. Ad Occidentis verò partem, quæ Parisius respicit vrbem, antiquis paganorum, de quibus iam diximus, operibus ex petrosa terra ædificatus extat murus firmissimus, cum altitudine magnorum fossatuum, qui ab aqua in aquam, id est à parte Meridiei vsque ad Septentrionis plagam protendi videtur. A

Historiographus autem Orosius in ipsa Historia, quam de ormesta mundi composuit, præscriptum castrum à Maximiano Herculio Imperatore soletenus euersum, ac prorsus destructum asserit. Ideò videlicet, quia Amandus & Helianus Christianæ cultores fidei nolebant Romanis Principibus sacrilegis subdi. Idem etenim Maximianus collecto exercitu Romanorum, iuncta sibi legione militum Thebeorum, appropiabat vt funditus destrueret castrum Bagaudarum. Qui iuga Alpium cum exercitu transiens, & circa Octodorum fessus residens, præcepit omnes ad fanatica sacrificia inuitare, & super sacra deorum iurare: quòd pari animo contra Bagaudarum turbas pugnarent. Ceteros verò Christianos alicubi repertos ab omnibus decreuit occidendos. Quod vbi ad aures peruenit Mauricij legionis Thebeæ Ducis, iubere scilicet Cæsarem eos contra Christianos pugnatum iri, sibi dixit imperanti: Nos pugnare contra impios scimus, sed debellare pios & conciues penitus ignoramus. Tenemus ecce arma, & non resistimus: quia mori magis quàm occidere parati sumus. Sicque percussoribus læti ceruices præbuerunt, atque per tormenta corporum ad cœli gloriam peruenire meruerunt. B

Tunc Cæsar indè progrediens, atque ad Bagaudarum castrum perueniens, tam diu obsidione illud terra & aqua circundedit, quousque post diuturna tempora illud cum habitatoribus cepit, quos ferro & igne occidit. Castrum verò ad nihilum ita redegit, vt penè absque ruinis fossatuum, nulla vestigia in eo apparerent quarumcumque munitionum: scilicet vt quod inter alia castra fuerat tumens munitione Imperiali excellentius, ab Imperatore vtique Romano destrueretur altiùs. Habitatores quoque eiusdem castri, quia erant, vt prælibati sumus, Christiani, spernentes pro Dei amore curam corporum, ad regna cœlestia transisse credendi sunt per martyrium. Et licèt de eorum vita vel passione scriptum non habeatur, tamen eorum memoria & nomina de libro vitæ minimè delebuntur. Hæc de situ & destructione castri breuiter diximus. Nunc ad propositæ rei ordinem redeamus. C

Igitur iam dictus Blidegisilus, vt Christi gratiam acquirere mereretur, sæpè nominatum castrum, & omnia testamenta à Rege sibi super eum tradita, sancto viro Baboleno & Fratribus illi subditis perpetuò tradidit habenda. Sed & multorum reliquiis Sanctorum ipsum exornare Cœnobium studuit, & cuncta bona quæ valuit tam per se quàm per alios largiendo contulit. Et sicut ipse in quodam suo scripto dicit, licèt hæc oblatio parua videatur maiestati, Deus tamen non quantitatem muneris, sed cor respicit offerentis. Audobertus denique Parisiacæ Episcopus Ecclesiæ, videns sanctissimum Babolenum ad alta virtutum conscendere, & de die in diem ad meliora proficere, nimio eum amplectebatur amore. Cùm ergo hi beati viri vinculis amoris se constringerent, atque adinuicem minimè disiungi vellent, contulit idem Præsul sancto Baboleno Priuilegium suæ auctoritatis: vt tam ipse quàm successores liberi & securi ab omni inquietudine tam Ecclesiasticorum quàm laicorum ibidem manere possent. Quòd si quisquam insaniâ plenus detestando moueatur, cur sanctus Pa-

A ter à sibi dilecto Præsule tale decretum susceperit, nouerit pro certo, sicut iam diximus, quòd eo rogante gratia peregrinationis in eodem loco resederit, & regali munere præfatum castrum ad construendum Cœnobium concessum ei fuerit. Si verò contra Patrum statuta eum fecisse causatur; legat Canones à sancto Bonifacio Cartaginensi Episcopo & aliis Episcopis factos, nec non eiusdem Sacerdotis epistolas ad Liberatum Episcopum missas, & inueniet quòd Monasteria in quibus regulariter viuitur, libera esse debent ab omni infestatione Episcoporum & Clericorum. Illud verò Priuilegium suæ manus conscriptione corroborauit, ac fratribus & consacerdotibus suis, videlicet Episcopis, qui in Regis Aula præsentes aderant, atque ad sanctam Synodum euocati fuerant, confirmandum tradidit. Primus igitur idem Episcopus Audobertus, deinde Gaudericus Lugdunensis, deinceps Annobertus Senonensis, Prestelendus quoque Bituricensis, dein Donatus Besentionensis, quatuor videlicet venerabiles Archiepiscopi, septeno Episcoporum numero iuncto sibi, quorum nomina vtique sunt in eodem Priuilegio scripta: sed præpediente inertia minimè sunt hîc inserta. Hi omnes eandem auctoritatem de libertate iam dicti loci, vt dictum est, confirmauerunt: & pari assensu propriis manibus coram Rege subscripserunt. Sed & Rex ipse fauens subscripsit, & suo monogrammate facto, anulo regali insigniri iussit. Acta sunt autem hæc in vrbe Parisius, Chlodoueo regnante; anno B quinto, Indictione quoque quinta, die mensis Maij xv. sub die Iduum Maiarum.

Interea accidit, vt Ecclesiæ sancti Vincentij Parisiensis Abbas nomine SIGEFRIDUS à Rege Francorum CLODOVEO ad Hispanias destinaretur pro quibusdam responsionibus. Qui Cæsaraugustæ retentus, & à Rege Hispaniæ carcere clausus, ab imposita sibi Legatione diutius cessauit coactus. Quod Francorum Rex vt audiuit, beato viro Baboleno Abbatiam beati Vincentij commisit. quam per octo semis annos admodum satis strenuè gubernauit. Ad quam cùm die quadam iturus per Parisius transiret, & in porta ciuitatis cum quibusdam sibi familiaribus de religione colloquium haberet: contigit illic cæcum hominem aduenire, victúsque alimoniam ab eo quærere. Cuius vir Domini miseratus, respondit lacrymis profusus: Argentum nec aurum penes me « habeo, sed accede huc iubeo. Cúmque præsens staret, & aliquid se accepturum « putaret: vir Domini solo prostratus orauit diutiùs. Et cùm oratum fuisset, positis digitis super oculos eius, dixit: Christus saluator noster, qui cœco nato lu- « men reddidit, & sedentibus in tenebris & vmbra mortis se ipsum vitæ lumen « præsentauit, ipse sua ineffabili misericordia te illuminare dignetur, vt videns eius « C virtutes & opera, nobiscum magnificè collaudare possis. Et cùm à circumstanti- « bus dictum esset, Amen, oculis eius dies illuxit. Respiciénsque quam nunquam viderat lucem, Dominum laudare cum aliis cœpit. Sanctus autem vir Domini iter quod arripuerat peragens, & ad locum quò tendebat veniens, ibique aliquantisper degens, pacatis ibi quorumdam scandalis, post aliquot dies regressus est Fossatis. Sed antequam reuerti conaretur, diuulgato circumquaque miraculo, tandem rumor peruenit ad Regem. Quod ille audiens, & super rem gestam Dominum collaudans, per se ipsum dignatus est accedere ad eum, atque pro tali facto ad eundem sancti Vincentij locum largitus est eadem die fiscum Regium nomine Valentonium.

His ita patratis, præfatus Leuita *Blidegisilus Regis voluitur pedibus: exorans vt cuncta quæ de ipso Fossatensi loco iam peracta erant, & quæ venerandi Præsules nuper confirmauerant, auctoritate regali decerneret firmiter permansura.* Quod Rex libenter annuit, & facto Testamento, signatóque, ad idem Monasterium vicum, qui Buxeus* dicitur, tradidit. Deinde à Rege iam dictus Leuita petiit, vt idem Cœnobium sub tutela sancti Petri Apostoli, & Romani committere dignaretur Apostolici. Acceptáque licentia Romam adiit, suffragium sancti imploraturus Petri Apostoli. Tunc temporis sanctus Papa Martinus Romuleam regebat Ecclesiam. Præfatus ergo Leuita accedens ad eum, obtulit eius obtutibus Regiæ dignitatis Præceptum, quo modo ab eo expetierit ac susceperit iam dictum castrum: Epistolam quoque suæ dona-

*al. Buxiacus.

CLODOVEVS II. tionis, per quam ipsi loco ea contulit quæ susceperat dono Regis, ac auctoritate XII. Episcoporum, quam de stabilitate antefati loci confirmauerunt, atque aliud Testamentum regalibus munitum apicibus, à prælibatis gratia maioris firmitatis roboratum Pontificibus. His per ordinem Papæ ostensis, exorat excellentiam eius sanctitatis, vt iam dictum reciperet locum sub sancti Petri defensione, & Romani Apostoli tuitione. Insuper & omnia, quæ iam pacta erant de eo, auctoritatis suæ dignaretur corroborare priuilegio. Cuius Papa annuens precibus, quod requirebat celeriter est consequutus. Benedictione itaque petita à sanctissimo Papa, ac redeundi licentia percepta, mundi dominam linquens Romam, Francorum lætus & alacer rediit ad patriam, referens cuncta Regi CHLODOVEO, sanctóque viro Baboleno. Idem verò Leuita omnia priuilegia, quæ ab vrbe Roma fuerant delata, Cœnobitis Fossatensibus perpetuò commisit habenda. Quæ per æui tempora illic seruantur cum diligentia. A

CLOTHARIVS III. Anno igitur XVI. Regni sui defuncto Chlodoueo, filius eius CLOTHARIVS Regni suscepit habenas. Qui sanctum virum Babolenum & Leuitam Blidegisilum nimio diligebat amore: quos perseuerantes videbat in Christi dilectione. Leuita verò venerabilis, non immemor suæ salutis, innotuit ei, quo modo pater eius Chlodoueus ad ædificandum Cœnobium ei sæpefatum castrum contulerit, & qualiter sub regulari norma Monachos Deo seruientes illic adunauerit, Abbatémque sanctum nomine Babolenum eis præfecerit. Retulit quoque ei, quomodo super illud Cœnobium pater suus regale Testamentum ob eius perhennem defensionem fecerit, quibúsque donis magnificè exaltauerit. Quibus manifestatis, Rex inquit ad eum: „ Et nostra regali donatio ipsi „ Deo propitio non deerit Cœnobio. Dedit ergo Rex ad ipsum locum vicum, cuius nomine gaudet mons supereminens, dictum Sauegium. Iussitque suum super hoc fieri Præceptum, in quo etiam illud Cœnobium cum Abbate & Monachis, hominibus, & rebus omnibus eidem loco subiectis, in sua successorúmque suorum defensione Regum suscepit. Alia etiam decreta constituit, quæ & suis apicibus confirmauit: in quibus continetur, vt omnia, quæ pater eius & mater, poscente Blidegisilo, nec non & quod reuerentissimi Episcopi, & maximè Apostolica Sedes, de ipso Cœnobio sanxerunt, vel contulerunt, cunctis mortalibus seruaretur illæsum. Extat quoque alia Epistola ipsius Regis, quam precibus suæ matris, sancto Patri Baboleno præsente Gerino Comite primo regni sui anno contulit: iterum confirmans omnia, quæ dicta vel scripta de iam dicto Cœnobio fuerant. Facta est autem Verno, Regali Palatio, sub die v. Kalendarum Maiarum. Sed quoniam nomen Leuitæ Blidegisili in eadem scriptum non habetur, ad cœlestia iam eum transisse non dubitamus. B

THEODORICVS I. CLOTHARIVS denique Rex, cùm paruo tempore strenuè gubernasset Regnum, immaturâ præuentus morte, THEODORICO fratri quinto anno dimisit Principatum. Sanctus autem Domini Babolenus dum multo labore iam dictum construxisset Cœnobium, multos ibidem coadunauit fratres, Christo semper deuotè famulantes. Et dum sciret sui obitus diem imminere, successorem sibi elegit virum reuerentissimum, AMBROSIVM nomine. Quo facto, dum viueret cum mortalibus, transibat ad Christum sanctis virtutibus. Sacris autem refulgens actibus, immortali Regi existebat deuotus. Qui in cunctis Domini mandatis exercitatus, & cœlestis gloriæ dignus factus, VI. Kalendas Iulij migrauit à sæculo, coniunctus Sanctorum choro, atque in gaudio Angelorum exultat ante Dominum. Sepultum est autem eius sanctum corpus ad Septentrionalem plagam secus Ecclesiam sanctæ Dei genitricis ab ipso constructam, in pretioso lapideóque sarcophago: in quo multis annis iacuit decenter humatum. Vbi operatur, eius meritis, virtutes ad laudem & gloriam nominis sui Dominus noster Iesus Christus, qui viuit & regnat cum Patre in vnitate Spiritus sancti, Deus per nunquam finienda sæcula Amen. C

A

Ex Vita Ms. sanctæ Berthæ Abbatissæ.

TEMPORIBVS igitur CLODOVEI Regis Francorum fuit quidam vir illustris, prudentiâ eminens, bonitate multos præcellens, nomine RIGOBERTVS, qui ob prudentiam & nimiam sagacitatem suam promeruit, vt Palatinus Comes à Rege constitueretur, & condigna veneratione ab omnibus haberetur. BALTIDIS quoque illustrissimæ Reginæ de vltramarinis partibus Angli-Saxoniæ exortæ nobilissimam neptem nomine VRSANAM idem præfatus Rex venerabili Rigoberto in matrimonium iunxit, beneficiúmque maximum delegauit. -- ∴ Nata autem est eis filia, cui nomen imposuerunt BERTHAM, quæ interpretatur fulgida seu splendida, vt ipso quoque insimularetur nomine splendor bonæ eius vitæ, & futurum meritum ab ipsis cunabulis à Deo amandæ. -- ∴

Postquàm verò beata Bertha ad octauum decimum peruenit annum, fama eius longè latéque in Gallia percrepuit, vt nulli talis ætatis puellæ æquanda putaretur. Tunc SIGIFRIDVS consanguineus Regis CLODOVEI, vir strenuissimus, comperta famâ eius, assumptis secum suorum militum turmis, atque Procerum Galliæ constipatus copia, præfatum Rigobertum Comitem adiit, bonitatem ipsius obnixè flagitans, quatinus sibi non denegaret filiam suam dilectam Bertham legitimo iure desponsandam, vtque adoptiuum filium in cunctis spopondit se obediturum. Cunctum etiam legitimum ordinem dotis, vt lex Francorum continet, promisit se fideliter daturum: insuper quidquid consanguineorum res secundum morem ritè expeterent, voluntariè largiturum.

B

Venerabilis igitur RIGOBERTVS nutu Dei instinctus, in omnibus, quibus expetebatur, assensum præbuit. Constituitque diem, in qua illustris SIGIFRIDVS filiam suam legitimo ordine sibi adipisceretur sponsam. Post non multa verò dierum curricula, iuxta condictum amborum acceptam speciosissimam sponsam Comes Sigifridus comitatu honorifico constipatus, vt erat non solùm genere clarus, sed & facultatibus prædiues, omnibus ritè ordinatis, duxit in domum suam. Erat autem beatissima Bertha annorum XX. quando in matrimonio iuncta est. Defunctis verò vtrisque parentibus, beata Bertha voluntate spontanea diuisit proprietatem suam cum ANGLA sorore sua, de alia matre progenita.

Fuit autem Dei electa Bertha vnà cum Domino suo annis XX. mundiali Domino castis amplexibus adhærens. Natæ sunt autem ex ea filiæ quinque. Prima Gertrudis, secunda vocabatur Deothila, tertia Emma, quarta Gesa, quinta nuncupabatur Gesta. Completo autem vitæ cursu, dominus Sigefredus obiit, feliciter migrans ad Dominum. Sepultúsque est honorificè iuxta Ecclesiam suam in villa sua Blanziaco. Tum verò beatissima Bertha totam spem suam Deo committens, ad omnipotentis Dei seruicium se contulit, preciosissimos apparatus deposuit, ac sacro se Sanctimonialis habitus velamine velare non distulit. -- ∴ Tunc etiam diuinitus admonita sagaci animo cogitare cœpit, qualiter in sua possessione potuisset construere Ecclesiam in honore Iesu Christi Domini nostri, eiúsque genitricis beatissimæ sempérque Virginis Mariæ. -- ∴

C

Anno igitur Incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCLXXXII. * Agathonis verò Papæ anno II. THEODERICI autem Regis Francorum filij CLODOVEI & BATILDIS Reginæ anno XII. in Blanziaco beatissima Bertha Monasterium ædificare cœpit, in pago Taruanorum, in propria possessione. quod Domino tribuente cum summo honore fine tenus deductum est. -- ∴ 682.

Ex vita sanctæ Bathildis Francorum Reginæ, scripta ab eius æquali, qui tamen nomen suum subticuit.

BEATA siquidem BATHILDIS nuper in puellari ætate de partibus transmarinis diuina prouidentiâ deprædata, & vili precio, sed incomparabili commercio, venundata, huc aduenit ipsa preciosa & optima Dei margarita, atque à Principe quodam Francorum viróque clarissimo ERCHINOALDO, qui tunc Palatium gubernabat, dinoscitur esse recepta. In cuius ministerio ipsa adolescens

Apud Surium Tom. VII. Cap. 1.

CLODOVEVS II. ita decentissimè conuersata est, vt eius honesta conuersatio, & admirabilis conditio, tam Principi, quàm & omnibus eius ministris complaceret. Claro namque sanguine, licèt alterius gentis seruiret obsequiis, progenita Saxonum demonstrabatur. Talémque se in omnibus, vt eam decebat, exhibuit, quo prædicto Iudici Principum gratissimè placeret, & gratiam in oculis inueniret: cui instituit, vt sibi pocula porrigeret, & vt pincerna honestissima sæpiùs præsens eius ministerio adstaret. In tantum deinde nobili sua conuersatione felicem famam promeruit, vt pro matrona, quam supradictus Erchinoaldus Princeps morte interueniente amiserat, complacuisset denuò eidem Principi BATHILDEM honestissimam virginem in toro maritali sibi sociare. Quam rem apertè, iam illustrata diuina gratia, virgo beata intelligens, latenter & studiosè ab eius se substraxit adspectibus.-- ⁞ At postquam idem Dux alteri nupsit, tandem Bathildis puella quæsita & inuenta: sed à prædicto Principe minimè est contacta. Nutu diuino factum esse credimus, vt quæ Principis nuptias deuitauerat, postea CLODOVEVM Dagoberti quondam Regis filium in coniugem acciperet, & merito humilitatis ad altiorem gradum eam attolleret. In quo diuina dispensatio eamdem honorare decreuerat, vt dum Regis Ministrum contempserat, ad Regis copulam perueniret, atque ex ipsa Regalis progenies procederet. Quod ideò peractum est, sicut omnibus patet, vt ipsa, quæ erat ex Regali progenie, Regiam sumeret copulam, Regalémque generaret sobolem. At ipsa collata sibi à Deo prudentiæ gratia, vigilanti studio & Regi obtemperabat vt domino, & Principibus se ostendebat vt matrem, Sacerdotibus vt filiam, iuuenibus siue adolescentibus vt piam nutricem. Erátque amabilis omnibus, diligens Sacerdotes vt patres, Monachos vt fratres, pauperes vt domesticos, peregrinos vt filios, quia & ipsa peregrina fuerat, amplectebatur. Viduis, orphanis, & pupillis subsidia vitæ ministrat, & omnibus omninò debilibus opem ferebat. Iuuenes quoque ad religiosa studia exercenda semper commonebat, ac Regi humiliter assiduéque pro Ecclesiis & pauperibus suggerebat. Iam enim sub seculari habitu Christo militare cupiens, frequentabat orationem, cotidie commendans se cum lacrimis Christo Regi cœlesti. Cui ipse Rex pius consulens iuxta fidem & deuotionem eius, vt pleniùs hæc quæ mente conceperat perficeret, venerabilem virum GENESIVM Abbatem ad subleuamen ac supplementum adiutorij contulit. Per cuius manus ministrans ipsa Sacerdotibus & pauperibus, pascebat ipsa egenos, & induebat vestibus nudos, studioséque sepeliri ordinabat mortuos. Dirigebat quoque per ipsum ad Cœnobia virorum & sacrarum virginum auri vel argenti non modica pondera. Quæ omnia isdem Dei famulus Genesius, qui postea Christo largiente Lugduno Galliæ est ordinatus Episcopus, suscipiebat. Tunc enim in Palatio Francorum erat assiduus. Per ipsum siquidem, vt diximus, ipsa beata mater Bathildis vna cum Regis CLODOVEI imperio, de cuius prosperitate & sanitate indeficienter solicita erat, suggerente etiam prædicto Dei famulo, multis pauperibus loca per diuersa pro vita Regis largissimam distribuebat eleemosynam.

Cap. 2. CLOTHARIVS III. Interea dominus Rex CLODOVEVS vir eius, gratia euocante diuina, XVII. regni sui anno rebus exemptus humanis migrauit à seculo. Relictáque sobole filiorum cum matre, suscepit ilicò filius eius CLOTHARIVS Rex Francorum regimen. Et suffragantibus præcellentissimis Principibus, CHRODOBERTO Episcopo Parisiaco, & domino Audoëno Rothomagensi, seu EBROINO Maiore Domus, cum reliquis Senioribus, vel ceteris quamplurimis Regni honorem quærentibus, ad regimen Francorum in pace constituitur. Austrasij quoque pacifico ordine, faciente domina Bathilda, per consilium quidem Seniorum, receperunt filium eius CHILDERICVM Regem in Austrasiam. Factique sunt Burgundiones & Franci ex illo tempore vniti. Et credimus quia, Deo gubernante, iuxta dominæ Bathildis magnam fidem accidit, vt ipsa tria Regna, quæ antea dissidebant discordiâ, tunc inter se tenerent pacis concordiam.

Cap. 3. Factum est præterea per eam nutu Dei, exhortantibus Sacerdotibus, vt heresis Simoniaca, quæ prauo vsu maculabat tunc Ecclesiam Dei (dando scilicet contra instituta Canonum pro adipiscendis & conferendis Episcopatus vel Presbyteratus, seu reliquorum Ordinum gradibus, præmiorum munera) à Catholicis

A viris pelleretur penitus, & hoc impium nefas prohiberetur, ne vllus Præsul pro percipiendis vel dandis sacris gradibus daret aliquid aut acciperet. Ordinauit etiam, imò per eam Dominus, vt & alia pessima consuetudo cessaret, pro qua multò plures homines filios suos magis mori quàm nutrire optabat, dum de eis videbant exactiones fieri, publicáque ex antiqua consuetudine mala vrgebantur accipere. vnde grauissimum rerum suarum patiebantur damnum. Quam nequissimæ cupiditatis auaritiam ipsa pietate plena pro mercede æternæ retributionis prohibuit, & vt in perpetuum seruaretur legibus tradidit. Ex quo facto copiosa merces valde à Domino reddita ei manet. Quis enim valet enarrare, quanta & quàm magna commoda per religiosorum Cœnobia virorum & sacrarum virginum largiendo integra prædia, & siluarum aditus ad Cellulas seu Monasteria construenda concessit? Cui etiam non videbatur liberalitas magnarum rerum, quas per diuersa Cœnobia conferebat, ad votum sui desiderij esse sufficiens, si non & ipsa inter ceteras & peculiares Dei casas Monasterium construeret, quod cœlum esset adspiciens. Pro qua re iam quasi pelagus seculi calcans, Cœnobium KALÆ Sanctimonialium Virginum in pago Parisiaco, vnda circumfluente Matronæ fluminis, decentissimè ædificauit. Quem locum villis affluentissimis & quampluribus cum earum redditibus amplificauit & exornauit, & in potestate sub Religione ibidem viuentium sacrarum Virginum tradidit: quarum quidem vocabula B propter tædium quorumdam legentium reticui. Illud verò inserere curaui, quod rectoribus eiusdem loci valde timẽdum est. Nam Præceptum super iis constituit, & manibus propriis ac filiorum consignauit, ac Regum sigillo roborauit. In quo Testamento interminata est per inuocationem sanctæ Trinitatis, & diem tremendi iudicij, vt nemo per succedentia tempora rector quilibet eiusdem loci quicquam de iis villis, quas in vsus diuersos eiusdem Cœnobij habitantium contulerat, subtraheret, aut beneficiarios exinde haberet. Quòd si fecisset, pœnis infernalibus cum Iuda traditore nequissimo afflictus sine fine puniretur. In hoc etiam Cœnobio venerabilem religiosámque valdè Dei famulam BERTILIAM, quam ex Monasterio Iodro euocauerat, in locum Matris primam constituit. Vbi & ipsa acceptabilis Deo & electa margarita BATHILDIS deinde conuersari sub integræ Religionis Regula, & in pace quiescere decreuit. Quod in veritate, prout tempus postea permisit, deuota voluntate compleuit.-- :·

Clotharius III.

Nec illud etiam est reticendum inter præcipua quæ fecit, quòd Monasterium, cuius vocabulum est CORBEIA, in pago Ambianensi suo opere fundo tenus struxit, ac deuotum gregem Monachorum inibi esse constituit. Vbi & venerabilis vir dominus THEODOFREDVS nunc Episcopus, tunc verò Abbas, magno gregi C Fratrum præfuit. quem de Luxouio Monasterio præfata domina BATHILDIS à reuerentissimo viro VVALBERTO Abbate expetiuit, & ad prædictum Fratrum Cœnobium condirexit. Ipsum autem Monasterium sicut à fundamento, ita villis & prædiis, omnibúsque sumptuum necessitatibus, fundauit & ornauit. Domino etiam PHILIBERTO Gemmeticensis Monasterij Abbati, magno & religioso viro, siluam magnam ex fisco, vbi ipsum Cœnobium Fratrum situm est, magnáque munera & pastus de fisco dominico ad ipsum Monasterium construendum concessit. Multa quoque talenta argenti vel auri domino LAIGOBERTO Curbionensis Monasterij Abbati cum villa quadam, cuius vocabulum à memoria recessit, ad opus seruorum Dei illic habitantium contulit. *Sed & ipsum regale, quo cingebatur, cingulum à sacris lumbis abstulit, Fratribúsque in eleemosynam dedit. Similiter & ad Fontinellam & Logium plura concessit beneficiorum compendia.* Ad Luxouium etiam, & ad reliqua Burgundiæ Monasteria, *villas perplures ad integrum concessit, & pecuniam innumerabilem direxit. Ad Iotrum quoque Monasterium, vnde sacras Virgines cum præfata domina Bertilia Abbatissa ad Cœnobium Kalense direxit, & accersiuit, Villam-nouam sitam in pago Vermandensi, cum pluribus aliis muneribus, quibus ipsum locum honorauit & ditauit, deuotè contulit. Monasterij quoque sanctæ Faræ non immemor fuit, quia villam quandam cum sæpè datis muneribus ac largissimis donis eidem delegauit. Ad Basilicas, necnon & Ecclesias, seu ad Monasteria sanctorum virorum sacrarúmque virginum Parisiacæ vrbis, villas laudabiles ac multas condonauit, & muneribus plurimis amplificauit.*-- :·

Cap. 5.

CLODOVEVS II. Cap. 7. Illud etiam commemorandum est, quod ad mercedis eius cumulum pertinet: quia captiuos homines Christianos vendere prohibuit. Deditque præceptiones per singularum vrbium regiones, vt nullus in Regno Francorum captiuum hominem Christianum penitus in aliud Regnum transmitteret. Dato etiam iustæ remunerationis precio plurimos captiuos redimi, præcepit, & quosdam liberos relaxauit, quosdam verò cum Religionis habitu sub Regula in Monasteria transmisit.-- ⁝ A

Cap. 8. Crescebat quotidie eius sancta deuotio, & omnimodis satagebat, vt Cœnobialem vitam in Monasterio, quod ipsa ædificauerat, duceret: & vt animo, ita & corpore ibidem subsistere potuisset. Sed primores & Proceres Francorum differebant, maximè quia eius sapientiâ Palatium regebatur, & pro sua sancta conuersatione ab omnibus amabatur. Quódque votum minimè adimplere permisissent, nisi commotio quædam accidisset de misero SIGEBRANDO Episcopo, cuius superbia inter Francos meruit mortis ruinam. Exindè ergo orta contentione, dum ipsum contra voluntatem eius indiscussum, & contra legem interfecerunt, metuentes ne hoc ipsa beata Regina contra eos grauiter feriret, ac tale malum tantúmque nefas vindicare vellet: quod antea amore temporali fieri non permittebant, iam timore legis iudicialis perculsi, vt desiderium optatum perficeret suadebant. Deducta igitur ab aliquibus Seniorum principibus, venit ad præfatum Monasterium diu desideratum Kalam, ibíque ab ipsis Sanctimonialibus, vt decebat, honorificè, & satis admirabiliter in congregatione recepta, gratias egit Deo omnipotenti, qui eam sub vmbra protectionis suæ susceperat, & ad portum suæ voluntatis perduxerat.-- ⁝ B

Cap. 13. Recolimus quidem in Francorum Regno nobiles & Dei cultrices quasdam fuisse Reginas: CROTHILDEM scilicet neptem Gundebaldi Regis, atque magni & antiqui Clodouei Regis coniugem, quæ ita eundem paganissimum veris instruxit exhortationibus, vt tota mentis intentione ad cultum se Christianæ Religionis, feruente fidei calore, conuerteret. Et non solùm ipsum, sed etiam diuina gratiâ adiuta plurimos Francorum Proceres traxit ad Christi cognitionem, & ad Catholicæ fidei dilectionem. Ecclesiam quoque in honorem sancti Petri, vbi Religio Monastici Ordinis vigeret, Parisius fecit: necnon Cœnobium in honore sancti Georgij sacrarum virginum in Kala prima construxit. Quod postea, quia ambitus Ecclesiolæ strictior erat ad capiendum plurimum gregem Sanctimonialium, à sæpè memorata domina Bathilde euersum est, & Basilica pergrandi spatio amplitudinis constructa. Cuius medium altare in honore sanctæ Crucis, atque illud in parte dextera in honore sancti Georgij: quod verò ad læuam est, in veneratione sancti Stephani protomartyris titulatur consecratum. Paríque modo de VLTROGOTHA fertur Regina, CHILDEBERTI videlicet Christianissimi Regis coniuge, eo quòd nutrix fuisset orphanorum, consolatrix pupillorum, sustentatrix pauperum & Dei seruorum, atque adiutrix fidelium Monachorum. Rectè quoque & illud prædicatur memorabile factum sanctæ & venerabilis RADEGVNDIS Reginæ CLOTHARII quondam anterioris Regis, quam tanta sancti Spiritus succenderat gratia, vt viuum relinqueret coniugem, & se Christo Domino sub sacro velamine consecraret.-- ⁝ C

Ex Vita Ms. sanctæ Bertilæ Abbatissæ Kalensis, ab Auctore contemporaneo scripta.

Cap. 1. BEATA BERTILA virgo Suessonicæ Prouinciæ indigena, nobilibus parentibus oriunda, imò digni germinis dignissima proles emergens, decus quod sumpsit ex genere felicis vitæ meritis ampliauit.-- ⁝ Quam & percunctante cuidam fidelissimo viro DADONE cognomento AVDOENO, si vellet Christo seruire, grato animo respondit illam se ab infantia habere deuotionem.-- ⁝ Cuius deuotioni pietas diuina consulens, quæ in se sperantes nunquam derelinquit, mox adfuit ei diuina gratia in auxilium, & ex propriis parentibus vel etiam germanis in consensione deuotos effecit. Qui assentientes exhortati sunt eam, vt in sancta deuotione persisteret, & se integram Domino virginem consecraret. Cui & sponte dederunt solatium inspirante Domino, & eam cum festinatione iuxta eius votum

A ad Monasterium puellarum, quod vocatur IOTRVS, perduxerunt, & dominæ TEVTLEHILDÆ * Abbatissæ commendauerunt. à qua cum sanctis feminis honorificè recepta est. CLOTHARIVS III. * al. TEVTECHILDAE

His namque temporibus, post discessum domini CHLODOVEI Regis, religiosa & optima coniux ipsius domina BALTECHILDIS Regina, cum paruulo filio Rege CHLOTARIO inreprehensibiliter Regnum gubernabat Francorum, & ab omnibus Pontificibus vel Proceribus, cunctóque populo Regni sui, eius meritis compellentibus, miro diligebatur affectu. Erat enim religiosa, & Domino multùm deuota, Ecclesiarum pauperúmque curam gerens. Cum magno igitur vigore animi viriliter gubernabat Palatium. Cum Pontificibus autem & Primatibus populi sui consilium accepit, vt regali villa, quæ dicitur KALA, Monasterium construeret puellarum: quatenus cùm ad legitimam ætatem præfatus filius suus dominus CHLOTARIVS peruenisset, & Regnum sibi commissum per semetipsum regere potuisset, tunc ipsa, relictam curam regalem, sub Religionis ordine in supradictum ingrederetur Monasterium. Eo verò quòd omnes ipsa miro diligebat affectu, & diligebatur à cunctis, complacuit consilium vniuersis, ac consensum ei omnes præbuerunt. At illa, vt erat prudens & sapiens, sub omni celeritate Monasterium ibidem construere præcepit, & futura præuidens, necessariam ancillis Dei substantiam delegauit. Iámque præparato diligenter Cœnobio, animo reuoluere cœpit, quam meritis & honestate seu moribus puellarum reperiret B dignam, de qua fidens gregem sacrarum Virginum ibi adunatum sub norma sanctæ Religionis ei committeret. Cúmque de multis multa audiret, istius sanctæ puellæ BERTILÆ felici fama percurrente, peruenit per relationem fidelium notitia vsque ad aures regales dominæ Baltechildis gloriosæ & Christianissimæ Reginæ. Quæ gauisa est de eius sanctitatis exemplo, & illicò accepto consilio decreuit vt hanc super sanctas feminas, quas pro Christi amore & sanctæ Mariæ reuerentia in Cœnobio suprà nominato congregauerat, Matrem constitueret. & Domino dispensante postea perfecit. Magna siquidem cum deuotione & humilitate dominam TEVTLEHILDEM poposcit Abbatissam, vt ex suo Monasterio aliquas famulas Dei sibi destinaret, quæ suum regere deberent Cœnobium. At illa percunctata diu sanctam supplicationem Reginæ denegare non potuit, sed sponte gloriosæ dominæ ad petitionem satisfecit, præfatámque dominam Bertilam cum quibusdam sanctis puellis spiritali matri dominæ Baltechildi cum summa diligentia & honore debito, vt decebat, per magnum Sacerdotem dominum GENESIVM ad Kalæ supradictum sanctum Cœnobium perducere præcepit. Vtque omnis illa congregatio velut matri spiritali ei commendaretur, prædictæ dominæ Reginæ præsentialiter suggessit, fisa de eius religione, & pudica conuersatione. Quas illa gloriosa Baltechildis Regina velut munus cœleste cum magno honore suscepit, & sicut ei mandatum à domina Teutlehilde fuerat, onus regiminis super omne Cœnobium ei imposuit, atque Abbatissam esse præcepit. Cap. 4.

C Interea gloriosa Dei famula BALTECHILDIS Regina, quamlibet ad ministerium gubernandúmque rerum statum principalitatis curâ constringeretur, & velut sub onere graui desudaret, mentem tamen eius amor Christi & Religionis deuotio possidebat. Iámque domino CHLOTARIO filio eius adulto, cum consensu Optimatum suorum relicta curâ Regalis Palatij, Christo Domino militaturo in Monasterio, quod ipsa construxerat, suprascriptæ sub obedientia dominæ Bertilæ se subdidit Abbatissæ. Cum magna igitur veneratione, sicut dignum erat & meritum, ab ea vel ab omni congregatione puellarum suscepta, vsque ad diem vltimum in sancta Religione permanere decreuit. Quod Cœnobium pariter communi consilio tam in ædificiis & officiis, quàm & sanctitatis exemplo mirificè ornauerunt.-- ∴ Sed postquam domina Baltechildis Regina suam in omnibus compleuit deuotionem, in pace migrauit ad Christum, ac honorificè inibi est corpus eius sepultum. Cap. 7.

CLOTHARIVS III.

DE CLOTHARIO III. CHILDERICO II. ET THEODORICO I. CLODOVEI II. FILIIS.

Ex Vita sancti Frodoberti Cœnobij Cellæ prope Trecas Abbatis primi.

Extat in Prompt. Antiq. Tricass. Nic. Camusati Can. Trec.

FVIT vir vitæ valde venerabilis, egregiæ ac preciosæ memoriæ FRODOBERTVS, quem singulari fide & probitate sanctissimum, ciue felicissimo diuinitus cumulata, Trecacensis oppidi tellus effudit.-- ∵ Sub Rege Francorum CLODOVEO Dagoberti filio, itemque CLOTARIO iuniore eiusdem Clodouei filio, hic ipse Sacerdos preciosus, & Abbas eximius deprehenditur floruisse: cùm apud præfatam vrbem Trecassinam RAGNEGISILVS Pontifex vicem Apostolicam ministraret. Fuit autem idem Ragnegisilus natione Aquitanus, septimusdecimus iam dictæ ciuitatis Episcopus, de quo fertur inter cetera quòd Basilicam beatæ Sauinæ virginis in fundo sui iuris construxerit, Ecclesiam cui præsidebat heredem instituens, in quâque honorificè sepultus iacet. Vixit autem beatus Frodobertus sub quinque suæ ciuitatis Episcopis vsque ad ABBONEM, qui vicesimus primus eiusdem vrbis Pontifex extitisse cognoscitur.-- ∵

B Post hæc caritatis solicitudine, & diuini lucri studio animatus, ad Luxouium Cœnobium spiritalis profectus gratiâ dirigere instituit. Præerat tunc ei Cœnobio VVALBERTVS Abbas, vir & religione inclytus, & sanctitatis opinione famosus. Quò cùm ex præcepto Pontificis peruenisset, à sanctis illius loci Patribus grata exultatione suscipitur.-- ∵ Quo ergo tempore beatus Frodobertus inibi morabatur, vir Apostolicus BEROALDVS Lingonicæ vrbis Episcopus, quemdam ex Cœnobio sancti Sequani Abbatem, Teudolenum nomine, eruditionis gratiâ illuc destinare curauit. Ad cuius diuersorium beatus Frodobertus frequentiùs accedebat.-- ∵

Annis post hæc pluribus interiectis, ad vrbem Trecassium pro Episcopi sui desiderio, & parentum visitatione, cum quibusdam fratribus remeauit. Denique humanæ conuersationis ardens vitare collegia, sollicita secum frequentiùs mente voluebat, quonam loco suæ professioni ac proposito opportunum habitaculum collocaret. Et quamquam plurimi nobilium regionis sanctitati eius familiarissimè cohærerent, ineptum tamen duxit à quoquam eorum partem agri vel prædij postulare: non sibi solùm, sed etiam posteris consulens, ne religiosa fraternitas, quam ipse in sacro habitu aggregare cupiebat, à quolibet secularium pro loco suæ habitationis quid inquietudinis vel molestiæ pateretur. Quocirca diuino aspirante consilio, Regiam profectus ad Aulam, munificentiâ CLODOVEI illustris quondam Regis Francorum locum quemdam palustrem in suburbio Trecassinæ vrbis obtinuit, qui antiquo ritu INSVLA GERMANICA vocabatur. Deinceps verò C post decessum Clodouei, filium eius CLOTARIVM secundo anno regni eius expetens, annuente venerabili BATILDE Regina, eiusdem Clotarij matre, super præfato loco Priuilegium regiæ auctoritatis denuò meruit adipisci. Quod quia in archiuis Cœnobij nostri vsque hodie continetur, hîc quidem inserere superfluum duximus, quoniam legere cuique volenti in promptu adesse fatemur. Est autem locus idem partium quidem fisci, tamen, vt dictum est, paludibus refluens, ac crebra lacunarum eruptione scaturiens, arbustisque refertus siluestribus, bestiarum potiùs ac serpentum, quàm hominum frequentiæ competebat.

His itaque Regum auctoritatibus instructus, quódque est maximum, superno auxilio roboratus, horribiles loci squalores expetiit, datâque principali opera, virgultis erutis, lacubúsque siccatis, spatium habitationis congruum præparauit. Ibi Cellula Oratorióque Frodobertus constructo, cum paucis primò quidem Fratribus solitarius vixit, diuinæ contemplationi deditus, & angelicis semper actionibus occupatus. Inclytus ergo Frodobertus iam tunc cœpit amplificare sibi suisque concessum habitationis locum, patrimonij sui quæcumque fuerunt prædia possessionésque ex integro in commune inibi contradens, & quæstum copiosum seruorum, ancillarum, agrorum præterea & vinearum, sub testamentis quæ ha-

A ctenus habentur dato precio instantissimè acquiritis. Sed & mox parentes illius viri beati largissimas ei rerum gazarúmque suarum condonauerunt portiones, instrumentis ex lege ritè perfectis. Processu verò temporis locus idem religiosorum frequentiâ in robur incrementi conualuit, nobiliúmque eò confluentium largitate ditatus, rerum ac possessionum terminos dilatauit. Sed & congregationis Monasticæ numerus indies copiosè succrescens, nobile ac famosum reddidit vsquequaque Cœnobium. Nec illud prætereundum, quòd ex eiusdem loci Cœnobitis beati Frodoberti vitam institutionémque sequentibus, quamplures postmodum in vrbe Trecassium extitère Pontifices. Inter quos ALDOBERTVS vir summi ingenij, & præcipuæ sanctitatis, itémque BOBINVS natione Aquitanus. Quorum vterque ipsi loco ingentia commoda contulêre, intra extráque quibus possibile fuit amplificando modis. Sicque in plenitudine bonorum operum diem vltimum consummantes, intra septa Basilicæ eiusdem Monasterij nobilem sortiti sunt sepulturam.-- ∴ CLOTHARIVS III.

Ipso autem beato viro Frodoberto ex humanis assumpto collegiis, extemplo reuerendissimus nepos eius VVALDINVS, qui postmodum loco auunculi in eodem ipsius Monasterio Abbas successit, gressu concito in Cœnobio S. Quintini ad memorabilem GIBITRVDEM Abbatissam perueniens, sancti viri obitum nunciauit.-- ∴ Ante hanc ROCVLA eiusdem Cœnobij fuit Abbatissa.

Ex Vita sanctæ Godebertæ Virginis.

B NATA est virgo GODEBERTA ex parentibus Christianis in pago Ambianensi.-- ∴ Porro à parentibus accuratè educata, cùm ad nubiles peruenisset annos, permulti nobiles eam ex nobilibus nobiliter natam sibi sponsam expetebant. Parentes autem eius, cùm essent Regis beneficiarij, non audebant inconsulto Rege cuiquam eam in matrimonium collocare. Cùm autem apud Regem CLOTHARIVM hæc res ageretur, omnésque ad Regis voluntatem animis intenderent, in medium illorum non sine nutu Dei beatus ELIGIVS se ingessit; & virginem illam aureo suo annulo tanquam arrhabone Christo sponsam coram Rege & parentibus eius fidentissimè despondit & dedicauit. -- ∴ Regebat tum ille vir sanctissimus Nouiomensem Ecclesiam, eiúsque doctrinâ & exemplis multi ab errore conuersi, abiecto dæmonum cultu, fidem Catholicam gratulabundi complectebantur. Eum igitur Godeberta spiritalem sibi Patrem eligens, coram Rege & Principibus parentum persuasiones liberrimè reiecit, & eum absque vlla mora secuta est. Ea autem res tam inopinata omnibus stuporem attulit. Porrò eius pater illacrimans, amanter eam contemplabatur. Rex CLOTHARIVS videns tam subitam nuptiarum mutationem, non parum admirabatur diuinæ potentiæ virtutem. Vt autem virginis illius precibus apud Dominum adiuuaretur, promptam animi eius deuotionem primus ipse regia munificentiâ confirmare volens, C assentientibus illis qui aderant, cum Oratorio sancti Georgij, quod Nouiomi habebat, suum ei dedit Palatium: addens duas villas ex fisco regali, cum duodecim feminis, quæ illius regimine continerentur.-- ∴ *Apud Surium Tom. VII.*

Ex Vita & Passione Ms. sancti Preiecti Episcopi & Martyris.

SANCTVS igitur PREIECTVS clara natalium lampade oriundus, Gondoleno atque Belidia parentibus procreatus, Aruernico territorio est exortus.--- ∴ Cúmque polleret industriâ, parentes illius eum GENESIO Archidiacono studuerunt commendare, qui postmodum Aruernicæ vrbis Præsulatus obtinuit dignitatem.-- ∴

Non multum post ista tempus effluxerat, FELIX vrbis iamdictæ cathedram præsidebat, & tunc Candidinense Cœnobium tradidit ad regendum Preiecto.- ∴ Defuncto autem Felice Episcopo, cùm maxima pars Cleri vel populi Preiectum cuperent habere Antistitem, Archidiaconus præfatæ vrbis GAIOBOALDVS nomine cupiditatis instinctu, Clero contempto, laicorum vsus consilio, Episcopatum vrbis Aruernicæ vsurpauit præmio. Sed XL. dierum euoluto curriculo, mortis sortitus est transitum. Igitur vrbs Aruernica Præsulis destituta solatio,

CHILDERICVS II. cùm GENESIVM virum inclytum, & Senatoria dignitate prælatum Pontificalis Cathedræ sublimare voluisset in solio: ipse vir potens & sapiens hunc gradum incautè non appetens, indignum se hoc officio fatetur coram cunctis. quin potiùs concionatur ad ciues, vt PREIECTVM à Rege poscerent in Sede Pastoris. Tunc itaque fauore populi concordante, imò magis sancto Spiritu gubernante, inito consilio Preiectum elegerunt Antistitem: decreto etiam Regis petitionibus populi annuente.-- ⁝ A

Cœpit interea vir Domini Preiectus prædictum GENESIVM suadere, vt quia soboles non haberet mundanas, Ecclesiam sibi pro filiis adoptaret. Tandem itaque vir nobilis eius verbis consentiens, in suburbano memoratæ vrbis Monasterium construens, sub norma sanctæ Regulæ ibidem constituit Virgines. reliquam amplissimam facultatem post suum obitum per loca deputauit Ecclesiarum sanctarum. Instruxit etiam vir Dei aliud Cœnobium Virginum in territorio Aruernicorum. Nam ante illud tempus in eadem Prouincia nulla fuerant Virginum Monasteria instituta. Xenodochium quoque de propriis rebus aptauit, Medicos strenuos adunauit, atque ita constituit, vt semper ibidem viginti ægroti sanandi adessent, quibus curatis alij totidem medendi succederent.-- ⁝

Cùm vir Domini exigente causâ ad Regis CHILDERICI festinaret præsentiam, itinere deducente peruenit ad locum qui Claroangus vocatur in Vosaco, vbi milites Christi beatæ paupertatis obtentu amore viuebant monastico. Cúmque à Monachis fuisset exceptus cum gaudio, repperit Patrem Monasterij AMARINVM vocabulo, febrium laborantem incommodo, ita vt nec gressum mouere, nec præter aquam aliquod alimentum potuisset percipere. Sed cùm vir Domini ad consueta arma recurrens, vexillum crucis super ægrum fecisset, protinus fugata febre sanatus æger surrexit. Sicque gaudentes, statum sequentis noctis in Psalmis peregerunt & hymnis. Cúmque ad Palatium peruenisset, gratificè à Rege susceptus, & cum summa veneratione ab Optimatibus illius honoratus, quicquid à Principe petiit, vt voluerat impetrauit. Atque vale dicens CHILDERICO Regi, & Reginæ ipsius dignæ Dei famulæ BILECHILDÆ, vel Proceribus Regni, Aruernicam repedauit ad vrbem. B

Audiens vir Domini Amarinus de sospitate beati Preiecti Pontificis, eum gratiâ caritatis est subsecutus Aruernis: Christo scilicet dispensante, vt qui sic erant caritate coniuncti, simul essent martyrio coronati. Dúmque sancti simul essent, & in mandatis Domini pariter aliquantulum temporis conuersarentur, contra eos hostis antiquus per ministros suos exarsit. Denique Agricium quemdam virum nefarium commouit, atque illius consilio Aruernorum Proceres in nece Sanctorum armauit. Cúmque viri Dei simul consisterent in loco nuncupato Voluico, repente super eos turba irruit persequentium.-- ⁝ Tunc vnus ex illis genere Saxo, nomine Radebertus, beatum Preiectum gladio percussit in pectore.-- ⁝ Quidam ex Senatoribus BODO & PLACIDVS, qui in morte sancti Preiecti consenserant, non longè astabant.-- ⁝ Radebertus verò, qui Dei famulum peremit, viuens consumptus est à vermibus.-- ⁝ C

Tunc multitudo Sacerdotum Sanctorum corpora deferentes, cum honore maximo, & magna elegantiâ tumulauerunt, sanctum scilicet Preiectum, & Amarinum, & vnum ex satellitibus * eius Elidium. Cœpit namque diuina virtus ad prædictorum Martyrum corpora plurima monstrare miracula.- ⁝ Quo cognito, AVITVS Episcopus in loco, vbi fuerunt sancti interfecti, Monasterium studuit collocare, Basilicam erigere, & vnum ex parentibus sancti Preiecti GVDONEM nomine præfecit Abbatem.-- ⁝

* al. comitibus

Quidam ex auctoribus necis Sanctorum, Vrsio nomine, pergens obtentu venandi, ad terram de equo corruit, fractóque dextero brachio, ceterorum membrorum incurrit debilitatem. Sed cùm nullatenus à Medicis vel Incantatoribus medelam consequi valuisset, ad semetipsum reuersus, suum agnoscens facinus, cum coniuge contulit, & ad Sancti sepulcrum direxit, vt sibi indulgentiam postularet. Quod cùm fuisset impletum, dicto citiùs recepit sanitatem membrorum.- ⁝

Erat in Aruernico locus de proprietate sancti, quem Versotonem antiquitas voluit nuncupare, vbi multas virtutes dignabatur Dominus demonstrare, ad lectulum scilicet vbi Sanctus ad dormiendum consueuerat declinare.-- ⁝

De

Childe-ricus II.

A

De eodem sancto Preiecto Episcopo. Ex Ms. Cod. Arebatensi.

Erat in territorio Aduerno quædam femina Deo dedicata nomine Clavdia, ad quam sedulè propter causam prædicationis veniebat Preiectus Episcopus, résque suas in prædicto Pontifice vel pauperibus quos ipse regebat contulit. At non post multum spacium temporis debitum impleuit naturæ, quæ à beato Preiecto summo Pontifice cum honore est tumulata. His ita transactis, erat quidam vir infamis Hector nomine, qui apud Masiliam Patricij honorem adeptus fuerat, qui filiam suprascriptæ Clavdiæ raptam ex scelere sociauerat, & deinceps concubinatus miseriam adorsus, ad Childericvm Principem, qui eo tempore vtraque Regna sceptro gubernabat, alio sibi in scelere sociato nomine Leodegario peruenit. Quod postea in eiusdem martyrio perficiendo fomes scandali fuit. Accusat Pontificem, quòd prædia prædictæ feminæ Clavdiæ sibi vendicaret, causásque Regi depromit. Obtinuitque cum Principe, vt Missos ex latere dirigeret, qui eum per fideiussores nunciarent, & in Aula Regis facerent præsentari. Cúmque ille instructus de hac causa ad responsum dandum multo mœrore constrictus est, quia iam dies sanctæ Paschæ eminebat, quia in propria vrbe ipsam sacratissimam Paschæ noctem sollemniter celebrare non liceret. Sed vt verum prouerbium dicitur, integritas Sacerdotum non timet impetum Regis. Fide armatus, & galeam salutis iuxta egregium Prædicatorem Paulum indutus, ad Palatium properat, & vt mos est apud Regis Aulam, in loco vbi causæ ventilantur introit, vt cum Hectore de supradicto negocio rationes haberet. Ipse cœpit renuere, & rationem veram reddere iuxta statuta Canonum, vel lege quæ dicitur Romana, quia magnus Sabbati dies erat, quo vigiliæ sanctæ Paschæ celebrari solent, se nullomodo de hac causa respondere posse. Sed vt est conlatorum mos aĩ * cœperunt eum cogere, vt tali pro causa non differret dare responsum. Cúmque vir Dei se artatum cognouisset, necessitate compulsus respondit se causas Ecclesiæ Hymnichildæ Reginæ commendasse. Cúmque hanc assertionem cognouisset, imperfectum opus remansit. Beatus igitur Preiectvs operis sui labore, & quomodo per fideiussores venisset exhibitus, tandem depromit. Rex verò vel Regina timore compulsi, veniam coram hominibus omnibus à prædicto Pontifice expetunt, & pro eius mœrore labore sunt inflicti. Erat itaque in præsidium Hectoris tunc temporis Leodegarivs Pontifex. Cúmque iam meridianam plagam sol lustrasset, & ad occasum adpropinquaret, & horæ, quod est consuetudinis, iam in promptu cernerentur, vt sollemnes vigilias Paschæ celebrari licitum esset, ex Regali permisso, vel Maiorinatu, Pontifices vel Sacerdotes qui in Eduorum vrbe ob Regiam potestatem conglobati fuerant, beato viro Preiecto supplici voce eminus poscunt, imò precantur, vt eadem sacræ noctis ipse pro statu Regis vel pace Ecclesiæ sacrificia Deo immolaret. Cúmque de tanta veneratione Hector cognouisset, maximéque quia VVlfoardo Seniouore * Domus fiduciâ perusus erat, intempestæ noctis silentio sancto Leodegario malè multatum, vterque fugam ineunt. Cui versa vice illud aptari potest elogium, quod in sancti Siluestri describitur, de Perpenna Tarquinio, vbi inseritur, quòd eadem hora qua beatum Siluestrum ad tribunal suum perducturus esset, de domo sua eiectus ferebatur ad tumulum. Sed cùm iam aurora dici daret initium, & iubar solis iam emineret terris, comperto Rex per Proceres Hectorem terga vertisse, magis ac magis in honore Pontificis satagere cœperunt. Leodegarivs verò pœnitentiâ ductus, & exilio Luxouio trusus, atque post indè sublatus, & infra vrbem propriam apud Grinonem quemdam perfidum & nequissimum virum, qui postea Trecassinam incubauit vrbem, luminibus euulsis, ac non post multum ab Ebroino Comite Palatij alias strenuum virum, sed in nece Sacerdotum nimis ferocem, impiè valdè peremptus, palmam martyrij adeptus est, sacris nunc virtutibus pollens. Igitur beatus Preiectvs ex Regalibus dictis, vel munificentia Regis, vt ipsi placuerat, de prædiis quæ præfatus Hector requirebat iudicium adhibuit, qualiter hæc perpetim iure Ecclesia possideret, vale dicens Regi atque Optimatibus magnificè honoratus ad propria est regressus.

Marginal notes: B (beside "Aulam"); C (beside "vel pace Ecclesiæ"); * amici; * Sic est in Exemplari Ms.

CHILDERICVS II.

A

Ex Vita Ms. sanctæ Odiliæ Virginis.

TEMPORIBVS CHILDERICI * Imperatoris Romanæ & Franciæ terræ, quidam Dux illustris nomine ADALRICVS *, qui etiam alio nomine ETIH * dicebatur, ex nobilissimis parentibus generis nomen sortiens, Gallensium territorio oriundus. Pater illius nomine LVITHERICVS * in Palatio prædicti Imperatoris honore Maioris Domus sublimatus erat. Filius autem eius cùm esset iustus, vitámque religiosam in laico habitu quamuis positus ducere cupiens, Dei inspirante gratiâ cogitare cœpit, vt aliquem locum habitabilem ad Domini ministerium implendum præpararet, ac arcanum sui cordis fidelibus suis pandere præcepit. Qui iam consilium sui domini cognoscentes, ac voluntati suæ libenter satisfacientes, secretum tenuerunt, & tandem locum diu desideratum requisitúmque manifestauerunt: dicentes, venatores ipsius quendam reperisse locum in præcelsi montis cacumine situm, cui nomen ab altitudine vrbium Houmburch erat. qui sibi aptus videretur fore ad implendum desiderium suæ voluntatis, si ipsius venerabili paternitati placeret. Qui etiam olim propter firmitatem atque defensionem ingruentium bellorum constructus MARCELLIANI tempore Regis fertur esse. Præclarus igitur vir Dei eorum manifestationi consensum præbens, concitè ipsum peragrans locum, diligentérque inuestigans, Deo gratias referre cœpit, quòd sibi talem manifestare dignaretur mansionem, quæ tam competens aptáque esset ad explendum propositum sui desiderij. Móxque inibi Ecclesiam, & cetera ædificia, quæ militantibus Christo necessaria sunt, ædificari ordinauit. Huius ergo thalamis venerabilis coniunx adhærebat, ex nobilissimis progenitoribus orta, nomine BEREHSINDA *, sicuti assertione plurimorum didicimus, affinitate sancti Leodegarij redemita, soror beatissimæ SIGRANDÆ matris ipsius sanctissimi Leodegarij. Quæ quamuis lege coniugali ligata foret, tamen eleemosynis & ceteris iustitiæ operibus dedita, necnon & sanctarum paginas Scripturarum libenter audiens, Deo studebat illibatum exhibere seruicium. -- ∴ B

* al. HILDRICI

* ALDARICVS

* al. EDICH

* al. LVIDERICVS, vulgò LEVDESIVS.

* al. PERSINDA, seu BERSINDA,

Ex Vita Ms. sancti Landeberti Episcopi Traiectensis, ab Auctore contemporaneo scripta.

GLORIOSVS vir LANDEBERTVS Pontifex oppido Trijectinse oriundus fuit, & alitus, ex parentibus locupletibus secundum dignitatem seculi. Inter Præsides illius temporis venerandus, & longa prosapiâ Christianus. -- ∴

Eo tempore oppido Trijectinse cathedra Pontificali præsidebat summus Pontifex THEODOARDVS, diuinæ dispensatione prouidentiæ. Protinus pater eius commendauit eum supradicto Antistiti, diuinis dogmatibus, & monasticis disciplinis in Aula Regia erudiendum. Erat enim adolescens sapiens, aspectu amabilis, colloquio affabilis. Recta conuersatione tam cum Pontifice, quàm & in Domo Regia militare cœpit, itavt omnibus hominibus erat conformis. ---- ∴ C
Tantum gratiarum in conspectu Pontificis inuenire meruit, vt quasi filium, heredem, & successorem sibi eum eligere adoptabat, si licitum ei fuisset, propter institutionem canonicam.

Interfecto itaque præfato Antistite THEODOARDO, copiosa multitudo virorum in regione illa habitantes, & cognoscentes LANDEBERTI prudentiam, fidem, & opera, atque conuersationem nobilissimam, clam locutione inuicem eligere eum disponebant ad Pontificalem Sedem. Ergo Optimates viri & illustrissimi, qui eo tempore rectores Palatij videbantur, glorioso domno CHILDERICO Regi famam beati viri innotuerunt. Et actus eius non silentes, testimonium perhibentes, vt dignus erat Sacerdotio fungi, & onus Pontificale accipere. Habuit itaque effectum eorum petitio, libenter obtinuerunt quod deuotè postulauerunt. Tunc omnis plebs in Spiritu sancto vno accepto consilio, & simul cum Regis imperio, fauente Domino, à quo iam dudum electus erat, subrogatus est vt præesset Ecclesiæ Trijectense. Ipse verò timore Domini repletus, officio sumpto, omnia quæ sui erant officij in opus bonum multiplicabat cotidie. Porrò Rex

A cùm almitatem & prudentiam eius percunctasset, diligebat illum super omnes Pontifices & Optimates suos.-- ⁝ Erat enim Consiliarius fortis, & omnem sapientiam cum cura & moderatione gerebat. Apud Regem summum tenebat locum. CHILDERICVS II.

Igitur cùm interfectus fuit ab impiis gloriosus Rex CHILDERICVS, tunc inuidus omnium bonorum diabolus festinus insurrexit contra beatum virum. Tunc aduersarij sæuissimi iniqua & falsa consilia machinantes, vt eum de sede Pontificali deicerent. Et ita præualuit iniquitas eorum, & deposuerunt eum de sede sua sine causa: & priuatus est de honore suo absque culpa. Post hæc FARAMVNDVM in Cathedram illius constituerunt. Electus Dei Landebertus Pontifex perrexit ad Monasterium, quod vocatur Stabolaus nec ampliùs in obsequium eius remanserunt quàm duo pueri. Qui vnus ex eis nomine Theodoenus, multum nobis de vita & operibus eius solitus est narrare.-- ⁝

POST septem annis expletis, depositus est Faramundus de sede Pontificale, & eiectus de Prouincia Trijectinse. Tunc agmina Clericorum, & vulgus populorum, vna pariter voce vigente, postulabant Deum, vt Pastorem eorum domnum Landebertum recepturi essent. In illo tempore erat Princeps PIPINVS super plurimas regiones & ciuitates sitas Europæ. Audita opera beatissimi viri, sub vnius diei articulo, iussit eum cum magno honore ad propriam sedem reuocari.-- ⁝

Et iam cùm Dominus vocasset sanctum Landebertum, vt propter tanta opera B dignam redderet ei mercedem, insurrexerunt duo pessimi homines Gaullus & germanus suus Roldus in aduersitatem eius, & seruientes Ecclesiæ suæ, in tanta opera peruersa, vt nullus eos ferre potuit, nec euadendi erat locus ante illos. Repleti amici Pontificis ira & tristitiâ, calamitate magna compulsi, & humilitate depressi, interfecerunt eos ex merito eorum. In illis diebus erat DODO Domesticus iam supradicti Principis PIPINI, proprius consanguineus eorum, qui interfecti fuerant. Et erant ei possessiones multæ, & in obsequio eius pueri multi. Cùm audisset necem proximorum, collexit magnam copiam virorum fortissimos ad præliandum: mox irruit ad interficiendum beatissimum virum Landebertum Pontificem in villa, cuius vocabulum est Leodio, sita super fluuium qui vocatur Mosa.-- ⁝

Ex Vita & Passione sancti Berchariј Abbatis & Martyris, auctore Adsone Monasterij Deruensis Abbate.

FRANCORVM Imperium Rege CHILDERICO felicissimè disponente, viro quidem rebus bellicis potentissimo, circa Ecclesiarum autem Dei cultum deuotissimo, beatus Pontifex NIVARDVS sanctitatis ac religionis magnitudine toto Francorum Orbe famosissimus, Apostolica auctoritate cœlestem in terris vitam agens, sanctæ Remorum præsidebat Ecclesiæ. Qui, quia esset plenus auctoritatis C & gratiæ, cùm peteretur quoque diuersas terrarum vel nationum tam pro vitæ merito quàm etiam doctrinæ affluentis eloquio partes inuisere, fines Aquitaniæ aliquando contigit expetisse, atque ad illud vsque prædium traditur peruenisse, in quo viri Dei BERCHARII parentes videbantur propria statione resedisse. Nam inter cetera, quæ ex dote supernæ dispensationis hic vir sanctus acceperat, non mediocribus quoque paternæ hereditatis titulis à progenitoribus temporaliter etiam certum est floruisse. Quod videlicet si quis diligenter velit in promptu est agnoscere, cùm penè vsque ad hæc nostra tempora eius iuris villas & prædia, tam vltra Ligerim vbi Diseias dicitur, quàm etiam intra fines Aquitaniæ constituta, hi qui sibi in Monasterij sui regimine probantur successisse, per longa temporum curricula iure quieto visi sint possedisse.-- ⁝ *Extat in Prompt. Antiq. Trecass.*

Subsequenti tempore, dum puer sanctæ indolis tam scientiâ quàm virtute animi coæuos suos breui præcederet, atque paulatim bonæ intentionis primordiis ad cœlestis militiæ perfectius tyrocinium decreuisset intendere: spretis propinquorum & patriæ retinaculis, præfatum sanctissimum Niuardum Remorum Pontificem flagrat ardore expetendi. Qui, sicut diximus, Apostolicæ institutionis prærogatiuâ suffultus, nobilitatis honore clarissimus, variis virtutum generibus adornatus, inter Francorum Proceres primus in Aula Regis, vitâ & conuersatione di-

CHILDERICVS II.

gnissimus. Fulgebat per id temporis ea ciuitas Sanctorum stipata cohortibus, & A licèt inter militares alas sub Principe suo CHILDERICO, capiti tamen suo consona, diuini amore cultus vrbs populosa spirabat. Huius itaque tantæ opinionis gratiâ prouocatus felix adolescens BERCHARIVS, cognationem relinquens & patriam, post longi laboris excursum fines ingreditur Franciæ, futurus cum beato Niuardo Pontifice ciuis felicissimus.

Hic igitur beatus Pontifex, vt semper optauerat, tali ac tanto suppare adepto, cupiens eum vndecumque perfectiùs erudiri, sanctioribus ac religiosioribus diuinæ scientiæ viris, quos sibi vndique collata familiaritate addiderat, copulandum esse constituit: vt videlicet plurimorum instituentium auctoritate disceret, quod postmodum plurimis ministraret. Inter quos tunc temporis in Regis Francorum Aula præpollentis beatissimi REMAGLI Procuratoris quidem sacri Scrinij Palatij prudentiæ & sanctitatis titulis commendata vbique excreuerat opinio veneranda. Huius talis ac tanti viri sacris institutionibus ac magisterio cùm Bercharius per aliquod tempus frueretur, Luxouiense Monasterium accepto tulit expetere. Deinde in Prouinciam Remorum ad sanctum Niuardum Pontificem reuertitur.

Prædium est publicum in pago Remensi octo millibus ab vrbe disparatum, *cui* videlicet æuo præcedenti Sparnacus nomen fuisse constat impositum. Quod olim quidem, tempore scilicet CLODOVEI Francorum magni Principis, quem beatus Remigius Apostolica auctoritate & præditus & probatus, doctrina & virtutibus magnificus, cum suo exercitu aqua sacri baptismatis inundatum vnctione crismatis preciosi inlinierat, idem pater mirificus non modicæ quantitatis precio acquisierat, ac Remensem Ecclesiam, cui auctore Deo præsidebat, heredem constituerat. Denique gloriosissimus Dei Pontifex Niuardus pastoralis solertiæ condignè administrans officium, tum ad alia suæ diœcesis loca inuisenda, tum quoque ad hunc sæpè vicum egrediens, non tam propriæ causa agebat vtilitatis, quàm eunctis se affabilem quoque exhibens, salutem subiectorum sedulus impendebat. Cúmque dies ac noctes ædificandi Cœnobium in aliquo *prædiorum suorum*, quibus nobiliter temporali quoque emolumento pollebat, desiderij continuatione peruigiles duceret, assumpto suo illo, vt sæpè solebat, domestico beato Berchario, causa extitit, qua præfatum vicum expetere pro more cogitaret. Huius processu itineris quo ad eundem vicum Maternæ * fluminis littoribus contiguum tenditur, quidam sui iuris locus erat gratissimus, qui paululum reducto sinu in montis latere amœnissimam herbis virentibus aquarúmque riuulis ex sublimi vertice leniter effluentibus, arboribúsque ac vineis in decliui circumquaque constipatus, intuentium oculis oblectamenta præstabat.-- :.

* al. Marnæ

Itaque in supradicti prædio loci, quod, pro eo quòd in decliui montis latere, vt diximus, situm, reducto profusiùs sinu, pulcherrimam blandientis amœnitatis planiciem reddat, atque in prospectu suo subiacentia Maternæ fluminis *longè* latéque littora circumdespici, mulcenti quadam visionis voluptate *compellat*, ab antiquo tempore Altum-villare * nomen acceperat, designationis *spacium* murorum ambitu iactis fundamentis complectitur, omnésque illius *parietes* ædificij ad modum columbæ in aëre permeantis suspecta permensione metatur. Nec ante diuini cultoris opera destitit, donec superna annuente prouidentiâ, CHILDERICI etiam Regis Francorum, ac sacri Antistitis opitulante clementia, opus, quod ad laudem Dei susceperat, optata perfectione compleret. Ad consecrationem verò Basilicæ cum sancto Niuardo Metropolitano Pontifice, alij etiam Episcopi conueniunt, Clerus omnis, & numerosæ plebes vtriusque sexus irruunt. Proceres quoque Francorum non minori voto concurrunt, & per beati viri Bercharij opus laudabile in Dei laudibus pari omnes magnitudine iocunditatis exultant. In australi verò eiusdem montis latere aliam struxit vir sanctus Ecclesiam, quam genitricis Dei & Domini nostri Iesu Christi semper Virginis Mariæ nomine decreuit honorandam. Septa etiam Monasterij & vniuersas competentis ordinis officinas ad sectandam vitæ regularis obseruantiam prudentissimè composuit, Monasticæ conuersationis viros religiosos aggregauit, & cuncta quæ huic ordini commoda iudicabantur diligenter impleuit. Copiosos verò prædiorum sumptus sanctissimus Antistes, tam ea quæ sui iuris esse videbantur, quàm quæ etiam beato interueniente Berchario ab ipsis Francorum primoribus obtineri poterant, *in*

* al. Autiuillare

A necessarios seruorum Dei delegauit vsus: vt videlicet in eodem Cœnobio & merito & numero populus Dei seruiens, vtriusque laboribus augeretur.-- ⁚ CHILDERICVS II.

Rebus igitur tam exterioribus quàm interioribus prædicti Altiuillarensis Cœnobij secundum Dei cultum honorificè ordinatis, iamdictus Pater Bercharius, corpore quietis impatiens, opportuna sibi loca lucrificandi gratiâ perquirebat. Abindè namque egressus, Dei munere præcurrente, vastam saltus DERVENSIS solitudinem petere contendit. Quo in loco, qua venerat, intentionis non immemor, aptum ædificandi Cœnobij statum in vigilando sollicitè scrutabatur. Hæc igitur inter cogitandum, Dei gratiâ præduce contulit se ad quandam matronam VVALTILDEM nomine, quæ superbo nobilitata sanguine, plurimorum à proauis prædiorum affluentiâ lætabatur. A qua vir sanctus condicti precij dono emit sibi partem syluæ, eum scilicet locum qui dicitur vulgo Mangisuillare. Ibique Cellulam ædificans, eámque beatæ Mariæ ad honorem consecrans, puellarum cœtum Deo matríque seruiturarum, prout posse fuit, diligentissimè aggregauit. Nam viam publicam vulgo Cantillam dictam expetens, precio à prætereuntibus suscepit captiuas puellas octo, quas in sancta Religione edocens, Deo dicatas ibi manere constituit. Ex hoc igitur Christi adminiculante suffragio, excreuit numerus Virginum ad vsque sexagenarij cumulum. Quibus etiam prædictus Pater neptem suprascriptæ matronæ VValtildis solemniter Abbatissam præfecit.

His quoque ritè peractis, secretiora saltus infatigabiliter excutiens cognoscere B summopere gestiebat, sicubi opportuniora loca ædificandi Cellulas reperisset: veniens in quemdam locum Lutosas nomine, Cellam construendi aptum reputans, nimia sollicitudine vota explere studebat. Hoc igitur propriis viribus nullomodo dignum ducens aggredi, cuius erat hoc prædium potestatis adiit. Eo siquidem tempore CHILDERICVS Rex Regnum Francorum nobilissimè gubernans, libentissimè sancti viri petitionibus acquiescebat. Hunc ergo Pater eximius adiit, atque sibi ad bona vota consortibus viris Dei amore feruentibus, LEVDEGARIO & MVMVLENO Episcopis, AMALRICO quoque & VVLFAVDO Optimatibus, impetrauit à Rege licentiam ædificandi sibi in eodem loco Basilicam, quam beati Martini in honore consecratam prædictus Rex Childericus circumquaque ab Ecclesia siluæ leugua vna benignè donauit. Beatus verò Bercharius neque his contentus, Cellulam sibi aliam diuina gratia inspirante iuxta locum qui dicitur Puteolus, ea in parte quæ nunc Monasteriolum dicitur, ad honorem beati Mauricij* condidit, sperans aptum se Monasterium ædificandi locum reperisse. Verùm cùm hoc etiam sibi habile non videretur, super fluuium Vigeræ quandam Ecclesiam sancti Sulpicij honori dicauit. Neque ibi etiam statum Cœnobij aptum fore ducens, mente peruigili, vt sapiens architectus, eum, qui petentibus se adesse comprobat, dare votis congrua loca poscebat. *al. Martini

Quodam igitur tempore, cùm iam diuina clementia vlteriùs famulantis animum per diuersa distrahi nollet, præcurrentibus indiciis locum votis congruum C iri repertum dedit.-- ⁚ Qui locus duobus integris milliariis à præfato loco, qui dicitur Puteolus, disparatur. Ibi ergo beatus Bercharius, multo labore siluis radicitus erutis, Cœnobij ædificandi statum præelegit. Exindè ad Palatium progreditur, Regis super hoc negocio clementiæ supplicaturus. Auxiliantibus verò sibi per diuinam gratiam, ex cuius desiderio ista agebat, sancto Leudegario Episcopo, & ALMARICO Maiore domus, Fulcoaldo quoque, & VVlfaudo, Niuardo etiam & Attelano Episcopis, impetrauit sibi dari à Rege siluam ex suo fisco, qui vocatur VVASSIACVS, in circuitu præfati loci, sicut ex auctoritate regia tenetur exterminatum, vnde sumptus habere valeret ac prædia ad Cœnobium constituendum. Cùm etiam Deo disponente ad plurima sibi Rex libentissimè faueret, ad hoc vsque processit, vt aulam sibi decenti ornatu, vt Regiam decebat Maiestatem, in loco qui dicitur Puteolus fabricatam, vbi causâ venandi crebrò aduentare consueuerat, dono ei concederet: vnde ipse domnus Bercharius Ecclesiam Deo in honore sanctorum Apostolorum Petri & Pauli consecrandam construxit, quam ex præfato loco Puteolum appellauit. Sanctus verò vir quando suprà memoratas puellas emit, simul cum ipsis precio suscepit viros octo captiuos: quos in sancta Religione edocens, primos in eodem loco Monachos constituit. Multi verò sanctam conuersationem illius, ac religiositatem admirantes, per ipsius exhor-

THEODORICVS I. tationem Deo fauente, qui neminem vult perire, relinquentes omnia quæ in seculo habere videbantur, sub Monastica norma, & sub doctrina sancti ipsius Patris Deo se mancipauerunt. Ipse ergo aquam ad ipsum Cœnobium de longè perduxit, officinas ad omnia necessaria parauit.-- ⁝ A

Ex Vita sancti Amati Episcopi Senonensis.

Apud Surium Tom. V. SENECIO Senonensium Episcopo è vita subtracto, ab Episcopis & populis sanctus AMATVS eligitur, & licèt inuitus, Senonensis Episcopus constituitur. Hac tempestate THEODORICVS Clodouei filius, & Dagoberti nepos, erga Francorum primores tyrannidem exercere conatur, ab iisque captus, & iniuriis affectus, vi in Monasterium detruditur, & CHILDERICVS frater ei subrogatur. Sed illo quoque propter insolentiam à Francis interfecto, in Regnum Theodoricus restituitur. Apud quem tum nimis credulum à maleuolis, qui semper solent inuidere bonis, accusatus est Amatus Episcopus. Ille mox inauditum iubet præter ius fásque abire in exilium. At pius Pontifex oues suas Domino commendans, ad locum destinatum libentissimè proficiscitur: iussúque Tyranni Peronam pagum Veromanduorum perductus, sub egregio Abbate VLTANO in custodia permanet. Is Vltanus frater fuit Fursei & Foillani Episcoporum, qui ex Hibernia regio stemmate orti, in Franciam peregrini venerant.-- ⁝

Per id tempus clara prosapiâ editus MAVRONTVS, Adalbaldi & sanctæ Rictrudis primogenitus, in Aula Regis insignis habebatur. Eum beatus Amandus Episcopus Clericorum Abbatem instituit, & Diaconum ordinauit. Is itaque in fundo suo, qui Broilus dicitur, in sancti Petri honorem Monasterium construxit. Atque Vltano Abbate viam vniuersæ carnis ingresso, Rex Mauront um ad se vocat, iubétque vt sanctum Amatum Episcopum Peronæ exulantem sine mora secum abducat, & in suo Monasterio custodiendum seruet. Facit Mauront us vt erat iussus, Peronámque veniens, sanctum virum cum omni eius apparatu secum ducit.-- ⁝ Vbi autem iter confecère, haud procul à Martianis, qui locus est ad Scarpam fluuium situs, aliquantisper in Hamatico Cœnobio hæserunt. Ea enim duo Cœnobia, Martianense & Hamaticum, opportuna sibi vicinitate coniuncta, sub vno canone & amica societate degebant: atque in eorum altero sancta Gertrudis beati Adalbaldi auia, cum sua pronepte & virgine Eusebia; in altero pari studio florebat Ionatus sancti Amandi discipulus, & Rictrudis cum filiabus duabus. Eiusmodi ergo cœtibus adiunctus est beatus Confessor Amatus, omnésque pariter vna animi intentio ad sublimis iustitiæ culmina euehebat. Cùm autem in beato Antistite Amato totius perfectionis gratia reluceret, visum est tandem bono dispensatori Mauronto, & eius sanctæ matri Rictrudi, Broilensi Monasterio eum præficere, & se & prædium suum per illum Domino offerre. Coactus igitur ab illis & toto Monasterio vir Dei, cùm eis benè precatus esset, eò profectus est: totisque viribus illic Domino sanctè & religiosè inseruiens, subditis de se præbuit humilitatis exempla, tam verborum doctrina & institutione, quàm vitæ simplicis eximia puritate.-- ⁝ B C

Ex conuersione S. Huberti Comitis, postmodum Episcopi Leodiensis.

TEMPORE illo, quo EBROINI crudelitas Regnum Francorum grauiter opprimebat, erat quidam adolescens nobilis, Aquitanicus genere, sub THEODORICO Rege Comes Palatij, HVBERTVS nomine: & litterarum studiis eruditus, & armorum exercitatione strenuus. Fertur autem quòd quadam die solemni, quando alij Christiani seu vicini eius pergebant ad Ecclesiam, ipse vanitatibus mundi deditus pergebat ad venationem. Et ecce apparuit ei quidam ceruus, qui infra cornua sua gestabat signum sanctæ Crucis. Audiuit insuper quandam vocem „ dicentem sibi: Nisi conuertaris ad Dominum per sanctæ vitæ propositum, descen„ des velociùs ad infernum. Quo audito, descendit ilicò de equo suo, adorans Dominum qui sibi apparuerat, & promptum se exhibens ad faciendum quod monuerat. Hic, quia prudentis erat ingenij, considerans Ebroinum ad omnem malitiam promptissimum, execratus omnes actus illius, Franciam Sequanorum deseruit: & in Austriam ad PIPINVM Ducem, cuius iustitia & industria ac vir-

A tùs bellica Tyrannos omnes oppresserat, se contulit. Adhærebátque illi quasi comes indiuidua, amita sua ODA, quæ extitit BOGGIS Aquitanorum Ducis recens defuncti relicta vidua.

Cùm igitur in parochia Tungrensi apud memoratum Principem HVBERTVS vir illustris aliquamdiu conuersaretur, beati LAMBERTI Pontificis celebre nomen famâ discurrente cognoscens, cupiénsque ipsum videre, descendit Traiectum. Quem Lambertus vir Dei gratanter excepit, multis quoque diebus secum detinuit.-- ⁝

Ex Vita Ms. sancti Drausij Suessorum Episcopi.

Hic sanctus vir DRAVSIVS non solùm superbo satus sanguine satis spectabilis lineam generositatis traxit de parentum nobilitate, verùm etiam ipsam ingenuitatem in seruilem redactam conditionem Deo subdidit sponte.- ⁝ Pater siquidem eius Leudomarus est nuncupatus, vir sagax & industrius, genitrix verò est vocitata Rachildis, matrona admodum nobilis, & Deo in omnibus amabilis. -- ⁝

Igitur parentes eius videntes eum tam miris morum virtutibus excellere, decreuerunt eum inclyto viro & Patri moderando, ANSERICO Suessionensis ciuitatis quondam Episcopo ad educandum tradere: vt si quid minus sibi esset B ex primo, suppleri in secundo posset magistro.-- ⁝

Non multò post excursu dierum suorum numero, dictus Ansericus, vocante se ad remunerationem Deo, bonorum repletus fructu operum, hominem exuit, & extremum vitæ diem clausit. Ne autem tantus populus diutiùs esset sine rectore, eius in loco Pontificatus dignè quodammodo successit BETTOLENVS vir religiosus. Indignum tamen ab aliquibus ferebatur, quòd tanti honoris onus nefandè sibi arripuerit vt incautus. Dignè itaque eum dixerim Episcopatus prælatum honore pro tanta religiositate egregiæ vitæ, qua legitur vixisse. Indignum verò hoc idem secundum quorumdam iudicium proposui fore, propter datum thesaurum pecuniæ pro adipiscenda eadem dignitate.-- ⁝

Igitur beatus Bettolenus euoluto aliquanto tempore sub hac Episcopij prælatione, postquam plebi sibi commissæ cum sollicitudine pastorali more pro posse curam exhibuit, ipse quoque quis & qualis esset, aperuit, & vitam suam sub hac nodositatis infidelitate finire noluit: sed quasi sacrilegium commiserit, reum se penitus fore acclamauit, quòd quasi precio oues Domini emere præsumpserit.-- ⁝ Conuocat ergo seniores & plebiscitos, quorum consilio & astu solitus erat de maioribus aliquid agere, vel diiudicare omnimodis rebus. Qui etiam C propositum mentis suæ illis intimans, se indicat velle deponi à tanto dignitatis culmine, & pro supradictis causis non posse se vlteriùs fidelem domus Dei dispensatorem esse.-- ⁝

Itaque videntes in tali voto perseuerantem Dei seruum, vnanimis vocibus acclamant & expetunt sibi dari & ordinari Episcopum sanctum Dei Drausium. Non autem hęc vox solummodò Procerum, erat nobilium ac potentum Principum, sed mediocrium & pauperum, atque penè omnium diuersi sexus & ætatis.- ⁝ Audiens ergo Bettolenus vnanimem precem tantarum vocum, non distulit, sed magis implere studuit multorum votum. Suasit itaque Maiestati Regiæ, hoc ex eo fieri debere, cuius vitæ morum se testem asseruit fore.-- ⁝

EVEHITVR itaque beatus DRAVSIVS tanto culminis honore, præficitur plebi Suessionicæ, ordinatur in Pontificali sede, pro voto omnium & voluntate. Quo ordinato, vir Dei BETTOLENVS ad Cœnobium, in quo priùs sub regulari tramite deguerat, est regressus. atque ibidem egregiam vitam fertur duxisse, & ibi vsque ad vitæ terminum perseuerasse.-- ⁝

Ergo nihil acceptabilius credidit fore S. DRAVSIVS, quod posset Domino retribuere, quàm si satageret Monasterium aliquod construere, quod esset idoneum Religiosorum virorum siue sacrarum Virginum moribus pudicis & castæ vitæ. Erat quidam locus secus fluuij Axonnæ litus, distans, vt fertur, à Suessionica ciuitate CXLIIII. stadiis, cui vocabulum Rotundas est inditum antiquitus, quem etiam à Bettoleno Causiacense quondam Abbate, tradito precio congruen-

THEODORICVS I. ti, emisse fertur vir Dei Drausius. Quo in loco mirificè, & satis decenti iure ædificium nobilis Ædis votiua mente construxit. Religiosorum quoque virorum congregatiunculam ibidem sub sanctæ vitæ norma degentem aggregauit. A

Vt autem situs prætitulati Cœnobij partim manifestetur, hoc tantùm supponimus, quia ipse locus ab vno latere se pandit apertè hominum visibus. Est verò densissimis saltibus altrinsecus stipatus. Licèt verò sit siluis inditus, est autem hinc indè ad sidera notus. qui videtur in saltibus, Cotia videlicet & Lisica, quasi occultatus hominum obtutibus.-- ⁝

Hoc igitur Monasterio, vt prædictum est, ordinato, & regulariter stabilito, non immemor propositi bonæ voluntatis, conatus est etiam aliud, si posset, conficere: si verò non suppeterent vires, alteri conficiendum suadere.

Igitur ea tempestate, qua EBROINVS in Regio Palatio habebatur præ ceteris præcipuus, & consiliis Regis intimus, necnon & inter Primates regiæ dignitatis nobilissimus: sæpedictus Episcopus proindè delegit priùs votum suum reuelare auriculæ nobilissimæ matronæ LEVTRVDIS, prædicti Principis Ebroini coniugis. Petiit siquidem ab ea, & humili prece depoposcit, vt pro Dei timore simul & amore dignaretur voto suo satisfacere: scilicet quòd suaderet viro suo, vt aut licenter daret sibi facultatem construendi locum vitæ Virginum in quolibet locorum vicinarum partium: aut ipsa cum viro inciperent ipsum diligenter perficiendum pro salute animarum suarum. Cuius petitionibus votiuis pia coniunx fauens, viro suo hoc ipsum faciendum, aut sibi facere permittendum sedulò suasit, ac precibus suis aurem eius inclinauit. Qui tam suæ coniugis, quàm etiam sancti Dei piis exhortationibus, & votiuis precibus victus, quod petebant se facturum, seu permissurum fieri spopondit. -- ⁝ B

Fundatum est itaque Monasterium extra Suessionicæ ciuitatis murum, supra ipsum Axonæ alueum. In quo vir Dei DRAVSIVS cum prædicta matrona statuerunt Chorum sacrarum Virginum ibidem Deo dignè famulantium. -- ⁝

POST huius sancti (Drausij) transitum, grex sacrarum Virginum ab ipso diligenter educatarum numero meritóque refulgens in sacræ deuotionis religione intantum cœpit pollere, & ipsa pluralitate personarum excrescere, vt terra ipsa videretur proclamare vix se posse omnes continere. Non enim poterat sinum suum vel in breui gyro protendere, tam pro vicini muri oppositione, quàm etiam fluuij Axonæ crebra inundatione. Nam penè singulis annis dum fluuius ipse more solito supergreditur alueum suum, intantum se exerebat, vt prope ipsas fores domorum impingere videretur, ruinámque ipsarum ædium sæpè minaretur.-- ⁝

Quod cernens nobilis matrona LEVTRVDIS, pietosæ quia erat mentis, animo indoluit, corde ingemuit, quòd tam negligenter tractarentur famulæ Dei. Accedens igitur ad præfatum EBROINVM virum suum, suasit ei, iuberet clementiâ sua præparari asylum infra ciuitatis ambitum, ad quod confugere, in quo subsistere, & vbi ab hostium incursu liberæ secura ibidem mente Deo valeant seruire.-- ⁝ C

Post hæc EBROINVS Comes Palatinus tantis precibus suasionibúsque coniugis suæ deuictus, petenti cessit, roganti adquieuit, Monasteriúmque puellarum infra muros ciuitatis construi præcepit, dicandum nomini sanctæ & intemeratæ Mariæ matris Domini, vt ipsa scilicet mater castitatis sibi subditas castis semper tueretur obsequiis. Quo non multò post ita fundato, & decenti satis iure ordinato, ac ornato, maximam ibi Sanctimonialium cateruam aggregauit, eisque Abbatissam præfecit nomine ETHERIAM, ducentem viram moribus æthercam, quam ex religioso Iotrensi Cœnobio asciuerat, vt ipsis tanquam rudibus & adhuc immaturis viam rectè viuendi sub norma sanctæ institutionis ostenderet.-- ⁝

A

Ex Vita sancti Ansberti Episcopi Rothomagensis;

Quam Angradus Monachus scripsit ad Hilbertum Abbatem, eius in Fontanellensi Cœnobio successorem.

Eo tempore, quo sceptra Regni Francorum gubernabat CLOTHARIVS filius Clodouei Regis, & Bathildis Reginæ, vnà cum germanis suis, videlicet CHILDERICO & THEODORICO, sanctæ recordationis Ecclesiæ Rothomagensis Antistes ANSBERTVS, virtutibus clarus, ac Sacerdotio dignus, à patre SIVVINO*, & pago Veliocassino*, patrimonióque vocabulo Calcegio, nobili erat ortus genere. Sed repudiato stemmate patrum, mox vt valuit sola conditionis paternitate elegit censeri. Denique præfatus genitor ipsius sub prædictis Regibus militauit, & vitæ præsentis cunctis mortalibus commune debitum soluit.-- ∴

Apud Surium Tom. I.

* In Cod. Ms. SIGVVINO.
* Vilcassino & VVlgassino.

His diebus quidam illustris, ROTBERTVS* nomine, generosa ex stirpe proditus, gerulus fuerat annuli Regis Clotharij. Cuius filiam generosissimam ac nobilissimam ANGADRISMAM prædictus illustris Siuuinus à præfato inclyto Rotberto expetiit, volens eam suo iuueni filio ANSBERTO sociari. Nec mora præbens assensum eius petitioni prædictus illustris Rotbertus, constituto die casto iuueni casta desponderur & puella. Denique ambo integritatem mentis & corporis
B castè seruare cupientes, Dominus preces eorum exaudiuit.-- ∴ Sequenti quoque tempore sancta Angadrisma gubernatrix efficitur Oratorij Cœnobij, quod est situm in pago Belloacensi, prope muros vrbis Belloacus. Genitor quoque huius sanctæ virginis, illustris Rotbertus, & frater eius ALTBERTVS, auunculi erant sancti Patris LANTBERTI successoris in ordine regiminis beati VVandregisili, originem ducentes ex territorio Taruanensi. Ex quibus præfatus Altbertus sub prædicto Abbate Lantberto sequenti tempore in Fontanella Monasterio Monachus efficitur.

* In Cod. Ms. sic RODBERTVS namque vir clarissimus, qui eo tempore summus Palatij erat Referendarius, &c.

Post hæc vir Domini Ansbertus in Aulam Regis, licèt nolens, à genitore perductus, sicut erat acumine ingenij clarus, cœpit esse Aulicus Scriba doctus, conditórque regalium Priuilegiorum, & gerulus annuli Regalis, quo eadem signabantur Priuilegia. Vbi positus, piæ doctrinæ atque humilitatis exemplis ad Dominum se conuertens, seculum relinquere, & ad Monasteria declinare curabat.-- ∴ Tunc igne diuini amoris accensus, ac sancti Spiritus lumine perfusus, à Palatio egressus, nullíque sodalium ac sibi famulantium confiteri volens suam voluntatem, iter arripuit, quod ad prouinciam ducit Rothomagensem, peruenítque ad Fontanellam Cœnobium situm in territorio Rothomagensi super magnum fluuium Sequanæ: vbi Sacerdos Domini clarus VVandregisilus Monasterium construxerat, atque cum magna Monachorum cohorte sub sanctæ Regulæ
C iugo laudabilem ducebat vitam.-- ∴

Quodam tempore, à climate meridiano distante à præfato Cœnobio passus ferè quingentos, hortatu eiusdem viri Dei, beatus VVandregisilus vineam plantare & excolere cœpit. Quo in loco præfatus vir Domini ANSBERTVS dum vnà cum Fratribus operaretur, THEODORICVS adolescens futurus Rex, venatibus, vt sibi gentilitium erat, insistens, ad præfatum Dei hominem accessit, quia nouerat eum prudentem doctrinâ, humilem cultu, sanctissimum imitatione. Nam à sancto Pontifice Audoëno Rothomagensis Ecclesiæ iam fuerat Presbyter consecratus. Quem idem homo Christi, & sancta benedictione muniuit, & Sacerdotali auctoritate de plurimis sanctæ doctrinæ hortamentis instruxit: insuper & Regem eum futurum esse prædixit. Quo negante id futurum esse, respondit vir Dei: Scias, quia honore Regni sublimaberis. Sed noueris te multa aduersa in Regno perpessurum, sicque laboriosissimè triumphum de hostibus tuis adepturum. Quod postea rei probauit euentus. Ad hæc adolescens intulit Theodoricus: Si pia omnipotentis Dei ordinatio me in culmine dominantem constituerit Regni, opto te dignum Deo fieri Antistitem, vt perpetua sanctáque doctrinâ crescat Ecclesia fidelium. Cúmque Sacerdos indignum se tanto onere ferendo diceret, ipsúmque

THEODORICVS I.

ex successione hereditaria Regni fastigia ampliùs conscendere debere intimaret, A & ille adhuc dubitans permaneret, adiecit vir sanctus: In hoc noueris meis fidem accommodandam verbis, si hodie hiemali tempore locus, in quo tabernaculum consistit, qui nunc tritus ob vestigia calcantium videtur, viridem produxerit herbam: sicque iuxta vestigia eiusdem tentorij, ceteris agri partibus viridior maneat in æuum. Quod ita secundum sermonem hominis Dei euenisse omnibus illò aduentantibus indicium est.

Denique cùm inclytus Domini Sacerdos VVandregisilus per xx. ferè annorum spacia hoc Cœnobium à primo ędificationis die in regimine tenuisset, iámque foret in decrepita ætate positus, languore correptus ad extrema peruenit. Quo in cœlestis regni societatem suscepto, omnis caterua Monachorum, iubente Deo, elegit famulum Domini LANTBERTVM, religione præclarum, & genere nobilem, ex territorio Taruanensi ortum. Cuius genitor Erlebertus vocabatur, qui plurima prędia prædicto loco Fontanellensi in eadem Taruanensi regione felici munere largitus est.

Huic venerando Patri Lantberto THEODORICVS Rex, filius Clodouei Regis & Bathildæ Reginæ, largitus est patrimonium aliquod, cuius est vocabulum Dusera, quod situm erat vltra fluuium Rhodanum in regione, quæ propriè vocatur Prouincia, eo videlicet modo, vt hoc prædium Monachis in Cœnobio Fontanellæ morantibus luminaria ministraret in Ecclesia, in oleo & ceteris huius rei necessariis. In quo loco prædictus Pater egregium condidit Cœnobium Monachorum, directis ex Cœnobio Fontanella Monachis, qui illud laudabile opus diligenter executi sunt. Et de prædio paruo magnum hactenus extat Monasterium Monachorum, & in illa regione ab aliis præcipuum. Quod per multa annorum curricula ditioni præfati Monasterij Fontanellensis subiectum erat, donec diuisione Regni, & discordiâ Principum, & incursione nefandæ gentis Agarenorum, cum aliis venerabilibus locis aliquanto depopulatum tempore, finem subiectionis fecit. B

Sub huius etiam regimine, beatus ERMELANDVS ex prædicto Monasterio Fontanella, rogante venerabili Pontifice PASCHARIO Nemetensis vrbis, in eandem regionem Nemetensem ab ipso Patre Lantberto directus, in quadam insula aluei Ligeris, quæ vocabatur Antrum, iuxta nominis eiusdem proprietatem, Monachorum venerabile ædificauit Cœnobium. In cuius largitione prædictus Antistes Pascharius statuit, vt post decessum eiusdem venerandi Patris Ermelandi, ex Monasterio Fontanella per cuncta succendentia tempora sibi instituant rectores, vniuersi præfati loci habitatores: veluti largitiones eiusdem loci, quæ adhuc in præfato Monasterio Fontanella seruantur, apertissimè declarant.

Prædicto etiam Patre Lantberto regimen loci tenente, beatus Christi Pontifex EREMBERTVS Tolosæ vrbis, & sanctus Presbyter Condedus, & Anachoreta, Britannia insula ortus, in prędicto Monasterio Fontanella Deo dignum & nomen assumpserunt, & habitum. C

Quo verò ordine in Lugduno celeberrima vrbe Galliæ Pontifex sit subrogatus, breui sermone narrabimus. Defuncto igitur sancto GENESIO Præsule eiusdem vrbis, cuius Deo dignam vitam laudabilia commendant gesta, ilicò pius Rex THEODORICVS, & inclytus Princeps PIPINVS Ansegisi filius, consobrinus videlicet beati Patris VVandregisili, cum Proceribus Palatij salubre agentes consilium, diuina vtique prouidente iussione, in præfata vrbe cum vnanimi eiusdem regionis populi voto, eiusdem vrbis eum constituerunt Antistitem. In prædicto verò Cœnobio fontanella, post recessum sancti Pontificis Lantberti, diuino nutu iuuante, vnanimes eiusdem congregationis Monachi beatum ANSBERTVM sibi elegerunt præesse rectorem.

Sequenti tempore contigit, vt beatus AVDOENVS Rothomagensis vrbis Pontifex, plenus virtutibus & sanctis actibus, à Domino vocatus, migraret è mundo feliciter. In cuius exequiis beatus Pater Ansbertus, vnà cum aliquibus Monachorum suorum, Clericorúmque ac Sacerdotum Christi cohorte plurima affuit. Qui vigilias eius sacræ depositionis solemniter celebrantes, dignis exequiarum honorarunt debita seruitute obsequiis. Post cuius sacrum transitum, ne Ecclesia de Pastore amisso iacturam pateretur, cuncti Rothomagensis vrbis ci-

A ues, missa petitione ad THEODORICVM gloriosum Regem, cum eius permissu & auctoritate; beatum ANSBERTVM sibi elegerunt consecrari Antistitem. Quorum electioni congaudens Rex, quoniam in eodem sancto Patre sapientiam affatim redundare, & religionem pollère cognouerat, ilicò eorum annuens petitionis electioni, extemplo Legatos dirigit, qui eundem Christi famulum regias perducerent ad ædes. Nec mora, Legati ad beatum Patrem Ansbertum peruenientes, mandata Regis pandunt, ad Aulam Regiam ire compellunt. Morabatur enim præfatus Rex in villa Clipiaco, quæ sita est in Parisiaco territorio, vbi Conuentum magnum populorum habens, de vtilitate ac tutela Regni tractabat: vt ad eius consultum, veluti agere consueuerat (nam Confessor illius erat) de Regni negociis tractaret. Sed cùm supradictus vir Dei hoc audisset, ilicò agnouit, non illud ista euocatione fieri, nisi electioni ciuium Rothomagensium in ipso, Regem assensum præbere velle. Fertur etiam Legatis Regis respondisse causa eximiæ humilitatis, indignum se fore officio curæ pastoralis. Qui festinanter retulerunt Regi, nunciando quale responsum acceperant. Secundò quoque ad eum mittens Rex, callidè intulit, nullo modo contra suam voluntatem, postquàm vnà loquerentur, super ordine Pontificatus agere se velle. At ille, vt erat sanctæ simplicitatis sapientiâ plenus, ad eundem Regem ire deliberauit. Tunc eligentibus ciuibus præfatæ vrbis Metropoleos, cum vnanimi voto sanctorum Sacerdotum, Regis, & B Principum, eligitur, trahitur, atque in eodem Palatio sancto Lantberto Archiepiscopo Sedis Lugdunensis, aliisque sanctis Præsulibus, qui ad hoc generale Placitum conuenerant, in Pontificem consecratur Ecclesiæ Rothomagensis. -- ⁖

Denique cùm sanctorum Sacerdotum & omnium ciuium Rothomagensium electione, & gloriosi Regis THEODORICI consensu, in Pontificem consecratus fuisset, nimio dilectionis feruore, quem ergà Fontanellense Cœnobium semper habuerat, Priuilegij sui auctoritatem eidem edidit, vt per succedentia tempora secundum sancti Patris Benedicti Regulam, &, vt præcedentium Regum, Clodouei videlicet, & Clotharij, simúlque Childerici & Theodorici Priuilegiorum auctoritates docent, ex semetipsis sibi perrennibus temporibus Abbatem eligerent. ---- ⁖ Facta est autem hæc Priuilegioj auctoritas sub anno Dominicæ Incarnationis DCLXXXII. Indictione x. qui erat annus præfati gloriosi Regis THEODORICI XVI *. & præfati venerandi Præsulis Pontificatus annus V. in Synodo generali Rothomago vrbe habita, vbi plurima Deo accepta, & sanctæ Ecclesiæ vtilitatibus profutura disputata sunt. Affuerunt quoque & sancti Pontifices, aliique venerabiles viri, ab ipso præcipuo Præsule euocati, quorum subter tenentur nomina asscripta. Ansbertus Archie- C piscopus vrbis Rothomagensis huic Concilio præfui, & subscripsi. Radbertus Episcopus. Regulus Episcopus. Airadus Episcopus Carnotenæ vrbis. Ansoaldus Episcopus Pictauensis vrbis. Aquilinus Episcopus Ebroicinæ vrbis. Cadoënus Episcopus. Arnonius Episcopus. Saluius Episcopus. Desiderius Episcopus. Fulcrannus Episcopus. Iohannes Episcopus. VVillebertus Episcopus. Gerebaldus Episcopus Baiocassinæ vrbis. Taurinus Episcopus. Annobertus Episcopus Sagiensis vrbis. Celsus Abba, Audomarus Abba, Scladio Abba, Bosochindus Abba. Genardus Vicedominus gloriosus antefati magni Pontificis. Ermentrannus, Ferrocinctus, & Fortianus, Archidiaconi venerandi. Aderat quoque Presbyterorum residentium, & Diaconorum circumadstantium magnus numerus. Ragnomirus Lector huius sancti Concilij gesta, & hanc Priuilegij auctoritatem, ipso sancto Pontifice iubente, recognouit, & subscripsit. -- ⁖

THEODORICVS I.

682.

* Sic restituit lac. Sirmondus To. 1. Côcil. Gall. ex Cod. Ms. cùm in edit. vulgari XIII. perperam legatur.

Sed humani generis hostis, æmulus semper bonorum, cuius inuidiâ mors propinata est homini, callidissima egit arte, vt vir splendidus mundo, splendidior in Christo, propria priuaretur Pontificali Sede, essétque detrimentum plebis ablatio tanti Pastoris. Nam cùm inter Principes Francorum sæua esset exorta discordia, ob multiformem Regni diuisionem, callidus humani generis hostis malignorum contra Dei famulum sæuire fecit inuidiam, qui PIPINO Principi fraudulenter suggererent, prefatum virum sanctum aduersus eum contraria tractasse consilia. Decedente enim de ordine Principatus VVARRATONE illustri, & eius filio ac supplantatore nefando GISLEMARO, Pipinus Præfectoriam administrationem Domino largiente adeptus est. Quo tempore incusatus apud ipsum Principem

THEODORICVS I. præfatus Pontifex sanctus, iussu eiusdem exilio deportatur in Altummontem Monasterium, quod est situm in territorio Hannoniensi super Sambræ fluuio. Cui tempore illo præerat venerabilis Halidulphus Abba. -- ⁝ Verùm aliquanto pòst pergens idem venerabilis Pater Halidulphus ad prædictum excellentissimum Principem vnà cum aliis viris venerandis, petitam pro eodem præclaro Pastore veniam concitè impetrare meruit. Reminiscens enim idem Princeps propinqui sui sancti Patris VVandregisili, sub cuius sancta disciplina præfatus sanctus Pontifex Ansbertus olim regulari ordine alitus fuerat, quæcumque perperam gesta fuerant clementer indulsit: insuper & ad sedem propriæ vrbis reuertendi licentiam tribuit. Sed ne hoc fieret, diuina vocatione præuentus est. -- ⁝ A

Ex Vita Ms. sancti Condedi Monachi.

BEATVS CONDEDVS famâ peruolante sancti Patris Lamberti Cœnobij Fontanellæ congregationem non minùs ceteris Religionis venustate clarescere, disposuit animo eorum se vniri consortio. -- ⁝

Deinde ad consulta præfati Patris Lamberti locum aptum suæ deuotioni ac religioni humiliter perquirendum deliberabat. Tunc cum benedictione & permissu Patris prædicti ad fluuium Sequanæ regressus, ac nauim ingressus, nauigauit in insulam vocabulo Belsinnacam vicinam fisco Arelauno, que vndique ambiebatur fluuio Sequanæ, quam de naui egressus lustrando circuibat, amœnitatémque ac secretum loci attentissimè mirabatur: orans potentem Dominum, vt ipsum locum suo clementer largiri dignaretur famulo. B

Sequenti autem nocte admonitus est in visu diuina reuelatione THEODERICVS gloriosissimus Rex, filius scilicet LODOVEI Regis & BATHILDIS Reginæ, qui ipso in tempore in saltu Arelaunensi exercitio autumnali venationi insistebat, vt seruum Domini in præfata Insula *consistentem* cum summo honore susciperet. Dictúmque est ei, quòd multorum populorum esset doctor futurus, nihílque ei negandum esse, quidquid ab eo postulasset. Qua fatus Rex visione certus, ex templo ad eamdem Insulam peruenit, & cum gaudio & honore summo eumdem seruum Domini suscepit. Et vt cognouit in eo fidei feruorem, religionis deuotionem, sapientiæ plenitudinem, secundum sanctam eius petitionem præfatam Insulam Belsinnacam per priuilegium suæ auctoritatis perpetualiter ei tradidit possidendam, sub perenni tutela ac defensione, vt tam ipse, quàm & posteri eius, Monachi videlicet in loco eodem consistentes, nullius infestatione ac inquietudine turbarentur: quatenus malorum incursu remoto, pro se totiúsque Regni sui pace liberè Domini implorarent clementiam.

Largitus est etiam præfatus Rex in eodem priuilegio eidem seruo Domini à plaga Orientali siue Aquilonari contiguos eiusdem insulæ agros, & prata amœna cum saltu densissimo, in quo greges aprorum & ceruorum abundantissimè omnibus commorantur temporibus, eo quòd frugiferis arboribus plurimùm stipata constet, quæ competentem & fertilem sine defectu huiusmodi generis animalibus indeficientem præbent alimoniam. Est enim aptissimus locus omnis generis animalibus nutriendis, qui & aliorum compendiorum in multis probetur vtillimus. Quem locum antiquitas Lutum appellari censuit, eo quòd hiemis tempore ex inundatione fluuij Sequanæ quædam in eo reperiantur loca palustria. Est enim longitudinis trium millium, cùm in latitudine centum quinquaginta passibus terminetur. C

Ex Vita Ms. sancti Boniti Aruernorum Episcopi, ab eius ataneo scripta, iubentibus Patribus Adelphio & Eucherio.

INCLITA BONITVS progenie Aruernicæ vrbis oriundus fuit, cuius pater Theodatus, mater verò Siagria vocitata est, à Senatu Romano duntaxat nobili prosapiâ. -- ⁝ Cùm pubentibus adhuc esset in annis, genitore iam defuncto, Domino gubernante Regis ad Aulam vsque processit, séque SIGIBERTI Principis ministerio tradidit. Cúmque ab eo obnixè diligeretur, Principem eum Pincernarum esse præcepit. Nec multò pòst, annulo ex manu Regis accepto,

A cepto, Referendarij officium adeptus est. Quo ille quidem tam accuratè & splendidè functus est, vt & Principi, & cunctis Proceribus gratus, atque præcipuè charus haberetur. Eo autem Rege defuncto, à pronepote suo electus est Præfectus Massiliæ primæ Prouinciæ. Vbi sanè causas ipsi commissas ea ratione perorauit, vt non tam Iudex, quàm Sacerdos esse videretur. Neque enim, vt more illic comparatum erat, homines venundari, aut auxilio mulctari, vel captiuos detineri vnquam iussit: sed potiùs si quos reperire posset venditos, vti semper consueuerat, redimere, atque ad sua remittere studuit.-- ⁝

Per idem tempus germanus eius AVITVS Pontifex, vir exterioribus studiis eruditus, sacrisque litteris, omnibúsque officiis diuinis præpotens, ter quinis ferè amplius annis magna cum alacritate Aruernam sibi commissam rexit Ecclesiam. Tandémque correptus morbo, cùm extremum cerneret aduentare vitæ suæ diem, consentiente ipsi Ecclesia, BONITVM virum Dei cumprimis idoneum successorem, Sedísque suæ dignissimum iudicauit Sacerdotem. Missa autem ab illo ad Regem Legatio est, vt is auctoritate Regia electioni Boniti suum quoque consensum adiiceret. Eo tempore sub THEODORICO Rege PIPINVS Maior domus curam Palatij & Regni gerens, cuncta ferè pro suo moderabatur arbitratu. Non defuit hac in re con-
B sensus Regis, Domino illius cor permouente, qui Ecclesiæ suæ opportunum Pastorem, & aduersus immanis beluæ rabiem defensorem parabat. Reuersis itaque Legatis cum gaudio, vir Dei Bonitus summa omnium voluntate, lætitia, & fauore, in Cathedra est collocatus. Ille verò suscepto Episcopatu, cùm esset vir prudens, non honorem, sed onus impositum sibi arbitrabatur.-- ⁝

Resurrectionis Dominicæ illucescente die, rogarunt illum fratres Magnilocensis Monasterij, cuius Abbas erat vir reuerentissimus BOBO, vt Missarum solemnia apud illos perageret. Cùm igitur ex more ad aram manus aquâ ablueret, venerabilis Pater ADELPHIVS, tunc adhuc Leuita, sed postmodum antedicti Bobonis viri Dei in Magnilocensis Monasterij regimine successor, id temporis ad altare viro Dei assistens, Diaconi fungebatur officio.-- ⁝

Postea sanctus Episcopus virum Dei NORDOBERTVM cùm primis excellentem & industrium, genere nobilem, ingenio valde perspicacem, obsecrauit, vt ipsi successor, & plebi ipsi commissæ rector, patriæque defensor esse vellet. Missi sunt autem ad Regem Legati idonei, qui illud negocium agerent, puta Cantinus Archidiaconus, & aliquot eius comites benè digni. Illi vbi ad virum Dei, re confecta, sunt regressi, cum magno omnium fauore Nordobertum sua in Cathedra reposuit. Indè verò ad Magnilocense profectus Cœnobium, in sanctæ Religionis habitu, sicut semper optauerat, illic aliquamdiu permansit. Locus autem ille tam est ab hominum consuetudine remotus, támque ad vacandum veræ Philosophiæ accommodus videtur, vt omnes
C eum sui nominis vindicem affirment. Nam vndiquaque collium præsidio munitus, & nemoribus amœnis est obsitus, amnéque rigante herbæ comantes germinant, & contra Cœnobij hortulum prata viridi facie læta patescunt: quem largum ab Austro aditum triplici itinere portæ communiunt. Sole autem suos spargente radios, sanctorum Martyrum aulæ splendescunt. Insignis emicat beatissimæ sempérque virginis Mariæ turris, ceteris celsior. Apostolorum quoque ædes fulget eximiè, Sanctorum nitent aræ, columnæ prisco sculptæ more sese subrigunt, miróque artificio cameræ ligna celata visuntur. Pluráque illic habentur alia, locum omnem mirificè exornantia. Hunc autem locum iampridem GENESIVS nobilissimus Pontifex in solo proprio voluit esse Monasterium, eíque Patrem præposuit venerabilem virum EVODIVM.-- ⁝

Cùm Dei Sacerdos aliquantisper illic demoratus fuisset, relictis patria & parentibus, rebúsque omnibus per Monasteria & Ecclesias distributis, Romam iter intendit, sacra Apostolorum visitaturus limina, & pauperem Christum sectaturus. Relicto igitur Aruernorum solo, Lugdunum peruenit, solitísque insistens pietatis operibus, Lugdunensem Pontificem & Burgundiorum Principem

THEODORICVS I. adiit, illosque ad pacem & concordiam reuocauit. Hærebat interim ad tempus aliquod in Monasterio, quod Barbaræ Insulam vocant. A

Post hæc autem vir Dei Lugdunum reuersus, quatuor annis illic permansit. Neque post multos dies lecto decumbens, podagræ molestiâ interiit. Cuius membra cùm annis ter binis ibi archâ condita fuissent, recordatus successor ipsius Nordobertus Præsul eius vtilitatis vel beneuolentiæ, quam erga se vir beatissimus exhibuerat, Legatum ad virum beatissimum GODINVM misit ipsius vrbis Præsulem, qui sacrum corpus repeterent. Legati postquàm mandata sua exposuerunt, tale ab Episcopo responsum tulêre: Mihi sacrum beati viri corpus à Deo commendatum est, non patiar me meósque tanto munere priuari.

Postea verò, cùm vir venerabilis PROCVLVS Præsulatus Cathedram Aruernicæ vrbis post virum Dei loco tertio sublimatus fuisset, dignum ille suo munere suscepit opus. Nam beati Mauricij Ecclesiam cernens omni ex parte deformem, quædam etiam illius diruta, miro modo non solùm in priorem illam restituit statum, sed etiam ad eius splendorem non parum adiecit. Simul etiam ad sancti Boniti reliquias repetendas dignos ablegauit Sacerdotes, venerabilem scilicet Adelphium Monasterij Magnilocensis Abbatem, necnon & Eoaldum Voluicensis Cœnobij Patrem; Moderatúmque Teclacensis Monasterij Rectorem, & alios Sacerdotes & Monachos, quos tali exequendo negocio idoneos est arbitratus. Qui vt Lugdunum ad virum industrium FVLCOADVM, qui eo tempore Præsulatus officio erat prælectus, peruenêre, eique sui aduentus causam exposuere, ab eo petita impetrarunt. Sanctúmque beati Boniti corpus ab ipso Proculo Episcopo in Ecclesia sancti Mauricij collocatum est. B

Ex Vita Ms. sancti Saluij Episcopi Ambianensis.

DVM longè latéque nomen Christianitatis per Regnum vulgaretur Francorum, atque vniuersi ad spem cœlestis Hierusalem anelarent, vir inclytus SALVIVS nomine seculari habitu nutritus & indutus corpore, diuina inspiratione tactus, concupiscentias omninò fugiens illecebrarum, Domino cordetenus militare cupiens, Monasterium quod ipse in honore sanctæ Dei genitricis perpetuæque Virginis Mariæ, almíque Principis Apostolorum Petri construxerat, quod non solùm rebus, verumetiam honoribus secularibus nobilitauerat, hilari animo pro æternæ remunerationis mercede expetiit, aque illic strictè & deuotissimè ieiuniis & orationibus Domino vacans, antiquum hostem cotidie vincere cupiens, & ad cælorum agmina fixis firmiter gressibus scandere cupiens, ibi etiam Deo largiente multorum animas lucrari non distulit, & ad Regem fideliter reportare studuit. Audiens TEODORICVS Rex Francorum sanctum HONORATVM migrasse Episcopum à seculo, Legatos suos direxit ad vrbem ANBIANICAM, sanctum scilicet HAVTGARIVM Nouiomensis Ecclesiæ Pontificem, ei intimans vt vrbani dignum Deo sibique salutiferum elegerent Episcopum. Vnde alacres effecti, & præ nimia exultatione gauisi, Deo immensas terratenus reddentes gratias, quòd suam dignaretur visitare plebem. Ac per omnes Ecclesiastici viri triduanum indixêre ieiunium, quatinus diuina gratia ostendere dignaretur, quis eorum vocaretur Episcopus. Triduano namque peracto ieiunio, diuino munere responsum audiêre, SALVIVM à me sciatis electum, & vobis Antistitem datum. Quocirca omnes penè in vnum conglobati, ad Cellulam, in qua vir Domini SALVIVS latitabat, conuenientes, humili deuotione ac prece supplici deprecantes dicebant: Ad tuam paternitatem venimus, Domine, iam ex itinere fatigati. Hos exiguos non despicias famulos, quia es à Deo electus, & nobis feliciter datus. Quod vir Dei renuens, dicens se indignum esse præsulari dignitate. Violentiâ ergo aduenientium sua abstractus à Cellula, cœlestique est electione ad dignitatem sortitus Pontificalem. Totum Regnum Francorum TEODORICVS Rex suo consilio ordinabat, & barbaras nationes feruido gladio eius con- C

A sultu suæ potestati subiugabat. Is autem venerabilis Præsul SALVIVS pabulo sanctæ prædicationis corda populorum assidua perfectione reficiebat, & ad pascua æternæ refectionis inuitabat. Ecclesiam denique, quæ necdum in loco erat, digno opere construxit, & in Principis Apostolorum beati Petri honore, necnon & doctoris gentium sacri Pauli reuerenter beauit. Homines vtriusque sexus, quos MVMMOLVS quondam Patricius capta ciuitate murisque eius diruptis captiuauerat, & Hispaniam miserat, TEVDERICVS Rex inclytus postea omnem eorum facultatem illis reddidit, & suæ eos ciuitati restituit. Et quia pene inhabitabilem repperit, diuina suffragante gratiâ ad meliorem reparauit statum. Res siquidem quas Episcopus regio dono adquisierat, quásque nobiliores Regni eius ob cœlestis patriæ amorem largiti fuerant, omnes Regia auctoritate conscriptas, & priuilegio insignitas Romano, perpetualiter habendas contulit Ecclesiæ. THEODORICVS I.

Ex alia Vita eiusdem sancti Saluij.

IN illo tempore beatus Saluius Vinmacum agrediens pagum, & in villam quam THEODERICVS famosissimus Rex Augustam nomine illi dederat, resedit. Ibique quidam puerulus suæ oblatus est præsentiæ, qui erat surdus, officióque carebat loquelæ. Cuius os, frontem, vultúmque totum cum olei attrectatione benedixit, ac deinceps vsum loquendi naturalis sine mora percepit. Quem demum baptismatis lauacro purgauit, & Ingaudium feliciter nominauit.

B

Tali denique cum gloria beati Confessoris Christi Saluij felix anima carnea mole v. Kalend. Nouembris soluta, Sanctorum choris in cœlo est sociata. Corpus verò eius in Ecclesia beatæ Virginis Mariæ est conditum. Crescente verò deuotione fidelium multorum iam curriculis annorum labentibus, MONSTERIOLO vico translatum, ibique digno cum honore claris coruscantibus signis decenter est, exornatum. Vbi meritis eius obtinentibus beneficia assequuntur, præstante coæterno Patre simul cum filio sanctoque Spiritu, quorum Deitas in vnitate regnat & indiuisibilis manet per infinita secula seculorum, amen.

EPITAPHIVM THEODORICI I. FRANC. REGIS Atrebati in S. Vedasti Monasterio inscriptum epistylio seu limbo superiori eius Mausolei.

C

REX THEODORICVS ditans vt verus amicus
Nos ope multimoda iacet hîc cum coniuge DODA:
Regis larga manus, & Præsul Vindicianus,
Nobis Regale dant & ius Pontificale.
In decies nono cum quinquagies duodeno
Anno defunctum sciet hunc, qui quatuor addet.
Quâ legis hæc horâ, Dominum pro Regibus ora,
Muneribus quorum stat vita Dei famulorum. 694.

Clodo-vevs III. A

DE CLODOVEO III.
CHILDEBERTO II. ET DAGOBERTO II.

Ex Vita Ms. sancti Vrsmari Abbatis Lobiensis.

POST discessum à Laubaco sancti Landelini, quem recedere ab eo loco gratiâ illuminandi Crispinium, vbi nunc requiescit, suaserat spiritus Domini, beatus VRSMARVS, cui Laubias Apostolatus & exercitij sancti delegerat Dominus, verbo prædicationis & virtutum meritis clarus, accersitus à PIPINO seniore, sub quo regnauerunt THEODERICVS ab eodem Principe in Textricio villa deuictus, necnon & filij eiusdem Theoderici CLODOVEVS & CHILDEBERTVS, filius quoque Childeberti DAGOBERTVS, idem Monasterium suscepit regendum per HIDVLPHI interuentum, qui erat vnus ex Principibus Regis maioribus. Vbi etiam pastorali inthronizatus cathedrâ tanta Domini sublimatus est gratiâ, vt penè omnes mortales anteiret, seculóque inhabitans nihil in se seculi haberet. Quantæ autem virtutis sit & famæ, non magnopere nostrum est commendare. Scit hoc magna pars Galliæ & Flandriæ, vbi variis molestiis vexatos orationibus & meritis suis sanos reddit cotidie. per quem cùm in partibus Galliæ, in Fania scilicet & Theoracia multi per eum conuersi fuissent, & constructæ quæ adhuc supersunt Ecclesię, sicut erat lucrandis animabus semper intentus, se ad prædicandum Flandriæ contulit versus Menapum fines, qui adhuc detinebantur ritu gentis vanis superstitionibus. Cuius miraculis multiplicibus compuncti, & prædicatione assidua ad fidem conuersi, ex magna parte prædiorum hæredem eum statuunt. *Sibi* & eam quæ est in Laubias Ecclesiam Christi*. Ipse etiam prouinciæ Dominus ALDO nomine, beati Vrsmari prædicatione ad fidem Christi conuersus, donauit de suo dictum vocabulo Aldeburch vicum. In quo construxit atque consecrauit Ecclesiam in honore Petri Apostoli, & mille passus vndique per circuitum, de qua postmodum dotauit Laubiensem Ecclesiam. quatinus ipse beatus Apostolus, cui à Domino ligandi atque soluendi collata est potestas, patrocinaretur Flandrensibus & Menapibus, qui de diuersorum idolorum cultibus reuocati facti erant vna Ecclesia Christi. Sunt autem loca in circuitu vici Aldeburch dicti. In quo etiam loco Ecclesiam, quæ adhuc superest, ædificauerunt in honore sancti Vrsmari. Vbi crebro quæ & quanta Deus per eum operatus sit miracula, sola illius colligit scientia, qui ab initio Verbum Patris constat & sapientia. Et quia locus se obtulit reddendæ dubitantibus & quærentibus rationis, cur scilicet dictus sit Episcopus, cùm LOBIA non sit Sedes Episcopalis, pro tempore expediendum est paucis. Quia enim, vt præfatum est, intentus erat semper lucrandis animabus, & quia multi barbaricæ gentis, vt supradicti Flandrenses, adhuc detinebantur vanis idolatriæ superstitionibus, prædicandi tantùm gratiâ, sicut competebat rudimentis nouellæ fidei, est ordinatus Episcopus. quod factum quoque de sancto Amando legimus. A quo etiam locus Lobiensis tantam dignitatem est adeptus partim ab hoc, partim quia locus Regius regia munificentiâ est constructus, vt nulli committeretur, nisi primùm esset ordinatus Episcopus. quæ dignitas perdurauit etiam in multos successore, qui leguntur fuisse Episcopi & Abbates. De qua etiam adhuc tantùm superest in eo loco, vt Abbati liceat vti sandaliis, tunica Subdiaconali, habere potestatem ligandi atque soluendi, & vbique vti annulo aureo, & cirothecis.

B

C

A

Ex Vita Ms. sancti Leufredi Abbatis.

SERVVS Dei LEVFREDVS, cùm in Cœnobio suo turba Monachorum in lege Dei floreret, & grandi feruore ad supernam patriam anhelarent, pro quibusdam necessariis negociis euenit, vt nobilissimum Principem KAROLVM Maiorem Domus adiret, qui eo tempore, quo DAGOBERTVS Rex, CHILDEBERTI gloriosissimi Regis filius, Regnum Francorum tenebat, curam rei publicæ nobiliter administrabat. A quo honorificè susceptus est, & humanè tractatus: & quæcumque suggessit consecutus est. Nam & pro merito sanctitatis eius isdem Princeps familiarissimè eo vsus est: & gauisus occasionem se inuenisse, de animæ suæ salute cum eo diutiùs tractauit. Iámque cùm reuerteretur ad propria, deuenit ad castrum Laudunense, quod Clauatum vocant. Post quem præfatus Princeps festinanter direxit, qui eum ad se celeriter reducerent. Nam filius eius GRIPHO grauissimis febribus torquebatur, cui mortem vicinam adesse credebant. Propter quod Princeps multis precibus virum Dei flagitabat, vt ei sanitatem pristinam orationibus suis reformaret. Cúmque ille negare non posset quod paterna deuotio extorquebat, iussit vt à ministris sibi offerretur. Igitur manibus ministrorum puer ad eum delatus, nocte illa cum eo fuit. Cùm autem aquam sanctificasset, & membra pueri ex ea perfunderet, signo crucis eum muB niens, in diuinis laudibus & officiis noctem illam exegit. Inter quæ cœpit puer melius habere, & humores febrium per os effundere. In crastinum autem seruus Dei Christique Sacerdos Missarum solemnia celebrans, puero corporis Dominici sacramentum tradidit. Post hæc optimè conualuit puer, & sibi salutem se reportare gauisus est, & patri gaudium.

 A

GESTA REGVM FRANCORVM,

PARTIM E GREGORII TVRON. EPISCOPI Historia, cuius & nomen in vetustissimis Codicibus præferunt, partim aliundè desumpta, & vsque ad Regem THEODORICVM II. perducta.

AVCTORE INCERTO, SED QVI EIVSDEM THEODORICI tempore vixit. B

Editio Marquardi Freheri Consiliarij Palatini collata cum diuersis Codicibus Mss. qui sunt in Bibliotheca V. Cl. Alexandri Petauij Senatoris Paris. & Appendice etiam ad PIPINVM *vsque Regem nunc primùm aucta.*

Adiecta est quoque Gestorum eorumdem comparatio cum alia Historia Scriptoris, vt videtur, antiquioris: vt pote qui in Chramno CHLOTHARII I. filio desinit. Ex peruetusto Exemplari Ms. Ecclesiæ Cameracensis.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI, QVI DICITVR GESTA FRANCORVM.

XLVII. *Vbi Ebroinus occiditur, VVaratto in Maioremdomatus assumitur, & sanctus Audoinus ad Dominum migrauit.*

XLVIII. *Quòd VVaratto moritur, & Bertharius in loco eius constituitur, Pippinúsque eos deuictos Maiordomatum in sua redigit potestate.*

XLIX. *De obitu Theuderici, & Regnum Chlodouei & Childeberti, & Grimoaldo Maiore domus.*

L. *De transitu Childeberti, & Regnum Dagoberti: & quia Grimoaldus interficitur, & honorem patris sui Theudoaldus ambitur.*

LI. *De morte Pippini: & bella Francorum inter se, & Theudoaldo fugato Ragamfredus in Principatum est eleuatus.*

LII. *De morte Dagoberti, & Regnum Chilperici, & quòd bellum gessit Carlus contra Ratbode.*

LIII. *Quod Carlus pugnam gessit contra Chilperico & Ragamfredo, in loco nuncupante Vinciaco; eósque deuictos atque fugatos, omne Regnum Francorum in sua redegit potestate.*

GESTA REGVM FRANCORVM.

Ex editione Marq. Freheri.

I. PRINCIPIVM Francorũ Gentis & originem, vel Regũ gesta proferamus. Est itaq; in Asia oppidum Troianorũ, vbi est ciuitas quæ Ilium dicitur, vbi regnauit Rex Æneas. Gẽs illa fortis & valida, viri bellatores atque rebelles nimis, inquieta certamina obiurgantes, per gyrum finitima debellantes. Surrexerunt autem Reges Græcorum aduersus Æneam Regem Troianorum, cum multo exercitu: pugnauerúntque contra eum cæde magna. corruitque ibi exercitus maximus Troianorum. Fugit autem Æneas Rex, & reclusit se in ciuitate Iliũ. Pugnauerunt enim aduersus hanc ciuitatem annis decem. Tunc ipsa ciuitate subacta, fugit Æneas Rex cum ceteris viris suis in Italiam, locare gentes illas, vt ei auxilium ferrent. Alij autem de Principibus eius, Priamus & Antenor, cum aliis viris de exercitu Troianorum duodecim millia fugerunt cum nauibus. Qui introeuntes ripas Tanais fluminis per Mæotidas paludes nauigauerunt, & peruenerunt ad terminos finitimos Pannoniarum, tenentes finitima spacia secus Mæotidas paludes. Cœperúntque ædificare ciuitatem ob memoriale * eorum, appellarúntque eam Sicambriam. Ibique habitauerunt annis multis, creuerúntque in gentem magnam.

* al. memoriam,

II. IN illo tempore Valentinianus Imperator Imperium Romanorum rege-

HISTORIA FRANCORVM.

Ex Ms. Cod. Ecclesiæ Cameracẽsis.

I. PRINCIPIVM *Regnorum* FRANCORVM, *eorúmque originem, vel Gentium illarum, ac gesta proferamus. Est autem in Asia oppidum Troianorum, vbi est ciuitas quæ Ilium dicitur, vbi regnauit Aeneas. Gens illa fortis & valida, viri bellatores, atque rebelles nimis, inquieta certamina obiurgantes, per gyrum finitima debellantes. Surrexerunt autem Reges Græcorum aduersus Aeneam cum multo exercitu, pugnauerúntque contra eum cæde magna: obruitúrque illic multùm populus Troianorum. Fugit itaque Aeneas, & reclusit se in ciuitate Ilium. Pugnauerúntque aduersus hanc ciuitatem annis decem. Ipsa enim ciuitate subacta, fugit Aeneas tyrannus in Italia, locare gentes ad pugnandum. Alij quoque ex Principibus, Priamus videlicet & Antenor, cum reliquo exercitu Troianorum, duodecim millia intrantes in nauibus, abscesserunt, & venerunt vsque ripas Tanais fluminis. Ingressi Meotidas paludes, nauigantes peruenerunt intra terminos Pannoniarum iuxta Meotidas paludes, & cœperunt ædificare ciuitatem ob memoriale eorum, appellauerúntque eam Sicambriam. Habitauerúntque illic annis multis, creuerúntque in gentem magnam.*

II. *Eo itidem tempore gens Alamannorum* * *praua ac pessima rebellauerunt contra*

* al. Alanorum

bat. Eo tempore gens Alanorum atrocissima rebellauerunt contra prędictum Imperatorem. Ille itaque commoto exercitu magno Romanorum direxit aciem contra eos, superauitque eos, & adtriuit atque debellauit. Illi autem cæsi super fluuio Danubio fugerunt, & intrauerũt in Mæotidas paludes. Tunc ait Imperator: Si quis potuerit introire in paludes istas, & inde eiicere potuerit gentem hanc rebellem Alanorum, concedam ei tributa annos decem. Tunc congregati Franci, qui fuerunt de Troia eiecti, fecerunt insidias ex aduerso, sicut erant edocti, per incognita latibula: & ingressi in Mæotidas paludes cum reliquo exercitu Romanorum, eiecerunt inde Alanos, percusserúntque eos in ore gladij. Tunc appellauit eos Valentinianus Imperator Francos Attica lingua, quod in Latinum interpretatur sermonem, hoc est, feros: à duritia vel ferocitate cordis.

III. Igitvr post transactos decem annos, misit Imperator exactores, vnà cum primario Duce de Romano Senatu, vt reciperent prætermissa tributa de populo Francorum. Illi quoque, vt erãt immanissimi, consilium perfidum atque inutile accipientes, dixerunt intra se: Imperator cum exercitu Romanorum non potuit eiicere Alanos de latibulo Paludarum, gentem rebellem. Nos autem, qui eosdem deuicimus, cur soluimus tributa? Consurgamus autem contra primarium hunc, vel exactores istos, & irruamus super eos, & non demus Romanis tributa: ne fortè si subiiciant nos, erimus nunquam liberi. Tunc insidiantes interfecerunt eos.

IV. Hæc audiens Imperator, in ira magna commotus, præcepit commouere exercitum in hostem Romanorum, aliarúmque multarum gentium auxilia adiungens, vnà cum Aristarco Principe Militiæ, direxerunt aciẽ contra Francos. Fuitque ibi strages magna de vtroque populo. Videntes autem Franci tantum exercitum sustinere non posse, cæsi valde fugerunt. Ceciditque ibi Priamvs Dux eorum. Illi quoque egressi à Sicambria venerunt in extremis partibus Rheni fluminis in Germaniarum oppidis, illicque inhabitauerunt cum Principibus eorum Marchomiro filio Priami, & Svnnone filio Antenoris. habitauerúntque ibi annis multis. Tunc

Valentinianum Imperatorem Romanorum ac Gentium. Tunc ille exercitum mouit hostem magnum de Roma, contra eos perrexit, pugnam iniit, superauitque eos, atque deuicit. Illi itaque cæsi super Danubium fluuium fugerunt, & intrauerunt in Meotidas paludes. Dixit autem Imperator: Quicumque potuerit introire in paludes istas, & gentem istam prauam eiecerit, concedam eis tributa donaria annis decem. Tunc congregati Troiani *fecerunt insidias, sicut erant edocti ac cogniti: & ingressi in Meotidas paludes cum alio populo Romanorum, eiecerunt indè Alamannos, percusserúntque eos in ore gladij. Tunc appellauit eos Valentinianus Imperator* Francos *Attica lingua, hoc est feros, à duricia vel audacia cordis eorum.*

III. Igitvr *post transactos decem annos, misit memoratus Imperator exactores, vnà cum primario Duce de Romano Senatu, vt darent consueta tributa de populo Francorum. Illi quoque, sicut erant crudeles, & immanissimi, consilio inutile accepto, dixerunt ad inuicem: Imperator cum exercitu Romano non potuit eicere Alamannos de latibulis paludarum, gentem fortem ac rebellem. Nos enim, qui eos superauimus, cur soluimus tributa? Consurgamus igitur contra primarium hunc, vel exactoribus istis, percutiamúsque eos, & auferamus cuncta, quæ secum habent, & non demus Romanis tributa, & erimus nos iugiter liberi. Insidiis verò preparatis, interfecerunt eos.*

IV. Avdiens *hæc Imperator, in furore & ira nimis succensus, præcepit hostem commouere Romanorum, & aliarum Gentium, cum Arestarco Principem Militiæ. direxerúntque aciem contra Francos. Fuit autem ibi strages magna de vtroque populo. Videntes enim Franci, quòd tantum exercitum sustinere non possint, interfecti ac cæsi fugierunt. Ceciditque ibi* Priamvs *eorum fortissimus. Illi quoque egressi à Sicambria, venerant in extremis partibus Reni fluminis, in Germaniarum oppidis: illúcque inhabitauerunt cum eorum Principibus,* Marchomire *filium Priamo, &* Svnnone *filium Antenor. Habitauerúntque ibi multis annis. Sunnone autem defuncto, acceperunt consilium vt Regem sibi vnum constituerent, sicut ceteræ gentes. Marcho-*

defuncto Sunnone, & accepto consilio, in vno primatu eorum vnum habere Principem, petierunt consilium Marchomiro, vt Regem vnum haberent sicut & ceteræ gentes. At ille dedit eis consilium, & elegerunt FARAMVNDVM filium ipsius Marchomiri, & leuauerunt eum super se Regem crinitum. Tunc & Legem habere cœperunt, quam consiliarij eorum priores gẽtiles his nominibus, VVisouast, VVisogast, Arogast, Salegast, in villabus Germaniæ, id sunt Bodecheim * Salecheim, & VVidecheim, tractauerunt.

*al. id sunt, Salegagme in Bothagam, & VVisogagme in VVitegam,

v. MORTVO quippe Faramundo, CHLODIONEM filium eius crinitum in Regnum patris eius eleuauerunt. Tunc temporis Crinitos Reges in initium sublimauerunt. Veniẽtésque sagaciter in finibus Toringorum, ibique resederunt. Habitabat itaque Chlodio Rex in Dispargo castello in finibus Toringorum, in regione Germaniæ. Propterea omnes regiones gentium, quæ vltra Rhenum fluuium sunt, hoc nomine nuncupantur, *Germania*: eo quòd in Germania corpora sunt immanissima, generatióque sæuissima, & dura, & populi semper indomiti, ac ferocissimi. Quorum fuisse cẽtum pagos tradit scriptura. In illo tempore in his partibus citra Rhenum vsque Ligere fluuio habitabant Romani, vltra Ligere autem Gothi dominabantur: Burgundiones quoque, qui Ariani erant, habitabant iuxta Rodanum fluuium, qui præterfluit Lugdunum ciuitatem. Chlodio autem Rex misit exploratores de Dispargo castello Toringorum vsque ad vrbem Camaracum. Ipse postea cum grandi exercitu Rhenũ transiens, multo populo Romanorum prostrato, hostes fugauit. Carbonariam siluam ingressus, Tornacensem vrbem obtinuit. Exinde vsque Camaracum vrbem properauit: ibique pauco tempore residens, Romanos, quos ibi inuenit, interfecit. Et exinde vsque Sumnam fluuium omnia occupauit. Chlodione rege defuncto, MEROVEVS in Regnum sublimatus est, regnauitque Chlodio annos XX. A Meroueo itaque Rege vtili, qui in Regno Francorum sublimatus est, celebre nomen Reges Francorum *Merouinchi* nuncupati sunt. Ipse Merouęus genuit filium nomine Childericum, patrem Chlodouei sublimissimi Regis.

miris quoque dedit eis hoc consilium, & elegerunt FARAMVNDVM *ipsius filium, & eleuauerunt eum Regem super se crinitum. Tunc habere Leges cœperunt, quæ eorum priores gentiles tractauerunt, his nominibus, Vuisovvastus, Vuisogastus, Arogastus, Salegastus. In villabúsque vltra Renum sunt, Vibothagin, Salechagin, & Vuidechagin.*

FARAMVNDVS.

v. MORTVO *quippe Faramundo Rege,* CHLODIONEM *filium eius crinitum in Regnum patris sui eleuauerunt. Id temporis crinitos Reges habere cœperunt. Venientésque sagaciter in finibus Toringorum, ibique resederunt. Habitauit itaque Chlodio Rex in Disbargo castello, in finibus Toringorum, regionem Germaniæ. In illo tempore in his partibus citra Renum vsque Ligure fluuio habitabant Romani, vltra Ligure quoque Gothi dominabantur. Burgundiones itaque paganismo in Arriana doctrina praua tenebantur, inhabitantes iuxta Rodanum fluuium, quæ adiacet Lugdunum ciuitatem. Chlodio autem Rex misit exploratores de Disbargo castello Toringorum vsque ad vrbem Camaracum. Ipse postea cum grande exercitu Renum transiit, multo Romanorum populo occidit atque fugauit. Carbonaria sylua ingressus, Tornacensem vrbem obtinuit: exinde vsque Camaracum ciuitatem veniens, illic resedit. Pauco temporis spacio Romanos, quos ibi inuenit, interfecit. Exinde vsque Sumnam fluuium occupauit. Chlodione Rege defuncto,* MEROVECHVS *de genere eius Regnum eius accepit. Regnauit Chlodio annis* XX. *Ab ipso Merouecho Rege vtile Franci* MEROVINGI *sunt appellati. Eodem tempore Chuni Renum transierunt, Mettis succenderunt, Treueris distruunt, Tuncrus peruadunt, vsque Aurilianis peruenientes. Id temporis sanctus Anianus Episcopus virtutibus præclarus, veniente ad eum Egecio Patricio Romanorum, & Tursomodo Rege Gothorum, auxiliante Domino, Chuni ad ipsam ciuitatem, orante sancto Aniano, cum Attelane eorum Rege deiecti atque prostrati sunt.*

CHLODIO.

MEROVEVS.

Erant autem tunc Franci fanatici, adorantes idola & simulacra, & non Dominũ cœli & terræ, qui creauit eos. Erat autem tunc in ista parte Galliarum ex Romanis Egidius, Rex militiæ Romanorum ab Imperatore missus.

VI. CHILDERICVS autem Rex filius, vt diximus, Merouei, cùm esset nimis luxuriosus, & regnaret super Frãcos, cœpit filias eorum distrahere; & violenter deludere eas. Illi autem ob hoc nimis indignantes, voluerunt occidere eũ, & eiicere de Regno. Ille autem cùm hoc audiisset, Toringiam petiit, vocauitque amicum suum consiliarium nomine VViomadum: petiitque cum eo consilium, qualiter animos furentium Francorum posset mitigare, donantes inter se signum, qualiter certo indicio cognoscere deberet, si ad pacem quandoque reuerti potuerit, quale signum inuicem recognoscerent. Tunc diuiserunt aureum vnum inter se in signum. Vnam partem Childericus Rex secum portauit: aliam verò partẽ VViomadus retinuit, dicens: Quando istam aliam partem tibi transmisero, scias me Francos tecum habere placatos. tunc securus reuertere in pace. Abiit ergò Childericus in Toringiam, apud Regem Bisinum vxorémque eius Basinam, & ibidem latuit.

VI. IPSE itaque Merouechus genuit filium nomine CHILDERICO, *qui fuit pater Chlodouecho Rege inclito atque fortissimo. Erant enim tunc Franci pagani atque fanatici, adorantes idola & simulacra: & non Deum cœli ac terræ, qui creauit eos. Erat quoque tunc in ista parte Galliarum ex Romanis Egidius Rex ab Imperatore missus. Childericus itaque Rex filius Merouecho, cùm esset nimis luxuriosus, & regnaret super Francos, cœpit eorum filias deludere atque distrahere. Illi enim grande furore hoc indignantes, voluerunt occidere eum, & eicere de Regno. Ille hæc audiens, vocauit amicum suum, prudentem Consiliarium, nomine Viomadum. petiit cum eo consilium, qualiter animus furentium Francorum possit mitigari. Tunc dederunt inter se signum, qualiter certa indicia cognoscere deberet, si ad pacem quandoquidem reuerti potexetur, quod signum inter se recognoscerent. Tunc diuiserunt aureum vnum adinuicem in signum, vnam medietatem Childericus Rex secum portauit, aliam partem Viomadus retinuit, dicens: Quando istam aliam partem tibi transmisero, scias me Francos tecum habere pacatos, & securus reuerte in pace. Abiit ergo Childericus Rex in Torringam; apud Regem Bisinum nomine vxorémque eius latuit.* CHILDERICVS I.

VII. FRANCI verò relicto Childerico, Egidium Principem Romanorum eleuauerunt super se Regem. tenentes consilium non bonum, nimisque inutile atque absurdum. Qui cùm octo annos super eos regnaret, finxit se VViomadus eius Consiliarius in amicitia familiare fœdus inire, & hortabatur Egidio aliquos Francos dolosè opprimere. Ille audiens consilium eius, callidè opprimere nitebatur eos. Illi hoc formidantes, nimio furore adtriti, consilium expetierunt à VViomado, quid agere deberent. At ille dixit eis: Non reminiscimini, nec recordatis, qualiter eiecerunt Romani opprimentes gentem vestram de terra eorum? Eiecistis & vos Regem vestrum vtilem, atque strenuũ, & eleuastis super vos militem hunc Imperatoris Romanorum, crudelem, elatum, atque superbum. Sine consilio hoc fecistis, non benè, sed malè hoc egistis.

VII. FRANCI verò relicto Childerico, EGIDIVM *Principem Romanorum in Regnum super se statuerunt, malum consilium tractantes. Qui cùm octo annos super eos regnaret, finxit se Viomadus amicitiam cum eo sociare, dum ab eo quid cogitaret cognosceret, hortabatur Egidio aliquos Francos dolosè opprimere. Ille audiens consiliũ eius, acriùs cœpit opprimere eos. Illi verò in timore ac seditione conuersi, iterum consilium à Viomado expetierunt, qualiter facere deberent, & ille dixit eis: Quare non recordatis, quomodo eiecerunt Romani opprementes gentem vestram? De eorum terra eiecerunt eos. Vos verò eiecistis Regem vestrum, vtilem & sapientem, & eleuastis super vos militem istum Imperatoris superbum atque elatum. Non bonum consilium fecistis, sed nimium malum. Et illi responderunt: Calidus enim erat nobis. pœnitet nos hæc fecisse contra Regem nostrum. Vtinam meruissemus inuenire eum, & cum pace* EGIDIVS.

Illi dixerunt: Quia sine lege abutebatur filias nostras. Pœnitet nos hoc fecisse contra Regem nostrum. Vtinam meruissemus inuenire eum, & cum pace regnaret super nos! Tunc amicus ille Regis misit partem solidi, quem prius inter se diuiserunt, dicens: Reuertere ad Regnum Francorum, quia pacificata sunt omnia. Ille verò cognoscens hoc signum, medium aureum, intellexit certo indicio, quod à Francis desideraretur. Ipsisque rogantibus, reuersus est in Regnũ suum. Nam dum fuit in Toringia, cum Basina Regina vxore Bisini* Regis ipse Childericus Rex commixtus fuit. Reuersúsque ad Francos, in Regno suo restitutus est. Egidium autem Romanorum Principem eiecerunt de Regno eorum. Basina quoque illa Regina Bisini Regis Toringorum, relicto viro suo ad Childericũ venit. Cúmque interrogata fuisset ab eo, Quid quæreret, aut pro qua causa ad eum de tam longinqua regione venisset? respondisse fertur: Noui vtilitatem tuam & pulchritudinem, quòd sis vtilis atque strenuus: ideo veni vt habitem tecum. Nam si in extremis finibus maris vtiliorem te cognouissem, ipsum expetiissem, atque cum eo cohabitassem. At ille gaudens, eam sibi ad coniugium copulauit. Post hæc igitur concipiens ex eo, peperit filium, vocauitque nomen eius CHLODOVEVM. Hic fuit Rex magnus super omnes Reges Francorum, pugnator bellicosissimus atq; egregius.

[* al. Basini]

VIII. IN illis diebus ceperunt Franci Agrippinam ciuitatem super Rhenum, vocauerúntque eam Coloniam; multúmque populum Romanorum à parte Egidij occiderunt ibi. Egidius verò exinde per fugam lapsus, euasit. Venerunt autem Treueris ciuitatem super fluuium Mosellam, vastantes terras illas, ipsámque vrbem succendentes ceperunt. Nam anteà Chunis fuerat disrupta atque adflicta. Eo tempore mortuus est Egidius Dux Romanorum, tyrannus: & Syagrius filius eius in Regnũ eius resedit, habitauitque in Suessionis ciuitate, vbi & sedem Regni tenebat. Tunc Childericus Rex commoto magno exercitu hostium vsque Aurelianis ciuitatem perrexit, terras quoque illas vastauit. Adouagrius* Saxonorum Dux cum nauale hoste Andegauis ciuitatem venit: magna tunc cæde populum vastauit. Adouagtius ita-

[* Odouacrius]

regnaret super nos! Tunc amicus ille Regis misit partem solidi, quæ priùs inter se diuiserant, dicens: Reuertere ad Regnum Francorum, quia pacificata sunt omnia. Ille verò cognoscens hoc signum dimidium aureum, intellexit certa indicia quòd à Francis desideraretur. Ipsisque rogantibus, reuersus est in Regnum suum. Nam dum in Toringa fuit, cum Basina Regina vxorem Bisini Regis ipse Childericus Rex adulterium commisit. A Regno Francorum receptus, Egidium Romanum Principem de super se expulerunt à Regno. Basina quoque illa Regina Bisini Regis Toringorum, relicto viro suo, ad Childericum venit. Cúmque inquisitus interrogasset quid quæreret, aut pro qua causa ad eum de tam longinqua regione venisset, respondisse fertur: Noui vtilitatem & pulchritudinem tuam, quòd vtilis sis & sapiens, ideò veni vt habitem tecum. Nam si in extremis finibus maris vtiliorem te cognouissem, ipsum expetissem, atque eum copulassem. Illéque gaudens, eam ad coniugium suum copulauit. Illa verò concipiens ex eo, peperit filium, vocauitque nomen eius CHLODOVECHVM. *Hic fuit Rex magnus super omnes Reges Francorum, & pugnator fortissimus.*

VIII. IN *diebus illis ceperunt Franci Agrippinam ciuitatem super Rhenum, vocauerúntque eam Coloniam, quasi coloni inhabitarent in eam. Multo populo Romanorum à parte Egidij illic interfecerunt. Ipse Egidius fugiens euasit. Venerunt itaque Treuiris ciuitate super Mosellam fluuium, vastantes terras illas, & ipsam succendentes ceperunt. Post hæc igitur mortuus est Egidius Romanorum Rex.* SIAGRIVS *enim filius eius in Regnum eius resedit, constituit sedem Regni sui in Suessionis ciuitate. Tunc Childericus Rex commouit maximo exercitu hostium Francorum, vsque Aurelianis ciuitate peruenit, terras quoque illas vastauit. Adouacrius Saxonorum Dux cum nauale hoste per mare vsque Andegauos ciuitate venit, illáque terra succendit. magna tunc cæde in illa fecit. Redeunte igitur Adouacrio de Andegauis, Childericus Rex Francorum exercitu commoto illic aduenit: Paulo Comite, qui tunc ibi erat, occidit,*

[Siagrius]

que de Andegauis, vel de aliis ciuitatibus obsides accepit. Redeunte quoque Adouagrio de Andegauis, Childericus Rex cum Francorum exercitu ibidem aduenit, interfecto Paulo Comite, qui in ipsa ciuitate præerat, ipsámque vrbem cepit, & Domum*, quæ in ea ciuitate erat, igne combussit.

occidit, ipsamque vrbem cepit. Domum, quæ in ea ciuitate erat, igne succendit, indéque reuersus est.

CHILDERICVS I.

:lesiã,

Lib. 2.

IX. Eo tempore mortuus est Childericus Rex Francorum, regnauitque annos XXIV. CHLODOVEVS verò filius eius Regnum Francorum sagaciter suscepit. Anno autem quinto Chlodoueo regnante, Siagrius filius Egidij Rex Romanorum Suessionis ciuitatem, quã pater eius tenuerat, residebat. Super quem Chlodoueus cum Ranacario* parente suo cum hoste aduenit. Conueniétésque ad bellum, hisque inter se fortiter compugnantibus, Siagrius læsum cernens exercitum suum, per fugam lapsus ad Alaricum Regem Gothorum fugit ad Tolosam. Chlodoueus enim missos suos ad Alaricum transmisit, vt redderet Siagrium: si autem reddere non vellet, pararetur ad prælium. Ille verò timens Francorum iram, reddidit Siagrium missis Chlodouei. Qui cùm præsentatus Chlodoueo fuisset, iussit eum occidere: totúmque Regnum eius & thesauros in suo dominio recepit.

Ra-
Ragnacario

IX. *Post hæc mortuus est Childericus Rex, regnauitque annis* XXIV. CHLODOVECHVS *filius eius Regnum Francorum viriliter recepit. Anno autem quinto Chlodouecho regnante, Siagrius filius Egidij Suessionis ciuitate, quam pater eius tenuerat, residebat. Super quem Chlodouechus cum* RAGNACHARIO *parente suo cum hoste aduenit. Conuenientésque ad bellum, illis inter se fortiter compugnantibus, Siagrius læsum cernens exercitum suum, per fugam lapsus ad Alaricum Regem Gothorum aufugit ad vrbem Tholosam. Chlodouechus enim Missos suos ad Alaricum dirigens, vt redderet Siagrium: si autem reddere non vellet, pararetur ad prælium. Ille autem timens Francorum iram, tradidit Siagrium Missos Chlodouecho. Qui cùm ei præsentatus fuisset, iussit eum occidere. totúmque Regnum eius ac thesauros Chlodouechus recepit.*

CHLODOVEVS I.

X. Eo tẽpore multæ Ecclesiæ à Chlodouei exercitu deprædatæ sunt. Erat enim tunc fanaticus & paganus. De quadam autem Ecclesia vrceum* miræ magnitudinis pulchrum hostis eius tulerat, cum ministerio Ecclesiæ, & ornamenta multa. Episcopus autem Ecclesiæ ipsius missos suos ad Regem direxit, deprecans vt si aliud de sacris vasis Ecclesiæ recipere non mereretur, vel illum vrceum reddere iuberet. Hæc audiens Rex, ait ad missos Ecclesiasticos; Sequimini nos vsque Sessionis* ciuitatem, quia ibi cuncta quæ adquisita » sunt, diuidenda erunt. Cúmque mihi » vrceus ille in partem obuenerit, quod » Episcopus postulat adimplebimus. Ve- » niens autem Rex Sessionis ciuitatem, cuncta præda, quæ adquisita sunt, rogat » afferre in medium, dicens: Rogo vos, » ô fortissimi pugnatores, vt mihi dare » istum vrceum non negetis. Hæc Rege dicente, illi Franci, qui bono animo fuerunt, dicunt illi: Omnia, gloriose Rex, quæ cernis, tua sunt, & nos

vrceo

ssio-

X. *Eo tempore multæ Ecclesiæ à Chlodouecho exercitu deprædatæ sunt. Erátque ipse tunc fanaticus, & paganus. De quadam autem Ecclesia vrceum miræ magnitudinis pulchrum hostes eius tulerunt, cum alio ministerio Ecclesiæ, & ornamenta multa. Episcopus autem Ecclesiæ ipsius Missos suos ad Regem direxit, deprecans, vt si aliis vasis Ecclesiæ recipere non mereretur, vel illo vrceo reddere iuberet. Hæc audiens Rex, ait ad Missos Ecclesiasticos: Sequimini nos vsque Suessionis ciuitate, « quia ibi cuncta quæ acquisita sunt diuiden- « da erunt. Cúmque mihi vrceus ille in par- « te venerit, quæ Episcopus postulat adim- « pleam. Veniens autem Rex Suessionis ciuitate, cuncta præda quæ acquisita erat rogat adferre in medium, dicens: Rogo vos, « ô fortissimi ac nobilissimi pugnatores, vt « mihi dare istum vrceum non negetis. Hæc « Rege dicente, illi Franci, qui bono animo fuerunt, aiunt: Omnia, gloriose Rex, quæ « cernis, tua sunt, & nos tuo dominio sumus « subiugati. Quod tibi bonum videtur, hoc « fac. Nullus enim tuæ potestati resistere au- «*

CLODOVVEI. tuo dominio sumus subiugati. Quod tibi bonum videtur, hoc fac. Nul-
» lus enim tuæ potestati resistere au-
» det. Cùm hæc illi benigniter dixissent, vnus Francus leuis cum vociferatione eleuata bipenne, quod est francisca, percussit vrceum illum dicens:
» Tu nihil hinc accipias, Rex, nisi quod
» tibi sors vera dederit. Obstupefactis omnibus, Rex iniuriam suam patienter ferens, acceptúmque vrceum nuntio Ecclesiastico reddidit, seruans iram suam in corde suo absconsam. Transacto anno, Chlodoueus Rex omnem exercitum suum iussit cum armorum apparatu aduenire, ostensurum in campo Martio, omnium armorum nitorem horum videre. Verùm vbi Rex cunctum exercitum circuiuit, venit ad hominem illum, qui vrceum antea percusserat, & ait ad
» illum: Nullus tam incultam & sordi-
» dam armam habet, quàm tu. Quia
» neque clypeus, neque lancea, neque
» bipennis est vtilis. Accepit aûtem Rex franciscam eius, quod est bipennis, & proiecit in terram. At ille cùm inclinasset se, attollere eam, statim eleuatis manibus suis Rex franciscam suam in capite eius defixit, & ait:
» Sic tu Sessionis ciuitate superiore an-
» no in vrceo illo fecisti. Mortuóque illo, alium exercitum Rex de ipso campo iussit recedere in pace ad propria sua. Grandis pauor & timor pro hac causa in Francorum populo deinceps consurrexit. Chlodoueus exinde decimo anno regni sui commoto exercitu magno valde in Toringiam abiit: ipsósque Toringos plaga magna prostrauit. Deuictóque ipso populo, totáque eorum terra vastata, ipsos Toringos tributarios Francorum fecit.

sus est. Cùm hæc illi benigniter di... vnus Francus leuis cum vociferatio... uata bipenni, quod est francisca, pe... vrceo illo, dicens: Tu nihil hinc acc... Rex, nisi quod tibi sors vera dederit. ... stupefactis omnibus, Rex iniuriam su... in patientiam mittens, acceptúmque v... ceum nuncio Ecclesiastico reddidit, seruan... iram in corde absconsam. Transacto anno, Chlodouechus Rex omnem exercitum suum apud armorum apparatum iussit venire, ostensurum in campo Martio horum armorum nitorem visurum erunt. Vbi Rex cunctum exercitum circumiuit, venit ad hominem illum qui antea vrsum percusserat, & ait ad eum: Nullus tam inculta & sor- «dida arma habet, quàm tu: quia neque cly- «peus, neque lancea, neque bipennis est tibi «vtilis. Accepit autem Rex franciscam eius, «quod est bipennis, & proiecit in terram. Et ille cùm se inclinasset colligere eam, Rex statim eleuatis manibus suis franciscam suam in capite eius defixit, & ait: Sic tu «Suessionis ciuitate superiori anno in vrceo «illo fecisti. Illóque mortuo, alio exercitum «Rex de ipso campo iussit decedere in pace ad eorum propria. Grandis pauor & tremor pro hac causa in Francorum populo deinceps consurrexit. Chlodouechúsque exinde decimo anno regni sui commoto Francorum grande hoste in Torringam abiit, Toringósque plaga magna prostrauit: deuictóque populo eorum, tota illa terra vastata, sub tributo seruire fecit.

CAPP. XI. & XII. à vulgatis Gestis non differunt.

Greg. lib. 2. c. 28. XI. IN illo tempore Gundeueus Rex Burgundionum, qui ex genere Athanarici regis fuisse perhibetur, regnauit. Huic fuerunt quatuor filij, Gundobadus, Godeghiselus, Chilpericus, & Godomarus. Gundobadus igitur Chilpericũ fratrem suum interfecit gladio, vxorémque eius ligato saxo ad collum in aqua necare * præcepit. Filias eius duas, quarum vna senior vocabatur Chrona, quam mutata veste exilio condemnauit, iuniorem verò nomine Chrothilde * domo retinuit. Chlodoueus itaque dum frequenter Legationem in Burgundiam mitteret, Chrothildis puella inuenitur à Legatariis *. Qui cùm eam vidissent pulchram, elegantem, atque sapientem, Chlodoueo nuntiauerunt hæc. Et ille hæc audiens, iterum Legationem ad Gundobadum misit, Aurelianũ Legatarium suum, Chrothildem neptam suam ab illo petens. Erat autem Chrothildis Christiana. Quadam die Dominica cùm ad Missarum solemnia Chrothildis venisset, Aurelianus Missus Chlodouei, accepit vestes pauperculas: bonas verò vestes, quas secum detulerat *, reliquit sodalibus suis in siluis, & ante Ecclesiæ matricolam in medio pauperum consedit. Transacta Missarum solemnia, Chrothildis iuxta consuetu-

* al. negare, i. noyer

* Chrodilde, & Chrochilde

* à Legatis Chlotharij

* al. vestitas habuerat,

dinem solitam cœpit eleemosynam erogare in pauperibus. Cùmque ad Aurelianum pauperem se simulantē venisset, aureum vnum in manu eius immisit. Ipse verò osculans manum puellæ, ipsius pallium cautè retraxit. Post hæc illa ingressa in cubiculum suum, misit ancillam suam, vocare peregrinum illum. At ille annulum à Chlodoueo Rege manu tenens, necnon & reliqua ornamenta sponsalia recondita tenebat in sacculum suum. Quem pòst discedens, in loco retro ostium cameræ secretò reliquit. Cui ait Chrothildis: Dic mihi homo iuuenis, cur te pauperem simulas, vel pro qua causa retraxisti pallium meum? Et ille dixit: Loquatur, obsecro, seruus tuus secretò tecum. Cui illa ait; Loquere. Orsus ille dixit: Dominus meus Chlodoueus Rex Francorum misit me ad te, vult te sibi associare in Reginam. Ecce annulus eius, & reliqua ornamenta sponsalia. Respexitque retrò ostium cameræ, non inuenit sacculum suum, & perterrefactus ob id, timere cœpit. Illa verò sollicita, vndique requisiuit, dicens: Quis tulit pauperis istius sacculum? Statimque est prolatus. Quo aperto, recepit illa abscondita ornamenta sponsalia. Acceptóque annulo, quem Chlodoueus Rex miserat per Aurelianum, reposuit illum in thesauro auunculi sui. Chlodouc óque salutem reprecans, dicere illi iubet: Non licet Christianæ pagano nubere. Vide vt hanc causam nemo resciat. Sed sicut Dominus Deus meus, quem ego coram omnibus confiteor, vult, sic fiat. Tu verò vade in pace. At ille reuersus, nunciauit hæc domino suo.

XII. Anno insecuto misit Chlodoueus Aurelianum Legatarium suum ad Gundobadum pro sponsa sua Chrothilde *. Audiens hæc Gundobadus, territus in corde suo, ait: Vt sciant omnes fortissimi consiliarij & amici mei Burgundiones, qualem occasionem quærit Rex Chlodoueus aduersum nos; quia nunquam nouit neptã meam. Et ait ad Aurelianum: Tu explorare venisti domos nostras occasione quærendi *. Renuntia domino tuo, quia frustra mendaciũ locutus est, sponsam habere neptam meam. Et Aurelianus constanter loquitur ei, dicens: Mandat tibi dominus meus Chlodoueus Rex: Si vis dare ei sponsam suã, vt locum ei præpares denominatum, vbi vis, quando Chrothildem sponsam suam recipiat. Sin autem non vis, ille cum exercitu Francorum in occursum tuum venire disponet. Et ille ait: Vbicumque vult, veniat: & ego contra eum ire dispono cum hoste plurimo Burgundionum, vt decedat ruina eius ad internecionem, quam perpetratus est coram multis gentibus, & vindicetur sanguis multorum, qui effusus est in manibus vestris. Audientes hæc Burgundiones, qui erant consiliarij eius, metuentes valde iram Francorum & Chlodouei, consilium dederunt Gundobado *, dicentes: Inquirat Rex à ministris & cubiculariis suis publicis, si non fuerint aliquando deserta * munera per ingenium à Legatariis Chlodouei Regis: vt non inueniatur occasio super populum tuum & Regnum tuum, vt victor valeas superare eum, eò quòd nimis furibunda est Chlodouei nequitia. Burgundiones, sicut est solitum, hoc consilium dederunt Regi suo. Requirentésque inuenerunt in thesauro Regis annulum, Chlodouei inscriptione vel imagine inscriptum *. Tunc contristatus valde Gundobadus Rex, iussit puellam de hac causa inquirere. Et illa ait: Scio domine mi Rex, ante hos annos tibi pro munere aurea munuscula à missis Chlodouei deserta *, & mihi ancillæ vestræ annullum in manu positum paruulum. Ego verò in thesauris vestris ipsum recondi. Et ille dixit; Simpliciter & sine consilio hoc actum fuit. Acceptámque eam cum ira Aureliano misso Chlodouei tradidit. Ille autem cum sociis suis accepit Chrothildam cum magno gaudio & lætitia; adduxerúntque eam Chlodoueo, Suessionis ciuitate in Francia. Gauisus est autem Chlodoueus Rex, eámque in matrimonium sibi copulauit. Cùm esset serò die illa, quando insimul nuptiali more accumbere deberent: illa prudentiæ suæ more conuersa, & confisa in Dominum, ait: Deinceps, domine mi Rex, audi ancillam tuam loquentem, & concedere digneris quod deprecor, antequam famula tua vestræ dominationi coeam. Et Rex ait: Postula quod vis, & ego tibi concedam. Et illa postulauit dicens: Primum peto, vt Deum cœli Patrem omnipotentem credas, qui te creauit. Secundum, confitere Dominum Iesum Christum filiũ eius, qui te redemit, Regē omnium regum, à Patre de cœlis missum. Tertium, Spiritum sanctum, confirmatorem & inluminatorem omnium iustorum. Totam ineffabilem maiestatem, omnipotentiámque coæternam agnosce, & agnitam crede, & idola vana derelinque, qui non sunt Dij, sed sculptilia vana, incendéque ea:

* Chrodchilde.

* petendi.

* al. Gunbado,

* al. deportata, & allata.

* al. signatum, & insculptum.

* allata,

CLODOVEVS I.

& Ecclesias sanctas, quas succendisti, restaura. Memento quæso insuper, vt requirere debeas portionem genitoris mei, & genitricis meæ, quos auunculus meus » Gundobadus malo ordine interfecit. Sic sanguinem eorum Dominus vindicet. » Et Chlodoueus ait: Vnum restat difficile, quod petis, vt Deos meos derelin- » quam, & Deum tuum colam. Aliud verò quod petis, vt potero, faciam. Illa verò » denuò institit, suppléxque iterum postulauit: Hoc maximum obsecro, vt Domi- » num Deum omnipotentem, qui est in cœlis, adores.

XIII. CHLODOVEVS iterum in Burgundiam Aurilianum ad Gundobadum dirigit, pro thesauro Chrothildæ Reginæ suæ. Gundobadus verò in » ira commotus ait: Nunquid in manus Chlodoueo tradetur Regnum meum, » aut thesauri mei? Nónne obtestatus fui tibi Auriliane, vt non venires amplius » in Regno meo explorare substantiam meam? Per salutem Principum obtestor, » & cum iuramento spondeo, reuertere citò, & recede à me: sin autem, ego inter- » ficiam te. Cui Aurelianus respondit, dicens: Viuit dominus meus Chlodoueus Rex, & Primatus * magnanimorũ Francorum in Regno eius, quia non timeo minas tuas, quamdiu dominus meus aduiuit. Et sic mandat filius * tuus proprius, dominus meus Chlodoueus Rex, vbi pro thesauro vxoris suæ dominæ meæ cum exercitu suo tibi occurret. Igitur Burgundiones, sicut est consuetudo, dato consilio Gundobado Regi suo dixerunt: Da neptæ tuæ aliquid de facultate the- » sauri sui, qui ei contingit: quia sic esse iustum decernitur. Habeásque fœdus & pa- » cem cum Chlodoueo & gente Francorum; ne fortè inruant in terram nostram, quia populus ferocissimus * est, sine Deo existens. Audiénsque eorum consilium Gundobadus, dedit per manus Auriliano ad partem Chlodoueo maximam partem ex thesauro suo, & supellectilem preciosissimam neptæ suæ Chrothildæ Reginæ transmisit. Aurum quoque multum & argẽtum, fabricaturásque speciosis- » simas, tradens Legato, ait: Quid restat aliud, nisi vt omne Regnum meum cum » Chlodoueo diuidam? Et dixit ad Aurilianum: Reuerte ad dominum tuum, quia » habes quod ei deferas, munera multa quæ non laborastis. Et ait Aurilianus: Fi- » lius tuus est Dominus meus Chlodoueus Rex: omnia vestra communia erunt. Et dixerunt sapientes Burgundionum: Viuat Rex, qui tales habet leodos *. Reuersúsq; est Aurilianus cum thesauris multis ad dominum suum in Franciam. Chlodoueus verò Rex habebat tunc filium de concubina, nomine THEVDERICVM.

* & Franci qui cum eo sunt, quia

* al. propinquus

* validus & ferus est

* al. leudus.

XIV. IN illis diebus dilatauit Chlodoueus amplificans Regnum suum vsque Sequanam. Sequenti tempore vsque Ligere fluuio occupauit. Accepitque Aurilianus castrum Milidunensium, quem in Ducatum accepit. Concepit verò & Chrothildis, peperitque filium, quem baptismo consecrare voluit. Tũc non credebat Chlodoueus Dominum Deum cœli. Regina enim cotidie prædicabat eum. At ille nolebat audire eã. Interea Regina * parat ad baptismum filium, ornat Ecclesiam velis atque cortinis; si quomodo cor Regis ad credendum compungere posset. Baptizatus est autem puer, quem in albis INGOMIRVM vocauit: qui in ipsis albis transiit, Rex autem de morte eius nimis contristatus, reputabat increpando dicens: Quia si in nomine Deorum meorum dedicatus fuisset puer, vixisset vtique. Quia in nomine Dei vestri baptizatus est, viuere non potuit. Regina verò dicebat: Deo gratias ago, quia me non duxit indignam, vt de vtero meo primogenitum in regno suo re-

* Regina verò, idem tentans, omnia quę ad baptismum necessaria videbantur adornat, filiúmque velatum atque fasciatum latenter baptizandum offert, quo eo melius Regis animus ad credendũ compungeretur.

XIV. EO *tempore dilatauit Chlodouechus, amplificans Regnum suum vsque Sequanam. Sequenti tempore vsque Ligure fluuio occupauit. Accepitque Aurilianus castrum Malidunensem, omnémque Ducatum regionis istius. Tunc concepit Chrodchildis ex Chlodoueo, & peperit filium, quem cùm baptismo consecrare vellet *. Non enim credebat Rex Dominum Deum. Regina enim quotidie prædicabat eum, & ille nolebat audire eam. Interea Regina parat ad baptismum filium, ornat Ecclesiam velis atque cortinis: quomodo cor Regis ad credendum compungerent. Baptizatus est autem puer, quem in albis* INGOMIREM *vocauit: qui in ipsas albas ægrotans obiit. Pro quo Rex nimis contristatus, reputabat increpando, dicens: Quia si in nomine Deorum meorum puer dedicatus fuisset, vixisset vtique. Quia in nomine Dei vestri baptizatus est, viuere non potuit. Regina verò dicebat: Deo gratias ago, quia me non duxit indignam, vt de vtero meo primogenitum in Regno suo recipere dignatus est. Ego autem nullo dolore in corde meo pro hac causa retineo. Post hæc verò genuit* «

CHLODOVEVS I.

» cipere dignaretur. Ego autem nullum » dolorem in corde meo pro hac causa re- » tineo. Postea verò genuit alium filium, quem baptizatum CHLODOMIRVM vocauit. Et hic cùm ægrotare cœpisset, » dixit Rex: Non potest aliud, nisi vt de » isto sic fit, quomodo fuit & de fratre » eius, vt baptizatus in nomine Dei ve- » stri citò moriatur. Sed hic orante Regina, & Domini misericordia præcurrente, recepit sanitatem. Regina quoque non cessabat prædicare Regem, vt Deũ verum coleret, & idola quæ colebat vana derelinqueret. Sed nullo modo animum eius ad credendum commouere potuit, donec tandem aliquando bellum contra Alamannos Sueuósque moueret: in quo compulsus est confiteri, quem antea negauerat.

XV. FACTVM est autem bellantibus inter se Francorum exercitu cum Alamannis, vt Chlodouei exercitus nimis corrueret. Aurilianus intuens » Regem, ait: Domine mi Rex, crede » tantummodo Dominum cœli, quem » Domina mea Chrothildis Regina præ- » dicat. Ille verò eleuatis ad cœlum ocu- » lis, commotus lachrymis ait: Iesu Chri- » ste, quem Chrothildis Regina mea præ- » dicat esse filium Dei viui, qui subue- » nis in tribulatione, qui das auxilium » in te sperantibus, tuum adiutorium » deuotus postulo, vt si mihi victoriam » super hos hostes dederis, & expertus » fuero illam virtutem, quam de te po- » puli prædicant, credam tibi, & in no- » mine tuo baptiser. Inuocaui enim Deos » meos; &, vt experior, elongati sunt » ab auxilio meo. Vnde credo eos nulla » potestate esse præditos, qui sibi creden- » tibus implorati non succurrunt. Te » verum Deum ac Dominum inuoco, » tibiquè credere desidero, tantum vt li- » beres me ab aduersariis meis. Cúmque hæc orans clamaret, Alamanni in fugam lapsi terga verterunt. Cúmque Regem suum vidissent interfectum, Chlodouei potestati se subdunt, dicentes: » Parce precamur, domine Rex, ne pere- » eat plures de populo, quia iã tui sumus. Tunc iussit Rex imminentem plagam cessare: Alamannos cepit, ipsos terrámq; eorum sub iugo tributarios constituit. Factáque victoria, reuersus est in Frãciam ad Reginam suam, narrauitq; ei qualiter per inuocationem nominis Iesu Christi victoriam meruit obtinere. Acta sunt hæc anno XV. Chlodoueo re-

alium filium, quem baptizatum CHLODOMIRVM *vocauit. Et hic cùm ægrotare cœpisset, dixit Rex: Non potest aliud,* « *nisi & de isto sic sit, quomodo fuit de fra-* « *tre eius, vt baptizatus in nomine Christi* « *vestri citò moriatur.* « *Sed orante Regina, & Domini misericordiâ præcurrente, recepit sanitatem. Regina verò non cessabat prædicare Regem, vt Deum verum coleret, & idola vana quæ colebat relinqueret. Sed nullo modo animum eius ad credendum commouere poterat, donec tandem aliquando bellum contra Alamannos Sueuósque moueretur: in quo compulsus est confiteri, quem antè negauerat.*

XV. FACTVM *est autem, pugnantibus inter se Francorum & Alamannorum exercitu, vt populus Chlodouechi nimis caderet. Aurilianus hæc videns, ait ad Regem: Domine mi Rex, crede tantummodò Deum* « *cœli, quem Regina tua prædicat.* « *Ille verò eleuatis ad cœlum oculis, commotus lacrimis dixit: Iesu Christe, quem Chrod-* « *childis vxor mea prædicat esse filium Dei* « *viui, qui subuenis in tribulatione, qui das* « *auxilium in te sperantibus, tuum adiuto-* « *rium deuotus postulo, vt si mihi victoriam* « *super hos hostes dederis, & expertus fue-* « *ro illam virtutem, quam de te populi præ-* « *dicant, credam tibi, & in nomine tuo ba-* « *ptiser. Innocaui enim Deos meos, & vi-* « *deo, elongati sunt ab auxilio meo. Vnde* « *credo eos nullam habere potestatem, qui si-* « *bi credentibus non succurrunt. Te verum* « *Deum ac Dominum inuoco, tibique crede-* « *re desidero. tantùm vt liberer ab aduersa-* « *riis meis.* « *Cúmque hæc orans clamaret, Alamanni in fugam lapsi terga verterunt. Cúmque Regem suum vidissent mortuum, Chlodouecho se subdunt, dicentes: Parce,* « *precamur, domine Rex, ne pereat plus po-* « *pulus. iam tui sumus.* « *Tunc iussit Rex imminente iam plaga cessare, Alamannósque cepit ipsos, vel terram eorum sub iugo tributario constituit. Factáque victoriâ, reuersus est in Francia ad Reginam suam. Narrauitquè ei, qualiter per inuocationem nominis Iesu Christi victoriam meruit obtinere. Acta sunt hæc anno* XV. *Chlodouecho regnante. Tunc Regina absconditè vocauit sanctum Remidium vrbis Remensis Episcopum, deprecans eum vt Regi viam salutis ostenderet. Quem Sacerdos ad baptismum venire prædicabat. Et ille ait: Libenter te audiam,* «

CHLODOVEVS I.

gnante. Tunc Regina clam vocauit sanctum Remedium *, vrbis Remensis Antistitem, deprecans eum, vt Regi viam salutis prædicando ostenderet. Regem verò ad baptismum beatus Episcopus vocans, ab illo veniam loquendi deprecabatur. Cui Rex ait: Libenter te audiam, beatissime Pater. Sed vnum restat, quia populus, qui me sequitur, non vult relinquere Deos suos: sed vadam adhortari eos iuxta verbũ tuum. Conueniens autem Rex ad populum, cœpit cohortari eos. Acclamauerũt autẽ præcurrente misericordia Dei, & potentia ipsius, omnis populus Francorum, fortiter dicentes: Mortales Deos derelinquimus nunc, gloriose Rex, & Deum verum immortalem, quem Remedius prædicat, colere, eique credere parati sumus. Nuntiauerunt autem hæc sancto Remedio. Ille quoque gaudio magno repletus, iussit baptismi lauacrum parare. Velis diuinis historiis depictis adumbrantur plateæ, fabricantur Ecclesiæ, componitur baptisterium, balsamum & cetera odoramenta redolent. Talem enim gratiam Dominus subministrauit in populo, vt æstimarent se paradisi odoribus repletos fuisse. Rex ergo prior petiit sanctum Remedium, vt se baptisaret. Venit nouus Constantinus ad baptismum, abnegatis diabolo pompisque eius. Cui ingresso ad baptismum, sanctus Dei Regi sic ait ore facundo: Mitis depone colla Sicamber: adora quod incendisti, incende quod adorasti. Erat autem sanctus Remedius vir sapiens atq; sanctissimus, egregius Rhetoricus, præclarus in virtutibus, cæcis visum restituens, mortuis vitam reparans, dæmonia eiiciens. Igitur Rex omnipotentem Deum in Trinitate confessus, baptizatus est in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: delibutúsque sacro chrismate cum signo sanctæ crucis Domini nostri Iesu Christi. Baptizantur de exercitu eius amplius quàm tria millia virorum. Baptizantur sorores eius, his nominibus, Alboflidis & Landehildis, ipsa die. Baptizatúrque postea cunctus populus Francorum cum gloria.

* Remigium.

Greg. lib. 2. c. 31.

beatissime Pater: sed vnum restat, quia populus, qui me sequitur, non vult relinquere Deos suos. Sed vadam adhortare eos iuxta verbum tuum. Conueniens autem Rex cum populo, cœpit eos cohortare. Acclamauerunt autem, præcurrente misericordiâ Dei, & potentia ipsius, omnis populus Francorum, vna voce dicentes: Mortales Deos relinquimus, gloriose Rex, & Deum verum immortalem, quem Remidius prædicat, credere parati sumus. Nunciantur hæc sancto Remidio. Ille quoque gaudio magno repletus, iussit baptismi lauacrum parare. Velis diuinitus depictis adumbrantur plateæ, fabricantur Ecclesiæ, componitur baptisterium, balsamum redolent cerea odorata. Talem gratiam Dominus subministrauit in populo, vt æstimarent se paradisi odoribus collocare. Rex ergo prior petiit à sancto Remidio baptizari. Venit nouus Constantinus ad baptismum, abnegatis diaboli pompis. Quo ingresso ad baptismum, sanctus Dei sic ait ore fœcundo: Mitis depone colla Sicamber. Adora quod incendisti, incende quod adorasti. Erat autem sanctus Remidius vir sapientissimus, Rhetoricus præclarus, in virtutibus magnus. Igitur Rex omnipotentem Deum in Trinitate confessus, baptizatus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, delibutúsque sacro crismate cum signo sanctæ crucis Domini nostri Iesu Christi. Baptizantur de exercitu eius ampliùs quàm tria milia virorum. Baptizantur sorores eius his nominibus, ALBOFLEDIS, & LANDECHILDIS, ipsa die. Baptizatúrque postea cunctus populus Francorum.

XVI. POSTHÆC autem Chlodoueus contra Gundobadum *, & Godeghiselum fratrem eius, commoto exercitu Francorum grandi, perrexit. Illi hæc audientes, exercitum maximum colligunt Burgundionum. Venientésque

Greg. lib. 2. c. 32.

* Gundebaudum

XVI. POST hæc Chlodouechus contra Gundobadum & Godeghiselum fratrem eius perrexit, cum multo exercitu Francorum. Illi hæc audientes, populo multo Burgundionum mouent, ad pugnam præparant. Venientésque Diuione castro super Oscaram

Oscar- Diuione castrum super Hoscarum * fluuium, ibi inter se valdè atrociter confligentibus Chlodoueo & Gundobado ac Godeghiselo, Burgundiones terga verterunt. Chlodoueus quoque, sicut solebat, victor exstitit. Afflictóque exercitu Burgundionum, Gundobadus & Godeghiselus in fugam versi vix euaserunt. Gundobadus in Auenionem ciuitatem super Rhodanum ingressus, ibi se reclusit. Sed Chlodoueus Rex illuc eum persecutus obsedit. Qui cùm ipsam vrbem effringere non potuissent, regionem illam nimium vastauerunt Franci. Gundobadus itaque misit consiliarium suum sapientem, Aredium nomine, vt animum furentis Chlodouei Regis per suum consilium optimum mitigaret. Dederúntque ei munera infinita, auri & argenti pondera multa, atque se sub eius tributo subiugauerunt. Chlodoueus verò ablatis thesauris cum præda maxima cum Francorum exercitu reuersus est victor.

In his temporibus fuit in Viennam vrbem terræmotus maximus, vbi multæ Ecclesiæ & domus multorum concussæ fuerunt, & subuersæ. Ibi bestiæ multæ oberrantes, lupi, vrsi, ac cerui. Ingressique per portam ciuitatis, deuorabant plurimos. Per totum autem annum hoc faciebant. Nam veniente Dominica solemnitate diei sanctæ Paschæ, sanctus Mamertus, qui in ea vrbe erat Episcopus, dum Missarum solemnia * ipsa vigilia celebraret, Palatium quoque regale, quod in ciuitate erat, diuino igne succensum est. Cúmque hæc agerentur, appropinquante Ascensione Domini, indixit ieiunium triduanum vir Dei sanctus in populo, cum gemitu & contritione spiritus *, instituit orãdi modum, edendi seriem, erogandi hilarem dispensationem. Tunc cessauit ipsa tribulatio, & subuersio. Deinceps omnes Ecclesiæ Dei & Sacerdotes hoc exemplum imitantes, vsque ad præsens ipsas triduanas Letanias vbique celebrare noscuntur.

[Left margin notes, partly cut off: "...vr. lib. ...c. 34." ; "Sacri-" ; "...cor- ne ...s his ...ri- ...mper ...tari."]

fluuium, ibique se fortiter compugnantes, Chlodouecho, Gundobado, & Godeghiselo, Burgundiones valde cæsi terga verterunt ad fugam. Chlodouechus, sicut solebat, victor extitit. Afflictóque exercitu Burgundionum, Gundobadus & Godeghiselus in fugam versi vix euaserunt. Gundobadus in Auennione ciuitate super Rodanum ingressus, ibi se reclusit. Chlodouechus illic eum persecutus obsedit, quatenus de ciuitate extractum interimeret. Quod ille audiens, pauore perterritus, metuebat ne ei mors repentina succederet. Habebat tamen secum virum illustrem Aridium, strenuum atque sapientem. Quem ad se accersitum, ait: Vallant me vndique angustiæ, & quid faciam ignoro, quia venerunt hi barbari super nos, vt nobis interemptis regionem totam euertant. Ad hæc Aridius ait: Oportet te lenire feritatem hominis huius, ne pereas. Nunc ergo, si placet in oculis tuis, ego à te fugere, & ad eum transire consimulabo. Cúmque ad eum accessero, ego faciam vt neque te, neque hanc noceant regionem. Tantum vt quod tibi per me consilium demandauerit implere studeas, donec causam tuam Dominus prosperam facere sua pietate dignetur. Et ille, Faciam, inquit, quodcumque mandaueris. Hæc eo dicente, vale dicens Aredius discessit, & ad Chlodouechum Regem abiens, ait: Ecce ego humilis tuus, piissime Rex, ad tuam potentiam venio, relinquens illum miserrimum Gundobadum. Quòd si me pietas tua recipere dignatur, integrum me famulum atque fidelem, tu & posteri tui habebitis. Quem ille promptissimè colligens, secum retinuit. Erat enim iocundus in fabulis, strenuus in consiliis, iustus in iudiciis, & in commissis fidelis. Denique Chlodouecho cum omne exercitu circa muros vrbis residente, ait Aridius: Si dignanter, ô Rex, gloria Celsitudinis tuæ paucos humilitatis meæ sermones vellet accipere, consilium, licèt non egeatis, tamen fide integra ministrarem. Idémque vel tibi congruum, vel ciuitatibus erit, per quas transire deliberas. Quur, inquit, retines exercitum, cùm loco firmissimo tuus resedeat inimicus? Depopularis agros, prædia depascis, vineas desecas, olíueta succidis, omnésque fructus regionis euertis. Interim & illi nocere nihil praeuales. Mitte potiùs Legationem, & tributum quod tibi annis singulis dissoluat impone: vt & regio salua sit, & tu tributa dissoluenti perpetuò dominaueris. Quòd si noluerit, tunc quod libuerit facies. Quo consilio Rex accepto, hostem patria redire iubet ad propria. Tunc

[Right margin: CLODO-VEVS I.]

missa Legatione ad Gundobadum, vt ei per singulos annos tributa imposita reddere debeat iubet. Et ille & de præsente soluit, & deinceps soluturum se esse promittit. Chlodovechus verò ablatis thesauris, cum præda maxima reuersus est victor. A

His temporibus fuit in Viennam vrbem terræ motus, &c. vt in Gestis vulgaribus, vsque ad hæc verba CAPITIS XXVIII. *Sed Chramnus noluit iussum patris implere.*

XVII. IN illis diebus Rex Chlodoueus cùm venisset Parisius ciuitatem, ait ad Reginam, & ad populum suum: Satis mihi molestum est *, quòd Gothi Arriani partem optimam Galliarum tenent. Eamus cum Dei auxilio, & eiiciamus eos de ipsa terra, nostrisque eam ditionibus subiiciamus, quia valde bona est. Placuitque „ hoc consilium Proceribus Francorum. Tunc Chrothildis Regina consilium de„ dit Regi dicens: Faciens inquit, faciet Dominus Deus victoriam in manibus Do„ mini mei Regis. Sed tu audi ancillam tuam, & faciamus Ecclesiam in honorem „ beatissimi Petri principis Apostolorum, vt sit tibi auxiliator in bello. Et Rex „ ait; Placet hoc quod hortaris, ita faciamus. Tunc Rex proiecit à se in directum „ bipennem suam, quod est francisca, & dixit; Fiatur Ecclesia beatorum Apposto„ lorum, dum auxiliante Deo reuertimur. Commouit autem Rex cunctum exer„ citum suum, populum Francorum, & Pictauis direxit. Ibi enim tunc Alaricus Rex Gothorum commorabatur. At verò cùm multa pars hostium per territorium Turonorum * transiret, præcepit Rex pro reuerentia sancti Martini, vt nihil aliud nisi herbam præsumerent accipere ad eorum equos sustentandum. Direxit itaq; nuntios Rex ad beati Martini Basilicam cum muneribus multis, & equo » suo velocissimo, quem Rex amabat plurimùm, & ait: Ite, & *forsitan victoriæ aliquid* » ex sancto sermone accipietis à scripturis sanctis. Tunc datis muneribus nuntius di» xit: Si tu Deus adiutor mihi es, & gentem hanc incredulam tibi meis manibus tra» dideris, in ingressu Basilicæ, sancte Martine, dignatus esto mihi reuelare, vt sciam » si propitius mihi sis famulo tuo. Venientibus autem pueris ad beati Martini Ecclesiam, cùm ad ipsa limina introissent *, primicerius Ecclesiæ hanc Antiphonam imposuit, dicens: Præcinxisti me Domine ad bellum, & supplantasti insurgentes in „ me subtus me: & inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti. Quod psallentium * vt audierunt, Domino gratias agentes, dimisso ibi equo Regis, & alia munera multa, cum lætitia & exultatione nuntiauerunt Regi. Cùm venisset autem Rex ad fluuium Vincennam cum exercitu suo, in quo loco eum vadare deberet, non inueniebat. Inundauerat enim à multitudine pluuiarum. Deprecatusque est Dominum, vt ei vadum ostenderet, & nocte illa ibidem fuit. Mane autem facto, cerua miræ magnitudinis ante eos Dei voluntate * præcedens vadum ostendit. Illáque vadante, populus quoque sequens vadauit. Veniente autem Rege apud Pictauis ciuitatem, dum procul ab Ecclesia S. Hilarij tentoria fixisset, ea nocte farus ignea ex ea visus est exisse. Apparuit nempè super ipsa tentoria in auxilium Chlodoueo Regi cum virtute beati Hilarij. Præcepit ergo tunc Rex hosti suo, vt nec cibum, nec vlla stipendia * de ipso pago tollerent, neque etiam spolia. Chlodoueus autem Rex cum Alarico Rege Gothorum in campo Vogladise * super fluuium Clinno, milliario decimo ab vrbe Pictaua conuenit. Illisque inter se compugnantibus, Gothi cum Rege suo nimis conlæsi * terga verterunt. & Chlodoueus Rex, sicut solebat, victor extitit. Cúmque Alaricum interficeret, duo Gothi cum contis eum ex aduerso in latere ferierunt. Sed propter loricam, qua indutus erat, non * liuorauerunt eum. Dominus enim adiuuabat eum in cunctis quæ agebat. Maximus autem tunc ibi Aruernorum populus, qui cum Apollonare Duce venerat, corruit in gladio Francorum, cum Senatoribus multis. De hac pugna Amalricus euasit per fugam, filius Alarici, & in Spaniis * Regnum patris sui sagaciter recepit. Chlodoueus autem Theodericum filium suum per Albiensem & Rotinus ciuitatem ad Aruernum dirigit. Qui pergens, omnes vrbes illas à finibus Gothorum vsque Burgundiam subiugauit, & B C

* durum videtur. Greg. lib. 2. c. 37.

* al. Toriaicum.

* peruenissent.

* Quem vocem psallētium.

* nutu

* quicquā stipendij.

* al. Vocladinense.

* collisi.

* nihil ei nocuerunt.

* Hispaniis

A in potestatem patris sui restituit. Regnauit igitur Alaricus annis XII. Chlodoueus quoque apud Burdigalensem * ciuitatem totam hyemem resedit. Thesauros verò plurimos Alarici Regis de Tholosa abstulit, omnésque vrbes illas accipiens, Ecolosinam ciuitatem veniens, tantam ei gratiam Deus contulit, vt in eius aduentum muri eius funditus corruerent. Interfectis quoque Gothis, qui ibidem erant, ipsam vrbem adprehendit. Atque ita omni terra eorum subiugata, in Santonico * vel Burdigalense Francos præcepit manere, ad delendam Gothorum gentem. Deinde Turonis ciuitatem reuersus, multa munera Basilicæ beati Martini tribuit. Equus verò, quem antea ad ipsam Ecclesiam trānsmiserat, illius matricolariis datus est. Ille verò centum solidos pro ipso equo, vt eum reciperet, transmisit. Quibus datis, equus ille nullatenus se mouit. At ille ait: Date illis alios centum solidos. Cúmque alios solidos dedissent, statim ipse equus solutus abiit. Tunc cum lætitia Rex ait: Verè beatus Martinus bonus est in auxilio, sed carus in negotio. Ab Anastasio Imperatore accepit tunc Codicillos Chlodoueus Rex pro Consulatu. Tunica blattea indutus Rex in Basilica beati Martini, corona aurea in capite suo: ascenso equo, aurum & argentum in atrium, quod est inter ciuitatem & Ecclesiam beati Martini, præsente populo manu propria sparsit *, atque voluntate benignissima dispensauit. Ab ea die tanquam Consul & Augustus est appellatus. De Toronis autem egressus, Parisius ciuitatem veniens, ibi sedem Regni sui constituit.

CLODOVEVS I.

* al. Burdalensem.

* al. Santoneco.

Greg. lib. 2. c. 38.

* erogauit.

B XVIII. DEINDE commotus contra Ragnacharium * parentem suum. Erat autem ipse Ragnacharius apud Camaracum ciuitatem effrenis in luxuria. Habebat quoque consiliarium nomine Faronem simili spurcitiâ lutulentum. Cùm enim aliquid muneris, aut cibi ei deferti essent, dicebat: Sint ista mihi, & meo Faroni consiliario. Pro qua causa indignati Franci, qui erant cum eo, consentiebant Chlodoueo, commouentes eum aduersus Ragnacharium. Deditque eis Chlodoueus stipendia pro hac causa, baltheos & armellas adsimilatas de auro, sed de intus æramen & cuprum * erat deauratum, sub dolo factum, pro munere leudibus Ragnacharij, qualiter super ipsum inuitarent eum. Commoto Chlodoueus exercitu contra Ragnacharium parentem suum, misit Ragnacharius speculatores ad cognoscendū, interrogās, cuius esset hostis maior? Qui interrogati respōderunt mentientes; Tibi est fortior, & tuo Faroni consiliario. Venientes autem Chlodoueus & Ragnacharius ad pugnam, fortitérque inter se præliantes, Ragnacharius cæsum cernens exercitum suum, fugere nititur. Sed ab ipsis traditoribus comprehensus, ligatis à tergo manibus, vnà cum Richario fratre suo Chlodoueo præsentatur. Cui dixit Chlodoueus: Cur humiliasti gentem nostram, vt te vinciri C permitteres? Nónne melius tibi fuerit mori? Et eleuata bipenne, in caput eius defixit, & mortuus est. Conuersúsque ad fratrem eius, ait: Si tu solatium fratri tuo præbuisses, ille ligatus non fuisset. Similiter & ipsum in capite percussum interfecit, & mortuus est. Post mortem eorum, cognoscentes traditores eorum aurum, quod à Chlodoueo acceperant, esse vitiatum, dixerunt hoc Regi. Rex autem respondens, dixit eis: Meritò tale aurum debet accipere, qui Dominum suum ad mortem tradit. Sufficiat vobis vitam tantummodo habere concessam, ne inter tormenta deficiatis. Illi autem hæc audientes, gratiam & vitam solummodo optabant habere adeptam, hoc sibi sufficere dicentes. Fuerunt autem supradicto Ragnachario parentes: quorum frater Regnemirus * nomine apud Cenomannis ciuitatem iubente Chlodoueo Rege interfectus est. Quibus mortuis vel peremptis, omne Regnum eorum & thesauros Chlodoueus accepit. Interfectisque multis & magnis Regibus, vel parentibus suis, post hæc omnia mortuus est Chlodoueus Rex in pace, & sepultus est in Basilica sancti Petri Apostoli, quam ipse vel Regina sua ædificauerant. Mortuus est autem anno V. postquam cum Alarico Rege Gothorum pugnauit. Regnauitque simul annis XX. A transitu sancti Martini vsque ad transitum Chlodouei Regis fuerunt anni CXII. Chrothildis verò Regina post mortem viri sui Toronis ciuitatem frequenter pergens, ad Basilicam beati Martini diutissimè commorata, Domino seruiebat, & Parisius rarò visitabat.

* al. Ragneharium & Regnaharium.

Gregor. lib. 2 c. 42.

* al. cobriū.

* Rignemiris.

Greg. lib. 2. c. 43.

XIX. IGITVR post mortem viri sui Chlodouei Regis, quatuor filij eius,

THEODORICVS. CLODOMIRVS. CHILDEBERTVS. CLOTHARIVS. *Greg lib 3. c. 1. & 3.* *al. Chohilaico & Cochilag. *plenas naues implebât spoliis, numeróq; captiuorum: altúmque mare secãtes, naues impellebãt, Rege eorũ cum exercitu ad litus maris sedente.

THEVDERICVS, CHLODOMIRVS, CHILDEBERTVS, & CHLOTARIVS, Regnum eius diuiserunt æqualiter. Habebat quoque tunc Theudericus filium nomine Theudobertum, strenuum & vtilem: eleuatique sunt in magna potentia. Amalricus quoque filius Alarici Regis Gothorum sororem eorum ad coniugium petiit. Quam illi non negantes, cum ornamentis optimis transmiserunt: eámque ipse sibi in matrimonium assumpsit. In illo tempore Dani cum Rege suo nomine Chochilago *, cum nauale hoste per altum mare Gallias appetunt, Theuderico pagum Attoarios vel alios deuastantes, atque captiuantes, plenas naues de captiuis habentes*, alto mare intrantes, Rex eorum ad litus maris resedit. Quod cùm Theuderico nuntiatum fuisset, Theudobertum filium suum cum magno exercitu in illis partibus dirigens. Qui consequens eos, pugnauit cum eis cæde maxima, atque ipsis prostratis Regem eorum interfecit, prædam tulit, & in terram suam restituit. A

Greg. lib. 3. c. 6. & 3. *al. Sigismundum & Gotmarum.

XX. IN illis diebus Chrothildis Regina cùm venisset Parisius, ait ad filios suos: Non me pœnitet, ô filij mei, vos dulciter enutrisse. Precor itaque, indignamini super iniuriam meam, & patris mei & matris meæ mortem vndicate. Illi hæc audientes, in ira magna commoti, cum maximo exercitu Burgundiam petunt, contra Sismundum * & Godomarum Reges filios Gundobadi. Tunc temporis ædificabat Sismundus Rex Monasterium sanctorum Martyrum Agaunensium in Burgundia, sancti Mauricij scilicet, cum sociis suis sex millibus sexcentis. Illi B autem commouerunt hostem Burgundionum contra Chlodomirum Regem, & Childebertum, & Chlotarium fratres, filios Chlodouei. Illis inter se compugnantibus, fugerunt cæsi Burgundiones cum Godomaro. Sismundus verò dum ad sanctos Agaunis fugeret, consecutus est eum Chlodomirus, adprehenditque eum cum vxore, & filiis eius: captósque in pago Aurilianis eos adduxit, atque in carcerem retrudi iussit. Beatus autem Auitus, qui erat tunc vir sanctus, Abba in Aurelianensi ciuitate, deprecabatur Chlodomirum *, vt non occideret eos. Sed ille nolebat audire eum. Tunc interfecit tam *Sismundum & vxorem eius*, quàm & filios eius, proiecitque eos in puteum in loco qui dicitur Colomna vico.

* Chlodomerim.

*al. Gaismarum. * Visroncia

XXI. POST hæc iterum commouit exercitum Chlodomirus, in Burgundiam pergens contra Godomarum *. Cúmque venisset cum magno hoste in pago Viennense, in loco qui dicitur Visoroncia *, & Godomarus *locatis* gentibus cum Chlodomiro prælia retur, Burgundiones valde conlæsi cum Godomaro fugerunt. Cúmque eos persequeretur Chlodomirus, nimis valde præcucurrit, antecedénsque eos cum equo valde veloci, in medio eorum ingressus est. Sed ex aduersa parte percussus corruit, & mortuus est. Quod videntes Franci, nimio dolore & ira commoti, Godomarum persequentes exterminant, Burgundiones perimunt, cunctásque regiones deuastantes, à puero vsque ad senem omnes peremerunt, & ita reuersi sunt. Chlotharius hæc audiens, vxorem fratris sui accepit in coniugium, Gundeucam nomine. Filios quoque Chlodomiri orfanos, THEVDOALDVM, GVNTHARIVM, & CHLODOALDVM, Chrothildis Regina nutriebat, eos secum retinens. C

Gregor. lib. 3 c. 7. * Theutbertus.

XXII. IN illo tempore Theodericus, & Theudobertus * filius eius, & Chlotarius Rex, cum Francorum exercitu Rhenum transeuntes, in Toringiam dirigunt contra Ermenfredum regem Toringorum. Hæc audientes Toringi, fossatos fecerunt sub dolo, desuper cooperientes eos cespitibus. Cúmque ad bellum ibidem conuenissent, intelligentes quòd equi eorum ibidem corruissent, indignati sunt valde. Fugit autem Ermenfridus cum Toringis vsque Onestrudem fluuium, illicque eum persequuti sunt Franci. Sed ille reparatis viribus contra Francos nitebatur. Sed tanta cædes ibi fuit de Toringis, vt ipse fluuius ex eorum cadaueribus repleretur. Franci verò super eos tanquam per pontem transibant & conculcabant. Totámque regionem illam vastantes, & captiuos abducentes, cuncta depopulati sunt. Ermenfridus quoque per fugam vix lapsus euasit. Franci autem cum multa præda & spolio reuersi sunt. Fuerunt autem Ermenfrido duo fratres, Baldericus & Bertecharius *. Post hæc iterum Theudericus data fide Ermenfrido Regi. Tulpiaco ciuitate eum ad se venire fecit. Cúmque super murum ipsius ciuitatis conloquerentur, impulsus de muro vrbis ipsius corruit ad terram, &

*al. Berecarius & Bertarius. *Gregor. lib. 3. c. 8.*

A mortuus est, suósque infantes Theudericus interficere rogauit*. THEODORICVS.
XXIII. CHILDEBERTVS quoque cùm esset Aruernis ciuitate, soror eius
vxor Amalrici Regis Gothorum, nomen puellæ Clothildis * Regina, direxit CHILDEBERTVS.
ad eum nuntios de Spania, dicens, quanta mala ei Amalricus fecisset, & quali- CLOTHARIVS.
ter super ipsam insidiaretur propter Catholicam fidem. Nam cùm ad Ecclesiam * iussit.
Christi iret orationem facere, stercora & multos fœtores ipse super eam proiicie- Greg. lib. 3.
bat, atque in tantum eam verberabat, vt sanguinem vomeret. Quem illa in suda- c. 10.
rio suo collectum fratri suo transmisit, dicens: Indignate*, dulcissime frater, la- * al. Chlodchildis.
borem, & iniuriam meam, domine carissime. Cùm hæc audisset Childebertus * Vindicate.
Rex, in ira magna commotus hostem maximum collegit, & in Spaniam * direxit, * al. Hispaniam.
atque pugnam iniit cum Amalrico. At verò Gothi valde conlæsi *, Amalricus * collisi
fugam vertit, naues parat ad fugiendum. Cúmque attingere conaretur ad ipsas
naues, persecutus est eum exercitus Childeberti. At ille victum se cernens, ad
Ecclesiam Christianorum fugere nitebatur. Sed antequam ad introitum Eccle-
siæ peruenisset, quidam Francus eum lancea percussit, mortuúsque est ibi. Tunc
Childebertus Spaniam deuastans, Toletum * vrbem ingressus, thesauros magnos * al. Tullectum.
indè abstulit, & vnà cum sorore sua reuersus est. Sed nescio quo periculo immi-
nente languore in ipso itinere mortua est. Parisius quoque deportata, in Basili-
B ca sancti Petri iuxta patrem suum sepulta est. Childebertus verò inter reliquos
thesauros ministeria Ecclesiarum detulit, id est de vasis Salomonis preciosissimis
sexaginta calices, quindecim patinas, viginti capsas Euangeliorum ex auro purissi-
mo gemmario opere cælatas, pulchrè ornatas. Ille verò noluit ea confringere, sed
per Ecclesias cuncta distribuens, dispensauit.
XXIV. IN illis diebus Chrothildis Regina, cùm Parisius resideret, vidénsque Gregor. lib. 3. cap. 18.
Childebertus Rex, quòd filios fratris sui senioris Chlodomiris præfata Regina
mater ipsius enutriret, & nimis eos diligeret, cogitans quòd Reges eos vellet fa-
cere, dixit Chlothario fratri suo: Mater nostra filios fratris nostri secum retinet, «
& tenerè diligit, eósque in Regno fratris nostri vult eleuare. Consilio igitur acce- «
pto pertractare debemus, quid de eis faciamus. Aut tondamus eos, aut interficia- «
mus, Regnúmque fratris nostri patris eorum inter nos diuidamus. Miserunt au- «
tem ad Reginam Parisius Arcadium, nobilem virum, & industrium, dolosè di-
centes: Dic matri nostræ, vt mittat ad nos filios fratris nostri, nepotes nostros, vt «
eos Reges constituamus. At illa credens hoc verum esse, gaudens ipsos eis trans- «
misit. Illi verò statim remiserunt Arcadium ad Reginam, dicentes: Hic sunt for- «
fices, & ecce gladius. Sic mandant filij tui; Si vis eos tondere, aut gladio perime- «
re. Illa verò præ nimio dolore & amaritudine cordis cum lachrymis ait: Satis vn- «
dique me angustiæ comprimunt. Si regnare non debent, quid mihi eos prodest «
nutrisse? Melius est illis mori, quàm tonderi. At ille renunciauit eis dolosè fal- «
sum, dicens: Sic dicit Regina, Magis volo eos occidere, quàm tondere. Nec mo- «
ra etiam, adprehendit Chlotharius puerum seniorem, proiecitque eum ad terram,
C ac defixit in ascella eius cultrum. Qui transuerberatus, statim mortuus est. Frater
quoque iunior cùm hoc vidisset, proiecit se ad pedes Childeberti, dicens flendo:
Succurre mihi, piissime pater, ne & ego peream sicut frater meus. Tunc Childe- «
bertus commotus lacrymis, ait: Obsecro dulcissime frater, vt isti vitam concede- «
re digneris*; & quantum volueris, pro hoc dabo tibi. At ille in ira succensus, ait * al. vt huius vitam tua largitate mihi cōcedere iubeas, & quantumcumque.
ad eum: Eiice eum à te, aut certè pro eo morieris. Tu es enim qui hoc malum con-
silium perpetrasti: & modò tu vis liberare eum. Hæc audiens Childebertus, pro-
iecit eum à se. Chlotharius quoque elisit eum in terra, defixóque in acellam cul-
tro interfecit eum, sicut fratrem eius: & pueros eorum nutricios similiter iugula-
uit, ascensisque equitibus * abscessit. Regina quoque hæc audiens, cum nimio * equis.
mœrore attrita, compositis corpusculis eorum, cum magno psallentio & immen-
so luctu Parisius ad Basilicam sancti Petri deportata sepeliuit. Quorum vnus erat
decem annorum, & alius septem. Tertius verò nomine Chlodoaldus effugit, & per
auxilium puerorum fortium liberatus est. Qui postea relicto terreno Regno, ipse
propria manu se totondit, & clericus factus est, ac bonis operibus præditus Presbyter
ordinatus est. Plenus verò post modum virtutibus migrauit ad Dominum. No-
uiento villa Parisiaci suburbano depositus requiescit. Chrothildis autem Regi-

CHILDEBERTVS. CHLOTARIVS. THEVDOBERTVS. * Theutbertus. Greg. lib. 3. c. 28. * al. Arelauno. * i. cōcides, concisas.

na in eleemosynis profluens, cum summa abstinentia & sobrietate vitæ iugiter degebat. A

XXV. In illis diebus mortuus est Theudericus Rex. Regnauit autem annos XXIII. THEVDOBERTVS * quoque filius eius Regnum eius recepit. Post hæc Childebertus & Theudobertus commouentes exercitum, contra Chlotarium ire disponunt. Ille autem hæc audiens, videns quòd eorum exercitui resistere non possit, in siluam confugit in Auriliano *, fecitque combros *, totam spem suam in Dei pietate transfundens. Sed & Chrothildis Regina hæc audiens, beati Martini sepulchrum adiit, ibique in oratione prostrata, tota nocte vigilans, deprecabatur Dominum, ne inter filios suos bellum ciuile consurgeret. Cúmque conuenissent cum hostibus magnis contra Chlotarium, vt sequenti die eum interficerent, mane facto in loco, in quo erant congregati, orta est maxima tempestas, tentoria disrumpens cum immixtis fulgoribus, atque cuncta subuertit, irruentibus imbribus cum tonitruis validis. Illi verò prostrati in terram corruentes, cæsi grandinibus validis, grauiter verberati * corruunt. Nullum eis tegumen remansit, nisi clypeus tantùm: hoc maximè timentes, ne ab igne cœlesti cremarentur. Sed & equi eorum ita dispersi sunt, vt vix in vicesimo stadio reperirentur. Multi etiam de his non sunt inuenti. Tunc illi aut lapidibus cæsi, aut humo prostrati, pœnitentiam agentes veniam precabantur à Deo, quòd talia contra sanguinem suum agere voluissent. Super Chlotarium verò neque vna quidem pluuiæ gutta cecidit: B neque vllatenus sonitus tonitrui est auditus, sed neque anhelitus * venti in illo loco senserunt. Illi quoque mittentes nuntios, pacem & concordiam petierunt. qua data, ad propria sunt reuersi.

* al. turbati

Al. anillitus.

Greg. lib. 3. c. 28.

XXVI. Post hæc iterum Childebertus & Chlotarius commoto exercitu magno in Spaniam dirigunt. In quam ingressi, ipsam terram vastantes succenderunt, interficientes populum. Cæsaraugustanam ciuitatem circumdantes obsederunt. Populus autem, qui ibidem obsessus tenebatur, induti ciliciis, adsperso capite cinere, in tanta humilitate ad Deum conuersi sunt, vt cum tunicâ beati Vincentij Martyris muros ciuitatis psallendo circumirent. Mulieres similiter indutæ nigris palliis, dissoluto crine, plangentes sequebantur, vt illic Niniuitarum ieiunium celebraretur. Quod hi Reges videntes, putabant eos aliquid agere maleficij. Tunc adprehensum vnum rusticum de ciuitate, interrogabant eum, quid „ hoc esset quod agerent. Qui ait: Domine, tunicam Vincentij Martyris depor„ tant, & cum ipsa vt eis Dominus misereatur exorant. Et ille ait: Vade, dic Epi„ scopo ciuitatis, vt cum fiducia veniat ad nos nihil dubitans. Ille verò cùm hæc Episcopo nuntiasset, ipse cum muneribus statim occurrit eis. Childebertus quoque postulauit, vt ei reliquias beati Vincentij daret. At ille dedit ei stolam eius. C Tunc memorati Reges adquisita maximâ parte Spaniæ, cum multis thesauris & spoliis reuersi sunt. Childebertus verò Parisius veniens Ecclesiam in honore beati Vincentij Martyris ædificauit. Tunc Theudobertus Rex, filius Theuderici, in Italiam cum hoste plurimo abiit, Langobardis deuictis atque prostratis, maximam partem de ipsa terra vastauit, ipsósque Langobardos tributarios subiugauit *, & cum multo spolio reuersus est. [* Sed quia terra illa, vel loca, vt fertur, morbida sunt, exercitus eius diuersis febribus vexabatur. Dicitur etiam tunc temporis vsque Ticinum accessisse ciuitatem, in qua Buccelenum direxit. Qui minori Italia capta, atque in ditionem antedicti Regis redacta, maiorem petiit. In qua contra Belsuarium * multi vicibus pugnans, victoriam obtinuit. Cúmque Imperator vidisset, quòd Belsuarius crebriùs vinceretur, amoto eo Narsitem in eius loco statuit. Belsuarium verò Comitem Stabuli esse constituit. Buccelenus verò contra Narsitem magna certamina gessit, captáque omni Italia, vsque in mare terminum suum dilatauit. Thesauros verò magnos ad Theudobertum de Italia direxit. Quod cùm Narsis Imperatori innotesceret, Imperator conductis precio gentibus, Narsiti solatium misit. Confligénsque postea victus abscessit. Deinde Buccelenus Siciliam occupauit, de qua etiam tributa exigens, Regi transmisit.

* sibi fecit. * Sequentia addita sunt ex Cod. illustris viri Francisci Thuani. * al. Belisarium.

Greg. lib. 3. c. 36.

XXVII. Post hæc Rex Theudobertus ægrotans, febre valida correptus, mortuus est. Regnauítque annos XIV. Regnum ipsius in superiores Francos in Auster,

A ster, THEVDOALDVS filius eius accepit. Igitur bonæ memoriæ gloriosissima Chrothildis Regina bonis operibus pollens, apud vrbem Toronicam migrauit ad Dominum plena dierum. Quæ cum magno psallentio Parisius deportata, in sacrario Basilicæ sancti Petri ad latus Chlodouei Regis viri sui sepulta est, à filiis suis Childeberto & Chlotario Regibus humata. Vbi & beatissima Genouefa sepulta est. Chlotharius quoque Rex de diuersis mulieribus septem filios habuit, id est, de Ingunde Guntharium, Childericum, Haribertum *, Guntramnum, Sigibertum, & Chlodsindam filiam. De Heregunde * quoque sorore Ingundis habuit Chilpericum. De Gunsina * habuit Chramnum. Per amorem enim Ingundis, eo quòd pulchra esset & decora, & ipse esset nimis luxuriosus, Herigundem sororem eius in coniugium accepit. Theudoaldus autem Rex filius Theudoberti Regis in Auster, ægrotans febre valida mortuus est, regnauitque annos VII. Regnúmque eius Chlotarius Rex cum thesauris multis accepit. Eo anno rebellantibus Saxonibus Chlotarius Rex commoto Francorum exercitu contra eos pugnam iniit super VViseram fluuium, exercitum eorum maximum interfecit; terrámque eorum vastauit: peruagans totam Toringam, ac depopulans, pro eo quòd solatium Saxonibus præbuissent.

CHILDEBERTVS. CHLOTARIVS. THEVDOBALDVS. Greg. lib. 4. c. 1.

* Chariberlum.

* Charegunde

* Gunsinde, & Guusinane.

Gregor. lib. 4. cap. 2.

XXVIII. CHRAMNVS itaque filius Chlotarij pulcher & decorus erat nimis, B & acer & callidus. Cumque vltra Ligere à patre missus in loco eius fuisset, cepit regionem valde iniquiter opprimere. Quod cùm patri nuntiatum fuisset, ille eum ad se venire præcepit. Sed Chramnus noluit iussum patris implere, duriùs agens. Duxitque VVillehari * filiam sibi in vxorem nomine Chaldam. Adprehensisque multis thesauris Parisius veniens, cum Childeberto Rege patruele suo sacramento constrictus est, iurans se esse patri certissimum inimicum. Cùm autem Childebertus Rex ægrotare cœpisset, diutissimè Parisius febribus decubans, mortuus est, & in Basilica beati Vincentij Martyris, quam ipse construxit, sepultus. Cuius Regnum & thesauros Chlotarius Rex accepit. Chramnus quoque cùm euadere patri non posset, Britannias petiuit. Ibi cum Brittannorum Rege Cunoberto ipse & vxor eius, & filij * eius latuerunt. VVillecharius autem socer eius Turonos * ad Basilicam sancti Martini confugit. Tunc ipsa Basilica per peccata VVillecharij & vxoris eius succensa est: quam postea Chlotarius Rex stanno cooperire iussit, & illam ea, qua prius fuerat, elegantia reparauit. Post hæc Chlotarius Rex commoto magno exercitu contra Chramnum in Britanniam frendens direxit. Sed & Chramnus nihil timens, contra patrem ad bellum cum Cuniberto * Rege Britannorum egreditur. Cúmque fortiter inter se compugnarent, Chlotarius Rex commotus lachrymis aiebat: Respice Domine de cœlo, & iudica iustè, illúdque impone iudicium, quod quondam inter Absalonem & patrem eius Dauid po- C suisti. Confligentésque pariter, Britannorum Rex in fugam vertitur, ibique cecidit. Chramnus quoque dum per fugam euadere conaretur, nauésque in mari paratas haberet, & dum vxorem vel filias liberare vellet, ab exercitu patris oppressus, captus atque ligatus est. Quod cùm Chlotario Regi nuntiatum fuisset, iussit eum cum vxore & filiabus igne consumi: inclusique in tugurium cuiusdam pauperculæ, Chramnus super scamnum extentus orario sugillatus * est, & sic postea super eos ipsa casella incensa, cum vxore & filiabus est combustus.

Greg. lib. 4. c. 10.

* al. VVilicharij.

HVC VSQVE EXEMPLAR CAMERACENSE.

* al. filiæ.

* Toronis.

* al. Conoberto, & Conobro.

* i. strangulatus.

XXIX. TVNC quoque in illis temporibus beatissimus Medardus Episcopus, plenus virtutibus præclaris & gloria, migrauit ad Dominum. Quem Chlotarius Rex Suessione ciuitate cum magno psallentio gloriosè sepeliuit, tribuens illic multas facultates. Rex verò Chlotarius ad beati Martini sepulchrum abiit: illic diutissimè orans, multa munera largitus est, & per multas Basilicas Sanctorum complurima dona tribuit. Post hæc dum in Cottia sylua venationem exerceret, à febre valida corripitur. Exinde Compendio villa, quæ est Palatium regale, rediit. Vbi cùm grauiter vexaretur, dicebat: Vua, vua! quid putatis, qualis est ille Rex cœlestis, qui sic tam magnos Reges interficit? In hoc enim tædio positus spiritum exhalauit, regnauitque annos LI *. Quem quatuor filij sui cum magno honore Suessionis ciuitate deferentes, in Basilica beati Medardi sepelierunt. CHILPERICVS verò post mortem patris sui thesauros, qui in villa Brinnaico * erant congregati, accepit, & ad Francos vtiliores petiit,

Greg. lib. 4. c. 19.

* al. Obiit autem anno LI. regni sui.

* al. Brinago & Brinaco.

CHARIBERTVS. GVNTRANNVS. CHILPERICVS. SIGIBERTVS. * Cherebertus.

ipsisque munera multa dedit, & sibi subdidit. Mox Parisius ingreditur, sedémque Childeberti Regis occupat. Sed non diu licuit ei hoc possidere. Nam coniuncti fratres eius, eum exinde expulerunt, & sic inter se hi quatuor, id est, Charibertus *, Guntrannus, Chilpericus, atque Sigibertus, diuisionem legitimam fecerunt. Accepitque CHARIBERTVS Regnum Childeberti, sedémque constituit Parisius: GVNTRANNVS Regnum Chlodomeris accipiens, Aurilianis sedem instituit: CHILPERICVS verò Regnum Chlotarij patris sui accipiens, Suessionis ciuitate sedem statuit. SIGIBERTVS autem Regnum Theuderici accepit, & sedem habere Remis ciuitatem constituit.

Gregor. lib. 4. c. 23.

* al. pepigit

* retrusit.

* in suam dominationem reuocauit.

XXX. IGITVR post mortem Chlotarij Regis, Chuni commoti cum Cagano Rege suo Gallias venire destinant. Contra quos Sigibertus exercitum mouit, ac fortiter contra eos pugnans prostrauit atq; deuicit, & in ore gladij eos fugauit. Sed postea Rex eorum amicitias cum Sigiberto petiit, & per missos suos pacem cum eo postulauit*, reuersúsque est in terram suam. Dum autem illic moraretur Sigibertus, Chilpericus frater eius hoste collecto Remos peruasit, & Campaniam succensam atque prędatam deuastauit. Sigibertus autem à Chunis rediens victor, contra Chilpericum exercitum commouit, Suessionis ciuitatem occupat: ibique inuento THEVDEBERTO filio Chilperici adprehendit eum, & in exilium transmisit*. Accedens etiam contra Chilpericum bellum commouit. Quo victo atque fugato, ciuitates suas in suo dominio * restituit. Theudobertum verò filium eius apud Ponticonem villam custodire iussit per annum integrum. Quem postea, clemens vt erat, muneribus ditatum patri reddidit sanum: dato sibi sacramento, ne vnquam contra eum agere deberet. Quod tamen postea, peccatis ingruentibus, fuit inruptum. Charibertus Rex Ingobergam * duxit vxorem Habebátque ipsa Regina puellas duas cuiusdam pauperis filias, nimis pulchras & speciosas. Nomen senioris Marcouefa *, nomen verò iunioris Merofledis vocabatur. In quarum amore Rex Charibertus nimis exarserat. Ingoberga quoque affligebat eas nimio odio pro ea caussa. Nam & patrem earum compositorem lanificij fieri iussit. Pro qua caussa Rex nimis iratus Ingobergam reliquit, & Merofledem accepit vxorem. Post hæc quoque Marcouefa sororem eius ad coniugium copulauit: pro qua caussa à sancto Germano Parisiorum Episcopo excommunicatus vterque est. Sed cùm Rex eam relinquere nollet, percussa iudicio Dei mortua est.

* al. Ingoberergam. Gregor. lib. 4. c. 26. * Marcoueua.

Greg. lib. 4. c. 27.

XXXI. NON post multum tempus Charibertus etiam Rex mortuus est, & in Blauia castello in Basilica sancti Romani sepultus. Porro Sigibertus Rex cùm videret quòd fratres eius indignas sibi vxores acciperent, & ancillas ad coniugium copularent, Legationem in Spaniam misit, & cum multis muneribus Brunchildem Athanigildi Regis filiam petiit. Erat enim puella elegans opere, & pulchra, & ingeniosa. Quam pater eius non denegans, cum magnis thesauris antedicto Regi transmisit. Ille verò cum magno apparatu & immenso gaudio eam accepit vxorem. Et quia Arrianæ legi subiecta erat, eam Sigibertus Rex in nomine sanctæ Trinitatis baptisare præcepit: & fidem Catholicam confessa, perfectè imbuta est. Quod videns Chilpericus Rex, cùm iam plures haberet vxores, sororem Brunchildæ nomine Galsuindam * expetiit, promittens per Legatos, alias vxores dimittere. Pater verò eius has promissiones audiens, filiam suam præfatam cum multis thesauris ei destinauit. Nam ipsa Galsuinda ætate senior erat Brunchilde. Chilpericus verò cum magno gaudio eam in coniugio suscepit, & ipsa in nomine sanctæ Trinitatis chrismata, magna Christiana * effecta est. Per odium autem Fredegundis valdè pessimæ concubinæ suæ ortum est inter eas grande scandalum. Dicebat enim ipsa Galsuinda, tantas sibi iniurias à Rege se sufferre non posse, propter inimicitias Fredegundæ. Petiit itaque vt relictis thesauris, quos secum de Spania tulerat, liberam eam redire dimitteret in patriam ad patrem suum. Sed ille eam verbis mollibus blandiebatur. Per consilium itaque pessimæ Fredegundis eam per noctem in stratu suo strangulauit. Post cuius obitum Deus prò ea virtutes ostendit. Quo facto, fratres Chilperici hoc indignantes,

Greg. lib. 4. c. 28. * Gailsuuindam.

* magnæ sanctitatis fœmina.

A eum de Regno eiicere voluerunt. Habebat autem tunc Chilpericus Rex tres filios de Audouera Regina sua; id est, THEVDOBERTVM*, MEROVEVM, & CHLODOVEVM. Nunc autem ad cœpta redeamus; qualiter Fredegundis dominam suam Audoueram Reginam decepit. Nam ipsa Fredegundis ex familia infima fuit. Cùm autem Chilpericus Rex in hostem cum Sigiberto fratre suo contra Saxones ambulasset, Audouera Regina grauida remansit, quæ peperit filiam. Fredegundis verò per ingenium consilium dedit ei, dicens: Domina mea, ecce Dominus Rex victor reuertitur: quomodo potest filiam suam gratanter* recipere non baptisatam? Cùm hæc audisset Regina, baptisterium parare præcepit; vocauitque Episcopum, qui eam baptisare deberet. Cúmque Episcopus adfuisset, non erat matrona ad præsens, quæ puellam suscipere deberet. Et ait Fredegundis: Nunquid similem tui inuenire poterimus, quæ eam suscipiat? Modo tumet ipsa suscipe eam. Illa verò hæc audiens, de sacro fonte eam suscepit. Veniens autem Rex victor, exiit Fredegundis obuiam ei, dicens: Deo gratias, quia Dominus noster Rex victoriam recepit de aduersariis suis; nataque tibi est filia. Cum qua dominus meus Rex dormiet hac nocte? quia domina mea Regina commater tua est de filia tua Childesinde*. Et ille ait: Si cum illa dormire nequeo, dormiam tecum. Cúmque introisset Rex in Aulam suam, occurrit Audouera Regina cum ipsa puella. Et ait ei Rex: Nefandam rem fecisti per simplicitatem tuam. Iam enim coniux mea esse non poteris ampliùs. Rogauitque eam B sacro velamine induere, cum ipsa filia sua: deditque ei prædia multa & villas. Episcopum verò, qui eam baptisauit, exilio condemnauit. Fredegundem verò copulauit sibi ad Reginam.

GVNTRAMNVS. CHILPERICVS. SIGEBERTVS.

* Theutbertum.

* al. gratulanter & dignanter.

* al. Chelsindane.

XXXII. TVNC Iustinianus Imperator apud Constantinopolim ciuitatem obiit: Iustinus ambiuit* Imperium. Chilodoueus quoque iunior filius Chilperici abiit vsque Burdegalam* vrbem. Vbi cùm nullo inquietante resideret, Sigulfus quidam à parte Sigiberti Regis missus, cum exercitu se super eum obiecit. Quem fugientem, cum tubis & buccinis quasi fugientem ceruum insequebatur. Qui vix ad patrem labens Parisius peruenit. Chilpericus quoque Theudobertum filium suum seniorem, qui antea Sigiberto iurauerat, vltra Ligerem cum hoste* direxit. Qui abiens ciuitates Sigiberti auunculi sui peruasit; id est Toronis, Pictauis, vel reliquas. Apud Pictauis autem contra Gundoaldum Ducem pugnauit; conlæsúsque est exercitus Gundoaldi, & fugit. Magnámque cædem illic Theudobertus de hoste Gundoaldi fecit. Commoto indè exercitu Lemouicinum Cadurcinúmque abiit, eásque peruastauit. Ecclesias multas incendit, ministeria detrahit*, clericos interfecit; Monasteria virorum deiecit, puellarum deludit, & cuncta deuastauit. Fuitque in illo tempore peior in Ecclesiis gemitus, quàm tempore persecutionis Maximiani & Diocletiani Imperatorum. Cúmque has discordias inter hos fratres disseminari videret, commoto iterum Chilpericus exercitu vsque Remis accessit, cuncta incendens atque debellans. C Quod audiens Sigibertus, conuocatis gentibus illis quæ vltra Rhenum sunt, Parisius venit, & contra fratrem suum ire disponit, mittens nuntios Dunensibus vel Toronicis, vt contra Theudobertum ire deberent. Quod illi dissimulantes, Rex Godegisilum & Guntramnum Duces in capite dirigit. Qui commouentes exercitum, aduersus eum pergunt. Ille quoque derelictis suis cum paucis remansit, sed tamen ad bellum exire non dubitauit. Venientésque ad pugnam Theudobertus* deuictus prosternitur, mortuúsque est ibi. Ab Aunolfo quoque Duce collectus, Ecolosinam ciuitatem deportatus, ibidem sepultus est. Chilpericus verò per Rodomagensem vrbem fugiens cum vxore sua ac filiis, Turnacum ciuitatem ingressus, ibi se reclusit & communiuit. Sigibertus verò ciuitates illas, quæ vltra Parisius sunt positæ, vsque Rodomacum accepit. Regressus inde Parisius introiens, ibi ad eum Brunechildis cum filiis suis venit. Tunc Franci, qui quondam ad Childebertum seniorem aspexerant, ad Sigibertum Legationem mittunt vt ad eos veniret, & illic Chilperico derelicto, ipsum supra se Regem stabiliunt. Qui hæc audiens, misit eos vt fratrem suum in supra memorata ciuitate Turnaco obsiderent: dicens se cum exercitu eos esse sequuturum. Cui beatus Germanus Episcopus dixit: Si abieris, & fratrem tuum interficere nolueris, viuus & victor redis: sin autem

Greg. lib. 4. c. 39. & 41.

* al. accepit

* al. Burdigalem & Burgundigalam.

* al. hostili manu.

* aboliuit.

Greg. lib. 4. c. 49.

Cap. 50.

* Theutbertus.

Greg. lib. 4. c. 51.

GVNTRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

aliud cogitaueris, morieris. Sic enim Dominus per Salomonem ait: *Foueam quam fratri tuo praeparabis, in eam cades*. Quod ille audire neglexit. Venientem autem illum apud villam, cui nomen Victoriacum, collectus est ad eum omnis exercitus, impositúmque supra clypeum Regem eum super se statuunt. Tunc Fredegundis memor artium suarum inebriauit duos pueros Taruanenses, dixitque » eis; Ite ad cuneum Sigiberti, & adsimulate vt eum supra vos in Regem eleuare » debeatis, cúmque interficite. Si euaderitis viui, ego mirificè honorabo vos, & sobolem vestram: si autem corrueritis, ego pro vobis eleemosynas multas per loca Sanctorum distribuam. Illi verò nec dubij, ad eum venientes, cùm aliam causam suggerere simularent, abstractis cultris (quos vulgus scramxaxos* vocant) vtraque ei latera feriunt. At ille vociferans atque corruens, non pòst multo spacio emisit spiritum suum. Vbi etiam & illi homicidae corruerunt. Chilpericus verò nesciens de fratris interitu, quid Fredegundis egisset, dubius haesitabat, quomodo angustias, quas ab hoste fratris sui patiebatur, an euadere posset, aut non. Donec Fredegundis omnia de fratris sui morte narrauit. Tunc egressus Chilpericus Rex cum satellitibus suis de Turnaco cum vxore & filiis, vestitum Sigibertum vestibus ornatis apud Lambros vicum sepeliuit. Vnde postea Suessionis in Basilica sancti Medardi iuxta patrem suum Chlotharium sepelierunt. Obiit autem anno XIV. regni sui, aetate quadragenaria. Interempto igitur Sigiberto Rege apud Victoriacum villam, Brunhildis Regina cum filiis suis Parisius residebat, plena luctu, quid de se agere deberet, ignorans. Gundoaldus Dux adprehensum CHILDEBERTVM filium eius paruulum furtim per noctem abstulit, & cum eo in Auster fugit. Collectísque gentibus, super quas pater eius regnauerat, Regem eum constituit.

*al. scramsaxos. Sachs lon giores cultri & machaerae.

XXXIII. CHILPERICVS verò Rex Parisius veniens, adprehensa Brunhilde, apud Rotomagensem ciuitatem in exilio retrusit, thesauròsque eius, quos Parisius detulerat, abstulit, & filias eius Meldis vrbe tenere praecepit. Chilpericus post haec filium suum Merouecum cum exercitu vltra Ligerim dirigit. At ille relicta ordinatione patris, per Cenomannicum reuersus, matrem suam Audoueram visitare se fingens, Rotomacum ciuitatem venit. Ibique Brunihildae Reginae coniunctus, eam sibi in coniugium copulauit. Haec audiens Chilpericus, quòd scilicet contra fas & legem Canonicam vxorem patrui accepisset, valde amarus factus est, & festinus ad ipsam vrbem perrexit. Illi verò cùm cognouissent, quòd eos separare decerneret, ad Basilicam sancti Martini, quae est ligneis tabulis supra murum constructa, confugiunt. Rex verò cùm eos per ingenium inde » eiicere non posset, dolosè eis iurans: Si, inquit, voluntas Dei fuerit, ipse eos se» parare non conaretur. Haec illi sacramenta accipientes, de Basilica egressi sunt: exosculatísque dolosè, & dignanter acceptis, epulauit cum eis Rex. Post dies verò paucos, cum ipso Merouco assumpto Suessionis ciuitatem rediit. Cúmque ibidem moraretur, collecto hoste de Campania aduersus Chilpericum, ille quoque similiter cum exercitu aciem dirigit contra eos. At illi nimis caesi in fugam dilabuntur, multósque ibi nobilissimos viros occidit. Quae postquam acta sunt, Rex Chilpericus propter coniugationem Brunhildae, vel eius maleficia, Merouecum suspectum habebat pro hac pugna, insidiante Fredegunde. Tunc expoliatum eum ab arma, commendauit custodibus, tractans* quid de eo facere deberet. Post haec tonsuratus est ipse Meroueus iubente Chilperico, Presbyter ordinatus cum veste saccerdotali Monasterium Aninsulâ in Cinomannicum eum direxit, vt illic regulari ordine degere deberet. Tempore quoque illo beatus Germanus Parisiorum Episcopus plenus dierum ac virtutibus magnis migrauit ad Dominum, & cum gloria & psallentio maximo in beati Vincentij Martyris Basilica est sepultus. Childebertus post haec iunior Legationem ad Chilpericum misit propter Brunhildem matrem suam. Illa quoque pacificè reddita est. Eo tempore SAMSON filius Chilperici mortuus est.

Greg. lib. 5. c. 2. — Gregor. lib. 5. c. 3. — *al. consultans. — Gregor. lib. 5. c. 8. — Greg. lib. 5. c. 22.

XXXIV. CHILPERICVS autem Rex descriptiones nouas & graues per consilium Fredegundis in cuncto Regno suo fieri iussit. Pro qua caussa multi relinquen» tes ciuitates illas vel possessiones proprias, alia Regna petierunt, dicentes; Sibi » melius esse peregrinari, quàm tali periculo subiacere. Sic enim statutum fuerat, vt possessor de propria terra vnam amphoram vini per aripennem redderet. Sic &

Greg. lib. 5. c. 28.

GVNTRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

A de reliquis terris & vniuersa substantia faciebant. Similiter & de mancipiis cuncta agebantur. Populus verò valde oppressus vociferabantur ad Dominum. Eo tempore Rex Chilpericus grauiter ægrotauit. Quo recuperante *, filius eius iunior necdum baptisatus ægrotare cœpit. Qui baptisatus, vix conualuit. Fraterque eius senior nomine CHLODOBERTVS hoc morbo corripitur valde *. Et Fredegundis plena dolore filiorum & gemitu, ait ad Regem serò pœnitens *: Diu nos malè agentes pietas diuina sustinet. Nam nos sæpè febribus & aliis malis corripuit, & emendare neglextimus. Ecce iam perdimus filios! ecce iam eos lacrymæ pauperum, lamenta viduarum, suspiria orfanorum interimunt. Ecce auri & argenti immensa pondera, cellaria & horrea plena redundant, & nescimus cui congregamus ea. Ecce quod pulchrius habebamus, perdimus. Quid nobis proderunt omnia ista? Nunc verò placeat tibi consilium meum, & iube reddere quod malè peruasimus, & descriptiones nouas, quas iniustè & nequiter fecimus, iube incendere *: vt si natos perdimus, vel pœnam perpetuam euadamus. Tunc Rex compunctо corde tradidit omnes descriptiones iniquas ad comburendum in ignem. Post hæc paruulus filius eius moritur. Quem cum grandi mœrore Parisius in Basilica sancti Dionysij Martyris deportantes sepelierunt. Deinceps Chlodobertus * filius eorum alius cùm nimis ægrotaret, componentes eum in feretro, Suessionas * ad

B Basilicam sancti Medardi deduxerunt. Proiicientésque eum ad sanctum sepulcrum, vouerunt vota pro eo. Sed media nocte deficiens mortuus est. Quem in Basilica sanctorum Martyrum Crispini & Crispiniani sepelierunt. Magnus quoque planctus in omni populo fuit. Nam mulieres cum viris sumentes lugubria flebant, nigris vestibus indutæ, percussæ pectora hoc funus sunt prosecutæ. Multa quoque munera ac dona Chilpericus Rex Ecclesiis vel pauperibus, ac prædia multa est largitus.

*al. conualescente. *al. valida tabe. *al. iam re pœnitens. *al. igne cremari. *al. Robertus. *al. Sexonis.

XXXV. Eo quoque tempore Iustinus Imperator amens effectus XIII. anno imperij sui apud Constantinopolim ciuitatem obiit. Tiberius quoque Imperium suscepit. Post hæc Theudericus puer filius Chilperici obiit. His diebus peperit Fredegundis puerum, quem CHLOTHARIVM vocauerunt. Hic fuit postea Rex magnus, qui genuit Dagobertum. In illis quoque diebus Childebertus Rex in Italiam abiit, rursúmq; eam ad partẽ Auster, quam ipse regebat, adquisiuit, & sub tributo subiugauit. Tunc etiam maximæ discordiæ inter Chilpericũ & Childebertũ nepotem suum consurgebant. Irritabántque eos ex vtraque parte Fredegundis & Brunhildis. Eo quoq; tempore mortuus est bonæ memoriæ Guntramnus Rex inclitus, frater Chilperici. Cauelone * autẽ ciuitate Burgundiæ in Basilica S. Marcelli Martyris sepultus est. Regnauit autem annos XXXI. Fredegundis itaque filiam suam nomine Rihgunde *, cum magnis opibus & infinitis thesauris, in Hispaniis ad Leudegildum Regem, vxorem filij sui cum magna Legatione Gottorum direxit. Erat autem Fredegundis Regina pulcra, & ingeniosa nimis, atque adultera. Landericus quoque erat tunc in Aula Regis Chilperici, vir efficax atque strenuus. Quem memorata Regina diligebat multùm, quia luxuria commiscebatur cum ea.

C Quadam die maturiùs mane, cùm Rex ad venationem exercendam de villa Calinsa * in Parisiaco dirigeret, cùm nimis ipsam Fredegundem diligeret, reuersus in camera Palatij de stabulo equitum, illa caput suum abluens aquâ in ipsa camera; Rex verò retro veniens, eam in natibus suis de fuste percussit. At illa cogitans quòd Landricus esset, ait; Quare sic facis Landrice? Respiciens sursum * vidit quòd Rex esset, & expauit vehementer. Rex verò nimis tristis effectus, in ipsam venationem perrexit. Fredegundis itaque vocauit ad se Landericum, & narrauit ei hæc omnia quæ Rex fecerat, dicens: Cogita quid agere debeas: quia crastina die ad tormenta valida exibimus. Et ait Landericus contristatus spiritu, & commotus lacrymis, dicens: Tam mala hora * te viderunt oculi mei. Vbi fugere possum domino meo Regi? Ignoro enim quid agere debeam, quia comprimunt me vndique angustiæ. Et illa dixit ei: Noli timere. audi consilium meum, & faciamus hanc rem, & non moriemur. Cùm enim Rex de venatione summo noctis vespere obtenebrante crepusculo aduenerit, mittamus qui eum interficiat: & præcones clament, quòd insidiæ sunt Childeberti. Illo quoque mortuo nos cum filio meo Chlothario regnemus. Factum est autem in initium noctis, reuertente Chilperico

Gregor. lib. 5. cap. 36. *al. Cabillono. *al. Riccundem, & Ricohundem. * Callense *al. retro. * Tam male.

CLOTHARIVS II. CHILDEBERTVS.

Rege de venatione, quidam pueri adulatores inebriati vino à Fredegunde missi, dum de equo descenderet, pergentibus reliquis personis ad metata * sua, ipsi gladiatores percusserunt Regem in aluum scramsaxis *. At ille vociferans expirauit, & mortuus est. Succlamauerunt quoque adulatores, quos Regina fraudulenter miserat, dicentes; Insidiæ, insidiæ fuerunt hæ Childeberti Regis Austrasiorum super dominum nostrum Regem. Tunc exercitus huc illúcque discurrentes cùm nihil inuenissent, reuersi sunt ad propria sua. Mallulfus * itaque Siluanectensis Episcopus, qui in ipso Palatio tunc aderat, indutum eum vestibus regalibus, in naue leuatum, cum hymnis & psallentio, magno, cum Fredegunde Regina vel reliquo exercitu, Parisius ciuitatem in Basilica beati Vincentij Martyris eum sepelierunt. Regnauit enim annos XXIII.

* al. ad hospitia.
* al. scramsaxis.
* al. Mathulfus.

XXXVI. FREDEGVNDIS autem cum CHLOTHARIO Rege paruulo filio suo, & Landerico, quem Maiorem domus Palatij constituerat *, in Regno resedit. Franci quoque prædictum Chlotharium Regem paruulum supra se in Regnum statuerunt. Audiens autem Childebertus Rex Austrasiorum filius Sigiberti, nepos Chilperici, auunculo suo mortuo maleficia Fredegundis Reginæ, hostem collegit. Nam defuncto Guntramno patruele suo, Regnum Burgundiæ ipse accepit. Igitur Burgundiones & Austrasij, & superiores Franci, simul commoto grandi exercitu valdè per Campanias digressi, pago Sessaunico * cum Gundobaldo & Vuintrione Patriciis suis vastantes ingrediuntur. Hæc audiens Fredegundis, eum Landerico & reliquis Francorum Ducibus hostem cõgregat: & ad Brinnacum villam veniẽs, multa dona & munera Francis donauit, eósque ad pugnandum contra inimicos eorum cohortans. Cúmque vidisset, quòd nimius esset exercitus Austrasiorum coniuncti * simul, consilium dedit Francis qui cum ea erant, dicens; De nocte consurgamus contra eos cum lucernis, portantes socij qui nos præcedunt ramos siluarum in manibus, tintinnabulis supra equos ligatis, vt nos cognoscere ipsorum vigiles custodes hostium non queant. Inlucescente initio diei inruamus super eos, & forsitan eos deuincemus. Placuitq; hoc consilium. Cùm autem denunciatum fuisset Placitum, qua die ad præliandum in loco nuncupante Trucciæ * in pago Suessionico conuenire deberent. Illa sicut consilium dederat, de nocte consurgens, cum armorum apparatu, cum ramis in manibus, vel reliqua quæ superiùs diximus, ascensis equitibus, Chlotharium paruulum Regem in brachia vehitans, vsque Trucciago * peruenerunt. Cùm autem custodes hostium Austrasiorum ramos siluarum, quasi in montibus, in agmine Francorum cernerent, & tinnitum tintinabulorum audirent custodes, dixit vir ad socium suum: Nónne hesterna die in illo & illo loco campestria erant? quomodo nunc siluas cernimus? Et ille inridens dixit; Certè inebriatus fuisti, modò deliras. Non audis tintinnabula equorum nostrorum iuxta ipsam siluam pascentium? Cùm hæc agerentur, & aurora diei initium daret, inruerunt Franci cum strepitu tubarum super Austrasios & Burgundiones dormientes, cum Fredegunde & Chlothario paruulo. Interfecerúntque maximam partem de hoste illo, & innumerabilis multitudo maximi valde exercitus à maiore vsque ad minorem ibi cecidit. Gundoaldus quoque & VVitrio * per fugam dilapsi vix euaserunt. Landericus verò insecutus VVitrionem, ille per auxilium equi velocissimi euasit. Fredegundis verò cum reliquo exercitu vsque Remos accessit, Campaniam succendit atque vastauit, cum multa præda & spoliis reuersa est Suessionis ciuitatem cum exercitu suo.

* al. elegerant.
* al. Suessionico.
* coadunati.
* Truncia pago Saxonego.
* al. Trùciaco.
* al. VVintrio.

XXXVII. Eo tempore Childebertus Rex Austrasiorum habebat filios duos, seniorem ex concubina nomine THEVDOBERTVM, iuniorem verò ex Regina nomine THEVDERICVM. Ipsúmque cum auia sua Brunichilde in Burgundiam in Regno Guntramni Regis magni direxit. Eo tempore mortuus est Childebertus Rex iunior, regnauitque annos XX. Theudebertus filius eius in Regno patris sui in Austria * statutus est: Theudericus verò in Burgundia. Eo etiam tempore mortua est Fredegundis Regina senex & plena dierum, & Parisius in Basilica S. Vincẽtij Martyris est sepulta. Theudericus verò Rex Burgundiæ erat pulcher & strenuus, atque callidus nimis. Qui per consilium auiæ suæ Brunhildæ hostem maximum ex Burgundia congregans, contra Chlotharium patruelem suum direxit. Chlotharius hęc audiens, commoto Francorum exercitu, contra eum festinus perrexit. Conuenientésque simul cum hostibus in pago Senonico super fluuium

* al. Auster.

A Aroanna constiterunt, bellóque inuicem commisso, tanta cædes illic fuit de vtroque populo, vt ipse alueus de hominum cadaueribus repletus, aqua * ipsa penitus currere non valeret, tanto cruore fuso. Ibi enim in ipso certamine visus fuit Angelus Domini euaginato gladio super populum illum. Chlotharius autem Rex cernens læsum exercitum suum, in fugam dilapsus, secus fluuium Sequanam Miclitanum * castrum ingressus, exinde Parisius vrbem penetrauit. Theudericus quoque regionem illam deuastans atque succendens, vsque Sciona * vico cum multa spolia reuersus est. Chlotharius autem à Parisius regressus, vsque Arelauno * sylua properauit.

CLOTHARIVS II. THEODORICVS II. THEODOBERTVS II.

* al. cursum æquæ solitum mutaret, tanto, &c.

* al. Militonem, & Miclitonē

* Iscuinam vicum

* al. Erelauno, & Aurellano

XXXVIII. BRVNIHILDIS verò sæpiùs per inuidiam peiora consilia Theuderico Regi nepoti suo subministrabat, dicens: Cur negligis & non requiris thesaurum patris tui, ac Regnum eius, de manu Theudoberti? cùm certissimè scias eum non esse fratrem tuum: quia filius meretricis est, concubinæ patris tui, & in adulterio fuit natus. Cùm hæc audisset Theudericus, acerbis moribus vt erat, exercitum plurimum commotum contra Theudobertum germanum suum direxit, & ad Tulbiacum castrum ad bellum conuenerunt. Illis inter se valdè confligentibus, Theudebertus læsum cernens exercitum suum, in fugam dilabitur, & Coloniam ciuitatem ingressus est. Theudericus autem terram Ribuarinsem * succendit, atque vastauit. Populus itaque regionis illius eius se ditionibus subdunt, dicentes: Parce nobis, piissime Rex. Iam enim subditi sumus tibi: noli nos am- «
B plius opprimere. Et ille ait: Aut adducite mihi viuum Theudobertum, aut caput «
eius amputate, & mihi deferte, si vultis vt vobis parcere debeam. Illi hæc audien- «
tes, in ipsa ciuitate ingressi, ei alia pro alia mentientes dixerunt: Sic mandat frater tuus, Redde thesaurum patris tui, quem apud te retines: ille posthæc reuer- «
tetur cum exercitu suo. Cúmque hæc ei mentientes dicerent, ille cum eis in Pa- «
latium thesauri sui ingressus est. Cúmque in arca thesaurorum ornamenta requireret, vnus ex eis abstracto gladio à retro eum in ceruicem percussit, & amputauit caput eius. Sustulerúntque eum per murum ciuitatis Coloniæ. Theudericus verò hæc videns, ipsam ciuitatem adprehendens, thesauros magnos accepit. Cúmque sacramenta ab ipsis Francorum sublimibus accepisset in Basilica sancti Gereonis Martyris, visum fuit ei quòd percussus fuisset in latere dolosè. At ille ait: Obseruate ostia, nescio quis de istis periuratis Riboariis me percussit. Cúmque «
reuoluissent vestimenta eius, non aliud inuenerunt, nisi signum paruulum purpureum. Inde enim cùm multa spolia Theudericus Rex reuersus, cum filia Theudoberti Regis fratris sui, vel duobus filiis eius paruulis, reuersus est ad vrbem Metensem, ibique Brunhildis Regina aduenerat. Adprehensósque pueros filios Theudoberti interfecit.

* al. Ribariensem

XXXIX. THEVDERICVS itaque Rex videns filiam Theudoberti, neptem suã, quòd esset pulcra, voluit eam sibi ad coniugium copulare. Cui ait Brunhildis: Quomodo accipere poteris filiam fratris tui? At ille ait: Nonne tu dixisti mihi, «
C quòd non esset frater meus? Cur induxisti super me hoc peccatum, inimica, ma- «
la, & rea mortis, vt fratrem meum & parentes interimerem? Et euaginato gla- «
dio * voluit eam transuerberare. Illa vero à circumstantibus erepta, euasit in cubiculum domus elapsa. Post hæc odio nimio infecta * potionem venenatam per manus ministrorum crudelium ei transmisit. Qui statim nesciens hunc dolum venenum bibit; ac deinde deficiens iniquum fudit * spiritum. Illóque mortuo, paruulos filios eius iniquiter ipsa Brunhildis iugulauit. Iuniorem verò puerum in albis eliso cerebro ad petram interfecit.

* al. cultro

* al. exterrita

* al. efflauit

XL. HIS Regibus mortuis, Burgundiones, & Austrasij, cum Francis pace facta, CHLOTHARIVM Regem in totis tribus Regnis in Monarcham super se stabilierunt. Rex quoque Chlotharius commoto exercitu in Burgundiam abiit. Brunhildem dolosè quasi eam ad coniugium sociare se fingeret, data fide venire ad se fecerat. At illa credens ei, ornata cultu regali ad eum venit. Qui cùm eam vidisset, ait: Inimica Domini, cur tanta mala perpetrare inualuisti, vt tam nobilissi- «
mam sobolem regalem interimere in maleficiis tuis non formidasti, tantúmque «
nefas agere non dubitasti? Tunc adunato agmine Francorum & Burgundionum, «
cunctis vociferantibus, Brunihildam morte turpissima esse condignam: tunc iubente Chlothario Rege in camelo leuata, toto exercitu girato, deinde equorum

CLOTHARIVS II.

indomitorum pedibus ligata, dissipatis membris obiit. Ad extremum sepulcrum eius ignis fuit, ossa ipsius combusta. Rex verò pace per circuitum facta reuersus est. A

XLI. ERAT eo tempore post Landericum Gundoaldus* nobilis, Maior domus in Aula Regis, vir egregius atque industrius. Erátque Chlothario Regi tunc filius nomine DAGOBERTVS, puer efficax, atque strenuus, ad omnia solers atque versutus. Quem Rex adultum vnà cùm Pipino Duce in Auster regnaturum direxit. Austrasij verò Franci superiores congregati in vnum, Dagobertum super se Regem statuunt. In illis quoque diebus Saxones rebellantes nimis commouerunt exercitũ gentium plurimarum contra Dagobertum Regem, vel Chlotharium. Dagobertus verò collecto hoste plurimo, Rhenum transiit, contra Saxones ad pugnam exire non dubitauit. Illisque validè pugnantibus, Dagobertus super galea capitis sui percussus, abscisa particula* de capillis eius ad terram, retro stans armiger eius colligit eam. At ille læsum cernens populum suum, dixit ad ipsum puerum suum: Perge velociter festinus cum crine capitis mei nunc ad patrem meum, vt succurat nobis antequam cunctus exercitus corruat. Qui cucurrit velociter, & Ardennam siluam transito Rheno fluuio penetrauit. Illic Chlotharius Rex cum exercitu plurimo peruenerat. Cúmque ille nuncius festinus adfuisset, deferens Regi de absciso crine filij sui: ille nimio dolore commotus, cum strepitu turbarum de nocte consurgens, cum exercitu suo Rhenum transiit, in auxilium filij sui festinus peruenit. Cúmque simul coniuncti in vnum hilari corde manibus plauderent, super VVisera fluuium tendentes fixerunt tentoria. Berthoaldus verò Dux Saxonorum ex alia parte ripæ huius fluminis stans, paratus ad placitum, vel ad pugnam procedere, audiens hunc tumultum populi, interrogauit, quid hoc esset? At illi responderunt dicentes; Dominus Clotharius Rex venit, & ob hoc lætantur Franci. Qui respondit cum ganno* dicens: Mentitis vos, delerare formidatis, cùm Chlotharium habere dicitis: cùm nos eum mortuum esse auditum* habeamus. Rex quoque illic stans loricâ indutus & galea in capite, crines cum canicie variatos obuoluit. Cúmque discopertus, à galea apparuisset caput Regis, cognouit Berthoaldus esse Regem, & ait: Tu ne hîc eras bile* iumentis. Rex verò hæc audiens, valde indignatus hoc conuicio, VVisetam fluuium ingressus cum equo velocissimo, transnatauit, ferus vt erat corde, Berthoaldum persequebatur. Francorúmque exercitus sequens Regem, natantes vix fluuium cum Dagoberto transiiciebant per gurgites immensos. Rex quoque Chlotharius persecutus Berthoaldum, certabat valde cum eo. Dixitque Berthoaldus: Recede à me, oro*, ne fortè interficiam te. Quia si præualueris aduersus me, sic omnes homines dicent, quòd seruum tuum Berthoaldum gentilem peremisti. Si autem interfecero ego te, tunc rumor magnus in cunctis gentibus audietur, quòd fortissimus Rex Francorum à seruo sit interfectus. Rex autem nequaquam adquieuit dictis eius: sed magis consurgebat animus illius, contra & suprà eum. Eques itaque quidam Regis à longè secutus Regem, clamat: Confortare, confortare contra aduersarium tuum, domine mi Rex. Iámque erant manus Regis graues valde. Erat enim loricatus. Consurgénsque Rex super eum, interfecit ipsum Berthoaldum, sustulitque caput eius in conto. Reuersúsque ad Francos, illisque lugentibus, nesciebant quid Regi contigisset. Viso ergo eo, gauisi sunt gaudio magno. Rex verò tota terra Saxonorum vastata, populo illo interfecto, non ibi maiorem hominem reliquerunt viuentem, nisi* & gladius suus (quod spatam vocant) per longum habebat. Hoc signum in regione illa statuit. Reuersúsque est Rex victor in terra sua. B C

*al. Godolandus, & Gundobaldus

*al abscisa est particula capillorũ eius. Quæ cùm ad terram decidisset, collegit eã armiger eius. Qui læsum, &c.

*al. cachinno

* auditu compertũ

*al. blare iumentũ, & bale iumenti.

*al. ò Rex

*al. nisi qui gladij sui staturã æquare posset

DAGOBERTVS I.

XLII. SVCCEDENTE verò tempore mortuus est Chlotharius Rex, senex & plenus dierum: regnauitque annos XLIV. Regnúmque eius DAGOBERTVS Rex filius eius in Monarchia in totis tribus Regnis sagaciter accepit. Fuitque ipse Dagobertus Rex fortissimus in bellis, enutritor Francorum, seuerissimus in iudiciis, Ecclesiarum largitor. Ipse enim eleemosynarum copiâ de fisco Palatij per Ecclesias sanctorum primus distribuere censum iussit. Pacem in cuncto Regno suo statuit. In multis gentibus rumor eius personuit, timorem & metum in vniuersis Regnis per circuitum incussit. Ipse pacificus sicut Salomon, quietus Regnum obtinuit Francorum. Tunc & beatus Audoenus Episcopus exortus eni-

A tuit. Eo tempore defuncto Gundoaldo Maiore domus inclito, Dagobertus Rex Erconaldum * virum inlustrē in Maiorem domatus statuit. Habuitque prædictus Rex ex Regina sua Nāthilde * de genere Saxonorum filios duos, SIGIBERTVM, & CHLODOVEVM. Sigibertum verò maiorem filium suum in Auster, vna cum Pippino Duce, direxit in Regno statutum *. Chlodoueum quippe iuniorem secum retinuit.

SIGEBERTVS II. CHLODOVEVS II.

* al. Archenaldū * al. Lanthilde * al regnaturum.

XLIII. Post hæc igitur Rex Dagobertus à febre valida correptus, ægrotans mortuus est in Spinogilo villa in pago Parisiacense *, & in Basilica beati Dionysij Martyris sepultus est. Planxerúntque eum Franci diebus multis: regnauitque annos XXXIV. CHLODOVEVM filium eius Franci super se Regem statuunt. Accepitque vxorem de genere Saxonorum nomine Bathildem, pulchram valde, & omni ingenio strenuam. Post hæc autem Sigibertus Rex Austrasiorum Pipino defuncto Grimoaldum filium eius in Maiorem domatus statuit. Decedente verò tempore, defuncto Sigiberto Rege, Grimoaldus Maior domus filium eius paruulum nomine DAGOBERTVM totondit, & per Didonem Pictauensis vrbis Episcopum in Scotia ad peregrinandum eum dirigens, filium suum in Regno constituit. Franci itaque commoti atque vehementer indignati, Grimoaldo insidias præparant: eúmque eximentes *, ad condemnandum Regi Francorum Chlodo-B ueo deferunt. Et Parisius ciuitate in carcere mancipatus, vinculorum cruciatu constrictus, vt erat morte dignus, propter scelus, quod in dominum exercuit, morte vitam finiuit.

* al. Pariſiaco,

* al. eúmq; comprehensum ad condemnandū Regi Chlodoueo, vt erat morte dignus, destinant. Item in alio. eúq; de imperio deiicientes, Regnum Clodoueo deferunt.

XLIV. Eo tempore CHLODOVEVS brachium beati Dionysij Martyris abscidit, instigante diabolo. Per idem tempus concidit Regnum Francorum casibus pestiferis. Fuit autem ipse Chlodoueus omni spurcitiæ deditus, fornicarius, & inlusor feminarum, gula & ebrietate contentus. De huius morte & fine nihil dignum historia recolit. Multi enim Scriptores eius finem condemnant, nescientes finem nequitiæ eius, in incertum de eo alia pro aliis reddentes, & referentes. Nam ex Bathilde Regina eius habuit tres filios, Chlotharium, Childericum, atque Theudericum. Decedente itaque in extremis præfato Rege Chlodoueo, qui regnauit annos XVI. Franci CHLOTHARIVM seniorem puerum ex tribus sibi Regem statuerunt, cum ipsa Regina matre regnaturum.

CLOTHARIVS III.

XLV. Eo tempore defuncto Erchonaldo * Maiore domus, Franci in incertum vacillantes, præfinito consilio Ebruino huius honoris altitudine Maiorem domo in Aula Regis statuunt. In his diebus Chlotharius Rex puer obiit, regnauitque annis quatuor. THEVDERICVS autem frater eius Rex eleuatus est Francorum. Childericus itaque alius frater eius in Austria vna cum Vulfaldo Duce Regnum C suscipere perrexit. Eo tempore Franci aduersus Ebroinum insidias præparant, super Theudericum consurgunt, eúmque à Regno deiiciunt. Crinésque capitis amborum vi abstrahentes, incendunt, Ebroinum tondunt, eúmque in Luxouio Monasterio in Burgundia dirigunt. In Auster quoque propter CHILDERICVM Legationem mittentes accommodant, & vna cum Vuolfoaldo Duce veniens in Regno Francorum eleuatus est. Nam ipse Childericus leuis nimis omnia incautè peragebat, donec inter eos odium maximum & scandalum creuit, Francos valde opprimens. E quibus vnum Francum, nomine Bodolenum * ad stipitem tensum cædi valde sine lege præcepit. Hæc videntes Franci, in ira magna commoti, Ingobertus videlicet, & Amalbertus, & reliqui maiores natu Francorum, seditionem contra ipsum Childericum concitantes, Bodolenus super eum cum reliquis surrexit insidiatoribus, Regem interfecit, vnà cum Regina eius prægnante, quod dici dolor est. Vulfoaldus quoque per fugam vix euasit, in Auster reuersus. Franci autem Leudesium filium Erchinaldi * nobilem in Maiorem domus Palatij eligunt. Eratque ex Burgundia in hoc consilio beatus Leudegarius Augustodunensis Episcopus, & Gerinus frater eius, consentientes. Ebroinus itaque consilio accepto, capillos crescere sinens, congregatis in auxilium sociis, hostiliter à Luxouio Cœnobio egressus in Franciam reuertitur cum armorum apparatu. Ad beatum Audoenum direxit, quid ei consilium daret interrogaturus. At ille per internuncios hoc solum scripto dirigens, ait: De Fredegunde tibi subueniat « in memoriam. At ille, ingeniosus vt erat, intellexit, & de nocte consurgens, com- « moto exercitu vsque Hissera * fluuium veniens, interfectis custodibus ad sanctam

* al. Erchenoldo

THEODORICVS I.

CHILDERICVS II.

* al. Bodileno, & Bodilonē

* al. Archenoldi

* al. Isera

THEODORICVS I. Maxentiam Hiffera transiens, ibi quos reperit de insidiatoribus suis occidit. Leudesius vnà cum Theoderico Rege & sociis quamplurimis per fugam euasit. Ebroinus autem eos vsque ad Bacio * villa insecutus est, ibique thesauros regales adprehendit. Deinde post hæc Crisciago * veniens, Regem recepit. Leudesium autem datâ fide sub dolo ad se venire mandauit. Quo facto, Leudesium interfecit, & ipse Principatum sagaciter recepit. Sanctúmque Leudegarium Episcopum diuersis pœnis cæsum gladio ferire iussit. Gairoenum * fratrem eius dura pœna damnauit. Reliqui verò Franci eorum socij per fugam vix euaserunt. Nonnulli verò in exilio peruagati *, propriis facultatibus priuati sunt.

* al. Stoacio
* al. Crisiacum
* al. Gerinum, & Garinum
* in exiliū acti,

XLVI. Eo quoque tempore decedente Vulfoaldo de Auster, Martinus, & Pippinus iunior filius Ansigiseli, quondam decedentibus Regibus, dominabantur in Auster: donec tandem aliquando hij Duces in odium versi contra Ebroinum, exercitum plurimum Austrasiorum commoti, contra Theudericum Regem & Ebroinum aciem dirigunt. Contra quos Theudericus Rex & Ebroinus cum hoste occurrunt, loco nuncupante Lusao *, simúlque coniuncti se inuicem cæde magnâ prosternunt. corruitque ibi infinita turba populi. Austrasij deuicti, in fugam lapsi, terga verterunt. Ebroinus eos cæde crudelissima insecutus, maximam partem ex illa regione vastauit. Martinus per fugam elapsus, Lauduno Clauato ingressus, illuc se reclusit. Pippinus autem altrinsecus euasit. Ebroinus itaque perpetrata victoria reuersus est, & cum exercitu magno venit Ercherego * villa. Itaque ad Martinum nuntios dirigit, vt dato sacramento cum fiducia ad Regem Theudericum veniret. Hoc dolosè ac fallaciter super vacuas capsas ei iurantes. Ille verò credens eis, Erchreco veniens, ibi cum sociis suis interfectus est.

* al. Lucofao, & Lucofago,
* al. Erchececo, & Ercatiaco

XLVII. EBROINVS igitur magis ac magis Francos crudeliter opprimebat. Sed tamē Deo donante dum Ermenfrido Franco pararet insidias, ipse Ermenfridus hoc cognoscens, & nocte irruens super eum, interfecit illum atrociter, atque ad Pippinum in Auster fugiens euasit. Franci verò consilio accepto, VVarattonem virum inlustrem in loco eius cum iussione Regis Maiorem domum *Palatio* constituunt. Accepit itaque VVaratto inter hæc obsides à prædicto Pippino, & pacem cum eo iniit. Erat in illo tempore memorato VVarattoni filius efficax industriúsque, fero animo, & acerbis moribus, insidiator patris sui, eúmque ab honore generositatis supplantans, erátque nomen eius Gislemarus. Cui beatus Audoenus Episcopus prohibuit, ne hanc nequitiam contra patrem suum inferret. Quod ille audire contempsit, fuerúntque inter ipso Gislemaro & Pippino bella ciuilia, & multæ discordiæ. Qui ob iniurias patris vel alia peccata crudelia à Deo percussus, iniquissimum spiritum exhalauit, iuxta quod sanctus Audoenus ei prædixerat. Illóque defuncto, VVaratto iterum honorem pristinum functus est. Sub his diebus Audoenus Rotomagensis Episcopus plenus dierum, atque virtutibus præclarus, Clippiago villa Regale in suburbana Parisiorum ciuitate migrauit ad Dominum, & cum magna gloria in Basilica sancti Petri Apostoli Rotomago ciuitate sepultus est.

XLVIII. SVCCEDENTE quippe temporum curriculo prædictus VVaratto defunctus est. Fuitque ei matrona nobilis ac ingeniosa, nomine Ansfledis *. Franci namque in diuersa tendentes vacillabant: Bertharium * quemdam statura pusillum, sapientia ignobilem, consilio inutilem, in Maiorem domatus oberrantes statuunt. Franci in inuicem diuisi, Pippinus in Auster consurgens, commoto hoste quamplurimo, contra Theudericum Regem & Bertharium aciem dirigit. Conuenientésque ad prælium in loco nuncupante Textricio, illisque inter se belligerantibus, Theudericus Rex cum Berthario Maiore domo terga verterunt. Pippinus verò victor exstitit. Procedente itaque tempore ipse Bertharius ab adulatoribus suis occisus est, instigante * Ansflede. Post hæc Pippinus cum Theuderico Rege cœpit esse Princeps regiminis ac Maior domus. Thesauris acceptis, Nortbertum * quemdam de suis cum Rege reliquit, ipse in Austriam remeauit. Erat autem Pippino vxor nobilissima ac sapientissima nomine Plectrudis. Ex ipsa genuit filios duos. Nomen maioris Drocus *, & nomen minoris Grimoaldus. Drocus Ducatum Campaniæ accepit.

* al. Ansfledis, & Ansfalidis
* al. Bernharium
* insidiāte
* al. Nordebertum
* al. Drogo,

XLIX. OBIIT autem Theudericus Rex, regnauitque annos XIX. * CHLODOVEVS filius eius puer regalem sedem suscepit, ex Regina nomine Chlothilde *

* al. XVIII.
* al. Rotilde

A progenitus. Nec multo pòst ipse Chlodoueus Rex puer mortuus est: regnauitque annos II. CHILDEBERTVS autem frater eius, vir inclytus, in Regno statutus est. Eo quoque tempore Nortbertus mortuus est. Grimoaldus quoque Pippini Principis filius iunior in Aula Regis Childeberti Maior domus effectus est. Ipse igitur Pippinus multa bella gessit contra Ratbodem gentilem, vel alios Principes, contra Sueuos, vel quamplurimas gentes. Grimoaldus quippe genuit filium ex concubina, Theudaldum nomine. Sub idem verò tempus Drogus filius Pippini defunctus est. Habebátque Pippinus præfatus Princeps filium ex alia vxore, nomine CAROLVM, virum elegantem, egregium, atque vtilem. CHILDEBERTVS III.

L. TVNC enim beatæ memoriæ Childebertus Rex iustus migrauit ad Dominum. Regnauit autem annos XVII.* sepultúsque est Cauciago* Monasterio in Basilica sancti Stephani Martyris. Regnauitque DAGOBERTVS filius eius pro eo. Habebat tum Grimoaldus vxorem in matrimonio, nomine Teutsindam*, filiam Ratbodi Ducis gentilis. Erátque ipse Grimoaldus Maior domus pius, modestus, & iustus. Eodem enim tempore ægrotante Pippino Duce genitore suo, dum ad eum visitandum accessisset, nec mora, in Basilica sancti Landeberti Martyris Leodosio* peremptus est à Rangario gentile filio Belial* Theudoaldum verò filium eius, iubente Pippino auo, in Aula Regis honore patris sublimem statuunt. *al. XIX. *al. Caufiaco DAGOBERTVS II. *al. Theodesindam *al. Leodico *al. Beluabi

B LI. Eo tempore Pippinus febre valida correptus, defunctus est. Obtinuitque Principatum sub suprascriptis Regibus annos XXVII. Plectrudis quoque cum nepotibus suis, vel Rege, cuncta gubernabat sub discreto regimine. In illis diebus instigante diabolo Franci denuò in Cotia silua in Francos inuicem inruunt, ac se mutuò durissima cæde prosternunt. Theudoaldus autem per fugam elapsus, ereptus est. Fuitque illo tempore valida persecutio. Theudoaldo enim fugato, Ragenfredum in Maiorem domatum* elegerunt. Qui commoto cum Rege exercitu, Carbonariam siluam transeuntes, vsque Mosam fluuium terras illas vastantes succenderunt. Cúmque Radbodo Duce gentili amicitias feriunt. Carolus his diebus cùm captus à Plectrude femina sub custodia teneretur, auxiliante Domino vix euasit. *in Principatu Maioris Palatij.

LII. SEQVENTE tempore Dagobertus Rex ægrotans mortuus est, regnauitque annos V. Franci post hæc Danielem quondam Clericum, cæsarie capitis crescente, in Regno stabiliunt, eúmque CHILPERICVM nuncupant. Quo etiam tempore denuò exercitu commoto, vsque ipsum fluuium Mosam veniunt, contra Carolum aciem dirigentes: atque ex alia parte Frigiones* cum Ratbodo Duce consurgunt. Carolus quoque super ipsos Frigiones inruit, ibique maximum dispendium de sodalibus suis perpessus est, atque per fugam dilapsus abscessit. CHILPERICVS II. *Fresiones

LIII. SVCCEDENTE igitur tempore iterum ipse Chilpericus cum Ragenfredo*, hoste commoto, Ardennam siluam ingressus, vsque Rhenum fluuium, vel Colonia ciuitate, peruenerunt, vastantes terram. Multóque thesauro à Plectrude matrona accepto, reuertebantur gaudenter. Sed in loco quodam, qui dicitur Amblaua, maximum, Carolo super eos inruente, perpessi sunt dispendium. Quo etiam tempore prædictus vir Carolus exercitu commoto iterum contra Chilpericum vel Ragenfredum ad bellum surrexit. Illi etiam econtra hostem colligunt, bellúmque parantes accelerant. Sed Carolus pacem fieri postulat. Illisque contradicentibus, ad prælium egressi sunt in loco nuncupante Vinciago*, Dominico die inlucescente XII. Kal. April. in Quadragesima. Illisque fortiter bellantibus, Chilpericus cum Ragenfredo terga vertit. Carolus victor extitit. Regionibúsque illis vastatis atque captiuatis, iterum cum multa præda in Austria reuersus, Coloniam ciuitatem venit, ibique seditionem intulit. Cum Plectrude matrona disceptauit, & thesauros patris sui sagaciter recepit, Regémque sibi statuit CHLOTARIVM nomine. Chilpericus itaque & Ragenfredus Eudonem Ducem expetunt in auxilium. Qui mouens exercitum, contra Carolum perrexit. At ille constanter occurrit ei intrepidus. Sed Eudo fugiens, Parisius ciuitatem regressus est. Chilpericus quoque cum thesauris regalibus sublatis vltra Ligerem secessit. Quem Carolus persecutus, non reperit. Chlotarius quidem memoratus Rex eo anno obiit. Carolus anno insecuto Legationem ad Eudonem direxit, amicitiásque cum eo fecit. Ille verò Chilpericum Regem cum multis muneribus reddidit, sed non *al. Ragafredo C *al. Vicieco

THEODORICVS II. diu in Regno resedit. Mortuus quidem est post hæc, & Nouiomo ciuitate sepultus: regnauitque annos v. & dimidio. Franci verò THEVDERICVM II. Cala Monasterio enutritum, filium Dagoberti iunioris, Regem super se statuunt. Qui vsque nunc in Regno subsistit. A

APPENDIX

A THEODORICO II. VSQVE AD PIPPINVM REGEM, Nunc primum adiecta.

Ex Cod. Ms. Bibliothecæ Alex. Petauij Regij Senatoris.

EO etenim tempore ab vrbe Roma Papa Gregorius claues venerandi sepulchri, cum vinculis sancti Petri, & muneribus magnis & infinitis, Legationem, (quod antehac nunquam accidit, neque vnquam auditum fuit) ad memoratum Principem CAROLVM destinauit: eo pacto patrato, vt à partibus Imperatoris recederet, & Romano consulto præfato Principi Carolo sanciret. Ipse itaque Princeps magnifico honore ipsam Legationem recepit, munera preciosa contulit, atque cum suis Nunciis Romam remisit. Itémque memoratus Princeps, consilio Optimatum suorum expetito, filiis suis Regna diuidit. Idcirco primogenito suo CARLOMANNO nomine Austrasiam, Sueuiam, id est Alemanniam, & Turonicam* tradidit. Alteri verò filio minori PIPPINO nomine, Burgundiam, Austriam, atque Prouinciam commisit. Eo anno PIPPINVS commoto exercitu cum auunculo suo HILDEBRANDO Duce, & multitudine Primatum, & agmine satellitum plurimorum, in Burgundiam dirigunt, fines regionum præoccupant. Interim in Sole & Luna & Stellis noua signa apparuerunt, & Paschalis quoque ordo sacratissimus turbatus fuit. Carolus itaque Princeps Parisiis Basilicam sancti Dionysij Martyris multis muneribus ditauit. Veniens Carriacum* villam Palatij super Isira fluuium valida febri correptus obiit. Obtinuit Principatum annis XXVII. Obiit XI. Kal. Nouembr. sepultúsque est in Basilica sancti Dionysij Martyris. HILTRVDIS filia eius, faciente consilio nouercæ suæ, fraudulenter per manus sodalium suorum Rhenum transiit, & ad OTTILONEM Ducem Baucoarias peruenit. Ille verò eam ad coniugium copulauit contra voluntatem vel consilium fratrum suorum. B

*fort. Turingiam

*al. Carisiacum

INTEREA rebellantibus Vuasconibus in regione Aquitaniæ, cum HVNOALDO Duce filio Eodonis quondam, Carlomannus atque Pippinus Principes & germani, congregato exercitu Ligeris alueum apud Aurelianas vrbem transeunt, Romanos proterunt, vsque Bituricas vrbem accedunt; suburbana ipsius igne comburunt. Hunoaldum Ducem persequentes fugant, multa præda capta,....... indè victores circa tempus autumni reuersi sunt. Eodem anno iterum exercitum mouerunt contra Alemannos, supra fluuium Danubium castra metati sunt. Ibique residentes, quousque ipsi Alemanni victos se viderunt, obsides donant, iura promittunt, munera offerunt: & pacem petentes, eorum ditioni sese submittunt. Indè reuersi, anno secundo in Bauoariam commouent exercitum contra Ottilonem cognatum ipsorum rebellantem. Venientésque, castra metati sunt super fluuium qui dicitur Lech. Bauoariorum exercitus ex alia parte. Hinc indè se mutuò videntes, vsque ad XI. diem Franci prouocati irrisionibus gentis illius, periculo se dederunt per loca deserta & inuia, vbi nullum iter vnquam patebat cuiquam mortalium. Noctéque irruentes super eos, diuisis exercitibus commissum est bellum. Prædictus Dux Ottilo cæsum exercitum suum videns, vix cum paucis turpiter vltra Ignem fluuium fugiendo euasit. His triumphis peractis, prædicti Principes victores ad propria sunt reuersi. C

EVOLVTO itaque triennio, iterum Carlomannus confinium Saxonorum ipsi rebellantibus cum exercitu irrupit. Ibique captis habitatoribus, qui suo Regno affines esse videbantur, absque belli discrimine feliciter acquisiuit. Plurimi eorum

A Christiani effecti, baptizati sunt. Per idem tempus, rebellante THEODOBALDO filio Godfridi Ducis, Pippinus cum virtute exercitus sui eum à patria expulit. Illóque fugato, renouauit sibi eiusdem loci Ducatum; atque exindè victor rediit. Sequenti anno præcelsi Germani prouocati coturno Vuasconorum, iterum vsque ad Ligerim fluuium pariter adunati venerunt. Quod videntes Vuascones, præoccupauerunt pacem petere, & voluntatem Pippini in omnibus se executuros pollicentes, muneratum eum à finibus suis vt rediret precibus obtinuerunt. His ita transactis, sequenti anno dum Alemanni contra Carlummanum eorum fidem fefellissent, ipse cum magno furore & exercitu in eorum patriam peraccessit: & plurimos eorum, qui rebelles extiterant, gladio trucidauit. His ita gestis, sequenti anno Carlomannus deuotionis causâ instinctu succensus, Regnum vna cum filio suo DROGONE manibus germani sui Pippini committens, ad limina beatorum Apostolorum Petri & Pauli Romam in Monastico ordine perseueraturus aduenit. Qua successione Pippinus roboratur in Regno. PIPPINVS.

EODEM anno Saxones rebellare conati sunt. Qua de causa Pippinus cum exercitu eos præuenire compulsus est. Cui etiam Reges Vuinidorum & Frisinorum ad auxiliandum vno animo occurrerunt. Quod videntes Saxones, timore compulsi sunt. Multi ex eis fuêre trucidati, plures in captiuitatem abducti, regiones eorum igni concrematæ. Pacem petierunt, iuri Francorum, vt mos fuerat, se submiserunt, & ea tributa, quæ Chlotario quondam soluebant, plenissima solu-

B tione ab eo tempore & deinceps se reddituros promittunt. Ex quibus quoque plurima multitudo videntes se contra impetum Francorum rebellare non posse, propriis viribus destituti, petierunt sibi Christianitatis sacramenta conferri. Quo peracto tempore, Baioarij fidem, quam antea promiserant, fefellunt. Qua de re Princeps Pippinus commoto exercitu eorum patrias accessit. Ipsi verò vltra fluuium Igni cum vxoribus ac liberis fugerunt. Præfatus Princeps super ripam Igni castra-metatus, nauale prælium præparauit, qualiter eos vsque ad internitionem persequeretur. Hoc videntes Baioarij se euadere non posse, Legatos cum multis muneribus transmittunt, & eius ditioni se subdunt, & sacramenta vel obsides donant, promittentes se vlteriùs rebelles non exstituros. Ipse verò Princeps in Franciam remeauit, & quieuit terra à prælliis duobus annis. Quo tempore cum consilio Francorum missa relatione, Sedis Apostolicæ auctoritate percepta, ipse PIPPINVS cum consensu Francorum, & consecratione Episcoporum sublimatur in Regno.

Hactenus Codex Ms.

A

GREGORII EPISCOPI TVRONENSIS EXCERPTA CHRONICA, SIVE HISTORIA FRANCORVM EPITOMATA, EX FREDEGARII SCHOLASTICI Historia Miscella.

B

Hæc Excerpta de Francorum Gestis constituunt Librum IV. *Collectionis Historicæ Chronographicæ, quam Henricus Canisius Tomo* II. *Antiquarum Lectionum euulgauit. Sed ea perperam ibi dicuntur,* EXCERPTA DE CHRONICA GRÆCA TOROMACHI EPISCOPI. *Nam esse veram Historiæ Gregorij Episcopi Turonensis Epitomem constat, non tantùm ex editione Marq. Freheri Canisiana posteriore, imo & ex vetustissimo V. Cl. Alexandri Petauij Codice Ms. in quo disertis verbis inscribitur,* EXCARPSVM DE CHRONICA GREG. EPISC. THORONACI: *id est,* GREGORII EPISCOPI TVRONENSIS. Torones *enim &* Toroni, *pro* Turonis, *apud Fortunatum, Gregorium ipsum, ac alios illius æui Scriptores, passim reperitur. Vnde &* Toronacum *pro* Turonico *siue* Turonensi, *formauerunt veteres. Ceterùm ipsorum Excerptorum Auctor fuit* FREDEGARIVS *Scholasticus, qui* PIPINI *Regis tempore floruit, vt ex eiusdem subiecto Chronico colligitur.*

INCIPIT PRÆFATIO GREGORII.

Ipsius verè Greg. Tur. Extat præfixa eius operi suprà. * *al.* Recedente,

DECEDENTE*, atque immò potiùs pereunte ab vrbibus Gallicanis liberalium cultura litterarum, cùm nonnullæ res gererentur vel rectè vel improbè, ac feritas gentium desæuiret, Regũ furor acueretur, Ecclesiæ impugnarentur ab Hereticis, à Catholicis tegerentur, ferueret Christi fides in plurimis, tepesceret in nonnullis, ipsæ quoque Ecclesiæ vel ditarentur à deuotis, vel nudarentur à perfidis; nec reperiri posset quisquam peritus Dialectica in arte Grammaticus, qui hæc aut stilo prosaico, aut metrico depingeret versu; ingemiscebant sæpiùs Clerici dicentes: Væ diebus nostris, quia periit studium litterarum à nobis, nec reperi- C
„ tur Rhetor in populis, qui gesta præsentia promulgare possit in paginis.
„ Ista etenim atque & his similia iugiter intuens dici, pro cōmemoratione meritorum vt notitiam adtingerent venientum* etsi inculto effatu, nequiui tamen obtegere vel certamina flagitiosorum, vel vitam rectè viuentium. & præsertim sic inlects stimulis, quòd à nostris fari plerum-

* *al.* superuenientũ

A que miratus sum: Quia philosophantem Rhetorem intelligunt pauci, loquentem rusticum multi. Libuit etiam animo meo, vt pro supputatione annorum ab ipso mundi principio Libri I. ponatur initium.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI, QVOD EST EXCARPSVM de Chronica Gregorij Episcopi Thoronachi.

EXPLICIVNT CAPITVLA. INCIPIT LIBER.

I. CVMQVE VVandali præterissent à Galliis, nec multo pòst tempore Chuni Gallias ingredi disponebant. Quod cùm beatus Seruatius Episcopus Thungrorum ciuitatis audisset, Romam pergit ad limina sancti Petri Apostoli. Ibique cotidianum ieiunium & vigilias absiduè faciens, in visione somni ab Apostolo responsum accipiens, decretum ab Altissimo Chunos ingredi Gallias, protinus ad ciuitatem

A suam rediit: prædicens eius obitum, vt hoc malum non videret. Agetium * Patricium huius Chronici gesta laudant. Virilis habitu formatus, animo alacer, membris vegetus, equis promptissimus, sagittarum peritus, conti impiger, bellis aptissimus, pacis captator celebris, nullius auaritiæ sectator, bonis animæ præditus, iniuriarum patientissimus, laboris adpetens, impauidus periculorum, famis, sitis, vigiliarum tolerantissimus, cui ineunte ætate prædictum liquet, quantæ potentiæ factis destinaretur temporibus suis futurisque celebrandus. Hæc supradictus Historiographus de Agetio narrat. Cùm iniisset certamen cum Chunis, quæ gesserit, Idacius suæ Historiæ huius volumine narrat. Nam his diebus oratione vxoris suæ ad limina beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli ieiuniis & vigiliis discurrente, intercedentibus Apostolis Agetius à periculis liberatur. Reuelatum est cuidam pauperi, nuncianti vxoris Agetij orationibus fuisse saluatum. Quod cùm à pauperibus proditum fuisset, pauper cæcitate percutitur. Greg. lib. 2. c. 8. * Aetium Greg. lib. 2. c. 7.

II. De Francorum verò Regibus beatus Hieronymus, qui iam olim fuerant, scripsit. Quod prius Virgilij Poëtæ narrat historia, Priamum primum habuisse Regem, cùm Troia fraude Vlixis caperetur: exindéque fuisse egressos. Postea Frigam habuisse Regem bifaria diuisione; partem eorum Macedoniam fuisse adgressam. Alios cum Friga, vocatos Frigios, Asiam peruagantes in litore Danuuij B fluminis & maris Oceani consedisse. Denuo bifaria diuisione Europam media ex ipsis pars cum Francione eorum Rege ingressa fuit. Qui Europam peruagantes, cum vxoribus & liberis Rheni ripam occuparunt: nec procul à Rheno ciuitatem ad instar Troiæ nominis ædificare conati sunt. Cœptum quidem est, sed imperfectum opus remansit. Residua eorum pars, quæ super littore Danuuij remanserat, electum à se Turchot nomine Regem, per quem vocati sunt Turchi: & per Francionem alij vocati sunt Franci, multis pòst temporibus cum Ducibus, externas Dominationes semper regentes.

III. Francos transegisse comperimus vsque ad Marcomerem, Sonnonem, & Genebaudum Duces. Cum quibus temporibus Imperatoris Theudosij in Germaniam prorumpentes, pagos depopulantes, etiam Coloniæ metum incusserunt. Quod cùm Treueris perlatum fuisset, Nanninus * & Quintinus Magister militum collecto exercitu Francos de Germania eiecerunt. Apud Carbonariam de Francis strages fitur. Post Heraclio & Iouiniano cum exercitu vltra Rhenum transeuntibus, & disponentibus Francos ad internecionem perducere, tantæ strages ex militibus à Francis factæ sunt, vt Heraclius & Iouinianus vix de eodem prælio potuissent euadere. Nec vlteriùs aduersus Francos præsumpserunt arma adripere. Post paucum temporis Arbogastes superbiâ elatus C aduersus Francos arma commouit: cum eisdem dimicans victus effugit. Greg. lib. 2. c. 9. * al. Nannius

IV. Franci Treueris hiemando residere præsumunt. Valentiniano Imperatore infra priuati modum redacto, militaris rei cura Francis satellitibus tradita. Ciuilia quoque officia transgressi in coniurationem Arbogastis sacramentis obstricti sunt. Arbogastes Marcomerem & Sonnonem Duces odiis insectans, exercitus fraude Francos deceptos, vrendósque cum decussis foliis, nudatæque arentes siluæ, insidiantes adgredere, transgresso Rheno pagum quem Chamaui incolunt depopulatus est. Greg. l. 2. c. 9.

V. Dehinc extinctis Ducibus, in Francis denuò Reges creantur ex eadem stirpe, qua prius fuerant.

VI. Eodem tempore Iouinianus * ornatus regios adsumpsit. Constantinus fugam vertens Italiam dirigit: missis à Iouiniano Principe obuiam percussoribus, super Mentio * flumine capite truncatur. Multi nobilium iussu Iouiniani apud Aruernis capti, & à Ducibus Honorij crudeliter interempti sunt. * al. Iouinus * Mintio

VII. Treverorum ciuitas factione vnius ex Senatoribus, cui nomen Lucius, à Francis capta & incensa est. Cùm Auitus Imperator esset luxuriæ deditus, & iste Lucius haberet mulierem pulcherrimam cunctarum, fingens Auitus ob infirmitatem corporis lecto se depremere, iussit * ad omnes Senatrices vt eum requirerent. Cúmque vxor venisset Lucij, vi ab Auito oppressa fuit. In crastino surgens de stratu Auitus dixit ad Lucium: Pulchras termas habes, & frigida lauas. Hæc indignante Lucio, sua factione direpta est ciuitas, & incensa à Francis. * iussa ad o. Sen. vt eum visitarent misit.

CLODIO. VIII. GASTINVS Domesticorum Comes expeditionem accepit contra Francos, eósque proterit, Rhenum transit, Gallias peruagatur, vsque ad Pyrenæos montes peruenit. A

Greg. lib. 2. c. 9. IX. FRANCI electum à se Regem, sicut priùs fuerat, crinitum inquirentes diligenter, ex genere Priami Frigi & Francionis, super se creant, nomine Theudemerem * filium Richemeris, qui in hoc prælio, quod supra memini, à Romanis interfectus est. Substituitur filius eius CHLODIO * in Regnum, vtilissimus vir in gente sua, qui apud Hesbargem * castrum residebat, quod est in termino Thoringorum. Burgundiones quoque Arrianorum secta vtebantur, sedentes in Cisalpinis. Chlodio missis exploratoribus ad vrbem Camaracum, perlustrans omnia, ipse sequitur, Romanos proterit, ciuitatem capit, & inde vsque Suminam fluuium occupauit. Hæc generatio fanaticis vsibus culta est. Fertur super litore maris æstatis tempore Chlodeone cum vxore residente meridie, vxor ad mare lauatum vadens, terretur à bestia Neptuni, qui Minotauro similis eam adpetisset. Cúmque in continuo à bestia tacta fuisset concepit, ac peperit filium MEROVEVM nomine, à quo Reges Francorum postea MEROVINGI vocantur.

*al. Theudemirum

CLODIO. *al. Chlogio, Chlodeo, & Chlodoueus

*al. Dispargum

MEROVEVS

X. AVITVS Imperator luxuriosus apud Placentiam vrbem Episcopus ordinatur, & postea ad Ecclesiam sancti Iuliani fugiens vitam amisit.

CHILDERICVS. Greg. lib. 2. c. 12. XI. CHILDERICVS verò filius Meroüei, cùm successisset patri in Regno, nimia luxuria dissolutus, filias Francorum stupro tradidit. Illi verò ob hoc indignantes, eum de Regno eiiciunt. VViomadus * Francus fidelissimus ceteris Childerico, qui eum, cùm à Chunis cum matre captiuus duceretur, fugaciter liberauerat. Hic inuentum vnum aureum cum Childerico diuidens, dum cerneret quòd Franci interficere eum conarentur, dixit ei: Fuge in Thuringiam, latita aliquantulum ibi. Si potuero tibi Francos placare, istum aureum medium tibi ad signum dirigam: & si non potuero, vbicumque adgressus fueris, mihi notam fac viam tuam. Quando quidem potuero, & istam partem tibi direxero, paritérque coniunctæ vnum effecerint solidum, tunc securus patriam repedabis. Childericus habitans in Thoringia apud Regem Bisinum, vxorémque eius nomine Basinam, latuit. Franci tunc EGIDIVM vnanimiter Regem adsciscunt. VViomadum amicum Childerici Subregulum ab Egidio iterum Franci instituerunt, eiúsque consilio omnes Francos singulis aureis tributauit. Illi adquiescentes impleuerunt. Dixitque iterum ad Egidium VViomadus: Gens hæc durissima. Quæ mihi ad agendum iussisti, parum adtributati sunt, superbia sæuiunt. iube vt ternos solidos tribuentur. Quod cùm factum fuisset, adquiescentes Franci dixerunt: Melius nobis est ternos solidos tributa soluere, quàm cum Childerico grauissimam vitam ducere. VViomadus iterum ad Egidium dicit: Rebelles existunt tibi Franci: nisi præceperis ex eis plurimos iugulari, eorum superbiam non mitigas. Electos à VViomado centum vtiles, & in necessitatibus congruos, ad Egidium direxit, quos Egidius consilio VViomadi vsus interficere iussit. VViomadus secretiùs dixit ad Francos: Non sufficiunt tributa quæ soluitis? Quamdiu hoc malum sustinere vultis, vt parentes vestri sicut pecora iugulentur? Tunc Franci vnanimiter dixerunt. Si Childericum vbicumque potuissemus reperire, libenter eum super nos reciperemus ad Regem: forsitan per ipsum de his adflictionibus eriperemur. Tunc VViomadus protinus, ad Egidium vadens, dixit: Modò est gens Francorum tuæ disciplinæ perdomata. Dánsque eidem consilium, Legatos ad Mauritium Imperatorem dirigere gentésque vicinas si posset adtrahere, vt vel quinquaginta millia solidorum ab Imperatore dirigerentur: quo potiùs gentes accepto in munere se Imperio subiicerent. Addénsque dixit ad eum: Aliquantulos solidos tuæ instantiæ locum accipiens militaui, parum seruus tuus argentum habeo. Volebam cum tuis Legatis puerum dirigere, vt melius Constantinopoli mihi argentum mercaret. Tunc acceptis ab Egidio quingentis in munere aureis, quos ad hoc opus emendum transmitteret, misit puerum creditarium sibi cum media parte aurei, quem cum Childerico diuiserat. Saccellum plenum plumbeis, quod puer pro solidis secum portaret. Comperto iam Childericum Constantinopoli esse cum Legatis Egidij, puer adgreditur his verbis instructus, vt Legatos præcederet, & Childerico protinus nunciaret, priusquam Legati in conspectum Imperatoris venirent, quòd Egidius, qui tributa B C

*al. VVinomadus

A publicis ærariis soluere debebat, tributa Imperatori soluenda quæreret. Quod cùm Childericus Mauritio Imperatori nuntiasset, repletus furore & indignatione, cùm Legati Egidij ei præsentati fuissent, his verbis suggerentes: iubet eos retrudi in carcerem. Dixitque Childericus ad Mauritium Imperatorem; Iube me seruum tuum ire in Gallias: ego furorem indignationis tuæ super Egidio vlciscar. Multis muneribus à Mauritio Childericus ditatus, euectu nauali reuertitur in Gallias. Quem cùm VVuiomadus nunciante puero comperisset, castro Barro ad ipsum venit, & à Barrensibus receptus est. Eorum omnes reditus publicos pro initio receptionis consilio VViomadi benignè concessit. Deindè ab omnibus Francis resublimatur in Regno. Multáque prælia cum Egidio egit, plures strages ab ipso factæ sunt in Romanis.

XII. BASINA, quæ Bisinum Regem in Thoringia iugalem habebat, cùm audisset Childericum à Francis in Regno sublimatum, cursu veloci relinquens Bisinum ad Childericum transiit. Qui cùm eam solicitè interrogasset, qua de causa ad eum de tam longe venisset, respondisse fertur: Noui, inquit, vtilitatem tuam, quòd sis valde strenuus, ideóque veni vt habitem tecum. Si vtiliorem sub cœlo scissem, ad eumdem expetissem. Quam Childericus gaudens, & diligens eiusdem pulchritudinem, in coniugió copulauit. Cùm prima nocte iugiter stratu iunxissent, dicit ad eum mulier: Hac nocte à coitu virili abstinebimus. Surge secretiùs, & quod videris ante Aulas Palatij, dices ancillæ tuæ. Cúmque surrexisset, vidit
B similitudinem bestiarum Leonis, Vnicornis, & Leobardi, deambulantium. Reuersúsque dixit mulieri quæ viderat. Dicit ad eum mulier: Domine mi, vade denuo, & quod videris, narra ancillæ tuæ. Ille, verò cùm foris abisset, vidit bestias similitudine Vrsi & Lupi deambulantes. Narrans & hæc mulieri, compellit eum tertiò vt iret, & quod videbat nuntiaret. Cúmque tertiò exisset, vidit bestias minores, similitudine Canis, & minorum bestiarum ab inuicem detrahentium & volutantium. Cúmque Basinæ hæc vniuersa narrasset, abstinebant se castè vsque in crastinum. Surgentes de stratu dixit Basina ad Childericum, quæ visibiliter interpretationem habent: Nascetur nobis filius fortitudine Leonis signum & instar tenens. Filij quoque eius Leobardi & Vnicornis fortitudine signum tenent. Deinde generantur ex illis, qui Vrsis & Lupis fortitudine, & velocitate eorum similabunt. Et tertiò quæ vidisti ad discessum, columnæ Regni huius erunt: quia regnabunt ad instar Canum, & minoribus bestiis eorum consimilis erit fortitudo. Pluritas autem minorum bestiarum, quæ ab inuicem detrahentes volutabant, populos sine timore Principum ab inuicem vastandos significat. Concepit Basina, & peperit filium nomine CHLODEVEVM. Hic fuit magnus & pugnator egregius, ad instar Leonis fortissimus ceteris Regibus. Childericus cum Odouacro Rege Saxonorum Aurelianis pugnans Andegabum * victor perrexit. Mortuo Egidio, reliquit filium Siagrium nomine. Eodem tempore Brittones de Betorica * à Gothis expulsi, multi apud Dolensem perempti sunt.
C Paulus Comes cum Romanis & Francis bellum Gothis intulit, & prædas egit. Childericus Odouacro superato Paulum Comitem interfecit, Andegauum obtenuit. His actis, inter Saxones & Romanos bellum gestum est. Saxones terga vertentes, multis ex eis extinctis, insulæ eorum cum multo populo interempto à Francis captæ atque subuersæ sunt.

XIII. IPSO anno terræ motus fuit. Eoricus Gothorum Rex XIV. sui regni anno Ecclesiam sancti Iuliani Briuate * columnis ornatam mirificè construxit. Regnans Eoricus an. XX.

XIV. IN Burgundia nimia famis oppressio aduenit. Cumque populus à fame diuersis regionibus dispergeretur, nec esset qui alimoniam præberet, Æditius * quidam ex Senatoribus magnam tunc rem in Deo fecisse perhibetur. Misit pueros suos cum equitibus & plaustris per vicinas sibi ciuitates, vt eos qui inopia vexabātur sibi adducerent. Cunctos pauperes, quos inuenire potuerunt, adduxerunt ad domum eius, ibique eos tempore sterilitatis pascens à fame liberauit. Fuerunt plus quàm quatuor millia, quos aluit vsque ad tempora vbertatis. Post quorum discessum vox è cœlis lapsa peruenit, dicens Ædicio: Quia fecisti rem hanc, tibi & semini tuo panis non indigebit * in sempiternum. Ædicius miræ velocitatis fuit. pluribus multitudinem Gothorum cum paucis in fugam conuertit. Euarix * Rex

Gregor. lib. 2. c. 12.
Greg. lib. 2. c. 18.
* Andegauis.
* Biturica.
Greg. lib. 2. c. 19.
Greg. lib. 2. c. 20.
* al. Briuatis
Greg. lib. 2. c. 24
* al. Ecditius, & Ædecius.
* deficiet.
* al. Eutagrus.

CHLODOVEVS.

Gothorum excedens Spanum limitem, grauem in Galliis intulit persequutionem. A

XV. DEFVNCTO Childerico, CHLODOVEVS eiusdem filius regnauit pro eo. Anno autem quinto regni eius Siagrius Romanorum Patricius apud ciuitatẽ Sexonas *, quam quondam pater suus tenuerat, sedem habebat. Super quem Chlodoueus cum Regnachario inruens, Siagrius inlisum * cernens exercitum terga vertit, & ad Alaricum Regem Tholosam cursu veloci perrexit. Chlodoueus Legatos ad Alaricum mittit, vt eum redderet, alioquin nouerit sibi bellum inferri. At ille metuens, (vt Gothorum pauere mos est) Siagrium vinctum Legatis tradidit. Quem Chlodoueus custodiæ mancipauit, Regnóque eius accepto eum gladio trucidare præcepit. Chlodoueus eò quòd esset fanaticus, Ecclesias deprædari permisit.

* al. Suessiones.
* al. elisum.

XVI. IGITVR de Ecclesia Remicianæ * vrbis horceum magnum hostis abstulerat, cum reliquis ministeriis. Sanctus Apostolicus Remedius * Pontifex eiusdem vrbis ad Chlodoueum veniens postulat; Si aliud de sacris vasis recipere non mereretur, saltim vel horceum * illum reciperet. Audiens Rex dixit: Mitte nuntium vsque Suessionas: ibi, quæ adquisita sunt, diuidenda erunt. Si mihi illud sors
» dederit, petitionem tuam implebo. Cùm præda in medio diuidenda poneretur,
» ait Rex; Rogo vt saltim mihi vas istud extra partem concedatis. Hæc Rege di-
» cente, respondent Franci; Gloriose Rex, quæ cernimus tua sunt: sed & nos tui B
» sumus, Domine. quod tibi placet, fac. Tunc vnus leuis, inuidus, & facilis, voce
» magna horceum impulit, dicens; Nihil hinc accipies, nisi quod tibi sors vera lar-
» gietur. Rex iniuriam hanc patientia leniuit. Sorte posita acceptum horceum beato Remedio transmisit: seruans abditum sub pectore vulnus. Kal. Martias iussit omnes armatorum falanges se ostensuros venire. Vbi cunctos circuibat, venit ad
» horcei percussorem, dicens ad eum; Inculta est armatura tua, neque securis est vtilis. Adprehensámque securem eius terræ deiecit. Et ille cùm paululum inclinatus
» fuisset, Rex eleuatus manibus securi capit eius defixit; *Sic*, inquit, & *tu Suessionis* horceo fecisti. Magnum sibi per hanc causam * timorem fecit.

* al. Remetianæ, & Remensis. *Greg. lib. 2. c. 27.*
* Remigius
* vrceum.

* al. per hanc causã Franci timorem statuerunt.

XVII. FVIT igitur Gundiochus Rex Burgundionum ex genere Athanarici Regis persecutoris. Huic fuerunt quatuor filij, Gundebadus, Godeghiselus, Chilpericus, & Gotemarus. Gundebadus Chilpericum fratrem suum interfecit gladio: vxorem eius ligato ad collum lapide aquis immersit: duos filios eorum gladio trucidauit: duas filias exilio condemnauit, quarum senior nomine Sedeleuba *, mutata veste, se Deo deuouit; iunior Chrothildis * vocabatur.

Greg. lib. 2. c. 28.
* *Apud Greg.* Mucuruna, *al.* Chrona.
* *al.* Chrotechidis.

XVIII. PORRO Chlodoueus Legationem in Burgundiam sæpiùs mittens ambiebat * Chrotechildem. Et cùm non esset licitum eam videre, Chlodoueus Aurelianum quendam ex Romanis, ingenio quo poterat ad Chrotechildem præuidendam direxit. At ille nisi singulus, ad instar mendici peram ad dorsum ferens, veste deformi, illis perrexit partibus: annulum Chlodouei, quo ei potiùs crederetur, secum portans. Cúmque ad Genouam * ciuitatem, vbi Chrotechildis cum germana Sedeleuba sedebat, venisset, & illæ hospitalitate peregrinos sectantes eum causa mercedis suscepissent, & pedes eius Chrotechildis lauaret, Aurelianus ver- C
» bo secreto inclinans ad eam, dixit: Domina mi, grande verbum tibi nunciaturus
» sum, si locum dare dignaris, vbi secretiùs suggeram. Illa annuens inquit, Loquere.
» Dixitque Aurelianus; Chlodoueus Rex Francorum me direxit ad te, si voluntas
» Dei fuerit, vult te culminis sui sociare coniugio. Vt certa fias, hunc annulum tibi
» direxit. Quem illa accipiens, gauisa est gaudio magno. Dixitque ad eum: Accipe
» centum solidos pro laboris tui munere, & annulum hunc meum: festinans re-
» uertere ad Dominum tuum, & dic ei: Si me vult matrimonio sociare, protinus per
» Legatos à patruo meo Gundebado postuletur. Legati, qui venient, obtenta ad
» præsens firmitate, placitum sub celeritate instituant. Nisi ad perficiendum festi-
» nent, Aridij cuiusdam sapientis de Constantinopoli aduentum vereor; cuius consilio, si prius venerit, hæc omnia dissipentur *. Aurelianus eodem habitu, quo venerat, redit ad propria. Cùm iam prope Aurelianense territorium, nec procul à domo propè accessisset, quidam pauper mendicus, quem in via secum itineris socium habuerat, cùm iam securus Aurelianus sopore depressus esset, collegæ suo peram cum solidis eiusdem furatus est. Cúmque à somno expergefactus fuisset, mœ-

* al. conquirebat.
* al. ad ianuam ciuitatis.
* al dissipabuntur.

A tore plenus cursu veloci perrexit ad propria. Dirigénsque pueros ad inquirendum mendicum, qui peram eius portabat. Quem adprehensum Aureliano præsentant, cúmque fortiter triduo cæsum permisit ire mendicum. Protinus Aurelianus Chlodoueo Regi per singula narrans successionem, suggestiones nuntiat. Quod cum Chlodoueo vtilitas & consilium Chrotechildis placuisset, Legatos ad Gundebadum dirigit, petens vt Chrotechildem neptem suam ei in coniugium sociandam traderet. Quod ille denegare metuens, & sperans amicitiam cum Chlodoueo inire, eam se daturum spondit. Legati offerentes solidum & denarium, vt mos erat Francorum, eam partibus Chlodouei desponsant: placitum ad præsens petentes, vt ipsam ad coniugium traderet Chlodoueo. Nulla stante mora initum placitum. Cabillono* nuptiæ præparantur. Venientes cum celeritate Franci, Chrotechildem à Gundebado acceptam leuantes in basternam, cum multis thesauris ad Chlodoueum dirigunt. Chrotechildis cùm iam comperisset aduentum Aredij reuertentis ab Imperio, dixit ad seniores Francos: Si vultis me Domino vestro præsentare, remouete me de basterna, supra equum leuate, & quantùm protinus potueritis, illis partibus celerate. In hac basterna ad suam non possum venire præsentiam. Franci leuantes Chrotechildem super equum, festini ad Chlodoueum pergunt.

CHLODOVEVS.

Greg. lib. 2. c. 28.

* al. Cauallonno.

B XIX. Cvmqve Aredius à Massilia velocissimo cursu hæc audiens ad Gundobadum venisset, dixit ei Gundobadus; Audisti quòd amicitiam cum Francis iniuimus, neptémque meam Chlodoueo tradidi vxorem? Respondens Aredius dixit: Non est hoc amicitiæ cultus, sed initium discordiæ perpetuæ. Reminiscere debueras, Domine mi, quòd genitorem Chrotechildæ germanum tuum Chilpericum gladio trucidasti, matrem eius lapide ad collum ligato necare iussisti, duos eiusdem germanos capite truncatos in puteum fecisti proiicere. Si præualuerit, iniuriam parentum vindicabit. Dirige protinus exercitum post eam, vt reuertatur. Faciliùs vnius feres iurgium, quàm omni tempore tu & tui scandalizemini* à Francis. Hæc audiens Gundobadus, exercitum post tergum Chrotechildæ retentandum* dirigit, qui consequentes thesauros & basternam, cuncta retentent. Chrotechildis verò cùm adpropinquasset Villariaco, in qua Chlodoueus residebat, in territorio Trecassino, adhuc antequam terminos Burgundiæ Chrotechildis præteriret, rogans eos, à quibus ducebatur, vt duodecim leuuas in vtrasque partes de Burgundia prædarent* & incenderent. Quod cùm permittente Chlodoueo fuisset impletum, dixit Chrotechildis; Gratias tibi ago, Deus omnipotens, quòd initium vindictæ de genitoribus vel fratribus meis video.

* vexentur.

* præsentandum.

* proterent.

XX. Tvnc ad præsentiam Chlodouei perducitur, ipsámque in matrimonium Chlodoueus accepit, quam cultu regali perfecto dilexit amore. Habebat iam tunc Chlodoueus filium de concubina nomine Thevdericvm. Chrotechildis cùm primogenitum filium habuisset, quem baptismo consecrare vellet, virum assiduè suadens vt Christianus efficeretur, nullatenus ad conciliandum Regis animus mouebatur, dicens; Deorum nostrorum iussione cuncta creantur: Deus C vester nihil posse manifestatur. Regina filium ad baptismum exhibet. Baptizatus autem puer, quem Ingomerem* vocitabant, in albis obiit. Qua de caussa permotus felle Rex, increpabat Reginam, dicens: Si in nomine Deorum meorum puer fuisset baptizatus, vixisset. Regina Deo omnipotenti gratias agens, vt de vtero suo primogenitum in regno suo acceperit. Post hunc genuit filium, quem Chlodomerem vocitauit. Qui cùm baptizatus ægrotare cœpisset, dicebat Rex; Et iste, sicut frater, moritur. Orante matre, Domino adiuuante, conualuit. Regina tamen assiduè Regem verbis blanditis ad Christi cultum suadebat.

* al. Ingomerum.

Greg. lib. 2. c. 29.

XXI. Cvmqve bellum contra Alamannos Chlodoueus Rex moueret, suadente Regina vouit, si victoriam obtenebat, efficeretur Christianus. Cúmque vtræque falanges certamina* iungerent, & strages ingentes essent, dixit Chlodoueus; Deum inuoco, quem Chrodechildis Regina colit: si me iuuet in hoc prœlio, vt vincam hos aduersarios meos, ero illi fidelis. Alamanni terga vertentes, in fugam lapsi sunt. Cúmque Regem suum cernerent interemptum VIIII. annis exsules à sedibus eorum, nec vllam potuerunt gentem comperire, quæ eis contra Françoos auxiliaret*: tandem se in ditionem Chlodoueo tradunt. Nam

Greg. lib. 2. c. 30.

* certamine iungerentur

* al. CIIII.

* al. auxilium daret.

CHLODOVEVS. cùm de prœlio memorato superiùs Chlodoueus Remis fuisset reuersus, clam à S. Remedio Remensis vrbis Episcopo, adtrahente etiam Chrotechilde Regina, baptismi gratia cum sex milibus Francorum in Pascha Domini consecratus est. Cùm à sancto Remedio in Albis Euangelij lectio Chlodoueo adnuntiaretur, qualiter » Dominus noster Iesus Christus ad passionem venerat, dixit Chlodoueus: Si ego » ibidem cum Francis meis fuissem, iniuriam eius vindicassem. Iam fidem his verbis ostendens, Christianum se verum esse adfirmat. A

* al. Godeghiselus. Greg. lib. 2. c. 23. XXII. GVNDEGHISELVS * frater Gundebadi solatium per Legatos Chlodoueo postulans, cùm eum comperisset fortissimum in prœliis, promittens si eiecerit Gundebadum cum suo solatio à Regno, tributum partibus Chlodouei dissolueret. Gundebadus ignorans dolum fratris Gundeghiseli, ad eum misit dicens: » Veni, vt resistamus Francis vnanimiter, vt quod aliæ gentes passæ sunt non perfe» ramus nos. At ille: Vadam, inquit, & præbeam tibi auxilium. Chlodoueus cum Francis aduersus hos duos Reges castro Diuioninsi campaniam direxit ad prœlium. Gundeghiselus Chlodoueo coniungitur, ac vterque exercitus Gundebadi populum adterit. At ille dolum fratris cognoscens terga vertit, Rodani ripam percurrens Auenionem vrbem ingreditur. Gundeghiselus obtenta victoria, promissa Chlodoueo ex parte implens, Viennámque * triumphans, Chlodoueus Rex post Gundebadum dirigit, cúmque * de ciuitate extrahi præcepit.

* al. Auenionémque * qui eum de ciu. extrahere possent.

XXIII. ARIDIVS prudentissimus vir cum Gundebado intra castra sedens, ad Gundebadum ait; Oportet te lenire huius hominis feritatem. Ego simulans à te fugere, ad eum transibo, vt faciam quòd neque hanc noceat regionem. Quodcum» que tibi per meum iniunxerit consilium, faciendum promitte, donec causam tuam » Dominus prosperet. B

XXIV. ARIDIVS valedicens Gundebabo ad Chlodoueum perrexit dicens: Il» lum perfidum Gundebadum relinquens, tuæ gloriæ me offero. Benigniter à Chlodoueo recipitur. Erátque iocundus in fabulis, strenuus in consiliis, iustus in iudicio, & in commisso * fidelis. Dixit ad Chlodoueum; Tua est hæc regio, quare eam » vastare permittis? Iube Gundebadum tibi tributa soluendũ, & ipsum & regionem » dominabis. Quòd si noluerit, perfice quod cœpisti. Hæc iniũcta à Chlodoueo Gundebadus implere promittens, Chlodoueus rediit in Franciam, relictis cum Gundeghisilo V. millibus Francorum. Exiens Gundebadus de Auinione, resumptis viribus Gundeghiselum Viennæ circumdat, per aquæductum in ciuitatem ingrediens, Gundeghiselum interfecit, Francos adgregatos in vnam turrem ferro trucidauit, nihilque postea Chlodoueo reddere disposuit.

* al. commissionibus

XXV. IGITVR Alaricus Rex Gothorum cùm amicitias fraudulenter cum Chlodoueo inisset, quod Chlodoueus discurrente Paterno Legatario suo cernens aduersum Alaricum arma commouet, & in campania Voglauensi decimo ab vrbe Pictaua milliario Alaricum interfecit, & plurima manu Gothorum trucidata, Regnum eius à mari Tyrreno, Ligere fluuio, & montibus Pyrineis, vsque Oceanum matre à Chlodoueo occupatum est. Thesauros Alarici à Tolosa auferens secum Parisius duxit, & multis muneribus Ecclesiam sancti Martini & S. Hilarij ditauit, quorum fultus auxilio hæc cernitur implesse. Cúmque Parisius perrexisset, ibi cathedram Regni sui constituit. C

Greg. lib. 2. c. 37.

* al. Theodoricus, & in al. Clodoueus. XXVI. THEVDERICVS eiusdem filius, ciuitatibus captis circa maritima iussu patris filius ad eum reuertitur. Filius Sigiberti Regis nomine Chlodericus *, quem cum exercitu in eius solatio contra Gothos Chlodoueus habuerat, liciniis* verbis, dum per Scaldem fluuium nauigaret, adtractus. Ipse verò patrem suum Sigibertum in Burconia * interfecit dolosè, & ipse à percussoribus Chlodouei interfectus est. Regnum Sigiberti absque vllo prælio cum thesauris Chlodoueus adsumpsit.

* al. leuibus f. delenificis * al. Burgũdia, Burgunia, & Burchonia silua Gregor. lib. 2. c. 40.

Gregor. lib. 2. cap. 41. XXVII. CHARARICVM Regem parentem suum Chlodoueus interfecit, & Regnum suum sibi subdidit.

XXVIII. RAGNACHARIVM Regem atque suum parentem Chlodoueus dolis interfecit manu propria, & fratrem suum Richarium similiter manu propria iugulauit. Regnum Ragnacharij, qui apud Camaracum sedem habebat, suæ ditioni subiecit. Regnum Chlodouei maximè per totas Gallias dilatatur. Stu-

A diosè tractauit, vt nullus de suis parentibus superesset, nisi de suo semine, qui regnaret. THEVDERICVS

XXIX. MORTVO Chlodoueo, sepultus est in Ecclesia sancti Petri Apostoli, quam suo opere construxerat. Obiit post Voglense * bellum anno V. Regnum tenuit annis XXX. A transitu sancti Martini vsque ad transitum Chlodouei fiunt anni CXII. Chrotechildis Regina ad limina sancti Martini Turonis orationibus & vigiliis peruacabat. CHLODOMERVS. CHILDEBERTVS. CHLOTARIVS. * Vogladense.

XXX. QVATVOR filij Chlodouei, id est, Theudericus, Chlodomeres, Childebertus, & Chlotharius, Regnum eius æquo ordine inter se diuiserunt. Sortitus est sedem THEVDERICVS Mettis, CHLODOMERES Aurelianis, CHILDEBERTVS Parisius, & CHLOTHARIVS Suessionis. Theudericus habebat iam filium nomine Theudebertum vtilem & strenuum. Gregor lib. 2. c. 43. & lib. 3. c. 1.

XXXI. AMALRICVS filius Alarici sororem eorum in matrimonium accepit, per quam Barcennona * à Childerico & Francis occisus est. Dani euectu nauali Gallias appetunt, in Regno Theuderici inruunt. * Barcinonæ.

XXXII. ALANI à Theudoberto filio Theuderici superantur, omnémque prædam & vitam amiserunt.

XXXIII. THORINGORVM tres fratres regnabant, Badericus, Ermenfridus, & Bertharius. Ermenfridus Bertharium interfecit, instigante vxore Ermenfridi nequissima nomine Amalberga: & Badericum * germanum suum cum solatio * Theuderici interfecit. Ipse verò à Theudeberto filio Theuderici interfectus est. Regnum Thoringorum Francorum ditioni subactum est. Greg. lib. 3. c. 4. B * al. Baldericum. * al. cósilio.

XXXIV. GVNDEBADI filius Sigismundus apud Genauensem * vrbem villa Quadruuio iussu patris sublimatur in Regnum, habens vxorem filiam Theuderici Regis Italiæ, vnde habebat filium nomine Sighiricum. Eadem mortua, aliam duxit vxorem. Filium suum Sighiricum nouercæ insidiis iussit interfici. Vnde postea fortem pœnitentiam agens, Monasterium sanctorum Agaunensium miri operis construxit, & alia plura Monasteria ædificauit. Chrotechildis assiduè filios admonebat, mortem patris matrísque vel germanorum suorum vlcisci. Quam ob causam illi Burgundias adpetunt, Sigismundum & Godemarem in prælio vincunt. * al. Agaunensem, & Ardegauensem. Greg. l. 3. c. 5.

XXXV. CHLODOMERES Sigismundum, dum ad Monasterium sanctorum Agaunensium fugeret, captum cum vxore & liberis, Aurelianis adducit. Godemaris terga vertens latuit. Godemaris resumptis viribus Regnum Burgundiæ tenet. Chlodomeris iterum aduersus Godemarem exercitum mouet, interfecto Sigismundo, cum vxore & liberis, vt prædictum est. Greg. l. 3. c. 6.

XXXVI. CHLODOMEREM, ab Auito Abbate, quod fecerat Sigismundo, prædictum est ipsum item passurum. Cúmque Vesontiæ * Franci cum Burgundionibus bellum inissent, Chlodomeres capite truncatur, deceptus ab auxiliis Theuderici, qui filiam Sigismundi habebat vxorem. * al. Vesefrontiæ.

C XXXVII. FRANCI verò in ipso prælio resumptis viribus, Burgundionibus Vesontiæ * superatis, & ad internecionem perductis, patriam eorum ditioni subiiciunt. Chlotharius vxorem Chlodomeris nomine Gunthiucham vxorem duxit, filiósque eius tres his nominibus, THEVDOALDVM, GVNTHACHARIVM *, & CHLODOALDVM, Chrotechildis alebat. Childebertus dolosè Aruernos contra Theudericum inuasit. Chlotharius & Childebertus Burgundias adpetunt: Sed Theudericus cum eis adgredi noluit. Childebertus & Chlotharius fugato Godemaro Burgundias occupant. Theudericus cum exercitu Aruernos vastat. Mundericus, qui se parentem Regi adserebat, Regnúmque ei deberi dixit, à satellitibus Theuderici occiditur fraude deceptus. Res eius fisco subiiciuntur. * Vesesontiæ. * al. Guntharium. Greg. l. 2. c. 11. 14. 15. 18. 22.

XXXVIII. INITA pax inter Childebertum & Theudericum cum sacramento, datis obsidibus. Sed celeriùs rumpitur, multique filij Senatorum ob hoc seruitio subiiciuntur. Nepos beati Gregorij Lingonicæ vrbis Episcopi, Treueris cuidam barbaro seruiens, ingenio Leonis cuiusdam ex cocis ipsius Episcopi liberatur & reducitu.

XXXIX. CHROTECHILDIS Regina cum filiis Chlodomeris, quos alebat, Parisius residens, eósque vnico amore diligens, Childebertus inuidia in eos ductus,

[Childebertus. Chlotarius. Theudebertus. — *Voconis — *al. Deotheriam.]

Chlotharium suadet, vt interficerentur. Ex quibus duo, Theodoaldus & Guntharius, Chlotharij manu propria interficiuntur. Chlodoaldus ad Clericatum tondetur, dignámque vitam gerens transiit. Ad cuius sepulchrum Dominus virtutes dignatur ostendere. Theudericus filio suo Theudeberto Vuisigardem cuiusdam Regis * filiam desponsauit. Theudebertus relinquens Vuisigardem, Theotheriam * genere Romanam duxit vxorem. A

XL. THEVDERICVS XXIV. anno regni sui moritur, Regnúmque eius THEVDEBERTVS adsumpsit, qui magnum se atque in omni bonitate præcipuum ostendit. Deotheria zelans à Theudeberto, filiam suam dolo interfecit. Theudebertus relicta Deotheria, Vuisigardem duxit vxorem.

XLI. CHILDEBERTVS & Theudebertus fœdere inito inter se contra Chlotarium mouent exercitum. Sed orationibus Chrotechildis ad limina sancti Martini, & diuino nutu grandine & infestatione tonitrui & fulguris veniente, separati sunt. Pacem ineuntes ad proprias sedes sunt reuersi.

[*Barcinonae.]

XLII. POST hæc Childebertus & Chlotarius Spanias adpetunt, eásque parte maxima depopulati sunt. Amalricum Regem Barcennona * interficiunt. Cæsaraugusta ciuitas orationibus & ieiuniis liberatur.

[Greg. lib. 3. c. 30. — *Theoda. — *Theodegisilus.]

XLIII. POST Amalricum Theudo * regnat in Spaniis. Quo interfecto, Theudeghiselus * Regnum adsumit. Qui dum ad cœnam lætus sederet, extinctis cereis à suis occiditur. Cui Agila succedit in Regno. Gothi verò iam olim habent hoc vitium: cùm Rex eis non placet, ab ipsis interficitur. B

[*al. Tranquillane. & Traquila. — *al. Theuhadus. — *Theudad]

XLIV. ET quia Theudericus Rex Italiæ sororem Chlodouei in matrimonium habuit, ex qua paruulam filiam cum vxore reliquit, cùm mater ei Regis filium sociandum prouideret, à seruo nomine Tranquilliano * accipitur. Tranquillianus cum exercitu à matre puellæ capitur, & capite truncatur. Accepta filiâ, mater disciplinam ingerens secum duxit. Filia matrem veneno interfecit. Theodatus * Regnum Theuderici ambiuit, & filiam, quæ matri extiterat parricida, in balneo vehementer succenso iussit includi, vt ibi combureretur. Vnde causa compositionis quinquaginta millia solidorum Childeberto, Chlotario, & Theudeberto transmissi sunt. Quod Childebertus & Theudebertus inter se diuidentes, nihil exinde Chlotario dederunt. Theodato * defuncto, Totila successit in Regnum, quem Narsis Patricius interfecit, Regnúmque Gothorum in Italia destructum est.

[*al. infelicitas.]

XLV. POST Theudebertus cum exercitu Italiam ingreditur, eámque per maritimos terminos cunctam depopulatur. Narses Patricius in fugam versus. Postea Buccelinus Dux iussu Theudeberti Siciliam occupat, totámque Italiam dominans, magna ei felicitas * in his conditionibus fuit.

XLVI. PETITIONE Desiderati Verdunensis vrbis Episcopi Theudebertus clementer VIII. millia solidos ciuibus Verdunensibus ad recuperandum dedit. Theudebertus vexatus à febre moritur XIV. regni sui anno.

[Greg. lib. 4. c. 1. 2. 3. — *Chlothildis. — *al. Radegunde. — *al. Gunsina.]

XLVII. CHROTECHILDIS * Regina plena dierum & bonis operibus moritur, & in sacrario Basilicæ sancti Petri sepelitur. Chlotharius iubet ad omnes Ecclesias, tertiam partem fructuum fisco dissoluere. Sed resistente Iniurioso Pontifice hoc malum destruitur. Chlotharius de Ingunde Guntharium, Childericum, Aribertum, Gunthramnum, Sigibertum, & Chlodesindam filiam habuit; de Aregunde * sorore Ingundis, Chilpericum: & de Vnsina * habuit Chramnum. C

[*al. Aquilane.]

XLVIII. AGILANE * in Spania regnante, cùm esset iniquus suis, exercitus Imperij Spanias ingreditur. Agila interficitur.

[*al. Hispania.]

XLIX. ATHANAGILDVS succedit in Regno, qui ab Spania * exercitum Imperij expulit.

[*al. Vuldodradam. — Greg. lib. 3. c. 9. — *al. sambuco. — *al interiit — *Narsidis.]

L. THEVDEBALDVS filius Theudeberti Vualderadam * duxit vxorem. Erat valdè iniquus suis, cuius tempore vuæ in cauco * natæ sunt. Stella ex aduerso veniens in Lunam ingressa est. Buccelinus in Italia apud Belisarium & Narsidem Patricios sæpius fortiter dimicans, eos in fugam vertit, eorúmque exercitum proterit. Tandem infirmatus à profluuio ventris, & exercitus suus eadem infirmitate adtritus *, Belisario iam interfecto, à Narside * superatur & interficitur. Ipsóque anno Theudebaldus obiit, Regnúmque eius Chlotharius accepit, copulans Vualderadam sibi vxorem.

LI.

A LI. Eo anno rebellantibus Saxonibus Chlotarius commoto exercitu maximam eorum partem deleuit, Thoringiam vastans, quia eis auxiliare præsumpserant. Nec multo pòst tempore denuo Saxonibus rebellantibus, Chlotarius mouit aduersus eos exercitum. Saxones offerentes cuncta emendare, quæ malè gesserant, mediam partem de omnibus rebus eorum, exceptis vxoribus & liberis, in compositione offerunt. Quod Franci accipere despicientes, eos interficere conantur, Chlotario dicentes: Non pacificabis cum eis, sed surge, præliemus & vlciscamur in illis. Cùm ille nollet, Franci Chlotarium volentes occidere, inuitus perrexit ad prælium, ibique tanta strages à Saxonibus de Francis facta est, vt mirum fuisset.

CHILDEBERTVS. CHLOTARIVS.

Greg. lib. 4. c. 14.

LII. CHILDEBERTVS cum Chramno insidias Chlotario parat. Aribertus & Guntramnus iussu patris cum exercitu contra Chramnum dirigunt; sed diuino nutu temperante, cum graui coruscatione exorta à prælio separantur. Chramnus cum Childeberto pertendit. Saxones factione Childeberti in Francia venientes vsque Deuiciam * ciuitatem prædas egerunt. Chramnus cum Childeberto fortiter se constringit. Childebertus Remensem Campaniam depopulatus est. Austrapius Dux in Basilicam sancti Martini Chramnum metuens fugit.

* al. Diuiciam, & Dunciam, vulgo Duitz, ex aduerso Coloniæ Agrip.

LIII. CHILDEBERTVS Rex apud Parisius obiit, & in Basilica sancti Vincen-
B tij, quam ipse construxerat, sepultus est. Cuius thesauros & Regnum Chlotarius adsumpsit.

LIV. VVALDERADAM & filias eius duas in exilio posuit. Chramnus in Brittanniam fugit ad Conobrem * Comitem Brittannorum. VVillacharius socer eius ad Ecclesiam sancti Martini confugit. propter ipsum hæc Ecclesia incendio concrematur. Postea à Chlotario condignè recuperatur, & stanno cooperitur. Chramnus à Chlotario patre suo captus, cum vxore & liberis in Brittannia igne concrematur. Conober Comes Brittannorum interficitur.

* al. Cunobertum Regem

Greg. lib. 4. c. 17.

LV. CHLOTARIVS pro suis peccatis, quæ gesserat, aut negligenter egerat, exorandum ad limina beati Martini Confessoris properat. Exinde Compendio villa, veniens LI. regni sui anno vexatus à febre obiit. Chilpericus occupatis thesauris Chlotarij in villa Brennaco, sedem Childeberti Parisius occupat: sed mox exinde repellitur. Charibertus, Guntramnus, Chilpericus, & Sigibertus Regnum patris diuidunt. Dedit sors CHARIBERTO Regnum Childeberti, Parisius sedem habens: GVNTRAMNO verò Regnum Chlodemeris, sedem habens Aurelianis: CHILPERICO Regnum Chlotarij patris eius, cathedram habens Suessiones: SIGIBERTO quoque Regnum Theuderici, sedem habens Mettis. Eodem tempore Chuni Gallias appetunt, contra quos Sigibertus mouit exercitum, eósque interfecit, atque fugauit. Postea cum eis pacem iniuit. Chilpericus Remos inuadit, & alias ciuitates, quæ ad Sigibertum pertinebant, abstulit. Vnde inter ipsos bellum ciuile surrexit. Sigibertus Sues-
C siones occupat, Theudobertum filium Chilperici adprehensum in exilium transmittit. Chilperico victo atque fugato, ciuitates in suam dominationem reuocat. Post annum Theudobertum filium Chilperici reddidit, datis in inuicem pace & obsidibus, cum sacramentis. Guntramnus in Burgundia regnans, in locum Agricolanis * Patricij Celsum instituit, virum in verbis paratum, & in cupiditate promptissimum *.

Greg. lib. 4. c. 21.

CHARIBERTVS. GVNTRAMNVS. CHILPERICVS. SIGIBERTVS.

* Agræculæ

Greg. lib. 4. c. 24.

LVI. GVNTRAMNVS fuit Rex bonus, timens Deum. Accepit primùm concubinam nomine Venerandam, de qua habuit filium nomine Gundebadum. Pòst accepit Marchitrudem filiam Magnacharij. Quæ postquam de Guntramno habuisset filium, veneno Gundebadum dolosè interfecit. Ipsa iudicio Dei filium, quem habebat, perdidit, & odium Regis per saginam incurrit. Eadem demissa, Austrichildem eiusdem ancillam, cognomento Bobilanem, Guntramnus accepit vxorem, de qua duos filios habuit his nominibus, Chlotarium & Chlodomerem. Vt Marchitrudis dimitteretur, hæc fuit occasio. Mater eius post mortem Magnacharij de vilibus hominibus vnum ex nutritis Magnacharij acceperat maritum, quæ instigantibus Guntione & Vuiotico * filiis, ab eodem mater iussu Guntramni, separatur, & ipse puer occiditur. Clamant & filij, neglegentes matrem herbariam *, & meretricem. Hæc occasio filiam eiecit de Regno. Charibertus Rex

* al. ciuitate prudentissimum.

Greg. lib. 4. c. 25.

* al. Vntione, & Viuolico

* i. maleficam

Greg. lib. 4. c. 26.

CHARIBERTVS. GVNTRAMNVS. CHILPERICVS. SIGIBERTVS.

Ingobergam accepit vxorem: qua relicta Merofledem * lanarij filiam accepit, & A aliam pastoris ouium filiam nomine Theudechildem duxit vxorem, ex qua habuit filium. sed protinus moritur.

* Merofledem

LVII. PORRO Sigibertus cùm videret fratres suos vxores viles accipere, Gogonem causa Legationis ad Athanagildũ Regem direxit, petens vt ei filiam suam Brunam nomine coniugio traderet. Quam Athanagildus cum multis thesauris Sigiberto ad matrimonium transmisit. Ad nomen eius ornandum & augendum est determinatum, vt vocaretur Brunechildis. quam cum multa lætitia atque iocunditate Sigibertus accepit vxorem.

* Austrasia

LVIII. ANTE hæc in infantia Sigiberti omnes Austrasij, cùm eligerent Chrodinum Maiorem domus, eò quòd esset in cunctis strenuus, & timens Deum, patientia imbutus, nec quicquam aliud, nisi quod Deo & hominibus placeret, in eo inueniretur, ille hunc honorem respuens dicebat: Pacem ego in Auster * facere non valeo, maximè cùm omnes Primates cum liberis in toto Austro mihi consanguinei sint, non possum ex eis facere disciplinam, nec quemquam interficere. Ipsi verò per me insurgent, vt agant superstitiosè. Eorum acta non permittat Deus, vt me in inferni claustra tradant. Elegite alium, quem vultis, ex vobis.

* brachiũ Gogonis in manu.

LIX. AT illi cùm non inuenirent, tunc Chrodini consilio nutritum suum, memoratum superius Gogonem Maiorem domus eligunt. In crastino primus ad eius mansionem perrexit Chrodinus ad ministerium, bracile * Gogoni in collo tenens. B Quod reliqui cernentes, eiusdem sequuntur exemplum. Prosperum hoc Gogoni ad gubernandum fuit, quoadusque Brunichildem de Spania adduxit. Quem Brunichildis continuò apud Sigibertum fecit odiosum, ipsúmque suo instigante consilio Sigibertus interfecit. Tanta mala & effusiones sanguinum Brunichildis consilio in Francia facta sunt, vt prophetia Sibyllæ impleretur dicens: Veniet Bruna de partibus Spaniæ, ante cuius conspectum multæ gentes peribunt. Hæc verò equitum calcibus disrumpitur.

Greg. lib. 4. c. 28.
* al. Galsontam, VValsontã
* i. strangulare

LX. CHILPERICVS Gachilisindam * sororem Brunichildis habuit vxorem, relinquens Fredegundem, & alias, quas habebat, vxores. Postea transcendit sacramentum, quod Gothorum Legatis dederat, ne vnquam Gachilesindam de culmine Regni degradaret, ipsámque sugillare * fecit. Post cuius transitum Fredegundem denuò accepit vxorem. Reputantes ei fratres eius, quòd suo ingenio Gachilesinda fuerit interempta, eum de Regno eiiciunt. Habebat Chilpericus de priore Regina Audouera tres filios, Theudobertum, Merouеum, & Chlodoueum.

Greg. lib. 4. c. 29.

LXI. CHVNI in Gallias venire conantur, aduersus quos Sigibertus cum magno adgreditur exercitu. Chuni magicis artibus instructi, multis fantasiis ostensis, exercitui Sigiberti metum incutiunt; terga vertunt. Sigibertus à Chunis circumdatur, sed sua prudentia dona offerens liberatur, nec ei quicquam hæc conditio fecit obprobrium. Pacem sempiternam cum Chunis firmauit, & à Rege C Chunorum condignis muneribus honoratur.

Greg. lib. 4. c. 30.

LXII. SIGIBERTVS præcepit Aruernis ciuibus Arelatem occupare. Iubente Guntramno à Celso Patricio Aruerni Arelate trucidati sunt.

* al. Gaisuindam

LXIII. ATHANAGILDO Rege in Spania defuncto, Leuua cum Leuuildo fratre Regnum adsumunt. Moritur Leuua. Tum Leuuildus integrum Spaniæ Regnum tenet, habens Gadsuindam * matrem Brunechildis vxorem.

Greg. lib. 4. c. 31.
* al. habuit
* al. VVarmachariũ

LXIV. EODEM tempore, defuncto Constantinopoli Iustiniano Imperatore, Iustinus ambiuit * Imperium, vir iniquus & cupidus. Ad quem Sigibertus Legatos, Vuarmarium * Francum, & Firminum Comitem direxit, qui pacem cum Imperatore firmarent. qua facta, secundo anno sunt reuersi.

Greg. lib. 4. c. 35.
* al. Scandauia, & Schatanagia, leg. Schandinauia,

LXV. LANGOBARDORVM gens, priusquam hoc nomen adsumeret, exientes de Schatanauia *, quæ est inter Danubium & mare Oceanum, cum vxoribus & liberis Danubium transmeant. Cùm à Chunis Danubium transeuntes fuissent comperti, eis bellum conati sunt inferre. Interrogati à Chunis: Quare gens eorum terminos introire præsumeret? At illi mulieribus suis præcipiunt comam capitis ad maxillas & mentum ligare, quo potius virorum habitum simulantes plurimam multitudinem hostium ostenderent: eò quòd erant mulierum comæ circa maxillas & mentum ad instar barbæ valde longæ, fertur desu-

A per vtræque falangi vox dixisse: Hi sunt Langobardi. Quod ab his gentibus fertur eorum Deum fuisse locutum, quem fanatici nominant VVodanum. Tunc Langobardi, cùm clamassent, Qui instituerat nomen, concederet victoriam, in hoc prælio Chunos superant, partem Pannoniæ inuadunt. Nec multo pòst tempore Narsis Patricius minis Iustini Imperatoris, eiúsque Augustæ Sophiæ perterritus, eò quòd Augusta ei adparatum ex auro factum muliebre, eò quòd eunuchus erat, cum quo filaret, direxit, & pensilarios * regeret, non populos. At ille respondet: Filum filabo, de quo Iustinus Imperator, nec Augusta, ad caput venire non possent. Tunc Langobardos à Pannoniis inuitans, cum Alboeno Rege Italiæ introduxit. Alboenus Chlodesindam Chlotarij Regis filiam habuit vxorem. Qua defuncta, aliam duxit coniugem, cuius patrem interfecit. GVNTRAMNVS. CHILPERICVS. SIGIBERTVS. *i. operarios, qui pensa trahunt.

LXVI. Ipse verò eiusdem mulieris fraude veneno periit. Ipsáque postea cum aliquo Langobardo, apud quem Rauennam fugaciter de ciuitate Verona, vbi virum occiderat, adgrediebat, pariter interiit. Nam ibi adprehensi & interfecti sunt.

LXVII. Langobardi Regem nomine Clip * super se eligunt. Prorumpentibus Langobardis in Gallias, Amatus Patricius ab ipsis interficitur, & à Burgundionibus multæ ibidem strages factæ sunt. Post Amatum Mummolus Patriciatum adsumit. *al. Callip

B LXVIII. Inrvervnt iterùm Langobardi in Gallias, cum quibus Mummolus fortiter dimicauit, & vsque ad internecionem obpressit. Pauci ex eisdem Italiam repedantur. Saxones, quos Theudebertus in Italiam miserat, in Gallias prorumpunt, apud Stuplonem * castra ponentes; multæ strages per vicina loca ab ipsis perpetrantur: qui à Mummolo superantur, & in Italiam fugaciter reuertuntur, amissis omnibus, quæ prædauerant. Saxones cum vxoribus & liberis in Gallias distinant, vt à Sigiberto Rege recepti, vnde exierunt, redirent. Venientes in territorium Auennicum, Mummolus protinus obuiam veniens eis Rodanum transire non permittebat. Postea acceptis muneribus transire eos permisit. Ad Sigibertum * pergentes in loco, vnde prius egressi fuerant, sunt stabiliti. Postea defuncto Clip, Langobardorum Duces, Chamo, Zaban, & Rodanus, Gallias iruperunt. Quibus obuiam Mummolus cum exercitu venit, & hos tres Duces cum eorum exercitu vsque ad internecionem deleuit. In alio anno Mummolus cum exercitu Thoronos ac Pectauos, iubente Guntramno, de potestate Chilperici abstulit, & ad partem Sigiberti restituit. Multi ibidem de exercitu Chilperici, & ipsi Pectauenses sunt gladio trucidati. Thaloardus & Nuntio Duces Langobardorum per ostiola in Sidonense territorium cum exercitu sunt ingressi, ad Monasterium sanctorum Agaunensium nimiam facientes stragem. Baccis villa, nec procul ab ipso Monasterio, Duces eorum exercitus à Vuiolico & Theudefrido Ducibus Guntramni sunt interfecti. Quadraginta tantùm ex illis fugaciter in Italiam remeant. Greg. lib. 4. c. 36. *al. Stipholonem Greg. lib. 4. c. 39. *al. à Sigeberto Hæc non sunt in Gregorio.

C LXIX. Chlodovevs filius Chilperici Burdegalem peruadit. A Sigulfo Duce superatus & fugatus, ad patrem rediit. Greg. lib. 4. c. 47.

LXX. Chilpericvs Pectauos & Thoronos de regno Sigiberti peruasit; & Sigulfum Ducem fuga vertit, suúmque exercitum prostrauit. Chilpericus ciuitates, quas peruaserat, Sigiberto reddidit. Post annum Chilpericus cum multo exercitu Regnum Sigiberti ingreditur. Sed intercurrentibus Legatis, pacificati sunt.

LXXI. Postea vno iniente * consilio, ambo mouerunt exercitum, volentes Guntramnum interficere, Regnúmque eius adsumere. Sigibertus cum exercitu Arciaca resedens, Chilpericus Duodecim Pontes. Audiens hæc Guntramnus exercitum velociter mouet, veniénsque villa Veriaco, intercurrentibus Legatis hij tres germani, Sigibertus, Guntramnus, & Chilpericus, Trecas iunxerunt, & in Ecclesia sancti Lupi sacramenta contra Guntramnum, vt pacem seruarent, dederunt. Guntramnus idémque cum eis pacem sacramentis firmauit. Redientes ad castra Austrasij, aduersus Sigibertum rumorem leuant, dicentes: Sicut promisisti, da nobis vbi rebus ditemur, aut præliemur: alioquin ad patriam non reuertimur. Ille nolens, compulsus à suis super Guntramnum ire, Austrasij valde consiliosè * dicunt ad eum: Sacramentis pacem cum Hæc absunt à Greg. *al. Postea inientes consilium « « *insidiosè

GVNTRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS. Greg. lib. 4 c. 51. * Thoronos

Guntramno firmasti, quo pacto possumus super eum inruere? Vnanimiter A exclamantes, se super Chilpericum velle ire, protinus mouentes super Chilpericum, iam eius exercitus ad propria festinans longè abierat. Cùm hæc cognouisset Chilpericus, terga vertens Thornua * venit. Sigibertus post tergum eius Parisius venit, ibique sanctum ac beatissimum Germanum Parisiorum vrbis Episcopum cùm Sigibertus vidisset, hæc ab eodem verba prophetiæ audiuit: Si germanum tuum ita persequere cogitas, vt eum interficere disponas, & Regnum suum auferre, scriptum est: *Fouea, quam fratri tuo parabis, in eam cades*. Cuius castigationi nolens connuere, cogitabat optata perficere. Cúmque Victoriaco accessisset, omnes Neustrasij ad eum venientes se suæ ditioni subiecerunt. Ansoaldus tantùm cum Chilperico remansit. Fredegundis duobus pueris dolo transmissis, Sigibertum interficiunt, & ipsi interfecti sunt. Resumptis viribus, Chilpericus suum Regnum recepit.

* al. Sporta

* al. Rathomo & Rotomago

LXXII. BRVNECHILDIS cum filio suo CHILDEBERTO Parisius sub custodia tenebatur. Sed factione Gundoaldi Ducis, Childebertus in pera * positus per fenestram à puero acceptus est, & ipse puer singulus eum Mettis exhibuit. Ibique à Gundoaldo vel Austrasiis in Regno patris sublimatur. Brunechildis iussu Chilperici exilio Rothomerem * retruditur. In eo anno fulgor decurrisse visus est. Sigibertus in Ecclesia sancti Medardi sepultus est, ætate quadragenarius, XIV. B regni sui anno.

Greg. lib. 4. c. 51.

LXXIII. A Transitu Theudeberti senioris vsque ad exitum Sigiberti, anni XXIX. A principio vsque ad diluuium, anni II. millia CCXLII. A diluuio vsque ad Abraham, anni DCCCCXLII. Ab Abraham vsque ad egressum filiorum Israel ex Ægypto, anni CCCCLXII. Ab egressu filiorum Israel ex Ægypto ad ædificationem Templi Salomonis, anni CCCCLXXX. Ab ædificatione Templi vsque ad dissolutionem eius & transmigrationem Babyloniæ, anni CCCLXX. A transmigratione Babyloniæ vsque ad passionem Domini, anni DCXLVII. A passione Domini vsque ad transitum sancti Martini, anni CCCCXII. A transitu sancti Martini vsque ad transitum Chlodouei Regis, anni CXII. A transitu Chlodouei Regis vsque ad transitum Theudeberti, anni XXVII. A transitu Theudeberti vsque ad exitum Sigiberti, anni XXIX. quod sunt simul anni V. millia DCCLXXIV.

Greg. lib. 5. c. 2. 4. 14.

LXXIV. CHILPERICVS filium suum Merouеum Pectauis cum exercitu direxit, & exinde reuertens Rothomum accessit, & Brunechildem in coniugium accepit. Protinus Chilpericus ipsum ab ea separauit. Campanenses Sexsionas peruaserunt. Chilpericus cum exercitu contra eos inualuit, Sexsionas recepit. Filium suum Merouеum in Clericum tondere fecit, & Presbyterum ordinari. Roccolenum Ducem, Guntramnum itémque Ducem persequentem Toronos transmisit. Roccolenus ab infirmitate vexatus nihil ibidem præualuit.

Greg. lib. 5. c. 8. 13. * Turonos

LXXV. Eo tempore sanctus Germanus Parisiorum Episcopus transmigrauit ad Dominum. Chilpericus filium suum Chlodoueum Thoronus * transmisit, qui & C vltra Ligerem ciuitates Childeberti peruaderet. Mummolus Patricius Guntramni contra Chlodoueum & Desiderium Ducem Chilperici bellum gessit, eósque superauit. Cæsa à Mummoli exercitu V. millia, à Desiderio verò XX. millia.

Aliter Greg. lib. 5. c. 15.

LXXVI. INTER Sueuos & Saxones bellum surrexit. Cæsi sunt à Saxonibus XX. millia, & VI. millia tantùm ex eis remanserunt. Sueuorum quoque V. millia CCCC. LXXXVIII. prostrati sunt. Reliqui verò victoriam obtenuerunt. Saxones deuouerunt, vt nec pilum nec barbam inciderent, priusquam hanc iniuriam vlciscerentur. sed mentita est eorum iracundia.

Greg. lib. 5. c. 16. 18.

LXXVII. BRITTANNIS Magliauus & Bodecus illo tempore Comites erant, amicitiam cum sacramentis inuicem inientes. Mortuo Bodico, Magliauus filium eius nomine Theudericum de Regno expulit. Sed tandẽ resumptis viribus Theudericus Magliauum cum filio Iacob interfecit, Regnúmque patris recepit. Vuarochus Magliaui filius in patris loco Comes efficitur. Guntramnus Rex duos Magnacharij filios gladio interemit, instigante Austrechilde Regina, facultates eorum fisco redegit. Filij Guntramni duo continuò mortui sunt.

LXXVIII. GVNTRAMNVS Childebertum filium Sigiberti adoptauit in fi-

A lium. Chilpericus Prætextatum Rothomensem Episcopum in exilium trudit, reputans ei quòd consilio Brunechildis vsus contra Chilpericum tractarit. quod veritate subsistebat. Meroueus iterum laicus efficitur, de Thoronis fugiens per Autisiodero Diuionem venit, in Remensem Campaniam peraccessit, à Tharauanensibus circumuentus est, & in quadam villa concluditur à Gaileno* familiare suo. Ipsóque rogante, Meroueus cultro interfectus est. Gailenus manibus & pedibus, naribus & auribus truncatus, turpiter vitam finiuit. GVNTRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS. * al. Gauleno

LXXIX. EODEM tempore Iustinus Imperator amens effectus est. Sophia eius Augusta cum Tiberio Cæsare regebat Imperium. Tiberius largissimus in eleemosynis fuit. Sed cùm à Sophia argueretur, vt thesaurum non vastaret, in medio Palatij cruce in lapide reperta, iubet Tiberius ipsum lapidem leuare desuper. In alio lapide duæ cruces repertæ sunt, leuatóque & ipso, inuenta sunt subter ipsum mille centum talenta* auri. quod largiter diuino amore pauperibus erogauit. * al. mille centenarij auri.

LXXX. DEFVNCTO Narside, prudente alloquio Senicæ, cui Narsis crediderat, thesaurum eius Tiberius absconditam sub terra inuenit nimiam multitudinem ponderum auri & argenti, seu & lapides pretiosos. Quod idémque largiter Tiberius in alimoniis distribuit pauperum. Samson filius Chilperici moritur, quē Chilpericus nimium luxit. Eo anno stella in medio Lunæ fulgens visa est. Guntramnus Bozo, relictis filiabus suis in Ecclesia sancti Hilarij, ad Childebertum

B transiit. Anno quoque III. Childeberti Regis, qui erat Chilperici & Guntramni XVI. Guntramnus Bozo filias suas à Pectauo auferre vellens, Dracolenus super eum inruit. Multa munera à Guntramno Dracoleno offeruntur. Sed Dracolenus, vt erat elatus, dicit: Funiculum, vnde alios ligare soleo, paratum habeo; vbi Guntramnus hodie ligatur. Cúmque fuisset prælium cœptum, Guntramnus inuocato nomine Domini, & virtute S. Martini, leuato conto Dracolenum mactat in faucibus, suspensúmque de equo, mortuum in terram proiecit: feliciter postea, quod cœpit, expleuit. Post hæc Pectaui, Bagassini, Cenomani, & Andegaui cum aliis multis in Brittanniam contra Vuarocum exercitum mouent. Super quos Vuarocus per noctem ruens, nimiam stragem de Saxonibus Baicassinis* fecit. Anno IV. Childeberti, qui fuit XVIII. Guntramni & Chilperici, Salonius & Sagittarius Episcopi Cabillonno in Synodo ab Episcopatu degradantur. Chilpericus descriptiones grauissimas in omni populo Regni sui fieri iussit. Marcus Referendarius, qui hanc descriptionem faciebat, secum omnes polepticos ferens Kal. Martias à Limodicinis* interfectus est, & omnes poleptici incendiis sunt concremati. Dum hæc agerentur, Iustinus Imperator XVIII. anno regni sui cum amentia, quam incurrerat, vitam finiuit. Greg. lib. 5. c. 25. * Bagassinis Greg. lib. 5. c. 28. * Lemouicinis

LXXXI. TIBERIVS arripuit Imperium. Sophia Augusta immemor promissionis suæ, aduersus Tiberium insidias mouebat. Iustinianum nepotem Iustini in Imperio voluit sublimare. Quod Tiberius cernens, adprehensam Sophiam expoliatam thesauris, segregatis ab ea pueris, in custodiam iussit retrudi. Iustinianum obiurgatum, tanto in posterum amore dilexit, vt filio eius filiam suam promitteret,

C eiúsque filium suæ filiæ expeteret. Sed non est sortita effectum res. Exercitus eius Persas debellauit*, victórque regressus tantùm prædæ detulit, vt crederetur cupiditati humanæ posse sufficere. XX. Elefanti exinde adducti sunt. * deuallauit

LXXXII. EODEM tempore, anno V. Childeberti Regis tantæ lues per vniuersam regionem factæ sunt, vt nimium mirum fuisset. Vniuersa flumina terminos, quos nunquam excesserant, præterierunt, de pecoribus excidium, grande ædificiis naufragium. Sed cessantibus pluuiis arbores denuò floruerunt. Erat mensis September. Fulgor per cœlum cucurrisse visus est. Sonus quasi deruentium arborum in totam terram auditus est. Burdegalis terræmotu concussa est. De Pyrenæis montibus immensi lapides sunt euulsi, qui pecora & homines prostrauerunt. Vicus Burdigalensis, incendio diuinitus orto flammatus, multos exussit, subitò comprehendens domus, & areas* cum annonis incendium concremauit. Nulla incitamenta habuit hic ignis. Sed forsitan iussio diuina fuit. Aurilianis ciuitas ab hoc incendio vastata est. Apud terminum Carnotenum de fracto pane sanguis fluxit. Sed hæc prodigia grauissima lues est subsecuta, & discordia Regum iterum bellum ciuile parantium. Disentericus morbus totas Gallias præoccupauit. His diebus Austrechildis Guntramni Principis Regina ab hoc morbo consumpta est. Greg. lib. 5. c. 33. * horrea

GVNTRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS. Medici ad Guntramnum accusati, iussu Guntramni diuersis pœnis adfecti migrant ad cœlum. Eo anno magna in Spaniis Christianorum persecutio fuit, instigante Goesinda, quam post Athanagildum Regem Rex Leupildus acceperat, de alia vxore duos filios habens. Ex quibus vnus Ermenchildus nomine filiam Sigiberti nomine Sedegundem accepit vxorem. A

Greg. lib. 5 c. 38. LXXXIII. QVÆ cum magnis thesauris & apparatibus, in Spaniam est directa, & ab auia Goesinda benigniter accipitur. Sed cùm nullatenus auiæ iniquo consilio consensisset, in vnam ciuitatem cum viro habitandum constituitur. Protinus maritum prædicans, ad Christi cultum baptizatus effectus est Christianus. Quem pater Leuuildus insequens, & vellens occidere, tandem eius insecutione filius est interfectus, per quem data est occasio. Post mortem Mironis Regis Galliciæ, filio eius Eurico, & genero nomine Audegane, de Regno certantibus, à Leuuildo Suauiæ & omnes Galliciæ potestati Gothorum subiiciuntur.

LXXXIV. IGITVR Chilpericus tres filios suos iam adultos ab infirmitate disenteriæ vno anno perdidit, quos de Fredegunde habebat. Restiterat adhuc Chlodoueus filius eius, quem postea instigante Fredegunde vinctum in custodiam retrusit, ibique factione Fredigundæ cultro percussus obiit.

LXXXV. POST hæc Mummolus Patricius Regno Guntramni fugâ dilabitur: Auencionem* castrum suæ defensioni expetiit. Legati Chilperici, qui ad Tyberium Imperatorem accesserant, ab eodem, illo tempore, continuo reuertuntur*. B

* Auenionem

* al. remouentur.

LXXXVI. CHILDEBERTVS relicta Guntramni pace, se cum Chilperico, vt Regnum eius pariter auferrent, coniunxit: promittens Chilpericus, dum sine filiis erat, vt Childebertum Regni sui relinqueret hæredem. Sed more solito mendax apparuit. Lupus Dux Campanensis ab Vrsione & Bertefredo ab exercitu internecione persequitur. Sed Brunechilde intercedente liberatur, præsidiúmque eius à supra scriptis tralatum est.

LXXXVII. FVIT illo tempore reclausus Hospicius apud Nicensem vrbem, qui constrictus catenis ad purum corpus ferreis, desuper cilicio, nihil aliud quàm purum panem & paucos dactylos comedebat, in Quadragesima radices herbarum. Qui dum conuersaretur in corpore, multæ virtutes, præstante Domino, per eumdem ostensæ sunt. Chilpericus Desiderium Ducem ad peruadendum Petrocorecum & Agennum cum exercitu dirigit. Qui fugato Ragnoaldo Duce has ciuitates peruasit, eiúsque vxorem cunctis rebus expoliauit. Baudastis Dux in VVasconia obiit, maximámque partem exercitus sui amisit. Anno igitur VII. Childeberti Regis, qui erat Chilperici & Guntramni XX. stella cometes* apparuit in die sanctæ Paschæ. Apud Sexionas* ciuitatem cœlum ardere visum est. In Parisiaco verò sanguis denuò fluxit, & super vestimenta multorum hominum cecidit. Valitudines variæ, & mortalitas magna eo anno in populo fuit. Igitur Legati Chilperici Ansoaldus & Domighiselus, qui ad conspiciendam dotem in Spaniam fuerant missi, sunt regressi his diebus. Leupuildus Rex contra Ermenghildum filium suum in exercitum resedebat; tunc filium suum interfecit, eiúsque mulierem à Græcis liberare non potuit, sed vsque in mortem illuc permansit. C

* al. cometa

* Suessionas

LXXXVIII. Eo anno Rodinus* Dux moritur, vir eleemosynarius, & bonitate plenissimus, iustus in cunctis, piissimus in pauperibus. Qui dum quadam vice, vt consueuerat, mortuum sepelire præcepisset, & ad quoddam monumentum cum cultris pueri fossam facerent, leuato lapide inuenit miræ magnitudinis thesaurum, & solidorum multitudinem. Hunc sibi proprium vir censuit, quem sine intermissione fideliter pauperibus erogauit. Æquanimiter ea fide reddidit hunc ei thesaurum, à quo acceperat. Multa signa & prodigia eo anno in cœlo sunt visa. Chilperico filius denuò nascitur. iubet omnes carceratos* laxare.

* al. Chrodinus

* al. vinctos

LXXXIX. GVNDOALDVS, qui se filium Chlotarij dicebat, de Constantinopoli reuertitur, & Chlotario à Childeberto patruo directus est. Quem Chlotarius videns, comam capitis tondere iussit. Quem Sigibertus arcessitum, misit in Agripinensem ciuitatem, quæ nunc Colonia dicitur. Exinde lapsus ad Narsidem dirigitur, & Narsis eum Mauritio Imperatori direxit. Cùm exindè fuisset reuersus, à Mummolo Patricio fuit susceptus, factione Slagrij & Flauij Episcoporum, vt Guntramnum degradarent à Regno, & sublimarent Gundoaldum. Ob

A hanc causam Mummolus interfectus est. Gundoaldus à Bozone Duce factione Conbenesis vrbis de cacumine rupis inpingitur, ibique disruptus moritur. Catiatto * Spatarius Guntramni, qui hanc rem prodidit, huius vicissitudine * repensionis Episcopatum Gennauensem adsumpsit.

xc. In illo tempore Chilpericus Parisius contra pactum, quod cum Francis inierat, ingreditur. Ob quam rem portionem suam exinde iustè amisit. Guntramno partem Childeberti de Massilia reddidit. Mummolum factione Fredegundæ, cui reputabant filium suum per incantationem interfecisse, iussit Rex suggillare. multæque mulieres pro ipso mendacio à Fredegunde sunt interfectæ.

GVNTRANNVS CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

* al Cariatus.

* in huius vicissitudinis recompensam.

xci. CHILPERICVS timens Guntramnum & Childebertum, in Camaracensem cum thesauris omnique præsidio est adgressus. Per ipsum timorem sæpè exercitum mouebat, & resedere faciebat.

xcii. CHILDEBERTVS in Italiam abiit, & Langobardi se suæ ditioni commendant. Gloriosè exinde Childebertus reuertitur. Acceperat prius à Mauritio Imperatore L. millia auri, vt Langobardos de Italia expugnaret. Sed non solùm eis non nocuit, sed etiam amicitias cum ipsis iniuit. Leupildu, vt suprà fecimus mentionem, filium suum Ermenghildum interfecit.

xciii. CHILPERICVS & Fredegundis filiam eorum cum magnis thesauris & multitudine familiæ in eius ministerium direxit in Spaniam, quam filius Leu-
B pildi accepit vxorem. Nec post mora extante, Chilpericus ad Calam villam, nec procul à Parisius, ab homine nomine Falcone, qui missus à Brunechilde fuerat, est interfectus. Et sic crudelissimam vitam digna morte finiuit.

EXPLICIT LIBER EXCERPTÆ CHRONICÆ.

C

A

FREDEGARII SCHOLASTICI CHRONICON.

QVOD ILLE IVBENTE CHILDEBRANDO Comite, Pipini Regis patruo ſcripſit, & à fine Hiſtoriæ Gregorij Epiſcopi Turonenſis vſque ad Pipini ipſius conſecrationem perduxit: hactenúſque nomine Appendicis ad eundem Gregorium additæ vulgatum eſt. B

Subiungitur & Appendix altera, à Pipini Regis conſecratione ad annum vſque DCCLXVIII. auctoritate viri illuſtris NIBELVNGI Comitis, Childebrandi filij, ſcripta.

Omnia tandem accuratè emendata, & pleriſque in locis auctiora facta ſubſidio duorum vetuſtiſſ. Codicum Mſs. quorum vnus ſeruatur in Bibliotheca Alex. Petauij Senatoris Pariſ. alter vncialibus literis exaratus eſt Iacobi Sirmondi Societ. Ieſu.

INCIPIT PROLOGVS.

CVM aliquid vnius verbi proprietate non habeo quod proferam, niſi præſtitum ab Altiſſimo fuerit; & dum quæro implere ſententiam, longo ambitu vix breuis viæ ſpatium conſummo. Vernacula Linguæ huius verba interpretatio abſurdè reſonat. Si ob neceſſitatem aliquid in ordine ſermonis mutauero, ab interpretis videor officio receſſiſſe. Itaque beati Hieronymi, Ydacij, & cuiuſdam ſapientis, ſeu & Iſidori, immóque & Gregorij Chronica à Mundi origine diligentiſſimè percurrens, vſque decidente Regno Guntramni, his quinque Chronicis huius Libelli, nec plurima prætermiſſa ſingillatim congruentia ſtilo inſerui, quæ illi ſolertiſſimè abſque reprehenſione condiderunt. Cùm hæc ita ſe habeant, neceſſarium duxi veritatem diligentiùs inſequi, & ob id in prioribus his Chronicis, quaſi quamdam futuri operis miniam, omnium mihi rerum & temporum per... notaui. In præſenti autem ſtylo ea tempora ponens, & ſingularum gentium curioſiſſimo ordine quæ geſſerunt, coaptaui, quod prudentiſsimi viri, quos ſupra memini, hiſce Chronicis (verbum hoc eſt nomen Græcum, quod Latinè interpretatur *Geſta temporum*) ſeueriſsimè dictantes condiderunt, velut puriſsimus fons largiter fluenta manantes. Optaueram & ego, vt mi- C

A hi subcumberet talis dicendi facundia, vt vel paululum esset instar. Sed carius hauritur, vbi non est certa perennitas aquæ. Mundus iam senescit, ideóque prudentiæ acumen in nobis tepescit, nec quisquam potest huius temporis, nec præsumit Oratoribus prudentibus esse similis. Ego tamen, vt rusticas & externitas sensus mei valuit, studiosissimè de hisdem libris breuitate, quantum plus potui, aptare præsumpsi. Ne quisquam legens hic quicquam dubitet vniuscuiusque Libri nomen, redeat ad Auctorem, cuncta reperiet subsistere veritate. Transacto namque Gregorij libri volumine, *Temporum gesta*, quæ vndique scripta potui reperire, & mihi postea fuerant cognita, acta Regum, & bella gentium quæ gesserunt, legendo simul & audiendo, etiam & videndo cuncta, quæ certificatus cognoui, huius Libelli volumine scribere non silui: sed curiosissimè, quantum potui, inserere studui, de eodem incipiens tempore scribere, quo Gregorius finem Gestæ cessauit & tacuit, cùm Chilperici vitam finisse scripsit. In præsenti autem stilo ea tempora.......

B *EXPLICIT PROLOGVS.*

INCIPIVNT CAPITVLA CHRONICI.

A

EXPLICIVNT CAPITVLA.

GVNTRAMNVS. CHILPERICVS. CHILDEBERTVS.

INCIPIT LIBER CHRONICI.

GVNTRAMNVS Rex Francorum, cùm iam annos XXIII. Burgundiæ Regnum bonitate plenus feliciter regeret, & cum Sacerdotibus vtique vt Sacerdos se ostenderet, & cum leudis esset aptissimus, eleemosinam pauperibus largiter tribuens, tanta prosperitate Regnum tenuit, vt omnes etiam vicinæ gentes ad plenitudinem de ipso laudes canerent. Anno igitur XXIV. regni sui, diuino amore tactus, Ecclesiam beati Marcelli, vbi ipse preciosus requiescit in corpore, quæ in suburbano quidem Cabillonense, sed tamen in Segonum * est territorio, mirificè & sollerter ædificare iussit: ibique Monachos congregans Monasterium condidit, ipsamque Ecclesiam rebus plurimis ditauit. Synodum XL. Episcoporum fieri præcepit, & ad instar institutionis Monasterij sanctorum Agaunensium, quæ temporibus Sigismundi Regis ab Auito & ceteris Episcopis, ipso iubente Principe, fuerat firmata, idémque & huius Synodi coniunctione Monasterij sancti Marcelli Guntramnus institutionem firmandam curauit.

*al. Sequano.

II. Hoc anno Gundoaldus cum solatio Mummuli & Desiderij mense Nouembrio partem Regni Guntramni præsumpsit inuadere, & ciuitates euertere. Guntramnus Leudisejum * Comitem Stabuli, & Ægilanem Patricium cum exercitu contra ipsos direxit. Gundoaldus terga vertens Conbanem ciuitatem latebram dedit. Exinde de rupe à Bosone Duce præcipitatus interiit.

Greg. Tur. lib. 7. c. 14. 36. 38. & l. 9. c. 28.

*al. Leudigildum, Leudigiselum.

III. CVMQVE Guntramno perlatum fuisset, eo quòd frater suus Chilpericus esset interfectus, festinans perrexit Parisius, ibique Fredegundem cum filio Chilperici CHLOTARIO ad se venire præcepit, quem in Riogilo * villa baptizare iubet: & eum de sancto lauacro excipiens in Regno patris firmauit.

*al. Riolo.

IV. ANNO XXV. regni Guntramni, Mummulus Senouiæ iussu Guntramni interficitur. Vxorem eius Sidoniam * vna cum thesauro Domnulus Domesticus & VVandalmarus Camerarius Guntramno præsentant.

*al. Sinodiam.

V. ANNO XXVI. regni sui exercitus Guntramni Spanias ingreditur, sed loci infirmitate grauatus protinus ad propria reuertitur. Anno XXVII. eiusdem regni Leudisius * à Guntramno Patricius partibus *Prouinciæ* ordinatur. Filius Childeberti Regis Theudebertus natus fuisse nunciatur.

*al. Leudegiselus, & Leudiselus

VI. Eo anno nimia inundatio fluminum in Burgundia fuit, vt eorum terminos nimiùm transcenderent. Ipsóque anno Siagrius Comes Constantinopolim iussu Guntramni in Legatione pergit, ibique fraude Patricius ordinatur. Cœpta quidem, sed ad perfectionem hæc fraus non peraccessit. Eo anno signum apparuit in cœlo, globus igneus decidens in terra cum scintillis & rugitu. Ipsoque anno Leupildus * Rex Spaniæ moritur, & obtinuit Regnum Richaredus * filius eius. Anno XXVIII. regni domni Guntramni, alius filius Childeberti nomine Theudericus natus nuntiatur.

*al. Leuichildus.
*al. Richarius, & Richaricus.

VII. GVNTRAMNVS se cum Childeberto, pacem firmans, Andelao coniunxit. Inibi mater & soror & coniunx Childeberti Regis pariterque fuerunt; ibique specialis conuenientia inter domnos Guntramnum & Childebertum fuit conuenta, vt Regnum Guntramni post eius discessum Childebertus adsumeret.

VIII. IPSOQVE tempore Rauchingus, & Boso-Guntramnus, Vrsio & Bertefridus Optimates Childeberti Regis, eò quòd eum tractauerunt interficere, ipso Rege ordinante interfecti sunt. Sed & Leudefredus Alamannorum Dux in offensam antedicti Regis incidit, etiam & latebram dedit. Ordinatus est loco ipsius Vncilenus Dux. Eo anno Richaredus Rex Gothorum diuinum complectens amorem, priùs ipse baptizatur. Post hæc omnes Gothos, qui tum Arianam sectam tenebant, Toletum adunare præcepit, & omnes libros Arianos præcepit vt præsentarentur. Quos in vna domo conlocatos incendio concremare iussit, ipsósque Gothos ad Christianam legem baptizare fecit.

IX. Eo anno vxor Aunulfi * Imperatoris Persarum nomine Cæsara, virum relinquens cum quatuor pueris, & totidem puellis, ad beatum Iohannem Episcopum

*al. Arnulfi, Anaulfi, & Monaulfi.

A pum Constantinopolim veniens, se vnam esse de populo dixit, & baptismi gratia ad eum expetiisse. Cúmque ab ipso Pontifice fuisset baptizata, Augusta Mauritij Imperatoris eam de sancto suscepit lauacro. Quam cùm vir suus Imperator Persarum per Legationes sæpiùs repeteret, & Mauritius Imperator vxorem ipsius esse nesciret, tunc Augusta videns eam pulcherrimam, suspicans ne ipsa esset, quam Legati quærebant, dicénsque eis; Mulier quædam de Persis hîc venit, dixitque se vnam esse de populo. Videte eam, forsitan ipsa est, quam quæritis. Quam Legati videntes, proni in terra adorauerunt, dicentes; Ipsam esse eorum Dominam, quam quærebant. Dicit ad eam Augusta: Redde illis responsum. Tunc illa respondit; Ego cum istis non loquor. Vita illorum ad instar canis est. Si conuersi Christiani, sicut & ego sum, efficiuntur, tunc eis respondebo. Legati verò animo libenti baptismi gratiam accipiunt. Postea dicit ad eos Cæsara; Si vir meus voluerit Christianus fieri, & baptismi gratiam accipere, libenter ad eum reuertar. Nam penitus aliter ad ipsum non repedabo. Legati verò Imperatori Persarum nunciantes, statim ille Legationem ad Mauritium Imperatorem remisit, vt sanctus Iohannes veniret Antiochiam, ipso tradente baptismum vellet accipere. Tunc Mauritius Imperator infinitissimum apparatum Antiochiæ fieri iussit, ibíque Imperator Persarum cum LX. millibus Persarum baptizatus est, & ad duas ebdomadas à Iohanne & reliquis Episcopis Persæ ad plenitudinem suprascripti numeri baptizantur. Imperatorem illum Gregorius Episcopus Antiochiæ suscepit de lauacro. Aunulfus Imperator Mauritium Imperatorem petens, vt Episcopum cum Clero sufficiente eidem daret, quos in Persia stabiliret, vt vniuersa Persiâ * baptismi gratiam adhiberent. Quod Mauritius libenti præstitit animo, summáque celeritate omnis Persia ad Christi cultum baptizatur.

CHLOTARIVS II. GVNTRAMNVS. CHILDEBERTVS.

B (margin letter)

*al. vniuersi Persidę bap. gr. adiscent.

X. ANNO XXIX. Guntramni, exercitus in Spaniam eiusdem iussu dirigitur: sed negligentia Bosonis, qui caput exercitus fuit, grauiter à Gothorum exercitu illi trucidantur.

XI. ANNO XXX. regni supra scripti Principis, tunica Domini nostri Iesu Christi, quæ eidem in passione sublata est, & à militibus, qui eum custodiebant, est sortita, de qua Dauid propheta dixit; *Et super vestimenta mea posuerunt sortem*, inuenta est, prodente Simone filio Iacobi. Qui per duas ebdomadas multis cruciatibus adfectus, tandem profitetur ipsam tunicam in ciuitate Zafad, procul à Hierosolimis, in arca marmorea positam esse. Quem Gregorius Antiochenus, & Thomas Hierosolimorum, & Iohannes Constantinopolitanus, Episcopi, cum aliis multis Episcopis, triduanum facientes ieiunium, exinde condignè cum arca marmorea (leui effecta, quasi ex ligno fuisset) ordine pedestri Hierosolimam cum deuotione sanctissima perduxerunt, & eam in loco, vbi crux Domini adoratur, cum triumpho posuerunt. Eo anno Luna obscurata est. Eo anno inter Francos & Brittannos super fluuio Vicinonea * bellum est ortum.

*super fl. Vicinonem

C XII. BEPPELENVS Dux Francorum factione Hebrecharij * itémque Ducis à Brittannis interficitur. Vnde post Ebrecharius ad plenitudinem paupertatis de rebus suis expoliatus peruenit.

*Ebrecharij

XIII. ANNO XXXI. regni Gunthramni, Theudofredus * Dux Vltra-Iuranus moritur, cui successit VVandalmarus in honore Ducatus. Ipsóque anno Ago Dux in Italia super Langobardos in Regno sublimatur. Anno XXXII. regni Gunthramni ita à mane vsque ad mediam diem Sol minoratus est, vt tertia pars ex ipso vix adpareret.

*al. Theodifridus.

XIV. ANNO XXXIII. regni Gunthramni, v. Kal. April. ipse Rex moritur: sepultúsque est in Ecclesia sancti Marcelli in Monasterio, quod ipse construxerat. Regnum eiusdem Childebertus adsumpsit. Eodem anno Quintrio * Dux Campanensis cum exercitu in Regnum Chlotharij ingreditur. Chlotharius cum suis obuiam pergens hostiliter, Quintrionem in fugam vertit: sed vtriusque exercitus nimium trucidatus est.

*VVintrio.

XV. ANNO secundo cùm Childebertus Regnum accepisset Burgundiæ, exercitus Francorum & Brittannorum in inuicem prœliantes, vtrique nimium gladio trucidantur. Anno III. Childeberto in Burgundia regnante, multa signa in

CHLOTHARIVS II THEODOBERTVS. THEODORICVS.

cœlo ostensa sunt; apparuit stella cometes. Eo anno exercitus Childeberti cum VVarnis *, qui rebellare conauerunt, fortiter dimicauit, & ita VVarni trucidati ac victi sunt, vt parum ex ipsis remansisset. A

*VVarni hi forte VVerini illi sunt, quorum Legum aliis extant hoc titulo: Lex Angliorum, & VVerinorum, hoc est, Thuringorum, edit. Basil fol. 1557.

XVI. ANNO IV. postquam Childebertus Regnum Gunthramni acceperat, defunctus est, Regnúmque eius filij sui Theudebertus & Theudericus adsumunt. THEVDEBERTVS sortitus est Auster, sedem habens Metensem: THEVDERICVS accepit Regnum Guntramni in Burgundia, sedem habens Aurelianis.

XVII. Eo anno Fredegundis cum filio Chlothario Rege Parisius vel reliquas ciuitates ritu barbaro occupauit, & contra filios Childeberti Regis Theudebertum & Theudericum mouit exercitum. Loco nominato Latofao castra vtrique ex aduerso ponentes, Chlotharius cum suis super Theudebertum & Theudericum inruens, eorúmque exercitum grauiter trucidauit. Anno II. regni Theuderici Fredegundis moritur.

*al. Quolenus.
*al. glādis; vel, inguinis.

XVIII. ANNO III. regni Theudeberti, Quintrio Dux instigante Brunechilde interficitur. Anno IV. regni Theuderici Colenus * genere Francus Patricius ordinatur. Eo anno clades glandolaria * Massiliam & reliquas Prouinciæ ciuitates grauiter vastauit. Eo anno aqua calidissima in lacu Dunensi, quem Arola fluuius influit, sic validè ebulliuit, vt multitudinem piscium coxisset. Eo anno VVarnacharius Maiordomus Theuderici transiuit, qui omnem facultatem suam in alimoniis pauperum distribuit. B

XIX. Eo anno Brunechildis ab Austrasiis eiecta est, & in Arciacensi Campania à quodam homine paupere singula reperitur. Secundum eius petitionem ipsa ad Theudericum perducitur. Theudericus auiam suam Brunechildem libenter recipiens, gloriosè honorat. Huius vicissitudine meriti Episcopatum Audicioderensem *, faciente Brunechilde, adsumpsit. Anno V. regni Theuderici iterum signa, quæ anno superiore visa fuerant, globi ignei per cœlum currentes, & ad instar multitudinis hastarum ignearum, ad Occidentem apparuerunt.

*al. Autissiodorensē.

XX. IPSOQVE anno Theudericus & Theudebertus Reges contra Chlotharium Regem mouent exercitum, & super fluuium Aroannam, nec procul à Dorómello vico prœlio confligentes iunxerunt. Ibique exercitus Chlotharij grauissimè trucidatus est. Ipsóque cum his qui remanserunt in fugam verso, pagos & ciuitates ripæ Sigonæ *, quæ se ad Chlotharium tradiderant, depopulantur & vastantur. Ciuitates ruptæ nimis, pluritas captiuorum ab exercitu Theuderici & Theudeberti exinde deducitur. Chlotharius obpressus, vellet nollet, per pactionis vinculum firmauit, vt inter Sigonam & Ligerem, vsque mare Oceanum & Brittannorum limitem, pars Theuderici haberet: & per Sigonam & Isaram Ducatum integrum Denteleni vsque Oceanum mare Theudebertus reciperet. Duodecim tantùm pagi inter Iseram & Sigonam & mare littoris Oceani Chlothario remanserunt. Anno VI. regni Theuderici Cautinus Dux Theudeberti interficitur.

*al. Sequanæ.

XXI. ANNO VII. regni Theuderici, de concubina filius nascitur, nomine SIGIBERTVS: & Ægyla Patricius nullis culpis exstantibus, nisi tantùm cupiditatis instinctu, instigante Brunechilde, ligatus interficitur, facultatésque eius fiscus adsumpsit. Eo anno Theudebertus & Theudericus exercitum contra VVascones dirigunt, ipsósque Deo auxiliante deiectos suæ dominationi redigunt, & tributarios faciunt. Ducem super ipsos nomine Genialem instituunt, qui eos feliciter dominauit. C

XXII. Eo anno corpus sancti Victoris, qui Salodoro cum sancto Vrsione * passus fuerat, à beato Æconio Pontifice Mauriennense inuenitur. Quadam nocte in sua ciuitate ei reuelatur insomnium, vt surgens protinus iret ad Ecclesiam, quam Sedeleuba Regina in suburbano Genauensi construxerat: in medio Ecclesiæ designato loco illud sanctum corpus adesse. Cúmque Genauam festinus perrexisset, cum beatis Rustico * & Patricio Episcopis, triduanum facientes ieiunium, lumen per noctem, vbi illud gloriosum & splendidum corpus erat, apparuit. Quod cum silentio hij tres Pontifices, cum lacrimis & orationibus, eleuato lapide, in arca argentea inuenerunt sepultum. Cuius faciem rubentem quasi vini repererunt. Ibique Princeps Theudericus præsens aderat, multísque rebus huius Ecclesiæ tribuens maximam partem facultatis VVarnacharij ibidem confirmauit.

*Vrso.
*Rusticio.

A Ad sepulchrum illud sanctum miræ virtutes ex ipsa die, qua repertum est, præstante Domino, integra assiduitate ostenduntur. Eo anno Ætherius Episcopus Lugdunensis obiit. ordinatur loco ipsius Secundinus Episcopus.

CHLOTARIVS II. THEODOBERTVS. THEODORICVS.

XXIII. Eo anno Focas Dux & Patricius Reipublicæ, victor à Persis rediens, Mauritium Imperatorem interfecit, & in loco ipsius Imperium adsumpsit.

XXIV. ANNO VIII. Regni Theuderici, de concubina nascitur ei filius nomine CHILDEBERTVS: & Synodus Cabillonno collegitur. Desiderium Viennensem Episcopum deiciunt, instigante Aridio Lugdunensi Episcopo, & Brunechilde, & subrogatus est loco ipsius in Sacerdotali officio Domnulus. Desiderius verò in insulam quamdam exilio retruditur. Eo anno Sol obscuratus est. Eo quoque tempore Bertoaldus, genere Francus, Maiordomus Palatij Theuderici erat, moribus mensuratus, sapiens & cautus, in prœlio fortis, fidem cum omnibus seruans. Anno IX. Regni Theuderici, nascitur ei de concubina filius nomine CORBVS. Cùm iam Protadius genere Romanus vehementer in Palatio àb omnibus veneraretur, & Brunechildis stupri gratia eum vellet honoribus exaltare; defuncto VVandalmaro Duce, in pago Vltra-Iurano & Scutingorum * Protadius Patricius ordinatur, instigatione Brunechildis. Vt Bertoaldus potiùs interiret, eum in Ripam Sigonam vsque Oceanum mare per pagos & ciuitates ad fiscum inquirendum dirigunt. (* al. Scotegorum & Scutengorum.)

B XXV. BERTOALDVS à Theuderico directus cum CCC. tantùm viris, illis partibus properauit. Cúmque Arelaunum * villam venisset, & venationem inibi exerceret, hæc comperiens Chlotharius, filium suum Merouеum & Landericum Maioremdomus cùm exercitu ad Bertoaldum opprimendum direxit, & maximam partem inter Sigonam & Ligerem, pagos & ciuitates de Regno Theuderici præsumpsit contra pactum peruadere. Bertoaldus hæc audiens, cùm sustinere non præualeret, terga vertens Aurelianis ingreditur; ibique à viro beatissimo Austrino Episcopo suscipitur. Landericus cum exercitu Aurelianis circumdans, vocabat Bertoaldum vt exiret ad prœlium. Bertoaldus de muro respondens; Nos duo singulari certamine, si me expectare deliberas, reliqua multitudine procul suspensa, iungamus ad prælium, vt à Domino iudicemur. Sed hæc Landericus facere distulit. Addens Bertoaldus dixit; Dum facere non audes, proximo temporis Domini nostri pro eis, quæ facis, iungent ad prœlium. Induamur vterque, ego & tu, vestibus vermiolis, præcedamus ceteris vbi congressus erit certaminis; ibique & tua & mea vtilitas apparebit. Promittentes ante Deum ad inuicem, promissionis huius veritatem subsistere. (* al. Arelaum.)

XXVI. CVMQVE hoc in die festo sancti Martini Antistitis actum fuisset, Theudericúsque hoc comperisset, quod à Chlothario pars Regni sui contra pactum

C fuerat peruasa, in Natiuitate Domini protinus cum exercitu Stampas super fluuio * Loa peruenit; ibique obuiam Merouеus filius Chlotharij Regis cum Landerico & magno exercitu venit. Cùm esset autem peruius ille locus, vbi Loa fluuius transmeat, vix tertia pars exercitus Theuderici transierat, initum est prœlium. Ibique Bertoaldus secundum placitum adgreditur, vocitans Landericum. Sed Landericus non est ausus, vt promiserat, tantam huius certaminis congressionem adire. Ibique Bertoaldus, cùm nimis ceteros præcessisset, ab exercitu Chlotharij cum suis interficitur, nec vellens exinde euadere, dum senserat se de sui gradus honore à Protadio degradandum. Ibique Merouеus filius Chlotharij capitur. Landericus in fugam versus est à nimia multitudine: exercitus Chlotharij in eo prœlio gladio trucidatus est. Theudericus victor Parisius ingreditur. Theudebertus pacem cum Chlothario Compendio villa iniuit; & vterque exercitus eorum inlæsus rediit ad propria. (*per fluuium Loa.)

XXVII. ANNO X. regni Theuderici, Protadius, instigante Brunechilde, Theuderico iubente, Maiordomus substituitur. Qui cùm esset nimium argutissimus & strenuus in cunctis, sed sæua illi fuit contra personas iniquitas: fiscum nimium stringens, de rebus personarum ingeniosè fiscum vellens implere, & seipsum ditare: Quoscumque de gente nobili reperiret; totos humiliare conabat, vt nullus reperiretur, qui gradum, quem adripuerat, potuisset adsumere. His & aliis nimia sagacitate vexatis, maximè cunctos in Regno Burgundiæ lucratus * est (* fecit sibi.)

CHLOTARIVS II. THEODOBERTVS. THEODORICVS.

inimicos. Cùm Brunechildis nepotem suum Theudericum integra adsiduitate A moneret, vt contra Theudebertum moueret exercitum, dicens; Quasi Theudebertus non esset filius Childeberti, nisi cuiusdam hortulani. Et Protadius ipse quoque consilio adsistens, tandem iussu Theuderici mouetur exercitus. Quòd cùm in loco nomine Caraciaco Theudericus cum exercitu castra metasset, hortabatur à leudibus suis, vt cum Theudeberto pacem iniret. Protadius singulus hortabatur, vt prœlium committeretur. Theudebertus nec procul exindè cum exercitu residebat. Tunc omnis exercitus Theuderici inuenta occasione supra Protadium inruunt, dicentes; » Melius esse vnum hominem mortuum, quàm totum exercitum in periculum missum. » Protadius in tentorio Theuderici Regis cum Petro archiatro tabula * ludens sedebat. Cùm eum vndique iam exercitus circumdasset, & Theudericum leudes tenebant, ne illuc adgrederetur, misit Vncelenum, vt suæ iussionis verbum nuntiaret exercito, vt se de insidiis Protadij remouerent. Vncelenus protinus ad exercitum nuntians dixit: Sic iubet domnus Theudericus, vt interficiatur Protadius. Inruentes super eum, tentorium Regis gladio vndique incidentes, Protadium interficiunt. Theudericus confusus & coactus cum fratre Theudeberto pacem iniuit, & inlæsus vterque exercitus reuertitur ad proprias sedes, post cædem Protadij.

* al. ad tabulam.

XXVIII. ANNO XI. regni Theuderici subrogatur Maiordomus Claudius * genere Romanus, homo prudens, iocundus in fabulis, strenuus in cunctis, patientiæ deditus, plenitudine consilij abundans, litterarum studiis eruditus, fide plenus, amicitiam cum omnibus sectans. Priorum exempla metuens, lenem se & patientem huius gradus ascensu ostendit. Sed hoc tantùm impedimentum habebat, quòd saginâ esset corporis adgrauatus. Anno XII. regni Theuderici Vncelenus, qui ad mortem Protadij insidiosè fuerat locutus, instigante Brunechilde, pede truncato, de rebus expoliatus ad breuitatem * perductus est.

* al. Docudius.

* al. zeuillitatem, & debilitatem.

XXIX. VVLFVS Patricius, idémque Brunechilde *instigante, qui mortem* Protadij consilio suo consenserat, in Fariniaco * *villa*, iubente Theuderico, occiditur, & in Patriciatum eius Richomeres Romanus genere subrogatur. Eo anno natus est de concubina Theuderici filius nomine MEROVEVS, quem Chlotharius de sancto lauacro suscepit.

* al. Fauriniaco.

XXX. EODEM anno Theudericus Aridium Episcopum Lugdunensem, Rocconem, * & Æborinum Comestabulum ad Bettericum Regem Spaniæ direxit, qui exinde Ermenbergam filiam eius Theuderico matrimonio sociandam adducerent. Ibique datis sacramentis, vt à Theuderico ne vmquam à Regno degraderetur: ipsámque accipiunt, & Theuderico Cabillonno præsentant. quam ille gaudens diligenter suscepit. Eadem factione auiæ suæ Brunechildæ virilem coitum non cognouit. Instigantibus verbis Brunechildæ auiæ * & Theudelanæ germanæ efficitur odiosa. Post anni circulum Theudericus Ermenbergam expoliatam à thesauris in Spaniam retransmisit.

* al. Rogonè & Eborinum Comestabiles.

* al. Brunichilde auia, & Theudilane, *vel*, Theudelinda, germana.

XXXI. BETTERICVS hæc indignans, Legationem ad Chlotharium direxit. C Legatus Chlotharij cum Betterici ad Theudebertum perrexit. Iterum Theudeberti Legati cum Chlotharij & Betterici legatariis ad Agonem Regem Italiæ accesserunt, & vnanimiter hij quatuor Reges cum exercitu vndique super Theudericum inruerunt, vt Regnum eius aufferrent, & eum morte damnarent, eo quòd tantam de ipso reuerentiam ducebant. Legatus verò Gothorum euectu nauali de Italia per mare in Spaniam reuertitur. Sed hoc consilium diuino nutu non sortitur effectum. Quod cùm Theuderico compertum fuisset, fortissimè ab eodem despicitur.

XXXII. Eo anno Theudericus consilio Aridij Episcopi Lugdunensis perfidi vtens, & persuasu auiæ suæ Brunechildæ, sanctum Desiderium de exilio regressum lapidare præcepit. Ad cuius sepulchrum miræ virtutes à die transitus sui Dominus integra assiduitate ostendere dignatur. Per quod credendum est, pro hoc malo gesto Regnum Theuderico & filiis suis fuisse destructum.

XXXIII. Eo anno, mortuo Betterico, Sisebodus Spaniæ successit in Regnum, vir sapiens & in tota Spania laudabilis valde, pietate plenissimus. Nam & aduersus

A manum publicam fortiter dimicauit; prouinciam Cantabriam Gothorum Regno subegit, quam aliquando Franci possederant. Dux Francio nomine, qui Cantabriam in tempore Francorum texerat, tributa Francorum Regibus multo tempore impleuerat. Sed cùm à parte Imperij fuerat Cantabria reuocata * à Gothis, (vt suprà legitur) praeoccupatur, & plures ciuitates ab Imperio Romano Sisebodus * in litore maris abstulit, & vsque fundamentum destruxit. Cúmque Romani ab exercitu Sisebodi trucidarentur, Sisebodus dicebat pietate plenus; Heu me miserum, cuius tempore tanta sanguinis effusio fitur! Cuicunque poterat occurrere, de morte liberabat. Confirmatum est Regnum Gothorum in Spania per maris littora vsque Pyrenaeos montes.

CHLOTARIVS II. THEODOBERTVS. THEODORICVS.

* al. reuocatus.

* Sisebutus

XXXIV. AGO Rex Langobardorum accepit vxorem Grimoaldi & Gundoaldi germanam, nomine Theudelindem ex genere Francorum *, quam Childebertus habuerat desponsatam. Qui cùm eam consilio Brunechildae postposuisset, Gundoaldus cum omnibus rebus se cum germana Theudelinde in Italiam transtulit, & Theudelindem in matrimonium Agoni tradidit. Gundoaldus de gente nobili Langobardorum accepit vxorem, de qua duos filios habuit his nominibus, Gundebertũ & Haribertum *. Ago Rex filius Autharij Regis, de Theudelinde habuit filium nomine Odoaldum, & filiam nomine Gundobergam. Dum Gundoaldus à Langobardis nimium diligeretur, factione Agonis Regis & Theudelindae, cùm ipsum B iam zelo tenerent, vbi ad ventrem purgandum in faldaone sedebat, sagitta saucius moritur.

* al. Baioariorum.

* Charibertum.

XXXV. ANNO XIII. regni Theuderici, cùm Theudebertus Belichildem habebat vxorem, quam Brunechildis à negotiatoribus mercauerat, & esset Belichildis vtilis, & à cunctis Austrasiis diligeretur vehementer, simplicitatem Theudeberti honestè comportans, nihil se minorem à Brunechilde esse censeret, sed saepiùs Legatos Brunechildae despiceret, dum ab ipsa increpabatur, quòd ancilla Brunechildae fuisset: tandem his & aliis verbis, Legatis discurrentibus ab inuicem vexarentur, placitus inter Colerensem * & Suentensem fitur, vt has duas Reginas pro pace inter Theudericum & Theudebertum coniungerent ad colloquium. Sed Belichildis consiliis Austrasiorum inibi venire distulit.

* al. Colcisse & Sointense, vel Sogintensé

XXXVI. ANNO XIV. regni Theuderici, beatus Columbanus creuerat iam passim famâ ciuitatis suae in vniuersas Galliae vel Germaniae prouincias, erátque omnium rumore laudabilis, omnium cultu venerabilis: in tantùm vt Theudericus Rex ad eum saepè Lussouium * venerit, & orationum suarum suffragia omni cum humilitate poposcerit. Ad quem saepissimè cùm veniret, coepit vir Dei eum increpare, cur concubinarum adulteriis misceretur, & non potiùs legitimi coniugij solamine frueretur, vt regalis proles ex honorabili Regina procederet, & non potiùs ex lupanaribus videretur emergi. Cúmque iam ad viri Dei imperiũ Regis sermo obtemperaret, & se ab omnibus inlicitis segregare sponderet, mentem Brunechildis auiae, (secunda * vt erat Iezabelis) antiquus anguis adiit, eámque contra virum Dei stimulatam superbiae aculeo excitat, quia cerneret viro C Dei Theudericum obedire. Verebatur enim, ne si abiectis concubinis Reginam Aulae praefecisset, dignitatis atque honoris sui modum amputasset. Euenit ergo vt quadam die beatus Columbanus ad Brunechildem veniret. Erat enim apud Brucariacum villam. Cúmque illa eum in Aulam venire cerneret, filios Theuderici, quos de adulterinis permixtionibus habebat, ad virum Dei adducit. Quos cùm vidisset, sciscitatur, Quid sibi vellent? Cui Brunechildis ait: Regis sunt filij, tu eos «
benedictione robora. At ille; Nequaquam, inquit, istos regalia sceptra suscepturos «
scias. de lupanaribus emerserunt. Illa furens paruulos abire iubet. Egrediens «
vir Dei Reginę Aula *, dum limitem transiliret, fragor ex terrore incussit, nec tamen miserae feminae furorem compescuit. Parat quidem indè insidias moliri. Vicinis Monasterij per nuntios imperat, vt nulli eorum extra Monasterij terminos iter pandatur, neque receptacula Monachis eius vel quaelibet subsidia tribuantur. Cernens beatus Columbanus regios animos aduersum se permotos, ad eos properat, vt suis monitis miserae pertinaciae intentum frangat. Erat enim tunc temporis apud Spinsiã * villam publicam. Quò cùm iam Sole occumbente venisset, Regi nuntiant, virum Dei inibi esse, nec Regis domibus metare velle. Tunc Theudericus ait; Melius esse virum Dei opportunis subsidiis honorare «

* Luxouiũ.

* al. vt erat diabolica.

* al. regiam Aulam.

* al. Spissiã

CHLOTARIVS II. THEODOBERTVS. THEODORICVS.

quàm Dominum ex seruorum eius offensa ad iracundiam prouocare. Iubet ergo A regio cultu opportuna præparare, Deique famulo dirigere. Itaque venerunt, & iuxta imperium Regis oblata offerunt. Qui cùm vidisset dapes, & pocula cultu Regio administrata, inquirit, Quid sibi de istis vellent? Dicunt illi; Tibi à Rege fuerunt directa. Abominatus ea, ait: Scriptum est, *Munera impiorum reprobat Altissimus*. Non enim dignum est, vt famulorum Dei ora cibis eius polluantur, qui non solùm ad sua, verùm etiam aliorum habitacula famulis Dei aditum denegat. His dictis, vascula omnia in frusta disrupta sunt, vináque ac sicera solo defusa, ceteráque separatim dispersa. Pauefacti ministri rei gestæ causam * Regi nuntiant. Ille pauore perculsus, cum auia diluculò ad virum Dei properat. Precantur de commisso veniam, se in postmodum emendare pollicentur. His pacatus promissionibus, ad Monasterium rediit. Sed polliciti vadimonij iura non diu seruata violantur, exercentur miseriarum incremẽta, solitáq; à Rege adulteria patrantur. Quibus auditis, beatus Columbanus literas ad eum verberibus plenas direxit, comminatúrque excommunicationem, si emendari dilatando non vellet. Ad hæc rursum permota Brunechildis, Regis animum aduersus Columbanum excitat, omníque conatu perturbare intendit, orátque Proceres Aulicos, Optimates omnes, vt Regis animum contra virum Dei perturbarent. Episcopósque sollicitare adgressa, vt de eius religione detrahendo, & statum Regulæ, quam suis custodiendam Monachis indiderat, macularent. Obtemperantes igitur Aulici regij B persuasionibus miseræ Reginæ, animum Regis contra virum Dei perturbant, cogentes vt accederet, ac religionem probaret. Adactus itaque Rex ad virum Dei Lussouium venit, cõquestúsq; cum eo, cur à cõprouincialibus moribus desisceret, & inter septa secretiora omnibus Christianis aditum non pateret. Beatus itaque Columbanus, vt erat audax atque animo vigens, talibus obiicienti Regi respon-

» dit; Se consuetudinem non habere, vt secularibus hominibus & religione alie-
» nis famulorum Dei habitationes pandant introitum; sed opportuna aptáque loca
» ad hoc habere parata, quo omnium hospitum aduentus suscipiatur. Ad hæc
» Rex: Si, inquit, largitatis nostræ munera, & solaminis supplementum capere cu-
» pis, omnibus in locis omnium patebit introitus. Vir Dei respondit: Si quod nunc vsque sub regularis disciplinæ habenis constructum * fuit, violare conaris; nec tuis muneribus, nec quibuscunque subsidiis me fore à te sustentaturum. Et si hanc
» ob causam hoc in loco venisti, vt seruorum Dei Cœnobia destruas, & regularem
» disciplinam macules: scito tuum Regnum funditus ruiturum, & cum omni pro-
» pagine regia demersurum. Quod postea rei probauit euentus. Iam enim temerario conatu Rex refectorium ingressus fuerat. His ergo territus dictis, celer * foris repedauit. Duris post hæc vir Dei increpationibus Regem arguit. Contra C
„ quem Theudericus ait: Martyrij coronam à me tibi inlaturam speras. Sed non ego
„ tantæ sum dementiæ, vt hoc tantum patrare velim scelus. Sed potioribus consi-
„ liis se agere, & vtilia patraturum, vt qui ab omnium secularium moribus discesserat *, quò venerit, ea via repedare studeat. Aulici simul consona voce vota prorumpunt: Se habere in his locis non velle, qui omnibus non socientur: Ad hæc beatus Columbanus, se, dicit, de Cœnobij septis non egressurum, nisi violenter abstrahatur. Discessit ergo Rex, relinquens virum quendam procerum * nomine Baudulfum. Hic ergo cùm remansisset, virum Dei à Monasterio pellit, & penes Vesontionem oppidum ad exulandum perducit, quoadusque ex eo regalis sententia quod voluisset decerneret. Post hæc vir Dei cernens, quòd nullis custodiis angeretur, à nullóque molestiam ferret. Videbant enim omnes in eo Dei virtutem flagrare, ideóque omnes ab eius iniuriis segregabantur, ne socij culparum forent. Ascendit ergo Dominica die in verticem ardui cacuminis montis illius. Ita enim situs vrbis habetur, cùm domorum densitas in defuso latere procliui montis sita sit, prorumpunt ardua in sublimibus cacuminibus, qui vndique ei abscisi fluminis Douæ * alueo vallante nullatenus commeantibus viam pandit. Ibique vsque ad mediam diem expectat, si aliquis iter ad Monasterium reuertendi prohibeat. Et cùm nullus contrarius existeret, ipse per mediam vrbem cum suis ad Monasterium regreditur. Quo audito, Brunechildis ac Theudericus, quòd scilicet ab exilio reuertisset, atrocioribus iræ aculeis stimulantur. Iubentes Bertharium Comitem adtentiùs perquirendum virum cum præsidio, simul-

Marginal notes:
* al. casum.
* al. constrictum.
* al. celeriter.
* al. recesserat. & discesscat.
* al. Procerem nom. Audulfum.
* al. Duuij.

CLOTHARIVS II. THEODOBERTVS. THEODORICVS.

A que & Baudulfum, quem superiùs direxerat, destinarunt. Quò cùm venissent, beatum Columbanum in Ecclesia positum, psallentémque ac orationi deditum cum omni congregatione Fratrum reperiunt, sicque virum Dei adloquuntur: Vir Dei, precamur vt tam regiis, quàm etiam nostris obedias præceptis, egressúsque eo itinere, quo primùm his aduentasti in locis. At ille, Non " enim, inquit, reor placere conditori, ad semel natale solum ob Christi timorem " relictum, denuò repedare. Cúmque nullatenus cerneret sibi virum Dei obaudi" re, relictis quibusdam, quibus ferocitas animi fortior inerat, Berthaurius abscessit. Hi verò, qui remanserant, virum Dei hortantur, vt illis misereatur, qui ad tale opus patrandum infeliciter fuerant relicti; eorúmque periculo consuleret, qui si eum violenter non abstraherent, mortis eos periculum incurrere. At ille: Se, ait, iam sæpiùs testatum esse, nisi vi abstraheretur, se non discessurum. Illi gemino vallati periculo, vndique vrguente formidine pallium, quo indutus erat, adtingunt: alij genibus prouoluti cum lacrimis precantur, vt pro tanti sceleris culpa illis ignosceret, qui non suis desideriis, sed Regis obtemperarent præceptis. Videns itaque vir Dei periculosum fore, si suæ seueritati satisfaceret, cum omni eiulatu atque mœrore egreditur, deputatis custodibus, qui quousque ditionis suæ regno pelleretur, non eum relinquerent. Inter quos primus Ragumundus erat, qui eum Nametis vsque perduxit. Sicque à Regno Theuderici expulsus, iter-
B rum Hiberniam Insulam repedare disposuit. Sed vt nullum penitus iter gradiendum fit pontificium, nisi permissu Altissimi. Ipse verò sanctus Italiam expetens, Monasterium in loco nomine Bobio construens, sanctæ conuersationis plenus dierum migrauit ad Christum.

XXXVII. ANNO regni Theuderici, cùm Alesationes, vbi fuerat enutritus, præcepto patris sui Childeberti tenebat, à Theudeberto ritu barbaro peruaditur. Vnde placitum inter hos duos Reges, vt Francorum iudicio finiretur, in Saloissa* castro instituunt. Ibique Theudericus cum scaritis tantùm x. millibus accessit: Theudebertus verò cum magno exercitu Austrasiorum, inibi prælium volens committendum, adgreditur. Quò cùm vndique Theudericus ab exercitu Theudeberti circumdaretur, coactus atque compulsus Theudericus timore perterritus, per pactionis vinculum Alsatios ad partem Theudeberti firmauit, etiam Sugintenses, & Turenses, & Campanenses*, quod sæpiùs repetebat, idémque amisisse visus est, regressi sunt vterque ad sedes proprias. His diebus & Alamanni in pago Auenticense Vltra-Iurano hostiliter ingressi sunt, ipsúmque pagum prædantes, Abbelenus & Herpinus Comites, cum ceteris de ipso pago Comitibus, cum exercitu pergunt obuiam Alamannis. vterque falangæ vvangas* iungunt ad prælium. Alamanni Trans-Iuranos superant, plurimos eorum gladio trucidant &
C prosternunt, maximam partem territorij Auenticensis incendio concremant. Plurimorum nimium hominum multitudinem exinde in captiuitatem duxerunt, reuersiq; cum præda pergunt ad propria. Theudericus contra has iniurias deinceps integra assiduitate consilium inibat, quo pacto Theudebertum potuisset opprimere. Eo anno Belechildis* à Theudeberto interficitur. Theudebertus puellam nomine Theudechildem accepit vxorem. Anno XVI. Theuderici, Theudericus Legationem ad Chlotarium dirigit, indicans se contra Theudebertum, eò quòd suus frater nō esset, hostiliter velle adgredere. Si Chlotarius in solatio Theudeberti non esset. Ducatum Denteleni*, quem contra Theudebertum cassauerat, si Theudericus Theudebertum superabat, Chlotarius supra memoratum Denteleni Ducatum suæ ditioni reciperet. Hac conuenientia à Theuderico & Chlotario, Legatis intercurrentibus, firmata, Theudericus mouet exercitum.

XXXVIII. ANNO XVII. regni Theuderici, Lingonas de vniuersis Regni sui Prouinciis, mense Madio, exercitus adunatur. Dirigénsque per Andelaum, Nasio castro capto, Tullum ciuitatem perrexit. Ibique Theudebertus cum Austrasiorum exercitu obuiā pergens, in Tullensi campania confligunt certamine. Theudericus superat Theudebertum, eiúsque exercitum prostrauit. Cæsa est de exercitu eodem prælio nimia multitudo virorum fortium. Theudebertus terga vertens, per territorium Metense veniens, transito Vosago Coloniam fugaciter peruenit. Theudericus post tergum cum exercitu insequens, beatus & Apostolicus vir Leonisius* Magancensis vrbis Episcopus, diligens vtilitatem Theuderici, &

* hod. Seltz

* Campianenses.

* al. ordines

* al. Belictdis

* al. Denzelini;

* al. Lesio

CLOTHARIVS II. THEODOBERTVS. THEODORICVS.

odiens stultitiam Theudeberti, ad Theudericum veniens dixit: Quod cœpisti, A
perfice: satis te vtiliter oportet huius rei causam expetere. Rustica fabula dicitur: Cùm lupus ascendisset in montem, & filij sui iam venare cœpissent, eos in monte ad se vocat, dicens: Quam longè oculi vestri in vnam quamque partem videre prævalent, non habetis amicos, nisi paucos qui è vestro genere sunt. Perficite igitur quod cœpistis. Theudericus cum exercitu Ardennam transiens, Tolbiacum peruenit. Theudebertus cum Saxonibus, Thoringis, vel ceteris gentibus, quas de Vltra-Renum vel vndique potuerat adunare, contra Theudericum Tolbiacum perrexit. ibique denuò commissum est prælium. Fertur à Francis, ceterisque gentibus ab antiquitus sic fortiter nec aliquando fuisse prælium conceptum. Ibique tantæ strages ab vtroque exercitu factæ sunt, vbi falangæ ingressu certaminis contra se præliabant, vt cadauera occisorum vndique non haberent vbi inclinata iacerent: sed stabant mortui inter ceterorum cadauera stricti, quasi viuentes. Sed Domino præcedente, iterum Theudericus Theudebertum superat, & à Tolbiaco vsque Coloniam exercitus Theudeberti gladio trucidatus, per loca oram terræ cooperuit. Ipsóque die Coloniam perrexit, omnésque thesauros Theudeberti inibi recepit. Dirigénsque Theudericus vltra Renum post tergum Theudeberti Bertharium Cubicularium. Qui diligenter Theudebertum insequens, cùm iam cum paucis fugeret, ipsum captum Bertharius Coloniam * in conspectum Theuderici præsentat exhibitum. Veste regali Theudebertus expoliatus, equúsque eius cum stratura regia, hoc totúmque Berthario à Theuderico conceditur. Theudebertus vinctus Cabillonno destinatur. Filius eius nomine Meroueus paruulus, iussu Theuderici adprehensus à quodam per pedem, ad petram percutitur: cerebróque eius capitis erupto amisit spiritum. Chlotarius Ducatum Denteleni, secundum conuenientiam Theuderici, integrum suæ ditioni redegit. Ob quam rem Theudericus, cùm iam totum Auster dominaret, nimia indignatione commotus contra Chlotarium exercitum mouet. *Anno* XVIII. regni sui, de Austria & Burgundia mouere præcepit, Legationem priùs dirigens, vt se Chlotarius de iam dicto Ducatu Denteleni omnimodis remoueret, alioquin nouerit se exercitu Theuderici vndique Regnum Chlotarij impleturum. Quod verbum, quemadmodum Legati nuntiant, probauit euentus. B

* al. Coloniæ

XXXIX. IPSO quoque anno iam exercitus contra Chlotarium adgrediebat. Theudericus Mettis profluuio ventris moritur. Exercitus protinus redit ad proprias sedes. Brunechildis cum filiis Theuderici quatuor, Sigoberto, Childeberto, Corbo, & Meroueo, Mettis resedens, SIGOBERTVM in Regno patris instituere nititur.

SIGOBERTVS.

XL. CHLOTARIVS factione Arnulfi & Pipini, vel ceterorum Procerum Auster ingreditur. Cúmque Antonnaco * accessisset, & Brunechildis cũ filiis Theuderici Vuarmatiæ resideret, Legatos his nominibus, Chadoindum & Herponem, ad Chlotarium direxit: contestans ei vt se de Regno Theuderici, quod filiis reliquerat, remoueret. Chlotarius respondebat, & per suos Legatos Brunechildæ mandabat: Iudicio Francorum electo *, quicquid præcedente Domino à Francis inter eosdem iudicabitur, pollicetur sese implere. Brunechildis Sigobertum seniorem filium Theuderici in Thoringiam direxit, apud quem Vuarnacharium * Maiorem domus, & Alboenum, cum ceteris Proceribus, destinauit, gentes quæ vltra Rhenum sunt adtrahere, qualiter Chlotario potuissent resistere. Post tergum indiculum direxit, vt Alboenus cum ceteris Vuarnacharium interficeret, eò quòd se in Regnum Chlotarij vellet transferre. Quem indiculum relectum, Alboenus disruptum proiecit in terram. Inuentus est à puero Vuarnacharij, super tabula cera linitus * denuò solidatur. Quo indiculo relecto, Vuarnacharius cernens se vitæ periculum habere, deinceps cogitare cœpit, quo pacto filij Theuderici oprimerentur, & in Regnum Chlotarius elegeretur. Gentes, quæ illic adtractæ fuerunt consilio secreto, de solatio Brunechildæ & filiorum Theuderici, procul fecit abesse. Exinde regressi cum Brunechilde & filiis Theuderici Burgundias adpetunt, missis per vniuersam Auster discurrentibus, exercitum mouere nitebantur. C

* al. Captonaco

* al. electorum,

* al Vuarnarium

* al. linita

XLI. BVRGVNDIÆ Farones verò tam Episcopi, quàm ceteri Leudes, timentes Brunechildem, & odium in eam habentes, cum Vuarnachario consilium ineun-

A tes tractabant, vt neque vnus ex filiis Theuderici euaderet, sed eis totis obpressis Brunechildem delerent, & Regnum Chlotario expeterent. Quod probauit euentus. Cúmque iussu Brunechildæ & Sigoberti filij Theuderici exercitus de Burgundia & Auster contra Chlotarium adgreditur. CHLOTARIVS II. SIGOBERTVS.

XLII. VENIENSQVE Sigobertus in Campaniæ * territorium Catalaunense super fluuium Axonam, ibique Chlotarius obuiam cum exercitu venit, multos iam de Austrasiis secum habens factione Vuarnacharij Maioris domus. Sicut iam olim tractauerat, consentientibus Aletheo Patricio, Roccone, Sigoaldo, & Eudilane Ducibus. Cúmque in congressu certaminis debuissent cum exercitu confligere, priusquàm prœliare cœpissent, signa dantes, exercitus Sigoberti terga vertens redit ad proprias sedes. Chlotarius paulatim, vt conuenerat, post tergum cum exercitu sequens, vsque Ararem, id est Saogonnam *, fluuium peruenit. Captis filiis Theuderici tribus, Sigoberto, Corbo, & Merouco, quem ipse de fonte excepit, Childebertus fugaciter ascendens, numquam postea fuit reuersus. Austrasiorum exercitus reuertitur propriis sedibus. Factione Vuarnacharij Maioris domus, cum reliquis maximè totis Proceribus de Regno Burgundiæ, Brunechildis ab Erpone Comestabulo de pago Vltra-Iurano ex villa Vrba *, vnà cum Theudelane germana Theuderici producitur, & Chlotario in Rionoua vico super Vincennam fluuium præsentatur. Sigobertus & Corbus, filij Theuderici, iussu Chlotarij interfecti sunt. Merouens secretiùs iussu Chlotarij in Neptriam * perducitur, eundem amplectens amore, quòd ipsum de sancto accepit lauacro, & Ingobodi Grafioni commendatur: vbi plures post annos vixit. Chlotarius, cùm Brunechildis in suo præsentaretur conspectu, & odium contra ipsam nimium haberet, reputans ei quòd decem Reges Francorum per ipsam interfecti fuissent, id est, Sigobertus, & Meroueus, & genitor suus Chilpericus, Theudebertus, & filius suus Chlotarius, item Meroueus filius Chlotarij, Theudericus, eiusdémque filii tres, qui ad præsens extincti fuerant; per triduum eam diuersis tormentis adflictam *, iubet priùs camelo per omnem exercitum sedentem perducere: post hæc comam capitis, vno pede & brachio ad vitiosissimi equi caudam ligare. ibique calcibus & velocitate cursus membratim disrumpitur. VVarnacharius in Regno Burgundiæ substituitur Maiordomus, sacramento à Chlotario accepto, Ne vnquam vitæ suæ temporibus degradaretur. In Auster * Rado idémque hunc gradum honoris adsumpsit. Firmatum est omne Regnum Francorum, sicut à priore Chlotario fuerat dominatum, cunctis thesauris ditioni Chlotarii iunioris subiectis. Quod feliciter post XVI. annos tenuit, pacem habens cum vniuersis gentibus vicinis. Iste Chlotarius fuit patientiæ deditus, litteris eruditus, timens Deum, Ecclesiarum & Sacerdotum magnus munerator, pauperibus eleemosynam tribuens, benignum se omnibus & pietate plenum ostendens, venatione ferarum nimium assiduè vtens, & postremùm mulierum & puellarum suggestionibus nimium annuens. ob hoc quidem blasphematus à leudibus.

*al. in Campaniam Catalaunensem

*al. Saucunnam,

*al. Orba,

B *al. Neptrico

*al. adfectam,

* Austria

C XLIII. CVM anno XXX. regni sui in Burgundia & Austria Regnum arripuisset, Erponem * Ducem genere Francum, loco Theudelanis * in pago Vltra-Iurano instituit. Qui dum pacem in ipso pago vehementer arripuisset sectari, malorum nugacitatem premens, ab ipsis pagensibus, instigante parte aduersa, consilio Alethei Patricii, & Leudemundi Episcopi, & Erponis Comitis, per rebellionis audaciam Erpo Dux interficitur. Chlotarius cùm in Alesatia, in villa Maurolegia * cognomento, cum Bertetrude * Regina accesserat, pacem insectans, multos iniquè agentes gladio trucidauit.

* Herpinus

*Eudelanis

*al. Maurolegio, hod. Marley.

* Berethrude

XLIV. LEVDEMVNDVS quidem Episcopus Sedunensis ad Bertetrudem Reginam veniens secretiùs, consilio Alethei Patricii verba ignominiosa dixit, quòd Chlotarius eodem anno omnimodis migraret de seculo. vt thesauros quantum poterat secretissimè ad Sedunis suam ciuitatem transferret, eò quòd esset locus tutissimus, & Aletheus esset Patricius *, qui suam relinquens vxorem, Bertetrudem Reginam acciperet, eo quòd esset regio genere de Burgundionibus, ipse post Chlotarium * posset Regnum adsumere. Regina Bertetrudis cùm hæc audisset, verens ne veritate subsisteret, in lacrimas prorumpens abiit in cubiculum. Leudemundus cernens se huiuscemodi verbis habere periculum, fugaciter per noctem Sedunis perrexit. Exinde latenter fugâ Lussouium ad domnum Austasium * Ab-

*paratus,

*al. sub Chlotario

*al. ad domnum Austrasii

CHLOTARIVS II. batem peruenit. Post hæc ab ipso Abbate cum domno Chlotario his culpis excusatur, & ad suam reuersus est ciuitatem. Chlotarius Massolaco villa cum Proceribus resedens, Aletheum ad se venire præcepit. Huius consilio iniquissimo comperto gladio, trucidare iussit. Anno XXXIV. regni Chlotarij Vuarnacharium Maioremdomus cum vniuersis Pontificibus Burgundiæ & Faronibus in Bonogellum villam ad se venire præcepit. Ibique cunctis illorum iustis petitionibus annuens, præceptionibus roborauit. A

XLV. LANGOBARDORVM gens quemadmodum tributa XII. millia solidorum ditioni Francorum annis singulis dissoluebant, referam: vel quo ordine duas ciuitates, Augustam & Siusium * cum territoriis ad partem Francorum cassauerant, non abscondam. Defuncto Clepeo summo Principe, duodecim Duces Langobardorum XII. annis sine Regibus transierunt: ipsoque tempore, sicut supra scriptum legitur, per loca in Regno Francorum proruperunt. Ea præsumptione in compositione Augustam & Siusium ciuitates, cum integro illorum territorio & populo, partibus Guntchramni tradiderunt. Post hæc Legationem ad Mauritium Imperatorem dirigunt. Hi XII. Duces, singulique Legatarios destinant, pacem & patrocinium Imperij petentes. Idémque & alios Legatarios XII. ad Guntchramnum & Childebertum destinant, vt patrocinium Francorum & defensionem habentes, XII. millia solidorum annis singulis his duobus Regibus in tributa implerent; vallem cui nomen Ametegis partibus Guntchramni cassantes *, his Legatis, vbi plus congruebat, patrocinium sibi firmarent. Post hæc integra deuotione patrocinium eligunt Francorum. Nec mora, pòst permissu Guntchramni & Childeberti tunc Autharium * Ducem super se Langobardi sublimant in Regnum. Alius Autharius idémque Dux cum integro suo Ducatu se ditioni Imperij tradidit, ibique permansit. Et Autharius Rex tributa, quæ Langobardi ad partem Francorum spondiderant, annis singulis reddidit. Post eius discessum, filius eius Ago in Regno sublimatus, similiter implesse dinoscitur. Anno XXXV. regni Chlotarij, Legati tres nobiles ex genere Langobardorum, Agilulfus, Pompegius, & Gauto *, ab Agone Rege ad Chlotarium Regem destinantur, petentes vt illa XII. millia solidorum, quos annis singulis Francorum ærariis dissoluebant, debuisset cassare, exhibentes ingeniosè secretiùs III. millia solidos: ex quibus Vuarnacharius mille, Gundelandus mille, & Chucus * mille acceperunt. Chlotario verò XXXV. millia solidorum insimul exhibebant, quos consilio suprascriptorum, qui occultè xeniati * fuerant, Chlotarius accepit, & ipsa tributa ad partem Langobardorum cassauit, & amicitiam perpetuam cum Langobardis sacramentis & pactis firmauit. B

* Segusiū

* cedentes

* al. Chlotarium

* Guto,

* al. Chunus

* al. exeniati

XLVI. ANNO XXXVI. regni Chlotarij Bertetrudis Regina moritur, quam vnico amore dilexerat Chlotarius, & omnes Leudes bonitatem eius cernentes vehementer amauerant. C

XLVII. ANNO XXXVIII. regni Chlotarij, DAGOBERTVM filium suum consortem Regni fecit, eúmque super Austrasios Regem instituit: retenens sibi quod Ardenna & Vosagus versus Neuster & Burgundiam excludebant.

XLVIII. ANNO XL. regni Chlotarii, homo nomine Samo, natione Francus, de pago Senonago *, plures secum negotiantes adsciuit, & ad exercendum negotium in Sclauos cognomento Vuinidos perrexit. Sclaui iam contra Auares cognomento Chunos, & Regem eorum Gaganum, cœperant rebellare. Vuinidi Befulci Chunis fuerant iam ab antiquitus, vt cùm Chuni in exercitu contra gentem quamlibet adgrediebant, Chuni pro castris adunato * illorum stabant exercitu: Vuinidi verò pugnabant. Si ad vincendum præualebant, tunc Chuni prædas capiendum adgrediebant. Sin autem Vuinidi superabantur, Chunorum auxilio fulti vires resumebant. Ideo Befulci * vocabantur à Chunis, eò quòd duplici in congressione certaminis vestita prœlia facientes ante Chunos præcederent. Chuni ad hiemandum annis singulis in Sclauos veniebant; vxores Sclauorum & filias eorum stratu sumebant; tributa super alias obpressiones Sclaui Chunis soluebant. Filii Chunorum, quos in vxoribus Vuinidorum & filiabus generauerant, tandem non sufferentes malitiam ferre & obpressionem, Chunorum dominationem negantes, (vt suprà memini) cœperant rebellare. Cùm in exercitu Vuinidi contra Chunos fuissent adgressi, Samo negotians, (quomodo memoraui superiùs) cum

* Sennonico,

* al. adunatum, i. st. exercitum,

* al. Præfulci

A ipsis in exercitu perrexit, ibique tanta eius fuit vtilitas, vt de Chunis nimia multitudo gladio Vuinidorum trucidaretur. Vuinidi cernentes vtilitatem Samonis, eum super se elegunt Regem, vbi XXXV. annos regnauit feliciter. Plurima prœlia contra Chunos in suo regimine Vuinidi inierunt. Suo consilio & vtilitate Vuinidi semper superarunt. Samo XII. vxores ex genere Vuinidorum habebat, de quibus XXII. filios, & XV. filias habuit. CHLOTARIVS II.

XLIX. IPSOQVE anno XL. Chlotarij Adaloaldus Rex Langobardorum, filius Agonis Regis, cùm patri suo successit in Regnum, Legatum Mauritij Imperatoris nomine Eusebium ingeniosè ad se venientem, benignè suscepit. Inunctus in balneo nescio quibus vnguentis, ab ipso Eusebio persuadetur: & post inunctionem nequicquam aliud, nisi quod ab Eusebio hortabatur, facere non poterat. Persuasus ab ipso, vt Primates nobiliores cunctos in Regno Langobardorum interficere ordinaret, eisque extinctis; se cum omni gente Langobardorum Imperio traderet. Quòd cùm iam vel XII. ex eis, nullis culpis extantibus, gladio trucidasset; reliqui cernentes eorum esse vitæ periculum,*

L. CHAROALDVM Ducem Taurinensem, qui germanam Adaloaldi Regis habebat vxorem nomine Gundebergam; omnes Seniores & nobilissimi Langobardorum gentis, conspirante consilio, in Regnum elegunt sublimandum. Adaloaldus Rex veneno hausto interiit. Charoaldus statim Regnum adripuit. Taso * vnus ex Ducibus Langobardorum, cùm ageret in Tusicana * prouincia; superbiâ elatus aduersus Charoaldum Regem cœperat rebellare. *al. Taro, vel Aso *Tuscanâ

B

LI. GVNDEBERGA Regina cùm esset pulcra aspectu, benigna in cunctis, & pietate plenissima, Christiana, elemosynis larga, præcellente bonitate eius diligebatur à cunctis. Homo quidam nomine Adalulfus, ex genere Langobardorum, cùm in Aula Palatij assiduè ad obsequium Regis conuersaretur, quadam vice ad Reginam veniens, cùm in eius staret conspectu, Gundeberga Regina eum, sicut & ceteros, diligens dixit: Honestæ staturæ Adalulfum fuisse formatum. Ille hæc audiens, ad Gundebergam secretiùs ait, dicens: Formam staturæ * meæ laudare dignasti: stratu tuo iube me subiungere. Illa fortiter denegans, eúmque despiciens, in faciem expuit. Adalulfus cernens se vitæ periculum habere, ad Charoaldum Regem protinus cucurrit, petens vt secretiùs ad suggerendum haberet locum, vbi exponeret. Quo accepto, dixit ad Regem: Domina mea, Regina tua Gundeberga apud Tasonem * Ducem secretiùs tribus diebus locuta est, vt te veneno interficeret, ipsum coniugatum sublimaret in Regnum. Charoaldus Rex his mendaciis auditis, credens, Gundebergam in Caumello * castro in vnam turrim exilio trudit. Chlotarius Legatos dirigens ad Charoaldum Regem, inquirens qua de re Gundebergam Reginam, parentem Francorum humiliasset, vt exilio retrudisset? Charoaldus his verbis mendacibus, quasi veritate subsisterent, respondit. Tunc vnus ex Legatariis nomine Ansoaldus, non quasi iniunctum habuisset, sed ex se, ad Charoaldum dixit: Liberare poteras de blasphemio causam hanc. Iube illum hominem, qui huiuscemodi verba tibi nuntiauit, armare, & procedat alius de parte Reginæ Gundebergæ, quique armatus ad singulare certamen: vt iudicio Dei his duobus confligentibus cognoscatur, vtrum huius culpæ reputationis Gundeberga sit innoxia, an fortasse culpabilis. Cúmque hoc Charoaldo Regi, & omnibus primatibus Palatii sui placuisset, iubet Adalulfum armatum conflictum adire certaminis; & de parte Gundebergæ, procurrentibus consobrinis Gundebergæ, & Hariberto, homo nomine Pitto contra Adalulfum armatus adgreditur. Cúmque conflixissent certamine, Adalulfus à Pittone interficitur. Gundeberga statim de exilio post annos III. regressa sublimatur in Regnum. *al. status mei *Asonem *al. Camello

C

LII. ANNO XLI. Chlotarii Regis, cùm Dagobertus iam vtiliter regnaret in Auster, quidam ex Proceribus de gente nobili Ayglolfinga nomine Chrodoaldus * in offensam Dagoberti cadens, instigantibus beatissimo viro Arnulfo Pontifice, & Pippino Maiore domus, seu & ceteris prioribus * sublimatis in Auster, eò quòd esset ipse Chrodoaldus rebus plurimis ditatus, ceterarum facultatum cupiditate peruasor, superbiæ deditus, elatione plenus, nec quicquam boni in ipso reperiretur. Cúmque Dagobertus ipsum iam vellet pro suis facinoribus interficere, Chrodoaldus ad Chlotarium terga vertit, vt suam cum filio vitam obtinere *al. Charoaldus, & Rodoaldus *al. primoribus

CHLOTARIVS II. dignaretur. Chlotarius cùm Dagobertum vidisset, inter ceteras conlocutiones Chrodoaldi vitam precatur. Dagobertus promittens, si id quod malè gesserat emendaret, Chrodoaldus vitæ periculum non haberet. Sed nulla extante mora, cùm Chrodoaldus cum Dagoberto Treueris accessisset, iussu Dagoberti interfectus est. Cui Bertharius homo Scarponensis euaginato gladio ad ostium cubiculi caput truncauit. A

LIII. ANNO XLII. regni Chlotarij, Dagobertus cultu regio & iussu patris honestè cum Leudibus in Clippiaco, non procul Parisius venit, ibique germanam Sichildæ Reginæ nomine Gomadrudem in coniugium accepit. Transactis nuptiis, die tertio inter Chlotarium & filium suum Dagobertum grauis orta fuit intentio. Petebat enim Dagobertus cuncta, quæ ad Regnum Austrasiorum pertenebant, suæ ditioni velle recipere. quod Chlotarius vehementer denegabat, eidem ex hoc nihil velle concedere. Electi sunt ab his duobus Regibus XII. Franci, vt eorum disceptatione hæc finiretur intentio. Inter quos & domnus Arnulfus * Pontifex Mettensis cum reliquis Episcopis elegitur, vt benignissimè, (sicut sua erat sanctitas) inter patrem & filium pro pacis loqueretur concordia. Tandem à Pontificibus vel sapientissimis viris Proceribus, pater pacificatur cum filio. Reddénsque ei solidatum, quod aspiciebat ad Regnum Austrasiorum, hoc tantum exinde, quod citra Ligerem vel Prouinciæ partes situm erat, suæ ditioni retenuit.

* al. Charnulfus

LIV. ANNO XLIII. regni Chlotarij, Vuarnacharius Maiordomus moritur. Filius eius Godinus animum leuitate imbutus, nouercam suam Bertanem eo anno accepit vxorem. Vnde Chlotarius Rex aduersus eum nimio furore permotus, iubet Arneberto Duci, qui Godini germanam vxorem habebat, eum cum exercitu interficeret. Godinus cernens suæ vitæ habere periculum, terga vertens cum vxore ad Dagobertum Regem perrexit in Auster, & in Ecclesia S. Apri regio timore perterritus fecit confugium. Dagobertus per Legatos pro eius vita sæpius Chlotario Regi deprecabatur. Tandem à Chlotario promittitur Godino vita concessa, tantum vt Bertanem, quam contra Canonum instituta vxorem acceperat, relinqueret. Qui cùm ipsam reliquisset, reuersus est in Regnum Burgundiæ. Berta
» continuò ad Chlotarium perrexit, dicens: Si Godinus conspectui Chlotarij præ-
» sentaretur, ipsum Regem vellet interficere. Godinus iussu Chlotarij per præcipua loca sanctorum domni Medardi Suessionis, & domni Dionysij Parisius, ea præuentione sacramenta daturus adducitur, vt semper Chlotario deberet esse fidelis, vt congruè locus esset repertus, quo pacto separatus à suis interficeretur. Chramnulfus vnus ex Proceribus, & Vualdebertus Domesticus, dicentes ad Godinum, vt Aurelianis in Ecclesia sancti Aniani, & Toronis ad limina sancti Martini, ipsáque sacramenta adhuc impleturus adiret. Quod cùm in suburbano Carnotis Chramnulfo indicante & transmittente, hora prandij in quamdam villulam venisset, ibiq; Chramnulfus & Vualdebertus super ipsum cum exercitu inruunt, eúmque interficiunt, & eos qui cum ipso adhuc restiterant, quosdam interficiunt, aliósque expoliatos in fugam vertentes relinquunt. Eo anno Palladius, eiúsque filius Senocus * Episcopus Elosanus *, incusante Aighinane Duce, quòd rebellionis Vuasconorum fuissent conscij, exilio retruduntur. Boso filius Audoleni de pago Stampensi, iussu Chlotarij ab Arneberto Duce interficitur, reputans ei stuprum cum Regina Sichilde. Eo anno Chlotarius cùm Proceribus & Leudibus Burgundiæ Trecassinis * coniungitur, cùm eorum esset sollicitus, si vellent iam Vuarnachario discesso alium in eius honoris gradum sublimare. Sed omnes vnanimiter denegantes, nequaquam se velle Maioremdomus elegere, Regis gratiam obnixè petentes cum Rege transagere. C

* al. Seducus, & Sidocus
* al. Tolosanus,
* Trecas suis

LV. ANNO XLIV. regni Chlotarij, cùm Pontifices & vniuersi Proceres regni sui tam de Neuster quàm de Burgundia Clippiaco ad Chlotarium pro vtilitate regia & salute patriæ coniunxissent, ibique homo nomine Ermenarius, qui gubernator Palatii Chariberti filii Chlotarii erat, à pueris Æghinanis genere Saxonorum optimatis interficitur. Penè fuerat exinde nimia multorum strages secuta, nisi præsentia * Chlotarii interueniente simul & occurrente fuisset depressum. Æghyna in monte Mercomire *, iubente Chlotario, resedit, plurium secum habens multitudinem pugnatorum. Produlfus * auunculus Chariberti exercitum

* al. patientia
* al. Mercuri,
* al. Brunulfus

vndique

A vndique colligens, super ipsum cum Chariberto volebat inruere. Chlotarius ad Burgundiæ Farones specialiùs iubet, vt cuius pars suum volebat deuertere* iudicium, eorum instantia & vtilitate obpremeretur. Ea pactione vterque iussione regia pacantur.

DAGOBERTVS. CHARIBERTVS.

* al. diuertere.

LVI. ANNO XLV. regni sui Chlotarius moritur, & in suburbano Parisius in Ecclesia sancti Vincentij sepelitur. DAGOBERTVS cernens genitorem suum fuisse defunctum, vniuersis Leudibus, quos regebat in Auster, iubet cum exercitu promouere. Missos in Burgundiam & Auster direxit, vt suum deberent regimen elegere. Cúmque Remis venisset, per suggestiones* accedens, omnes Pontifices & Leudi de Regno Burgundiæ inibi se tradidisse noscuntur. Sed & Neustrasiæ Pontificum & Procerum plurima pars Regnum Dagoberti visi sunt expetisse. CHARIBERTVS* frater suus nitebatur, si potuisset Regnum adsumere: sed eius voluntas pro simplicitate parum sortitur effectum. Produlfus* vellens nepotem stabilire in Regnum, aduersus Dagobertum muscipulare cœperat. Sed huius rei vicissitudinem probauit euentus.

* al. Suessionas per accedens.

* Aribertus

* Brodulfus, Rudulfus, & Brunulfus.

LVII. CVMQVE Regnum Chlotarij tam Neptrici* quàm Burgundiæ à Dagoberto fuisset præoccupatum, captis thesauris & suæ ditioni redactis: tandem misericordia motus, consilio sapientum vsus, citra Ligerem & limitem Spaniæ, qui ponitur partibus Vuasconiæ, seu & montes Pyrenæos, pagos & ciuitates fratri suo Chariberto ad transagendum, quod ad instar priuato habitu ei viuendum potuisset sufficere, noscitur concessisse. Pagum Tholosanum, Caturcinum, Agennensem, Petrocoreum, & Santonicum, vel quod ab his versus montes Pyrenæos excluditur, hoc tantum Chariberto regendum concessit. quod & per pactionis vinculum strinxit, vt amplius Aribertus nullo tempore aduersus Dagobertum de Regno patris repetere præsumeret. Aribertus sedem Tholosanam elegens, regnat in parte prouinciæ Aquitanicæ*. Post annum tertium cùm regnare cœpisset, totam Vuasconiam cum exercitu superans suæ ditioni redegit, aliquantulúmque largiorem fecit Regni sui spatium.

* Neptricium

B

* Equitanicæ.

LVIII. DAGOBERTVS cùm iam anno VII. regnaret, maximam partem Regni patris, (vt supra memini) assumpsit, Burgundias ingreditur. Tanto timore Pontifices & Proceres in Regno Burgundiæ consistentes, seu & ceteros Leudes aduentus Dagoberti concusserat, vt à cunctis esset mirandus. Pauperibus iusticiam habentibus gaudium vehementer inrogauerat. Cúmque Lingonas ciuitatem venisset, tantam in vniuersis Leudibus suis tam sublimibus quàm pauperibus iudicabat iustitiam, vt crederetur omninò fuisse Deo placibile, vbi nullum intercedebat præmium, nec personarum acceptio, nisi sola dominabatur iusticia, quam diligit Altissimus. Deinde adgressus Diuionem, imóque & Latonâ resedens aliquantis diebus, tantam intentionem ad vniuersum Regni sui populum iustitiâ iudicandum posuerat. Huius benignitatis desiderio plenus, nec somnum capiebat oculis, nec cibo satiabatur, intentissimè cogitans vt omnes cum iustitia recepta de conspectu suo læti remearent. Eodem die, quo de Latona ad Cabillonnum deliberarat properare, priusquàm lucesceret balneum ingrediens, Brudulfum* auunculum fratris Ariberti* interficere iussit, qui ab Amalgario & Arneberto Ducibus, & VVillibado Patricio interfectus est. Cúmque Cabillonnum iustitiæ amore, quam cœperat, perficiendæ Dagobertus intentione dirigit: post per Augustidunum, Autesioderum pergens, per ciuitatem Senonas Parisius venit, ibique Gomadrudem Reginam in Romiliaco villa, vbi ipsam in matrimonium acceperat, relinquens, eò quòd esset sterilis, cum consilio Francorum Nanthildem* vnam ex puellis de Monasterio in matrimonium accipiens, Reginam sublimauit. Vsque eodem tempore ab initio, quo regnare cœperat, consilio primitus beatissimi Arnulfi Mettensis vrbis Pontificis, & Pippini Maiorisdomus vsus, tanta prosperitate Regale regimen in Auster regebat, vt à cunctis gentibus immenso ordine laudem haberet. Timorem verò sic fortem sua concusserat vtilitas, vt iam deuotione arriperent suæ se tradere ditioni: vt etiam gentes, quæ circa limitem Auarorum & Sclauorum consistebant, eum promptè expeterent, vt ille post tergum eorum iret feliciter, & Auaros & Sclauos, ceteráśque gentium nationes, vsque manu publica, suæ ditioni subiciendum fiducialiter spondebat. Post discessum beati Arnulfi, adhuc consilium Pippini Maiorisdomus, &

C

* al. Rudulfum, & Brunulfum

* Chariberti

* Nantechildem

DAGOBERTVS. CHARIBERTVS. Huniberti* Pontificis vrbis Coloniæ vtens, & ab ipso fortiter admonitus, tanta A prosperitate & iustitiæ amore complexus vniuersas sibi subditas gentes, vsque dum ad Parisius (vt suprà memini) peruenit, regebat, vt nullus de Francorum Regibus præcedentibus sua laude fuisset præcellentior.

* al. Chuniberti

LIX. ANNO VIII. regni sui, cùm Auster regio cultu circuiret, quamdam puellam nomine Ragnetrudem stratui suo adsciuit: de qua eo anno habuit filium nomine SIGIBERTVM.

LX. REVERTENS in Neptrico*, sedem patris sui Chlotarij deligens, assiduè resedere disposuit. Cùm omnis iustitiæ, quam prius dilexerat, fuisset oblitus, cupiditatis instinctu super rebus Ecclesiarum & Leudium sagaci desiderio vellet omnibus vndique spoliis nouos implere thesauros. Luxuriæ super modum deditus. Nam tres habebat maximè ad instar Reginas, & plurimas concubinas. Reginæ verò hæ fuerunt; Nanthildis, Vulfgundis, & Berthildis. Nomina concubinarum, eò quòd plures fuissent, increuit* huic Chronicæ inseri. Quod cùm auersum fuisset pluries cor eius (sicut suprà meminimus) & à Deo cogitatio eius recessisset, tamen postea, atque vtinam illi ad mercedem * veram lucri fuisset. Nam & eleemosynam pauperibus supra modum largiter erogabat. Si huius rei sagacitatem cupiditatis instinctus non præpedisset, regnum (creditur) meruisset æternũ.

* Neustriã
* i. piguit.
* al. mercedis veræ studio fuisset.

LXI. CVM Leudes sui eius nequiciam gemerent, hoc cernens Pippinus, cùm esset cautior cunctis, & consiliosus valde, plenissimus fide, ab omnibus dilectus B pro iusticiæ amore, qua Dagobertum consiliosè instruxerat, dum suo vsus fuerat consilio: sibi tamen necquicquam oblitus iustitiam, neque recedens à via bonitatis, cùm ad Dagobertum accederet, prudenter agebat in cunctis, & cautum se in omnibus ostendebat. Zelus Austrasiorum aduersus eumdem vehementer suggerebat, vt etiam ipsum conarentur cum Dagoberto facere odiosum, vt potiùs interficeretur. Sed iusticiæ amor, & Dei timor, quem diligenter amplexerat, ipsum liberauit à malis. Ipse verò eo anno cum Sigiberto *filio Dagoberti* ad Haribertum Regem accessit.

LXII. CHARIBERTVS Aurelianis veniens, Sigibertum de sancto lauacro excepit. Æga verò à ceteris Neptrasiis consilio Dagoberti erat assiduus. Eo anno Legati Dagoberti, quos ad Heraclium Imperatorem direxerat, nominibus Seruatus * & Paternus, ad eundem reuertuntur, nunciantes pacem perpetuam cũ Heraclio firmasse. Acta verò miraculi, quæ ab Heraclio facta sunt, nõ prætermittam.

* Seruatius

LXIII. HERACLIVS cùm esset Patricius super vniuersas Africæ Prouincias, & Focas, qui tyrannico ordine Mauritium Imperatorem interfecerat, Imperium adreptus * nequissimè regeret, & modo amentiæ thesauros in mare proiceret, dicens: Quòd Neptuno munera daret; Senatores cernentes, quòd vellet Imperium per stulticiam destruere, factione Heraclij Focatem adprehensum Senatus, manibus & pedibus truncatis, lapide ad collum ligato, in mare proiiciunt. Heraclius consensu Senatus Imperio sublimatur, cùm infestatione Persarum Imperium à temporibus Mauricij & Focatis Imperatorum multæ Prouinciæ fuissent vastatæ.

* al. arreptus, & adeptus

LXIV. MORE solito denuò contra Heraclium Imperatorem Persarum Rex C cum exercitu surgens, Calcidona ciuitatem nec procul à Constantinopoli vastantes Persi Prouinciæ Reipub. peruenissent, eámque rumpentes incendio concremauerunt. Post hæc Constantinopolim sedem Imperij propinquantes, destruere conabantur. Egrediens cum exercitu Heraclius obuiam, Legatis discurrentibus, Heraclius Imperatorem Persarum petiit nomine Cosdroen*, vt hij duo Imperatores singulari certamine coniungerent, suspensa procul vtriusque exercitus multitudine. Cuius victoria præstabatur ab Altissimo, imperium huius, qui vincebatur, & populum inlæsum reciperet. Imperator Persarum huius conuenientiæ se egressurum ad prœlium singulari certamine spondidit. Heraclius Imperator arma sumens, telam prœlij & falangem à suis post tergum præparatam relinquens, singulari certamine, vt nouus Dauid, procedit ad bellum. Imperator Persarum Cosdroes Patricium quemdam ex suis, quem fortissimum in prœlio cernere potuerat, huius conuenientiæ ad instar pro se contra Heraclium prœliandum direxit. Cúmque vterque cum equis * hii duo congressione prœlii in inuicem propinquarent, Heraclius ait ad Patricium, quem Imperatorem Persarum Cosdroen æstimabat, dicens: Sic conuenerat, vt singulari certamine prœliando debuissemus confligere: Quare post tergum tuum alii sequuntur? Patri-

* al. Construem, & Costrum,
* al. equitibus

A cius ille girans caput, vt conspiceret, qui post tergum eius venirent, Heraclius equum calcaneo vehementer vrguens, extrahens vxum *, caput Patricii Persarum truncauit. Cosdroes Imperator cum Persis deuictus & confusus, terga vertens à suis propriis tyrannico ordine ipse interficitur. Persæ terga vertentes, ad sedes remeant proprias. Heraclius euectu nauali cum exercitu Persas ingreditur, totámque Persidam suæ ditioni redegit, captis exinde multis thesauris, & VII. Arnitis *, tribus annis circiter Persida vastata eius ditioni subicitur. Post hæc denuo Persæ * Imperatorem super se creant.

DAGOBERTVS. CHARIBERTVS.

* al. gladiũ

* al. Aeltis, Aeltiarnitis, & Vuælharnetis

* al. Persas Imperator superat

LXV. HERACLIVS Imperator erat speciosus conspectu, pulcra facie, status forma dignæ mensuræ, fortissimus ceteris, pugnator egregius. Nam & sæpe Leones in arenis, & inermis plures singulus interfecit. Cùm esset literis nimiè eruditus, Astrologus efficitur, per quod cernens à circumcisis gentibus diuino nutu Imperium esse vastandum, Legationem ad Dagobertum Regem Francorum dirigens, petens vt omnes Iudæos Regni sui ad fidem Catholicam baptizandum præciperet. Quod protinus Dagobertus impleuit. Heraclius per omnes prouincias Imperii taliter idémque facere decreuit. Ignorabat vnde hæc calamitas contra Imperium surgeret.

LXVI. AGARENI, qui & Saraceni, (sicut Orosii liber testatur) gens circumcisa, à latere montis Caucasi super mare Caspium terram Hercolei * cognomento iam olim consedentes, cùm in nimia multitudine creuissent, tandem arma sumentes prouincias Heraclii Imperatoris ad vastandum inruunt. Contra quos Heraclius milites ad resistendum direxit. Cúmque prœliare cœpissent, Saraceni milites superant, eósque gladio grauiter trucidant. Fertur in eo prœlio CL. millia militum à Saracenis fuisse interfecta. Spolia eorum Saraceni per Legatos Heraclio recipiendum offerunt. Heraclius cupiens super Saracenos vindictam, nihil ab his recipere voluit. Congregata vndique de vniuersis prouinciis Imperii nimia multitudine militum, transmittens Heraclius Legationem ad portas Caspias, quas Alexander Magnus Macedo super mare Caspium æreas fieri & serrare iusserat, propter inundationem gentium sæuissimarum, quæ vltra montem Caucasi culminis habitabant; casdem portas Heraclius aperire præcepit, indéque CL. millia pugnatorum, auróque locatos, in auxilium suum contra Saracenos prœliandum mittit. Saraceni duos habentes Principes, CC. fere millia erant. Cúmque castra nec procul inter se exercitus vterque posuissent, ita vt crastino bellum inirent, confligentes, eadem nocte gladio Dei Heraclii exercitus percutitur: in castris LV. * millia ex militibus Heraclii in stratu mortui sunt. Cúmque in crastino ad prœlium debuissent adgredere, cernentes eorum exercitum milites partem maximam diuino iudicio interfectum, aduersus Saracenos nec ausi sunt inire prœlium. Regressus omnis exercitus Heraclii ad proprias sedes. Saraceni, more quo cœperant, prouincias Heraclii Imperatoris assiduè vastare pergebant. Cùm iam Hierosolymam propinquassent, Heraclius videns quòd eorum violentiæ non potuisset resistere, nimiæ amaritudinis mœrore adreptus infelix Euticianam hæresim iam sectans, Christi cultum relinquens, habens vxorem filiam sororis suæ, à febre vexatus crudeliter vitam finiuit. Cui successit in Imperii gradum Constantinus filius eius, cuius tempore pars publica * à Saracenis nimium vastatur.

B

* al. Ercoliæ

* al. L. & II.

C

* i. Respub. Rom.

LXVII. ANNO IX. regni Dagoberti, Charibertus Rex moritur, relinquens filium paruulum nomine Chilpericum, qui nec post moram defunctus est. Fertur factione Dagoberti fuisse interfectus. Omne Regnum Chariberti vna cum VVasconia Dagobertus protinus suæ ditioni redegit. Thesauros quoque Chariberti Barontum * Ducem adducendum & sibi præsentandum direxit. Vnde Barontus graue dispendium fecisse dinoscitur. vna cum thesaurariis faciens, nimium exinde fraudulenter subtraxit.

* al. Barontio Duci

LXVIII. Eo anno Sclaui cognomento VVinidi in Regno Samonis, negotiantes Francorum cùm plurima multitudine interfecissent, & rebus expoliassent: hoc fuit initium scandali inter Dagobertum & Samonem Regem Sclauorum *. Dirigens quemdam Dagobertus Sicharium Legatarium ad Samonem, petens vt negotiantes, quos sui interfecerant, aut res inlicitè vsurpauerant, cum iustitia faceret emendare. Samon nolens Sicharium videre, nec ad se eum venire permit-

* Sclauinorum.

DAGOBERTVS. A

teret; Sicharius vestem indutus ad instar Sclauorum, cum suis ad conspectum peruenit Samonis: vniuersa quæ iniuncta habuerat, eidem nunciauit. Sed vt habet gentilitas & superbia prauorum, nihil à Samone, quæ sui admiserant, est emendatum, nisi tantum placita vellens instruere, vt de his & aliis intentionibus, quæ inter partes ortæ fuerant, iustitia redderetur in inuicem. Sicharius sicut stultus Legatus, verba improperij, quæ iniuncta non habuerat, & minas aduersus Samonem loquitur, eo quòd Samo & populi Regni sui Dagoberto deberent seruire. Samo respondens iam saucius dixit: Et terram, quam habemus, Dagoberti est; & nos sui sumus, si tamen nobiscum disposuerit amicitias conseruare. Sicharius dixit: Non est possibile, vt Christiani & Dei serui cum canibus amicitias conlocare possent. Samo è contrario dixit: Si vos estis Dei serui, & nos sumus Dei canes; dum vos assiduè contra ipsum agitis, nos permissum accepimus vos morsibus lacerare. Eiectus est Sicharius de conspectu Samonis. Cùm hæc Dagoberto nunciasset, Dagobertus superbiter iubet de vniuerso Regno Austrasiorũ contra Samonem & VVinidos mouere exercitũ. Vbi tribus turmis falangæ super VVinidos exercitus ingreditur: etiam & Langobardi sollicitatione Dagoberti idémq; hostiliter in Sclauos perrexerũt. Sclaui his & aliis locis è contrario præparantes *, Alamannorum exercitus cum Chrodoberto Duce in parte, qua ingressus est, victoriam obtenuit. Langobardi idémque victoriam obtenuerunt, & plurimum numerum captiuorũ de Sclauis Alamanni & Langobardi secum duxerunt. Austrasij verò cùm ad castrũ Vogastense *, vbi plurima manus fortium VVinidorum immorauerat, circumdantes, triduo prœliantes, plures ibidem de exercitu Dagoberti gladio trucidantur, & exinde fugaciter omnes tentoria & res, quas habuerunt, relinquentes, ad proprias sedes reuertuntur. Multis posthæc vicibus VVinidi in Thoringiam, & reliquos vastando pagos in Francorum Regnum inruunt: etiam & Deruanus Dux gentis Vrbiorum, quæ ex genere Sclauorum * erant, & ad Regnum Francorum iam olim aspexerant, se ad Regnum *Samoni cum suis tradidit*. Istámque victoriam, quam VVinidi contra Francos meruerunt, *non tantùm Sclauinorum* fortitudo obtenuit, quantum dementatio Austrasiorum, dum se cernebant cum Dagoberto odium incurrisse, & assiduè expoliarentur. B

* al. reparantes,

* al. Votatensem, & Vocastinsem,

* Sclauinorum

LXIX. Eo anno Charoaldus * Rex Langobardorum Legatos ad Hisacium Patricium secretiùs mittens, rogat vt Tasonem Ducem prouinciæ Thoscanæ, quo poterat ingenio, interficeret. Huius beneficij vicissitudine tributa, quæ Langobardi de manu publica * recipiebant, tria centenaria auri annis singulis, vnde vnum centenarium auri Charoaldus Rex partibus Imperij de præsente cassaret. Hisacius * Patricius hoc audiens, tractabat quibus ingeniis hæc potuisset implere. Tasonem ingeniosè mandans, dum in offensa Charoaldi Regis erat, cum ipso amicitias oblegaret: ipse verò contra Charoaldum Regem ei auxiliaretur. Tali præuentus est fraude: Rauennam pergit. Hisacius ei obuiam mandans, *præ timore* Imperatoris Tasonem cum suis infra muros Rauennæ vrbis armatum non audebat recipere. Cúmque Taso credens, arma suorum foris vrbem relinquens, in Rauennam fuisset ingressus; statim qui fuerant præparati, super Tasonem inruunt, & ipsum & suos totos, qui cum eo venerant, interficiunt. Charoaldus Rex vnum centenarium auri, sicut promiserat, partibus Hisacij & Imperij cassauit; duo tantum centenaria deinceps à parte Langobardorum à Patricio Romanorum annis singulis implentur. Vnus centenarius centum libras auri capit. Post hæc continuò Charoaldus Rex moritur. C

* al. Chrodoaldus

* i. Imperio Rom.

* Isacius

LXX. GVNDEBERGA Regina, eò quòd omnes Langobardi ei fidem cum sacramentis firmauerant, Chrotarium * quemdam, vnum ex Ducibus, de territorio Brissia ad se venire præcepit, compellens vt vxorem, quam habebat, relinqueret, & eam in matrimonium acciperet, per ipsam omnes Langobardi eum sublimarent in Regnum. Quod Chrotharius libenter consentiens, sacramentis per loca Sanctorum firmans, ne vnquam Gundebergam postponeret, nec de honore gradus aliquid minueret, ipsámque vnico amore diligens in omnibus honorem præstaret condignè. Gundeberga attrahente, omnes Langobardorum Primates Chrotharium sublimant in Regnum. Chrotharius cùm regnare cœpisset, multos nobilium Langobardorum, quos sibi senserat contumaces, interfecit. Chrotharius fortissimam disciplinam, & timorem in omni Regno Langobar-

* Chrothacharius

A dorum, pacem sectans fecit. Chrotharius oblitus sacramenta, quæ Gundebergæ dederat, eámque in vnum cubiculum Ticini in Aula Palatij retrudit, eámque ad priuatum habitum viuere fecit. Quinque annis sub ea retrusione finitur*. Chrotharius per concubinas baccatur assiduè. Gundeberga verò, eò quòd esset Christiana, in hac tribulatione benedicebat Deum omnipotentem, ieiuniis & orationibus assiduè peruacans.

DAGOBERTVS. *al. tenetur.

LXXI. QVANDO Deo complacuit, Aubedo Legatarius directus à Chlodoueo* Rege causa Legationis ad Chrotharium Regem Langobardorum, vsque Papiam cognomento Ticinum ciuitatem Italiæ peruenisset, cernens Reginam, quam sæpius in Legatione veniẽs viderat, & ab ipsa benignè semper susceptus fuerat, fuisse retrusam, quasi iniunctum habens exinde inter cetera Chrothario Regi suggessit, quòd illam parentem Francorum, quam Reginam habuerat, per quam etiam Regnum adsumpserat, non debuisset humiliare: multùm exinde Reges Francorum & Franci essent ingrati. Quam Chrotharius de præsente reuerentiam Francorum habens, iubet egredi foras: & post v. circiter annos per totam ciuitatem & foris Gundeberga regali ordine per loca Sanctorum ad orationem adgreditur*. De villis & opibus fisci, quas habuerat Chrotharius, ei restaurare præcepit. Quod vsque diem obitus sui, & gradu dignitatis, & operibus pluribus ditata, regio cultu pòst feliciter tenuit. Aubedo verò à Gundeberga Regina fortiter remuneratur. Chrotharius cum exercitu Genauam maritimam, Albinganum, Varicottim*, Saunam, Vbitergium, & Lunam, ciuitates in littore maris de Imperio auferens vastat, rumpit, incendio concremans: populum deripit, spoliat, & captiuitate condemnat. Muros ciuitatibus subscriptis vsque ad fundamentum destruens, vicos has ciuitates nominare præcepit.

*al. Chlothario. *al. egreditur. B *al. Varicottisaunã.

LXXII. Eo anno in Auarorum cognomento Chunorum Regno in Pannonia surrexit vehemens intentio, eò quòd de Regno certarent, cui deberetur ad succedendum. Vnus ex Auaris, & alius ex Bulgaris, collecta multitudine vterque in inuicem impugnarunt. Tandem Auari Bulgaros superant. Bulgaris superatis, IX. millia virorum cum vxoribus & liberis de Pannonia expulsi ad Dagobertum expetunt, petentes vt eos in terra Francorum ad manendum reciperet. Dagobertus iubet eos hiemandum Baiouarios recipere, dum modo pertractabat cum Francis, quid exindè fieret. Cúmque dispersi per domos Baiouariorum ad hiemandum fuissent, consilio Francorum Dagobertus Baiouarios iubet, vt Bulgaros illos cum vxoribus & liberis vnusquisque in domo sua in vna nocte Baiouarij interficerent. Quod protinus à Baiouariis est impletum. nec quisquam ex illis remansit Bulgaris, nisi tantùm Altiaus* cum DCC. viris, & vxores cum liberis, qui in marca VVinidorum saluatus est. Post hæc cum VVallaco* Duce VVinidorum annis plurimis vixit cum suis.

*al Alticeus, vel, Alciocus. *al. VValloco, VValluco. & VValduco.

LXXIII. Eo anno quid partibus Spaniæ, vel eorum Regibus contigerit, non prætermittam. Defuncto Siseboto Rege clementissimo, cui Senzila* ante annum circiter successerat in Regnum: cùm esset Senzila nimiùm in suis iniquus, & cum omnibus Regni sui Primatibus odium incurreret, cum consilio ceterorum Sisenandus quidam ex Proceribus ad Dagobertum expetiit, vt ei cum exercitu auxiliaretur, qualiter Senzilanem degradaret à regno. Huius beneficij repensionem missorium aureum nobilissimum ex thesauris Gothorum, quem Thorsemodus* Rex ab Aëtio Patricio susceperat, Dagoberto dare promisit, pensantem auri pondus quingentos. Quo audito, Dagobertus, vt erat cupidus, exercitum in auxilium Sisenandi de toto Regno Burgundiæ bannire* præcepit. Cúmque in Spania deuulgatum fuisset, exercitum Francorum auxiliandum Sisenando adgredere, omnis Gothorum exercitus se ditioni Sisenandi subegit. Habundantius & Venerandus cum exercitu Tholosano tantum vsque Cæsaraugustam ciuitatem cum Sisenando accesserunt. Ibique omnes Gothi de Regno Spaniæ Sisenandum sublimãt in Regnum. Habundantius & Venerandus cum exercitu Tholosano muneribus honorati, reuerterunt ad proprias sedes. Dagobertus Legationem ad Sisenandum, Amalgarium Ducem, & Venerandum dirigit, vt missorium illum, quem promiserat, eidem dirigeret. Cúmque à Sisenando Rege missorius ille Legatariis fuisset traditus, à Gothis per vim* tollitur, nec eum exinde exhibere permiserunt. Postea discurrentes Legati CC. millia solidorum pro missorij huius pretio Dago-

C *al. Sintila. *Tursemodus & Thurismodus. *i. conuocare, cogere. *al. viam. *al. abstrahere.

DAGOBERTVS. bertus à Sisenando accipiens, ipsum pensauit. A

LXXIV. ANNO X. regni Dagoberti, cùm ei nuntiatum fuisset, exercitum Vuinidorum Thoringiam fuisse ingressum, cum exercitu de Regno Austrasiorum de Mettis vrbe promouens, transita Ardenna Maganciam magno cum exercitu adgreditur, disponens Renum transire, scaram de electis viris & fortibus de Neuster & Burgundia, cum Ducibus & Grafionibus secum habens. Saxones missos ad Dagobertum dirigunt, petentes vt eis tributa, quæ fisci ditionibus dissoluebant, indulgeret. Ipsi verò eorum studio & vtilitate Vuinidis resistendum spondent, & Francorum limitem de illis partibus custodire promittunt. Quod Dagobertus consilio Neustrasiorum adeptus præstitit. Saxones, qui huius petitionis suggerendum venerant, sacramentis (vt eorum mos erat) super arma placata pro vniuersis Saxonibus firmant. Sed parum hæc promissio sortitur effectum; tamen tributum Saxones, quod reddere consueuerant, per præceptionem Dagoberti habent indultum. Quingentas vaccas inferendales annis singulis à Chlotario seniore censiti reddebant. quod à Dagoberto cassatum est.

LXXV. ANNO XI. regni Dagoberti, cùm Vuinidi iussu Samonis fortiter sæuirent, & sæpè transcenso eorum limite Regnum Francorum vastando Thoringiam & reliquos pagos ingrederentur; Dagobertus Mettis vrbem veniens, cum consilio Pontificum, seu & Procerum, omnibúsque Primatibus Regni sui consentientibus, SIGIBERTVM filium suum in Auster Regnum sublimauit, sedémque B Mettis ciuitatem habere permisit. Hunibertum * Coloniæ vrbis Pontificem, & Adalgiselum Ducem Palatij, ad Regnum gubernandum instituit. Thesaurum, quod sufficeret, filio tradens, condignè (vt decuit) eum huius culmine sublimauit, & quodcumque eidem largitus fuerat, sigillatim præceptionibus roborandum decreuit. Deinceps Austrasii eorum studio limitem & Regnum Francorum contra Vuinidos vtiliter defensare noscuntur.

* Chunibertum

LXXVI. CVMQVE anno XII. regni Dagoberti, eidem *filius nomine* CHLODOVEVS de Nanthilde Regina natus fuisset, consilio *Neustrasiorum*, eorúmque admonitione, per pactionis vinculum cum Sigiberto filium suum firmare dinoscitur, & Austrasiorum omnes primati *, Pontifices, ceterique Leudes Sigiberti, manus eorum ponentes insuper sacramentis firmauerunt, vt Neptricum & Burgundia solidato ordine ad Regnum Chlodouei post Dagoberti discessum aspiceret. Auster vero idémque ordine solidato, eo quòd & de populo & de spatio terræ esset coæquans, ad Regnum Sigiberti idémque in integritate deberet aspicere, & quicquid ad Regnum Austrasiorum iam olim pertineret, hoc Sigibertus Rex suæ ditioni regendum reciperet, & perpetuò dominandum haberet, excepto Ducatu Denteleni *, qui ab Austrasiis iniquiter abstultus fuerat, iterum ad Neustrasios subiungeretur, & Chlodouei regimini subiceretur. Sed has pactiones Austrasii terrore Dagoberti coacti, vellent nollent, firmare visi sunt. quod postea temporibus Sigiberti & Chlodouei Regibus conseruatum fuisse constat. C

* al. primarij,

* al. Danzileni,

LXXVII. RADVLFVS Dux filius Chamari, quem Dagobertus *Toringiæ* Ducem instituit, pluribus vicibus cum exercitu Vuinidorum dimicans, eósque victos vertit in fugam. Huius victoriæ superbia elatus, & contra Adalgiselum Ducem diuersis occasionibus inimicitias tendens, paulatim contra Sigibertum iam tunc cœperat rebellare. Sed, vt dictum est, sic agebat: qui diligit rixas, meditatur discordias.

LXXVIII. ANNO XIV. regni Dagoberti, cùm VVascones fortiter rebellarent, & multas prædas in Regno Francorum, quod Charibertus tenuerat, facerent, Dagobertus de vniuerso Regno Burgundiæ exercitum promouere iubet, statuens eis caput exercitus, nomine Chadoindum Referendarium, qui temporibus Theuderici quondam Regis multis prœliis probabatur strenuus. Quo cum, X. Duces cum exercitibus, id est, Arimbertus, Amalgarius, Leudebertus, VVandalmarus, VValdericus, Ermenricus, Barontus, Ariardus * ex genere Francorum, Ramlenus * ex genere Romanorum, VVillibadus * Patricius ex genere Burgundionum, Agino * ex genere Saxonum, exceptis Comitibus plurimis, qui Ducem super se non habebant, in VVasconiam cum exercitu perrexissent, & tota VVasconiæ patria ab exercitu Burgundiæ fuisset repleta, VVascones de intermontium rupe egressi ad bellum properant. Cúmque prœliare cœpissent, (vt eo-

* al. Chairardus * al. Ramelenus, & Chramnelenus, * al. VVillibaldus * Aygina, & Æginno

A rum mos erat) terga vertentes, dum cernerent se esse superandos, in faucibus vallium montis Pyrenæi latebram dantes, se locis tutissimis per rupes eiusdem montis conlocantes latitarunt. Exercitus post tergum eorum cum Ducibus insequens, plurimo numero captiuorum VVascones superatos, seu & ex his multitudine interfectis, omnes domus eorum incensas, pecuniis * & rebus expoliant. Tandem VVascones obpressi seu perdomiti, veniam & pacem à suprascriptis Ducibus petentes, promittunt se gloriæ & conspectui Dagoberti Regis præsentaturos, & suæ ditioni traditos cuncta ab eodem iniuncta impleturos. Feliciter hic exercitus absque vlla læsione ad patriam fuerunt repedati. Sed Arimbertus Dux maximus cum senioribus & nobilioribus exercitus sui per neglegentiam à VVasconibus in valle Subolano * fuit interfectus. Exercitus verò Francorum, qui de Burgundia in VVasconia accesserat, parta victoria redeunt ad proprias sedes. Dagobertus ad Clippiacum residens, mittit nuncios in Brittaniam, vt quæ Brittones malè admiserunt, velociter emendarent, & ditioni suæ se traderent. Alioquin exercitus Burgundiæ, qui in VVasconia fuerat, de præsente in Brittanias debuisset inruere. Quod audiens Iudicaile Rex Brittanorum, cursu veloci Clippiacum cum multis muneribus ad Dagobertum perrexit, ibique veniam petens cuncta, quæ sui Regni Brittaniæ pertenentes Leudibus Francorum inlicitè perpetrauerant, emendandum spondidit, & semper se & Regnum, quod regebat, Brittaniæ

B subiectum ditioni Dagoberti & Francorum Regibus esse promisit. Sed tamen cum Dagoberto ad mensam vel ad prandium discumbere noluit, eò quòd esset Iudicaile religiosus & timens Deum valde. Cúmque Dagobertus resedisset ad prandium, Iudicaile egrediens de Palatio, ad mansionem Dadonis Referendarij, quem cognouerat sanctæ religionis sectantem, accessit ad prandium. Indéque in crastino Iudicaile Rex Brittanorum Dagoberto valedicens, in Brittaniam repedauit. condignè tamen à Dagoberto muneribus honoratus. Anno xv. regni Dagoberti, VVascones omnes seniores terræ illius, cum Ainando * Duce ad Dagobertum Clippiacum venerunt, ibique in Ecclesia sancti Dionysii regio timore perterriti confugium fecerunt. Clementia Dagoberti vitam habent indultam. Ibique sacramentis VVascones firmantes simul & promittentes, se omni tempore Dagoberto, & filiis suis, Regnóque Francorum esse fideles. Quod more solito, sicut semper, fefellerunt, vt post hæc probauit euentus. Permissu Dagoberti VVascones regressi sunt in terram VVasconiæ.

LXXIX. Anno xvi. regni sui Dagobertus profluuio ventris in Spinogelo villa super Segona * fluuio nec procul à Parisius, ægrotare cœpit: exinde ad Basilicam sancti Dionysii à suis defertur. Post paucos dies cùm suæ vitæ sentiret periculum, Aeganem sub celeritate ad se venire præcepit, se iam discessurum sentiens,

C Reginam Nanthildem & filium suum Chlodoueum eidem in manu commendans, consilium Aeganæ pergratum habens, quòd cum eius instantia Regnum strenuè gubernare possit. His gestis, post paucos dies Dagobertus emisit spiritum, sepultúsque est in Ecclesia sancti Dionysii, quam ipse priùs condignè ex auro & gemmis & multis pretiosissimis speciebus ornauerat, & condignè in circuitu fabricare præceperat, patrocinium ipsius pretiosum expetens. Tantæ opes ab eodem, & villæ, & possessiones multæ per plurima loca, ibi sunt conlatæ, vt miraretur à plurimis. Psallentium ibidem ad instar Monasterij Sanctorum Agaunensium instituere iusserat. Sed facilitas Abbatis Aigulfi eamdem institutionem noscitur refragasse. Post Dagoberti discessum, filius suus Chlodoveus sub tenera ætate Regnum patris adsciuit. Omnes Leudes de Neuster & Burgundia eum Massolaco villa sublimant in Regnum. Aega verò cum Regina Nanthilde, quam Dagobertus reliquerat, regebat Palatium.

LXXX. Æga verò anno primo regni Chlodouei, imminente secundo eiusdem Regni anno, condignè Palatium gubernat, & Regnum. Ipse namque inter ceteros Primates Neptrici prudentiùs agens, & plenitudine sapientiæ imbutus, cunctis erat præcellentior. Erátque genere nobili, opibus abundans, iustitiam sectans, eruditus in verbis, paratus in responsis: tantummodo à plurimis blasphematur, eò quòd esset auaritiæ deditus. Facultates plurimorum, quæ iussu Dagoberti in Regno Burgundiæ & Neptrico inlicitè fuerant vsurpatæ, & fisci ditionibus contra modum iustitiæ redactæ, consilio Aeganis * omnibus restaurantur.

Dagobertus.

* al. peculiis

* al. Subola, & Rubola

* al. Amando

* Sequana

* al. Aegynanæ

CHLODOVEVS II. SIGIBERTVS.

LXXXI. Eo anno Constantinus Imperator moritur. Constans filius eius sub tenera ætate consilio Senatus Imperio sublimatur. Idem eius tempore grauissimè à Saracenis vastatur Imperium. Hierosolima à Sarracenis capta, ceteræque ciuitates euersæ sunt. Ægyptus superior & inferior à Saracenis peruaditur. Alexandria capitur, & prædatur. Africa tota vastatur, & à Saracenis possidetur. Paululum ibiq; Gregorius Patricius à Saracenis est interfectus. Constantinopolis tantùm cum Thraciana prouincia, & paucis insulis, etiam & Romana prouincia, Imperij ditioni remanserant. Nam maximè totum Imperium à Saracenis grauiter fuit adtritum. Etiam & in postremum Imperator Constans constrictus atque compulsus, effectus est Sarracenorum tributarius, vt vel Constantinopolis cum paucis prouinciis & insulis suæ ditioni reseruaretur. Tribus annis circiter, & fertur adhuc amplius, per vnumquemque diem mille solidos auri ærariis Sarracenorum Constans implebat. Tandem resumptis viribus, Constans Imperium aliquantisper recuperans, tributa Sarracenis implendum refutat. Quemadmodum hoc factum fuisset, euentum anno, in quo impletum est, in ordine debitum referam, & scribere non silebo: donec de his & aliis optata, si permiserit Deus, perficiam, huic libello cuncta mihi ex veritate cognita inseram. A

LXXXII. Eo anno Sentila * Rex Spaniæ, qui Sisenando in Regno successerat, defunctus est. Huius filius nomine Tolga sub tenera ætate Spaniæ petitione patris sublimatur in Regno. Gothorum gens impatiens est, quando super se forte iugum non habuerit. Huius Tolganis adulescentia omnis Spania more solito vitiatur, diuersa committens insolentia. Tandem vnus ex Primatib. nomine Chintasindus, collectis plurimis Senatoribus Gothorum, ceteróque populo, in Regno Spaniæ sublimatur. Tolganem degradatum ad honos * Clericati tonsorare fecit. Qui cùm omnem Spaniam suæ ditioni firmasset, cognito more * Gothorum, quem de Regibus degradandis habebant, vnde sæpius cum ipsis in consilio fuerat, quoscumque ex eis huius vitij promptum contra Reges, qui à Regno expulsi fuerant, cognouerat fuisse noxios, totos singillatim iussit interfici, aliósque exilio condemnare, eorúmque vxores & filias suis fidelibus cum facultatibus tradit. Fertur de Primatibus Gothorum hoc vitium reprimendo cc. fuisse interfectos. de mediocribus ccccc. interficere iussit. Quoadusque hunc morbum Gothorum Chintasindus cognouisset perdomitum, non cessauit, quos in suspicione * habebat, gladio trucidare. Gothi verò à Chintasindo perdomiti, nihil aduersus eumdem ausi sunt, vt de Regibus consueuerant, inire consilium. Chintasindus cùm esset plenus dierum, filium suum nomine Richisindum in omne Regnum Spaniæ Regem stabiliuit. Chintasindus pœnitentiam agens, elemosynam multam de rebus propriis faciens, plenus senectute, fertur nonagenarius mortuus. B

*al. Sintela, & Sintilla.

*al. honus. i. honorem.

*al. morbo

*al. suspectione.

LXXXIII. Anno III. regni Chlodouei Regis, Aega in Clippiaco villa vexatus à febre moritur. Ante paucos dies Ermenfridus, qui filiam Aeganis vxorem acceperat, Ainulfum * Comitem in Albiodero vico in mallo interfecit. Ob hanc rem grauissima strages de suis rebus, iussione & permissu Nanthildæ, à parentibus Ainulfi & populo plurimo fitur. Ermenfredus in Auster Remis ad Basilicam sancti Remedij fecit confugium; ibique diebus plurimis, hanc infestationem deuitando, & regio timore, resedit. C

*al. Chaaulfum.

LXXXIV. Post discessum Aeganæ Erchinoaldus Maiordomus, qui consanguineus fuerat de genere * Dagoberti, Maiordomus Palatij Chlodouei efficitur. Erat homo patiens, & bonitate plenus. Cùm esset sapiens & cautus, humilitatem & benignam voluntatem circa Sacerdotes, omnibus patienter & benignè respondens, nulláque tumens superbia neque cupiditate sæuiebat. Tantæ in suo tempore pacis sectans fuit, vt Deo esset placabile. Erat sapiens, sed inprimis cum simplicitate, rebus mensuratè * ditatus, ab omnibus erat dilectus. Igitur post discessum Dagoberti Regis, quo ordine eius thesauri inter filios diuisi fuerant, non omittam: sed dilucidato ordine huic volumini inserere procurabo.

*al. genetrice.

*al. mensuratim.

LXXXV. Cvm Pipinus Maiordomus post Dagoberti obitum, & ceteri Duces Austrasiorum, qui vsque in transitu Dagoberti suæ fuerant ditioni retenti, Sigi-

A bertum vnanimi conspiratione experissent; Pipinus cum Chuniberto *, sicut & prius, amicitiæ cultu in inuicem conlocati fuerant, & nuper sicut & prius amicitiâ vehementer se firmiter in perpetuo conseruanda obligant, omnésque Leudes Austrasiorum secum vterque prudenter & cum dulcedine adtrahentes, eos benignè gubernantes, eorum amicitiam constringunt semperque seruandam. Igitur discurrentibus Legatis, partem Sigiberto debitam de thesauris Dagoberti, à Nanthilde Regina & Chlodoueo Rege ad Sigibertum requiritur. Ad quod reddendum placitus instituitur. Chunibertus * Pontifex vrbis Coloniæ, & Pipinus Maiordomus, cum aliquibus Primatibus Austrasiæ à Sigiberto directi Compendium villam vsque perueniunt, ibique thesaurus Dagoberti, iubente Nanthilde & Chlodoueo, instantiâ Æganæ Maiorisdomus præsentatur, & æquilanciâ * diuiditur. Tertiam tamen partem, de quibus Dagobertus adquæsierat, Nanthildis Regina receperat. Chunibertus & Pipinus hunc thesaurum, quæ pars fuit Sigiberti, Mettis faciunt perducere, Sigiberto præsentare, & describere. Post verò anni circulum Pipinus moritur, nec paruum dolorem eiusdem transitus cunctis generauit in Auster, eò quòd ab ipsis pro iustitiæ cultu & bonitate eiusdem dilectus fuisset.

CHLODOVEVS II. SIGEBERTVS.

* al. Vniberto.

* al. Vnibertus.

* al. æquâ lance.

LXXXVI. GRIMOALDVS filius eius, cùm esset strenuus, ad instar patris diligebatur à plurimis. Otto quidam filius Beronis * Domestici, qui baiolus Sigiberti ab adolescentia fuerat, contra Grimoaldum superbiâ tumens, & zelum ducens, B eumque despicere conaretur; Grimoaldus cum Chuniberto Pontifice se in amicitiam constringens, cœperat cogitare, quo ordine Otto de Palatio eiiceretur, & gradum patris Grimoaldus adsumeret.

* al. Vronis, Vironis, Eronis, Aronis.

LXXXVII. CVMQVE anno VIII. Sigibertus regnaret, Radulfus Dux Toringiæ vehementer contra Sigibertum rebellandum disposuisset, iussu Sigiberti omnes Leudes Austrasiorum in exercitum gradiendum banniti sunt. Sigibertus Renum cum exercitu suo transiens, gentes vndique de vniuersis Regni sui pagis vltrà Renum cum ipso adunatæ sunt. Primo in loco filium Chrodoaldi nomine Farum, qui cum Radulfo vnitum habebat consilium, exercitus Sigiberti trucidans rupit, ipsúmque interfecit. Omnem populum huius Fari, qui gladium euasit, captiuitati deputant. Omnes Primates & exercitus dextras in inuicem dantes, vt nullus Radulfo vitam concederet. Sed hæc promissio non sortitur effectum. Sigibertus deinde Bugoniam * cum exercitu transiens, Thoringiam properans, Radulfus hoc cernens, castrum lignis munitum in quodam monte super Vnestrode * fluuio in Toringia construens, exercitum vndique, quantum plus potuit, colligens, cum vxoribus & liberis in hoc castrum ad se defendendum stabiliuit. Ibique Sigibertus cum exercitu Regni sui veniens, castrum vndique circumdat exercitu. Radulfus verò intrinsecus ad prœlium fortiter præparatus sedebat. Sed hoc prœlium sine consilio initum est. Hæc adolescentia Sigiberti Regis patrauit, cùm alij eodem die vellent procedere ad bellum, & alij in crastino, nec vnitum habentes consilium: C Grimoaldus & Adalgiselus Duces hæc cernentes, Sigiberti periculum zelantes, eum vndique sine intermissione custodiunt. Bobo Dux Aruernus cum parte exercitus Adalgiseli, & Ænoualaus Comes Sogiontensis * cum pagensibus suis, & cetera exercitus manus plurima, contra Radulfum ad portam castri protenus pugnandum perrexerunt. Radulfus cùm aliquibus Ducibus exercitus Sigiberti fiduciam haberet, quòd super ipsum non voluissent viribus inruere, de castro per portam prorumpens, super exercitum Sigiberti cum suis inruens, tantâ strages à Radulfo cum suis de exercitu Sigiberti fitur, vt mirum fuisset. Magancenses in hoc prœlio non fuerunt fideles; fertur ibique plurima millia hominum fuisse gladio trucidata. Radulfus patrata victoria in castrum ingreditur. Sigibertus cum suis fidelibus graui amaritudinis mœrore adreptus, super equum sedens, lacrimas oculis prorumpens, plangebat quos perdiderat. Nam & Bobo Dux, & Nauualaus *, & ceteri nobilium fortissimi pugnatores, seu & plurima manus exercitus Sigiberti Regis, qui cum ipsis in congressione certaminis sunt adgressi, conspiciente Sigiberto in hoc prœlio fuerunt trucidati. Nam & Freudolfus * Domesticus, qui amicus Radulfo fuisse dicebatur, in hoc prœlio occubuit. Sigibertus eadem nocte, nec procul ab ipso castro, in tentoriis cum suo mansit exercitu. In crastino videntes quòd Radulfo nihil præualuissent, missis discurrentibus, vt

* al. Buchoniam, sc. siluam.

* al. Vnstrado.

* al. Sigiontensis.

* al. Innoualaus, & Ænoualaus

* Fredulfus

CHLODOVEVS II. SIGIBERTVS.

pacificè Renum iterum transmearent, cum Radulfi conuenientia Sigibertus & eiusdem exercitus ad proprias sedes remeant. Radulfus superbia elatus, ad modum Regis in Toringia se esse censebat, amicitias cum VVinidis firmans, ceterísque gentibus, quas vicinas habebat, cultum amicitiæ obligabat. In verbis tamen Sigiberto regimen non denegabat. Nam in factis fortiter eiusdem resistebat dominationi. A

LXXXVIII. ANNO X. regni Sigiberti, Otto, qui aduersus Grimoaldum inimicitia per superbiam tumebat, factione Grimoaldi à Leuthario Duce Alamannorum interficitur. Gradus honoris Maiorisdomus in Palatio Sigiberti, & omni Regno Austrasiorum, in manu Grimoaldi confirmatus est vehementer.

LXXXIX. ANNO IV. regni Chlodouei, cúmque Nanthildis Regina cum filio suo Chlodoueo Rege post discessum Aeganæ Aurelianis in Burgundiæ Regnum venisset, ibíque omnes Seniores, Pontifices, Duces, & Primates de Regno Burgundiæ ad se venire præcepit. Ibique cunctos Nanthildis singillatim adtrahens, Flaocatus * genere Francus Maiordomus in Regno Burgundiæ, electione Pontificum & cunctorum Ducum, à Nanthilde Regina & hoc gradu honoris stabilitur, neptémque suam nomine Ragnobergam * Flaocato desponsauit. Sponsaliæ hæ nescio qua factione fiunt. Nam alium consilium secretè Flaocatus & Nanthildis Regina machinabant; quem creditur non fuisse Deo placabilem, ideóque non mancipauit * effectum. Cúmque Erchinoaldus & Flaocatus Maioresdomi inter se quasi vnum inissent consilium, consentientes ad inuicem, hunc gradus honorem, alterutrum solatium præbentes, disponunt habere feliciter. Flaocatus cunctis Ducibus de Regno Burgundiæ, seu & Pontificibus, per epistulas, etiam & sacramentis firmauit, vnicuique gradum honoris & dignitatem, seu & amicitiam perpetuò conseruare. Hac dignitate sublimatus Flaocatus Regnum Burgundiæ peruagatur, consilium assiduè iniens, priorem inimicitiam, qua cordis archana diu celauerat, memorans, Vvilibadum Patricium interficere disponebat. B

* al. Flaochadus.

* al. Ragnebertam, & Ragimbertam.

* nactum est.

XC. VVILLIBADVS cùm esset opibus abundans, & plurimorum facultates ingeniis diuersis abstollens, ditatus inclitè fuisset, & inter Patriciatus gradum & nimias facultates elationi superbiæ esset deditus, aduersus Flaocatum tumebat, eúmque despicere conabatur. Flaocatus collectis secum Pontificibus & Ducibus de Regno Burgundiæ, Cabillonno pro vtilitate patriæ tractandum mense Madio placitum instituit, ibique & Vuillebadus multitudinem secum habens aduenit. Flaocatus ibidem Vuillebadum interficere nitebatur. Hæc cernens Vuillebadus, Palatium noluit introire. Flaocatus foris contra Vuillebadum præliandum adgreditur. Amalbertus verò germanus Flaocati ad pacandum intercurrens, vbi iam in congressione certaminis configi debuerat, Vuillebadus Amalbertum secum retenens de hoc euasit periculo. intercurrentibus & ceteris personis separantur inlæsi. Flaocatus deinceps vehemẽter minabat * consilium de interitu Vuillebadi. Eo anno Nanthildis Regina moritur. Eodémque anno mense *Septembrio* Flaocatus cum Chlodoueo Rege, & Erchinoaldo idémque & Maioredomus, & aliquibus Primatibus Neustrasiis, de Parisiaco promouens pér Senonas & Autisioderum, Augustidunum accesserunt, ibiq; Chlodoueus Vuillebadum Patricium ad se venire præcepit. Vuillebadus cernens inimicum consilium à Flaocato & germano suo Amalberto, Amalgario & Ramneleno * Ducibus de suo interitu fuisse initum; colligens secum plurimam multitudinem de Patriciatus sui termino, etiam & Pontifices, seu nobiles & fortes, quos congregare potuerat, Augustidunum gradiendum iter arripuit. Cui obuiam à Chlodoueo Rege, Erchinoaldo Maioredomus, & Flaocato, Ermenricus Domesticus dirigitur, eo quòd Vuillebadus trepidabat, vtrum accederet, an suum deuitando periculum repedaret, vt ab Ermenrici promissione præuentus vsque Augustidunum adgrederetur. Quem ille credens, dignis * muneribus honorauit. Post tergum eius Augustidunum accessit, ibique tentoria cum suis nec procul ab vrbe posuit, eodémque die, quo ibidem peraccesserat, Aigulfum * Valentiæ vrbis Episcopum, & Gisonem Comitem, ad præuidendum quæ agebantur, Augustidunũ direxerat, qui à Flaocato in vrbe detenti sunt. In crastino Flaocatus, Amalgarius, & Chramnelenus *, qui consilium de interitu Vuillebadi vnanimiter conspirauerant, de vrbe Augu- C

* al. inibat, vel, terminabat.

* Chramleno.

* al. condignè.

* Ailulfum, & Aigiulfu

* Ramelenus.

A stiduno maturiùs promouentes, vtrique * Duces de Regno Burgundiæ cum exercitu eius subiunguntur. Erchinoaldus cum Neustrasiis, quos secum habebat, idémque arma sumens, ad hoc bellum adgreditur. Vuillebadus contra tela prœlij construens, *quoscumque poterat adunare, falanges vterque in congressione certaminis iungit ad prælium. In ea pugna flaocatus, Amalgarius, & Chramnelenus, itémque Vualdebertus, Duces cum suis in congressione certaminis contra Villebádum pugnando confligunt. Nam ceteri Duces vel Neustrasij, qui vndique eosdem debuerant circumdare, se tenentes * aspiciebant, expectantes euentum, super Vuillebadum noluerunt inruere. Ibique Vuillebadus interficitur: plurimi cum ipso de suis gladio trucidantur. In eo certamine ceteris primus Bertharius Comes Palatij, Francus de pago Vltra-Iurano, contra Vuillebadum confligit. Aduersus quem frendens Manaulfus Burgundio, exiens de inter ceteris cum suis aduersus Bertharium præliandum, Bertharius, eo quòd priùs illi amicus fuisset, dicens; Veni sub clypeum meum, de hoc periculo te liberabo. Cúmque ad eum liberandum clypeum eleuasset, Manaulfus cum conto Bertharium in pectore percutiens, ceteri qui cum eo venerant ipsúmque circumdantes, eò quòd Bertharius nimiùm reliquis præcessisset; vulneratur grauiter. Tunc Aubedo * filius Bertharij cernens patrem in periculo mortis, cursu velocissimo patri auxiliandum perrexit, Manaulfum conto percussum in pectore in terram prostrauit, ceteros

B qui patrem percusserant, totos interfecit. Sic Bertharium suum genitorem, vt fidelis filius, præstante Domino, liberauit à morte. Hi verò Duces, qui cum eorum exercitu super Vuillebado inruere noluerant, tentoria Vuillebadi, Episcoporum, vel ceterorum qui cum eo venerant, deprædando, plurimùm inibi auri & argenti capiunt: reliquas res & equites * ab his, qui præliare noluerant, percepti sunt. His ita gestis, Flaocatus in crastino Augustiduno promouens, Cabillonnum perrexit. Ingressus in vrbem, in crastino vrbs nescio quo casu maximè tota incendio concrematur. Flaocatus iudicio Dei percussus vexatur à febre, conlocatur in scafa, euectu nauali per Ararim fluuium, (qui cognominatur Sagonna*) Latonam properans, in itinere vndecimo die post Vuillebadi interitum amisit spiritum, sepultúsque est in Ecclesia sancti Benigni suburbano Diuionensi. Creditur à plurimis, hij duo Flaocatus & Vuillebadus, eò quòd multa in inuicem per loca Sanctorum de amicitiis obligandis sacramenta dederant, & vterque populos sibi subiectos cupiditatis instinctu iniquè obpresserant, simul & à rebus nudauerant, quod iudicium Dei de eorum obpressione plurimam multitudinem liberasset, & eorum perfidia & mendacia eos vtrumque interire fecissent.

XCI. IGITVR Chlodoueus filius Dagoberti ex genere alienigenarum Reginam accipiens nomine Baldechildem *, prudentem atque elegantem, genuit ex ea filios tres, Chlotharium, Childericum, & Theodoricum: habebátque Maioremdomus Palatij virum strenuum atque sapientem nomine Erchoaldum *. Chlodo-

C ueus itaque in Regno pacem habuit absque bello. In extremis verò vitæ annis amens effectus, vita caruit, regnauítque annos XVIII.

XCII. FRANCI quoque CHLOTHARIVM filium eius Maiorem in Regno statuunt, cum præfata Regina matre. Eodem quoque tempore mortuus est Erchanualdus Maiordomus Palatij. Franci autem in incerto vacillantes, accepto consilio Ebruinum in huius honoris curam ac dignitatem statuunt.

XCIII. HISCE diebus Chlotharius Rex à valida febre correptus obiit in iuuentute, regnauítque annos quatuor. THEODORICVS verò frater in Austrasia à Francis in Regnum eleuatus est apud VVulfoaldum Ducem.

XCIV. EO tempore Franci aduersus Ebruinum insidias præparant, contra Theodoricum insurgunt, eúmque à Regno deiiciunt: crines capitis eius abscindentes totonderunt, Ebroinúmque & ipsum tondunt, & in Burgundiam Luxouium Monasterium inuitum dirigunt. Propter CHILDERICVM verò in Auster Legationem mittunt, vnà cum Vulfoaldo Duce venientem, eúmque super cunctum Regnum suscipiunt.

XCV. ERAT enim ipse Childericus Rex leuis atque citatus nimis, gentem Francorum in seditionem mittens, & in scandalum ac derisum: donec odium non modicum inter ipsos creuit vsque ad scandalum & ruinam. Quo ingrauescen-

CHLODOVEVS II. SIGIBERTVS.
* al. ceterique.
* al. sumẽs.
* al. retenentes.
"
* al. Chaubedo.
* al. equi.
* Saocǒna.
HVC VSQVE CODEX FREDEGARII CAPITALIBVS LITERIS EXARATVS.
* Balthildẽ
* Erchanualdum.
CHLOTHARIVS III.
THEODORICVS.
CHILDERICVS.

THEODORICVS. te, vnum Francum nobilem, nomine Bodilonem, ad stipitem tentum cædere contra legem præcepit. Videntes hæc Franci, ira magna commoti, Ingolbertus videlicet & Amalbertus, vel reliqui maiores natu Francorum, seditionem contra ipsum Childericum concitauerunt. Memoratus Bodilo super eum cum reliquis quamplurimis surrexit insidiaturis, & Regem in Lauchonia sylua, vna cum Regina prægnante, nomine Bilihilde (quod dici dolor est) interfecit. Vulfoaldus autem Dux per fugam lapsus euasit, & in Austriam reuersus est. Franci verò Leudesium filium Erchonualdi nobilem in Maiorisdomus dignitatem statuunt per consilium beati Leudegarij & sociorum eius. A

XCVI. EBRVINVS audiens has dissensiones, consilio accepto, Francos inuicem discordantes, conuocatis in auxilium sociis, personis quamplurimis, cum multo comitatu exercituum, à Luxouio Cœnobio egressus in Franciam regreditur, vsque Issam * fluuium veniens accessit, custodes dormientes interfecit ad sanctam Maxentiam, atque Issam fluuium transiens, quos ibi inuenit de insidiatoribus suis occidit. Leudesius Maiordomus vna cum thesauris Regis per fugam dilapsus euasit: atque Abaciuo villa euadens aufugit: ibique adueniente Ebruino, thesauros quos ibi reperit, apprehendit. Inde egressus Criscecum villam veniens, in Pontio * Leudesium subdolè fidem promittit, simulans fefellit. Facto placito, vt coniuratione facta cum pace discederet. Sed Ebruinus fallaciter agens (vt solebat) compatri suo insidias præparans, ipsum Leudesium occidit, Regem THEODORICVM in Regnum restituit, ipse suum Principatum sagaciter restaurauit. Sanctum Leudegarium Episcopum crudelissimis tormentis cæsum, gladio perimi iussit: Girenum germanum eius diuerso tormento trucidauit. Reliqui viri Franci eorum socij per fugam lapsi, Ligerem trangressi, vsque Vuascones confugerunt. quamplurimi verò exilio damnati vltra non comparuerunt. B

* al. Isaram

* al. Pōtiuo

XCVII. IN Austria quoque mortuo Vulfoaldo Duce, Martinus Dux, & Pippinus filius Ansigisili quondam Franci nobilis, dominabantur. *Defunctis* * Regibus, commissis inuicem Principibus Ebruino, Martino, atque *Pippino*, aduersus Theodoricum Regem excitantur ad bellum. Commoto exercitu ad locum, cui vocabulum est Locofico, interim commissi prælium ineunt, ibique magno certamine dimicantes, plurima pars populi ex vtrisque partibus corruit. Deuicti cum sociis Martinus atque Pippinus in fugam lapsi sunt; persecutúsque eos Ebroinus, maximam partem de illa regione vastauit. Martinus autem Laudunum Clauatum ingressus, se infra muros ipsius vrbis muniuit. Persecutúsque eum Ebroinus, veniens Ertreco * villa, ad Laudunum Clauatum nuncios dirigit, Ægilbertum ac Regulum Remensis vrbis Episcopum, vt fide promissa in incertum super vacuas capsas sacramenta falsa dederint. Qua in re ille credens eos, à Lauduno Clauato egressus, cum sodalibus ac sociis ad Ertrecum * veniens cum sociis omnibus interfectus est.

* Decedentibus.

* Ertreco, vel, Ercheco.

* Ercrecum

XCVIII. EBRVINVS quoque magis atque profusiùs crudeliter Francos opprimebat, donec tandem aliquando Ermenfrido Franco minas * parat, résque proprias tollere disponit. Consilio cum suis patrato, nocte collecta manu sociorum, per noctem super eum consurgens, Ebruinum interfecit. Quo perempto, ad Pippinum Ducem in Austriam cum muneribus suis peruenit. Quo facto, Franci accepto consilio, Vuaradonem illustrem virum loco eius in honorem Maiorisdomus constituerunt. Idcircò præfatus Vuarado obsides à Pippino Duce accipiens, pacem inuicem patrauerunt. Erat id temporis memorato Vuaradoni filius valde efficax atq; industrius, eruditus in consilio, qui vice patris curam Palatij gerebat, nomine Gislemarus, qui ob nimiam calliditatem ac sagacitatem patrem ab honore proprio supplantauit. Quem sanctus Audoenus Episcopus sæpiùs ob hoc increpabat, vt ad pacem vel patris indulgentiam remearet. Qui audire renuit, & in duritia cordis permansit. Fuerunt igitur inter Pippinum & præfatum Gislemarum discordiæ multæ, bella ciuilia plurima. Nam ad castrum Manucum * contra hostem Pippini Ducis Gislemarus consurgens, fraudulenter falso iuramento dato, quamplurimos eorum nobiles viros occidit. Inde verò reuersus, ob supplantationem patris, vel aliam malitiam non modicam, quam fallaciter perpetrauerat, à Deo percussus prædictus Gislemarus, vt dignus erat, iniquissimum fudit spiritum. Illóque mortuo, pater eius Vuarado honorem pristinum Maiorisdomus recepit. C

* Gall. des menées.

XCIX.

A XCIX. Eo tempore beatus Audoinus Episcopus plenus virtutibus migrauit ad Dominum. In illo itidem tempore Vuarado præfatus Maiordomus obiit. Erátque ei matrona nobilis & strenua nomine Ansfledis, cuius gener nomine Bertharius honorem Maiorisdomus Palatij suscepit. Erátque statura paruus, intellectu modicus, leuis atque citatus, Francorum amicitiam atque consilia sæpè contemnens. Hæc indignantes Franci, Audrannus, Reolus, & alij multi, relinquentes Bertharium, ad Pippinum per obsides coniunguntur, amicitias copulant, super Bertharium vel reliquam partem Francorum concitant. THEODORICVS.

C. PIPPINVS commoto exercitu hostiliter ab Austria consurgens, contra Theodoricum Regem & Bertharium properat ad bellum. Coniuncti in oppido Vermandensi, in loco qui dicitur Textricio, bellum mutuò gesserunt. Præualente Pippino cum Austrasiis, Theodoricus Rex cum Berthario fugam iniit. Pippinus victor extitit, persecutúsque eam regionem sibi subiugauit. Sequenti tempore idem Bertharius ab adulatoribus falsis amicis interfectus est, instigante Ansflede matrona, socru sua. Post hæc autem Pippinus Theodoricum Regem accipiens cum thesauris, & domum Palatij, omnia peragens in Austriam remeauit. Erátque ei vxor nobilis & prudentissima nomine Plichtrudis, genuitque ex ea filios duos. Nomen senioris Drogo *, nomen verò iunioris Grimoaldus.

*al. Drocus

CI. MORTVVS est autem Theodoricus Rex, regnauit autem annos XIV. CHLODOVEVS.

B CHLODOVEVM filium eius paruulum elegerunt in Regnum. Non post multos verò annos prædictus Rex Chlodoueus ægrotans mortuus est. Regnauit autem annos IV. CHILDEBERTVS frater eius in Regnum resedit. Drocus verò à Pippino genitore eruditus, Ducatum Campanensem accepit. Grimoaldus iunior cum Childeberto Rege Maiordomus Palatij super Francos electus est; fuitque vir mitissimus, omni bonitate & mansuetudine repletus, largus in eleemosynis, in orationibus promptus. CHILDEBERTVS.

CII. PIPPINVS contra Ratbodum Ducem gentilem Frisionum gentis aduersus alterutrum bellum intulerunt, castro Dorestate, illic belligerantes inuicem. Pippinus victor extitit, fugatóque Ratbodo Duce cum Frisionibus, qui euaserant, idem Pippinus cum multis spoliis & præda reuersus est. Post hæc Drocus filius Pippini à valida febre correptus mortuus est, & sepultus in Basilica beati Arnulfi Confessoris, in Mettis vrbe. Grimoaldus quoque ex quadam concubina genuit filium, nomine Theudoaldum.

CIII. IGITVR præfatus Pippinus aliam duxit vxorem nobilem & elegantem, nomine Alpheidam, ex qua genuit filium. Vocauitque nomen eius lingua propria* Carolum. Creuitque puer elegans, atque egregius effectus est.

*i. vernacula, patria, sc. Theotisca, Karl.

CIV. Mortuus est his diebus Childebertus Rex, & sepultus Cauciaci in Basilica sancti Stephani Martyris. Regnauit autem annos XIII. DAGOBERTVS filius eius sedem Regni patris sui accepit. Igitur Grimoaldus filiam Ratbodi Ducis Frisionum duxit vxorem. Ægrotante quoque Pippino Iobij-villa super Mosam fluuium, cùm C ad eum visitandum idem Grimoaldus venisset, cùm ad orationem in Basilica sancti Landberti Martyris processisset, à crudelissimo viro impio, Rantgario nomine, interfectus est. Post hæc Theudoaldus filius eius paruulus, in loco ipsius, cum prædicto Rege Dagoberto Maiordomus Palatij effectus est. Sequenti quoque tẽpore diem Pippinus Dux ægrotans mortuus est. Rexitque populum Francorum annos XXVII. Reliquit superstitem CAROLVM filium. Post obitum quoque eius, Plichtrudis matrona præfata suo consilio atque regimine cuncta agebat. Demum Franci mutuò in seditionem versi, consilio inutili, commissa acie in Cocia sylua, contra Theudoaldum, & Leudes Pippini quondam, atque Grimoaldum, iniere certamen. Corruitque ibi immodicus exercitus. Theudoaldus itaque à sodalibus suis per fugam lapsus euasit. Magna & valida perturbatio & persecutio extitit apud gentem Francorum. DAGOBERTVS II.

CV. Eo tempore elegerunt in honorem Maiorisdomus quendam Francum nomine Raganfridum. Commotóque exercitu hostili vsque Mosam fluuium properant, cuncta vastantes. cum Radbodo Duce fœdus inierunt. His diebus Carolus Dux à præfata femina Plichtrude sub custodia detentus Dei auxilio liberatus est.

CVI. EODEM tempore Dagobertus Rex obiit, regnauítque annos V. Franci verò Danihelem quondam Clericum, cæsarie capitis crescente in Regnum stabiliũt;

CHILPERICVS. atque CHILPERICVM nuncupant. Iterato quidem tempore commoto exercitu contra memoratum Carolum dirigunt. Ex alia parte iidem cum hoste Frisionum venturo Radbodum Ducem inuitant. Contra quem prædictus vir Carolus cum exercitu suo consurgens, certamen inuicem iniere. Sed non modicum ibi perpessus est damnum de viris strenuis atque nobilibus. Cernénsque læsum exercitum, terga vertit. Chilpericus post hæc & Raganfridus adunata hostili plebe Arduennā syluam transeunt, ab alia parte præstolante Radbodo Duce, cum exercitu suo hactenus Coloniam vrbem super Rhenum fluuium peruenerunt, regiones illius pariter vastantes, munera multa & thesauros à præfata Plichtrude accipiētes reuersi sunt. Sed in via, in loco qui dicitur Amblaua, ab exercitu Caroli grādē perpessi sunt damnum. Succedenti tempore Carolus commoto exercitu contra Chilpericum & Raganfridum direxit. Bellum iniere die Dominica in Quadragesima XII. Cal. April. in loco nuncupato Vinciaco in pago Cameracensi, nimia cæde inuicem collisi. Chilpericus & Raganfridus deuicti, in fugam lapsi, terga vertentes euaserunt. Quos Carolus persecutus, Parisius ciuitatem properauit. A

CVII. DEINDE Coloniam vrbem reuersus, ipsam ciuitatem cepit reseratam. CHLOTARIVS IV. Præfata Plichtrudis thesauros patris sui ei reddidit, & cuncta suo dominio restituit. Regem sibi constituit nomine CHLOTHARIVM. Chilpericus itaque & Raganfredus Legationem ad Eudonem Ducem dirigunt, eius auxilium postulantes rogant, Regnum & munera tradunt. Illi quoque hoste Vasconorum commoto ad eos veniētes, pariter aduersus Carolum perrexerunt. At ille constanter & intrepidus eis occurrere properat. Eudo territus quòd resistere non valeret, aufugit. Carolus insecutus eum vsque Parisius, Sequanam fluuium transit, vsque Aurelianensem vrbem accessit, & vix euadens terminos regionis suæ penetrauit, Chilpericum Regē secum cum thesauris sublatis auexit. Chlotharius itaque Rex eo anno obiit. Anno insecuto, Carolus per Missos suos amicitias cum Eudone Duce faciens, ab eo prædictum Chilpericum Regem cum multis muneribus recepit. Veniénsque vrbem Nouiomo, post non multum tempus cursum *viæ & Regnum amisit*, & mortuus est, regnauitque annos sex. Quo mortuo, THEODORICVM Regem statuerunt in sedem Regni, qui nunc locum *solij* regalis obtinuit annis vitæ simul præstolatis. His ita euulsis, Carolus princeps insecutus idem Raganfredum, Andegauis ciuitatem obsedit, vastata eadem regione cum plurimis spoliis remeauit. B

THEODORICVS II

CVIII. PER idem tempus rebellantibus Saxonibus, Carolus Princeps veniens eos præoccupauit ac debellauit, victórque reuertitur. Secutis diebus euoluto anni circulo, coacta agminum multitudine Rhenum fluuium transiit. Alemannósque & Suauos lustrat, atque Danubium peraccessit, illoque transmeato fines Baiorenses occupauit. Subacta regione illa thesauris multis, cum matrona quadam Bilitrude, & nepte sua Sonichilde, egreditur. Per idem tempus Eudone Duce à iure fœderis recedente, eoque comperto per internuntios, Carolus Princeps commoto exercitu Ligerem fluuium transiens, ipso Duce Eudone fugato, præda multa sublata, bis eo anno ab his hostibus populata, iterū remeat ur ad propria. Eudo namque Dux cernens se superatum atque derisum, gentem perfidam *Sarracenorum* ad auxilium contra Carolum Principem, & gentem Francorum excitauit. Egressique cum Rege suo Abdyrama nomine, Garumnam transeunt, Burdegalensem vrbem peruenerunt. Ecclesiis igne concrematis, populis consumptis vsque Pictauos progressus est; vbi Basilica sancti Hilarij igne cremata, (quod dici dolor est) ad domum beatissimi Martini euertendam destinant. Contra quos Carolus Princeps audacter aciem instruit, super eósque belligerator irruit, Christo *auxiliante* tentoria eorum subuertit, ad prœlium stragem conterendam accurrit, *interfectóque* Rege eorum Abdirama prostrauit exercitum, proterens dimicauit atque deuicit, sicque victor de hostibus triumphauit. C

CAROLVS MARTELLVS.

CIX. PROCEDENTE alioquin anno sequente, egregius bellator Carolus Princeps regionem Burgundiæ sagaciter penetrauit, fines Leudibus *suis* probatissimis viris industriis, ad resistendum gentibus rebellibus & *infidelibus* statuit. Pace parta Lugdunum in Gallia sui fidelibus tradidit. Firmata fœdera in *duciaria*, reuersus est victor fiducialiter agens. In illis quippe diebus Eudo Dux mortuus est. Hæc audiens præfatus Princeps Carolus, inito consilio Procerum

A suorum, denuò Ligerem fluuium transiit, vsque Garumnam vel vrbem Burdegalensem, vel castrum Blauium veniens, occupauit, illámque regionem cepit ac subiugauit, cum vrbibus ac suburbano castrorum. Victor cum pace remeauit, opitulante Christo Rege regum, & Domino dominorum. Curricula annorum hactenus reperiuntur ab Adam vel initio seculi vsque diluuium anni MM.CCXLII. A diluuio vsque Abraam anni DCCCCXLII. Ab Abraam vsque ad Moysen anni DV. A Moyse ad Salomonem vsque anni CCCCLXXXIX. A Salomone vsque reædificationem templi temporibus Darij Regis Persarum anni DXII. A restauratione templi vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi anni DXLVIII. Certè ab initio mundi vsq; ad passionem Domini nostri Iesu Christi anni MMMMMDXXXVIII. & à passione Domini vsque in istum annum præsentem in cyclo Victoris anni CLXXVII. Cal. Ianu. die Dominica anni DCCXXXV. & vt istud millenarium compleatur, restant anni CCLXV*. Itémque, quod superius prætermisimus, in gentem durissimam* maritimam Frisionum nimis crudeliter rebellantem, præfatus Princeps audacter nauali euectione properat, certatim altum mare ingressus nauium copia adunata. Anistrachiam* & Austrachiam insulas Frisionum penetrauit, super Burdone fluuio castra ponens: Poponem* gentilem Ducem illorum fraudulentum Consularium interfecit, exercitum Frisionum prostrauit: fana eorum idololatriæ contriuit, atque combussit igni,

B cum magnis spoliis & prædis victor reuersus est in Regnum Francorum. Itaque sagacissimus vir Carolus Dux, commoto exercitu partibus Burgundiæ dirigit, Lugdunum Galliæ vrbem, maiores natu atque Præfectos eiusdem Prouinciæ suæ ditioni & reipublicæ subiugauit, vsque Massiliensem vrbem vel Arelatum suis Iudicibus constituit, cum magnis thesauris & muneribus in Francorum Regnum remeauit in sedem Principatus sui. Itémque rebellantibus Saxonibus paganissimis, qui vltra Rhenum fluuium consistunt, strenuus vir Carolus Dux commoto exercitu Francorum in loco, vbi Lippia fluuius Rhenum amnem ingreditur, sagaci intentione transmeauit, maxima ex parte regionem illam dirissimam strauit, gentémque illam sæuissimam ex parte tributarios esse præcepit, atque quamplures obsides ab eis accepit. Sicque (opitulante Domino) victor remeauit ad propria. Denuo rebellante gente validissima Ismahelitarum, quos modo Sarracenos vocabulo corrupto nuncupant, irrumpentésque Rodanum fluuium, insidiantibus infidelibus hominibus sub dolo & fraude, Mauronte* quodam cum sociis suis, Auennionem vrbem munitissimam ac montuosam collocto hostili agmine ipsi Sarraceni ingrediuntur. Illisque rebellantibus ea regione vastata. At contra vir egregius Carolus Dux germanum suum virum industrium Hildebrandum* Ducem, cum reliquis Ducibus & Comitibus, illis partibus cum apparatu hostili dirigit. Quippe properè ad illam peruenientes, tentoria instruunt, vndique ipsum oppidum & suburbana præoccupant, munitissimam ciuitatem obsident, aciem instruunt: donec insecutus vir belligerator Carolus prædictam vrbem

C aggreditur, muros circundat, castra ponit, obsidionem coaceruat, in modum Hiericho cum strepitu hostium & sonitu tubarum, cum machinis & restium funibus super muros & ædium mœnia irruunt, vrbem munitissimam ingredientes succendunt, hostes inimicos suos capiunt interficientes, trucidant atque prosternunt, & in suam ditionem efficaciter restituunt. Victor igitur atque bellator insignis, intrepidus Carolus, Rodanum fluuium cum exercitu suo transiit, Gothorum fines penetrauit, vsque Narbonensem Galliam peraccessit, ipsam vrbem celeberrimam atque metropolim eorum obsedit: super Adice* fluuio munitionem in gyrum in modum arietum instruxit, Regem Sarracenorum nomine Athima cum satellitibus suis ibidem recludit, castráque metatus est vndique. Hæc audientes maiores natu & Principes Sarracenorum, qui commorabantur eo tempore in regione Hispaniarum, coadunato exercitu hostium cum alio Rege Amor nomine, machinis aduersus Carolum viriliter armati consurgunt, præparantur ad prœlium. Contra quos præfatus Dux Carolus triumphator occurrit super fluuio Birra*, & valle Corbaria Palatio*. Illisque mutuo confligentibus, Sarraceni deuicti atque prostrati, cernentes Regem eorum interfectum, in fugam lapsi terga verterunt. Qui euaserant,

CAROLVS MARTELLVS.

* al. cxiii.
* al. clarissimam.
* f. VVestrachiam.
* al. Bobonem.
* al. Consiliarium.
* al. Marontio.
* Childebrandum.
* al. Atace.
* al. Birsa.
* al. præliaturus.

CAROLVS MARTELLVS.

cupientes nauali euectione euadere, in stagno maris natantes sibimet mutuo conatu insiliunt. Mox Franci cum nauibus & iaculis armatoriis super eos insiliunt, suffocantésque in aquis interimunt. Sicque Franci triumphantes de hostibus, prædam magnam & spolia capiunt. Capta multitudine captiuorum, cum Duce, victor regionem Gothicam depopulatur. Vrbes famosissimas, Nemausum, Agatem, ac Biteris * funditus muros & mœnia Carolus destruens, igne supposito concremauit, suburbana & castra illius regionis vastauit. Deuicto aduersariorum agmine, Christo in omnibus præsule, & capite salutis victoriæ, salubriter remeauit in regionem suam *, in terram Francorum, ad solium Principatus sui. Denuo curriculo anni illius mense secundo, prædictum germanum suum cum pluribus Ducibus atque Comitibus, commoto exercitu partibus Prouinciæ dirigit. Auenionem vrbem venientes, Carolus properans peraccessit, cunctámque regionem vsque littus maris magni, suæ dominationi restituit, fugato Duce Mauronto impenetrabilibus tutissimis rupibus, maritimis munitionibus, præfatus Princeps Carolus cuncta sibimet adquisita Regna victor regressus est, nullo contra eum rebellante. Reuersúsque in regionem Francorum, ægrotare cœpit in villa Verinbrea * super Issara fluuio.

*al. Beteriis

*al. ad propria.

*al. Vermeria super fluuium Iseram.

CX. Eo etenim tempore bis à Roma Sede S. Petri Apostoli beatus Papa Gregorius claues venerandi sepulchri, cum vinculis sancti Petri, & muneribus magnis & infinitis Legatione, (quod antea nullis auditis aut visis temporibus fuit)
„ memorato Principi destinauit. Eo pacto patrato, vt ad partes Imperatoris recede- B
„ ret, & Romanum Cōsulatum præfato Principi Carolo sanciret. Ipse itaq; Princeps mirifico ac magnifico honore ipsam Legationem recepit, munera pretiosa cōtulit, atque magna prēmia cum suis sodalibus missis, Grimonem Abbatem Corbensis Monasterij, & Sigobertum reclusum Basilicæ sancti Dionysij Martyris, Romam ad limina sancti Petri & sancti Pauli destinauit. Igitur memoratus Princeps, consilio Optimatum suorum expetito, filiis suis Regna diuidit. Itaque primogenito suo, Carolomanno nomine, Auster, & Suauiam, *quæ nunc Alemannia dicitur*, atque Thoringiam tradidit. Alteri verò secundo *filio iuniori Pippino nomine*, Burgundiam & Neuster & Prouinciam permisit. Eo anno Pippinus Dux commoto exercitu cum auunculo suo Hildebrando * Duce & multitudine Primatum & agminum satellitum plurimorum, ad Burgundiam dirigunt, fines regionum præoccupant. Interim, (quod dici dolor, & mœror sollicitat * ruinam) in Sole, Luna, & stellis, noua signa apparuere, seu & Paschalis ordo sacratissimus turbatus fuit. Carolus nempe Princeps Parisius Basilicam S. Dionysij Martyris multis muneribus ditauit: veniénsq; Carisiaco villâ Palatij super Issaram fluuium, valida febre correptus obiit in pace, cunctis in gyro Regnis acquisitis. Rexit autem vtraque Regna annos XXV *. Transiit itaque XI. Cal. Nouembris, sepultúsque est Parisius in Basilica sancti Dionysij Martyris.

*Childebrando.

*al. suscitat

*al. XXII.

CHILTRVDIS * quoque filia eius, faciente consilio nefario nouercæ *suæ*, fraudulenter per manus sodalium suorum Renum transiit, & ad Odilonem Ducem Bagoariæ peruenit. Ille verò eam ad coniugium copulauit, contra volun- C tatem vel consilium fratrum suorum. Interea rebellantibus Vasconibus in regione Aquitaniæ, cum Chunoaldo * Duce, filio Eudone quondam, CARLOMANNVS atque PIPINVS, Principes germani, congregato exercito Ligeris alueum Aurilianis vrbe transeunt, Romanos proterunt, vsque Beturigas vrbem accedunt, suburbana ipsius igne conburunt. Chunoaldum Ducem persequentes fugant, cuncta vastantes. Lucca castrum diruunt, atque funditus subuertunt; custodes illius castri capiunt, & inibi victores existunt. Prædam sibi diuidentes, habitatores eisdem locis secum captiuos duxerunt. Inde reuersi circa tempus autumni, eodem anno iterum exercitum ordinauerunt vltra Renum contra Alamannos. Sederuntque castra metati super fluuium Danuuij in loco nuncupante Vsquequo. Habitatores Alamanni se victos videntes, obsides donant, iura promittunt, munera offerunt, & pacem petentes eorum se ditioni submittunt.

*al. Hiltrudis.

*Humaldo.

CARLOMANNVS. PIPINVS.

INDE reuersi anno II. regni, eorū cognatus Odilo Dux Bagoariorum contra ipsos rebellium excitat. Compulsi sunt generalem cum Francis in Bagoaria admoue-

A re exercitum. Venientésque super fluuium, qui dicitur Lech, sederunt super ripam fluminis vterque exercitus, hinc inde se mutuò videntes vsque ad dies quindecim. Qui tantùdem prouocati irrisionibus gentis illius, indignatione commoti periculo se dederunt per loca deserta & palustria, vbi pons transeundo nullatenus aderat. Noctéque inruentes diuisis exercitibus eos improuisos occupauerunt. Commissóque prœlio, prædictus Dux Odilo cæso exercitu suo, vix cum paucis turpiter vltrà Igne fluuium fugiendo euasit. His triumphis peractis, non sine dispendio multorum, tamen feliciter victores ad propria remeauerunt. CARLOMANNVS. PIPPINVS.

EVOLVTO triennio iterum Carlomannus confinium Saxonorum, ipsis rebellantibus, cum exercitu irrupit; ibique captis habitatoribus, qui suo Regno adfines esse videbantur, absque belli discrimine feliciter adquisiuit, & plurimi eorum (Christo duce) baptismi sacramento consecrati fuerunt. Per idem tempus rebellante Theudebaldo filio Godfredi Ducis, Pipinus cum virtute exercitus sui ab obsidione Alpium turpiter expulit fugientem. Reuocatóque sibi eiusdem loci Ducatu, victor ad propria remeauit.

INDE reuersi prædicti germani, sequente anno, prouocato coturno Vasconorum, iterum vsque ad Ligerim fluuium pariter adunati venerunt. Quod videntes Vascones, præoccupauerunt pacem petentes, & voluntatem Pipini in omnibus exsequentes, muneratum eum à finibus suis vt rediret, precibus obtinuerunt.

B His transactis, sequente anno dum Alamanni contra Carlomannum eorum fidem fefellissent, ipse cum magno furore cum exercitu in eorum patriam peracessit, & plurimos eorum, qui contra ipsum rebelles existebant, gladio trucidauit.

His ita gestis, sequenti curriculo annorum, Carlomannus deuotionis causa in extincto * succensus, Regnum vna cum filio suo Drogone manibus germani sui Pipini committens, ad limina beatorum Apostolorum Petri & Pauli Romam in Monachorum ordine perseueraturus aduenit. Qua successione Pipinus roboratur in Regnum. *instinctu.

EODEM anno Saxones more consueto fidem, quam germano suo promiserant, mentiri conati sunt. Qua de causa adunato exercitu, ad eos * peruenire compulsus est. Cui etiam Reges VVinidorum seu Frisionum ad auxiliandum vno animo conuenerunt. Quod videntes Saxones, consueto timore compulsi, multis ex eis iam trucidatis, & in captiuitate missis, regionibus eorum ignéque concrematis, pacem petentes, iuri Francorum sese, vt antiquitus mos fuerat, subdiderunt; & ea tributa quæ Chlothario quondam præstiterant, plenissima solutione ab eo tempore deinceps esse reddituros promiserunt. Ex quibus plurima multitudo videntes, se contra impetum Francorum rebellare non posse, propriis viribus destituti, petierunt sibi Christianitatis sacramenta conferre. Quo peracto tempore Bagoarij consilio nefandorum, iterum eorum fidem fefellerunt, & contra præfatum Principem eorum fidem mentiti sunt. Qua de re commoto exercitu, cum C magno agmine apparato eorum patrias peracessit. Ipsi verò terrore compulsi vltra fluuium Igni * cum vxoribus ac liberis eorum fugientes, & memoratus Princeps super ripam Igni castra metatus, nauale prœlium præparauit, qualiter eos ad internecionem persequeretur. Quod videntes Bagoarii, eorum viribus se auxiliare non posse, Legatos cum muneribus multis transmittunt, & in eius ditione se subdunt, & sacramenta vel obsides donant, vt ne vlterius rebelles existant. Ipse verò duce Christo, cum magno triumpho in Franciam ad propriam sedem feliciter remeauit. Et quieuit terra à prœliis annis duobus. Quo tempore vnà cum consilio & consensu omnium Francorum missa relatione à Sede Apostolica auctoritate percepta, præcelsus PIPPINVS electione totius Franciæ in sedem Regni, cum consecratione Episcoporum, & subiectione Principum, vna cum Regina Bertradane, vt antiquitus ordo deposcit, sublimatur in Regno. * eos præuenire. * Oeni.

VSQVE NVNC INLVSTER VIR CHILDEBRANDVS COMES AVVNCVLVS PRÆDICTI REGIS PIPPINI, HANC HISTORIAM VEL GESTA FRANCORVM DILIGENTISSIME SCRIBI PROCVRAVIT. ABHINC AB INLVSTRE VIRO NIBELVNGO FILIO IPSIVS CHILDEBRANDI ITEMQVE COMITE SVCCEDAT AVCTORITAS. *Hæc in solo Cod. Ms. D. Petauij reperiuntur.*

PIPINVS. His transactis, sequenti anno iterum Saxones contra eorum fidem, quam præfato Regi dudum promiserant, solito more iterum rebelles contra ipsum existunt. Vnde & Pipinus Rex ira commotus, commoto omni exercitu Francorum, iterum Reno transiecto in Saxoniam cum magno apparatu veniens, ibique eorum patriam maximè igne cremauit, captiuos tam viros quàm feminas secum duxit, cùm multam prædam ibidem fecisset, & plurimos Saxones ibidem prostrauisset. Conuenientibus iis, Saxones pœnitentia commoti, cum solito timore clementiam Regis petunt, vt pacem eis concederet, & sacramenta atque tributa multo maiora quàm antè promiserant redderent, & nunquam vltra iam rebelles existerent. Rex Pipinus, Christo propitio, cum magno triumpho iterum ad Renum ad castrum, cuius nomen est Bonna, veniens. Dum hæc ageret, nuncius veniens ad præfatum Regem ex partibus Burgundiæ, quòd germanus ipsius Regis nomine Gripho, qui dudum in Vuasconiam ad VVaifarium Principem confugium fecerat, à Theudoeno * Viennense, seu & Frederico Vltra-Iurano Comite, dum partes Langobardiæ peteret, & insidias contra ipsum prædictum Regem pararet, apud Mauriennam vrbem super fluuium Arboris interfectus est. Nam & ipsi superscripti Comites in eo prœlio pariter interfecti sunt. Per Arduennam siluam ipse Rex veniens, & Theudone villâ publica super Mosella resedisset, nuncius ad eum veniens dixit, quòd Stephanus Papa de partibus Romæ cum magno apparatu & multis muneribus, iam monte Iouis transmeato, ad eius properaret aduentum. Hæc audiens Rex, cum gaudio & lætitia & ingenti cura recipere eum præcepit, & filio suo Carolo ei obuiam ire præcepit. Qui vsque ad pontem * Hugonis villam publicam ad eius præsentiam adducere deberet. Ibique Stephanus Papa Romensis ad præsentiam Regis veniens, multis muneribus tam ipsi Regi quam & Francis largitus est, auxilium petens contra gentẽ Langobardorum, & eorum Regem Aistulfum, vt per eius adiutorium ab eorum oppressionibus vel fraudulentia de manibus eorum liberaretur, & tributa & munera, quæ contra legis ordinem à Romanis requirebant facere, desisterent. *Tunc Pipinus Rex præfato Stephano Papa apud Parisius ciuitatem in Monasterio S. Dionysij Martyris*, cum ingenti cura & multa diligentia hyemare præcepit. Legationem ad Aistulfum Regem Langobardorum mittens, petens, vt propter reuerentiam beatissimorum Apostolorũ Petri & Pauli in partibus Romæ hostiliter non ambularet, & superstitiosas ac impias, vel cõtra legis ordinem causas, quod antea Romani numquam fecerant, propter eius petitionem facere non deberet. Cúmque prædictus Rex Pipinus quod per Legatos suos petierat, non impetrasset, & Aistulfus hoc facere contempsisset, euoluto anno præfatus Rex, à Kal. Mart. omnes Frãcos, sicut mos Francorum est, Bernaco villa publica ad se venire præcepit. Initóque consilio cum Proceribus suis eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere, Stephanus Papa & & reliquæ nationes, quæ in suo Regno commorabantur, & Francorum agmina ad partes Langobardiæ cum omni multitudine per Lugdunum Galliæ & Viennam pergentes vsque Mauriennam peruenerunt. Aistulfus Rex Langobardorum hæc audiens, commoto omni exercitu Langobardorum vsque ad clasas, quæ cognominatur Valle Suesana *, veniens, ibi cum omni exercitu suo castra metatus est; & cum telis & machinis, & multo apparatu, quod nequiter contra Rempublicam & Sedem Romanam Apostolicam admiserat, nefariè nitebatur defendere. Et cùm supra scriptus Rex Pipinus Mauriennam cum exercitu suo redisset, & propter angusta vallium, montes, rupésq; exercitus prædicti Regis minimè transire potuisset, pauci tamen montibus angustisq; locis erumpentibus, vsque in Valle Seusana peruenerunt. Hæc cernens Aistulfus Rex Langobardorum, omnes Langobardos armare pręcepit, & cum omni exercitu suo super eos audaciter venit. Hæc cernentes Franci, non suis auxiliis, nec suis viribus liberare se putabãt, sed Deum inuocãt, & beati Petri Apostoli adiutorium rogant. Cõmissoque prœlio fortiter inter se dimicantes, Aistulfus Rex Langobardorum læsum cernens exercitum suum, terga vertit, & penè omnẽ exercitum suum, quẽ secum adduxerat, tam Duces, Comites, vel omnes maiores natu gentis Langobardorum in eo prœlio omnes amisit, & ipse quodam mõte rupis vix lapsus euasit. Ticinum vrbem suam cum paucis venit. Igitur præcelsus Rex Pipinus, patrata Dei adiutorio victoria, cum omni exercitu, vel multitudine agminum Francorum, vsque ad Ticinum accessit, castra metatus est,

Marginal notes: * al. Theodone. — * Ponticonem. — * infrà, Seusana.

Margin letters: A, B, C

A vndique omnia quæ in gyro fuerunt vastans, partes Italiæ maximè igne concremauit; totam regionem illam vastauit, castra Langobardorum omnia disrupit, & multos thesauros & alia ornamenta quamplurima, & eorum tentoria omnia rapuit & cepit. Hæc cernens Aistulfus Rex Langobardorum, quòd nullatenus se euadere potuisset, pacem per Sacerdotes & Optimates Francorum petens, ditiones supradicto Rege Pipino faciens, & quicquid contra Romanam Ecclesiam vel Sedem Apostolicam, contra legis ordinem fecerat, plenissima solutione emendaret, sacramenta & obsides ibidem donat, vt nunquam à Francorum ditione se abstraheret, & vlteriùs ad Sedem Apostolicam, Romanam & Rempublicam hostiliter nunquam accederet. Præfatus Rex Pipinus clemens vt erat, misericordia motus, vitam & Regnum ei concessit, & multa munera Aistulfus Rex partibus prædicti Regis donat. Nam & Optimatibus Francorum multa munera largitus est. His itaque gestis, Pipinus Rex prædicto Stephano Papa cum Optimatibus suis & multa munera partibus Romæ cum magno honore direxit, & in Sedem Apostolicam incolumem, sicuti priùs fuerat, restituit. His transactis, Pipinus Rex cum exercitu suo, vel multis thesauris, ac multis muneribus, Deo adiuuante, reuersus est ad propria. PIPINVS.

SEQVENTI anno Aistulfus Rex Langobardorũ fidem suam, quam Regi Pipino promiserat, peccatis facientibus fefellit. Iterum ad Romam cum exercitu suo B veniens, fines Romanorum peragrans, atque regionem illam vastans, ad Ecclesiam sancti Petri perueniens, & domos quas ibidem reperit maximè igne concremauit. Hæc Pipinus Rex cùm per nuncios audisset, nimiùm furore & ira motus, commoto iterum omni exercitu Francorum per Burgundiam, per Caualonnum vrbem, & inde per Ianuam vsque ad Mauriennam veniens. Rex Aistulfus cùm hoc reperisset, iterum ad clusas exercitum Langobardorum mittens, qui Regi Pipino & Francis resisterent, & partibus Italiæ intrare non finerent. Rex Pipinus cum exercitu suo monte Cinisio transacto, vsque ad clusas, vbi Langobardi resistere nitebantur, perueniens, statim Franci solito more, vt edocti erant, per montes & rupes erumpentes, in Regnum Aistulfi cum multa ira & furore intrant, Langobardos quos ibi repererunt interficiunt. Reliqui qui remanserant, vix fugâ lapsi euaserunt. Rex Pipinus cum nepote suo Tassilone Baioariorum Duce, partibus Italiæ vsque ad Ticinum iterum accessit, & totam regionem illam fortiter deuastans, circa muros Ticini vtraque parte fixit tentoria, ita vt nullus exinde euadere potuisset. Hæc Aistulfus Rex Langobardorum cernens, etiam nullam spem se euadendi speraret; iterum per supplicationem Sacerdotum, & Optimatum Francorum, veniam & pacem prædicto Regi supplicans, & sacramenta, quæ præfato Regi dudum dederat, vt qui contra Sedem Apostolicam C rem nefariam fecerat, omnia per iudicium Francorum vel Sacerdotum plenissima solutione emendaret. Igitur Rex Pipinus solito more iterum misericordiâ motus, ad petitionem Optimatum suorum vitam & Regnum iteratò concessit. Aistulfus Rex per iudicium Francorum vel Sacerdotum, thesaurum, qui in Ticino erat, id est tertiam partem, prædicto Regi tradidit, & alia multa munera maiora quàm antea dederat, partibus Regis Pipini dedit. Sacramenta iterum & obsides donat, vt amplius nunquam contra Regem Pipinum vel Proceres Francorum rebellis & contumax esse debeat: & tributa, quæ Longobardi Regi Francorum à longo tempore dederant, annis singulis per missos suos desoluere deberent. Præcelsus Rex Pipinus victor cum magnis thesauris & multis muneribus, absque belli euentu, cum omni exercitu suo illæso ad propriam sedem Regni sui remeauit incolumis, & quieuit terra à prœliis annis duobus.

POST hæc Aistulfus Rex Langobardorum, dum venationem in quadam silua exerceret, diuino iudicio de equo, quo sedebat, super quandam arborem proiectus, vitam & Regnum crudeliter digna morte amisit. Langobardi vnà cum consensu prædicti Regis Pipini, & consilio Procerum suorum, Desiderium in sedem Regni instituunt.

DVM hæc agerentur, Rex Pipinus Legationem Constantinopolim ad Constantinum Imperatorem pro amicitiæ causa & salute patriæ suæ mittens, similiter & Constantinus Imperator Legationem præfato Regi cum multis muneribus mittens, & amicitias & fidem per Legatos eorum vicissim inter se promittunt. Nescio

PIPINVS. quo faciente, postea amicitia, quam inter se mutuò promiserant, nullatenus firma est effectum. A

His itaque gestis, & duobus annis cùm terra cessasset à prœliis, prædictus Rex Pipinus Legationem ad VVaifarium Aquitanicum Principem mittens, petens ei per Legatos suos, vt res Ecclesiarum de Regno ipsius, quę in Aquitania sitæ erant, redderet, & sub immunitatis nomine, sicut ab antea fuerant, conseruatas esse deberent, & iudices ac exactores in supradictas res Ecclesiarum, quod à longo tempore factum non fuerat, mittere non deberet; & Gothos prædicto Regi, quos dudum VVaifarius contra legis ordinem occiderat, ei soluere deberet; & homines suos, qui de Regno Francorum ad ipsum VVaifarium Principem confugium fecerant, reddere deberet. Hæc omnia VVaifarius, quæ prædictus Rex per Legatos suos ei mandauerat, hoc totum facere contempsit. Igitur Pipinus Rex inuitus coarctatus vndique contraxit exercitum, & partibus Aquitaniæ, per pagum Trecassinum vsque Autisioderum vrbem accessit. Indè ad Ligerem fluuium, cum omni exercitu Francorum, ad Masuam vicum in pago Arutisioderensi Ligerem fluuium transmeauit. Per pagum Bitorinum vsque Aruernico accessit, regionem illam peruagans, & maximam partem Aquitaniæ igne concremauit. VVaifarius Princeps Aquitaniæ, per Legatos suos pacem supplicans, sacramenta vel obsides ibidem donat, vt omnes iusticias, quas præfatus Rex Pipinus per Legatos suos ei mandauerat, in placito instituto facere deberet. Rex Pipinus cum omni exercitu suo illæso reuersus est ad propria. B

761. Evolvto anno, id est, anno decimo regni ipsius, omnes Optimates Frãcorum ad Dura in pago Riguerinse * ad Campo Madio, pro salute patriæ & vtilitate Francorum tractanda placito instituto, ad se venire præcepit. Dum hæc agerentur, VVaifarius inito iniquo consilio, contra Pipinum Regem Francorum insidias parat, exercitum suum cum Vniberto * Comite Bitorino, & Blaudeno * Comite Aruernico, qui dudum ante annum superiorem ad prædictum Regem Pipinum cum Bertellanno Episcopo Bitoricæ ciuitatis missus fuerat, & animum Regis ad iracundiam nimiùm prouocasset, cum reliquis Comitibus clam hostiliter vsque Cauallonnum, omnem exercitum suum transmisit, & totam regionem illam, id est Augustidunensium vsque ad Cauallonnum, igne cremauit, & suburbana Cauallonni vrbis, quidquid ibidem reperierunt, omnia vastauerunt. Melciacum * villam publicam incendio cremauerunt, cum multis spoliis & præda nullo resistente remeauerunt ad propria. Cùm hoc Pipino Regi nunciatum fuisset, quòd VVaifarius maximam partem Regni sui vastasset, sacramenta quæ ei dederat fefellisset, nimiùm ira motus iubet omnes Francos vt hostiliter, placito instituto, ad Ligerem venissent. Commotóque exercitu cum omni multitudine iterum vsque ad Trecas accessit, inde per Autisioderum ad Neuernum vrbem veniens, Ligeris fluuio transmeato, ad castrum, cuius nomen est Burbone, in pagum Bitorinum peruenit. Cúmque in gyro castra posuisset, subitò à Francis captus atque succensus est, & homines VVaifarij, quos ibidem inuenit, secum duxit, maximam partem Aquitaniæ vastans, vsque vrbem Aruernam cum omni exercitu veniens, Claremontem castrum captum atque succensum bellando cepit, & multitudinem hominum tam virorum quàm feminarum, vel infantum plurimos, in ipso incendio cremauerunt. Blandinum Comitem ipsius vrbis Aruernicæ captum atque ligatum ad præsentiam Regis adduxerunt: & multi VVascones in eo prœlio capti atque interfecti sunt. Igitur Rex Pipinus vrbe capta, ac regione illa tota vastata, cum præda & spolia multa, Deo auxiliante, cum illæso exercitu iterum remeauit ad propria. Factum est autem, postquam Pipinus Rex vrbem Aruernam cepit, regionem illam totam vastauit. C

* Ripuariense

* Huniberto, & Chuniberto

* Bladino

* Melliacũ

762. Seqventi anno, id est anno vndecimo regni ipsius, cũ vniuersa multitudine gentis Francorum Bitoricas venit, castra metatus est vndique, & omnia quæ in gyro fuerunt vastauit. Circumsepsit vrbem munitione fortissimam, ita vt nullus egredi ausus fuisset, aut ingredi potuisset. Cum machinis & omni genere armorum circumdedit eam vallo, multis vulneratis, plurimisque interfectis: fractisque muris, cepit vrbem, & restituit eam ditioni suæ iure prœlij. Et homines illos, quos VVaifarius ad defendendum ipsam ciuitatem dimiserat, clementia suæ pietatis absoluit. dimissique reuersi sunt ad propria. Vnibertum * Comitem, &

* al. Vmbertum

 PIPINVS.

A reliquos Vascones, quos ibidem inuenit, sacramentis datis secum adduxit, vxores eorum ac liberos in Franciam ambulare præcepit, muros ipsius Bitoricæ ciuitatis restaurare iubet, Comites suos in ipsam ciuitatem ad custodiendum misit. Indè cum omni exercitu Francorum vsque ad castrum, quod vocatur Toarcius, veniens. Cúmque in gyro castra posuisset ipse, castrum mira celeritate captum atque succensum est: & Vuascones, quos ibidem inuenit, vna cum ipso Comite secum duxit in Franciam. Pipinus Rex, Christo duce, cum omni exercitu Francorum, cum multa præda & spoliis, iterum reuersus est ad sedem propriam. Facta est autem longa altercatio inter Pipinum Regem Francorum, & VVaifarium Aquitaniæ Principem. Pipinus Rex, Deo auxiliante, magis ac magis crescens, & semper in se ipso robustior factus est. Pars autem VVaifarij, & eius tyrannitas decrescens quotidie, VVaifarius Princeps semper contra prædictum Regem Pipinum insidias parare dissimulat. Nam Mancionem Comitem consobrinum suum partibus Narbonæ cum reliquis Comitibus transmisit, vt custodias, quas prædictus Rex Narbonam, propter gentem Saracenorum ad custodiendum miserat, ne aut intrarent, aut si quando iterum in patriam reuerterentur, capere aut interficere suos possent. Factum est autem vt Australdus Comes, & Galemanius itémque Comes, cum paribus eorum ad propria reuerterentur, hic Mancio vna cum multitudine gentis Vuasconorum super eos irruit, fortiter inter se dimicantes. B Prædictus Galemanius & Australdus ibidem Mancionem & vniuersos pares suos, Deo adiuuante, interficiunt. Hæc cernentes Vuascones terga vertunt, omnes equites, quos ibidem adduxerant, amiserunt. Montes vallésque peruagantes, pauci tamen vix fugaciter euaserunt. Ipsi verò cum multa præda, vel equitibus & spoliis, cum gaudio reuersi sunt ad propria. Dum his & aliis modis Franci & Vuascones semper inter se altercarent, Chilpingus Comes Aruernorum, collecto vndique exercitu, in pago Lugdunensi in Regno Burgundiæ ad præliandum * ambulare nitebatur. Contra quem Adalardus Comes Caualonensis, & Australdus idémque Comes, cum paribus eorum contra eum venientes, & super fluuium Legeris fortiter inter se dimicantes: statim Chilpingus Comes in eo prœlio à supra scriptis Comitibus occisus est, & multi qui cum eo venerant ibidem interfecti sunt. Hæc videntes Vuascones, terga vertunt. Vix pauci syluis & paludibus ingressis euaserunt. Amanugus Comes Pectauensis dum Turonicam * infestatam prædaret, & ab hominibus Vulfardi Abbatis Monasterij beati Martini interfectus est, & plures, qui cum eo ibidem venerant, cum ipso pariter ceciderunt. Reliqui qui remanserant terga vertentes, pauci vix euaserunt. Dum hæc agerentur, Remistanus auunculus Vuaifarij ad prædictum Regem veniens, sacramenta multa & fidem prædicto Regi Pipino promisit, vt semper fidelis tam prædicto Regi, quàm & filiis suis omni tempore esse deberet. Rex verò Pipinus in suam ditionem eum recepit, & multa munera auri & argenti, & preciosa vestimenta, equites & arma largiendo, eum ditauit.

* al. prædandum

* Toronico infestando

C REX Pipinus castrum, cui nomen est Argentonus in pago Bitorino, à fundamento miro opere in pristinum statum reparare iussit. Comites suos ibidem ad custodiendum mittens, ipsum castrum Remistano ad Vuaifario resistendum, cum eis medietatem pagi Bitorini vsque ad Carum concessit. Videns prædictus Vuaifarius Princeps Aquitanicus, quòd castrum Claremontis Rex bellando ceperat, & Bitoricas caput Aquitaniæ, munitissimam vrbem, cum machinis cepisset, & impetum eius ferre non potuisset, omnes ciuitates, quæ in Aquitania Prouincia ditionis suæ erant, id est Pectauis, Lemodicas, Sanctonis, Petrecors, Equolisma, & reliquas quam plures ciuitates & castella, omnes muros eorum in terram prostrauit. Quos postea præcelsus Rex Pipinus reparare iubet, & homines suos ad ipsas ciuitates custodiendum dimisit.

ITERVM eo anno cum omni exercitu suo prædictus Rex Pipinus ad sedem propriam reuersus est. Iterum sequenti anno commoto omni exercitu Francorum 766. per Trecas, inde Autisiodorum, vsque ad Nieuernum vrbem cum omni exercitu veniens, ibique cum Francis & Proceribus suis placitum suum Campo Madio tenens. Postea Ligere transacto Aquitaniam pergens, vsque ad Lemodicas accessit, totam regionem illam vastans, villas publicas, quæ ditionis Vuaifarij erant, totas igne cremare præcepit. Tota regione illa penè vastata, Monasteriis multis

PIPINVS. depopulatis, vſque Hiſandonem veniens, vnde maximam partem Aquitaniæ, vbi A plurimum vinearum erat, cepit ac vaſtauit. Vnde penè omnis Aquitania, tam Eccleſiæ, quàm Monaſteria, diuites & pauperes vina habere conſueuerant, omnia vaſtauit & cepit. Dum hæc agerentur, Vuaifarius cum exercitu magno & plurimorum Vuaſconorum, qui vltra Garronam * commorantur, qui antiquitus vocati ſunt Vaceti, ſuper prædictum Regem venit. Sed ſtatim ſolito more omnes Vuaſcones terga verterunt, plurimi ibidem à Francis interfecti ſunt. Hæc cernens Rex, perſequi eum iubet, & vſque ad noctem eum perſequens, vix Vuaifarius cum paucis, qui remanſerant, fugiendo euaſit. In eo prœlio Blandinus Comes Aruernorum, quem prædictus Rex priùs ceperat, & qui poſtea ad Vuaifarium confugium fecerat, in eo prœlio interfectus eſt. Rex Pipinus, opitulante Deo, victor extitit, patrata iterum victoria cum magno triumpho iterum ad Denegontium cum magno exercitu Francorum ad Ligerem veniens. Inde per pagum Auguſtudinenſem ad propriam ſedem remeauit. Ibi victus Vuaifarius Legationem „ ad prædictum Regem mittens, petens ei: Quòd Betoricas & reliquas ciuitates „ Aquitaniæ prouinciæ, quas de manu eius prædictus Rex abſtulerat, ei redderet, „ & poſtea ipſas Vuaifarius ditionis ſuæ faceret: Tributa vel munera, quæ anteceſſores ſui Reges Francorum, de Aquitania * prouincia exigere conſueuerant, annis ſingulis partibus prædicto Regi Pipino ſoluere deberet. Sed hoc Rex per conſilium Francorum, & Procerum ſuorum, facere contempſit. Euoluto igitur anno, commoto omni exercitu Francorum, vel plurium nationum, quæ in Regno ſuo commorabantur, vſque ad Aurelianis veniens, ibi placitum ſuum Campo Madio, quod ipſe primus pro campo Martio, pro vtilitate Francorum inſtituit, tenens, multis muneribus à Francis & Proceribus ſuis ditatus eſt. Iterum Ligere tranſacto, totam Aquitaniam pergens, vſque ad Aginnum veniens, totam regionem illam deuaſtauit. Videntes tam Vuaſcones, quàm maiores natu Aquitaniæ, neceſſitate compulſi plurimi ad eum venerunt, ſacramenta ad eum ibidem donant, & ſe ditionis ſuæ faciunt. Ita omni Aquitània prouincia nimiùm vaſtata, cum multa præda ac ſpoliis, per pagum Petregoricum & *Equoliſmam*, iam penè omni Aquitania acquiſita, cum omni exercitu Francorum iterum eo anno reuerſus eſt in Franciam cum ſuis omnibus. B

* al. Gerondam

* al. Equitaniæ

767. ITERVM denuo ſequenti anno commoto omni exercitu Francorum per pagum Trecaſinum, inde ad vrbem Autiſioderum veniens ad caſtrum, quod vocatur Gordinis, cum Regina ſua Bertradane * iam fiducialiter Ligere tranſacto ad Betoricas acceſſit, Palatium ſibi ædificare iubet. Iterum Campo Madio, ſicut mos erat, ibidem tenere iubet, initóque conſilio cum Proceribus ſuis, præfatam Reginam Bertradanem, cum reliquis Francis ac Comitibus fidelibus ſuis, in prædicta Betorica dimiſit. Ipſe prædictus Rex cum reliquis Francis & Optimatibus ſuis ad perſequendum Vuaifarium ire perrexit. Cúmque prædictus Rex ipſum VVaifarium perſequens non reperiret, (iam tempus hyemis erat,) cum omni exercitu ad Betoricas, vbi præfatam Reginam Bertradanem dimiſerat, reuerſus eſt. C

* Bertrada

DVM hæc agerentur, Remiſtanus filius Eudone, quondam fidem ſuam, quam prædicto Regi Pipino promiſerat, fefellit; & ad Vuaifarium iterum veniens, ditionis ſuæ faciens, quod Vuaifarius cum magno gaudio eum recepit, & adiutorem ſibi contra Francos & prædictum Regem eum inſtituit. Superſcriptus Remiſtanus contra prædictum Regem & Francos, ſeu cuſtodias, quas ipſe Rex in ipſius ciuitatibus dimiſerat, nimiùm infeſtus acceſſit, & Betorinum ſeu Limoticinum, quod ipſe Rex acquiſierat, prædando nimiùm vaſtauit, ita vt nullus colonus terræ ad laborandum, tam agros quàm vineas colere non audebat. Prædictus Rex Pipinus in Betoricas per hyemem totam cum Regina ſua Bertradane in Palatio reſedit. Totum exercitum ſuum per Burgundiam ad hyemandum mittens, Natale Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſanctam Epiphaniam apud Betoricas vrbem per conſilium Epiſcoporum vel Sacerdotum venerabiliter celebrauit. Euoluto igitur eo anno, cùm in Betoricas reſideret, mediante Februario omnem exercitum ſuum, quem in Burgundiam ad hyemandum miſerat, ad ſe venire præcepit. Initóque conſilio, contra Remiſtagnum inſidias parat, Hermenaldum, Beringarium, Childeradum, & Chunibertum * Comitem Betorinum, cum reliquis Co-

* Vnibertum, vel Vmbertum

A mitibus & Leudibus suis ad ipsum Remistagnum capiendum mittens, prædictus Rex Pipinus cum omni exercitu Francorum, iterum ad persequendum Vuaifarium ire destinauit. Bertrada Regina Aurelianis veniens, & indè nauali euectione per Ligerem fluuium vsque ad Sellus castrum super fluuium ipsius Ligeris peruenit. His itaque gestis, nunciatum est Regi, quòd Missi sui, quos dudum ad Amormuni Regem Saracenorum miserat, post tres annos ad Marsiliam reuersi fuissent, Legationem prædicti Amormuni Regis Saracenorum ad prædictum Regem cum multis muneribus secum adduxerant. Quod cùm compertum Regi fuisset, Missos suos ad eam direxit, qui eos venerabiliter reciperent, & vsque ad Mettis ciuitatem ad hyemandum ducerent. Igitur supra scripti Comites, qui ad Remistagnum capiendum missi fuerant, per diuinum iudicium, & fidem Regis eum capiunt, & ligatum ad præsentiam Regis cum vxore sua adduxerunt. Quàm statim Rex Vniberto * & Ghiselario Comitibus Betoricæ ciuitatis ipsum Remistagnum in patibulo suspendi iussit. prædictus Rex Pipinus vsque ad Garonnam * accessit. Ibi Vuascones, qui vltra Garonnam commorantur, ad eius præsentiam venerunt, & sacramenta & obsides prædicto Regi donant, vt semper fideles partibus Regis, ac filiis suis Carolo & Carlomanno omni tempore esse debeant. Et aliæ multæ quamplures gentes ex parte Vuaifarij ad eum venientes, & se ditioni suæ subdiderunt. Rex verò Pipinus benigniter eos in suam ditionem recepit.

PIPINVS

* Chuniberto, & Gisllario

* Gieronnam

B Vuaifarius cum paucis per syluam, quæ vocatur Edobola, in pago Petrocorreco latitans, huc illúcque vagatur incertus. Præfatus Rex Pipinus ad Vuaifarium capiendum insidias iterum parat. Inde ad Reginam suam ad Sellum veniens, legationem Saracenorum, quam Mettis ad hyemandum miserat, ad Sellus castrum ad se venire præcepit, & ipsi Saraceni munera, quæ Amormuni transmiserat, ibidem præsentant. Iterum Rex ipsis Saracenis, qui ad ipsum missi fuerant, munera dedit, & vsque ad Marsiliam cum multo honore adduci præcepit. Saraceni verò nauali euectione per mare redeunt ad propria.

PRÆCELSVS Rex Pipinus iterum de Sellus castro cum paucis ad persequendum Vuaifarium eo anno iterum perrexit, & vsque ad Sanctonis mira celeritate primus cum paucis venit. Cùm hoc Vuaifarius audisset, solito more terga vertit. Rex Pipinus in quatuor partes Comites suos scaritos, & Leudos suos ad perquirendum * Vuaifarium transmisit. Dum hæc agerentur, vt asserunt, consilium Regis factum, Vuaifarius Princeps Aquitaniæ à suis interfectus est. Præfatus Rex Pipinus iam tota Aquitania acquisita, omnes ad eum venientes ditionis suæ, sicut antiquitus fuerant, se faciunt. Cum magno triumpho & victoria Sanctonis, vbi Bertrada Regina residebat, venit. Dum Sanctonis præfatus Rex venisset, & caussas pro salute patriæ & vtilitate Francorum tractaret, à quadam febre vexatus

768.

* al. persequendum

C ægrotare cœpit, Comites suos ac Iudices ibidem constituit. Inde per Pectauis vsque ad Thoronis vrbem ad Monasterium beati Martini Confessoris accessit, ibique multam eleemosynam tam Ecclesiis quàm Monasteriis, vel pauperibus largitus est. Et auxilium beati Martini petens, vt pro eius facinoribus Domini misericordiam deprecari dignaretur: inde promouens se cum prædicta Regina Bertradane, & filiis suis Carolo & Carlomanno, vsque ad Parisius ad Monasterium beati Dionysij Martyris veniens, ibique moratus est aliquamdiu. Cernénsque quòd vitæ periculum euadere non potuisset, omnes Proceres suos, Duces & Comites Francorum, tam Episcopos quàm Sacerdotes, ad se venire præcepit. Ibique vna cum consensu Francorum & Procerum suorum, seu & Episcoporum, Regnum Francorum, quod ipse tenuerat, æquali sorte inter prædictos filios suos Carolum & Carlomanum, dum adhuc ipse viueret, inter eos diuisit. Id est Austrasiorum Regnum CAROLO seniori filio Regem instituit: CARLOMANNO verò iuniori filio Regnum Burgundia, Prouincia, Gothia, Alexacis, & Alamania, tradidit. Aquitaniam, quam ipse Rex acquisierat, inter eos diuisit. His gestis, Rex Pipinus post paucos dies, vt dolor est ad dicendum, vltimum diem & vitam simul caruit. Sepeliéruntque eum prædicti Reges, Carolus & Carlomannus filij ipsius Regis, in Monasterio sancti Dionysij Martyris, vt ipse voluit, cum magno honore. regnauitque annis viginti quinque. His transactis, prædicti Reges Carolus & Carlomannus, vnusquisque cum Leudibus suis ad propriam sedem Regni eorum venientes, instituto placito, initóque consilio cum Proceribus eorum, mense Se-

PIPINVS. ptembri die Dominico XIV. Calendas Octobris, Carolus ad Nouiomem vrbem, A & Carlomannus ad Saxonis * ciuitatem, pariter vno die à Proceribus eorum & consecratione Sacerdotum sublimati sunt in Regno.

* Suessionis

In Codice Ms. D. Petauij sequuntur Annales breues, ab anno DCCLXIX. *vsque ad annum* DCCCVI. *qui Tomo* II. *editi sunt, pag.* 21.

ERCHANBERTI

FRAGMENTVM,

Ex Breuiario Regum Francorum, & Maiorumdomus.

CHLODHARIVS Rex de Austris, postquam Theodericus & B Theodebertus Reges & germani mortui sunt, recepit Regnum eorum, consilio & adiutorio Pippini senioris, qui tunc temporis Maiordomus erat. Et sortitus est præfatus Rex trium regnorum Monarchiam XVI. annis, sicut illi sanctus Columbanus Abba in prophetico spiritu antea prædixit: quia ille Theotericus Rex instigante Brunihilta auia sua de suo Monasterio illum expulerunt. Quam etiam statim vt comprehendit Chlodharius, vitam ignominiosè finire fecit. Maiordomus tunc Gundolandus vir egregius erat.

Post non multum Rex præfatum Pippinum in Austris cum filio suo iam adulto Dagoberto misit, ibidem eum Regem constituendum, ipsúmque ei in Maioremdomus ac pædagogum constituens.

DAGOBERTVS Rex post mortem patris regnauit annis XVI. Hic magnificus Ecclesiis Dei largitor ac distributor fuit. Maiordomus eius *Erchanoldus* * vir inluster, Pippino interim in Auster Duce, ac non post multum mortuo post mortem Dagoberti Regis.

* al. Erchanbaldus

CHLODOVEVS Rex filius Dagoberti regnauit XVI. annis, qui omni spurcitiæ deditus fuit. Maiordomus qui suprà.

CHLODHARIVS Rex, filius Chlodouei, adhuc in puerili ætate suæ iuuentutis mortuus est, regnauitque annis IV. Maiordomus Ebroinus.

THEODORICVS Rex filius Chlodouei, frater Chlodharij, regnauit annis XIX. Maiordomus Bertharius. Quo occiso, Pippinus iunior filius Ansegisili * veniens de Austrasiis, successit in Principatum Maiorumdomus. C

* al. Ansgisi

Exhinc Reges nomen, non honorem habere cœperunt. Quibus tamen vbi constitutum fuerat, victus fuerat exuberans, custodiáque iugis erga illos habebatur, ne aliquid iure potestatis agere possint. Illis namque temporibus ac deinceps Gotefredus Dux Alamannorum, ceterique circumquaque Duces noluerunt obtemperare Ducibus Francorum, eo quòd non potuerunt Regibus Meroueis seruire, sicut antea soliti fuerant. Ideò se vnusquisque secum tenuit, donec tandem aliquando post mortem Gotefridi Ducis, Carlus ceterique Principes Francorum paulatim ad se reuocare illos arte qua poterant studuere.

CHLODOVEVM adhuc puerum filium Theodorici constituunt Regem, qui tantum regnauit annos II. Maiordomus Pippinus qui suprà.

CHILDEBERTVM filium Theodorici, fratrem Chlodouei, statuunt in Regnum, qui regnauit annos XVII. Maiordomus constituitur Grimoaldus filius Pippini, quia ipse Pippinus ægrotare cœperat. qua infirmitate & moritur, & interim Grimoaldus occiditur.

DAGOBERTVM filium Childeberti Regem statuunt, qui regnauit annos V. Maiordomus Thedoaldus filius Grimaldi, post quem Regnifredus *.

* al. Raginfredus.

Illis

B Illis temporibus CARLVS, filius Pippini ex concubina, in custodia à Plectrude matrona eiusdem Pippini tenebatur. auxiliante Domino vix euasit.

Danihelem quondam Clericum, cæsarie capitis crescente, Regem Franci constituunt, quem CHILPERICVM nuncupant: quia deficiente prosapia Regum, illum quem propinquiorem Meroueis inuenire poterant, statuere: quia Merouei (vt aiunt) sicut antiquitus Nazarei, nullo capitis crine inciso erant. Regnauitque annis VI.

Interim prædictus Carlus Princeps ad Austrasios paternarum sedium aufugiens, ibique Principatum arripiens, Regémque sibi nomine CHLODHARIVM constituens, multa bella cum Chilperico Rege & suo Maioredomus nomine Reganfredo commisit, eósque vt voluit superauit, & thesaurum patris sui à Plectruda recepit, suúsque Rex Chlodharius post non multum obiit.

THEODERICVM filium Tagoberti* iunioris Franci in Regem sibi statuunt, qui nutritus in Cala Monasterio erat, regnauitque annis VI. Maiordomus ac Princeps Carolus. Qui iam vtraque Regna viriliter gubernans, circumquaque cum Regibus ac Ducibus bella semper superando committens, donec eum omnes vincendo, qui ei contrarij fore videbantur, vincere constabat.

* Dagoberti

B

CHRONICON BREVISSIMVM,

A THEODORICO I. Rege vsque ad CHILDERICVM, cui PIPINVS successit.

Ex Codice Ms. Cænobij S. Remigij Remensis.

THEODERICVS regnauit annos XVII.
Clodoueus regnauit annos III.
Childebertus regnauit annos XVII.
Dagobertus regnauit annos V.
Hilpericus regnauit annos V.
Theodericus regnauit annos XVII.
Annos VII. interim alius Rex non regnauit.
Hildericus Rex regnauit annos IX.
Sunt in summa numeri annorum, quos isti Reges regnarunt, anni LXXVIII.

CHRONICON ALIVD ITIDEM BREVISSIMVM,

C

A CHLOTARIO II. Rege vsque ad PIPINI obitum.

Ex Ms. Codice Tiliano.

CHLOTARIVS regnauit annos XLVII.
Dagobertus filius suus regnauit annos XVII.
Sigobertus nepus suus regnauit annos XXIII.
Childebertus adoptiuus filius Grimoaldi regnauit annos VII.
Childricus regnauit annos XIV.
Theodericus regnauit annos XVII.
Chlodoueus regnauit annos IV. obiit in V.
Childebertus regnauit annos XVII.
Dagobertus regnauit annos IV. obiit in V.
Hilpericus regnauit annos V.
Theodericus regnauit annos XVII.
CAROLVS sine alio Rege imperauit annos IX.
Childricus regnauit annos IX.
PIPINVS regnauit annos XVI. & dimidio.

 A

FRAGMENTVM HISTORICVM AVCTORIS INCERTI,

A DAGOBERTO I. VSQVE AD PIPINVM REGEM.

Ex alio prolixiore Fragmento, quod Alberti Argentinensis Chronico præfixum est in editione Christophori Vrstitij.

631. ANno ab Incarnatione Domini DCXXXI. DAGEBERTVS Rex Monarchiam in tribus Regnis, Burgundionum, Austrasiorum, superiorum Francorum, sagaciter accepit. Fuitque Rex fortissimus, enutritor Francorum, seuerissimus in iudiciis, & Ecclesiarum largitor. Pacem in cuncto Regno suo statuit. In multis Regnis rumor eius personuit. Timorem vniuersis Regnis per circuitum incussit. Pacificus & quietus Regnum obtinuit Francorum. B Sancto Arnulfo Metensi Episcopo, Pipino Duce, & Erchinoldo Maiore domus, vtens Consiliariis: nimio amore iustitiæ flagrauit.

642. ANNO Domini DCXLII. in Britannia sanctus Osualdus Rex piissimus, cùm Regnum Anglorum & Britonum IX. circiter annis strenuè administrasset, contra Pendanum Regem pugnans, occubuit, & plurimis post mortem miraculis claruit.

646. ANNO Domini DCXLVI. Gertrudis virgo, filia PIPINI Ducis, soror Grimoaldi, Niuelensis Cœnobii mater, virtutibus claruit. Huius soror BEGGA & ipsa religiosa, ANGISO sancti Arnulfi filio nupsit. Sanctus quoque Arnulfus, cùm esset in iuuentute Dux, genuit Angisum Ducem. Angisus de Begga vxore genuit Pipinum Ducem, qui Maior domus Regni Francorum erat. Pipinus genuit Carolum seniorem, & Ducem & Maiorem domus Regni Francorũ. Carolus genuit Carlomannum & Pipinum Pipinus genuit Carlomannum & Carolum Regem, postea Imperatorem cognomento Magnum. & hæc est genealogia Caroli Magni.

668. ANNO Domini DCLXVIII. in Orientis partibus Constantinus huius nominis IV. Imperator Romanis imperat. Cuius temporibus Constantinopolis septennio obsessa, nec tamen est capta. Sub eodem Constantino floruit beatus Nicolaus Archiepiscopus, qui postea apud Myream sub Iustiniano minore Impera-
673. tore, anno Dominicæ Incarnationis DCLXXIII. migrauit ad Dominum. Eodem tempore beatus Arbogastus extitit, qui filium Dageberti à morte suscitauit: & C Florentius, qui filiam eiusdem Regis à dæmonio vexatam liberauit, Argentinæ vicissim succedentes Episcopi claruerunt.

674. ANNO Domini DCLXXIV. Dagebertus Rex obiit, & filii eius duo Regno substituuntur. SIGEBERTVS cum Pipino Duce, & Maiore domus Regiæ, Austrasiam: CLODOVEVS minor cum Nanthilde matre, & Erchinoldo Maiore domus Regiæ, Franciam & Burgundiam accepit. Sigebertus Rex Austri, Pipino Duce defuncto, Grimoaldum filium eiusdem Maiorem domus statuit. Decedente verò tempore, defuncto Sigeberto Rege, Grimoaldus filium eius paruulum nomine DAGEBERTVM totondit, & in Scotiam ad peregrinandum direxit, filium suum in Regno constituens. Franci hoc valdè indignantes, Grimoaldum capiunt, & ad condemnandum Regi Francorum Clodoueo offerunt. Qui in Parisius ciuitate carceri mancipatus, vt erat dignus morte, quod in Dominum suum exercuit, valido cruciatu finiuit vitam.

PER idem tempus concidit Regnum Francorum casibus pestiferis. Fuit namque Rex CLODOVEVS omni spurcitiæ deditus, fornicarius, & illusor feminarum, gulæ & ebrietati intentus. De morte huius & fine nihil historia dignum recolit. Cui vicissim filij eius LOTHARIVS, HILDERICVS, THEODORICVS, in Regno successerunt. Erchinoldo igitur defuncto, Lotharius, qui tunc regnabat, Ebroinum Maiorem domus constituit. Qui ob nimia scelera sua à Francis

A accusatus, ab Hilderico, qui fratri in Regno successerat, in Luxouio Monasterio Burgundiæ recluditur. Et Leudesius, quem Germani Luthericum vocant, filius Erchinoldi, consilio Leodegarij Augustudonensis Episcopi Maior domus Palatij constituitur.

Rex igitur Hildericvs cùm per aliquot annos regnasset, à pestiferis conspiratoribus in Aula, cum vxore sua prægnante, peremptus est. Leudesius verò, qui & Leuthericus, cum Franciæ & Germaniæ Principibus fratrem eius Theodericvm Regē constituunt, suffragantibus sibi Didone Pictauiensi Episcopo, Leodegario Augustudonensi Episcopo, & Gerino Pictauensi Comite fratre eius.

Igitvr Ebroinus de Luxouio egressus, & apostata factus, Theodoricum Regem & Leudesium persequutus, regales thesauros apprehendit, & quoscumque insidiatores suos reperit, crudeli morte damnauit. Postea in Germaniam cum suis, quasi pacis sub obtentu, pro Leudesio transmisit, vt eius auxilio in gratiam Regni peruenire potuisset, dispositis ei in itinere insidiis. Ille verò, licèt eum omnimodis habuisset suspectum, tamen pro pace restauranda iter aggressus est. Cúmque ad loca insidiarum peruenisset, Ebroinus cum suis ex improuiso consurgens, Leudesio cum aliquantis militibus occiso, ipse principatum Regni violenter inuasit, & cum conspiratoribus suis Leodegarium Episcopum captiuum interemit, Didonem Episcopum auunculum eius exilio damnauit. Leudesius namque cùm B Maior domus esset, duxerat vxorem de prosapia sancti Sigismundi Regis Burgundiæ, genuitque ex ea Athicum seu Adalricum, qui patre adhuc superstite, & Hilderico regnante, vxorem duxerat Bersuuindam nomine, filiam sororis sancti Leodegarij, sororem videlicet Reginæ. Ob hanc causam consanguinitatis, à præfato Rege Ducatum Germaniæ adeptus est, habuitque sedem in villa regia *Ehenheim*, & in castro quod *Hohemburg* nominatur. Genuitque filiam à natiuitate cæcam, nomine Odiliam, quæ à sancto Herhardo Ratisponensi Episcopo, & Hildolfo Treuerensi baptizata, in sacro fonte visum recepit.

Ebroinvs igitur dum Francos crudeliter opprimeret, ab Ermenfrido occisus est, & VVaranto* Maior domus à Theodorico constituitur. Quo defuncto, Franci in diuersa tendentes, vacillabant, & Berecharium quemdam statura pusillum, sapientiâ ignobilem, consilio inutilem, Maiorem domus Palatij oberrantes statuerunt. *al. VVaratto

Pipinvs igitur Dux, filius Angisi, nepos sancti Arnulfi, decedentibus Regibus, qui iamdudum dominabantur in Austria, terram sibi vendicauerat: & consurgens commoto hoste quamplurimo, contra Theodericum Regem & Berecharium aciem dirigit: illisque inter se decertantibus, Theodericus Rex vnà cum Berechario terga vertit. Pipinus victor extitit, & Berecharius ab inimicis suis peremptus est. Post hæc Pipinus Dux, Theoderico annuente, cœpit esse in principali regimine Maior domus: qui multa bella gessit contra Rapotonem gentilem, contra Sueuos, & quamplurimas gentes.

C Theodorico decedente, Clodovevs filius eius regnauit. Post quem Hildebertvs, deinde Dagobertvs. Pipinus itaque dum principatum Palatij sub prædictis Regibus annis XXVII. egregiè administrasset, mortuus est anno ab Incarnatione Domini DCCXIV.

Eivs temporibus duo Angli Presbyteri Euualdi, dum Saxonibus prædicarent, martyrio coronati, & miraculis declarati, ab ipso Coloniæ tumulati sunt anno Domini DCCXXIV. Sequenti anno sanctus VVillebrodus à Sergio Papa Archiepiscopus ordinatus, genti Frisonum prædicans, virtutibus floruit.

Igitvr Pipino mortuo, Franci Raginfredum in Principatum Maiorem Palatij elegerunt. Qui, Dagoberto Rege mortuo, cum Francis Danielem quēdam Clericum, cæsarie capitis crescente, in Regnum statuit, atque Hilpericvm nuncupauit. Eodem tempore Carolus Dux, filius Pipini, in Austria semel & iterum exercitu commoto contra Hilpericum Regem, & Raginfredum Maiorem domus, pro Principatu decertantes, Hilpericus cum Raginfredo terga vertit. Carolus victor extitit. Deinde Hilperico mortuo, Theodericvs ei successit. Quo mortuo, Hildericvs regnauit, qui tonsus, & in Monasterium iussu Stephani Papæ reclusus est, vt in sequentibus planiùs dicetur.

Carolvs igitur Dux victrici manu Maior domus Palatij effectus est, Ra-

718. ginfredo deposito. Cuius regiminis IV. anno, qui est à Natiuitate Domini DCC. XVIII. Sarraceni Constantinopolim obsidentes, tandem diuino auxilio fame, peste, & ferro repelluntur. A

Sequenti anno sanctus Bonifacius à Gregorio Papa Moguntiæ Archiepiscopus ordinatus est: quamuis antea Moguntini Episcopi suffraganei fuerint VVormatiensium Episcoporum. Et auctoritate Apostolica duos in sua parochia Episcopatus fecit, VVirzeburgensem scilicet, cui sanctum Burchardum, & Eistetensem, cui VVillebaldum, comprouinciales primos Episcopos ordinauit. Hic etiam Fuldense Cœnobium in saltu Bochania construxit, vbi postea, cùm Fresonibus prædicaret, martyrij coronam adeptus, anno Domini DCCLIV. sepultus est.

723. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCXXIII. corpus sancti Augustini Hipponensis Episcopi de Sardinia in Italiam à Lutprando Rege Longobardorum translatum est Ticinum. Sequenti anno sanctus Pirminius in Augia insula serpentes fugauit, & Cœnobialem vitam ibi instituens, Ethonem postea Argentinensem Episcopum, qui etiam Ethenheim Cœnobium construxit, pro se Abbatem constituit. Ipseque Alsatiam, Alemanniam, atque Bauariam, alia constructurus Cœnobia, petiit, quorum nomina hæc sunt: *Althahe*, *Pheuers*, (Fauarias) *Murbach*, *Schuttere*, *Sengenbach*, *Suuarzahe*, *VVissenburg*, *Horenbach*, *Morsmunster*, *Nuuvilre*.

731. ANNO Dominicæ Incarnationis DCCXXXI. Beda Presbyter natione Anglicus, doctor eximius, migrauit ad Dominum. B

CAROLVS igitur Dux & Maior domus Regni Francorum, postquàm Alemanniam, Bauariam, & totam prouinciam Teutonicorum subegit Regno Francorum, genuit Carolomannum & Pipinum. Qui diuiso post obitum eius patris Regno Francorum, Maiores domus præfuerunt: Regibus tamen in Francia, sed parua dignitate, regnantibus. Igitur Pipinus missis Romam Legatis, Zachariam Papam de Regno Francorum & ignauis eius Regibus consuluit. Cuius auctoritate, & non multò post iussu Stephani Pontificis Romani, HILDERICO, qui tunc temporis regimen Francorum tenebat, deposito, atque in Monasterium detruso, PIPINVS Maior domus, Rex Francorum electus, & Suessionis à sancto Bo-
752. nifacio Moguntinensi Archiepiscopo vnctus est anno Domini DCCLII.

GENS namque Merouingorum, de qua Franci Reges creare sibi soliti erant, vsque ad hæc tempora durauit. Quæ licèt in Hilderico finita posset videri, tamen iamdudum nullius vigoris erat, nec quidquam in se clarum, præter inane Regis vocabulum, præ se ferebat. Nam opes, & potentia Regni, penes Palatij Præfectos, qui Maiores domus dicebantur, & ad quos summa Imperij pertinebat, tenebantur: neque Regi aliud relinquebatur, quàm vt regio tantùm nomine contentus, crine profuso, barba submissa, solio resideret, ac speciem dominātis effingeret, Legatos vndecumque venientes audiret, eisque abeuntibus responsa, quæ erat doctus, vel etiam iussus, ex sua velut potestate redderet: cùm præter inutile Regis nomen, & precarium vitæ stipendium, quod ei Præfectus Aulæ prout videbatur exhibebat, nil aliud proprij possideret, quàm vnam præparui redditus villam, in qua domum, & ex qua famulos sibi ministrantes, atq; obsequium præbentes, paucæ numerositatis habebat. Quocumque eundum erat, carpento ibat, bubus iunctis, & bubulco rustico more agente, trahebatur. Sic ad Palatium, sic ad publicum populi sui Conuentum, qui annuatim ob Regni vtilitatem celebrabatur, ire, sic domum redire solebat. At Regni administrationem, & omnia, quæ vel domi vel foris agenda vel disponenda erant, Præfectus Aulæ procurabat. C

QVO officio tunc cùm Hildericus deponebatur, Pipinus iam velut hereditario iure fungebatur. Qui honor non aliis dari consueuerat, quàm his, qui claritate generis, & opum magnitudine ceteris eminebant. Hunc cùm Pipinus ab auo & patre sibi & fratri Carlomanno relictum, summa concordiâ diuisum, sex annis sub Rege memorato tenuisset: CARLOMANNVS amore conuersationis contemplatiuæ succensus, operosa temporalis Regni administratione relicta, in Monte Cassino optata quiete perfruitur.

PIPINVS autem per auctoritatem Romani Pontificis ex Præfecto Palatij Rex constitutus, cùm per aliquot annos Francis solus imperaret, Stephanus Papa pro auxilio contra Haistulphum Longobardorum Regem poscendo, ad eum in Franciam venit, & filios eius, CAROLVM, ob virtutum & meritorum quantitatem

A eognomento Magnum, & CARLOMANNVM Parisiis Reges inunxit anno Domini DCCLIII.

ANNO Domini DCCLIX. sanctus Othmarus, qui Cellæ sancti Galli primus Abbas constitutus, XL. annis præerat, à VVarino & Ruthardo, consensu Sidonij Constantiensis Episcopi, iniquè damnatus, in Henisteim relegatus, migrauit ad Dominum.

EODEM anno VVAIFARIVS tyrannidem in Aquitania exercuit. Cui resistens Pipinus Rex, Vasconiam seu Aquitaniam inuasit, & Tyrannum iniustè vsurpata sub sacramento reddere coegit.

* * * *

FRAGMENTA
DE REBVS EVDONIS AQVITANIÆ, ET CAROLI MARTELLI FRANCIÆ Principum.

B

Ac de ficta eiusdem Caroli Martelli damnatione.

Ex Chronico Isidori Episcopi Pacensis.

ÆRA DCCLVII. Tunc in Occidentis partibus multa IZIT Regi Sarracenorum præliando perueniunt prospera, atque per Zama nomine tres minus paululum annos in Hispania Ducatum habente, vlteriorem vel citeriorem Imperium proprio stilo ad vectigalia inferenda describit, præda, & manualia, vel quicquid illud est, quod olim prædabiliter indiuisum retemptabat. In Hispania gens omnis Arabica sorte sociis diuidendo partē ex omni re mobili & immobili fisco adsociat. Postremo Narbonensem Galliam suam facit, gentémque FRANCORVM frequentibus bellis stimulat; & seditas Sarrazenorum in prædictum Narbonensem opidum ad præsidia tuenda decenter collocat. Atque in coniurenti virtute iamdictus Dux Tolossam vsque præliando peruenit, atque obsidione cingens, fundis & diuersis generum machinis expugnare conauit. Sicque Francorum gentes tali denuntio certi, apud Ducem ipsius gentis EVDONEM nomine C congregantur: vbi dum apud Tolosam vtrique exercitus acies graui dimicatione confligunt, Zaman Ducem exercitus Sarracenorum cum parte multitudinis congregatæ occidunt. Reliquum exercitum per fugam elapsum sequuntur, quorum Abdirraman cepit Principatum vno per mense, donec ad principalia iussa veniret Ambiza eorum Rector. 719.

ABDERRAMAN vir belliger in æra DCCLXIX. an. imperij eius XII. semissario, Arabum CXIII. Iscam IX. in potestate properat lætabundus cunctis per triennium valdè prælatus. Cúmque nimiùm esset animositate & gloriâ præditus, vnus ex Maurorum gente nomine Munuz, audiens per Libiæ fines Iudicum sæua temeritate opprimi suos; pacem nec mora agens cum FRANCIS, tyrānidem ilicò præparat aduersus Hispaniæ Sarracenos: & quia erat fortiter in prœlio expeditus, omnes hoc cognoscentes, Palatij conturbatur status. Sed non per multos dies expeditionem prælij agitans Abderraman suprà memoratus rebellem immisericorditer insequitur conturbatus. Nempe vbi in Cerritanense oppidum reperitur vallatus, obsidione oppressus, & aliquando infra muratus, iudicio Dei statim in fugam prosiliens, cedit exautoratus. Et quia à sanguine Christianorum, quem ibidem innocentem effuderat, nimium erat crapulatus, & Anambadi illustris Episcopi decore iuuentutis procreitatem, quem igne concremauerat, valde exaustus, atque adeò ab hoc iam satis damnatus, ciuitatis pœnitudine olim abundantia aquarum fluentis site præuentus, dum quò aufugeret non reperit moriturus, statim exercitu insequente in diuersis anfractibus manet elapsus. Et quia fi- 731.

liam suam Dux Francorum nomine EVDO causâ fœderis ei in coniugium copulandam, ad persecutionem Arabum differendam iam olim tradiderat ad suos libitus inclinandam, dum ad eam tardicat de manu persequentium liberandam, suam morti debitam præparat animam. Sicque, dum eum publica manu insequitat, sese in scisuris petrarum ab alto pinaculo iam vulneratus cauilando præcipitat; atque ne viuus comprehenderetur, animam exhalat. Cuius caput statim, vbi eum iacentem repererunt, trucidant, & Regi vnà cum filia Eudonis memorati Ducis præsentant. Quam ille, maria transuectans, sublimi Principi procurat honorificè destinandam. Tunc Abdirraman multitudine sui exercitus repletam prospiciens terram, montana Vaceorum discecans, & fretosa & plana percalcans, trans Francorum intus experditat, atque adeò eas penetrando gladio verberat, vt prælium ab Eudone vltra fluuios nomine Garona vel Dornomia præparato, & in fugam dilapso, solus Deus numerum morientium vel pereuntium recognoscat. Tunc Abdirraman suprafatum Eudonem Ducem insequens, dum Turocensem Ecclesiam, palatia diruendo, & Ecclesias vstulando, deprædari desiderat, cum Consule Franciæ interioris Austriæ nomine CAROLVM, virum ab ineunte ætate belligerum, & rei militaris expertum, ab Eudone præmonitum, sese infrontat. Vbi dum penè per VII. dies vtrique de pugnæ conflictu excruciant, sese postremò in aciem parant, atque dum acriter dimicant, Gentes Septentrionales in ictu oculi, vt paries immobiles permanentes, sicut & zona rigoris glacialiter manent adstricti, Arabes gladio enecant. Sed vbi gens Austriæ molle membrorum præualida, & ferra manu perardua pectorabiliter ferientes Regem inuentum examinant, statim nocte prœlio dirimente, despicabiliter gladios eleuant, atque in alio die videntes castra Arabum innumerabilia, ad pugnam sese reseruant: & exurgentes è vagina sua, diluculò prospiciunt Europenses Arabum tentoria ordinata, & tabernaculorum vbi fuerant castra locata, nescientes cuncta esse peruacua, & putantes ab intimo esse Sarracenorum falanges ad prœlium præparatas, mittentes exploratorum officia, cuncta repererunt Smaëlitarum agmina effugata. Quique omnes tacitè pernoctando, cum eos stricto difugiunt repatriando. Europenses verò soliciti, ne per semitas delatescentes aliquas facerent simulanter celatas, vndique stupefacti in circuitu sese frustrare capitant, & qui ad persequentes gentes memoratæ nullo modo vigilant, spolias tantùm & manubias decenter diuisas, in suas se læti recipiunt patrias.

Ex Gestis Pontificum Autißiodorensium Ms.

HAINMARVS vocatus Episcopus tenuit Principatum annos XV. Fuit enim vir valde strenuus, atque nobilitate generis non mediocriter decoratus, simul quoque fundorum dignitate ditissimus. Nam in tantum eius potestas seculariter excreuit, vt vsque ad Ducatum penè totius Burgundiæ perueniret. Contigit autem eo tempore PIPINVM filium prioris KAROLI Aquitaniam ex euocatione EVDONIS Aquitanorum Ducis aduersus AIMONEM Cæsaraugustæ Regem perrexisse, qui LAMPAGIAM ipsius Eudonis filiam in coniugium sumpserat, & fœdera connubij ruperat. Conuenientes autem in locum, qui Iberra dicitur, dum inter se pugnare cœpissent, hic Hainmarus cum suis in Sarracenorum multitudinem irruens, maxima eos cæde prostrauit, deuicit, atque simul cum Rege suo Christo propitiante victor extitit. Sicque Pipinus cum triumpho Franciæ partes repetiit. Sed non multò post prædictus Eudo pactum, quod pepigerat cum Pipino, fallaci mutatione deseruit. Vnde factum est, vt isdem Hainmarus, præcipiente iamdicto Pipino, iterum Aquitaniæ partes, collecta suorum multitudine, repeteret, atque Eudonem ad bellum prouocaret. Quibus in vnum congressis, tanta subitò cæde Aquitani corruerunt, vt vix ipse Dux eorum Eudo per fugam dilapsus euaderet. Sed quorumdam insidiante inuidia, quæ prosperis rebus semper adesse solet, suggestum est Regi, quòd ipse Eudo non aliter, nisi ex consensu Hainmari euasisset. Qua de causa euocatus ab eodem Rege, apud Bastoniam villam, quæ est sita in saltu Arduennæ, custodiæ carcerali est mancipatus. Interiectis itaque paucis diebus, cuiusdam nepotis sui ingenio carcere extractus, arrepto equo fugam iniit. Cuius post tergum cum summa velocitate aduersarij inse-

B quentes, in loco, qui *Lusans* dicitur in pago Tullensi, eum consequuti sunt. Qui videns se eorum insidias euadere non posse, totum se ad diuinum contulit auxilium. Nam, dum extensis brachiis in modum crucis, oculis ad cœlum eleuatis, supernam gratiam exoraret, lanceis persequentium confossus, simul cum prædicto nepote suo occubuit, ibique dicitur fuisse sepultus.

Ex Libro Miraculorum sancti Austregisili Archiepiscopi Bituricensis.

Cvm Pipinvs Francorum Princeps aduersus Evdonem Aquitaniæ Principem pugnaturus, ad Bituricense oppidum venisset, Barbari in villa, quæ Carobeias dicitur, domum sancti Austregisili, in qua ille crebrò dormierat, inflammare voluerunt: nihil fracti admonitionibus vicinorum, qui illis dicebant, diuinitus multa illic edi miracula. Sed simulátque domum incenderunt, arrepti à dæmonibus, partim se in ipsas flammas iniecerunt, partim dentibus se laniarunt, partim membra sibi corporis truncarunt. Vbi Pipinvs id cognouit, exercitu eius ea re valdè exterrito, edicto cauit, ne quisquam res aut villas S. Austregisili attingeret. Non multò post Evdo eandem vrbem obsidens, Agnvm virum primarium in Monasterio beati Austregisili manere iussit. Ille verò res Monasterij omnes illic repertas distribuit Comitibus suis. Postquàm autem vrbs se Eudoni B dedit, essétque pax proclamata, Abbas eius Monasterij Bertradvs cum muneribus profectus est ad Agnum, dixítque ei: Accipe exiguum munus argenti, quod fratribus relictum est, misericordémque te præbe seruis Dei, vt possint viuere, & pro te rogare Deum. At ille nimiùm superbus, Abbatem irridens, ait: Eudo dominus meus iussit, vt teipsum vel in carcerem coniiciam, vel captiuum abducam, & tu me rogas pro Monachis tuis? Redit Abbas ad Fratres suos, narrat frustra se rogasse Agnum: monet, ad Dominum & sanctum Austregisilum preces fundant. Interim Agnus omnes S. Austregisili villas perlustrans, quicquid inuenire potest secum abducit. Porrò iter agenti apparet S. Austregisilus in somnis, dicítque ei: Cur tam immaniter me deprædatus es, & Fratres meos tanto mœrore affecisti? His dictis, grauiter eum verberat in capite. vnde & expirauit.

Apud Surium Tom. III.

Paulò post è Monasterio S. Austregisili Fredegisilvs vnus ex Proceribus Evdonis abegit iumenta. Cúmque ea, multámque aliam prædam ad suas ædes adduxisset, iámque homo superbissimus ea inter suos partiri vellet, mox acri correptus febre, vitam desperat suam. Venit autem illi in mentem, S. Austregisilum Monachos suos ab omni secularium hominum iniuria tueri solere, nec ferre vt quisquam impunè eos lædat. Itaque Salomoni Abbati Monasterij & Fratribus eius remittit ea, quæ abstulerat, multúmque orat, vt Dominum pro ipso deprecetur: vt & salutem corporis, & sceleris sui veniam obtinere queat. Abbas Monasterij cum eulogiis mox nuncios mittit ad eum, qui ei S. C Austregisili benedictionem offerant. Ille gratias agit, inuocat S. Austregisilum, cum multa reuerentia percipit ex iis quæ Abbas miserat: statimque vigore recepto, à ministris se iubet deportari ad iumenta, vt suis manibus reddat ablata. Quod cùm fecisset, ilicò pristina illi salus reddita est.

Peridem tempus Adroaldvs, vnus ex Evdonis Comitibus, Abbatem S. Austregisili Bertradvm captiuum detinuit, voluítque vt auro & argento se redimeret. Compulsus Abbas, quicquid auri & argenti habere potuit, atque insuper valde inuitus calicem vnum aureum, aliáque sacrata vasa Cœnobij illi dedit. Atque dimissus, ad Fratres mœstissimus rediit. Illi verò nocte ac die rogabant S. Austregisilum, vt ablata curaret reddi. Et ecce magnus timor peruadit Adroaldum, & neque edere, neque bibere, non dormire, non stare, non ingredi potest. Aderat illic seruus Dei Iulichannus, à quo petiit consilium, quid agere deberet, cùm illi morbum suum aperuisset. Ille verò homo doctissimus, & valde sapiens, quæsiuit ab eo, num quid ex rebus S. Austregisili vsurpasset iniquè. Fatebatur Adroaldus, se calicem aureum Austregisili, & permulta alia apud se habere. Tum ait ad eum vir Dei: Non audiuisti, quemadmodum S. Austregisilus punit hostes suos? Si vis vel in crastinum prorogari vitam tuam, actutum restitue ablata illi. Adroaldus multo terrore correptus, remisit omnia, & sanitas rediit. Bla-

degisilus, Sophronius, Guntaldus, & plerique alij, ex eiusdem EVDONIS Proceribus, casas Dei prædati fuerant, & euerterant.-- ∴ A

EVDO Princeps, cuius suprà mentio habita est, ad Monasterium S. Austregisili precandi gratiâ venit. Absolutis precibus, cœpit expostulare cum Fratribus, ita » dicens: Quis vestrûm ô domini, de Austregisilo feret sententiam? Ego illi fidem » habui, & cùm hoc in loco CVCHIANVS mihi sacramentum diceret, S. Austre- » gisilum fideiussorum accepi. Ait porro EVDO ad ipsum beatum virum: Sancte » Austregisile, tu de teipso profer sententiam. Si tibi fidem non adhibuissem, non » fugisset Cuchianus à me. Tu igitur iustum in illum exerce iudicium, & ego Fratribus Monasterij tui multa largiar. Cuchianus iste, cùm ad sancti Austregisili sepulcrum iurasset EVDONI, in Franciam ad CAROLVM Principem transfugit. Eodem ergo tempore, quo Eudo contra illum appellauit sanctum Austregisilum, » lethaliter percussus est, & exclamauit: Propter fidem Eudoni ad monumentum » suum datam, & postea falsam, Austregisilus me multis modis excruciat. Etnisi fallor, sese dentibus lacerare voluit, si non fuisset cathenis constrictus. Tandem cum multo cruciatu vitam finiuit.

Ex Vita sancti Maximini Episcopi Treuirensis, auctore Lupo, qui eam scripsit anno Christi DCCCXXX.

Apud Surium Tom. III.

IAM verò illud quàm est mirabile, quod CAROLO Principi obtigit? Námque is cùm longa febrium vexaretur molestiâ, & cibi potúsque fastidio vitæ periculum incurrisset, ei beatus Maximinus capienti somnum apparuit: vtque se ad suam abeuntem sequeretur memoriam, demonstrauit. Expergefactus Carolus satellitem, qui sibi fortè assidebat, percontatur, si videret beatum Maximinum, » qui secum paulò antè contulisset sermonem. Illo verò negante: Modò, *inquit*, » foras egreditur, atque imperauit vt se continuò sequerer, apud eius tumulum sa- » lutis compos futurus. Ita illò lectica deportatum, & in soporem resolutum, sanctus Maximinus iterum alloquitur, séque pro illo Domini postulasse clementiam ostendit: illum verò, ne se vltrà dedat vitiis, admonet. Mox igitur vt euigilauit, Carolus exurrexit, & pro votis promissis in sacrarium secessit, sibíque offerendos cibos poposcit, qui triginta diebus proximis, sumendorum alimentorum sibi possibilitate sublata, vix vitam solius aquæ haustu retinuerit. Escis itaque sumptis, amissas redire vires persensit: huiúsque non immemor beneficij, Cœnobium sancti Maximini prædiis auxit, quorum vnum Patriosala *, aliud Vuitmaris Ecclesia, tertium Commiciacus vocatur. Sancto autem Petro Andaclanam obtulit villam. B

Ex Vita sancti Rigoberti Remorum Archiepiscopi. C

Apud Surium Tom. I.

TEMPORIBVS CHILDEBERTI, DAGOBERTI, & CHILPERICI, Regum Franciæ, extitit vir Dei RIGOBERTVS, quem quidam Rotbertum vocant. Traxit ille originem ex spectabili prosapiâ in regione, quam Ribuariorum vocant, patre Constantino, matre è Francorum gente. -- ∴ Successit in Pontificatu Remensi REOLO, magnarum virtutum viro, &, vt quidam aiunt, ipsi sanguine coniunctissimo.-- ∴

QVODAM tempore vir sanctus de Culmisiaco villa Episcopatus sui veniens, adiit PIPINVM Maiorem Domus, patrem CAROLI MARTELLI, præmissis quibusdam eulogiis ad illum à venatione redeuntem. quas quidem crebrò illi mittere consueuerant. Morabatur tum PIPINVS in pagi cuiusdam loco, cuius vocabulum est Gremaca-cortis: vbi id temporis non villa erat, vt est hodie, sed sylua grandis, & fons, ad quem apri frequentes aduentabant, qui hodiéque illic permanet. Ceperat tunc Pipinus eo loco feram quandam, quam ibidem assari voluit, tanquam illic pransurus. Interea verò oblatam ipsi Episcopi Rigoberti bene- » dictionem gratissimo accepit animo, dicens clientibus suis: Quid faciemus huic » Episcopo, qui nobis gratificari non desinit? Illis tacentibus, Pipinus ad sanctum » conuersus Rigobertum, his eum verbis liberaliter compellauit: Pete à me quic-

B quid volueris, nec voto frustraberis tuo. Cui sanctus Rigobertus: Da mihi, inquit, exiguam hanc mansiunculam, & sufficit mihi. Tum ille, Et hanc tibi do, & quantum in eius circuitu tibi vendicare voles. Itaque sicut olim Clodoueus Rex beato Remigio, ita ille quoque sancto Rigoberto tantum largitus est agri, quantum posset ambulando circumire, dum ipse meridie dormiret. Porrò sanctus Pontifex per apertos eius loci fines obambulans, passim certos fixit limites, vt si qua lis oriretur, iis eam dirimeret. Omnibúsque peragratis, quæ sibi dari mallet, mox ad Pipinum à somno surgentem rediit, & ab illo quicquid circumierat locorum impetrauit.--

Amabat illum atque colebat haud vulgariter Pipinus, misitque ad eum CAROLVM filium suum, vt ab illo baptizaretur. Carolus hic ob feros animos, & quòd ab ineunte ætate vir strenuus in armis & robusto corpore fuerit, MARTELLVS est appellatus. Abluit autem illum vir sanctus vndis salutaribus, & è sacro fonte illum suscepit, vt eius pater petierat. Sed cùm ille postea patri decedenti in Principatu succederet, sanctum Antistitem è sua Sede impiè & iniustè expulit, vt paulò infrà dicemus.--

Interea verò dum idem Pontifex piis esset operibus intentus, suóque Clero & populo in omnibus tanquam pater filiis sollicitè consuleret, atque ea causâ in Remensi vrbe demoraretur, post obitum Pipini inter CAROLVM eius filium atque
B RAMANFREDVM non leuis simultas de obtinendo Principatu exorta est. Accidit tum, vt Carolus Remorum vrbem præteriens, totam vt aiunt circumiret, donec ad eam peruenit portam, in qua sanctus Rigobertus congruis extructis ædibus degebat. Quem sanè huiusmodi compellauit vocibus: Domine Rigoberte, iube portam ciuitatis aperiri, vt liceat mihi ire precatum ad sanctam Mariam. Sed cùm sanctus Episcopus nullum ei vociferanti redderet responsum, quippe orationi intentus, cui perpetuò vacabat, fertur tertiò eisdem vsus vocibus: ita vt tandem vir Dei eius valido clamore compulsus, sic ei responderit: Porta hæc tibi non aperietur, donec certò constet, vtri vestrum cessura sit victoria. Tu enim & Ramanfredus inter vos de dignitate contenditis, nec adhuc scire licet, quem sit res exitum habitura. Quòd si Dominus te voluerit victorem euadere, reuertenti tibi libens portam reserabo, fidelémque me exhibebo. His auditis, Carolus furibundus iuramento affirmauit, si victor rediret, non impunè id laturum Episcopum. At vir Dei eius minas non valde pertimescens, portam ei noluit patefacere. Facilè enim, vt pote vir prudens, animaduertit, non orandi studio illum velle ingredi, quod simulabat, sed vastandi potiùs animo, quemadmodum alias iam vrbes deuastarat. Tum etiam verebatur, si hunc intrò admisisset, Ramanfredum, si ad eum victoria inclinasset, ipsum infidelitatis incusaturum. Hæc autem porta à plerisque Collaticia, ab aliis hodiéque Basilicaris vocatur: ibíque portarum ceterarum totius vrbis claues apud se reconditas seruabat. Basilicaris verò idcirco dicta putatur, siue quòd in eius circuitu plures quàm apud portas alias ferantur
C olim fuisse Basilicæ: siue quòd euntibus ad Basilicas, quæ in sancti Remigij vico habentur, semper fuerit peruia.

Iusserat autem sanctus Rigobertus in pinnaculo templi sancti Petri, quod erat propinquum eius ædibus, ostium fieri, per quod in illud templum, adiunctis illi gradibus, descendere solebat ad orandum: atque indè reuertens, per idem ostium ingrediebatur in Oratorium, quod iuxta domum suam extruxerat supra murum ciuitatis, dicauerátque sancto Michaëli Archangelo. Quod quidem tempore non exiguo permansit, & frequens ad illud populus confluebat, in ipsa præsertim beatissimi Archangeli solemnitate: donec LVDOVICVS Imperator sancti Petri Monasterium donauit filiæ suæ ALPAIDÆ. quod quidem propter loci situm vocatur inferius, sicut alterum illi vicinum eandem ob causam dicitur superius. Huius autem feminæ maritus, nomine BEGO, hoc Oratorium iussit dirui, quòd suo fastigio iam dicti templi fenestræ caliginem offunderet: vel potiùs, quòd ad eius ostiolum grauiter caput allisisset, cùm esset procero corpore, nec caput submisisset ingrediens per ostiolum. Indè autem abiens, ita locutus est ad suos: Cauete, ne huc reuertens istud hîc inueniam. alioqui certè pœnas luetis. Vt autem cœptum est destrui, ille mox arreptus est à dæmone, cùm tamen procul abesset in pago,

qui Begonis-villa dicitur. Feruntur etiam horribiles tenebræ Remis extitisse per A triduum illo in loco, vbi destruebatur.

CHILPERICVS. CAROLVS XII. Kalend. Augusti, qui tunc Dominicus erat dies, summo mane conflixit cum CHILPERICO Rege, & RAMANFREDO, quem Chilpericus Maiorem domus creauerat: & pro voto victoriâ potitus, mox vt reuersus est, de Sede sua exturbauit Pontificem Rigobertum: & quidem iniustissimè, vt erat illi anteà comminatus. Neque id tamen adeò mirum, cùm etiam aliis similiter fecerit. Porrò in depulsorum locum suarum partium studiosos intrusit. De hoc Carolo annotatum est in Annalibus diuersorum Regum, quòd primus ipse Episcopatus Regni Francorum contulerit laïcis hominibus, & Comitibus. Sensit eum sanè infestum sibi sanctus Pontifex Rigobertus ad supremum vsque vitæ eius diem, cùm illi debuisset esse fidelissimus, quippe baptismi fonte ab illo susceptus.-∴

Quòd CAROLVS hunc virum Dei crudeliter è sua Sede eiecit, & res Ecclesiarum vsurpauit, iusto Deus iudicio in illius caput reddidit, quemadmodum antiquorum veridica traditione constat. Sanctus enim EVCHERIVS Aurelianensis Episcopus, quem etiam sua dignitate priuarat, quique in sancti Trudonis Cœnobio quieuit, cùm esset orationi intentus, raptus in spiritu, inter cetera quæ illi diuinitus ostensa sunt, vidit hunc Carolum apud inferos damnatum. Cúmque ab Angelo ductore suo percunctaretur eius rei causam, dictum est illi, quòd propter res Sanctis ereptas & ablatas, ante extremum iudicij diem iam corpore & B anima addictus sit suppliciis æternis. Itaque ad se reuersus sanctus Eucherius, sanctum Bonifacium, & Fulradum Abbatem sancti Dionysij, summum Regis PIPINI Capellanum ad se vocauit: eísque hæc exponens, pro comperienda certiùs veritate iussit eos adire Caroli sepulchrum, & si illic cadauer eius non inuenirent, de visionis certitudine nihil ambigerent. Abeunt illi, apertóque monumento, vident subitò prodire indè draconem: porrò monumentum totum intrinsecus denigratum, perindè ac si exustum foret.

Meminit verò huius beati Antistitis etiam Adrianus Pontifex Romanus in Epistola, quam scripsit Tilpino eius successori. In qua sanè multùm conqueri videtur » iniuria illi illata. Ita enim scribit: Tua fraternitas nobis retulit, quia faciente » discordiâ inter Francos, Archiepiscopus Remensis Rigobertus nomine à Sede » contra Canones deiectus & expulsus fuit sine vllo crimine, & sine vllo Episcopo» rum iudicio, & sine vllo Apostolicæ Sedis consensu vel interrogatione: sed so» lummodò quòd antea non consensit in partem illius, qui postea partem de illo Re» gno in sua potestate accepit, in qua parte est Remensis ciuitas: & donatus atque » magis vsurpatus contra Deum & eius auctoritatem fuerit ille Episcopatus simul » cum alio Episcopatu, & aliis Ecclesiis, & secularibus potestatibus, MILONI » cuidam, sola tonsurâ Clerico, nil sapienti de Ordine Ecclesiastico: & alij Epi» scopatus de ipsa Remensi diocesi diuerso modo erant diuisi. & aliqui ex magna » parte in Episcopio consistentes ad alios Episcopos & Metropolitanos Episcopi » & Clerici ordinationes aliquando accipientes erant, & refugia indebita habebant, C » & à suis Episcopis iudicari & distringi non sustinebant: & Clerici, & Sacerdotes, » & Monachi, & Sanctimoniales, sine lege Ecclesiastica pro voluntate & licentia » viuebant.--∴

Ex Vita sancti Eucherij Episcopi Aurelianensis, Auctore eidem contemporaneo.

Apud eundem Surium Tom. I. CVM SVAVARICVS, qui Aurelianensis Ecclesiæ populum Pontificali honore fultus regebat, ex hac luce migrasset: tum omnis eius loci plebs pariter congregata, Domino annuente, ad CAROLVM inclytum Francorum Principem Legatos cum muneribus & humili prece mittit. Qui cum velocitate eius præsentiæ oblati, pedibúsque illius aduoluti, non sine lacrimis ita eum alloquun» tur: Domine & Princeps inclyte, quæsumus vt iis, quæ plebs Aurelianensis tibi » suggeri voluit, auditum clementer accommodes. Dominus & Pastor noster ve» nerabilis Suauaricus, vocante Domino, de hoc mundo migrasse cognoscitur. Ob» secramus igitur pietatis tuæ clementiam, vt nepotem eius EVCHERIVM fa-

A mulis tuis plebi Aurelianorum Pontificem iubeas constitui. Ille verò postulationem eorum benignè suscipiens, disponente Domino, ratum habuit quod ab eo humiliter poscebant, atque ex Aula sua virum fidelem misit, qui beatum Eucherium è Cœnobio, in quod se contulerat, euocaret: & si non spontaneum, vel inuitum ad vrbem Aureliam perduceret, vt ibi Episcopus ordinaretur.-- ⁝

Porrò benedicente Abbate, omnibúsque Fratribus prosperitatem illi à Domino precantibus, egressus è Cœnobio Aureliam peruenit. Móxque accersiti vicinarum ciuitatum Episcopi, omnísque Clerus & populus, in Pontificali Cathedra eum per omnia dignum Præsulem collocant.- ⁝ Crescebat interim fama eius longè latéque per orbem. Cúmque opinio eius passim vulgaretur, inimicus humani generis inuidens gloriæ eius atque sanctitati, corrupit quosdam malignitatis suæ veneno: permouítque eos, vt inuidiâ excæcati suggererent CAROLO Principi, vt virum beatum cum omnibus illi sanguinis propinquitate coniunctis in exilium relegaret, illorúmque honores partim suis vsibus adiiceret, partim in suos satellites conferret. At Carolus ea suggerentibus ita respondit: Nostis gentem hanc ferocissimam & bellicosam, multísque opibus instructam. itaque quæ consulitis non sine hæsitatione possum exequi.

Interea gens nefanda Ismaëlitarum ad depopulandam Prouinciam Aquitaniam ingressa, cunctam vastans supellectilem, oppida & castella nititur expugnare. Audiens verò hoc CAROLVS Princeps, collectis Burgundiorum Francorúmque B populis, obuiam illis cum copioso pergit exercitu: cæsísque illis, cum ingenti præda domum reuersus est. Cúmque Aureliam peruenisset, Ligeris alueum transiens, prandiáque parata relinquens, Parisius proficiscebatur, iussitque beatum Eucherium se sequi. At ille, tametsi sciret insidias sibi præparatas, nequaquam renuit. Non tamen Principis, sed Dei obtemperans præceptis, spontaneus periculo se dedit, subiiciens se, sicut B. Petrus Apostolus ait, humanæ creaturæ propter Deû: sine Regi, tanquam præcellenti: siue Ducibus, tanquã ab eo positis ad vlciscendam prauitatem malorum, vt canatur laus bonorum. Anno itaque XVI. Pontificatus sui Aurelia egressus, & Lutetiam quoq; ex Principis voluntate prætergressus, Vernum fiscum publicæ ditionis ilicò aduolauit: móxq; celebri sermone vulgatum est auribus Principis, adesse sanctum Sacerdotem. Quem ille à suis militibus iussit comprehendi, & cum propinquis reliquis Coloniam in exilium deportari. Ille verò, vt virtutum sibi augmenta cumularet, reddebat gratias, sacrosanctæ subditus Trinitati. Vbi autem Coloniam peruenit gloriosus Christi Sacerdos, tanta ibi & Sacerdotum, & Cleri, & populi benignitate fruebatur, vt cunctis illorum opibus quicquid indè illi facere libuisset, haud aliter atque propriis vti illi liceret. Quod cùm ita fieret, CAROLVM Principem latere non potuit. Itaque metu perterritus, ne fortè illorum subsidiis & auxiliis adiutus, munitiora Regni loca seu castella occuparet, C clam tutiori loco in Hasbania ROBERTO Duci tradidit custodiendum. Qui sanè illum cum maxima gratulatione suscipiens, permisit manibus illius omnem supellectilem suam, vt sicut ei placeret, facultas illi suppeteret tam egenis, quàm in Cœnobiis commorantibus indè tribuere. Petiit autem à prædicto Duce, vt sibi in Ecclesia beati Trudonis Confessoris pro ipso & fidelibus eius copiam deprecandi tribueret. Quo impetrato, Sacerdos Dei inclytus die noctúque Dominum deprecabatur, vt cum electis eius in aula gloriæ ipsius coronari mereretur.

1.Pet.2.

Verùm, cùm Scriptura dicat, *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius:* quod Princeps CAROLVS contra hunc virum Dei fecit, Episcopatum crudeli violentiâ ei adimendo, tum etiam aliarum Ecclesiarum res vsurpando, id iusto Deus iudicio reddidit in caput eius. Namque hic vir Dei in oratione positus, ad alterum seculum est raptus, & inter cetera, quæ Domino ipsi ostendente conspexit, vidit hunc Carolum in inferno inferiori torqueri. Eique interroganti ab Angelo ductore eius responsum est, quia Sanctorum iudicio, qui in supremo mundi die cum Domino iudicabunt, quorúmque res abstulit, & exercitui suo distribuit, ante illud iudicium anima & corpore sempiternis pœnis est deputatus, simúlque cum suis peccatis recepit pœnas propter peccata omnium, qui res facultatésque suas ob honorem & amorem Dei ad Sanctorum loca in luminaria diuini cultus fouenda, inque alimoniam seruorum Christi ac pauperum pro animarum suarum salute cõtulerant. Porrò vir Dei ad se rediens, sanctum Bonifacium, & Fulradum Monaste-

rij sancti Dionysij Abbatem, summúmque Regis Pipini Capellanum ad se vocauit, eísque hæc reuelans, hoc signi dedit, vt ad sepulchrum Caroli Principis irent, & si corpus eius illic non inuenirent, ea quæ dicebat vera esse crederent. Illi verò pergentes ad Monasterium, vbi Caroli cadauer humatum fuerat, tumulúmque illius aperientes, subitò draconem exire indè viderunt, totúmque sepulcrum intus inuentum est velut incendio atrum. A

Ex Epistola quam miserunt Episcopi Prouinciarum Remensis & Rothomagensis, à Carisiaco Palatio, quò conuenerant, per VVenilonem Rothomagensem Archiepiscopum, & Erchanraum Catalaunensem Episcopum, HLVDOVVICO *Regi Germaniæ in Attiniaco Palatio consistenti, anno Incarnationis Dominicæ* DCCCLVIII. *in mense Nouembrio.*

Extat integra inter Capitula Caroli Calui tit. XXIII.

LITTERAS dominationis vestræ quique nostrûm habuimus, quibus iussistis, vt vobis VII. Kal. Decembr. Remis occurreremus: quatenus ibi nobiscum, & cum ceteris fidelibus vestris, de restauratione sanctæ Ecclesiæ, & de statu ac salute populi Christiani tractaretis. Sed nos ad Placitum illud occurrere non potuimus, & propter incommoditatem, & breuitatem temporis, & propter inconuenientiam loci, & quod est lugubrius, propter confusionem tumultus exorti. B Sed & diuinis legibus, quas & vos obseruaturos cum vestris fratribus nobis denunciastis, cautum esse dinoscitur, quia sicut nec Archiepiscopi sine Coepiscopis, ita nec Coepiscopi sine Archiepiscoporum consensu vel iussu, nisi quæ ad proprias pertinent parrochias, debent præsumere: & in tam angusto tempore Archiepiscoporum literas non valuimus de Conuentu habere. Quapropter nouerit vestra sublimitas, quia mandatum vestrum nostra non contempsit humilitas: sed sicut longè est ante nos dictum, qui iubet impossibile facit se contemptibilem.-- :·

Quia verò CARLVS Princeps, PIPPINI Regis pater, qui primus inter omnes Francorum Reges ac Principes res Ecclesiarum ab eis separauit atque diuisit, pro hoc solo maximè est æternaliter perditus. Nam sanctus Eucherius Aurelianensium Episcopus, qui in Monasterio sancti Trudonis requiescit, in oratione positus ad alterum est seculum raptus, & inter cetera, quæ Domino sibi ostendente conspexit, vidit illum in inferno inferiori torqueri. Cui interroganti, ab Angelo eius ductore responsum est, quia Sanctorum iudicatione, qui in futuro iudicio cum Domino iudicabunt, quorúmque res abstulit & diuisit, ante illud iudicium anima & corpore sempiternis pœnis est deputatus, & recipit simul cum suis peccatis pœnas propter peccata omniũ, qui res suas & facultates in honore & amore Domini ad Sanctorum loca in luminaribus diuini cultus, & alimoniis seruorum Christi ac pauperum pro animarum suarum redemptione tradiderant. Qui in se reuersus, sanctum Bonifacium, & Fulradum Abbatem Monasterij S. Dionysij, & summum Capellanum Regis Pippini ad se vocauit, eísque talia dicens, in signum dedit, vt ad sepulchrum illius irent, & si corpus eius ibidem non reperissent, ea quæ dicebat vera esse concrederent. Ipsi autem pergentes ad prædictum Monasterium, vbi corpus ipsius CARLI humatum fuerat, sepulcrúmque illius aperientes, visus est subitò exisse draco: & totum illud sepulcrum interius inuentum est denigratum, ac si fuisset exustum. Nos autem illos vidimus, qui vsque ad nostram ætatem durauerunt atque viderunt. Quod cognoscens filius eius PIPPINVS, Synodum apud Liptinas congregari fecit, cui præfuit cum sancto Bonifacio Legatus Apostolicæ Sedis Georgius nomine. Nam & Synodum ipsam habemus, & quantumcumque de rebus Ecclesiasticis, quas pater suus abstulerat, potuit, Ecclesiis reddere procurauit. Et quoniam omnes res Ecclesiis, à quibus ablatæ erant, restituere, propter concertationem, quam cum VValfario Aquitanorum Principe habebat, non præualuit, precarias fieri ab Episcopis exinde petiit, & nonas ac decimas ad restaurationes tectorum, & de vnaquaque casata XII. denarios ad Ecclesiam, vnde res erant beneficiatæ, sicut in Libro Capitulorum Regum habetur, dari constituit, vsque dum ipsæ res ad Ecclesiam reuenirent. Vnde & domnus CAROLVS Imperator, adhuc in regio nomine constitutus, edictum fecit, vt neque ipse, nec filius eius, neque C

que

A que successores huiusmodi rem agere adtentarent. quod manu propria firmauit, cuius plenitudinem habemus, & de quo Capitulum excerptum in Libro Capitulorum eius, quicumque Librum illum habet, & legere voluerit, inuenire valebit. Hanc etiam relationem & in scriptura habemus, & quidam nostrûm etiam viua voce domnum Hludouuicum Imperatorem patrem vestrum referre audiuimus.-- :

Totam præcedentem de CAROLI MARTELLI *damnatione relationem fictam at fabulosam esse coniicerunt illustriss. Cardinalis Cæsar Baronius Tom.* IX. *Annal. ad annum* DCCXLI. *& Iacobus Sirmondus Societ. Iesu in Notis ad Caroli Calui Capitula.*

GENEALOGIA REGVM FRANCORVM,

à Faramundo vsque ad Pipinum.

Ex Vetusto Codice Ms. Conciliorum ac Capitulorum.

B PRIMVS Rex Francorum FARAMVNDVS. Secundus Chludio filius eius. Tertius Mereuius filius Mereuei. Quartus Childericus filius Mereuei. & regnauit annos XXIV. Quintus Chlodouius filius Childerici, & regnauit annos XXX. & habuit filios IV. Hi sunt, Theodericus, Clodemirus, Hildebertus, & Hlotharius, qui Regnum inter se diuiserunt. Sextus Rex Hlotharius filius Clodouici, & regnauit annos quinquaginta vnum. Septimus Rex Hilpericus Regnum Hlotharij accepit. Mortuus est Hilpericus filius Hlotharij, & regnauit annos XXIII. Mortuus est Hlotharius filius Hilperici, & regnauit annos XLV. Dagobertus filius Hlotharij mortuus est, & regnauit annos XXXIV. Hlotharius filius Dagoberti regnauit annos IV.* Theodericus filius Clodouei regnauit annos XVIII. Clodouius filius Theodorici regnauit annos II. Childebertus filius Theoderici regnauit annos XVII. Dagobertus filius Childeberti regnauit annos VI. Theodericus genuit Hildericum, qui in Sithio Monasterio constitutus est. Pippinus regnauit annos XVI.

* *Hic deest aliquid.*

GENEALOGIA POSTERORVM CLODIONIS REGIS,

qui hactenus ignoti fuerunt.

C *Ex Veteri Ms. Cod. Legis Salicæ.*

PRIMVS Rex Francorum Faramundus dictus est. Faramundus genuit Cleno & Cludiono. Chludius genuit Chlodebaudo. Chlodebaudus genuit Chloderico. Chlodericus genuit Childeuio & Hlodmaro. Childeuius genuit Hildeberto, Theoderico, & Hlothario. Chlotharius genuit Gunthario, Heriberto, Gunthramno, Hilprico, Chranno, & Sigeberto. Sigebertus genuit Hildeberto. Hildebertus genuit Theothberto, Theoderico, & Chilperico. Chilpericus genuit Hlothario, Flodrio.

A

GENEALOGIA REGVM FRANCORVM,

à Merouëo vſque ad vnctionem Pipini Regis.

Ex veteri Cod. Ms. Bibliothecæ Sereniſsimi Britanniarum Regis.

EX Genealogia Priami fuit Meroueus pater Childerici, qui genuit Clodoueum, quem ſanctus Remigius baptizauit, cuius fuit filius de concubina Theodericus, & de vxore Clodomerus, Childebertus & Clotharius; quorum pater regnauit annis triginta, & mortuus eſt anno quinquageſimo nono decimo ab Incarnatione Chriſti. Huius filij Regnum patris diuiſerunt, & Theodericus ſedem habuit Mettis, Clodomerus Aurelianis, Childebertus Pariſiis, Clotharius Sueſſionis. Ex Theoderico natus eſt Theodebertus. Ex Clodomero nati ſunt Theodaldus, Guntarius, & Clodoaldus. Theodericus regnauit XXIII. annis, & reliquit Regnum Theodeberto. Clotharius genuit Guntarium, Childericum, Aribertum, Guntrannum, Sigebertum, Chilpericum & Chrannum. Childeberto Clotharius ſucceſſit; Clothario, qui regnauit annis XLI. Chilpericus ſucceſſit. Filius Clotharij regnauit Aribertus pro Childeberto. Guuntrannus pro Clodomero. Chilpericus pro patre Clothario, Sigebertus pro Theoderico. Qui Sigebertus Brunechildem duxit vxorem, & Chilpericus eius ſororem, qui iam habebat filios Clodoueum, Theodebertum, & Meroueum. Quo tempore Iuſtinianus Imperator moritur. Chilpericus verò occiſa Gauſuenda ſorore Brunechildis, Fredegundem, quam prius abiecerat, poſtquam illi Clotharium genuerat, reduxit. Cuius ingenio Sigebertus anno DLXXV. ab Incarnatione Chriſti periit, qui ex Brunechilde Childebertum filium habuit, qui Mettis regnare cœpit pro patre, qui regnauit annis XIV. Poſtea Meroueus filius Chilperici Brunechildem in coniugio accepit, quam ab eo pater ſeparauit, & Clericum effectum, Presbyterum fecit. Annus XVII. Chilperici & Guntranni, fuit tertius Childeberti. Cuius anno IIII. Salonius & Sagittarius Epiſcopi in Synodo Cabillonenſi degradantur, & Iuſtinus Imperator amens moritur. Chilpericus tres filios vno anno perdidit, & quartum Clodoueum factione Fredegundis cultro interfecit. Guntrannus anno XXXIII. regni moritur, relinquens ſibi heredem Childebertum. Qui cùm ſeptem annis regnaſſet in Auſtria, quatuor tantùm vixit in Burgundia. Cui ſucceſſerunt filij, Theodebertus quidem in Auſtria, Theodericus in Burgundia. Denique anno XII. regni ſui Theodericus Ermenbergam ab Hiſpania duxit vxorem, cùm iam haberet ex concubinis tres filios, Sigebertum, Childebertum, & Corbum, atque idcirco ſibi incognitam remiſit ad patriam. Nam Brunechildis vtrumque nepotem ab vxoribus abſtinere, vt ſola pareret domina, maleficio inſtigabat; quæ etiam ſanctum Deſiderium lapidari compulit, & ob hoc Regnum Theoderici atque filiorum eius Deus deſtruxit, ſicut ei ſanctus Columbanus prædixit. Tandem poſt multas pugnas, quas inter ſe prædicti fratres habuerant, Theodericus XVIII. anno regni ſui profluuio ventris moritur. Cui Brunechildis Sigebertum filium ſubſtituere nitebatur, ſed Arnulphi ac Pippini factione Clotharius ſucceſſit. Qui Brunechildem equo indomito alligatam, vno videlicet pede ac brachio cum coma capitis, diſrumpi præcepit, eo quòd decem Reges Francorum interfici feciſſet, id eſt, Sigebertum, Meroueum, genitorem quoque ſuum Chilpericum, Theodebertum, & filium eius Clotharium, Clotharijque filium Meroueum, atque cum tribus filiis ſuis Theodericum. Poſt hæc Clotharius anno regni ſui XXXIX. Dagobertum filium ſuum ſuper Auſtraſios Regem inſtituit, qui regnauit annis XIII. Nam pater eius XLV. anno vitam finiuit. Dagobertus itaque duos filios habuit, Sigebertum, & Clodoueum. Clodoueus quoque ex Baltilde Regina ſua tres filios habuit, Clotharium, Childericum, atque Theodericum, & regni ſui anno XVI. obiit. Porro Clotharius Regnum paternum

B

A VII. annis obtinuit, cui Theodericus frater successit. Childericum verò Franci in Austrasiam dirigunt, quem postea sibi Regem statuunt, Regis Theoderici detonso crine capitis. Hebroinum verò Maioremdomus similiter adtonsum in Monasterio retrudunt, quod dicitur Luxouium. Sed postea crescente coma, vterque rediit, alter ad Regnum, alter ad Ducatus fastigium. Pro qua re sanctus Leodegarius innocenter appetitus Hebreduni martyrio coronatur, & Lupus pessimus Dux in exilium retruditur, sicut in præcepto eiusdem Theoderici continetur, quod de hereditate eiusdem Lupi essent in Monasterio S. Petri constructo in agello Floriacensi. Cùm itaque ex Merouco tanta creuerit seges nepotum, quorum alij simul in diuersis Franciæ partibus, alij cum parentibus suis aliquandiu pariter Regnum obtinuerint, seriem generationis priùs describamus à prædicto Merouco vsque ad Clotharium patrem Dagoberti, postea vsque ad Theodericum filium Sigeberti.

ALTERA SERIES.

MEROVEUS genuit Childericum, Childericus Clodoueum, Clodoueus Theodericum, Theodericus, Theodebertum. Genuit etiam idem Clodoueus Clotharium, Clotharius Sigebertum, Sigebertus Theodebertum, & Theodericum. Genuit quoque Clotharius Guntrannum Regẽ Burgundiorum. Verùm quia B distinximus Regum generationem, subiungamus tempora quibus floruerunt.

A captiuitate Troiæ vsque ad passionem Domini supputatis Olympiadibus sunt anni M.CCXIV. & à passione Domini vsque ad transitum sancti Martini Turonorum Episcopi, vt scribit Gregorius Turonensis, sunt anni CCCCXIV. Et à transitu sancti Martini, vsque ad transitum Clodouei sunt CXII. qui videlicet Clodoueus XXX. annis regnauit. Atque idcirco à captiuitate Troiæ vsque ad initium regni eius sunt anni M.DCCV. Verùm Idatius refert in suo Chronico, quòd magis gestis Regum congruit sanctum Martinum migrasse ex hoc mundo anno XI. Arcadij Imperatoris, qui est CCCCVII. annus, non à passione, sed ab Incarnatione Domini, quibus si adiiciantur CXII. ostenditur CXIX. annus Dominicæ Incarnationis quo Clodoueus obiit. Tunc etiam adimpleti sunt anni ab origine mundi secundum LXX. Interpretes MMMMMDCCXVIII. secũdum Hebraicam veritatem MMMMCCCCLXXI. Denique à temporibus Clodouei, qui fuit filius Dagoberti, pater verò Theoderici, Regnum Francorum decidens, per Maioresdomus cœpit ordinari. Quorum primus Pipinus apud Austriam reliquit filium Grimoldum, qui filium Clodouei nomine Dagobertum Dodoni Pictauensi Episcopo detonsum *, sub custodia Parisiis diu excruciatus vitam finiuit. Post Grimoldum, Herginoldus Maiordomus efficitur, quo defuncto Hebroinus succedit, Vuolfodo apud Austriam Ducis officio fungente. Quo decedente Martinus & Pipinus iunior filius Ansegisili, qui alio nomine Anchises dictus est, in Austria Maioresdomus fuerunt. Qui etiam moto prœ- C lio contra Theodericum Regem atque Hebroinum acies dirigunt, sed Martinus fuga lapsus, dolo Hebroini apud Laudunum Clauatum interficitur. Pipinus verò in Austriam rediit, ad quem Hermenfredus Francus occiso Hebroino fugiens euasit. Fuerunt autem Maioresdomus, ex quibus regalis generatio processit, primus quidem Ansbertus Senator, qui ex Plithil filia secundi Clotharij genuit Arnoldum patrem sancti Arnulfi tandem Mettensis Episcopi, qui Anchisem genuit, Anchises Pipinum. Franci denuo pro Hebroino Vuarathonem Maioremdomus faciunt, cuius filius Gislemarus contradicente patre cum Pipino ciuilia bella habuit. Item Pipinus cum Theoderico & Berthario bellum iniit, vicit, & cepit, atque thesauris acceptis Norbertum quendam de suis Maioremdomus constituit. ipse autem in Austriam remeauit. Cuius filij fuerunt Drogus & Grimoldus, sed Drogus in Campania Ducatum accepit. Mortuo Theoderico, Clotharius filius eius Regnũ puer obtinuit. Quo defuncto, Childebertus frater eius successit. Norberto quoq; mortuo Grimoldus Pipini filius Maiordomus effectus est. Childebertus verò mox vt migrauit ad Dominum, Regnum eius suscepit Dagobertus filius eius adhuc puer. Quo tempore Maiordomus Grimoldus Teutsindam filiam Ratbodi Ducis in coniugium duxit, qui à Rangario Frisone in Basilica sancti Lamberti peremptus est. Pro quo pater eius Pipinus Teudoaldum filium ipsius, quem

* deest aliquid.

ex alia coniuge habuerat, in honore patris constituit. Ipse quoque Pipinus eodem anno, qui est Incarnationis Dominicæ DCCXIV. in medio Decembris obiit, postquam obtinuit Principatum sub nominatis regibus annis XXVII. Plectrudis Pipini quondam vxor Karolum ex alia vxore Pipini filium, captum tenuit, sed Deo auxiliante viuus euasit. Hic enim post mortem Dagoberti iunioris, qui v. annis regnauit, multa prœlia commisit contra Ratbodum Frisonum Ducem, contráque Raganfridum, qui pro Teudollo Grimoldi iusti & modesti filio Maiordomus efficitur. Tunc Franci Danielem quendam Clericum post abiectionem tonsuræ in Regno stabiliunt, atque Chilpericum nuncupant. Contra quem Karolus pugnam iniit, atque in fugam victor compulit, ac deinde Coloniam veniens thesauros patris sui à Plectrude recipiens, Regem sibi Clothariũ statuit, qui eo anno mortuus est. Tandem Chilpericus Rex & Raganfredus Eudonem Ducem in adiutorium expetunt, quorum Chilpericus cum thesauris regalibus in Aquitaniam fugit, quem postmodum Eudo cum multis muneribus Karolo reddidit. Quo non plus v. annis regnante, Franci Theodericum * Trasiorum Princeps multa bella contra Ratbodum, contra Lanfredum, contra Eudonem, contra Baioarios, contráq; Sarracenos impari manu iniit, & semper gratia Dei victor exstitit. Hic res Ecclesiarum propter assiduitatem bellorum tradidit laicis, atque Incarnationis Dominicæ anno DCCXLI. Dux defunctus est, Principatum obtinentibus filiis eius Karlomanno & Pipino fratribus; quorum alter, hoc est, Karlomannus, contra Hunaldum Ducem Aquitaniorum, ac deinde contra Odilonem Baioariorum Ducem conflictum habuit: ad vltimum in Serapte monte Monachus effectus, postmodum in Cassino monte religiosam vitam duxit. Porrò in Franciam ad fratrem iam Regem Legatus Stephani Papæ rediit, quique Italiam repetendo apud Viennam Galliæ vrbem obiit. His temporibus Hildricus in Regno Francorum substituitur, de quo Pipinus Dux Legatos ad Zachariam Papam dirigit, interrogans eum si ita manere deberent Franci, cùm penè nullius potestatis essent, solo Regio nomine contenti: quibus Legatis Romanus Pontifex respondit, *illum debere vocari Regem, qui Rempublicam regeret.* Detonso igitur *Hildrico, & in Monasterio retruso*, mox Franci Pipinum sibi Regem constituunt. Hic enim rebellantes sibi omnes subegerat. Grifonem videlicet, fratrem suum, Tassilionem quoque ex sorore nepotem, quorum alterum Austrasiorum, alterum Baioariorum Ducem instituit. Denique Zacharia Pontifice defuncto, *Stephanus* succedit, qui in Franciam ad Pipinum vrgente necessitate venit, eúmque ac duos filios eius Karolum & Karlomannum pariter suæ benedictionis oleo perunxit.

** hic deest aliquid.*

A

CHRONICA REGVM FRANCORVM BREVITER DIGESTA

A primo Francorum eorumdem ortu, vsque ad Ludouici Pij Imp. filios.

Ex Cod. Ms. V. cl. Ioannis Tilij.

POST mortem Antenoris, qui capto Ilio, & Æ nea in Italiam cum suis profecto, Dux eorum, qui Mæotidas paludes ingressi sunt, Troianorum; & deinceps à Valentiniano Imperatore, cùm Alanos rebellantes ab eisdem paludibus fortiter expulisset, ob ferocitatem FRANCI appellati sunt, extitit. Hi succedente tempore, sicut in Historiographis legimus, fuerunt Duces eorum, Sunno, Marcomeris, & Gennebodus. Sunno genuit Feramundum, qui fuit primus Rex Francorum crinitus. Feramundus genuit Chlodionem Regem. Chlodio regnauit annos xx. de
B cuius stirpe ortus est Merouechus. à quo Francorum Reges Merouingi sunt appellati. Childericus filius Merouechi regnauit annos xxiv. & genuit Chlodouechum, qui primus in Francorum Regibus Christianus fuit. Chlodouechus filius Childerici regnauit annos xxx. Anastasio Imperatore. A transitu verò Martini vsque ad mortem Chlodouechi supputantur anni cxii. Chlodouechus genuit Theodoricum, Clodomerem, Childebertum, & Clotarium. Hi Regnum patris post mortem eius diuiserunt. Sed Clotarius omnibus superuixit, Regnúmque Francorum solus obtinuit. Chlotharius filius Chlodouechi regnauit annos li. Hic de diuersis vxoribus septem filios habuit, id est Guntharium, Childericum, Charibertum, Gunchramnum, Sigibertum, Chilpericum, & Chramnum. Sed Regnum patris hi quatuor, id est Charibertus, Gunchramnus, Chilpericus, atque Sigibertus, post eius mortem diuiserunt, ceteris eo superstite defunctis. Chilpericus de Audouera Regina tres filios habuit, Theodobertũ, Merouеum, & Chlodouechum. De Fredegunde quatuor, Chlodobertum, Theodoricum, Chlotarium magnum patrem Dagoberti, & quartum, cuius nomen non reperi. Sigibertus filius Chlotharij superioris regnauit annos xxiii. Gunchrãnus frater eius regnauit ann. xxxi. Chilpericus frater vtriusq; regnauit ann. xxiii. Chlotharius magnus filius Chilperici regnauit ann. xliv. Hic filium suum Dagobertum supradictum cum Pipino Duce in Austriã regnatorem direxit. Huius Chlotharij temporibus S. Audoenus exortus enituit. Dagobertus filius Chlotarij regnauit ann. xxxiv. Hic habuit duos filios, Sigibertũ
C & Chlodouechum. Quorum Sigibertum in Austriam cum Pipino supradicto Duce regnatorẽ direxit. Chlodouechũ secum retinuit, qui & Regnum eius post eum per annos xvi. solus obtinuit. Huius Chlodouechi anno iii. Incarnationis Dominicæ dcxxxv. sub Martino Papa Audoenus & Elegius apud Rotomagũ vna die ordinan- 635.
tur Episcopi: Audoenus Rotomagẽsis, Elegius Nouomagensis Episcopus. Chlodouechus filius Dagoberti genuit tres filios, Chlotharium, Childericum, & Theodericum. Chlotarius maior natu patri suo successit. Huius temporibus sanctus Hermenlandus ortus est. Huius etiam temporibus Ebroinus, qui B. Leodegarium Episcopum Augustudunensem interfecit, à Francis Maiordomus effectus est. Chlothario autem post iv. annos defuncto, Theodoricus frater eius successit. Theuderico verò de regno, Ebroino autem de honore à Francis eiecto, Childericus frater prædicti Theoderici & Chlotarij, in Regno successit. Quo propter leuitatem à Francis cum vxore interfecto, rursum Theodericus iamdictus in Regnum statuitur. Contra hunc Pipinus iunior filius Ansigilli, qui cum Martino in Austria decedentibus Regibus dominabatur, pugnauit secundò, & victor extitit. Hic Pipinus de Plectrude vxore habuit filios duos, Drocum & Grimoaldum. De alia vxore habuit Carolum primum. Theodorico mortuo, cùm regnasset annos xviii. Chlodouechus filius eius successit. Huic quoque post duos annos mortuo, Childeber-

tus frater eius, vir inclytus, in Regnum successit. Huius temporibus beatus Hermenlandus Abbas efficitur. Tunc etiam Grimoaldus filius Pipini secundi iunior, Maiordomus in aula Regis Childeberti factus est. Childeberto defuncto, qui regnauit annos XIII. Dagobertus filius eius successit. Dagobertus regnauit annos V. & mortuus est. Quo mortuo, Franci Danielem quendam Clericum cæsarie increscente sibi Regem instituunt, & Chilpericum nuncupant. Hic cum Raganfredo contra Carolum Pipini filium suprà memoratum dimicauit. Sed Carolus victor extitit, & Chlotarium sibi quendam Regem instituit, qui eodem anno mortuus est. Rursum Chilpericus & Raganfredus contra Carolum Eudonem Ducem Aquitanum expetunt in auxilium. Sed Carolus tam Chilpericum & Raganfredum, quàm Eudonem victor existens fugat. Eudo in Aquitaniam regressus Chilpericum cum thesauris eius secum ablatum ducit. Carolus cum Eudone postmodum amicitias facit, & Chilpericum reducit. non tamen in Regnum restituitur, sed moritur. Regnauit ann. V. Franci verò Theodericum filium Dagoberti iunioris Regem super se statuunt. Carolus supradictus genuit Carlomannum & Pipinum. quorum Carlomannus relicta Regni sui portione Romæ Clericus efficitur. Pipinus verò pater CAROLI MAGNI Regnum Francorum solus obtinuit, & per auctoritatem Zachariæ Papæ, & electionem Francorum, inungente Bonifacio Archiepiscopo Rex factus est. Childericum verò, qui solus Rex de stirpe superiorum Regum remanserat, Regno priuatum Clericum effecit. Pipinus genuit Carlomannum & Carolum Magnum. Pipino mortuo cùm regnasset annos XXXV. Carolus Magnus Imperator Augustus successit. Illo quoque mortuo, cùm regnasset annos plus quàm XLVI. Hludouuicus Cæsar Regnum Francorum per XX. & sex semis annos optinuit. Cui defuncto tres filij eius, Hlotarius, Hludouuicus, & Carolus, quarto Pipino, qui Aquitaniæ regnauerat, ante patrem mortuo, diuiso Regno successerunt. qui nunc per Indictionem tertiam sextumdecimum annum in Regno agere videntur.

[Margin: Post Theodoricum regnauit Carolus annos IX.]

[Margin: 851.]

FINIS.

A

APPENDIX I.
AD TOMVM I.
GESTA FRANCORVM,
AB IPSIVS GENTIS ORIGINE,
B AD OBITVM VSQVE CLODOVEI I. REGIS.

Auctore RORICONE quodam Monacho.

Ex antiquo Exemplari Ms. Cœnobij Moißiacensis, quod Vir clar. Innocentius Ciron Canonicus & Cancellarius Ecclesiæ ac Vniuersitatis Tholosanæ transcribendum curauit.

PROLOGVS.

QVIA calami nostri acies quadam rubigine videtur ambesa, quam boni totius inimica connexit ociositas, ne plectrum linguæ desidia pariter innectat, aut quadam tarditate rigescat, dum in custodiendis pecoribus immoramur, dum capellæ legunt citisum, & adhuc aliquantu-
C lum diei superesse videtur: memor patriæ quædam meæ Gentis opuscula, sicut nostri priores retulerunt, quoniam iniungitis, modica relatione narrabo. Nec imputetur garrulitati, si gesta parentum præconiis aliquibus extulero, quoniam ordini debetur & naturæ, vt prudentium facta parentum extollat deuotio filiorum.

LIBER PRIMVS.

QVONIAM id vestra deposcit intentio, vt vobis insinuare debeam, cur compatriotæ mei FRANCI cognominentur, quæ res est digna relatu, si vos otium præbueritis: quantum exinde ad nos veterum monimenta transmiserunt, quantumve memoria retinere potui, intimabo. Si vestrûm aliquis facta Troianorum cognouit, si Virgilio referente eorum excidium Vlyssis fraude compertum aure vel leuiter tetigit, non opus est hîc enarrare per singula, cur ad debellandam ferocissimam gentem Agamemnonis exarsit insania, quia nec nostræ facultati congruit, & non Historiam texere, sed breuem narratiunculam referre proposui. Mortuo igitur Hectore, Ilióque destructo, spes patriæ tota deperiit, omnium corda tremuerunt, ac viribus defœcatis dulcia arua linquentes alij pedestri itinere lares incognitos expetunt, alij marinis fluctibus remigantes fallacibus

vndis ſpem vitæ committunt. Vtrique videlicet neceſſitati conſulentes, non iam vicinas, ſed longè remotas & incognitas nationes expetere decreuerunt: quò tantæ infamiæ notam vel paululum euitare quiuiſſent. Ex his Priamus & Antenor cum ingenti multitudine de exercitu Troiano intrantes ripas Tanais fluminis, Pannoniorum terminos ſecus Mœotidas paludes nauigio petierunt. Miſſiſque per gyrum exploratoribus, deprehenderunt è vicino locum ſuæ habitationi congruum, remotum videlicet à communi habitatione hominum, terram nullis cultam vomeribus, marinis fluctibus vndique circumſeptam. Ibi itaque fixere tentoria, & reſumptis animis ciuitatem ædificauerunt, quam Sicambriam appellauere. Viri igitur iſti fortes & validi conſueta ferocitate ſuffulti contra vicinos arma mouentes, per gyrum finitima deuaſtantes, famam ſui nominis vulgauerunt vbique. Et quoties de propriis finibus Pannoniorum populus hos exturbare voluiſſet, toties fruſtratis viribus eorum gladiis cædebatur, nec ad debellandos eos aliqua poterat facultate conſurgere. Cúmque eos nec armis, nec viribus, nec ſuffragiis aliquibus de propriis agellis extrudere potuiſſent, tandem ab inſectationibus eorum deſiſtentes, quos antè perſecuti ſunt vt inimicos, contra velle poſtmodum cœperunt colere ac venerari quaſi dominos ac vicinos. Creuerunt itaque in gentem magnam, & inhabitauerunt Sicambriam vſque ad tempora Valentiniani Imperatoris. Habebant Duces, & primarios, & vniuerſos ordines magnatorum: & ſi non eandem honoris amplitudinem, tamen priſtinæ dignitatis faſtum vel nomine tenus retinere geſtiebant. Si fortè primates aliquos elegiſſent, quaſi hereditario iure priorum patrum nomina conſeruantes, non alium ſibi patiebantur imponi, niſi quem nominis dignitas ſublimaſſet. Valentinianus ergo Imperator arcem Romani regebat Imperij, vir ſtrenuiſſimus & amator Reipublicæ, pauperum ac humilium cultor munificus, & rebellium extirpator atrociſſimus. Aduerſum hunc Alanorum gens atrociſſima ſeruilia arma corripiens, rebelles dexteras ad deuaſtandum Imperium, vel ſeditiones excitandas, auſu temerario erigens, quæque adtrectare poterat vniuerſa deuaſtabat. Occurrit his Imperator cũ exercitu maximo ſuper fluuium Danubii, & in eos aciem dirigens, ſeruilem inſolentiam Imperiali repreſſit edicto: plures eorum bello ſuperans, alios in fugam præcipites abire compellens. Hi verò qui fugâ elapſi ſunt, Mœotidas intrauere paludes, ibique ſe communientes, ad defendendum vel potius reſiſtendum quæque poterant adiumenta congerebant. Perluſtratis Imperator importunitatibus loci, nolens totum fatigari exercitum, ſacramentis imperialibus conſtrinxit, per annos x. illis relaxari tributa, qui gentem hanc rebellem exinde dolo armiſue eiicere potuiſſent. Audientes hoc Sicambri, quos à Troia aduentaſſe iam diximus, animi audaciam experiri cupientes, per occulta latibula intra paludes inſidias collocant, & facto impetu ſuper Alanos irruunt: & eos nimia cæde mactantes, tandem vinctos vt inimicos Imperatori repræſentant. Hac igitur patrata victoria, & rebelles condigna vltione perdomuit, & Troianos noſtros, Sicambros videlicet, FRANCOS appellari præcepit. Expletis itaque x. annis, idem Imperator Primarium quemdam cum exactoribus de Romanorum populo miſit, qui tributum à Francis exigerent. Franci verò indignè ferentes, quòd qui eadem ſorte Græcorum ſæuitiam euitantes de propriis finibus aufugerant, ad perſoluenda tributa Germanum ſanguinem prouocaſſent; nil morati aduerſus Primarium inſurgentes, eum vitâ priuauêre. Pariter & Legatos, quos direxerat Imperator. Conſilio
» etenim iuuenum deprauati, hæc inter ſe verba tractabant: Imperator cum exerci-
» tu Romanorũ Alanorum gentem rebellem de latibulo paludum eiicere non po-
» tuit, & nos, qui eos deuicimus, cur tributa perſoluimus? His auditis, Imperator felle feruens contra Francos mouit exercitum, ducens ſecum Ariſtarchum militiæ ſuæ Principem. Qui videlicet Ariſtarchus cum innumera multitudine ſuper Francos irruens, quemdam eorum Ducem nomine PRIAMVM gladio trucidauit, & ceteros nimia cæde comminuens, licèt cum multo diſpendio Romani exercitus, tandem eos ſuperans, terga dare compulit. Sentientes itaque Franci iram Imperatoris diu ſuſtinere non poſſe, & libertatem, quam armis adquiſierant, perdere formidantes, elegerunt magis omnibus diebus vitæ ſuæ exulari, quàm tanti nominis dignitatem ſeruili ampliùs maculari infamia. Et relicta Sicambria, media pars ipſorum cum vxoribus & liberis peruagantes Europam, huc & illuc

A vacillabant, non habentes certos lares, nec propriæ stationis aliquod firmamentum. Per diuersos igitur anfractus itineris se suósque nepotes gladio defensabant, si fortè propter adipiscenda vitæ stipendia progrederentur alicubi, & inhumanos aliquos ad prohibenda necessaria offendissent. Et quocumque progrediebantur, eorum terror vbique diffusus compellebat in vnum conuenire populos; gentes innumeras adunari, vniuersas patriæ munitiones machinis omnibus armisvè muniri. Vulgus insuper vniuersum, quasi spes patriæ deperisset; abdita quæque lustrantes, se suósque paruulos ad montium abdita conferebant, & vndique buccinis concrepantibus ita ex propugnaculis oppidani quique transeuntem populum iactis spiculis atque sagittis exturbabant; ac si debellandam patriam eos aduentasse cognouissent. Sed gens, quæ non ad pugnam, sed ad commeandum venerat, recto gradiebatur itinere, nisi fortè aliquem capiendi cibarij necessitas alicubi pergere coëgisset. Communis verò exercitus citato calle gradientes, absque nimio impedimento ripas Rheni fluminis adtigerunt. Ibique in Germanorum oppidis fixere tentoria, habitauerúntque pacificè cum Principibus terræ illius. Hi verò, qui apud Sicambriam remanserunt, incolentes videlicet ripas Danubij, elegerunt super se Regem nomine Torcat, vnde & propterea Torchi appellati sunt. Modico itaque tempore elapsó, intrantes Franci resumptis viribus, & à lassitudine recreati, qui, vt diximus, ripas Rheni fluminis adtigerant, ad instar Troiæ
B ciuitatem ædificare conati sunt. Sed imperfectum opus relinquentes, pari consilio elegerunt sibi Regem, sicut & ceteræ Gentes, nomine FARAMVNDVM filium Marchomiris filij Priami, & eum solio sublimantes debita reuerentia excolere cœperunt. Quo defuncto, filium eius CLODIONEM in paterno solio sublimauerunt. Hic in finibus Thoringorum in DISPARGO castello paucis diebus habitauit. Suspecti semper erant Franci, & dubij, & in incerto vacillantes, dum explorarent sedulò, si fortè inueniretur alicubi locellus aliquis, qui eorum habitationi videretur esse congruus. Et dum hoc tædio æstuarent, relatum est illis ab exploratoribus, Galliam esse omnium regionum nobiliorem, omni refertam dignitate, consitam nemoribus pomiferis, terram esse fœcundam, aptam ad omnia quæ humanis possunt subuenire necessitatibus. Tali nuntio animati animos & arma corripiunt, & ad vindicandas iniurias, quas à Romanis pertulerant, corda cum gladiis exacuunt, non vt fugiant, sed vt eos exterminent, & vnumquemque suorum dictis asperioribus accendunt. His fermè diebus Romani habitabant à flumine Rheni vsque ad fluuiū Ligeris, & à Ligere fluuio versus Hispanias. Gothi dominabantur. Burgundiones quoque Arriani erant, & habitabant secus Rhodanum fluuium. Clodio igitur Rex missis præcursoribus suis vsque ad vrbem Camaracū, ipse quoque cum exercitu maximo Rhenum transiens eos subsequutus est, & ingressus Carbonariam syluam, Turnacensem ciuitatem obtinuit, & exinde Camaracum vsque properauit. Ibique modicum residens, Romanos omnes, qui in eadem reperti sunt, gladio trucidari præcepit. Qua ciuitate
C retenta indè progreditur, & vsque ad Sumam fluuium occupauit, & ingressus Ambianorum vrbem, ibidem & Regni sedem statuit, & deinceps pacato iure quieuit. Regnauit igitur annis XX. & mortuus est. Quo defuncto, MEROVICVS ad regendum populum eligitur, & in eadem Ambianorum ciuitate regali solio sublimatur. Merouicus itaque iste, à quo & Franci prius Merouinci vocati sunt, propter vtilitatem videlicet & prudentiam illius, in tantam venerationem apud Francos est habitus, vt quasi communis pater ab omnibus coleretur. Hic genuit Childericum patrem Clodouei Regis excellentissimi. Erant autem Franci tunc fanatici, adorantes idola, & non agnoscebant Regem cœli, qui creauit omnia. Mortuus igitur Merouicus, & regnauit CHILDERICVS filius eius pro eo. Childericus itaque Rex cùm esset nimis luxuriosus, & regnaret super Francos, filias eorum violenter opprimebat. Super hac re nimium indignantes, pari consilio, & æqualibus animis, aut eum occidere, aut de Regno expellere decreuerunt. Sentiens Childericus aduersum se Francorum animos esse commotos, aureum vnum diuisit in partes, vocans ad se Viomadum consiliarium suum, & ait illi: Sentio « gentem istam aduersum me consurgere velle, & ego vnanimitatem tuam peto, vt « in quantum potueris, Francos mihi pacifices. Cúmque sedatos eos agnoueris, « mandato tu vt redeam, & aurei ista partitio erit signum inter me & te. Cùm au- «

tem videro quam tibi relinquo, reuertar in pace. Sin autem, manebo apud A
* al. Bisinũ vocant
Sisinum* Thoringorum Regem. His dictis clam fugit apud Thoringos, habitauitque cum Sisino & Basina vxore sua. Quo expulso, Ægidium Romanum militem Franci super se statuunt consilio non bono, atque inutili. Regnauitque super eos annis VIII. & iunctus est ei Viomadus in fictam amicitiam, ob amorem Childerici Domini sui. Et hortabatur Regem Viomadus, vt Francos aliquos male opprimeret. Franci verò Ægidij Regis furore adtriti, consilium Viomadi expetunt, & quid agere debeant inquirunt. Quibus ille ait: Non reminiscitis, qualiter Romani parentes vestros adtriuerunt? quomodo eos à Sicambria expulerunt? Et vos Regem vestrum expulistis vtilem ac strenuum, & eleuastis super vos militem hunc Romanum crudelem atque superbum? Sine consilio hoc fecistis, & nunc meritò inebriamini poculo, quod propinastis. Cui aiunt illi: Sine lege licèt tunc filias nostras abuteretur, nunc pœnitet nos hoc fecisse. & vtinam eum inuenire meruissemus, vt cum pace regnaret super nos. His Viomadus auditis, celeres nuntios ad Childericum dirigit, vt cum pace redeat, aurei diuisi certa præmittens indicia. Sentiens Childericus quòd desideraretur à Francis, lætus reuersus est in Regnum suum. Quem Franci cum gaudio recipientes, cum dedecore expulerunt Ægidium. Basina quoque Sisini Regis vxor, apud quam latuisse præmonstrauimus Childericum, sæpiùs relicto viri thoro, consortium nostri Regis est experta. Quamobrem & eum nec multo pòst in Franciam est sequuta, cupiens loco vxoris habitare cum eo. Quam Childericus cùm insperatè conspexisset, & ad quos vsus de tam longinqua Prouincia ad eum properasset, inquireret: illa postposito pudore muliebri, vt erat nimis luxuriosa, tale fertur dedisse responsum: Quoniam noui vtilitatem tuam & pulchritudinem, & quòd sis habilis & strenuus, è domo veni vt habitem tecum. Nam si in extremis terræ finibus vtiliorē te cognouissem, & hunc nihilominus expetissem. Complacuit Regi mulieris sermo facetus, & eam gaudens sibi sociauit in vxorem. Quæ concepit, & peperit filium, vocauitque eum Clodoueum. Hic fuit Rex potentissimus super omnes Francorum Reges, vir egregius, ac strenuissimus, expugnator bellicosissimus, Imperij dilatator, & totius æquitatis amator. Childericus itaque Rex hac tempestate collecto Francorum exercitu, Agrippinam ciuitatem super Rhenum fluuium est adgressus. Quam omni bellorum apparatu circundans, tandem populum eundem nimia cæde vastatum deuicit, & munitiones vniuersas eiusdem ciuitatis sibi retinens, Coloniam eam vocari instituit. Hanc regebat Romanus Ægidius, cuius superiùs fecimus mentionem. Sed tanto exercitui resistere non valens, vrbe progressus fugæ consuluit, & sic furorem Regis euasit. Inde progredientes Franci, Treueris ciuitatem super Mosellam fluuium vastantes ceperunt. Eo tēpore mortuus est Ægidius Romanorum tyrannus, & eius filius nomine Siagrius, apud Suessionem ciuitatem in paterno solio sublimatur. Recollecto iterum Childericus Rex Francorum exercitu, Aurelianis vsque peruenit, terras omnes, quæ sunt in circuitu, nimia feritate depopulans. Inde progreditur Andegauis, occursurus Adouagrio Duci Saxonum, qui eandem Andecauam debellauerat, atque protriuerat, relicto Paulo Comite ad custodiendam ciuitatem. Cúmque Rex Childericus ex improuiso ciuitatem irrumperet, & Adouagrium Ducem obtruncare decerneret, naue subuectus Adouagrius aufugit, Regisque mucrone Paulus obtruncatus est: & principalis domus eiusdem ciuitatis est igne cremata. Hac igitur patrata victoria, cùm ad solum proprium, hoc est ad Ambianorum vrbem remeare cuperet, febre correptus spiritum exhalauit, & regendum populum CLODOVEO filio suo dereliquit. Mortuus est autem Childericus Rex XXIV. imperij sui anno, & regnauit Clodoueus filius eius pro eo.

PROLOGVS LIBRI SECVNDI.

RELATVM est, vt opinor, compendiosè satis, quantum propositæ breuitati congruit, cur ad has partes Francorum populus sit delatus, cur & tali nomine vocitetur. Sed quoniam vos intentos intueor, dum adhuc solis expectamus occasum, & dum saturos

A greges ad ouile reducimus, paucis tantùm sermonibus intimabo, qualiter omnem Galliam hic populus sit peruagatus, & qualiter eam à Romanis abstulerit. Precor etenim, ne vobis onerosum videatur, si ad supplendam historiam, vel ad depellendum fastidium eorum, quibus displicet prolixa narratio, & noua semper audire delectat, si aliqua ex opusculis vicinarum gentium elatè* tetigero. Nam is, qui propriis semper delitiis affluit, etiam cùm externas tetigerit delectatur. *ê latere

LIBER SECVNDVS.

CLODOVEVS igitur anno quinto imperij sui contra Siagrium Ægidij filium arma corripuit, atque ad exturbandum eum de paterno solio Francos omnes in exercitum adunare præcepit. Siagrius pari modo ex omni parte collectis viribus ad defendendum suorum animos præparat, Romanorum fortia facta commemorans, & ad contemnendos inimicos eorum enses acutissimos esse semper insinuans. Et cùm hinc & indè vtræque acies insisterent, & buccinis concrepantibus vndique spicula mitterentur, totis viribus cum Romanis decertantes Franci, memores prioris iniuriæ, qualiter eos à Sicambria eiecerant, nulli parcentes ætati, omnes pariter desectis ceruicibus gladiis obtruncabant: & quòd dictu etiam est horrendũ, plures eorum laniandos bestiis obiectabant. Siagrius itaq; cæsum cernens exercitum suum, solus è prœlio fugit: & cùm se morti conaretur abstrahere, morti potiùs destinatur. Nam dum Tolosam fugeret ad Alaricum Gothorum Regem, & Clodoueus victor detractis spoliis lætaretur, intercurrentibus nuntiis perlatum est Clodoueo, quòd apud Alaricum Siagrius occultaretur. Peruaso igitur omni Regno Siagrij, Clodoueus Legatos suos ad Alaricum dirigit, mandans vt ei Siagrius redderetur. Sin aliter, pararetur ad bellum. Metuens Alaricus Francorum gladios experiri, per eosdem Legatos Regi Clodoueo Siagrium mittit: mandans humiliter, vt iuxta votum animi quod meruerat redderet inimico suo. Qui cùm Regi præsentaretur, misso spiculatore caput eius amputari præcepit. Dehinc iam sedato tumultu, & fugatis hostibus, partimque detruncatis, Regnum Siagrij, & thesauros eius vniuersos, omnémque regiam supellectilem sibi soli Clodoueus retinuit. Prædam verò & spolia occisorum militibus vniuersis æquè diuidenda mandauit. Non solùm enim villas seu castella aliqua vastauerant, verum etiam Ecclesias plures cum tanta auiditate depopulati sunt, vt cum aurea quæque vel argentea vtensilia sibi quisque reconderet, ea etiam quæ nullis vtilitatibus erant congrua, vel vnguibus dissecarent, vel flammis iniecta concremarent. Inter cetera verò Ecclesiarum ornamenta, vrceum miræ magnitudinis, mirique decoris, de Ecclesia quadam abstulerant. Hos Ecclesiæ eiusdem Episcopus per Legatos subsequitur, humili prece deposcens, vt ei Clodoueus Rex vrceum reddere dignaretur ablatum. Quibus ita respondit: Licèt omnia « reddenda forent, quæ de Christianorum Ecclesiis abstulimus, tamen si aliud « videtur non mereri Episcopus, vrceum tamen, si nostræ parti obuenerit, non ne- « gabo. His dictis, concitus abiit quò totius prædæ summa diuidenda erat. Et sic « vniuersis militibus infit: Rogo, carissimi milites, vt Dei amoris gratiâ vrceum « illum meæ sorti deputetis, quatenus hunc petenti Episcopo reddere valeam, ne « ex toto paupercula eius Ecclesia nostra violentiâ desoletur. Placuit vniuersis pe- « titio Regis, & gratanti animo vrceum reddere decernebant, cùm vnus è Francis in sui perniciem eleuata bipenne vrceum percussit, & ait: Quod ei sors dederit, « cuius impertiatur à Rege, nostras nobis partes ipse relinquat. Obstupefactis om- « nibus, ac rei istius nouitate turbatis, Regis indignatio patientia interim opperitur, & vrceum reddere præcepit Episcopo. Anno itaque expleto congregato exercitu, dum secundum morem giraret vniuersos, & apparatum singulorum sedulò perlustraret intuitu, ad vltimum eum qui percusserat vrceum oculis conspicatur. Et præfatam iniuriam mente reuoluens, agrestia eius arma miratus, eum iniuriare cœpit, cur videlicet Conuentum virorum nobilium tam horrendo turpasset apparatu. Accipiénsque arma singula, cum indignatione maxima elisit ad terram. Et cùm ille ad colligenda arma manum acclinis extenderet, Rex eleuata bipenne

» caput eius lethali vulnere percussit, & ait: Ita & tu anno præterito Suessiones A
» vrceum percussisti. Quo mortuo, aduersus Toringos eundem duxit exercitum, &
eos nimia cæde prosternens, post innumeras cædes, post populi totius diminutionem, post patriæ deuastationem, residuos tandem, qui vitam fuga protexerant, redire præcepit, & eos Francorum tributarios fecit.

In diebus illis Gundobaldus & Godegisilus Burgundionum Reges, filij videlicet Gundeuei, qui ex genere Athanarici Regis descenderat, nimia cupiditate illecti, fratrem suum nomine Chilpericum gladio peremerunt, & vxorem illius ligato ad collum saxo fluctibus submerserunt. Chilpericus iste duas filias habuit. Nomē vni Chronna, Crochildis altera vocabatur. Chronnam verò mutata veste Gundebaldus exilio condemnauit, Chrochildem domi retinuit. Præceperat tunc Clodoueus Rex Legatario suo Aureliano, vt sibi puella nobilis quæreretur bonis moribus adornata, & habitu corporis decorata, quam sibi coniugio copularet. Frequenter in Burgundiam Aurelianus ierat, quamobrem & Chrochildis prudentiam & elegantiam benè cognouerat. Hic accessit ad Regem, & puellæ prudentiam nimiis præconiis attollere cœpit. Exarsit in concupiscentia eius Regis animositas, & per Legatarium virginis aures appellat, si fortè Francorum Regi puella nobilis & orphana cuperet sociari. Regis mandata laturus arripit iter Aurelianus, Burgundiam tendens, & quò nouerat esse puellam pedestri itinere properat, peram ferens & baculum, resarcitis tunicis adopertus, in sportella ab- B
sconsa ferebat munera Clodouei. Quò cum peruenisset, adueniente die Dominico inter reliquos pauperes ad capiendam eleemosynam sese Aurelianus immiscuit, vt Chrochildi de Ecclesia redeunti paucos indicaret sermones. Erat enim Christiana. Quæ cùm de Ecclesia domum reuerteretur, & solita munificentia singulis pauperibus eleemosynam impertiret, peruenit ad Aurelianum, & obtulit ei aureum vnum, totius ignara negotij. Quem cùm ille recepisset, cautè subtraxit pallium puellæ, innuens sese loqui velle cum illa. Ventum est ad Palatium, & subsequente Aureliano ingreditur virgo triclinium, & misit ancillam quæ conuocet peregrinum. Detulit Aurelianus donaria Regis, & annulum Clodouei manu gestans porrexit eum puellæ, & ait: Loquatur obsecro, mi domina, quiddam seruus tuus secretè in auribus tuis, vt licitè possim intimare mandata Domini mei Regis. Cui & illa: Loquere, inquit. Et educens è sportella sponsalia ornamenta, obtulit puellæ dicens: Hæc mandat Dominus meus Rex Clodoueus, vt si ei præbueris tuæ voluntatis assensum, absque dilatione te recipiet in vxorem. Tantam industriam viri miratur puella, & cum nimia mentis alacritate donaria Regis amplexatur, & cetera sibi recondens, annulum solum in thesauros auunculi sui reposuit, & talia retulit portitori: Salutem dicito Clodoueo, & quamuis non sit licitum vt nubat Christiana pagano, tamen si Domini Dei voluntas adfuerit cui seruio, quem confiteor, quem adoro, gratias diuinæ referam maiestati, & nutum subsequar imperantis. Et tu nostri secreti fidus adiutor vade in pace. Perlata sunt ad Clodoueum verba puellæ, & rursum Clodoueus Aurelianum Legatarium ad Gundebaldum dirigit, mandátque vt ei in coniugem neptem suam tribuat, si Francos velit habere pacatos. Alioquin aut tributa persoluat, aut ad pugnandum cum eo arma corripiat. Hæc audiens Gundobaldus, mente consternatus conuocat amicos & consiliarios suos, dicens illis: Nostis omnes consiliarij & amici mei, quòd Francorum Rex Clodoueus aduersum nos quærat occasiones, petens per Legatum neptem Chrochildem, cùm necdum eam facie nouerit. Hæc est dissensionis origo, hæc causa discordiæ, hæc nostræ vastationis infinita perditio. Ad hoc tendit omne negotium, vt nos omnes vita priuet, deindè gentem nostram spoliet libertate. Ideò enim vos accersiui, vt pari consilio saniorem exitum inquiratis, & communi vtilitati prouidentes, quid facto opus sit vestra auctoritate decernatis. His ita peroratis, Burgundiones consiliarij eius metuentes iram incurrere Clodouei, pari consilio decreuerunt, vt tanto Regi támque potenti puella donaretur, ne hac occasione ad delendos eos tantæ gentis ferocitas acueretur. Metuebant enim Francos, vt ceteræ gentes, quæ cernebant eos vndique dilatari: nec esse aliquem, qui eorum gladiis resistere posset. Mandant ergo accelerari negotium, ne prolongata responsio verteretur in fastidium. Et aduocans Aurelianum Gundobaldus, his eum cœpit interpellare sermonibus: Quoniam

A niam occasione petendi vxorem Domino tuo Regi domos nostras & patriam ex-
plorare venisti; hæc populi nostri responsa dicito Clodoueo. Inaniter suspica-
tus est habere neptem meam coniugem, frustrà concupiuit Chrochildis meæ
pulchritudinem. His exasperatus Aurelianus, ita respondit: Quoniam rustica-
ni alicuius me putas mandata detulisse, non hoc mandat alius nisi Clodoueus,
tuus & meus Dominus: tuus, inquam, tuus, vt mittas ei sponsam suam Chro-
childem. Quod si distuleris, aut ei tributa persolues, aut libertatem gladio
defensabis. Substomachatus Gundobaldus hæc tantùm Aureliano verba repen-
dit: Veniat, veniat Dominus tuus Clodoueus, quoniam ad defendendam li-
bertatem Burgundionum enses paratos inueniet, & Domino Deo nobis auxi-
liante ad internecionem decidet audacia eius, & vindicabitur sanguis gentium
plurimarum, qui effusus est in manibus eius. Et plura locutus, tandem consilio
prudentum virorum mitigata est insania. Et sic Chrochildem Aureliano tradi-
dit. Quam cum ingenti gaudio Aurelianus suscipiens, Suessionis ciuitatem se-
cum vsque duxit, & reddidit eam Clodoueo. Cuius pulchritudine delectatus
Rex, conuocatis Regni sui Proceribus, secundum regiam consuetudinem eam
sibi sociauit in vxorem. Serò igitur die illo, quando more nuptiali simul accum-
bere deberent, sic illa prior allocuta est Clodoueum. Audiat oro dominus meus
Rex ancillam suam, & concedere dignetur famulæ suæ petitiunculam, Si inue-
B ni gratiam in conspectu illius. Cui Clodoueus: Pete, ait, quod vis, quoniam
tua petitio consequetur effectum. Ad hæc Regina spiritu Dei repleta, his Re-
gem cœpit interpellare sermonibus. Primum postulat ancilla tua, domine mi
Rex, vt Dominum cœli patrem omnipotentem credas, qui te creauit. Deinde
vt Dominum Iesum Christum, qui nos redemit, à patre de cœlis missum ad sa-
lutem credentium confitearis. Tertiò Spiritum sanctum & illuminationem om-
nium iustorum agnoscas, & agnoscens omnem simul venerare diuinitatis vnicæ
maiestatem, & in tribus personis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nihil priùs,
nil posteriùs, nil minus suspiceris: sed æternitatem tota mente & coæqualitate
complectaris. Et idola, quæ non sunt dij, sed muta simulachra, succendas, Ec-
clesiásque Dei mei, quas succendisti, reædifices, & baptismum recipias in no-
mine Patris & Filij & Spiritus sancti. Et hoc ad vltimum peto, vt requiras the-
sauros patris mei & matris meæ, quos Gundobaldus auunculus meus nequiter
interfecit, quorum sanguinem Dominus vlciscatur. Et ait Rex: Hoc ad præ-
sens mihi videtur haberi difficile, vt deos meos relinquam, & Deum tuum co-
lam. Sed cetera vt potero faciam. Cui & illa: Hoc est, inquit, maximum & sin-
gulare, quod postulo, vt Dominum cœli colas, per quem velis nolis regnas, in
cuius nomine aduersariorum castra facilè superabis. His ita peroratis, cubicu-
lum introgressi pariter accubuerunt, & nuptialiter solemnisantes in gaudio &
lætitia totius anni spatium expenderunt. Expleto itaque anno, ad Gundobal-
dum iterum Clodoueus Aurelianum dirigit, mandans vt Chrochildis vxoris
C suæ thesauros ei transmitteret. Irâ feruens Gundobaldus Aureliani verba vix
sustinet, & in hæc verba tandem prorumpit: Nunquid in manibus Clodouei Re-
gnum meum tradetur, aut thesauri mei? nonne obtestatus sum, & dixi tibi Au-
reliane, vt non venires amplius explorare substantiam Regni nostri, vel Prin-
cipum nostrorum felicitatem? Salutem populi nostri testor, nisi citò reuerte-
ris, & recesseris à me, ego interficiam te. Cui Aurelianus ita respondit, di-
cens: Viuit Dominus meus Clodoueus Rex, & Primates Regni eius, quia non
te timeo, dum Dominus meus aduixerit. Et sic mandat proprius tuus & meus
Dominus Clodoueus, quia tibi est occursurus, vt thesauros vxoris suæ recipiat.
His auditis, Burgundionum maiores dederunt Regi suo consilium, vt vniuersa
quæ fuerant patris eius vel matris, Chrochildi absque dilatione redderentur,
dicentes Regem esse ferocem, populum sine Deo, pactum debere stabiliri cum
talibus, ne vnanimiter irruentes in eos, terram pariter delerent ac populum.
Quid plura? Reddit Gundobaldus Legatario Regis omnem Chrochildis supel-
lectilem, & ex thesauro suo auri purissimi & argenti fabricaturas pretiosissimas,
& ait ad Aurelianum: Quid restat ampliùs, nisi vt vniuersum Regnum meum
Clodoueo dare debeam? Reuertere citò ad Dominum Regem tuum, quia habes
quod ei deferas, munera multa. Metit messem, quam non seminauit, & colligit

„ quod non sparsit. Et ait Aurelianus: Filius tuus est dominus meus Clodoueus. A
„ Non contristeris si modicum istud ei detulero. Ex hoc nunc omnia vestra com-
„ munia erunt. Et dixerunt Burgundiones: Viuat Rex, qui tales Legatos habet. Reuersus est Aurelianus ad Dominum suum, & restituit ei omnia quæ reddiderat Gundobaldus.

In diebus illis dilatauit Clodoueus Francorum Regnum, vsque ad Sequanam, & accipiens castrum Miledunensem, tradidit eum Aureliano Legatario, eúmque Ducem Prouinciæ illius esse instituit. Dehinc Aurelianis vsque perueniens, Francorum terminos vsque ad fluuium Ligeris protelauit. Interim Regina Dominum suum adhortabatur, vt Deum coleret, & muta simulachra ex omni Regno suo deleret, si victor aduersus inimicorum omnium impietates esse cuperet. Deludebat eam Clodoueus, & subsannabat: non tamen exprobrando, sed blandiendo potiùs, vitæ monita refutabat. Ad hoc vtique ventum est, vt Regina conciperet, & pareret filium, & iuxta ritum Christianorum ad abluendum sacro baptismate in Ecclesiam deferri præciperet. Baptisatus, & signatus, & sacro chrismate delibutus. quem INGVMEREM vocauerunt hi, qui eum de sacro baptismate susceperunt. Nec mora defungitur infans, & res sicut euenerat innuitur Clodoueo. Tristatur pater anxius, primam sobolem cùm insperatè deferri videt ad tumulum, & Reginam increpat, cur videlicet in nomine Domini nostri Iesu Christi signasset infantulum. Adfirmabat enim insanus, quòd si diis suis dedicatus fuisset, non tam citò priuaretur hac luce. Regina verò gratias Deo referebat, quòd eius primogenita in cœlesti gloria sublimasset. Post autem hunc peperit & alterum, & ablutum fonte baptismatis CLODOMIREM vocauerunt. Et hic cùm ægrotare cœpisset, verbis Reginam asperioribus increpat Clodoueus: asserens istum etiam nulla ratione viuere posse, nisi quo modo vixerat & alius. Sed orante Regina, & Domini misericordia præcurrente, vitæ pariter & sospitati restitutus est infantulus. Rex itaque credere differebat, nec monita salutis audire volebat, donec tandem aliquando bellum contra Alemannos Sueuósque moueret: in quo compulsus est confiteri, quòd Deus solus potest auxilium præstare credenti. Nam cùm hinc & indè vtræque acies insisterent, & perstrepentibus buccinis cominus iacula mitterentur, nec Francorum vires ad proterendos inimicos sufficerent, prospexit ex alto Dominus, & miratus laborem mulieris virum infidelem saluare cupientis, immisit timorem suum super Francos. Et iam terga dare volebant, cùm Aurelianus nomen Domini ad adiutorium interpellans, his Regem verbis constan-
„ ter alloquitur: Crede tantummodo, Domine mi Rex, Dominum cœli, quem
„ Chrochildis prædicat, & inclamato eius nomine tuos celeriter conteres ini-
„ micos. Hoc Rex animatus alloquio, ad cœlum oculos eleuat, & cum lachry-
„ mis hac Dominum voce precatur: Iesu bone, quem Chrochildis Regina mea
„ prædicat esse Filium Dei viui, qui subuenis in tribulatione, qui das auxilium
„ in te sperantibus, tuum auxilium deuotè postulo, non abneges mihi soli quod
„ plurimis est collatum. Quòd si mihi victoriam dederis, & in hoc virtutem tuam C
„ expertus fuero, credam tibi, & baptisabor. Nam inuocaui Deos meos, & elon-
„ gati sunt à me, & nullam eos suspicor habere virtutem, qui nec occurrunt, nec
„ auxilium deferunt inuocati. Te inuoco, te confiteor, te iubente noster con-
„ fortetur exercitus, & aduersariorum nostrorum audacia conteratur, vt vel si victoriam non mereor, tantummodò ab eis liberer. Et cùm hæc ita perorasset, ac nomen Domini cum interno rugitu cordis inclamasset, defectis viribus terga dederunt Alamanni vitæ spem fugæ credentes. Sed cùm & Regem suum cernerent interfectum, retrouersi Clodoueo supplicant, vt tantam stragem cessare præciperet, sua omnia séque dedentes. Qui cùm imminentem plagam cessare fecisset, terras eorum nimia populatione vastauit, & eos sub tributo constituit. Hac igitur patrata victoria, reuersus in Franciam narrauit vxori, qualiter per inuocationem nominis Iesu Christi victoriam meruerit obtinere. Læta ilicò Chrochildis efficitur, & lachrymis superfusa sanctum Remigium Remorum Archiepiscopum sub festinatione conuocat: vt ipse videlicet suppleat quod in marito Dominus per eam iam cœperat operari. Pandit Episcopus salutis ianuam, & torrente scripturarum

A sitientem animam reficit peccatoris. Mitigatur amentia Regis, & ex lupo mutatur in ouem, & vacuus ad Dominum venire formidans mille hostias præparat, quas secum offerat creatori. Necdum initiatus in sacris fit suæ genti Apostolus, nomen Domini gentibus prædicat, exercitui comminatur, ne vltra simulachris incuruentur. Quid plura? fit subitò concursus populi, exercitus omnes dextras iungunt, pares animos offerunt creatori, & qui tardior currit ad lauacrum quasi ignauior à cæteris incusatur. Et consertis manibus videns acies ad Ecclesiam conuolare, & ob amorem Regis antea etiam baptisari cupiebant, quàm baptismatis iura cognouissent. Hac igitur frequentia constipatus subintrat Ecclesiam Rex victurus. Cúmque persensisset, per thymiamatis redolentis thurisve fragrantiam, & miraretur parietes cortinis palliisque velatos, pauimentum omne diuersis floribus fuisse respersum, quæsiuit à Pontifice si esset hoc paradisus, vel futura gloria, quam ei in sua prædicatione promiserat. Ad quem Episcopus: Non, inquit, hoc est paradisus, quem pollicitus sum domino meo Regi, sed est « Ecclesia Dei per quam, & in qua bonis operibus adquiritur gloria illa indeficiens « regni cœlestis, quã ab origine mundi præparauit Dominus his qui diligunt « eum. Tantam denique gratiam subministrauit Dominus in populo, vt non iam viceni, vel centeni ad locum baptisterij conuenirent, sed vniuersam penè ciuitatem in vnum conuolasse crederes, vnam dedisse sententiam, pares animos B obtulisse creatori. Interiori igitur gaudio conformati applaudebant in vnum, & Regem suum his adhortabantur alloquiis: Dominus noster Rex prosequatur « incœptum, quia & nos mortales Deos abiicimus, nugaces contemnimus, ma- « nufactos expellimus: & Deum verum quem prædicat Remigius incontami- « nata credulitate recipimus, & eum fidei veneratione complectimur. Hunc Deum « enim Christianitatis credimus, & adoramus, & in hac religione vsque ad ter- « minum vitæ permanere parati sumus. Quid plura? venit ad baptismum quasi « nouus Constantinus abnegatis diaboli pompis, & feroces animos humilians creatori. Huic deuotioni congaudens Episcopus, protensis manibus in sublime Dei potentiam collaudabat, & Regem his hortabatur alloquiis: Mitis en, inquit, « depone colla Sicamber, idola varia crema, cultum venerare diuinum. Pristinos er- « rores, & fana priora relinque, & sanctas ædes vel nunc renouare studeto. Igi- « tur Rex omnipotentem Dominum in Trinitate confessus baptisatus est à sancto Remigio, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & sacro chrismate delibutus cum signaculo crucis videlicet Domini nostri Iesu Christi. Baptisati sunt de exercitu illius ampliùs quàm tria millia, baptisatæ sunt & sorores illius Alblofedis & Landechildis, insuper totus Francorum populus. Nam Dominus noster Iesus Christus abundanter his sanctam gratiam infundebat. Hac occasione C suæ fidei gratiam Gallica disseminabat in tellure. Ecce Regem reddimus innouatum, necesse est vti & paginam pariter innouemus. Sed prius quieti modicum membra locantes resumamus flatum, quo facilius die crastino materiæ nostræ valeamus referre sequentia.

PROLOGVS LIBRI TERTII.

NONDVM noctis detersa caligine ad persoluendum debitum, quia importuni fœneratores insistitis, & pigritantes artus excutitis, è lectulo socordiam meam verbis asperioribus increpantes, cur non iam adhuc penè dormiens extenderim digitos ad scribendum, cùm nouerit vnusquisque vestrùm qua conditione grauetur, qui mercede conductus aliis seruire compellitur. Priùs ad pastum reducemus ouiculas, prius agniculos modico lacte potabimus, prius & tectulo eos contutabimus, & cùm sub frondosa arbore membra locauero, si vos adfueritis, & iactis globis vel lapidibus, ne modico gregi insidietur, lupum nobiscum exturbaueritis, tunc fortè liberiùs atque commodiùs exsoluere potero quod repetitis. Et ne vobis vi-

deat innectere moras, dum nocui aëris nebulas formidantes Austri spiramina, qui eas submoueat, vel aranearum telas disrumpat, quibus herbæ solent infici, præstolamur: iam nunc in alteram partem nos ducentes consistamus in vnum, & tædium vestrum hac modica relatione leuabo. A

LIBER TERTIVS.

BAPTISATO, vt diximus, Rege nostro Clodoueo, & vniuerso exercitu eius sacro chrismate delibuto, tanto Regina dicitur exultasse tripudio, vt in conspectu omnis populi solo procumbens, & lachrymis superfusa Domini benediceret maiestatem, quia in ea dignatus fuerat adimplere, quod scriptum esse in Apostolo legerat qui dicit, *Saluabitur vir infidelis per mulierem fidelem*. Ex tunc Francorum virtus & gloria ita Domino procurante magnificata fuisse refertur, vt non solùm vicinæ gentes, verùm etiam longè remotæ eorum amicitias expeterent, & eos consanguinitatis gratia sibi fœderari vel consortiari cuperent. Vnde contigit vt Theodericus Italiæ Rex, qui in Italia Gothis imperabat & Romanis, Landechildem Clodouei sororem ad coniugium expeteret & acciperet. Is igitur Theodericus quis fuerit, vel vnde originem duxerit, si modicis verbis euoluero non vobis onerosum habeatur: præsertim cùm heri promiserim me aliqua relaturum de opusculis vicinarum gentium. Theodericus igitur iste, vt Idatius refert, ex Macedonum descẽdit origine, illorum videlicet, qui summa sorte de Troia cum nostris aufugerant, & Macedoniam armis domuerant, insuper & peruaserant. Hanc insectantes Romani, sicut & ceteras nationes, multis eam prœliis attriuerũt, captiuos secum adducentes, & spolia multa ferentes. Adductus est inter reliquos puer quidam Theodericus nomine, & puella quædam quæ Lilia vocabatur. Hij forte militaris prædæ deuoluti sunt in partem Idatij Patricij, & fideliter *seruiendo domini* sui gratiam pleniter sunt adepti. Erat huic Idatio vxor nomine Eugenia decora valde, sed sterilis. Ob hanc causam adoptauerunt sibi in filium Theodericum, Liliam in filiam, & singulari dilectione excolebant. Quos cùm amandi lege consueta nutibus & sibilis, iocis & amplexibus incubare conspicerent, coniugio copulari permiserunt. Et aduocans Eugenia puellam dixit ei secretius, cùm ad viri coitum accesseris, quæcumque tibi nocturna visione occurrerint in crastino mihi referes vniuersa. Putabant enim insani & væcordes vniuersa prouenire, quæ prima nocte copulationis somniasset mulier desponsata. Hanc consuetudinem ab insipientibus & rusticis adhuc etiam conseruari quasi veracem, cùm ex toto inanis sit & abiicienda, plurimi asseuerant. Abiit mulier, & obdormiuit, & tamen ei in somnis fictitia quasi præsentia demonstrata sunt. Vidit in somnis quasi de vmbilico ventris sui exire arborem excelsam & sublimem, ita vt penè nubium *altitudini* coæquari videretur: filium videlicet signans, qui ex vtero illius generandus erat. Et euigilata præ pauore narrauit viro suo somnium, insuper & secretum dominæ suæ nil morata nudauit. Quæ cùm manè surrexisset edocta à marito, non vt euenerat, sed fallens dominam suam ei aliter est locuta. En, inquit, domina mea tua verba rememorans, iuxta virum hac nocte obdormiui, & vidi per somnium quasi equum & equam omnium pulchriores ingredi in domum dominorum meorum, quos subsequebatur pullus habilis & lasciuus sua pulchritudine superans omnes greges equorum. His auditis, Idatius & Eugenia putauerunt sibi sobolem adfuturam, & ob hanc gratiam Theodericum & Liliam libertate donauerunt, & multis muneribus ditauerunt. Conceptum puerum Lilia peperit; & vocauit eum nomine patris sui Theodericum. Creuit puer, & ablactatus est, & adoptans eum Idatius in filium, cum omni diligentia eum enutrire præcepit. Fuit enim decorus aspectu, statura procerus, seculari prudentia & calliditate munitus, & corporis nimia fortitudine circumseptus. Defuncto igitur Idatio & Eugenia, *iussus* est militare Theodericus, & sic Leonis Imperatoris gratiam emeruit: & imperiali Palatio apud Constantinopolim ingenuitatis & audaciæ nomen sibi acquisiuit & laudem. Ptolemeus quidam ex Senatorio ordine huic in amicitiam singularem ita deuinctus esse refertur, vt eum vsque ad diem sui obitus suo con- B

A filio & prudentia ab obuiantibus periculis inuidorum tutare conatus sit. Et dum quibusdam Theoderici prudentia placeret, dum & quibusdam inuidiæ causa videretur onerosa, per internuntios communi consilio ab Imperatore Itali petiuerunt, vt eis Theodericus Patricius institueretur, quatenus eius prudentia singulari ab instantibus inimicis tueretur Romana libertas. Placuit hoc Imperatori, & eum Romam diriges, Patriciatus honore sublimatus est, & cum Herulis prœlia multa commisit, & eos ad internecionem vsque deleuit. Vnde contigit vt cùm die quadam aduersus eorum Regem prœlium concitassent, & ex vtróque exercitu plurima hominum multitudo mutuis vulneribus sternerentur, sentiens Theodericus suorum gladios defecisse, terga dedit, & ita cum suis fugiens Rauennam est ingressus. Quem cùm insperatè Lilia mater inspexisset, sic eum exasperans & illudens increpare cœpit & dicere. Quæ, inquit, ô mi nate, dementia ita te compellit abire præcipitem? Non iam quò fugias, nisi vt subleuatis vestibus meis ingrediaris vterum, de quo paruulus oriendo prodiisti. Quod ille audiens, & nimia verecundia perfusus, recollectis paucis militibus, optans magis mori quàm amplius viuere, cùm iam dispersi essent ad prædandum, quasi ex improuiso inimicis occurrit, & eos imparatos inueniens veluti vulgus ignobile superauit, & eorum Regem gladio trucidauit, vxorem insuper ac liberos interfecit, Regnúmque & gentem Herulorum, & nominis dignitatem ad nihilum vsque deduxit, & eorum spoliis ditatus est, ita vt Chrœsi opes superasse se crederet. Hoc cùm relatum fuisset Imperatori, extimuit protinus, ne similiter aduersus eum aliquando arma corriperet, & eum vita priuaret & imperio. Tunc etiam & persuasum est Imperatori à quibusdam æmulis, quibus Theoderici liberalitas & prudentia displicebat, qui eum quoque accusauerant crimine pessimo, vt Theodericum sub festinatione ad se venire præciperet, & eum vita priuaret. Theodericus igitur nihil doli suspicatus, cum XII. millibus fortissimorum bellatorum Constantinopolim vsque properauit, & sic occurrit Imperatori. Decretum erat ab vniuerso Senatu, vt cùm Theodericus solus ingrederetur Palatiũ, membratim scinderetur totus, & ita de medio viuentiũ tolleretur. Sed Ptolemæi amici sui cõsilio conseruatus, & astutia liberatus est. Accessit enim ad Imperatorem, & eũ his alloquutus est verbis. Indignum nimiũ est maiestati vestræ, domine mi Imperator, vt sic fraudulẽter homo ille interficiatur sine lege, sine iudicio, sic separetur à suis, sic opprimatur à nostris. Priùs omnibus causa criminis exponatur. Priùs ad suos Senatores etiam de Curia nostra nobiliores dirigantur, qui rem diligenter examinent, qui offensionum culpas multiplicare didicerunt, vt cùm ab vtrisque morte dignus fuerit iudicatus, tunc decentiùs atque liberiùs, aut bestiis subrigatur, aut capite puniatur, vel suspendio pereat. Interim viuus teneatur & vinctus. En & ego cum Legatis vestris abire paratus sum. Eliguntur denique quinque viri nobiliores de Curia Imperatoris, qui vt suggesserat Ptolemæus ad Gothos Italósve Imperatoris mandata deferrent. Iussu Imperatoris abiit cum eis Ptolemæus, & secretissimè præmisit puerum qui Gothis vniuersa nuntiasset, & qui intimaret Legatos omnes esse vinciendos, pariter & Ptolemæum, & quarumdam pœnarum ostentatione perterrendos, nisi eis velociter dominum suum Theodericum sanum & incolumem redderet Imperator, & cum prosperitate eos omnes qui cum eo erant ad propria redire permitteret. Quid plura? necdum verba finierant qui missi fuerant Senatores, & ecce vndique vinciuntur, ad suspendendum cruces aptantur, gladij acuuntur, & diuersa mortium genera præparantur: eos pariter enecare comminantes, nisi Dominus suus eisdem redderetur, & sacramento firmaret Imperator, vt eos omnes qui cum eo erant, incolumes ad propria redire permitteret. His angustiis arctatus Imperator, vellet nollet Theodericum Gothis reddidit, & eos omnes cum prosperitate repatriari permisit. Cùm ergo Theodericus cum sociis ad propria remeasset, comperit Auares in Italiam introisse, populum & patriam deuastasse, vrbes plurimas solo coæquasse, & Romam vsque vestigium velle protendere. Tandem resumptis armis & viribus eos omnes de patria expulit, & vsque ad Pannoniorum terminos insequutus, & iuxta eorum exercitum tentoria fixit. In die igitur crastino, assumptis secum militibus sex, septimus ipse castris est egressus, vt Auarorum castra per semetipsum exploraret. Simili modo Auarorum quidam Xerxes nomine singulariter è suorum castris est egressus, vt & ipse

quasi potentissimus prœliator potentiam persequentium exploraret. Quem cùm singulariter oberrantem Theodericus inspexisset, tres è suis comitibus ad eum capiendum ire mandauit, quos Auar solus fugam fingens, & sæpiùs loca reflectens, singulariter interfecit. Alios tres iterum abire imperat, sed statim vt primos fefellerat, fallere tentauit & alios, & in oculis Theoderici eos hasta deiecit & gladio. Post hæc Theodericus cum eo singulariter decertans, in brachio eum vulnerauit, tandémque deuictum secum ad castra suorum ipse reduxit. Cuius prudentia & fortitudine delectatus, verbis eum suauioribus est hortatus, vt cum eo pacificè remaneret, munera plurima promittens & honores. Qui paruipendés preces & munera, hoc solum quotidie precabatur, vt ad solum proprium Theodericus redire permitteret. Et cùm eum vllatenus retinere non posset, tandem abire permisit, & ipse eum subsequutus est vsque ad Istriam fluuium. Quem cùm Auar transnatasset, respiciens retrò sic ab altera ripa Theodericum est alloquutus: Quoniam libero me arbitrio restituisti, iam nunc ad te reuertar, eróque tibi fidelissimus. Reduxit eum Theodericus secum, multisque ditatum muneribus contra Vuandalos & Sueuos eum sæpiùs comitem habuit, quoniam omnia prospera illi prouenire cernebat. His ita gestis, & fugatis Auaribus, Romam cum prosperitate Theodericus reuersus est victor. His fermè diebus ad Clodoueum Theodericus Legatos suos misit, mandans vt ei sororem suam Landechildem in matrimonium tribueret, & ex hoc pacis firmissimum pactum inter se custodirent. Annuit eius petitionibus dominus noster Clodoueus, & cum honore maximo suam sororem ei tradidit. Quam Theodericus benignè suscipiens, eam sibi sociauit in vxorem. Quæ peperit ei filias duas, & cum eo pariter & ipsa benignissimè conuersata est, donec earum vnam beato Sigismundo Regi & martyri in matrimonium copularet. Alia verò cum matre sua domi residens post mortem Theoderici, cùm viro cuidam ignobili connubio illicito copulari cuperet, à matre prohibita est. Sed conceptam saniem mente reuoluens, iniuriam quam pertulerat refudit in matrem, & eam quasi nefariam veneno interfecit. Quod cùm comperisset Rex, *qui patri suo successerat*, tanti piaculi malum debita vltione decreuit esse vindicandum, & eam balnei calore præfocari præcepit. Sed de his satis dictum, & iam ad historiæ ordinem recurramus, præsertim cùm adhuc Theoderici istius historiam ad supplendum nostræ narrationis ordinem nobis necessariam suspicemur.

CLODOVEVS igitur anno 11. sui baptismatis contra Gundobaldũ & Godegisilum arma corripuit, & in eos aciem dirigens, ad vlciscendos veteres vxoris suæ iniurias Francorum animos acuit, Burgũdiones vniuersos aut gladio trucidare, aut tributo graui subiugare decernens. Contra quem Gundobaldus & Godegisilus exercitũ magnum præparant, & ad se defendendũ, licèt redarguente conscientia pœnam fratricidij mererentur, cum omni bellorum apparatu ætatis vtriusque viros conglomerare fecerunt. Et sic collecta omni multitudine Diuionem vsque properarunt, & vtrinque totis viribus concertantes terga dederunt Burgundiones, & tanta feritate depopulatus est eos Francorum exercitus, vt vix possit colligi numerus occisorum. Gundobaldus itaque de prœlio fugiens, in Auenionem ciuitatẽ se reclusit, atque communiuit, acsi tanto Regi resistere posset. Sed manus eius quandoque se effugere non posse persentiens, & offensionis suæ modum reformidans, Aredium quemdam consiliarium suum, virum sapientem atque modestum, ad Clodoueum direxit, qui furentes eius animos suo moderatissimo eloquio * viri sapientis mitigata est ira Regis, & cum propositione fratricidij dedit Gundobaldus domino nostro Regi auri & argenti pondera multa & immensa, pro perpetrato videlicet scelere, ne Regis animus amplius moueretur. Hanc autem conditionem inter se statuerunt, vt per singulos annos sæculi superuenturi tributum Burgundiones Francis præsentibus ac futuris exoluerent. Clodoueus igitur onustus præda, his atque muneribus honoratus, victor ad propria remeauit. Erant autem Gundobaldo filij duo, Sigismundus & Godegisilus. Eodem verò tempore apud Viennam vrbem terræmotus accidit maximus, & multæ Ecclesiæ subuersæ sunt. Domus insuper quamplurimæ ita eodem motu cõcussæ referuntur, vt etiam fundamenta ipsarum ab imis sedibus soluerentur. Nec mora oberrantes lupi, & aliæ bestiæ feroces terræ motum subsequuntur, & per ciuitatis portas cum impetu formidabili irrũpentes, si quem fortasse offendissent hunc miserabiliter laniabãt,

* *Deest aliquid.*

A & puerorum aliquos ad syluestria protrahebant, catulis vtique diuidendos. Hac peste vastata est ciuitas penè per vnius anni spatium, & tota eiusdem ciuitatis regio. Eodem verò anno adueniente Paschali solemnitate, dum S. Mamertus eiusdem ciuitatis Episcopus Sabbatho sancto more soleni offerret sacrificium Creatori, regale Palatium vrbis eiusdem diuino igne crematum est. Videns igitur præfatus Pontifex super miseros accolas pagi illius diuinum exarsisse furorem, & feras irrationabiles ratione vtentes homines permissione Dei omnipotentis irrationabili feritate vastantes, tanti infortunij remedium à Domino monuit esse quærendum. Præcepit namque populo vniuerso, vt cum gemitu & contritione spiritus per triduum more Niniuitarum ab alimentis abstinerent, & operti ciliciis, & nudatis pedibus incedentes, loca sacrata flendo & orando circuirent, clamantes Kyrie eleyson, si fortè hac humiliatione placatus Dominus tam terribilem exterminationis sententiam in beneuolentiam commutaret. Instituit etiam vt per annos singulos in eadem Ecclesia Letaniæ per triduum agerentur, ad quas vniuersus populus conueniret, & ne ampliùs feraliter absumerentur, preces supplices effunderet Creatori. Vidit Dominus afflictionem populi sui, & pepercit creaturæ suæ, ne vastaretur ad internecionem, hac plurimum deuotione delectatus est. Ita lupi sæuientes repulsi sunt, ita vindicta cœlestis repropitiante Domino conquieuit. Ita generalis luctus in gaudium est mutatus, dum cessauit B tribulatio, dum in mansuetudinem bestiarum feritas est conuersa. Hac sancta consuetudine delectata est sancta mater Ecclesia, & cum auctoritate Romani Pontificis per vniuersum orbem institutum est, vt in his diebus tribus, id est secunda feria ante Dominicam Ascensionem, tertia videlicet, & quarta, ad Ecclesiam conueniat populus. Et sic Letanias celebrent, vt sicut eodem tempore ab insectantibus lupis per Dei gratiam defensus est populus Viennensis, ita & nunc Dei miseratio spiritales lupos, id est, diabolos à nobis amoueat, & sanctam Ecclesiam suam defensare dignetur, ne callidus hostis sua feritate commaculet, quod Domini sanguine cognoscitur esse redemptum. Precatur ibi pro statu Ecclesiæ, pro incolumitate Principum, pro serenitate aurarum, pro terræ frugibus, & pro diuersis populi incommoditatibus, vt Deus & Dominus noster Iesus Christus, pro sua pietate & misericordia suæ sanctæ Ecclesiæ statum in omni prosperitate custodiat: Principes populi Catholici ita protegat, & conseruet, vt accincti fortitudine spiritali procul à nobis expellant omnes barbaras nationes: aëris temperiem bonam nobis tribuat, agrorum sterilitatem in opimam fœcunditatem ipse commutet, fruges custodiat, atque multiplicet, & ad maturitatem vsque perducat: corporum quoque nostrorum incommoditates medicabili virtute depellat, & sanos atque incolumes in suo sancto seruitio nos conseruare dignetur. Pepulit Auster nebulam formidabilem aranearum, telæ disruptæ sunt, nociuus aër submotus, ad pastum ouiculæ sunt ducendæ, ne procacis linguæ flagello percutiar & verberer. Vos verò nemine sciente C cautè me sequimini, si quid ampliùs audire delectat, & cauete ne hoc quoque Domini mei sentiant, quia mihi plurimum irascentur, si me deprehenderint otiantem vobiscum atque fabulantem.

PROLOGVS LIBRI QVARTI.

HORA diei decursa iam tertia, quartum iuuante Domino huius Operis inchoabo Libellum, quia & sub frondosa arbore residentes æstum Solis declinauimus, & lupus, qui insidiabatur ouibus, territus abiit. Constrinxerunt enim fauces illius, quibus pariter insidiabatur, nec iam vt lupus vlulat, sed vt vulpecula gannit, humiliauit oculos, ceruicem flexit, alteratur in voce, incedit vt languidus, non vt feritatem ponat, sed vt incautos decipiat. Vtrum gallinas inspiciat, an sitiat agnos, habetur incertum: &

si pellem mutasset Æthiops, in ouem pariter & hunc se crederem immutasse. Quod si mentitum habitum exuerit, & oues nostras ampliùs consueta feritate peruaserit: peram pastoralem, quam propè cernitis, lapidibus impleuimus, fundam præparauimus, non nos segnes & imparatos inueniet, audacter eum expectabimus, funda deiicietur & lapide. Et quoniam spectatis ad Austrum, & non verbis, sed nutibus intuitis, vt sicut Romanos à Gallis attritos & expulsos insinuasti, Gothos pariter tangam, & qualiter eorum rabies sit compressa, plano sermone demonstremus. Faciam quod hortamini, si vos promiseritis nulla nos ampliùs inquietudine pulsaturum, & si rusticitatem meam mecum ipsi celaueritis, ne virorum nobilium quàm vrbanas aures lædat sermo pauperior, quia tanti Regis Historiam ausu temerario decustaui, quam sensatus aliquis præconiis innumerabilibus extollere debuisset.

LIBER QVARTVS.

CLODOVEVS igitur, cuius religiosum animum diuinus feruor afflauerat, zelo fidei accensus, non solùm de propriis finibus exturbabat hæreticos, verùm etiam si aliquos vicinarum gentium minus religiosos esse comperisset, aut eos sedulis irruptionibus edomabat, aut duris nexibus seruitutis violenter opprimebat. Vnde contigit, vt aduersus Alaricum Gothorum Regem arma corriperet, quem Arriana prauitate fœdatum totius vulgi opinione compererat. Alaricus iste audax & validus, & vir amplissimi animi extitit, prosperis euentibus semper clarus, ac nimia feritate præcinctus. *Hunc sæpiùs* Clodoueus Rex per Legatos admonuerat, vt ab *Arriana prauitate* desisteret, & æqualem diuinitatem in tribus personis, Patris & *Filij* & Spiritus sancti, esse crederet, si eum sibi in amicitiam retentare cuperet. Sed Alaricus consueta feritate suffultus, propriis viribus confidere cœpit, & hoc etiam indignè ferens, cur talia auderet eum sæpiùs iniuriabat, & pro gratiarum actione contumelias inferebat. Quamobrem & aduersus eum, vt dictum est, multoties arma sustulit Clodoueus, & eum multis bellorum incursionibus lacessiuit, donec tandem Paternus quidam Legatarius Clodouei, vir sapiens & modestus, efferos Alarici animos penè inflecteret ad credendum, pacis & inimicitiæ iura perpetuo inter vtrosque conserere cupiens, nisi ceterorum infidelitas obstitisset. Petiuerat enim vir modestus, vt in tondenda barba Clodouei patrinus eius efficeretur Alaricus, & deinceps in confessione veræ fidei perseuerans, fœdus alterutræ pacis tali obseruatione firmarent, vt Franci pariter atque Gothi arma deponerent, quoties ad stabiliendum fœdus, vel ad colloquendum acies vtræque conuenirent. Gothi itaque assueta infidelitate pacis fœdera perturbare cupientes, & Regem nostrum vita & imperio spoliare meditantes, cultellos permaximos, quos vulgariter hantsaccos corrupto vocabulo nominamus, palliis contexerunt, vt hoc habitu palliati sine impedimento sternerent imparatum exercitum Clodouei. Quod cùm Paternus Legatarius præsensisset, genus factionis admiratus, Francos ad propria redire prætexit, & ipse Alaricum his sermocinationibus est aggressus: Quoniam
„ pacis & amicitiæ iura nostris ac vestris vtilitatibus prouidendo inter vtraque Re-
„ gna stabilire meditarer, & vt ex facto patuit, consueto mendacio & fraudulentia
„ vtimini, vt nostros palliatis vulneribus sternere volueritis, ne tam subitò & inspe-
„ ratè reiiciatur ista conditio, qualemcumque vicinorum Regum per internuntios
„ super hac re pariter consulamus, quicquid ipse decreuerit, absque frustratione
„ compleatur. Quod Paternus orauerat, mandat compleri populis, & Theodericum Italiæ Regem super hoc percunctandum insinuat, & quicquid ipse decernat præcipit exequendum. Quò cùm pariter perrexissent, Paternus videlicet & Legatus Alarici, istius patefacto negotio cogitauit Theodericus, quòd si hos fortissimos Reges separaret ab inuicem & inter eos, altercationis & odij affamina seminaret, dum se mutuis bellorum euentibus impugnarent, dúmque se vter-

A que exercitus mutuis vulneribus sternerent, horum ipse medius pacato iure quiesceret. Hoc denique statuit, hoc decreuit, quasi ex sententia prodiretur, vt hinc & inde Francorum & Gothorum vtræque acies conuenirent, atque circunstarent: In quorum medio Legatus Clodouei equo residens sursum hastam erigeret, & tandiu in circuitu eius aurum argentúmque pro compositione facinoris Gothi comportarent, donec omne spiculum huius gemini metalli congerie opperiretur. Hac conditione grauatus Alaricus, odium quàm pacem elegit potius, & alio fraudis genere Paternum decipere conabatur, si fortè casu aliquo læderetur ad mortem, & ita finiretur ista contentio, dum non esset qui renuntiaret huius negotij veritatem domino nostro Clodoueo. In vetustissimo eum solario hospitari præcepit, per quod dum incautè graditur, comminuto subpedibus eius ligno, pronus ad terram cecidit, & fracto brachio vitæ reseruatus est Domino protegente. Cúmque vix conualesceret, nec dum sanato vulnere, ad ostendendos thesauros suos eum quadam die duxit Alaricus, & aperiens arcas demonstrauit ei diuitiarum suarum innumerabilem quantitatem. Ad hos Paternus exiliens & alludens, præ gaudio manum tetendit ad arcam, & rapuit aurum quem pugillus capere poterat: & respectans Alaricum, sic eum audaciter alloquitur: Nisi citò conduxeris acies, exercitum innumerabilem adu- ‹‹
B naueris, dextras eorum & animos armaueris, iuratas legiones in nostrum sangui- ‹‹
nem acueris, absque dilatione factionis tuæ dignas pœnas accipies: cùm ad hoc ‹‹
aurum diuidendum Francos nostros adduxero, cùm ad hanc dignitatem possi- ‹‹
dendam nostros nepotes accendero, cùm ad diuidendos hos terminos calamos ‹‹
nostros vel funes extendere fecero. His ita peroratis, ascenso equo ad Francos ‹‹
concitus abiens, vniuersa sicut euenerant Domino suo Clodoueo nuntiauit, & eius animos ad amplificandam Francorum gloriam vehementer accendit, dum ad videndos montes Pyrenæos, vel ad collustrandum mare Oceanum eum hortatur abire. Hoc fuit scandalorum initium, indè concertationis causa succreuit. Hoc origo discordiæ, qua & Gothorum feritas est adtrita, & Alaricus vita pariter spoliatus & dignitate. Et quoniam Theodorici Regis quædam principia retulimus, quæ nostræ narrationi congruere sperabamus, quis finis eius fuerit pariter intimemus, vt eius formidabili exemplo prauos Iudices corrigamus. Hic iniquorum quorumdam consilio deprauatus, Ioannem Papam & Symmachum Patricium, viros Christianissimos, ab insidiatoribus accusatos, cùm ex toto sine offensione viuerent, iniquo iudicio condemnauit, atq; trucidare pręcepit. Post hæc cùm duceretur ad exitum, nec rem huiuscemodi purgaret pœnitudine, vltio in eum diuina descendit, & iniquum eius spiritum à corpore violenter abstraxit, & sicut beato Papa Gregorio referente cognouimus, eodem die quo de hac luce migrauit, vir quidam in Sicilia habitans, & Angelorum vitam inter homines gerens, dum iuxta consuetudinem orationi incumberet, & raptus in spiritu vota supplicia porrigeret Creatori, vidit ipsum Theodoricum discinctum &
C discalceatum, vinctis post tergum manibus, ad pœnarum loca pertrahi. Et hi duo viri, Ioannes videlicet & Symmachus, turpiter eum appellabant violenter atque pertrahebant. Et sicut eos iniusta morte damnauerat, ita ipse eum post mortem ad supplicium perduxerunt, & in baratrum Vulcani sine miseratione proiecerunt. Et de his ista sufficiant. Verùm ad Historiæ ordinem reuertamur.

CLODOVEVS igitur Paterni Legatarij sui consilio animatus, & prudentia confortatus, Francorum Proceres apud Parisius congregare præcepit, & astutiores his verbis alloquitur: Quoniam animi vestri vigor & confidentia mihi benè ‹‹
comperta habetur, ideò vos accersendo æstimaui, vt quibus mecum est vna ‹‹
voluntas, & amicitia singularis, animi mei secreta patefaciam. Volo compertum ‹‹
habeatis animum meum accendi vehementiùs, cùm considero vitæ nostræ sta- ‹‹
tum sine aliquo laudis titulo ad occasum quotidie vergi, & feroces nostrorum ‹‹
militum animos desidiâ mollescere, & metuo ne cùm inertes animos ex dissuetu- ‹‹
dine capiunt, cùm necessitas fortè poposcerit, gladios eorum hebetatos ac rubigine ‹‹
corruptos inueniamus. Arma iam resumenda sunt, gladij acuendi, ad laborem ‹‹
militiæ corpora sunt reducenda. Non vos illiciant blandimenta mulierum, non ‹‹
paruulorum vagitus exterreant. Licèt gentilitatis errore tenerentur nostri paren- ‹‹

» tes, armis & vicibus domuère superbos. Et nos, qui Christũ adorare iam cœpimus, A
» qui eius laudibus delectamur, & amicitiis fruimur, condignum valdè vt inimicos
» eius exosos habeamus. Ecce Galliarum partem maximam, quam Aquitaniam
» nominant, populus infidelis, Gothi videlicet insensati, cruentare videntur. Qui
» per Arrianam prauitatem Filium à Patre separant, nec Spiritum sanctum cum Pa-
» tre & Filio æqualem diuinitatem habere fatentur, & per hoc inimici Dei esse cõpro-
» bantur. Quòd si vno animo verbis nostris assensũ dederitis, & vos ex nomine Chri-
» stiano Dei amicos esse monstraueritis, sursum dextras erigite, & ad conterendum
» populum infelicẽ gladios feroces exerite, minus cautos armis & adhortationibus
» bonis instruite. Dabit ipse pro certo victoriam, qui mentes vestras suo cultui de-
» dicauit. Felicem Romam diuitiis pariter & libertate nudauerunt, nec nobis mi-
» nor gloria parabitur, si Regem eorum ferocissimum bellando vicerimus, & Re-
» gnum eius atque fortunam nostræ ditioni subiecerimus. Regis prudentiam omnes pariter amplectuntur, animositatem admirantur, & fidem potiùs venerantur. Dextras omnes in sublime erigunt, mandatum Regis accelerari denuntiant, seséque votis stringunt, & ni superessent infideles, barbas non ampliùs esse radendas profitentur. Nec mora per populos volat edictum, præparari iubetur sexus vterque ad tale negotium. Paruuli ducuntur & matres, vt euulsis & eradicatis aculeis hereticæ prauitatis, inserantur virtutum surculi, & nouella plantatio fru- B
ctum Domino centuplicet, quem adinuentio fœda fraudauerat. Ad hæc Regina Crothildis nimium exhilarata gaudebat in Domino, & plaudebat quòd tam pretiosam sobolem per baptismum obtulerat Creatori, quæ etiam infidelium mentes, quas vomer Ecclesiasticus sulcare non poterat, armis edomare decer-
„ neret. Accessit igitur ad Regem, & ait illi: Audi obsecro Domine mi Rex ancil-
„ lam tuam, & iube construi Ecclesiam in honorem beati Petri Principis Apo-
„ stolorum, vt tibi sit auxiliator in bello, & profectò faciet Dominus victoriam in manibus tuis. Placuit sermo Reginæ in oculis Clodouei, & eleuata bipenne, quam
„ manu gerebat, adnisu quo potuit proiecit eam à se, & ait: *In hoc loco adiuuante*
„ Domino S. Petri stabilietur Ecclesia, cùm è prœlio victor reuersus fuero. Mouit itaque exercitum, & Pictauis vsque properare decreuit. Alaricus verò Gothorum Rex tunc temporis morabatur ibidem. Cúmque per pagum Turonicum transiret exercitus Clodouei, pro reuerentia S. Martini præcepit Rex, vt nemini in eadem Prouincia aliqua violentia inferretur. Sed nec omnino aliquid indè per vim tollere præsumpsisset exercitus, nisi tantummodò herbam quæ equis eorum videbatur esse necessaria. Munera etiam plurima, & equum velocissimum, quem amabat plurimùm, transmisit Rex per Legatos ad beati Martini Basilicam, &
„ ait illis: Cùm ingressi fueritis beati viri Oratorium, & nostra munera præsenta-
„ ueritis, quicquid Ecclesiæ Cantor primum ore pronuntiauerit, mandate memo-
„ riæ, vt mihi renuntiare sciatis. Forsitan aliquod victoriæ signum ex sancto sermo- C
„ ne capietis. His dictis, orauit ad Dominum, & ait: Si tu, Domine, gentem hanc
„ incredulam mihi tradideris, & victoriam in manibus meis videris, & adiutor &
„ protector in bello mihi extiteris, in ingressu Basilicæ sancti Martini talia nostris
„ pueris audire contingat, in quibus aliquod victoriæ signum deprehendam, & co-
„ gnoscam quia tu propitius fueris mihi seruo tuo. Dimisit itaque pueros, & abie-
„ runt. Cúmque peruenissent ad ingressum Basilicæ, emissa voce Cantor pronuntiabat, dicens: *Præcinxisti me, Domine, virtute ad bellum, supplantasti insurgentes in me subtus me, & inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti.* Oblatis itaque muneribus, & oraculo diuino confortati, cum lætitia & exultatione ad Dominum suum sunt reuersi, & eum tali nuntio reficiunt. Inundauerant tunc aquæ præ nimietate pluuiarum, & Vicenus fluuius in tantum excreuerat, vt penitus inueniri non posset locus, quo sine nauigio transmeari posset. Quò cùm peruenisset Rex, & vltra progredi non valeret, tentoria figere præcepit, vt vel pontem sterneret, vel nauigium præpararet, quo illud aquæ diluuium cum exercitu pertransire deberet. Sustulit hunc laborem Dei nostri miseratio, & in die crastina matutina iam luce diffusa, ecce ceruam miræ magnitudinis eminus conspicantur, quæ lento gressu amnem est ingressa. & quò transire debeat populus animal inscium nutu diuino demonstrat. Nec mora, cunctus exercitus amnem transiit, & cum animi tripudio Dominum glorificant in excelsis, qui vt Israëliti-

A cum populum per mare rubrum, ita & Francorum populum per inundationem tanti fluminis, viam mirabiliter ostendendo, transire præcepit. Qui cùm Pictauam peruenissent ad vrbem, longè ab Ecclesia sancti Hilarij tentoria figere præcepit Clodoueus. Et comminatus est omni populo, ne in ipso pago spolium alicuius auferrent, néue diriperent domos, non pecora prædarentur, nec stipendia etiam per violentiam raperent. Eadem verò, nocte farus igneus quasi de sepulchro S. Hilarij egredi visus est, & super Clodouei tentorium per dimidiam ferè horam apparuit, missus, vt credimus, in Francorum auxilium, vt hoc vexillo confortati ad conterendam incredulam gentem magis ac magis accenderentur. Alaricus fortè tunc aberat, & ad congregandum innumerabilem exercitum Legatos vbique direxerat, & vt ita dicam, non ad resistendum, sed potiùs ad communiendum suorum animos accendit, eorum fortia facta commemorans. Gentem nostram dicit esse paucissimam, latum & spatiosum suum denuntiat imperium. Sicut Romam adtriuerant, ita Francorum gloriam insinuat conterendam. Non ad bellandum, sed ad prædandum, eos aduentasse mentitur. Mille conuitiis nostros infamat, suos laudibus extollit immensis. Ne paruulos suos latrunculi spolient, arma denuntiat prehendenda. Sic substomachatus occurrit nostris, non vt feriat, sed vt deglutiat: & vallatus militum suorum multitudine, nostrorum exuuias suspirabat, anhelus quòd effuso sanguine fœdarentur. Ignorabat insanus, B quòd ipse nostrum ductaret exercitum, qui non confidit in millibus, qui tonat in nubibus, qui mouet abyssum, & sedet in cœlo. Clodoueus igitur castris egressus Christum gestabat in pectore, & totum lustrans exercitum, ordinabat acies electorum. Fortissimos milites vt feriant adhortabatur, & mediocres ne paueant dictis informabat alacribus. Vt egregius miles antè ductabat exercitum, vt fidelissimus Christianus sæpiùs suspirabat ad cœlum. Nente tempus prorumpant ex acie, nobilium iuuenum ardentes animos comprimit, & cùm in bello steterint, gladios ne obliuiscantur, hortatur. Rudibus insinuat, qualiter hostem feriant, & designat pariter quomodo ictus hostium incassum dissilire faciant. Petrum atque Martinum inuocat, vt sucurrant: & respectans Hilarium, vt vexillum capiat, & ductet exercitum imprecatur. Nec segniùs feriat Arrianos, quàm ventrem vacuum suis disputationibus ferire consueuerat eorum Principem infelicem Arrium. Et innixus hastâ, Francos omnes intuetur, & signaculo nostræ fidei fidelem signat exercitum, & vt in nomine Domini feriant imprecatur. Ast hinc & indè conseritur prœlium, & buccinis vndique sonantibus cœlum clamoribus impletur, tela volant per aëra, terra sanguine cruentatur. Audires hinc gemitum morientium, illinc vulneratorum stridores horresceres. Palpitabat hinc exanguis, & moriens vorabat terram aut lapides. Alius calcitrans, dum ei mortis tarda molimina viderentur, angustiatus præ dolore vulnerum quiddam effractis spiculis rapiebat, quo tristia pectora transuerberaret, & tali mortis acceleratione finiebat vulnerum cruciatus. Clodoueus igitur hastam vibrans obC uios quosque prosternebat, & nomen Domini sæpiùs inclamabat. Cúmque Francorum animos ad internecionem odiosæ gentis sedulis inclamationibus adhortaretur, & aliquos in bello minus sollicios confortaret, Alaricum eminùs conspicatur, & equo post eum emisso, eum lancea percutit, & sic gladium euaginat. Ecce Reges ferocissimos circunstans populus mirabatur, & eis ita bellantibus nullum solatium impendebat. Rimabatur vterque locum vulneris, & plerumque non inueniens auersi clypeum gladio decurtabat. Cúmque hac vicissitudine alter alteri feruens succederet, & vtrarumque galearum planities scinderetur in partes, ne res duceretur ad effectum, antiquæ feritatis fortia facta rememorans Clodoueus, eleuato brachio ensem librat ad vulnus, & barbam mentúmque pariter ac læuam manum, qua clypeum gestabat, excussit Alarici, & sic resiluit in partem: ita altera caput eius amputare deliberans. His ita bellantibus, duo Gothi prosiliunt ex aduerso, & Regem nostrum lanceis suis forti conamine percusserunt, eum ex improuiso morti tradere meditantes. Sed Dominus omnipotens hunc protexit, & gloria triplici coopertus ictus tales pro nihilo reputauit, & Alaricum læua corripiens, adnisu valido deduxit gladium, & sic caput eius amputauit. Tolluntur iterum voces ad sydera, & renouatis viribus Franci iterum animantur ad cædes. Sed Gothi morte sui Regis inspecta, turbinum more hac

illacque diffugiunt, & proiectis armis incassum abdita quæque collustrant. Et vt A in veterum Patrum historia legitur, vnus nostrûm eorum mille persequebatur, & duo fugabant decem millia. Cerneres illud impletum, quod de peccatoribus Scriptura testatur, quia sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei, & iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia. Ita Clodoueus inimicum superauit exercitum, & penè ad internecionem vsque deduxit. Hi verò, qui Francorum gladios euaserunt, cum Amalarico Alarici filio ad Hispanias profugerunt, & eundem Amalaricum in paterno solio sublimarunt. Maximus autem Aruernorum populus, qui cum Apollinare Duce in adiutorium Alarici venerat, ita in eodem prœlio cum multis Senatoribus est adtritus, vt vix ex tanta multitudine nuntius superesset, qui hoc vxoribus nuntiaret. Factum est prœlium istud in campo Vosaglinse super Clinnium fluuium, decimo miliario ab vrbe Pictaua. Hac igitur patrata victoria, filium suum Theodericum, quem ex concubina genuerat, Clodoueus Rex cum parte sui exercitus ad Aruernum dirigit, qui ei ciuitates & municipia ad Rhodanum fluuium vsque subiiciat. Qui patris sui mandatis obtemperans vrbes vniuersas à finibus Gothorum vsque Burgundiam sagaciter subiugauit, & Francorum ditioni substituit. Clodoueus igitur Rex Burdegalem ciuitatem ingrediens, per hyemem ibidem demoratus est, & fatigatum in bello refecit exercitum. Vnde progrediens Tolosam inuasit, & thesauros Alarici his, qui eandē Prouinciam possessuri erant, diuidere B præcepit. Cúmque Ecolesinam ciuitatem, quæ rebellionis audaciam assumpserat, expeteret, & eam armis & obsidione expugnare decerneret, tantam gratiam ei virtus diuina concessit, vt in eius aduentum muri eiusdem ciuitatis ruerent. Quod videntes oppidani, & rem diuino nutu euenisse credentes, sese suáque dedere Clodoueo, & vrbis munitionem machinis protriuerunt, & Gothos milites munitionis eiusdem Regi pariter obtulerunt. Quos omnes capite plexos morti tradidit; & Pyrenæos montes vsque Perperaum * subiiciens, vrbes & castella subruens, municipia quæque depopulans, prædam innumerabilem, & spolia multa suis militibus æquè dispertiens. His igitur ita patratis, cùm ad solum proprium redire deliberaret, electos milites atque fortissimos cum paruulis atque mulieribus ad peruasas ciuitates custodiendas & ad reprimendam Gothorum sæuitiam dereliquit, & immensis muneribus ampliauit.

Sic itaque exultans in Domino, & in lætitia delectatus, Turonis est regressus, & multa munera supplex obtulit Confessori. Centúmque solidos ad redimendum equum suum matriculariis dare præcepit. Sed nec solui, nec etiam moueri potuit loco. Dedit iterum centum, & moueri potuit, & absolui. Quem cùm recepisset, ex abundanti lætitia resolutis in risum, talia dicitur responsa dedisse:
» Verè beatus Martinus & auxilio promptus, & in negotio carus habetur. Et ascendens equum, purpura redimitus & auro, ac diadema Regium in capite gestans, pro exultatione victoriæ ob reuerentiam sancti Martini auri & argenti plurimum in atrio, quod est inter Ecclesiam S. Martini & ciuitatem præsente populo sparsit, & Regia munificentia dispensauit. Ab ipso igitur die suscepit eum Anastasius Imperator in amicitiam singularem, & non solùm Rex aut Consul, sed & Augustus ab eodem Imperatore iussus est appellari. Et tali gloria sublimatus ante sepulchrum beati Martini genua fixit, & orauit. Et sic vrbe progressus, Parisius rediit, & eandem ciuitatem Regni sui sedem esse constituit. Ecclesiam verò sancti Petri, quam se facturum promiserat, antequam progrederetur ad bellum, & decenti compositione construere fecit, & constructam ornamentis atque reditibus sufficienter ampliauit. Dehinc aduersus Ragnerium atque Richarium duxit exercitum, qui apud Camaracum morabantur, & eos omni dignitate seculari & vita pariter confirmauit esse nudandos. Erat iste Ragnerius effrenis in luxuriam, & habebat consiliarium quendam Pharonem nomine simili spurcitia lutulentum. Oderat eos Dominus, & ideò ab hominibus Dei amari non poterant. Propterea & Franci superiores, quos dominatu premebant iniquo, nimium indignè ferentes talibus subdi, accesserunt ad Clodoueum, & petierunt ab eo munera, vt eum dolo ad certandum contra nostros impellerent, & ita fine tumultu maximo, & vitæ illius finis imponeretur, & crimini. Dedit eis itaque Rex armillas, & balteos cuprinos, & electrinos subdolè compositos, & desuper auro tectos.

A ctos. Quibus receptis muneribus, cœperunt adhortari Ragnerium, vt aduersus Clodoueum arma corriperet,& egrederetur ad bellum, mentientes Regem aduentare cum paucis, se multis militibus esse constipatum. Quod cùm audisset Ragnerius, audacter ad pugnam iit, & aduersus nostros acriter præliatus est. Sed fauente Domino, cui nefaria eius vita displicuerat, correptus est & ligatus,& Clodoueo præsentatus. Cum quo & Richarium atque Pharonem comprehenderunt,& vinctos pariter Regi obtulerunt. Quos capitibus puniri præcepit, & ita nefando crimini finem imposuit. Insuper & thesauros eorum ac ciuitatem propriæ ditioni restituit. Apud Cenomanicam quoque ciuitatem Ragnerij propinquus quidam morabatur Ragnimirus nomine, quem pariter vitâ priuauit, & Regno: ne scintilla videlicet iniqui germinis remanere videretur, quæ scelus horrendum suscitaret in populos, & Sodomorum Gomorreorumve, quod absit, exterminio damnarentur. Cúmque proditores Ragnerij cognouissent quòd in pretio tanti facinoris æs vitiatum accepissent, conquerentes nimium, & sero pœnitentes, accesserunt ad Regem, & qualiter ludificati fuerant intimauerunt. Quibus Clodoueus ita respondens, ait: Tale aurum meritò recepistis, qui Dominũ vestrum morti tradidistis. Sit iam vobis satis vestras animas reseruasse,& non pro tanto crimine condigna supplicia persoluisse. His igitur patratis, febre corripitur Clodoueus, & de die in diem sentiens langorem ingrauescere, conuocatis Francorum Proceribus,
B Regnum suum diuisit in partes,& filiis suis quatuor easdem partes distribuit. CHILDEBERTO verò filio suo, quem vnicè diligebat, Parisius tradidit, & CLODOMIREM apud Aureliam residere præcepit. CLOTHARIO Suessiones dedit,& THEODERICO, quem ex concubina genuerat, Remis ciuitatem atque Camaracum indulsit. Cúmque per Francorum Proceres luctus ingens oriretur pro tanti Regis abscessu, suspirans ad cœlum Rex fidelis: En, inquit, Domine Deus, miserere mei, & populũ hunc, qui in tuo nomine sacri baptismatis regeneratione purgatus est, tu ipse guberna, tu nostros heredes perpetua tuitione circunda. Crochildem verò nostram, imò tuam, & quia tuam ideò melius nostram, ita tibi commendo, vt eam tuearis sicut propriam, sicut domesticam, sicut filiam, vel sicut ancillam. Tu eam mihi prouidisti seruo tuo, atque tradidisti: tibi eam reddo, per quam & tuæ Legis decreta cognoui. His dictis, reddidit spiritum,& sepultus est in Basilica sancti Petri, quam ipse construxerat, anno tricesimo sui regni, Domino Iesu Christo regnante in perpetuum, cui est honor & gloria in secula seculorum, amen.

EXPLICIT.

A

CHRONOLOGIA ET SERIES REGVM GOTHORVM,

QVI TAM IN GOTHIA GALLICA, QVAM IN HISPANIIS REGNARVNT, Vsque ad CAROLI MARTELLI Francorum Principis tempora.

Ex Veteri Codice Ms. Cœnobij Moisiacensis.

I. PRIMVM in Gothis ATTANARICVS regnauit annis XIV. Iste primus per Valentem Imperatorem in hæresem Arrianam cum omni Gothorum gente intrauit. Sub isto Gothi legem & litteras habere cœperunt, & cum eodem Rege ab Hunnis de terra propria expulsi sunt. Rex quoque Constantinopoli vitam finiuit sub Imp. Theodosio. B

II. ALARICVS regnauit annis XIV. Iste ob vindictam Gothorum CC. milia, & Radagarso Scita, quos Romani interfecerunt, exercitum mouit, & Romam cepit, ibique Placidiam Theodosij Imp. filiam cum opibus multis deprædauit. Postea in Italia obiit, sub Impp. Honorio & Arcadio.

III. ATAVLFVS regnauit annis VI. Iste supradictam Placidiam coniugem accepit, & quinto regni anno de Italia Gallias adiit. Et dum *Hispanias* petere voluisset, à suis interfectus est in Barcilona sub Impp. *Honorio* & Arcadio.

IV. SIGERICVS regnauit annum I. Iste dum pacem cum Romanis habere voluisset, mox à suis est interfectus, sub Imperio prædicto.

V. VVALLIA regnauit annos III. Belligerator fuit. Cum Imp. Honorio pacem habuit, & sororem eius Placidiam ei reddidit. Iste Hispanias ingressus Vuandalos & Silinguos in Betica bello extinxit, & Alanos ad nihilum redegit. Ad Africam classicè transire disposuit. Sed Gaditanum mare eum non dimisit. In Gallias rediit, ibique finiuit vitam sub Imperio Honorij.

VI. TEVDEREDVS regnauit annis XXXIII. Iste Littorium Ducem Romanorum, & cum eo multa milia Romanorum extinxit. Ex Hunis CC. milia interfecit, ibique præliando occiditur, sub Imperio Theodosij Iunioris.

VII. TVRISMVNDVS filius eius regnauit annum I. Qui dum feralis & noxius esset, à Theuderico & Fricdario eius fratrib. est interfectus sub Imp. Martiano.

VIII. THEVDERICVS regnauit annis XIII. Iste dum Gothis Abito Imperatore sumere * auxilium dedit. Et ob hoc indè cum licentia idem Abiti Imperatoris, cum ingenti exercitu Hispanias intrauit, & XII. miliario ab Asturica apud Vrbicum fluuium Ricciarium Sueuorum Regem prœlio superauit, cúmque persequens in Portugale cœpit, atque occidit. Braccaram cepit, sicque indè per Lusitaniam in Gallias rediit, ibique ab Eurico eius fratre interfectus sub Imp. Leone. C

IX. EVRICVS regnauit annis XXVI. Iste Lusitaniam deprædauit, Pampilonam & Cæsaraugustam cepit, & Gothis legẽ dedit. Arelate obiit sub Imp. Zenone.

X. ALARICVS filius eius regnauit annis XXIII. Quem Clodoueus Rex Francorum apud Pictauem bello interfecit. Ob cuius vindictam Theodoricus socer eius Italiæ Rex Francos prostrauit, & Regnum Gothis integrum restituit sub Imp. Athanasio.

XI. GESALAICVS Alarici filius regnauit annis IV. Iste à Gundebaldo Burgundionum Rege Narbona superatus, ad Barcilonam fugit. Indè ad Africam ad Vuandalos pro auxilio perrexit, & non impetrauit. Indè reuersus apud Barcilonam, à Duce Theuderici Italiæ Regis est interfectus sub Imp. Athanasio.

XII. THEVDERICVS supradictus occiso Gesalaico Regnum Gothorum tenuit annis XV. & superstiti nepoti suo Amalarico reliquit. Ipse Italiam rediit, & ibi vitam finiuit sub Imp. Iustiniano.

A XIII. AMALARICVS regnauit annis v. Iste à Childeberto Francorum Rege superatus, Narbonæ interiit sub Imp. Iustiniano.

XIV. TVDIS regnauit annos XVII. Iste quamuis hæreticus pacem concessit Ecclesiæ, & Episcopis licentiam dedit in Toletana vrbe Concilia peragere. Francorum Reges infra Hispanias vsque Minium superauit, eúmque in Palatio quidam insaniam simulando interfecit sub Imp. Iustiniano.

XV. THEVDISCVS regnauit ann. I. Qui dum thoros multorum macularet, & ob id multis necem excogitaret, mox inter epulas gladio Ipsalmi iugulatur sub eodem Iustiniano.

XVI. AGILA regnauit ann. v. Iste dum ad Cordubam vrbem pugnaret, in contemptum Christi sepulchrum sancti Martyris. Acisceli quodam horrore pollueret: filium ibi cum multa copia interfectum, & omnem thesaurum Regium amisit, & Emeritam fugit, ibique sui eum interfecerunt, sub eodem Imp. Iustiniano.

XVII. ATHANAGILDVS regnauit annos XIV. Iste contra milites Iustiniani Imp. quos ipse contra Agilanem petierat, diu conflixit, atque eos extinxit. Toleto morte propria decessit sub Imp. Iustiniano.

XVIII. LVIBA regnauit annos III. in Narbona. Iste fratri Leouigildo Hispaniæ administrationem dedit.

XIX. LEOVIGILDVS adepta Gallia & Hispania, regnauit ann. XIV. Iste valde
B hæresi Arrianæ deditus persecutionem Catholicis intulit, & Ecclesiarum priuilegia tulit. Massonam Emeritensium Episcopum exilio relegauit, suis perniciosus fuit. Poténtes per cupiditatem damnauit, Sueuos superauit, & Gallecíæ Regnum Gothis admiscuit. Primus regali veste opertus solio resedit. Vrbem in Celtiberia fecit, & Recopolim nominauit. Gothorum leges antè correxit, & Toleto propria morte decessit sub Mauricio Imperatore.

XX. RECAREDVS filius eius regnauit ann. XV. Iste in exordio Regni sui Catholicam fidem adeptus, omnem Gothorum gentem ad cultum rectæ fidei reuocauit, & per Synodum Episcoporum Galliæ & Hispaniæ fidem Catholicam confirmauit. Francorum hostes IX. mil. in Hispania bello prostrauit, & tempora regni sui omni bonitate ornauit *. Fine pacifico Toleto decessit, Imperante Mauricio. *honorauit.

XXI. LVIBA filius eius regnauit ann. II. Istum præcisa dextra innocuum Vitericus occidit, & Regnum sibi suscepit, sub Imp. Mauricio.

XXII. VITERICVS regnauit ann. VII. Vir quidem strenuus in armorum arte, sed expers victoriæ, quod fecit recepit. Inter epulas enim prandij à suis interfectus est sub Imp. Phoca.

XXIII. GVNDEMARVS regnauit ann. II. Vuascones vna expeditione vastauit, & propria morte Toleto decessit sub Imperio Heraclij.

C XXIV. SISEBVTVS regnauit ann. VIII. Iste potestate Iudæos ad Christi fidem perduxit, & Ecclesiam sanctæ Leocadiæ Toleto opere miro fundauit. Astures & Vuascones in montibus rebellantes humiliauit, & suis per omnia beneuolus fuit. Hunc quidam proprio morbo, alij immoderato potionis haustu asserunt interfectum sub Imperio Heraclij. Tunc nefandus Mahomet in Africa nequitiam legis stultis populis prædicauit.

XXV. SVINTVLA regnauit ann. X. Victoria & consilio magnus fuit. Vuascones deuicit. Duos Patricios Romanos cepit. Omnem Hispaniam & Galliam strenuè rexit, & ob meritum pater pauperum vocatus est, & fine proprio Toleto decessit sub Imperio Heraclij.

XXVI. SISINANDVS regnauit ann. IV. Iste Synodos Episcoporum egit, patiens fuit, & regulis Catholicis orthodoxus extitit. Toleto vitam finiuit sub Imp. Heraclij.

XXVII. CHINTILA regnauit ann. III. Synodos plurimos Toleto cum Episcopis egit, & subditum Regnum fide firmauit. Toleto decessit sub Imp. Heraclij.

XXVIII. TVLGA regnauit ann. III. Blandus in omnia fuit.

XXIX. CHINDASVINTVS regnauit solus ann. VI. & cum filio suo Recessuinto ann. IV. Huius tempore quieuit Hispania, & per Synodos erudiuit Ecclesiam. Toleto obiit sub Imperio Constantini noni.

XXX. VVAMBA regnauit ann. IX. Primo regni sui anno rebellante sibi Paulo Duce, cum quadam parte Hispaniæ, prius feroces Vuascones in finibus Cantabriæ perdomuit. Deinde cunctis ciuitatibus Gothiæ & Galliæ captis, ipsum postremo

Paulum in Nemausense vrbe victum celebri triumpho sibi subiecit. Postea ab Eruigio Regno priuatur sub Imperio Constantini noni. A

XXXI. ERVIGIVS regnauit ann. VI. Iste Synodos multas Toleto cum Episcopis egit. Filiam suam coniugem dedit Egicani. Toleto obiit sub Imp. Iustiniano.

XXXII. EGICA regnauit ann. XV. Iste dum Regnum accepit, filiam Eruigij cum iuratione Vuambæ subiecit. Filium suum Vittiranem Principem secum Regno præfecit. Toleto decessit sub Imperio Leonis.

XXXIII. VITTIRA regnauit ann. X. Toleto vitam finiuit sub Imperio Tiberij.

XXXIV. RVDERICVS regnauit ann. III. Istius tempore æra DCCLII. Farmalio terræ Sarraceni euocati Hispanias occupauerunt, Regnúmque Gothorum ceperunt, quod adhuc vsque ex parte pertinaciter possident, & cum Christianis diu noctúque bella ineunt, & quotidie confligunt, dum prædestinatio vsque diuina dehinc eos expelli crudeliter iubeat. Reges Gothorum defecerunt. Sunt sub vno anni CCC. XIV.

ALARICO regnante ab æra CCCI. ingressi sunt Gothi in Italiam. Post huius annos Reges Gothi Galliam ingressi sunt. Post septem annos Gothi Hispaniam migrauerunt.

IN æra DCCLXV. regnauit CAROLVS Francorum Rex ac Patricius Romæ.

B

EPISTOLA PAVLI PERFIDI, QVI TYRANNICE REBELLIONEM FECIT IN GALLIA, VVAMBANO PRINCIPI MAGNO TOLETANO.

IN nomine Domini Flauius Paulus summus Rex Orientalis Vuambæ Regi Austri. Si iam asperas & inhabitabiles montium rupes percurristi, si iam fertosa & syluarum nemora, vt leo fortissimus, pectore confregisti. Si iam caprearum cursum ceruorúmque saltum, aprorum vrsorúmque edacitates radicitus edomuisti. Si iam serpentum vel viperarum venenum euomuisti, indica nobis armiger., indica nobis Domine syluarum & petrarum amice. Nam si hæc omnia accubuerunt, & tu festinas ad nos venire, vt nobis abundanter philomelæ vocem retexas. Et ideo magnifice vir ascendit cor tuum ad confortationem. Descende vsque ad clausuras. Nam ibi inuenies Oppopumbeum * grandem, cum quo legitimè possis concertare.

* *Castrū est in Pyrenæis montibus.*

A

HISTORIA VVAMBAE REGIS TOLETANI;

EDITA A DOMINO IVLIANO TOLETANÆ SEDIS ARCHIEPISCOPO,

De expeditione & victoria, quâ rebellantem contra se Galliæ
B Prouinciam celebri triumpho perdomuit.

Ex Veteri Codice Ms. Cœnobij Moißiacensis.

SOLET virtutis esse præsidio triumphorum relata narratio, animósque iuuenum ad virtutis attollere signum, quicquid gloriæ de præteritis fuerit prædicatum. Habet enim ipsa humani moris instantia pigrum quendam internæ virtutis affectum. Et indè est, quòd non tam citatior ad virtutes, quàm ad vitia procliuior reperitur. Quæ enim iugi exemplorum vtilium prouocatione instructa præterierit, frigida remanet & torpescit. Hac de re, vt fastidiosis mentibus mederi possit, relationem præteritæ rei nostris temporibus gestum inducimus, per quod ad virtutem subsequiua secula prouocemus. Adfuit enim in diebus nostris clarissimus VVAMBA Princeps, quem dignè principari Dominus voluit, quem Sacerdotalis vnctio declarauit, quem totius gentis & patriæ communio elegit, quem populorum amabilitas exquisiuit, qui ante Regni fastigium multorum reuelationibus celeberrimè prædicitur regnaturus. Qui clarissimus vir, dum decidentis Rescesuintum Principis morte exequiale funus solueret, & lamentaretur, subitò vnâ omnes in concordiam versi, vno quodammodo tam animo quàm oris affectu pariter prouocati, illum se dele-
C ctanter habere Principem clamant, illum se nec alium in Gothis principari velle vnitis vocibus intonant, & cateruatim ne postulantibus abnueret, sub pedibus obuoluuntur. Quos vir omni ex parte refugiens lachrymosis singultibus interclusus, nullis precibus vincitur, nullóque voto flectitur populorum. Modò non se suffecturum tot ruinis imminentibus clamans, modò senio se confectum pronuncians: cùm acriter reluctante vnus ex officio Ducum quasi vice omnium acturus audacter in medio minaci contra eum vultu prospiciens, dixit: Nisi consensurum te nobis modò promittas, gladij modò mucrone truncandum te scias. Nec dehinc antea exibimus, quàm aut expeditio nostra te Regem accipiat, aut contradictorem cruentus hic hodie casus mortis absorbeat. Quorum non tam precibus quàm minis superatus, tandem cessit; Regnúmque suscipiens, ad suam eos pacem recepit: tamen dilato vnctionis tempore vsque in nonum decimum diem, ne citra locum sedis antiquæ sacraretur in Principem. Gerebantur enim ista in villa, cui antiquitas Gerticos nomen dedit, quæ ferè centum viginti millibus ab vrbe Regia distans, in Salmaticensi territorio sita est. Ibi enim vno eodémque die, scilicet in ipsis Calendis Septembris, & decidentis Regis vitalis terminus fuit, & pro subsequentis viri iam dicti

electione illa, quam præmisimus, populi acclamatio extitit. Nam eundem virum quanquam diuinitus ab inceps, & per anhelantia plebium vota, & per eorum obsequentiam, regali cultu iam circumdederant magna officia, vngi se tamen per Sacerdotis manus antè non passus est, quàm sedem adiret regiæ vrbis, atque solum peteret paternæ antiquitatis, in qua sibi opportunum esset & sacræ vnctionis vexilla suscipere, & longè positorum consensum in electione sui patientissimè sustinere. Scilicet ne citata Regni ambitione permotus, vsurpasse potiùs vel furasse, quàm percepisse à Domino signum tantæ gloriæ putaretur. Quod tamen prudenti differens grauitate nonodecimo postquam Regnum susceperat die Toletanam vrbem ingreditur. At vbi ventum est quò sanctæ vnctionis susciperet signum in Prætoriensi Ecclesia, sanctorum scilicet Petri & Pauli, Regio iam cultu conspicuus ante altare diuinum consistens, ex more fidem populis reddidit. Deindè curuatis genibus oleum benedictionis per sacri Quirici Pontificis manus vertici eius refunditur, & benedictionis copia exhibetur, vbi statim signum hoc salutis emicuit. Nam mox è vertice ipso, vbi oleum ipsum perfusum fuerat, euaporatio quædam fumo similis in modum columnæ sese erexit in capite, & è loco ipso capitis apis visa est prosiliisse. Quod vtique signum cuiusdam felicitatis secuturæ speciem portenderet. Et hæc quidem præmisisse ociosum fortè non erit: quippe vt posteris innotescat, quàm viriliter rexerit Regnum. Qui non solùm nolens, sed tantis ordinibus ordinatè percurrens, totius etiam gentis coactus impulsu, ad Regni meruerit peruenire fastigium.

Hvivs igitur gloriosis temporibus Galliarum terra altrix perfidiæ infami denotatur elogio, quæ vtique inæstimabili infidelitatis febre vexata, genita à se infidelium depasceret membra. Quid enim non in illa crudele vel lubricum? vbi coniuratorum conciliabulum, perfidiæ signum, obscœnitas operum, fraus negotiorum, vænale iudicium, & quod peius his omnibus est, contra ipsum Saluatorem nostrum & Dominum Iudæorum blasphemantium, *prostibulum* habebatur. Hæc enim terra suo, vt ita dixerim, partu perditionis suæ sibimet præparauit excidium, & ex ventris sui generatione viperea euersionis suæ nutriuit decipulam. Etenim dum multo iam tempore his febrium diuersitatibus ageretur, subitò in ea vnius nefandi capitis prosapsione turbo infidelitatis adsurgit, & conscensio perfidiæ per vnum ad plurimos transit. Huius enim caput tyrannidis Ildericum fama sui criminis refert, qui Nemausensis vrbis curam sub Comitali præsidio agens, non solùm nomen, sed titulum & opus sibimet infidelitatis adsciuit, adiunctis prauitatis sibimet suæ sociis, Gumildo Magalonensis sedis Antistite detestando, & Ranimiro Abbate. Hic igitur criminis caput, dum per diuersos ignem suæ infidelitatis accenderet, Nemausensis vrbis Episcopum beatæ vitæ Aregium ad perfidiæ notam trahere nitebatur. Quem casto ore, constantique corde repugnantem suis consiliis cernens, & Ordinis & loci dignitate priuatum, pondere vinculorum onustum, in Franciæ finibus Francorum manibus tradidit illudendum. Dein in sublati Pontificis locum perfidiæ suæ socium Ranimirum inducit Episcopum. In cuius electione nullus ordo attenditur, nulla Principis vel Metropolitani definitio præstolatur. Sed erecto quodam mentis superbæ fastigio contra interdicta maiorum ab externæ gentis duobus tantùm Episcopis ordinatur. Peracto temeritatis tantæ prouentu, trium horum hominum semina virulenta perfidiæ, Ildericus scilicet, Gumildus, & Ranimirus, terminos sibimet suæ coniurationis statuunt, & à loco vbi vocabulum fertur Mons Cameli vsque in Nemausum terram Galliæ diuidunt, suæque coniurationi adsciscunt, quo vtique infidelitas à fidelitate secerneretur. Collecta dein manu, ciues depopulantur, labores exhauriunt, omnísque Prouincia Galliæ deprædatur. Fama hæc cucurrit ad Principem, móxque ad extinguendum seditiosorum nomen exercitũ per manum Pavli Ducis in Gallias destinat. Qui Paulus repenti cursu cum exercitu gradiens, morarum intercapedine exercitum fregit. Ipso quoque bello abstinuit, nec primos impetus in hostem direxit, talique studio animos iuuenum ab eo quo ardebant præliandi furore submouit. Sicque Paulus in Sauli mentem conuersus, dum pro fide noluit proficere, officere conatus est contra fidem. Regni am-

A bitione illectus, spoliatur subitò fide. Dimissam religiosi Principis maculat charitatem, præstationis obliuiscitur patriæ, & vt quidam ait, tyrannidem celeriter maturatam secretè inuadit, & publicè armat. Agit hæc arcano quodam consilio, vt affectatum fastigium Regni ante queat videri, quàm sciri. Allectis sibi perfidiæ suæ sociis Ranosindo Tarraconensis Prouinciæ Duce, & Hildigiso sub Gardingatus adhuc officio consistente. Quod votum peruersi desiderij incredibili, vt ita dixerim, efficere celeritate intendens, collectis vndique populis, simulatè se pugnaturum contra seditiosos enunciat. Diem statuit, locum proponit, quo Gallias expugnaturi accederent. Quod vir vitæ venerabilis, & sollicitudine saluandæ plebis idoneus, Argebadus* cathedræ Narbonensis Antistes, subtilissima quorumdam narratione comperiens, vt pote tyranno illi aditum ciuitatis intercludere nisus est. Sed nec hæc quoque opinio latuit Paulum. Vnde priusquam Antistes ille quæ cogitauerat effectibus manciparet, subitò præpropero cursu Paulus cum exercitu Narbonensem vrbem ingrediens, insidias sui maturatè præuenit, portásque ciuitatis sub delegato armatorum præsidio obserari præcepit. Vbi dum circumfusa omnis exercitus multitudo collecta est, vipereum caput perfidiæ cum quibusdam sociis suis Paulus ipse in medio adstitit, obiurgans primum Episcopum, cur illi ciuitatis aditum intercludere niteretur. Post hæc tyrannidis suæ consilium proditurus, diuerso fraudis argumento fidem populorum degenerans, &

* al. Argadus

B ad irrogandas iam fato Vuambano Principi iniurias, animos singulorum inflammans, iurat ipse Paulus primum omnibus illum se Regem habere non posse, nec in eius vltra famulatu persistere. Quin potiùs ait: Caput regiminis ex vobis ipsis « eligite, cui conuentus omnis multitudo cedat, & quem in nobis principari appa- « reat. Cui vnus ex coniuratis maligni ipsius consilij socius Ranosindus, Paulum sibi Regem designat, Paulum sibi, nec alterum, populis Regem mox futurum exoptat. At vbi idem Paulus sui consilij accelerationem inspexit, consensionem illico propriæ voluntatis adhibuit, iurare etiam sibimet omnes coëgit. Post hæc Regnum corripuit, & nefaria temeritate coniuratorum cateruam illam, quam armorum vtilitate non cepit, perfidiæ opere ad se traxit. Nam Hildericum, Gumildum, vel Ranimirum non difficili opere suæ perfidiæ sociauit. Quid multa? omnis Galliarum terra subitò in seditionis arma coniurat, nec solùm Galliam, sed etiam partem aliquam Terraconensis Prouinciæ sociam rebellionis suæ attemptat. Fit tamen tota Gallia repentè conuenticulum perfidorum, perfidiæ speleum, conciliabulum proditorum. Vbi dum Paulus perfidiæ suæ socios numerosiores efficere vellet, perlatis promissisque muneribus, Francorum Vuasconúmque multitudines in auxilium sui pugnaturas adlegit, & intra Gallias cum multitudine hostium persistit: opperiens euentum grauissimi temporis, quo posset in

C Hispanias pugnaturus accedere, perceptúmque Regni fastigium vendicare.

Illo tunc tempore, cùm hæc intra Gallias agerentur, religiosus Vuamba Princeps feroces Vuasconum gentes debellaturus aggrediens, in partibus commorabatur Cantabriæ. Vbi cùm de his quæ intra Gallias gerebantur fama se ad aures Principis deduxisset, mox negotium primatibus Palatij innotuit pertractandum, vtrumne possent in Gallias exindè pugnaturi accedere, an reuertentes ad propria collectis vndique viribus cum multiplici exercitu tam longinqui itineris arriperent commeatum. In quo bicipiti consilio natantes, multos Princeps ipse aspiciens, hac communi admonitione alloquitur: Ecce, ait, iuuenes exortum « malum audistis, & quo se munimine incentor seditionis huius armauerit agno- « uistis. Præuenire ergo hostem necesse est, vt antè excipiatur bello, quàm in suo « crescat incendio. Turpe nobis sit, aut talibus dimicaturos in occursum non ire, « aut domos nostras priusquàm intereant repedare. Ignominiosum nobis videri de- « bet, vt qui rebelles nostros suis non potuit subiicere armis, repugnare audeat tan- « tæ gloriæ viris, & qui abiectissimam vnius hominis pellem deuincere pro patriæ « quiete non valuit, hostem audeat se præbere genti. Quasi effeminatos & molles « nos vsquequaque diiudicans: qui vtique nullis annis, nullis viribus, nullis consi- « liis eius tyrannidi resistere valeamus. Quæ est enim perituro illi virtus, si Franco- « rum viribus nobiscum decertando confligat? Notissima eorum nobis, nec incer- « ta pugna est. Ergo turpe sit vobis eorum testudinem has acies expauescere, quo- « rum nostis infirmiorem semper esse virtutem. Sin autem coniuratione Gallorum «

„ nititur, vendicare tyrannidem vile putandum est, vt gesta nostra extremo terræ A „ angulo cedant: & ij, in quibus dilatatum Regnum porrigitur, horum motibus „ perturbentur, quos præsidali semper vice defendunt. Siue enim Galli, siue Franci „ sint, tantæ coniurationis, si placet, vindicandum existimate facinus. Nos tan„tum armis vlticibus gloriæ nostræ nomen vindicare debemus. Neque enim cum „ feminis, sed cum viris nobis certandum est. Quamquam notissimum maneat, nec „ Francos Gothis aliquando posse resistere, nec Gallos sine nostris aliquid virtutis „ magnæ perficere. Quòd si alimentorum seu vehiculorum necessitudinem oppo„natis, gloriosius nobis erit, postpositis cunctis triumphum in necessitatibus con„quisiisse, quàm in abundantia bella exquisita conficere. Angustior enim semper „ virtus plus tolerantiæ vires, quàm suffectus rei nobilitat. Exurgite iam ad victo„riæ signum, nomen disperdite perfidorum. Dum calor est animi, nulla debet esse „ remoratio properandi. Dum ira animos vrget in hostem, nulla nos debet retar„datio impedire. Quin potiùs, si fieri posset, sine intermissione proficiscendi su„sceptum iter aggredi oporteret. Multò enim facillimè sic poterunt hostium no„strorum castra subuerti. Nam vt quidam sapiens ait, ira præsens valet, dilata lan„guescit. Non igitur opus est retrouerti militem, quem impiger accessus belli„gerandi fecit esse victorem. Directo ergo itinere nos frustrari non opus est. Ab „ hinc ergo Vasconibus cladem illaturi accedamus, deinde ad seditiosorum nomen „ extinguendum protinus festinemus. Ad quod dictum incalescunt animi omnium, B exoptántque fieri quæ iubentur. Mox cum omni exercitu Vasconiæ partes ingreditur, vbi per septem dies quaqua versa per patentes campos deprædatio & hostilitas castrorum, domorúmque incensio tam validè acta est, vt Vuascones ipsi, animorum feritate deposita, datis obsidibus vitam sibi dari pacémque largiri, non tam precibus quàm muneribus exoptarent. Vnde acceptis obsidibus, tributísque solutis, pace composita directum iter in Gallias profecturus ascendit: per Calagurrem & Hoscam ciuitates transitum faciēs. Dehinc electis *Ducibus, in tres turmas* exercitum diuidit: ita vt vna pars ad castrum Libyæ, quod est Cirritaniæ caput, pertenderet, secunda per Ausonensem ciuitatem Pyrenæi media peteret, tertia per viam publicam iuxta ora maritima graderetur. Ipse tamen religiosus Princeps cum multiplici bellantium manu præcedentes subsequebatur. Sed quia insolens quorumdam è nostris motio non solùm prædæ inhiabat, sed etiam cum incensione domorum adulterij facinus perpetrabat, tanto disciplinæ vigore iam dictus Princeps in his & talibus patratum vindicabat scelus, vt grauiora his supplicia illum putares impendere, quàm si hostiliter contra illum egissent. Testantur hoc præcisa quorumdam adulterorum præputia, quibus pro fornicatione hanc „ vltionis irrogabat iacturam. Dicebat enim: Ecce iam iudicium imminet belli, „ & libet animam fornicari? Et credo ad examen pugnæ acceditis. Videte ne in ve„stris sordibus pereatis. Nam ego si ista non vindico, iam ligandus hinc vado. *Ad* „ hoc ergo vadam, & iusto Dei iudicio capiar, si iniquitatem populi videns *ipse non* „ puniam. Exemplum mihi præbere debet Heli Sacerdos ille in diuinis *literis* agni„tus, qui pro immanitate scelerum filios, quos increpare noluit, in bello concidis- C „se audiuit. Ipse quoque filios sequens, fractis ceruicibus expirauit. Hæc igitur no„bis timenda sunt, & ideo si purgati maneamus à crimine, non dubium erit quòd „ triumphum capiamus ex hoste. Sub ista, vt præmissum est, disciplina, iam dictus Princeps exercitum gloriosè producens, moresque singulorum sub diuinis regulis tenens, principari sibi videbat per incrementa dierum & dispositum belli, & victoriam prœliandi. Prima enim ex rebellione omnium ciuitatum Barcinona in potestate Principis religiosi adducitur, deinde Gerunda subiicitur. Huius igitur memoratæ ciuitatis venerabili viro Amatori Episcopo Paulus idem pestifer sub isto sensu scriptam Epistolam miserat.

„ AVDIVI ego, quòd Vuamba Rex cum exercitu ad nos venire disponat, sed „ cor tuum ex hoc non conturbetur. Neque enim hoc puto. Et tamen quem pri„mum de nobis ambobus ibi tua sanctitas cum exercitu viderit accedentem, ip„sum te Dominum credas habere, & in eius debeas charitate persistere. Hæc miser ipse scripsit, nesciénsque iustum contra se iudicium protulit. Vnde horum scri„ptorum verba religiosus Princeps sapienter coniiciens, dixisse fertur: Non Pau„lus in his scriptis suis à semetipso locutus est. Sed licèt ignoranter, tamen pro-

A phetasse illum hîc censeo. Egressus igitur post hæc Princeps de Gerunda ciuitate, belligerosis incursibus gradiens, ad Pyrenæi montis iuga peruenit. Vbi duobus diebus exercitu repausato * per tres, vt dictum est, turmas exercitus Pyrenæi montis dorsa ordinauit, castráque Pyrenæica, quæ vocantur Caucoliberi, Vulturaria, & castrum Libyæ mirabili victoriæ triumpho cepit, atque perdomuit. Multum in his castris auri argentíque inueniens, quod copiosis exercitibus in prædam cessit. Nam in castrum, quod vocatur Clausuras, missis ante se exercitibus, per Duces duos irruptio facta est. Vbi quoque Ranosindus & Hildigisus cum cetero agmine perfidorum, qui ad defensionem castri ipsius conflixerant, capiuntur. Sicque deuinctis post tergum manibus Principi præsentantur. Vuittimirus tamen vnus ex coniuratis, qui se in Sordoniam constitutus clauserat, nostros irrupisse persentiens, statim aufugit, & tantæ cladis nuntium Paulo in Narbonam perlaturus accessit. Quæ res granditer tyrannum pauidum reddidit. Princeps verò religiosus prædictorum castrorum subiugato exercitu, in plana post transitum Pyrenæi montis descendens, duobus tantùm diebus exercitum in vnum congregaturus expectat. At vbi è diuersis partibus collecta in vnum exercituum multitudo percrebuit, standi mora nulla fuit. Sed statim per quatuor Duces lectum numerum bellatorũ ad expugnationẽ Narbonæ ante faciem suam mittit. Alium exercitum destinans, qui nauali prœlio bellaturus accederet. Et quidem iam
B erant parui admodum dies, ex quo de Narbona rebellis Paulus seruiliter fugiendo excesserat, comperto quòd tam felici prouentu pars religiosi Principis properaret. Quam ciuitatem Paulus ipse sui iuris potestati adstipulans, multiplici perfidorum præsidio sepsit, summámque prœlij Vuittimiro Duci suo commisit. Quem cùm nostrorum exercitus blanditer exhortaretur, vt ciuitatem sine sanguinis effusione contraderet, prorsus abnuit, obseratisque ciuitatis ipsius portis è muro exercitum religiosi ipsius Principis detestatur. In Principem quoque ipsum maledicta congeminat, minisque exercitum perturbare conatur. Quod nostræ partis multitudo non ferens, subita cordium accessione incanduit, & telorum iactu perfidorum ora petiuit. Quid multa? immanis ab vtrisque pugna conseritur, & vice sagittarum alternatim sibimet vtræque partes obsistunt. Sed vbi à nostris desperatum est, non solùm in muro pugnantes seditiosos sagittis configunt, sed tantos imbres lapidum intra vrbem concutiunt, vt clamore vocum & stridore petrarum ciuitas ipsa submergi æstimaretur. Vnde ab hora ferè quinta diei vsque ad horam ipsius diei octauam acriter ab vtrisque pugnatum est. At vbi incalescunt nostrorum animi, victoriæ dilationem ferre non potuerunt. Sed ad portas propiùs pugnaturi accedunt. Tunc victoriosa per Dominum manu portas incendunt, muris insiliunt, ciuitatem victores ingrediuntur, in qua sibimet seditiosos subiiciunt. Vbi dum Vuittimirus armata adhuc manu Ecclesiam peteret, accessu nostro tum turbatus, post aram beatæ Virginis Mariæ se vindicaturum in reuerentia loci miser, sed vltore gladio, testabatur: dextrâ tenens gla-
C dium, & mortem minitans singulorum. Ad huius ergo insaniæ rumorem protinus comprimendum, vnus è nostris inter ceteros reiectis armis tabulam manu arripuit, & ferocissimo ictu sese ad illum direxit. At vbi tabulam acriter nisus est super eum ingenti iactu percutere, mox in terram tremebundus prosternitur, protinúsque capitur, ferrúmque illi de manu extrahitur. Móxque viriliter tractus pondere vinculorum arctatur, verberibúsque vnà cum sociis, cum quibus vrbem nitebatur vindicare, afficitur.

Post hæc deuicta subiugatáque ciuitate Narbona, ad insequendum Paulum, qui se in Nemausum vindicaturus contulerat, iter dirigit. Deinde Biterris & Agathe ciuitates illicò subiugantur. In Magalonensi verò vrbe Gumildus loci ipsius Antistes, cùm ad obsidionem sui circumfusum videret exercitum, vrbémq; ipsam non tam ab his qui per terras pugnaturi accesserant, quàm ab his cingi qui nauale prœlium acturi per maria commeauerant, huius rei clade perterritus compendij viam arripuit, Nemausúmq; se cum Paulo socium contulit. Sed cùm exercitus Hispaniæ Gumildum effugisse persensit, ciuitatem mox Magalonensem non dissimili victoria cepit. At vbi nostri directa acie Nemausensem vrbem debellare contendunt, prima per quatuor Duces prœliandi facies cum electo pugnatorum agmine destinata est. Quorum lecta iuuentus triginta fermè millibus Prin-

* al. vbi dum per biduum exercitus conquieuisset,

cipem anteiret. Hi tam nobili procursione in Nemausum, vbi Paulus cum Galliarum exercitu, vel Francorum conuentu se ad dimicandum contulerat, seditiosorum præueniens insidias, cùm nocte tota cursum festinati itineris confecissent, subitò cum vergẽtis diei lux orta prodiret, apparuere simul nostrorũ acies armorũ pariter & animorum apparatu dispositæ. Quas vbi è ciuitate conspiciunt, vt pote cum paucis dimicaturi, in patentes campos armis eos se excepturos definiunt. Sed dolos suspicati insidiarum, eligunt potiùs intra vrbem de muris bellum conficere, quàm extra vrbem improuisos casus patentis periculi sustinere, opperientes etiam ad auxilium sui aduentum gentium aliarum. Sed vbi sol refusus * est terris, consertum est bellum à nostris. Prima facies pugnæ crepitantibus tubarum sonis saxorum nimbo conficitur. Mox enim vt tubarum sonus increpuit, confluentes vndique nostri cum fragore vocum muros vrbis petrarum iactibus petunt, missilibus quibusque constitutos per murum spiculis sagittisque propellunt: cùm tamen & ab illis in nostros ad resistendum multorum generum spicula iacerentur. Sed quid dicam? acrius ab vtrisque pugna conficitur, æqua lance ab vtrisq; certatur, æquo etiam certamine prœliatur. Non à nostris, non ab illis conserto certamini ceditur. Pugnatum est igitur toto illo die sub ancipiti mucrone victoriæ. Vnus de incentoribus seditionum acriter instare pugnam aspiciens, è muro nostris insultaturus hæc formans verba, commentat: Quid hîc, ait, instanter pugnantes consistitis morituri? Cur lares proprios non repetitis? An fortè casum mortis ante occasum vitæ vestræ excipere vultis? quin potiùs prærupta petrarum quæritis, vbi vos abscondatis, cùm facies auxilij nostri patuerit. Condoluisse igitur me credite vobis, sciens euentum rei, & occursum solatij superuenturi. Mihi enim res notissima manet, quàm multiplicia nobis auxilia prœliandi occurrant. Tertia ergo dies est, quòd exindè properans venio. Proinde hoc noscens miserabilis pompæ vestræ occasum contristatus expecto. Principem illum vestrum, pro quo pugnaturi venistis, alligatum vobis ostendam, conuiciis addicam, insultatione illudam. Non igitur pro eo vobis hic expedit tam immaniter decertare, quem forsan iam constat nostrorum insidiis interiisse. Et quod grauius est, dum victoria patuerit nostra, nulla vobis erit de reliquo venia. Hæc dicens, nostrorum animos non solùm non terruit, sed acriùs in prœliandi furorem accendit. Propinquantes ad murum acriùs quàm cœperant in bellando consistunt, acritérque consertum innouant prœlium. His igitur peractis, per spatia totius diei nox tandem finem prœlio dedit. In ipso tamen primo feruore diei, cùm adhuc nostri infatigabili virtute in prœliando persisterent, rem mandant ad Principem, sibique dirigi adiutoria petunt, non mediocri prouisione saluti propriæ consulentes: scilicet, ne aut externæ gentis dolo præuenti, aut ab his cum quibus decertabant defatigatis viribus subruerent morituri. Et benè res acta est. Nam vbi Princeps cognouit Paulum principem tyrannidis decertare cum nostris, nulla de reliquo mora fit. Mira ergo in ordinando celeritate per VVandemarum * Ducem electos de exercitu ferè decem millia viros ad auxilium pugnantibus destinauit, qui nocte tota peruigiles maturatum iter conficerent, & superuentu sui non tam hostem frangerent, quàm nostrorum animos solaturi ociùs peruenirent. Sed vbi defatigatæ custodum vigiliæ hostem inclusum diu teneri iam quodammodo desperarent, subitò missa sibi auxilia vident, ilicò somnus ab oculis fugit, & gratulantibus animis receptis viribus pugna definitur ab occursantibus. Iam solis croceum liquerat aurora cubile, & stipata per murum hostilis multitudo prospiciens videt per serenam aciem luminum multiplices quàm pridiana die viderat excreuisse acies pugnatorum. Iam tunc caput ipse tyrannidis Paulus ad tantæ rei visionem in quodam prominenti speculo conscensurus occurrit. Qui mox vt nostrorum acies dispositas vidit, ilicò vt fertur animo decidit, his verbis enuncians: Recognosco ait, omne hoc dispositum pugnæ ab æmulo meo procedere, nec alium puto. In suis enim eum dispositionibus recognosco. Hæc & his similia dicens, animum reuocans ad virtutem, suos ad bellandum accendit: Nolite, ait, pauore turbari, hæc est tantum illa Gothorum famosissima virtus, quæ se venire ad superandos nos solita temeritate iactabat. Hic, hic Principem, hic totum eius exercitum credite nunc adesse. Nihil de reliquo est quod timeatis. Famosa siquidem virtus eorum antea fuit, & suis in defensionem, & aliis gentibus in terrorem. Nunc

* al. refulsit

* al. Vuandemirum

A tamen omnis in illis vigor prœliandi emarcuit, omnis scientia pugnæ defecit. « Nullus illis bellandi mos, nulla confligendi experientia subest. Vel si in vnum « conserti prœlium conferant, ad definita ilicò euolabunt latibula: quia degeneres « animi eorum pondus prœlij sustinere non queunt. Quin potiùs hæc quæ dico cùm « prœliari cœperitis, in meis verbis ipsi probabitis. Nihil ergo est maius quod debeatis pauescere, cùm & Regem & exercitum ipsum hîc videatis adesse. Ad hæc « plerique ex suis adstruebant Regem sine signis non posse procedere. Ad quod ille commentabatur, ideò illum cum bandorum signis absconditis accessisse, vt intellectum suis hostibus daret, alium adhuc exercitum superesse: cum quo ipse adhuc, vt pote cum multiplici quàm priùs venerat manu, pòst futurus accederet. Sed hæc dum dicit, illusionem agit, fraudem componit, vt quos virtute non valet deuincere, dolo consilij humiliet ad pauorem. Necdum hæc adhuc verba expleuerat, & ecce subitò è nostris bellorum concrepant tubæ, bellúmque adorsi pridianæ diei bellandi renouant faciem. Sed illi plus in muris quàm in viribus confidentiam vincendi locantes, intra vrbem positi per murum spicula iactant, & rediuiua cum nostris iterum certamina innouant. Efferbuit itaque ab vtraque parte incentiuum belli. Sed acriùs à nostris virtus patuit prœliandi. Cùm enim totis viribus decertarent, & hostem intra vrbem diuerso genere armorum confoderent, plerique de externæ gentis hominibus acriter vulnerati, nostrorum virB tutem pariter & constantiam admirantes, Paulum adorsi sunt. Non illam, quam dicebas in Gothis prœliandi segnitiem cernimus. Multam enim in illis audaciam & vincendi constantiam videmus. Hæc quæ excepimus vulnera docent. Inter cetera tam validos iactus in hostem proiiciunt, vt antè fragor ipse deterreat, quàm percussio vitam extinguat. Quorum Paulus deterritus verbis, multiplici iam iámque desperationis iaculo frangebatur. Sed dum nostri constantiùs dimicantes victoriam recrastinari dolerent, acriori animositate insurgunt: victos se per omnia deputantes, si citò non vincerent. Vnde ferociori quàm fuerant incensione commoti, vsque in horam ferè diei quintam continuis prœliorum ictibus mœnia ciuitatis illidunt, imbres lapidum cum ingenti fragore dimittunt, supposito igne portas incendunt, murorum aditibus minutis irrumpunt. Deinde ciuitatem gloriosè intrantes, viam sibi ferro aperiunt. At vbi feroces nostrorum animos sustinere non possunt, intra Arenas, quæ validiori muro antiquioribus ædificiis cingebantur, se muniendos includunt. Sed vbi visum est illis quosdam è nostris insequi, qui se in prædam inuoluerant, ilicò præuenti ante quàm se in castro illo Arenarum reciperent iugulati sunt. Plerique tamen nostrorum è vulgo, qui prædæ inhiantes extiterant, gladij præuentione occisi sunt. Non quo patienti virtute inter plurimos hoc patrarent, sed quasi latrocinantium more, quos claustris Arenarum ob prædam propinquasse cognouerant, eò illos faciliùs prosternerent, quos diuisos nec duos in vnum pariter inuenissent. Surgit etiam noua inter seditiosos ipsos seditio, & dum suspitione proditionis ciues ipsi vel incolæ ad suorum C aliquos refugerunt, gladio vindice, hos in quibus suspicio vertebatur interimunt. Ita vt Paulus ipse proprium quemdam è suis suorum manibus ante se iugulari prospiciens, suum esse vernulam lamentabili voce clamaret, nec sic morituro in aliquo subueniret. Iam tamen & ipse exsanguis ac tremebundus effectus, à suis ipsis contemnitur, vt obsecrare illum potiùs quàm imperare ceteris existimaretur. Nam suspectus iam ipse ab incolis cum ceteris, qui de Hispania cum illo commeauerant, habebatur, ne ille ad liberationem sui traditionem eorum excogitaret. Hispani verò ne irrogata incolis morte transirent ad Principem. Quid multa? fit intra vrbem miserabile spectaculum prœliandi. Vtrobique cadit pestilentiorum caterua, vtrobique prosternitur, vtrobique etiam iugulatur. Quando ipsi, qui nostrorum gladios effugiebant, suorum gladio peribant. Repletur itaque ciuitas permixto funere, & mortium cadaueribus humanorum. Quocumque oculorum visus excurreret, ita humanæ strages vt occisi patebant animalium greges. Compita viarum plena cadauere, reliquum terræ concretum sanguine erat. Miserabile funus patebat in domibus, & vbi domorum abdita perlustrasses, iacentes mortuos reperires. Per vias quoque vrbis iacere hominum cadauera cerneres, minaci quodam vultu, & ferocitate quadam immani, tanquam adhuc in ipsa bellorum acie positi essent. Erat tamen color deformis, lurida pellis, horror

immanis, fœtor intolerabilis. Quidam etiam de ipsis iacentibus mortuis, qui lethalia exceperant vulnera, mortis speciem simulabant, vt mortis euaderent causam: cùm tamen & vulneris iugulo, & famis confecti clade nec ipsi mortem euaderent, excepto vno, cui simulare mortem, vitam mercasse probatum est. Sed hæc & his similia Paulus iam tyrannidis immanitate deposita cum magno cordis suspirio fieri deplorabat, cùm nec hosti resistere, nec suis posset vllo modo subuenire. Accessit tamen ad eum insultaturus illi vir quidam è sua ortus familia. A
» Quid hîc, ait, adsistis? Vbi sunt consiliarij tui, qui te ad istud perduxere calami-
» tatis ludibrium? Quid tibi profuit contra tuos insurgere, cùm nec tibi nec tuis
» nunc valeas in tanta mortis clade prodesse? Hæc dicens, insultabat illi non tam conuiciandi voto, quàm amaritudinis prouocatus studio. Sed cùm illum blandis hortaretur sermonibus, vt dolori eius parceret, & confusioni confusionem non adderet, tandem & ipse in gradibus marmoreis consistens, in quibus ista illi insultaturus aduenerat, descensum concitum fecit, sicque in oculis ipsius Pauli cir-
» cumuentus à suis iugulatus occubuit. Quibus Paulus: Quid hinc quæritis? aie-
» bat. Meus est, inquit, non pereat. Et vt reseruaretur frequenti vocum lamentatione orabat. Sed iam contemptui habitus, quasi & ipse continuò moriturus, audiri non poterat. Tunc omnimoda desperatione permotus, regalia indumenta, quæ tyrannidis ambitione potiùs quàm ordine præeunte perceperat, tabefactus deposuit. Miro occultóque Dei iudicio id agente, vt eodem die perceptum Tyrannus Regnum deponeret, quo religiosus Princeps regnandi sceptrum à Domino percepisset. Erat enim dies illa Calendarum Septembrium, in qua Principem nostrum prædictum constabat regale assumpsisse fastigium. Hæc ergo est dies, in qua reuoluti anni orbita redeunte, irruptio patuit vrbis. In hac præscripta à tyranno regalis deponitur vestis, in hac sanguinea infertur vltio inimicis. B

TERTIA igitur post hæc iam dies aduenerat, cùm Paulus ipse post noctis alta suspiria vltimum sui funus expectabat. Facto enim mane, cum his quos adseclas perditionis suæ habuerat verbum habere cœpit, vt aut *vale vltimum sibi dicerent*, aut si possent saluti suæ adhuc in aliquo consulerent. Tunc Argabadus * Narbonensis Ecclesiæ Præsul communi consilio ad Principem mittitur qui vitam rogaret, qui offensis veniam precaretur. Nam oblatis Deo hostiis iam in ipsis vestimentis, cum quibus Dominici corporis & sanguinis gratiã communionis sanctæ perceperat, in quibus non tam mortis extrema damna excipere quàm insepultum se obuolui curaret. Quippe cui sepultura pro merito negaretur, si suæ patrationis exciperet iugulum. Iam Argabadus Antistes rogaturus veniam ab eis exierat. Et ecce progressum celerem Principis cum inæstimabili agmine pugnatorum quarto ferè ab vrbe milliario videns, occursurus eidem Principi de equo desiluit, humo prostituitur, veniam deprecatur. In cuius occursu Princeps equum paulisper tenuit, & vt erat misericordiæ visceribus affluens, & ipse illachrymans, subleuari Episcopum à terra præcipit. Qui vir rursum erectus, lachrymarum sin- C

* al. Argebadus

» gultibus interclusus, lamentabili voce aiebat: En peccauimus in cœlum & coram
» te, sacratissime Princeps. Non sumus digni quibus euentus pietatis tuæ occurrat,
» quibus venia collata subueniat, qui & promissam tibi maculauimus fidem, & in
» tanto prolapsionis deuoluti sumus scelere. Parcat oro tua pietas citò, ne gladius
» vindex reliquias nostrorum femineces extinguat, ne plusquam cœpit mucro ani-
» mas petat. Iube iam exercitum cessare sanguine, ciues ciuibus parcere. Paruissi-
» mi quidem euasimus gladium, sed pro paruis veniam deprecamur. Parce ergo
» nostris reliquiis, vt quia iam in ceteros nostrorum emanauit iugulum mortis, sal-
» tim remaneant quibus miserearis. Si enim prohibere citò nolueris cædem, nec
» ipsi quidem incolæ remanebunt ad vrbis tuitionem. His dictis commotus religiosus Princeps, in lachrymis non fuit inexorabilis. Quippe qui alto quodam cordis sui arcano sciret, sibi totum perire quicquid dicebatur perisse, si precanti veniam non præstitisset. Hæc igitur Princeps imprecanti viro verba respondit. Cer-
„ tum tene, ait, quod dixero. Victus precibus tuis dono tibi animas quas petiisti.
„ Non illas vltore gladio perdam. Non hodie cuiusquam sanguinem fundam, nec
„ quandoque vitam extinguam. Quamquam talium offensa impunita non transeat. Cui venerabilis vir diutiùs insistebat, vt quorum vitam sibi donasset, nullam in his iacturam vltionis exerceret. Sed Princeps mox percito furore inclementior

A mentior redditus: Iam ne, ait, alias atque alias conditiones mihi imponitis, " cùm vitam vobis donasse sit satis? Tibi ergo soli me ex toto pepercisse sufficiat, " pro reliquis verò nihil horum promitto. Ex hoc indignans quadam animi suc- " censione efferbuit, & concita progressione triumpho potiturus victoriæ prope- rabat. Excursus legationum ante se destinans, vt nostri tamdiu à bello abstinerent, quamdiu omne robur exercitus cum Principe ad capienda interiora vrbis accederet. Festinato tandem profectionis itinere peruenit Princeps ad vrbem, cum terribilis pompæ exercituum admiratione. Erant enim ibi bellorum signa terrentia. Cúmque sol refulsisset in clypeis, gemino terra ipsa lumine coruscabat. Ipsa quoque radiantia arma fulgorem Solis solito plus augebant. Sed quid dicam? quæ ibi fuerit exercituum pompa, quis decor armorum, quæ species iuuenum, quæ consensio animorum, explicare quis poterit? Vbi diuina protectio euidentis signi ostensione monstrata est. Visum est enim, vt fertur, cuidam externæ gentis homini Angelorum excubiis protectus religiosi Principis exercitus esse, Angelósque ipsos super castra ipsius exercitus volitatione suæ protectionis signa portendere. Sed paulisper hæc & talia sub silentio relinquentes, suscepti operis ordinem exequamur. Cùm enim in vnum congregatum iam Princeps sensisset exercitum, eminus ab vrbe ferè vno stadio positus, incredibili animi accensione permotus, disponit Duces, subtegit plebes, diuidit acies, &
B quibus modis pugna conficeretur instruebat. Priùs tamen disposita, vt pridem fuerat, virorum fortium acie, per iuga montium & ora maritima, quæ Franciæ partibus coniunguntur, vt libera & expedita bellantium manus eò totius decertandi prœlij præcepta perficeret, quo nihil aduersum ab externis gentibus persensisset. Tunc electos quosque de Ducibus mittit, qui & viribus & animis præstantiores essent, vt Paulum ceterósque incentores seditionum eius à cauernis Arenarum abstraherent, in quibus se mortem fugientes absconderant. Nec mora, cùm iussa factis explerent, extrahitur subitò Paulus ipse cum sociis de abditis Arenarum. Sicque per murum depositus, viliter contrectatur. Dein omnis illa insolens multitudo Galliarum atque Francorum, quæ hinc indè contra nostros pugnatura confluxerat, cum immensis thesauris capta est & detenta. Cúmque caterua illa perfida cum Rege suo capta iam in vnum consisteret, dextera læuáque adstante exercitu, duo è Ducibus nostris equis insidentes, protensis manibus hinc indè Paulum in medio sui constitutum innexis capillis eius manibus tenentes, pedissequa illum profectione oblaturi Principi deferunt. Quo viso, Princeps protensis cum lachrymis ad cœlum manibus ait: Te Deus, collau- " do Regem omnium regum, qui humiliasti sicut vulneratum superbum, & in vir- " tute brachij tui contriuisti aduersarios meos. Hæc & his similia fletibus interclu- " sis Princeps aiebat. Sed mox tyrannus idem erectis oculis faciem Principis vt vidit, statim se humo prostrauit, sibique cingulum soluit. Iam quidem exanimis, & nimio pauore turbatus, quid sibi accideret non attendens, spectabile quid-
C dam oculis erat, quomodo de tam sublimi & prærepti ordinis culmine in hac subita humiliatione & plena iam contumelia venisset. Cernere erat magnum aliquid, quàm facilis fuerat rerum ipsa mutatio, tam citò videre deiectum quem pridem audieras gloriosum: & quem præterita dies adhuc Regem tenuerat, tam præcipiti lapsu concidere in ruinam. Impleta satis plenè est in isto prophetalis illa sentētia: *Vidi*, inquit, *impium superexaltatum, & eleuatum super cedros Libani*, &c. Quid multa? Cùm iam ante equum Principis Paulus ipse, vel ceteri huiusmodi factionis capti productique consisterent: Cur in tanto, ait, malo vesaniæ proru- " pistis, vt pro bonis mala mihi responderetis? Sed quid immorabor? Ite, & esto- " te sub custodiis deputati, quousque censura de vobis agitetur iudicij. Viuere " enim vobis donabo, etiamsi non mereamini. Tunc diuisos per exercitum om- " nes deputatis sollicitis custodibus tradit. Francorum tamen quique capti essent dignè tractari iubentur. Erant enim aliqui eorum nobilissimis parentibus geniti pro obsidibus dati. Ceteri verò aliqui ex Francis, aliqui ex Saxonibus erant, quos omnes in vnum munificentia regali honoratos* post decimam octauámque diem, qua capti fuerant, remittit ad propria, non debere dicens victorem inclementem victis existere. Primo quippe die Calendarum Septembrium contra Nemausensem vrbem à nostris initum est bellum. Sequenti die Calendarum

* al. onustos

Septembrium ciuitatis ipsius irruptio facta est. Tertio quoque die, qui fuit quarto Nonarum Septembrium, Paulus tyrannus celebri captus detentione deuincitur. Sed post hæc religiosi Principis animus de reparatione irruptæ vrbis sollicitus statim murorum caua reformat, incensas portas renouat, insepultis tumulum præstat, incolis ablatam prædam restituens, & exulcerata quæque publico ærario fouens. Iubet tamen thesauri omnem quam ceperant copiam diligentiori seruare custodia, non auaritiæ quæstu illectus, sed amore diuino prouocatus: scilicet vt res sacratæ Deo faciliùs possent secerni, & cultibus diuinis restitui. Cumulauerat enim nefandissimus ille Paulus peccato peccatum, dum tyrannidi adiungeret sacrilegium. Nam vt quidam sapiens dicit, nisi sacris Ecclesiis intulisset spolium, non esset vnde suum floreret ærarium. Vnde factum est, vt vasa argenti quamplurima de thesauris Dominicis rapta, & coronam illam auream, quam diuæ memoriæ Reccaredus Princeps ad corpus beatissimi Felicis obtulerat, quam idem Paulus insano capiti suo imponere ausus est: tota hæc in vnum collecta studiosiùs ordinaret secernere, & deuotissimè prout cuique competebat Ecclesiæ intenderet reformare. A

TERTIA iam post victoriam victoribus aduenerat dies, & Paulus ipse onustus ferro cum ceteris consedenti in throno Principi exhibetur. Tunc antiquorum more curua spina dorsi vestigiis regalibus sua colla submittit, deinde coram exercitibus cunctis adiudicatur cum ceteris cum vniuersorum iudicio, vt mortem exciperet qui mortem Principi præparasset. Sed nulla mortis super eos illata sententia, decaluationis tantùm, vt præcipitur, sustinuere vindictam. Ferebatur tamen quorumdam opinione, Francos quantociùs ad ereptionem capti occurrere. Sed Princeps occasionem cum Francis præliandi opperiens, nec solùm istius causæ, sed & præteritas gentis suæ cupiens vindicare iniurias, sustinebat quotidie animo forti expectans illorum occursum, cum quibus decertare modis omnibus parabat. Sed cùm nullus è Francis ad bellandum accederet, *ipse prius illis* se occursurum deuouerat, nisi maturato sui cordis suorúmque Optimatum reuocaretur consilio, ne disrupta pactionis inter vtramque gentem promissio impetendi sanguinis esset occasio. Sed cùm contra hoc, vt dictum est, bellum conficere moliretur, iam quarta dies effluxerat, ex quo & Paulum ceperat, & aduersæ gentis occursum nihilominus sustinebat. Sed nulla hostis præsumptio, nullus euentus, nulla prorsus hostilis conuentio monstrabatur. Quippe cùm & Franciæ munitissimæ vrbes iam vltimum sui, vt ferebatur, excidium deplorarent, & ciues quique earum ne à nostris præuenirentur relictis vrbibus longè latéque incertis sedibus vagarentur, latebrosis scilicet vitam compendiis munientes. Nam & religiosus Princeps eminus à Nemauso vrbe in plana cum exercitu consistebat. Illic castra posuit, miráque celeritate muro firmissimo circumdedit. Vbi cùm aduentum hostium sustineret, subitò præcurrenti nuntio audit vnum è Ducibus Franciæ nomine LVPVM in Beterrensi territorio hostiliter accessisse. Vnde quinta iam postquam Paulum ceperat die, de Nemausensi vrbe egressus, concita velocitate cum exercitu properans delatas inimici nisus est præuenire insidias. Sed Lupus ipse iuxta villam, cui Asperiano vocabulum fertur, regressum Principis audiens, ita terrificatus aufugit, vt exercitus Duci, & Dux exercitui videretur deesse. Non enim in fugiendo vel ipse suos sustinuit, vel sui eum potuerunt vllomodo adsequi. Quippe quorum ita pauore dissoluta fuerant corda, vt non tam dispersis viarum aditibus, quàm montium præruptis elapsi pariter & currentes, vt pote iam gladios suis imminere ceruicibus cernerent, de compendio fugæ vitam se lucrasse monstrarentur. Multas scilicet prædas in hac turbatione nostris exercitibus relinquentes, tam de hominibus qui eos sequi non poterant, quàm etiam de iumentis siue substantiis, quæ multipliciter plaustris sibi adduxerant suffectura. Et vtique iam lecta bellantium manus à Principe destinata poterat eos belligerosis excursibus adsequi. Sed tam sordida illorum extitit fuga, ac etiam tam citata finium suorum occurrerunt latibula, vt quò fugerent, quò laterent atque consisterent, nullo omninò censeretur vestigio reliquisse. Vnde comperto Princeps, quòd Lupum cum ceteris inuenire non posset, placida progressione Narbonam contendens, vrbem victor ingreditur. Ibi disrupta quæque Narbonensis Prouinciæ excisa atque depasta, quæ eidem terræ magnis febribus anhelanti deprædatione no-

A strorum & incursione appulsa sunt, munere placat, dispositione reformat, consiliis instruit. Statum quoque rerum mira pace componit. Lecta illic præsidia bellatorum dimittit, radices ab ea omnis rebellionis detersit, Iudæos abegit, clementiores vrbibus rectores instituit, per quos vtique tanti mali placaretur offensa, & constuprata tantis sordibus terra nouo iudiciorum baptismate depurgata remitteretur ad veniam. Nam in eo quòd erecta Galliarum terra solito superbiæ fastu cothurnosè se attollerat, ita inclementiori deprædatione detrita est, & erasa nummis atque depasta substantiis, vt meritò per hoc credatur quicquid rubiginis seu nequitiarum contraxerat amisisse.

EXHAVSTIS deinde Princeps Galliis, atque domitis, securus directo ad Hispaniam itinere commeauit, nullos post se Gallorum motus formidans, nullas etiam Francorum pertimescens insidias: certò sciens neminem esse, qui aut de suis pugnam, aut de externis gentibus patraret insidias. Tanta enim virtute animi atque constantia positas circum barbarorum gentes non solùm non extimuit, sed contempsit, vt etiam adhuc intra Gallias positus, in locum, qui Canaba nuncupatur, cuncto exercitui, quod feliciter exissent, relatione gratifica satisfaceret, omnésque ab eo statim loco absolueret. Ipse quoque Helenam* perueniens, duorum ibi dierum immoratione detentus est. Sicque exindè profectus, secundis potitus successibus Hispaniam rediit, sedémque sui solij sexto postquam B indè commigrauerat mense repetiit. Et tamen sub quo celebri triumpho Regiam vrbem intrauerit, de inimicis exultans, explicare necesse est: vt sicut ingentis eius gloriæ signum secula secutura clamabunt, ita seditiosorum ignominia non excidat à memoria futurorum. Etenim quarto ferè ab vrbe regia milliario Paulus Princeps tyrannidis, vel ceteri incentores seditionum eius decaluatis capitibus, abrasis barbis, pedibúsque nudatis, vel squallentibus, veste vel habitu camelorum induti, vehiculis imponuntur. Rex ipse proditionis præibat in capite omni confusionis ignominia dignus, & picea ex coriis laurea coronatus. Sequebatur deinde hunc Regem suum longa deductione ordo suorum dispositus ministrorum, eisdem omnes quibus relatum est vehiculis insedentes, eisdémque inclusionibus acti, hinc inde adstantibus populis vrbem intrantes. Nec enim ista sine dispensatione iusti iudicij Dei eisdem accessisse credendum est. Scilicet vt alta ac sublimia confusionis eorum fastigia vehiculorum doceret sessio præ omnibus subiecta: & qui vltra humanum morem astu mentis excelsa petierant, excelsiorem luerent consensionis suæ iniuriam. Sunt ergo hæc in secuturis reposita seculis, probis ad votum, improbis ad exemplum: fidelibus ad gaudium, infidis ad tormentum. vt vtraque pars in circuitu* quodam sese lectionis huius inspiciens, & quod rectis semitis graditur, prolapsionis casus effugiat, & quæ iam C cecidit, in horum se hic semper proscriptionibus recognoscat.

* Elnam

* conuitu

FINIT HISTORIA.

IVDICIVM PROMVLGATVM
IN TYRANNORVM PERFIDIAM.

Eodem Iuliano Archiepiscopo Toletano Auctore.

PERFIDORVM denotata transgressio eò debet acriùs percuti, quò illicitis videtur ausibus quædam perpetrare. Habeat ergo confusionis propriæ signum, quibus contingit fidei violare promissum. Reportent nomen perditionis in posteros, quos indulgentia principalis fecit esse ingratos. Renotentur inter cuneos perfidorum, qui genti suæ parauere excidium, vt reportent in progenies sæculorum titulos infamiæ suæ, qui euersores facti sunt patriæ. Nam ecce prodidit se in apertum campum infausta perfidia, quæ nefandorum societatem cruentis sibimet amplexibus socians commouit ad scandalum ciues, ad suorum perniciem plebes, ad euersionem patriæ gentem, ad interitum Principis non solùm proprias, sed externarum plebium nationes. Testis est horum quæ dicimus terra,

quæ ipsorum est exterminatione detrita. Teste etiam cœlum, sub quo nobis est A à Deo attributum triumphale vexillum. Spontaneum enim promissionis fœdus inrupit, nouúmque sponsionis iusiurandum constituit: quo voluntaria fidei promissione discissa, electum à Deo Regem nostrum abiiceret, & maturatam illi vel patriæ perniciem exhiberet. Nam nouo ritu periurij non solùm suam, sed & multorum animas populorum decepit: ita vt in his illud prophetale vaticinium impleretur, quod dicitur: *Cadent in retia Principes eorum à furore iræ Dei, & erit subsannatio in omnem terram.* Necnon & illud, quod Esaias in talium narrat excessionibus, dicens: *Inuenti sunt in populo meo impij insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros. Sic decipula plena auibus, sic domus eorum plena dolo.* Hæc quidem necessariò præmissa sufficiant. Nam cùm nefandissimum Paulum serenissimus Domnus noster VVamba Rex ad vindicationem Galliæ destinaret, & vt diffidentes quosdam ad fidem suæ gloriæ matura dispositione colligeret, subitò iniunctum sibimet negotium in contrarium mutans, non solùm diffidentibus in fide persistendo non obstitit, sed etiam ipse diffidentes plurimos sibi fideles effecit. In tyrannidem enim contra prædictum Principem gentem & patriam vertens, spoliauit se primùm à fide promissa: & textrinij sui ordiens telam, induit se periurij maculam. Deinde in gloriosum Principem maledicta coniectat, & multimoda detractionum atque iniuriarum de eo protestatur conuitia. Post hæc, quod nefas est dici, Regnum contra Dei voluntatem arripuit, & populos B in hac nefaria electione sibimet iurare coëgit: quo & contra fidem sibi redditam agerent, & necem vel deiectionem Principi exhiberent. Hunc præcipuè ordinem in ipsa peruersarum conditionum serie seruans, vt gloriosum Domnum nostrum VVambanem Principem infaustum Regem nominare auderet. Quod nomen vtique iusta interpretatio sui infelicem significat esse. Qui tamen adhuc insuper tyrannicæ sortis apice prouocatus, Prouinciam omnem Galliæ & partem aliquam Tarraconensis Prouinciæ tumultuoso sui iuris imperio subdens, speciales omnium munitiones per singulas quasque ciuitates constituit, defensorésque in eas proprios ordinauit. Huius rei nefariæ temeritate compulsi sumus arma arripere, & tot interiacentibus terris nefandorum perfidiam insectare. Vnde & ad horum coniuratorum tyrannidem protinus extinguendam, in Tarraconensem Prouinciam & in Gallias pugnantes accessimus: & diuina nobiscum comitante manu ad ipsas vsque ciuitates atque castella venientes, hos ipsos satellites defensorésque ciuitatum castrorúmque feliciter cepimus. Nam primum ad Barcinonam cum exercitu accedentes, Euredum, Pompedum, Guntefredum, Hunulfum Diaconum, & Neufredum eandem vindicantes ciuitatem comprehendimus. Deinde ad Clausuras peruenientes, castra ipsa disposito exercitu per iuga Pyrenæi montis intrauimus, & vindicatores eorumdem castrorum comprehendimus. C Itidem Ranosindum, Hildegisum, Heliam, Carmennum, Maureconem, VVandamirum, Dagarum, Xixanem, & Luibitanem. Hoc etiam more belligerosis incursibus properantes, per diuisiones exercituum comprehendimus in castro Caucoliberi Leofredum & Guidrigildum, atque prædictorum coniuges. Castrum quoque Lybiæ, quod est caput Cirritaniæ, simili ordine properantes, ingressi sumus. Quem Iacinthus Episcopus cum Araugisclo in vna concordantes perfidia post ius Pauli perfidi vindicabant. Sed quia idem Iacynthus eundem castrum Lybiæ vindicare non potuit, nec ipse Deo fautore manus nostras euasit. Quorum omnium comprehensionem siue ingressum Galliæ cùm idem Paulus perfidus per fugam Francorum, quos ad vindicandas Clausuras direxerat, comperisset, relicta & ipse ilicò ciuitate Narbona fugæ se præsidio dedit. Vbi etiam conseruatores ipsius ciuitatis reliquit. Ranimirum pseudo-Episcopum, VVittimirum, Argemundum, & Gultricianem Primiclerum *. Qui etiam Ranimirus viso exercitu, antequam ciuitas ipsa expugnaretur, fugam appetiit. Sed mox in Beterrensi territorio comprehensus, nostras non effugit manus. Vnde cùm prædictos VVuittimirum & Argemundum laicos, siue Gultricianem Primiclerum Narbonam vindicantes, & contra nos acriter dimicantes cepissemus, Agathensem ciuitatem imperio gloriosissimi nostri Domni subiugauimus *: comprehendentes in ea VVilesindum germanum VVilesindi Episcopi. Cúmque post hæc diuinis iudiciis adiuuantibus ad expugnandam Magalonensem ciuitatem accederemus, simul duorum

* al. Primicerium.

* subegimus:

A exercituum nauale, & terrenum bellum Gumildus Episcopus cùm præuidisset, statim eandem ciuitatem reliquit, & fugam appetens Nemauso se cum Paulo perfido contulit. Cúmque hanc ipsam Magalonensem ciuitatem defensorésque eius gloriosius cepissemus, statim vsque in Nemausum post perfidum Paulum sociósque suos pugnaturi peruenimus. Ibi se idem Paulus non solùm suorum perfidorum fretus audaciâ, sed etiam & Francorum auxilio munitus, ad dimicandum contulerat. Quo in loco instantissimè pugnans, & in perfidiæ temeritate perdurans, tandem diuinis iudiciis nostrisque armis eadem ciuitate inrupta, victus captúsque detentus est Paulus. Eius etiam socios commemorari necesse est, quos & expugnantes contra nos in eandem ciuitatem durè pertulimus, & qui tamdiu eius perfidiæ instantissimè adhæserunt, quamdiu cum ipso nefandissimo caperentur. Itidem Gumildus Episcopus, Friusclus, Flodarius, VVistrimirus, Ranemundus, Andosindus, Adulfus, Maximus, Ioannes Clerium, Anuarnus, Aquilinus, Odofredus, Iberius, Ioannes, Mosimus, Amingus, Virimar, Eumericus, Transemirus & Bera. Ebrulfus, Recaulfus & Cottila. Guldramus*, Liuba, Ranila, & Idericellus. excepta vulgi multitudine, vel Francorum: quæ multiplex in eadem ciuitate comprehensa est. Hic igitur sceleratissimus Paulus, dum conuocatis adunatisque omnibus nobis, itidem Senioribus cunctis Palatij, Gardingis omnibus, omnique Palatino Officio, seu etiam adstante exercitu vniuerso in conspectu gloriosissimi nostri Domni, cum prædictis sociis suis iudicandus adsisteret: sic

*Guldramirus,

B prædictus Princeps sub præmissa coniurationis interpositione eum adlocutus est, dicens: Coniuro te per nomen omnipotentis Dei, vt in hoc conuentu fratrum meorum contendas mecum iudicio, si aut te in aliquo læsi, aut occasione qualibet maliciæ nutriui, per quod excitatus hanc tyrannidem sumeres, vel huius Regni apicem suscipere attentares. Mox idem nefandissimus Paulus voce clara testatus est, dicens: Per Deum, quia neque à gloria tua læsum me esse sensi, neque à vobis aliquid mali pertuli: sed tantùm boni in me impertire iussisti, quod percipere omninò non merui. Ego tamen diaboli instinctu prouocatus id feci. Similiter iam dicti socij sui quæsiti sunt, & omnes similiter responderunt. Vnde perlatæ sunt conditiones, vbi spontanea promissione in electione gloriosi nostri Domni VVambani Regis ipse nefandissimus Paulus, vel socij sui vna pariter nobiscum consenserunt, & inuiolabiliter se ei vel patriæ fidem obseruaturos sub diuini numinis sponsione testati sunt, quas etiam manus suæ subscriptionibus notauerunt. Quibus conditionibus reseratis atque perlectis, ad confusionem perfidiæ ipsorum subscriptio manus eorum in ipsis conditionibus eis aspicienda ostenditur. Post hæc aliæ conditiones, ad quas ipse perfidus Paulus populum sibi iurare fecerat, relectæ sunt, in quibus istius impietatis & crudelitatis ordo seruatus est, vbi ipsi Paulo omnes socij sui sub isto ordine iurauerunt, vt & fideles illi essent, & vnanimiter cum eodem contra Domnum nostrum VVambanem Regem cum eo pugnarent, atque in deiectionem eius vel periculum vsque ad effu-

C sionem sanguinis dimicarent, vel contra eos qui eundem Domnum nostrum defendere voluissent. Infaustum Regem iamdictum gloriosum Domnum nostrum VVambanem, vt suprà præmissum est, in ipsis conditionibus nominantes, & cetera detestanda quæ in ipsis conditionibus reperiuntur scripta. His excursis, atque perlectis, Canonum est prolata sententia ex Concilio Toletano Era xxv. vbi ad locum sic dicitur: *Quicumque ex nobis vel totius Hispaniæ populis qualibet coniuratione vel studio sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ gentisque Gothorum statu vel conseruatione Regiæ salutis pollicitus est, temerauerit, & cetera.* Deinde legis est relata sententia, in libro 2. tit. 1. Era vi. vbi ad locum sic dicit: *Quicumque ex tempore reuerendæ memoriæ Chintilani Principis vsque ad annum Deo fauente regni nostri secundum, vel amodo & vltra.* Cuius sacri canonis præceptione instructis non vltra nobis est dubitandum, vt illos paueamus iuxta legis huius sententiam, & in corpore & in rebus temporali punire censura, quos iam Patres illi perpetuo anathemate tam terribili iudicio damnauere in animâ. Ob hoc secundum latæ legis edicta, hoc omnes communi definiuimus sententia, vt idem perfidus Paulus cum iam dictis sociis suis morte turpissima condemnati interirent. Qualiter casum perpetuæ perditionis videantur excipere, qui & euersionem meditati sunt patriæ, & Principis interitum conati sunt eximere. Quòd si forsan eis à Principe condonata fuerit

vita, non aliter quàm euulsis luminibus reseruentur vt viuant. Res tamen omnis A eiusdem Pauli sociorúmque eius in potestate gloriosi nostri Domni persistendas esse decernimus. Qualiter quicquid de his agere vel iudicare elegerit, serenitatis suæ clementia potestas illi indubitata permaneat: vt seditiosorum nomen funditus à terra dispereat, & lugubrem eorum memoriam his titulis deuotatam secutura secula imitari refugiant.

DIVISIO TERMINORVM EPISCOPATVVM PROVINCIÆ NARBONENSIS, dum Gothis parebat.

Ex Diuisione Dioecesium & Parochiarum Hispaniæ à VVamba Rege facta.

Vt extat in Libris Mss. Ecclesiæ Toletanæ, & Ecclesiæ Ouetensis, & in Collectione Conciliorum Hispaniæ.

ERA DCCIV. post Reccesuindum VVamba Rex Gothorum Regnum B nouem annos obtinuit. Hic Toleto ea hora, qua vnctus est in Regem, cum quadam euaporatione visa est apis à cunctis, qui aderant, ex capite eius exire, & ad cœlos volare. Hoc signum factum est à Domino, vt futuras victorias nunciaret de inimicis per eum, & dulcedinem pacis quam habuit erga suos. Astures & Vascones in finibus Cantabriæ crebrò rebellantes edomuit, & suo imperio subiugauit: ciuitatem quæ *Cartua vocabatur*, & Pampilonem ampliauit, quam VVambæ *Lunam* vocauit. PROVINCIAM quoque GALLIÆ, quæ Hispania citerior dicitur, sibi rebellantem, multis agminibus Francorum interceptis, subiugauit, & Paulum perfidum Galliæ tyrannum cepit, eique oculos euellere præcepit: & ad vrbem Toletanam cum triumpho magno reuersus, discordésque Pontifices, eo quòd alij aliorum Parochias inuadebant, ad concordiam studuit reuocare. Fecit & Chronicas Regum priorum coram se legere, vt faciliùs posset terminos Parochiarum diuidere, sicut antiquitas denotaret, & exigeret iuris censura, & iura propria quælibet Ecclesia possideret, sicut subiecta denotat Scriptura.

NARBONÆ METROPOLI SVBIACEANT HÆ SEDES.

BETERRIS hæc teneat: de Staleth vsque Barcinona, de Macai vsque Ribafara. C

Agatha hæc teneat: de Nusa vsque Riberam, de Gallar vsque Mirlam.

Magalona hæc teneat: de Nusa vsque Ribogar, de Castello Millia vsque Angoram.

Nemauso hæc teneat: de Busa vsque Angoram, de Castello vsque Sambiam.

Luteba hæc teneat: de Samba vsque Rabaual, de Anges vsque Montem Rufum.

Carcasona hæc teneat: de Monte Rufo vsque Angeram, de Angosa vsque Montana.

Elna hæc teneat: de Angera vsque Rosinolam, de Laterosa vsque Lamusam.

FINIS.

A

APPENDIX II.
AD TOMVM I.
COMPLECTENS EPISTOLAS, QVÆ AD HISTORIAM PRIMÆ STIRPIS REGIÆ PERTINENT.

AVITI EPISCOPI VIENN. EPISTOLA Ad Clodoueum Regem Francorum, de suscepta ab eo Christi fide atque baptismo.

B

Ex Tomo I. Conciliorum Galliæ Iacobi Sirmondi.

AVITUS *Viennensis Episcopus* CLODOVECHO *Regi*. VESTRÆ subtilitatis acrimoniam quorumcumque schismatum sectatores sententiis suis, variis opinione, diuersis multitudine, vacuis veritate, Christiani nominis visi sunt obumbratione velare. At dum status nostros æternitati committimus, dum quid recti vnusquisq; sentiat futuro examini reseruamus, etiam in præsentibus interlucentis radius veritatis emicuit. Inuenit quippe tempori nostro arbitrum quemdam diuina prouisio. dum vobis eligitis, omnibus iudicatis, vestra fides nostra victoria est. Solent plerique in hac eadem causa, si pro expetenda sanitate credendi, aut Sacerdotum hortatu, aut quorumcumque sodalium suggestione moneantur, consuetudinem generis, & ritum paternæ obseruationis opponere. Ita saluti nocentem verecundiam præferentes, dum parentibus in incredulitatis custodia inutilem reuerentiam seruant, confitentur se quodammodo nescire quid eligant. Discedat igitur ab hac excusatione post talis facti miraculum noxius pudor. De toto priscæ originis stemmate sola nobilitate contenti, quicquid omnis potest fastigium generositatis ornare, prosapiæ vestræ à vobis voluistis exsurgere. Habetis bonorum auctores: voluistis esse meliorum. Respondetis proauis quòd regnatis in seculo: instituitis posteros quòd regnatis in cœlo. Gaudeat ergo quidem Græcia, habere se principem legis nostræ: sed non iam quæ tanti muneris dono sola mereatur illustrari. quòd non desit & reliquo orbi claritas sua. Siquidem & occiduis partibus in Rege non nouo noui iubaris lumen effulgurat. Cuius splendorem congruè Redemptoris nostri natiuitas inchoauit: vt consequenter eo die ad salutem regenerari ex vnda vos pareat, quo natum redemptioni suæ cœli Dominum mundus accepit. Igitur qui celeber est natalis Domini, sit & vestri. quo vos scilicet Christo, quo Christus ortus est mundo: in quo vos animam Deo, vitam præsentibus, famam posteris consecrastis. Quid iam de ipsa gloriosissima regenerationis vestræ solemnitate dicatur? cuius ministeriis etsi corporaliter non accessi, gaudiorum tamen communione non defui. Quandoquidem hoc quoque regionibus nostris diuina pietas gratulationis adiecit, vt ante baptismum vestrum ad nos sublimissimæ humilitatis nuntius perueniret. Vnde nos post hanc expectationem iam securos vestri sacra nox reperit. Conferebamus namque, nobiscúmque tractabamus, quale esset illud, cùm adunatorum numerus Pontificum, manus sancti ambitione seruitij membra Regia vndis vitalibus confoueret. Cùm se Dei seruis inflecteret timendum gentibus caput. Cùm sub casside crines nutritos salutaris galea sacræ vnctionis indueret. Cùm intermisso tegmine loricarum immaculati artus simili vestium candore fulgerent. Faciet, si quid creditis, Regum florentis-

C

ſime, faciet inquam indumentorum iſta mollities, vt vobis deinceps plus valeat rigor armorum: & quicquid felicitas vſque huc præſtitit, addet huic ſanctitas. Vellem verò præconiis veſtris quiddam exhortationis annectere, ſi aliquid vel ſcientiam veſtram, vel obſeruantiam præteriret. Nunquid fidem perfecto prædicabimus, quam ante perfectionem ſine prædicatione vidiſtis? An fortè humilitatem, quam iam dudum nobis deuotione impenditis, qui nunc primùm deuotione debetis? An miſericordiam, quam ſolutus à vobis adhuc nuper populus captiuus gaudiis mundo inſinuat, lacrymis Deo? Vnum ergo quod vellemus augeri, vt quia Deus gentem veſtram per vos ex toto ſuam faciet, vlterioribus quoque gentibus, quas in naturali adhuc ignorantia conſtitutas nulla prauorum dogmatum germina corruperunt, de bono theſauro veſtri cordis fidei ſemina porrigatis. Nec pudeat pigeátque etiam directis in rem legationibus adſtruere partes Dei, qui tantum veſtras erexit. Quatenus externi quoque populi paganorum, pro religionis vobis primitus imperio ſeruituri, dum adhuc in alios videntur habere proprietatem, diſcernant potiùs gentem, quàm Principem. Nulla igitur patria quaſi ſpeciali ſede ſibi yindicet totis quos honorum gradibus attollitis. conſtat vos eſſe, quo communis vno ſolis iubare omnia perfruuntur. Vicina quidem plus gaudent lumine, ſed non carent remotiora fulgore. Quapropter radiate perpetuùm præſentibus diademate, abſentibus maieſtate. Succeſſus felicium triumphorum, quos per vos Regio illa gerit, cuncta concelebrant. Tangit etiam nos felicitas. quotieſcumque illic pugnatis, vincimus. Inter hæc tamen catholicæ religionis affectum B ſeruat in vobis cura miſerandi: & in apice rerum omnium gubernacula continente non minus eminet ſanctitas, quàm poteſtas. Ex qua vtique factum eſt, vt dirigi ad vos ſerui veſtri, viri illuſtris, Laurentij filium principali oraculo iuberetis. Quod apud Domnum meum, ſuæ quidem gentis Regem, ſed militem veſtrum, obtinuiſſe me ſuggero. Nihil quippe eſt, in quo ſeruire non poteſt. Commendat directum. Congaudi miſſo, inuidi vos viſuro. Cui minus computandum eſt ad vtilitatem parenti proprio reſtitui, quàm patri omnium præſentari.

CLODOVEI REGIS EPISTOLA

Ad Epiſcopos poſt Bellum Gothicum ſcripta.

De captiuis tum Clericis, tum laicis, Epiſcoporum arbitrio & teſtimonio relaxandis.

DOMINIS *Sanctis & Apoſtolica Sede digniſſimis Epiſcopis, Chlothouechus Rex.* ENVNTIANTE fama, quid actū fuerit vel præceptum omni exercitui noſtro, C priuſquam in patriam Gothorum ingrederemur, beatitudinem veſtram præterire non potuit. In primo quoque de miniſterio Eccleſiarum omnium præcepimus, vt nullus ad ſubripiendum in aliquo conaretur, neque de Sanctimonialibus, neque de viduis, quæ in religione Domini deuotæ eſſe probarentur. Simili conditione & de Clericis, vel filiis ſuprà dictorum, tam Clericorum quàm viduarum, qui cum illis in domo ipſorum conſiſtere videbantur. Idem & de ſeruis Eccleſiarum, quos de Eccleſiis tractos per Epiſcoporum ſacramenta conſtiterit, præceptum eſt obſeruare, vt nullus ex ipſis aliquam violentiam vel damnum pateretur. Quod ita ad integrum eſt agnoſcendum, vt ex his ſupradictis, ſi aliquis vim captiuitatis pertuliſſet, ſiue in Eccleſia, ſiue extra Eccleſiam, omnino ſine aliqua dilatione reddendos eſſe præcipiamus. De ceteris quidem captiuis laicis, qui extra pacem ſunt captiuati, & fuerint approbati, apoſtolia cui volueritis arbitrij veſtri eſt non negandum. Nam de his qui in pace noſtra, tam Clerici, quàm laici ſubrepti fuerint, ſi veraciter agnoſcitis, veſtras Epiſtolas de anulo veſtro infra ſignatas ſic ad nos omnimodis dirigatis, & à parte noſtra præceptionem latam noueritis eſſe firmandam. Sic tamen populus noſter petit, vt cuicumque Epiſtolas veſtras præſtare fueritis dignati, cum ſacramento per Deum, & benedictione veſtra dicere non tardetis, rem iſtam quæ poſcitur veram eſſe: quia multorum varietates vel falſitates inuentæ ſunt, vt comprehendantur, ſicut ſcriptum eſt, *Perit iuſtus cum impio.* Orate pro me, Domini ſancti, & Apoſtolica Sede digniſſimi Papæ.

A

THEODORICI REGIS ITALIAE EPISTOLÆ.

Ad Clodoueum Regem Francorum, Gundobaldum Regem Burgundionum, & alios.

Ex M. Aurelij Caßiodori Senatoris V. C. Epistolis.

B

VNIVERSIS GOTHIS THEODORICVS REX.

EPISTOLA I.

Vt parati sint in equis & armis, & producant iuuenes in Martiam disciplinam.

INNOTESCENDA sunt magis Gothis, quàm suadenda certamina, quia bellicosæ stirpi est gaudium comprobari. Laborem quippe non refugit, qui virtutis gloriam concupiscit. Et ideo iuuante Deo, quo auctore omnia prosperantur, pro communi vtilitate exercitum ad Gallias constituimus destinare. Vt simul & vos prouectus occasionem habere possitis, & nos quæ præstitimus meritis contulisse videamur. Latet enim sub ocio laudabilis fortitudo: & dum se probandi non habet spatium, occulta est lux tota meritorum. Atque ideo per Naudium Saionem nostrum admonendum curauimus, vt ad expeditionem, in Dei nomine, more solito, armis, equis, rebúsque omnibus necessariis sufficienter instructi, octauo die Calend. Iuliarum, proximè veniente, modis omnibus, Deo fauente, moueatis: quatenus & parentum vestrorum in vobis ostendatis inesse virtutem, & nostram peragatis feliciter iussionem. Producite iuuenes C vestros in Martiam disciplinam. Sub vobis videant, quod posteris referre contendant. Nam quod in iuuentute non discitur, in matura ætate nescitur. Accipitres ipsi, quorum victus semper ex præda est, fœtus suos nouitate marcentes, nidis perturbent*, ne molli ocio consuescant: alis verberant immorantes: cogunt pullos teneros ad volatum, vt tales debeant existere, de quibus possit pietas materna præsumere. Vos autem, quos & natura erigit, & amor opinionis exacuit, studete tales filios relinquere, quales vos constat patres habuisse.

Lib. I. Epist. XXIV.

* al. exturbent.

GVNDIBADO REGI BVRGVNDIONVM THEODERICVS REX.

EPISTOLA II.

De Horologiis transmißis.

AMPLECTENDA sunt munera, quæ probantur omnimòdis expetita, quando non est abiectum quod potest explere desiderium. Nam per quaslibet pretiosas res ad illud tantum tenditur, vt cupientis animus expleatur. Quapropter sa-

Epist. XLVI

lutantes gratia consueta per harum portitores illum & illum oblectamenta præsentiç vestræ horologia cum suis dispositoribus credimus destinanda: vnum, in quo humana solertia videtur colligi, quòd totius cœli noscitur spatia peruagari: aliud vbi Solis meatus sine Sole cognoscitur, & aquis guttantibus horarum spatia terminantur. Habetote in vestra patria, quod aliquando vidistis in ciuitate Romana. Dignum est vt bonis nostris vestra gratia perfruatur, qua nobis etiam affinitate coniungitur. Discat sub vobis Burgundia res subtilissimas inspicere, & antiquorum inuenta laudare. Per vos propositum gentile deponit: & dum prudentiam Regis sui respicit, iure facta sapientium concupiscit. Distinguat spatia diei actibus suis: horarum aptissimè momenta constituat. Ordo vitæ confusus agitur, si talis discretio sub veritate noscitur. Belluarum quippe ritus est, ex ventris esurie horas sentire, & non habere certum, quod constat humanis vsibus attributum. A

LVDVIN * REGI FRANCORVM THEODERICVS REX.

* Lvdovico, id est Clodovio.

EPISTOLA III.

Gratulatur Ludouico Regi Francorum de victoria habita. B

Lib. II. Epi. XLI.

GLORIOSA quidem vestræ virtutis affinitate gratulamur, quòd gentem Francorum prisca ætate residem, feliciter in noua prœlia concitastis: & Alamannicos populos, causis fortioribus inclinatos, victrici dextera subdidistis. Sed quoniam semper in auctoribus perfidiæ resecabilis videtur excessus, (quia exprimariorum * plectibilis culpa omnium debet esse vindicta) motus vestros in fessas reliquias temperate: quia iure gratiæ merentur euadere, quos ad parentum vestrorum defensionem respicitis confugisse. *Estote illis remissi, qui* nostris finibus celantur exterriti *. Memorabilis triumphus est, Alamannum acerrimum sic expauisse, vt tibi eum cogas de vitæ munere supplicare. Sufficiat illum Regem cum gentis suæ superbia cecidisse. Sufficiat innumerabilem nationem partim ferro, partim seruitio subiugatam. Nam si cum reliquis confligis, adhuc cunctos superasse non crederis. In talibus causis accipe frequenter expertum. Illa mihi feliciter bella prouenerunt, quæ moderato fine peracta. Is enim vincit assiduè, qui nouit omnia temperare: dum iucunda prosperitas illis potiùs blanditur, qui austeritate nimia non rigescunt. Cede itaque suauiter genio nostro quod sibi gentilitas communi remittere consueuit exemplo. Sic enim fit, vt & meis petitionibus satisfecisse videamini, ne sitis soliciti ex illa parte, quam ad nos cognoscitis pertinere. Quocirca salutantes gratia, honore, & affectione, qua dignum est, illum & illum Legatos nostros ad excellentiam vestram consueta caritate reximus: per quos & hospitatis vestræ iudicium, & speratæ petitionis consequamur effectum. Quædam verò, quæ ad nos pro vestris vtilitatibus peruenerunt, per harum portitores verbo insinuanda commisimus: vt cautiores effecti optata possitis victoria constanter expleri. Vestra siquidem salus, nostra gloria est: & toties regnum Italiæ proficere iudicamus, quoties de vobis læta cognoscimus. Citharœdum etiam, arte sua doctum, pariter destinauimus expetitum, qui ore manibúsque consona voce cantando, gloriam vestræ potestatis oblectet. Quem ideo fore credimus gratum, quia ad vos eum iudicastis magno opere dirigendum. C

* primariorum.

* externi, vel extriti.

ALARICO REGI VISIGOTHORVM THEODERICVS REX.

EPISTOLA IV.

Ne moueat bellum cum aduersario, donec tractetur pax inter eos.

Lib. III. Epi. I.

QVAMVIS fortitudini vestræ confidentiam tribuat parentum vestrorum innumerabilis multitudo; quamuis Attilam potentem reminiscamini

A Visigotharum viribus inclinatum: tamen quia populorum ferocium corda longa pace mollescunt, cauete subito in aleam mittere, quos constat tantis temporibus exercitia non habere. Terribilis est hominibus conflictus, si non sit assiduus: & nisi vsu præsumatur, concertandi subitò fiducia non habetur. Absit, vt vobis aliquid indignatio cæca surripiat. Moderatio prouida est, quæ gentes seruat. Furor autem instantia plerumque præcipitat, & tunc vtile solum est ad arma concurrere, cùm locum apud aduersarium iustitia non potest inuenire. Quapropter sustinete, donec ad Francorum Regem Legatos nostros dirigere debeamus: vt litem vestram amicorum debeant amputare iudicia. Inter duos enim nobis affinitate coniunctos non optamus aliquid tale fieri, vnde vnum minorem contingat forsitan inueniri. Nos vos parentum fusus sanguis inflammat: non grauiter vrit occupata prouincia: adhuc de verbis parua contentio est. Facillimè transigitis, si non per arma vestros animos irritetis. Obiiciamus quamuis cognato, cum nostris coniuratis eximias gentes. Iustitia, quæ Reges efficit fortiores, citò conuertit animos, qui contra se tales sentit armatos. Et ideò salutationis honorificentiam prælocuti, Legatos nostros illum & illum ad vos credimus esse dirigendos: qui vobis & mandata nostra sufficienter insinuent, & vsque ad fratrem nostrum Gundibadum, vel alios Reges lata vestra voluntate deproperent. Ne videamini eorum immissione laborare, qui malignè gaudent alieno
B certamine. Auertant enim diuina, vt supra vos iniquitas illa præualeat. Commune malum, vestrum iudicamus inimicum. Nam ille me iure sustinebit aduersum, qui vobis nititur esse contrarius.

GVNDIBADO REGI BVRGVNDIONVM THEODERICVS REX.

EPISTOLA V.

Super eodem.

GRAVE malum est inter curas regiásque personas, voluntates sibimet videre contrarias & dissimulando spectare, vt de vno aliquid dolendum possit emergere. Non sine inuidia nostra geritur, si nobis patientibus affinium clade dimicetur. Habetis omnes per me pignora magnæ gratiæ: non est vnus ab alio segregatus: si quid in vobis delinquitis, meo grauiter dolore peccatis. Nostrum est, Regios iuuenes obiecta ratione moderari: quia illud in vobis verè sentiunt displicere, qui dum malè cupiunt, audaciam suæ voluntatis retinere non possunt. Vereantur senes, quamuis sint florida ætate feruentes: sciant, nos aduersarios esse contrarietatibus suis: & illud velle persequi, ne ab vtrisque possit excedi. Epist. II.
C Decet enim nos aspera verba dicere, ne affines nostri ad extremum debeant peruenire. Et ideo illum & illum Legatos ad fraternitatem tuam credimus esse destinandos: vt si filio nostro Alarico visum fuerit, ad Regem Francorum cum coniuratis nobis gentibus dirigere debeamus: quatenus causa, quæ inter eos vertitur, amicis mediis rationabiliter abscindatur. Conuenit enim, tales tantósque Reges non inter se lamentabiles rixas quærere, vt de suis & nos possint casibus sauciare. Quapropter fraternitas vestra, adhibito mecum studio, eorum nitatur reparare concordiam: quia nemo potest credere: sine nostro voto illos ad hæc prælia peruenisse, nisi omnino clareat, ne ad conflictum veniant, nostra potiùs esse certamina. Aliqua verò à præsentium gerulis litterarum sermone vobis commisimus imitanda: vt sic prudentia vestra cuncta componat, quemadmodum consueuit, Deo iuuante, perficere, vnde solet diligentissimè cogitare.

HERVLORVM REGI, GVARNORVM REGI, Thoringorum Regi, Theodericus Rex.

A

EPISTOLA VI.

Studet conciliare discordes Reges inter se.

Epist. III. SVPERBIAM, diuinitati semper exosam, persequi debet generalitatis assensus. Nam qui vult opinabilem gentem voluntaria iniquitate subuertere, non disponit ceteris iusta seruare. Pessima consuetudo est, despicere veritatem. Credit sibi omnia cedere, si elatum contigerit in abominabili certamine superare. Et ideò vos, quos conscientiæ virtus erigit, consideratio detestabilis præsumptionis accendit, Legatos vestros, vnà cum meis & fratris nostri Gundibadi Regis ad Francorum Regem Ludouicum destinate: vt aut se de Visigotharum conflictu considerata æquitate suspendat, & leges gentium quærat: omnium patiatur incursum, qui tantorum arbitrium iudicat esse temnendum. Quid quærit vltra, cui offertur absoluta iustitia? Dicam planè quod sentio. Qui sine lege vult agere, cunctorum disponit regna quassare. Sed melius est, vt inter initia perniciosa reprimatur assumptio: vt sine labore perficiatur omnium, quod certamen esse poterat singulorum. Recolite namque Henrici senioris affectum, quantis vos iuuit semper muneribus, quoties à vobis proximarum gentium imminentia bella suspendit. Reddite filio eius gratiam, quam tantum agnoscitis vestris vtilitatibus attributam. Nam si tanto Regno aliquid præualuerit, vos aggredi sine dubitatione præsumet. Quapropter excellentiam vestram Epistolari sermone salutantes, per Legatos nostros, illum & illum, *præsentium portitores*, verbo vobis aliqua dicenda commisimus. Vt vos, qui nostrum sequimini, *Deo iuuante*, dispositum, vnus vos complectatur assensus: & foris hoc agatis, ne in vestris Prouinciis dimicare possitis. B

LVDVIN REGI FRANCORVM THEOD. REX.

EPISTOLA VII.

Exhortatio ad pacem cum aduersario, donec eorum controuersia placabili amicis mediis finiatur.

C

Epist. VI. ADEO inter Reges affinitatis iura, diuina coalescere voluerunt, vt per eorum placabilem animum proueniat quies optata populorum. Hoc enim sacrum est, quod nulla permittitur commotione violari. Nam quibus obsidibus habeatur fides, si non credatur affectibus? Socientur proximitate Domini, vt nationes diuisæ simili debeant voluntate gloriari, & quasi per alueos quosdam concordiæ adunata se possint vota gentium contingere. Quæ cùm ita sint, miramur animos vestros sic causis mediocribus excitatos, vt cum filio nostro Alarico Rege durissimum velitis subire conflictum: vt multi, qui vos metuunt, de vestra concertatione lætentur. Ambo estis summarum gentium Reges, ambo ætate florentes. Non leuiter Regna vestra quassatis, si data partibus libertate confligitis. Virtus vestra patriæ non fiat inopinata calamitas. Quia grandis inuidia est Regum in causis leuibus grauis ruina populorum. Dicam liberè, dicam affectuosè, quod sentio. Impatiens sensus est, ad primam legationem protinus arma mouere. A parentibus, quod quæritur, electis iudicibus expectatur. Nam inter tales viros, & illos, gradum est dare, quos medios volueritis efficere. Quid de nobis vos ipsi æstimare poteritis, si nos intentiones vestras reliquisse cognoscitis? Absit ille conflictus, vbi vnus ex vobis deleri poterit inclinatus. Abiicite ferrum, qui in meum pugnare vultis opprobrium. Iure patris vobis interminor & amantis. Ille nos & amicos nostros patietur aduersos, qui talia monita (quod non opinamur) crediderit esse temnenda. Quapropter ad excellentiam

A lentiam vestram illum & illum, Legatos nostros magno opere credidimus dirigendos, per quos etiam ad fratrem vestrum, filium nostrum, Regem Alaricum scripta nostra direximus: vt nullatenus inter vos, scandala seminet aliena malignitas: sed in pace perseuerantes, quæ sunt inter vos, mediis amicis, placabiliter finire debeatis. Per eos etiam & verbo vobis aliqua dicenda mandauimus. Vt gentes, quæ sub parentibus vestris longa pace floruerunt, subita non debeant concussione vastari. Illi enim credere debetis, quem vestris vtilitatibus arridere cognoscitis. Quoniam qui vult alium in præcipites casus mittere, eum certum est fideliter non monere.

GEMELLO V. S. THEODERICVS REX.

EPISTOLA VIII.

Conceditur officium Vicariatus in illa Prouincia gubernanda, quæ nouiter subiugata fuit.

B FIRMVM est iudicium, cuius tenetur exemplum: nec locus ambiguitati relinquitur, vbi experimenta probabilia suffragantur. Explorauimus efficaciam tuam per diuersos industriæ gradus. Sed non imparem meruisti gratiam, variis actionibus æqualiter approbatus. Hinc est, quòd præsenti tempore in Gallias, nobis Deo auxiliante subiectas, Vicarium te Præfectorum nostra mittit auctoritas. Vnde perpende, qualia de te videamur habere iudicia, quando ad illos populos mitteris corrigendos, quos nostris laudibus specialiter credimus acquisitos. Cara est Principi gloria: & necesse est de illis amplius esse solicitum, vnde sibi triumphorum venisse sentit augmentum. Age igitur mandata, si cupis in te proficere nostra iudicia: turbulenta non ames, auara declina: vt talem te iudicem Prouincia fessa suscipiat, qualem Romanorum Principem transmisisse cognoscat. Desiderat viros egregios coacta cladibus suis. Effice, vt victam fuisse delectet. Nihil tale sentiat, quale patiebatur, cùm Romam quæreret. Abscedat omnis de calamitate tristitia. Serenetur tandem nubilus vultus. nunc illam gaudere conuenit, cùm ad sua vota peruenerit. Epist. xvi.

VNIVERSIS PROVINCIALIBVS GALLIARVM THEODERICVS REX.

EPISTOLA IX.

C *Vt obediant prædicto Vicario.*

LIBENTER parcendum est Romanæ consuetudini, cui estis post longa tempora restituti. Quia gratus ibi regressus est, vbi prouectum vestros constat habuisse Maiores. Atque ideò in antiquam libertatem Deo præstante reuocati, vestimini moribus togatis: exuite barbariem: abiicite mentium crudelitatem: quia sub æquitate nostri temporis non vos decet viuere moribus alienis. Proinde de necessitatibus vestris mutata nobis mansuetudine cogitantes, quod feliciter dictum sit, spectabilem virum Gemellum, Vicarium Præfectorum, fide nobis & industria comprobatum ad componendam Prouinciam credidimus dirigendum: sperantes, in nullo eum posse delinquere, qui nobis peccantes grauiter intelligit displicere. Quapropter ordinationibus eius ex nostris iussionibus obedite: quia eum credimus vobis profutura decernere. Respicite paulatim iuridicos mores. Non sit nouitas molesta, quæ proba est. Quid enim potest esse felicius, quàm homines de solis legibus confidere, & casus reliquos non timere? Iura publica certissima sunt humanæ vitæ solatia, infirmorum auxilia, potentium frena. Amate, vnde & secularitas venit, & conscientia proficit. Gentilitas enim viuit ad libitum: vbi magis reperit mortem propriam, qui potest habere quod placeat. Vos iam securi Epist. xvii.

ostentate diuitias parentum. Bona, longo situ recondita, prodantur in lucem. A Quia tantum quis nobilior erit, quantum & moribus probis, & luculenta facultate reluxerit. Ideo enim vobis Præfecturæ Vicarium direximus, vt cum tanta dignitate & ciuilem videamur regulam destinasse. Fruamini quod tantum audiebatis. Intelligite homines non tam corporea vi, quàm ratione præferri: & illos meritò crescere, qui possunt aliis iusta præstare.

MASSILIENSIBVS THEODERICVS REX.

EPISTOLA X.

Constituitur quis in protectorem, & quòd ei debeant obedire mandatur.

Epist. xxxiv PROPOSITI nostri est, probatas fortitudine & moderatione personas ad ordinationem vestram defensionem dirigere: vt & Prouincialium ratio subleuetur, & vtilitas publica bonis præsidentibus augeatur. Proinde Comitem Maradum, nobis æquitate compertum, ad Massiliensem ciuitatem credidimus dirigendum: vt quicquid ad securitatem vestram vel vtilitatem pertinet, Deo iuuante, perficiat, memórque nostræ gratiæ curam possit habere iustitiæ: minoribus solatium ferat: insolentibus seueritatem suæ districtionis obiiciat: nullum B denique opprimi iniqua præsumptione patiatur, sed omnes cogat ad iustum, vnde semper floret imperium. Quapropter designato viro in his quæ vobis pro publica vtilitate præceperit, libentibus animis obedite: vt fides vestra, quæ iam prioribus monstratur exemplis, subsequentibus quoque declaretur iudiciis. Quia gratius est obsequium, quod deuotione perpeti custoditur. Nos autem reddere cogitamus locum vicissitudini, qui impensa seruitia non possumus obliuisci.

VNIVERSIS PROVINCIALIBVS IN GALLIA CONSTITVTIS, THEODERICVS REX.

EPISTOLA XI.

Prouincialibus Galliæ hostiliter vastatis, pro qualitate læsionis tributaria functio relaxatur.

Epist. xl. QVAMVIS sensum nostræ pietatis turba multiplex cogitationis intraret, & diuersas Regni partes consueta sedulitate respiceret, festinè tamen remedia vestræ vtilitatis inspeximus. Quoniam apud conscientiam nostram læsionis genus est, profutura tardare. Nec possumus æstimare iucundum, quod ingrata C fuerit dilatione suspensum. Nam excrescentibus morbis læsio debacchari permittitur, cùm medicina differtur. Vobis itaque hostili ferocitate vastatis pro qualitate læsionis per indictionem quartam relaxatam agnoscite tributariam functionem (quia non gratulamur exigere, quod tristis noscitur solutor offerre) ita tamen; vt de illis, quæ constat intacta, exercituales iuuentur expensæ. Quia illos in totum deuotio non debet deserere, quos pro se laborare cognoscit. Inualidus est siquidem ieiunus defensor: nec animus ministrat audaciam, cùm virtus corporis fuerit destituta.

GEMELLO V. S. THEODERICVS REX.

EPISTOLA XII.

Quòd tritici species ad constituta loca communi studio deferatur; vt diuisum onus facilius toleretur.

Epist. xli. TOLERABILE fit omne, quod æquabili ordinatione disponitur. Quia diuisum onus sub communione, subiectos certum est non grauare. Pars enim

A extrema ad vnumquemque redit, cùm summa vniuersos incluserit. Tritici itaque speciem, quam ob exercituales expensas, nostra prouidentia de Italia destinauit, ne fatigata Prouincia huiusmodi præbitione læderetur, ad castella supra Druentiam constituta de Massiliensibus horreis constat esse portandam. Quapropter iubemus, vt studium deuehendi supradictæ speciei communiter subeatur: quatenus celeriter possit fieri quod vniuersitatis studio videtur assumi.

VNIVERSIS PROVINCIALIBVS IN GALLIA CONSTITVTIS, THEODERICVS REX.

EPISTOLA XIII.

Mittitur alimonia exercitui, ne fortaßè nimio incommodo grauarentur.

NON occurritur sub Principe benigno, remedia postulare subiectos. Quoniam supplicationem præcedit humanitas: & miro modo posteriora fiunt vota quàm præstita. Nuper siquidem, moti iustitia, iusseramus, vt pars aliqua illæsa Prouinciæ Gothis nostris alimonia reperta præstaret. Sed quia licet Principem semper humaniora censere (dum varietatis non habet vitium, quod pro B beneficio fuerit immutatum) sed vt nec minima possessores illatione grauarentur, ex Italia destinauimus exercituales expensas, vt ad defensionem vestram directus exercitus vestris humanitatibus aleretur, solúmque auxilium prouinciæ de tam magna congregatione sentirent. Ducibus etiam ac Præpositis sufficientem transmisimus pecuniæ quantitatem: vt eorum præbendæ, quæ non potuerunt conuehi, ibi debuissent sine alicuius dispendio comparari. Quia delecti nostro nec voluimus imponere, quæ vos potuistis (vt arbitramur) offerre. Epist. XLII.

VNIGIS SPATARIO THEODERICVS REX.

EPISTOLA XIV.

Quòd restituantur mancipia prioribus dominis.

DELECTAMVR iure Romano viuere, quos armis cupimus vendicare: nec minor nobis cura est rerum moralium, quàm potest esse bellorum. Quam C enim proficit, Barbaros remouisse confusos, nisi viuatur ex legibus? Quapropter cùm Deo propitio Gallias exercitus noster intrauerit, si qua mancipia seruitium declinantia, ad alios se, quàm quibus debebantur competere, contulerunt, prioribus dominis iubemus sine aliqua dubietate restitui. Quia confundi non debent iura, imperante iustitia. Nec potest abiecto fauere seruitio libertatis defensor. Aliorum forte Regum prœlia captarum ciuitatum aut prædas appetunt, aut ruinas: nobis propositum est, Deo iuuante, sic vincere, vt subiecti se doleant, nostrum dominium tardius acquisisse. Epist. XLIII.

VNIVERSIS POSSESSORIBVS ARELATENSIBVS THEODERICVS REX.

EPISTOLA XV.

De pecunia missa pro reparatione murorum veterum, & de victualibus pro expensis competenti tempore promittitur prouideri.

QVAMVIS primum sit, læsos incolas refouere, & in hominibus magis signum pietatis ostendere: tamen vtrumque humanitas nostra coniungit: vt & Epist. XLIV.

largitatis remedio ciuibus consulamus, & ad cultum reducere antiqua mœnia festinemus. Sic enim fiet, vt fortuna vrbis, quæ in ciuibus erigitur, fabricarum quoque decore monstretur. Pro reparatione itaque murorum Arelatensium, vel turrium vetustarum, certam pecuniæ direximus quantitatem. Victualia quoque, quæ vestras releuare videantur expensas, fecimus præparari: vt vobis destinentur, cùm tempus nauigationis arriserit. Releuate nunc animos, & de nostra prouisione recreati futuræ copiæ spem tenentes, diuino fauore, habetote fiduciam. Quia non minus est quod nostris verbis, quàm quod horreis continetur. A

* Hermenfrido.

HERMINAFRIDO* REGI TVRINGORVM THEODERICVS REX.

EPISTOLA XVI.

De matrimonio contracto inter Reges, cum multimoda laude.

Lib. IV. Epist. I.

DESIDERANTES vos nostris aggregare parentibus, neptis caro pignori, propitia diuinitate sociamus. Vt qui de Regia stirpe descenditis, nunc etiam longiùs claritate Imperialis sanguinis fulgeatis. Mittimus ad vos ornatum aulicæ domus, augmenta generis, solatia fidelis consilij, dulcedinem suauissimam coniugalem: quæ & dominatum iure vobiscum impleat, & nationem vestram meliore institutione componat. Habebit felix Thoringia, quod nutriuit Italia literis doctam, moribus eruditam, decoram non solùm genere, quantum & feminea dignitate. Vt non minùs patria vestra istius splendeat moribus, quàm suis triumphis. Quapropter salutantes vos gratia competenti, iudicamus nos venientibus Legatis vestris impretiabilis quidem rei, sed more gentium suscepisse pretia destinata, equos argenteo colore vestitos, quales decuit esse nuptiales. Quorum pectora vel crura sphæris carneis decenter ornantur: costæ in quandam latitudinem porriguntur: aluus in breuitate constringitur: caput ceruinam reddit effigiem, imitantes velocitatem, cuius videntur habere similitudinem. Hi sunt sub pinguedine nimia mansueti, magna mole celerrimi, aspectibus iucundis, vsibus gratiores. Incedunt enim molliter, sessores suos insanis festinationibus non fatigant: quiescitur potiùs in ipsis, quàm laboretur: & compositi delectabili moderatione, agilitate norunt continua perdurare. Verùm hunc, quamuis nobilissimum gregem, belluásque morigeras, vel alia quæ direxistis eximia, victa cognoscitis, quando omnia iure superat, quæ decus Regiæ potestatis exornat. Destinauimus & nos quidem, quæ principalis ordo poscebat: sed nil maius persoluimus, quàm quòd vos tantæ feminę decori copulauimus. Adsint vestro diuina coniugio, vt sicut nos causa iunxit affectionis, ita & posteros nostros obliget gratia parentalis. B C

SENATVI VRBIS ROMÆ THEOD. REX.

EPISTOLA XVII.

Commendatur qui ad Prouinciam dirigitur gubernandam.

Epist. XVI.

VTILITATIS publicæ causa, quam noster animus semper spectat, virum illustrem Comitem Arigernum, ciuem penè vestrum, dudum ad Gallias æstimauimus dirigendum: vt eius maturitate consilij titubantium potuissent corda firmari. Nouitatem quippe solicitam prudentes conuenit habere rectores: vt quemadmodum vitæ fuerit formatus ordo, sic currat instituta deuotio. His rebus ad nostra vota compositis, & gloriam ciuilitatis retulit, & quod inter vos didicit diligenter ostendens bellorum insignia reportauit. Quem desideratum sicut putamus cœtui vestro reddidimus: vt qui vobis longa ætate placuit, nunc gratior fiat, cùm eum adiecta bona commendant. Quapropter disciplinæ se præfati viri Romanus ordo restituat, vt quod quietis amore præcipitur, deuotis animis impleatur. Quatenus & excessibus tollatur licentia, & quod optam[...]

A maximè, locum nequeat inuenire vindicta. Si qua etiam per eius absentiam culpa prouenerit, inter vos iustitiæ consideratione corrigite: sicut nobilitati vestræ conuenit agere, cui semper probitas placet. Quoniam nos specialiter iniunxisse cognoscite, vt error, qui ab actoribus suis minimè fuerit emendatus, legum districtione resecetur. Pareatur ergo P. C. viro multis temporibus iam probato, cuius necesse est prædicanda sequi, qui se hactenus sub vestra omnium laude tractauit, & in tanta frequentia nullius reperit aduersa iudicia.

IBÆ V. S. DVCI THEODERICVS REX.

EPISTOLA XVIII.

Quòd restituantur possessiones Narbonensis Ecclesiæ, quæ detinentur à quibusdam peruasoribus.

DEFINITAM rem ab antiquo Rege, quam tamen constat rationabiliter esse decretam, nulla volumus ambiguitate titubare. Quia decet firmum esse, quod commendatur probabili iussione. Cur enim priora quassemus, vbi nihil est, quod corrigere debeamus? Atque ideò præsenti tibi auctoritate Epist. xvii.
B præcipimus, vt possessiones Narbonensis Ecclesiæ, secundum præcelsæ recordationis Alarici præcepta, à quibuslibet peruasoribus occupatæ teneantur, æquitatis facias contemplatione restitui. Quoniam versari volumus in Ecclesiæ dispendio præsumptiones illicitas, dum nostra deceat tempora, sedare confusa. Esto contra talia omninò solicitus: vt qui es bello clarus, ciuilitate quoque reddaris eximius. Sic & arma tua, Deo iuuante, corroboras, si iustitiam mediocribus seruare contendas. Improbis enim potuisse resistere, non præuales excusare: quando omnes tibi libenter cedunt, quem gloriosum in bellorum certamine cognouerunt. Ignauus fortè audacibus iubere nil possit: nemo plus præsumentibus imperat, quàm quem sua facta commendant.

MASSILIENSIBVS THEODERICVS REX.

EPISTOLA XIX.

Eis confirmatur priuilegium immunitatis antiquæ, conceditúrque census immunitas.

LIBENTI animo antiqua circa vos beneficia custodimus, cùm noua vtilitatibus vestris præstare cupiamus. Seruare quippe terminos ignorat humani- Epist xxvi.
C tas, & nouellis decet blandiri beneficiis, post longa tempora restitutis. Proinde immunitatem vobis, quam regionem vestram constat Principum priuilegio consequutam, hac auctoritate largimur. Nec vobis aliquid nouæ præsumptionis patiemur imponi, quos ab omni volumus grauamine vendicari. Censum prætereà præsentis anni relaxat vobis munificentia principalis: vt & illa possitis accipere, quæ vos non contigit postulasse. Ipsa est enim perfecta pietas, quæ antequam flectatur precibus, nouit considerare fatigatos.

VERANO SAIONI THEODERICVS REX.

EPISTOLA XX.

Prouidetur exercitui properanti ad Gallias, ne occasionem habeant excedendi de fructibus.

CVM Deo iuuante, pro defensione generali felicissimus producatur exercitus, Lib. v. Epi. x.
prouidendum est, ne aut ipsi penuria inconsulta fatigentur, aut (quod dici nefas est) vastationem nostræ videantur Prouinciæ sustinere. Primus enim pro-

ſperitatis gradus eſt, ſuis non eſſe damnoſum: vt pro quorum compendio laboramus, eorum non videamur afflixiſſe fortunas. Et ideò deuotioni tuæ præſenti auctoritate delegamus, vt multitudinem Gepidarum, quam fecimus ad Gallias custodiæ cauſa properare, per Venetiam atque Liguriam ſub omni facias moderatione tranſire. Quibus ne aliqua excedendi præberetur occaſio, per vnamquamque hebdomadam ſumptus eis tres ſolidos largitas noſtra direxit. Vt illis cum Prouincialibus noſtris non rapiendi votum, ſed commercij ſit facultas. Illud planè pro cunctorum quiete laborantibus indulgentia noſtra concedit, vt ſi aut eorum carpenta itinere longiore quaſſantur, aut animalia attrita languescunt, te cuſtode atque mediante cum poſſeſſoribus ſine aliqua oppreſſione mutentur. Vt qui daturi ſunt corpore aut qualitate meliora, quamuis paruis ſanis animalibus acquieſcant. Quia incerta eſt vita eorum, qui nimia fatigatione laſſantur. Ita fit, vt nec illis deſit ſubuentio neceſſaria, & nullum ſe læſum tali permutatione cognoſcat. A

GEPIDIS AD GALLIAS DESTINATIS THEOD. REX.

EPISTOLA XXI.

Super eodem. B

Epiſt. x I. FVERAT quidem diſpoſitionis noſtræ, vt vobis iter agentibus annonas iuberemus expendi: ſed ne ſpecies ipſæ aut corruptè, aut difficilè præberentur, in auro vobis tres ſolidos per hebdomadam eligimus deſtinare: vt & manſiones vobis, prout herbarum copia ſuppetit, poſſitis eligere, & quod vobis eſt aptum magis emere debeatis. Nam & poſſeſſorem hæc res occurrere facit, ſi vos neceſſaria comparare cognoſcit. Mouete feliciter. Ite moderati. Tale ſit iter veſtrum, quale decet eſſe, qui laborant pro ſalute cunctorum.

LIBERIO PRÆPOSITO * GALLIARVM ATHALARICVS REX.

* Præfecto Prætorio.

EPISTOLA XXII.

Vt inducat deuotos Regni ad fidelitatem ſeruandam.

Lib. VII. Epiſt. v I. SCIMVS, animum veſtrum de obitu glorioſæ memoriæ Domini aui noſtri acerbo dolore fatigari, dum omnia bona grauiter defleantur amiſſa. Plus enim quæritur, dum Dominus deſiderabilis abrogatur. Expedit autem ſtudio pietatis, afflictam mentem compenſatiuo remedio: quia vix ſentitur amiſſus, cui non ſuccedit extraneus. Sic enim, Deo ſibi imperante, proſpexit, dum eſſet & poſt fata prouidus, vt Regionibus ſuis pacem relinqueret, ne aliqua nouitas quieta turbaret. In ſellam Regni ſui nos dominos collocauit, quatenus decus generis, quod in illo floruit, in ſucceſſores protinus æquali luce radiaret. Cui ordinationi Gothorum Romanorúmque deſideria conuenerunt: vt ſub iuris iurandi religione promitterent fidem ſe Regno noſtro deuoto animo ſeruaturos. Quod ad illuſtris magnitudinis veſtræ notitiam credimus perferendum: vt ab his qui in Galliis Regno pietatis noſtræ deuoti ſunt, ſimile proferatur exemplum. Et ſicut animos noſtros circa ſe minores non deſiderant effici, ita pari conditione teneantur aſtricti. C

A

EPISTOLÆ FRANCICÆ.

REMIGII EPISCOPI REMENSIS AD Chlodoueum Regem, & alios. Item aliorum Regum, Reginarum, Episcoporum, Abbatum, Ducum, & variarum eius æui personarum illustrium; necnon aliorum vicissim ad illos, EPISTOLÆ.

Ex Editione Marq. Freheri Consiliarij Palatini recognita & emendata.

B

INDEX EPISTOLARVM.

A

EPISTOLA I.

Domino illustri meritis, Chlodoueo Regi, Remigius Episcopus.

ANGIT me & satagit vestræ causæ tristitia, quòd gloriosæ memoriæ germana vestra transiit Albochledis*. Sed consolari possumus, quia talis de hac luce discessit, vt recordatione magis suscipi* debeat quàm lugeri. Illius enim vitæ fuit, quòd adsumpta credatur à Domino, quæ à Deo electa migrauit ad cœlos. Viuit vestræ fidei, & si est conspectus desiderio recepta, Christus impleuit, vt benedictionem virginitatis acciperet: quæ sacrata non est lugenda, quæ flagrat in conspectu Domini flore virgineo, quo scilicet & corona tecta, quam pro virginitate suscepit. Absit vt à fidelibus lugeatur, quæ bonus Christi odor esse promeruit, vt per eum, cui placet, auxilium possit conferre poscentibus. Dominus meus, repelle de tuo corde tristitiam, animo ritè composito Regnum sagaciùs gubernate, erectiora sumentes studio serenitatis consilia. Læto corde membra conforta, mœroris torpore discusso, acriùs inuigilabis ad salutem. Manet vobis Regnum administrandum, & Deo auspice procurandum.
B Populorum caput estis, & regimen sustinetis. Acerbitate ne te videant in luctu affici, qui per te felicia videre consueuerunt. Esto ipse tuæ animæ consolator, vigorem illius prouidentiæ continens ingenitæ, ne tristitia candorem tuæ menti subducat. De eius præsente transitu, quæ choris est iuncta virgineis (vt credo) Rex gaudet in cœlo. Salutans gloriam vestram, & commendo familiarem meum, Presbyterum Maccolum, quem direxi. Quæso vt tantis habeatis ignoscere: qui quod occursum debui, exhortatoria destinare verba præsumpsi. Tamen per harum baiulum, si iubetis vt vadam, contempta hyemis asperitate, frigore neglecto, itineris labore calcato, ad vos (auxiliante Domino) peruenire contendam.

* al. Albofledis.

* f. suspici

II.

Domino insigni & meritis magnifico, Chlodoueo Regi, Remigius Episcopus.

RVMOR ad nos magnus peruenit, administrationem vos secundum rei bellicæ suscepisse. Non est nouum, vt cœperis esse sicut parentes tui semper fuerunt. Hoc imprimis agendum, vt Domini iudicium à te non vacillet, vbi tui meriti, qui per industriam humilitatis tuæ ad summum culminis peruenit, quia quod vulgus dicitur ex fine actus hominis probatur. Consiliarios tibi adhibere debes, qui famam tuam possint ornare. Et beneficium tuum castum & honestum esse debet, & Sacerdotibus tuis honorem debebis deferre, & ad eorum consilia semper recurrere. Quòd si tibi benè cum illis conuenerit, prouincia tua meliùs po-
C test constare. Ciues tuos erige, afflictos releua, viduas foue, orphanos nutri, si potius est quàm erudies, vt omnes te ament & timeant. Iustitia ex ore vestro procedat, nihil sit sperandum de pauperibus vel peregrinis, ne magis dona, aut aliquid accipere velis. Prætorium tuum omnibus pateat, vt nullus exinde tristis abscedat. Paternas quascumque opes possides, captiuos exinde liberabis, & à iugo seruitis absolues. Si quis in conspectu vestro venerit, peregrinum se esse non sentiat. Cum iuuenibus ioca, cum senibus tracta, si vis regnare, nobilis iudicari.

III.

Dominis verè Sanctis, & meritis beatissimis in Christo Fratribus, Heraclio, Leoni, & Theodosio, Remigius Episcopus.

Expostulatoria de contumelioso responso.

PAVLVS Apostolus in Epistola sua loquitur: *Charitas nunquam excedit.* Quæ, vt tales ad me literas mitteretis, in vestris sensibus non resedit. Nam pro

Claudio fudi simplicem precem, quem vos non Presbyterum scribitis, vt in me A indignationem vestri pectoris proderetis. Illum non abnego grauiter deliquisse. Sed vos ætati meæ, etsi non meritis, decuerat detulisse. Quod propitia Diuinitate sit dictum, quinquaginta & tribus annis Episcopali Sedi præsideo, & me appellauit tam procaciter nemo. Dicitis, *Melius vos fuisse non natos*. Hoc mihi fuerat opportunum, ne audissem transgressoris opprobrium. Ego Claudium Presbyterum feci, non corruptus prœmio, sed præcellentissimi Regis testimonio, qui erat non solùm prædicator fidei Catholicæ, sed defensor. Scribitis, *Canonicum non fuisse, quod iussit*. Summo fungamini Sacerdotio. Regionum Præsul, custos patriæ, gentium triumphator iniunxit. Tanto in me prorupistis felle commoti, vt nec Episcopatus vestri detuleritis auctori. Rogaui, vt Claudius sacrilegij perpetrator pœnitentiæ seruaretur. Legimus namque, legimus quòd excidium cœlesti denuntiatione prædictum euaserint per pœnitentiam Niniuitæ; quod Ioannes præcursor Domini in Euangelio prædicauit, vt regno appropinquante cœlorum eam populi agerent, ne perirent. In Apocalypsi Angelis Ecclesiarum scribitur ex præcepto Domini Saluatoris, Vt quæ dignè minus egerant, pœnitentiæ satisfactione corrigerent. De iracunda dictione Sanctitatis vestræ intelligo, quod lapsum non miseramini post ruinam, sed magis velle vos video, ne conuertatur & viuat. Cùm Dominus dixerit; *Nolo mortem morientis, sed vt conuertatur, & viuat*. Hoc nos expedit sequi, hanc Domini voluntatem non prætermittere, sed tenere: quia nos posuit non ad iracundiam, sed ad hominum curam, & seruire pietati potiùs B quàm furori. Ponitis in Epistola vestra, quòd Celsus quidam, qui Claudio credidit, quòd abductus, & vtrum viuat aut sit mortuus ignoratis, atque huius inquisitorem me esse præcipitis, & nescitis si in seculo, aut si apud inferos sit quærendus, & res suas à me vultis restitui, quas sublatas fuisse non noui. Impossibilia præcipitis, vt impia peragatis. Annorum numerum me esse scribitis Iubilæum, irridentes potius, quàm pro dilectione gaudentes, cui vinculo caritatis inrupto insinceriter, à vobis nec parcitur nec defertur.

IV.

Domino verè sancto, & in Christo beatissimo Fratri, Fulconi Episcopo, Remigius Episcopus.

Expostulat cum nouo Episcopo, de inuasa sua iurisdictione.

QVANTVM comperi rebus gestis, probaui. Prius curæ Beatitudini tuæ fuit, vt mihi inferres iniuriam, quàm salutationem deferres. O aduenienis * principium quod dedisti, vt læderes Episcopos ante me, quàm Episcopum te viderem! Nimium citò pennis tenerulis euolasti, leuitate animi, non maturitatis consilio. In ipso siquidem Episcopatus exordio, ius ingredi tentas alienum, qui adhuc C tuum verecundè debueras introire. Fas ergo fuit, vt inlicitis ordinationibus tuis à te credideris occupandam loci Mosomagensis Ecclesiam, quam Metropolitani vrbis Remorum, sub ope Christi, sua semper ordinatione rexerunt. Adhuc, arbitror, tua nescis, & iam aliena peruadis. In quam igitur cùm Leuitas feceris, Presbyteros consecraris, Archidiaconos institueris, Primicerium scholæ clarissimæ militiæque Lectorum. Non queror, quòd me consilio inter ista non videris. Vtinam te vidisses! Si enim Canones tua Sanctitas ignorabat, satis præpropérum fuit, vt transgredereris antequam disceres. At verò Ecclesiarum statuta si noueras, tanto grauiùs tantóque periculosiùs insipientia tua priscorum magnificorúmque Pontificum decreta calcauit. Caue, qui aliena præsumis, ne quod habere videris, amittas. Cùm factæ ordinationis iura non constent, quo potissimum consilio sacerdotalis officij tyrocinia defensabis, si temerariæ transgressionis admissum pertinacia vel impotentia miscueris? Maioris discriminis erit, antiquam sanctionem fuisse violatam; quàm laus sit, loco stare contra Canones, quos creasti. Sed quid de eorum loquar ordinibus, quos à Beatitudine tua non licuit promoueri? Plus illud est, quod si iuxta maiorum statuta seueritatémque discutimus, non minus quàm status illorum, vester veniet Episcopatus in dubium. Dominus

* f conueniens

A in Euangelio dicit ad Petrum: *Simon Ioannes, diligis me?* Et Petrus: *Etiam Domine, tu ſcis quia amo te.* Cui bis terque à Domino ſub hac reſponſione præcipitur, *Paſce oues meas.* Ego quia oues Chriſti paſcere omnimodis imperitus, alimoniæ cœleſtis vbertate non poſſum, tu qui es ſacris eruditionibus eruditus, eas quæ mihi Chriſto iubente traditæ ſunt, vt paſcas admoneo, vt inuadas inhibeo. Age ſemper, vt te digna comitentur. Eccleſiæ, quam diuina diſpenſatione meruiſti præſidendam, deſerui, & pro ſalute gregis Dominici ſolicitus paſtor inuigila. Vtinam mediocritati meæ iſta ſuppeterent, quæ in nomine Domini habere vos cupio! Sed quia deſunt meæ, vel credita mihi ſunt obſequia Saluatoris, ſaluari mercenario non requiro. Ioannes in Apocalypſi ſeptem quippe Angelis ſuis comprehendit, & vnicuique ſcribit Eccleſiæ. Facta igitur merita, quæ præpoſitis: quæ probata corrigenda, caſtigat. Cùm ergo ſub vocabulo Angeli, tradatur actionis forma Pontificiæ, doleo ſuper tuæ præſumptionis audacia, vt iura permutes vetera nouus, cauta temerarius, diuina terrenus. Audiant nos, audiant quos elegeris Sacerdotes. Sacerdotes tui ipſi nos audiant. Creatoris confido ſententiam non pro te, ſed in te, à iudicantibus proferendam. Quis enim pro ſenſus ſui probitate non improbet, eum contra Eccleſiæ regulam prorupiſſe, qui debuerat Eccleſiæ regulam cuſtodire? Mandas, vt audio, colonorum tibi tributa portari, & præcipitis vt reditus deferantur agrorum. Datur intelligi, quòd Eccleſiæ rem, B non Eccleſiam concupiſti: quando ſollicitus exquiſitor expoſcis, quæ ego, ad quem iure veniebant, remiſi potiùs quàm quæſiui. Nolo te lateat, Leuitas atque Preſbyteros, contra ordinem quos feciſti ab ordine iam remotos. Perpendi enim, quòd à me non decebat admitti, quos à te non licuerat ordinari. Heu! quantum me à cultus tui propoſito repuliſti, dum mauis perperam gerere, quàm fœdera fraterna ſeruare! Optaueram namque vt clarus * permanſiſſes, quia factus fueras vt Sacerdos. Sed ſi mentem tuam cura iſta non tangit, ego tamen pro ſinceritate profiteor, quòd animum non minùs angit, à te inexcuſabiliter erratum, quàm me fuiſſe contemptum.

*ſ. clericus

V.

Domino ſuo Nicetio Papæ, Florianus ex Monaſterio Romano *.

*al. Remano.

BENEDICITVR vna Trinitas, Deus noſter, qui vos Pontificalibus meritis Pontificali locauit in vertice, vt non beatitatem dignitas, ſed beatitudo præcederet dignitatem. Nec immeritò: cùm ab ineunte pueritia Dominicis militaueris in caſtris, vt illuc tutius & validius diſcretis, quibus iaculis intelligibilis ille proſternitur Amalech, ſcilicet quando & ipſe victor es nomine. Sic enim eſtis Deo præſule in ſtatutis cœnobialibus eruditi, vt per mare ſeculi ſine ſecularibus fluctibus inoffenſo veſtigio tranſiretis, & triumphalem hymnum cum Moyſe meritò concinentes: C *Cantemus Domino, glorioſè enim honorificatus eſt, equum & aſcenſorem proiecit in mare.* Sic indiuiduus comes Eliæ, vt nequaquam deſerens altiora, quo humilitate conſcenderas, vnde cum Apoſtolis in montem glorificatum aſpiceres Dominum Saluatorem. Quia igitur tanta ſanctimoniæ veſtræ prærogatiua ſuffultat, quęſo vt pro me qui impetraſtis, oretis. Quoniam Deus pręſcius futurorum, qui fecit quæ ventura ſunt, ſciens me ſanctorum ſolatio indigere viuorum, vt bonus Dominus præparauit auxilia. Vide ergo quantis adiutoribus vteris, cùm pro me cœperis obſecrare ſanctæ memoriæ dominum Ennodium Pontificem Ticinenſis Eccleſiæ, qui generoſi ſanguinis nobilitatem humilitate pręuexit ad gloriam, vt in cœleſtis patriæ ſenatu fieret & ibi Senator, cuius incomparabilem doctrinæ facundiam non ſolùm teſtatur Occidens, ſed & Oriens inſtructa miratur, Neſtorij fulmen, Eutychis extinctor, glorioſam dominam meam inuiolabilémque Mariam Chriſtotocon & Theotocon, Apoſtolica auctoritate perdocuit. Ipſe ergo meus eſt pater ex lauacro, quem credo apud æternum Patrem per Filium interuenire pro filio. Sed & coronæ veſtrę ſocium beatæ memoriæ dominum Cęſarium Arelatenſem Epiſcopum, qui vixit inter barbaros pius, inter bella pacatus, pater orphanorum, paſtor egentium, qui tanti cenſus effuſione nil perdidit, catholicæ regulam diſciplinæ dictis factiſque demonſtrans. Ipſe igitur

mihi Latinis elementis imposuit Alphabetum, sed & hunc pro famulo discipulóque suo impetrare confido. Addo & tertium, imparem quidem dignitate, sed meritis coæqualem, sanctæ memoriæ Theodatum Abbatem meum, & Archimandritam, seculi huius inimicum, cui crucifixus est Mundus, templum verè dignissimum Trinitatis, plenum reuerentiæ Christianitatis, ex placida bonitate mitissimum, ieiuniis castigatum, orationibus refectum, puritate mundissimum, qui mihi sacras exposuit scripturas, & flores teneræ lanuginis ipse suscepit; qui pro filio & discipulo, successoréque suo, licet indigno, non ambigo quod laus* exoret. Vincunt ergo, Domine mi, tanti iusti orationem peccatorum. Igitur quia conuersatio vestra in cœlis est, sicut dicit Apostolus, *Vestra autem conuersatio in cœlis est*: orate cum his, & rogate illum meum sacratissimum Confessorem Ambrosium, quatenus me vt peculiarem famulum tueatur, vt proprium ciuem foueat, vt familiarem alumnum eruat: qui apud Dominum Iesum quod orauerit exorabit. Quocirca salutationis obsequium famulanter insinuans, precor vt pro beatissimo viro, domino meo Datio Episcopo fratre vestro semper oretis. Æquum est enim, vt pro eo, quem Monasterij septa sacrarunt successorem, etiam Confessorum successor egregius beatorum exorare non desinas. Et hoc si dignum ducitis, supplicamus, vt Beatitudinis vestræ sospitati paruitatem nostram faciatis, sicut petimus, successorem*.

* *f.* lætus

* *f.* certiorem.

V I.

Domino meritis beatissimo, & Apostolico Patri, Nicetio Archiepiscopo, Florianus seruus Christi.

EGREGIAM vestræ Sanctitatis famam audiuimus, quæ vbique celeberrimo sermone vulgatur. Vnde gratias agimus bonorum omnium largitori Deo, qui te talem opportuno præuidit tempore, quando confluentes de toto orbe captiui tranquillissimum te portum salutis inueniunt. Captiuos enim redimis, oppressos subleuas, saturas esurientes, pusillanimos consolaris. His ditatus mercibus Maximianam Paulinianámque beatitudinem promereris, qui angelicam vixerunt vitam in seculo. Hij te loco suo dignissimum propagauerunt heredem, quorum fidem atque constantiam vestra nobis sanctimonia repræsentat. Quapropter salutationis obsequium famulanter insinuans, precor per eum qui vos sacrauit, vt pro me humillimo peccatore, innumerabilibus malis afflicto, diuinam clementiam iugiter imploretis. Illud autem suppliciter quæso, vt domino filio vestro gloriosissimo Regi Theobebaldo insulam Lariensem, quæ CHRISTOPOLIS dicitur, plurimùm commendetis, vt Romanis seruis eius sacramenta quę data sunt, omnimodis conseruentur, vt Regnum ipsius Deus augeat & defendat. Quia verò non egent, qui sani sunt, medico, sed qui malè habent: iterum vos iterúmque rogabo, vt me me, quem sæua istius mundi procella mortificat, quoniam multa flagella peccatoris, tua Dominus oratione viuificet, ac vobis pro me impetrantibus, prophetica pollicitatio compleatur, quæ ait: *Dominus mortificat, & viuificat; deducit ad inferos, & reducit*: Quatenus misericordissimæ Trinitati, & Beatitudini vestræ perpetuas referre gratias mereamur. Rogo vos per Dominum nostrum Iesum Christum, vt pro me sic oretis, vt sentiam & merear per Deum consolari.

V I I.

Domino semper suo, Iustiniano Imperatori, Nicetius cum suis humilis, sed misericordia Domini Episcopus.

Iustinianum Imperatorem ab errore reuocat.

IN nouissimis temporibus iam, vt sermo Euangelicus prędixit, prospicimus, & cùm tempus nostrum semper sit paratum, tamen finem (vt Scriptura denuntiauit) venire sentimus. Sed beatus ille homo, quem, cùm venerit Christus, inuenerit ipsum vigilantem. Sol conuertetur in tenebras ab Oriente, id est ab alto, hoc

est

A est à vita sancta. In integro mundo splendebas vt Sol, & cùm omnes indè gratia Domini rectores Ecclesiæ, cuncti consilij ipsius gauderemus, de vulgante fama, ex lapsu vestro, quem nunquam peruenire debuimus, contristati & humiliati vsque in terra sumus. Dulcis noster Iustiniane, quis te sic decepit? quis vt talia prosequereris suasit? Quis, vt Christum purum hominem fatereris, docuit? Quis, vt in Iudæ consortium te transcriberes, circumuenit? Quis, vt illum, qui dixit, *Ego à patre exiui, & veni in hunc mundum*, per circumcisionem, per baptismum, per passionem, vt cresceret, te docuit? Quis, vt qui cor miserum non habebas, arte repentè oppressit? Quis vt quod Patres, quos venerari debuisti, ad cædes, ad diuersas cruces mitteres, prouocauit? Quis vt illa, propter quæ Christus crucifixus est, & Apostoli omnes pertulerunt, destrueres, prouocauit? Quis vt quod iam semel, bis, & tertiò ab omnibus rectoribus Ecclesiæ condemnatum fuerat, vel adorares; commonuit? Nestorij & Eutychis (vt diximus) iam anathematizata quotiens atque quotiens secta, vt te de ipsa interimeres, quis imperauit? Ille, ille, qui Adam vt contingeret arborem vitæ suasit, qui studio suo mortem adinuenit, circumuenit; qui Iudam, cùm Christum purum hominem fecit, & pro homine tradidit, in ignem, quem præparauit Deus diabolo & angelis eius, misit. Dulcis & dulcis noster Iustiniane, rememorare quæ promisisti cùm baptizatus es, quid per singula te credere dixisti: *Vnum Filium manentem in duabus substantiis, cum Patre &* B *Spiritu sancto*, non duos Christos testatus es. Cùm excessisti, quid fecisti? quid tibi præparasti? Discute, & benè te prospice, & vide si non in loco perditionis te obligasti. Adhuc si vis, viuis; si vis, reuertendo gaudes. *Conuertimini*, inquit, *ad me, & conuertar ad vos*. Patres, à quibus benedictionē expectare debuisti, in exilium transmisisti. Tu cùm in vltima ætate tua percomponere & coniungere te ad redemptorem tuum debuisti, ipse te, non alter, sed tu & te & tuos decepisti. Cùm Lactantius, vt dicit Presbyter, loca sancta per Gallias propter Domini misericordiam visitaret, ante nos apparuit, quæ legis deprecauimus, & per Iesum Christum redemptorem nostrum coniurauimus. Ergo literis præsentibus Deum nostrum coniuramus insuper, & contestamur, vt & tu reuertaris, & quantos perire suasisti in horrenda persecutione, reuertere prouoces. Quod si non feceris, sit iudex ille inter nos & te, sed quantum citiùs cui tu honores tulisti, & purum hominem fecisti, cùm legisti: *Ego & Pater vnum sumus, sed talis pater qualis & filius: quia ita pater vt filius*. Quoniam verum est, quomodo ad circumcisionem veniendo, ad baptismum, ad martyrium, meliora reprobahtur. qui Deus & creator omnium esse conuincitur. Festina, festina, sed protinus. Nam si te sic vltimus dies inuenerit, qualis nunc hodie appares, descendes ad inferiora terræ, & ad partes vulpium eris. Lætetur sancta Ecclesia de regressu tuo, quia vehementer luget de excessu C tuo. Gaudere nos in vltimo seculo positos facias, quos lugere post lætitiam de perditione tua fecisti. Ne dicas vel in corde tuo: *Feci, feci, Vici, vici*. Victus es & vinctus, sed inde vnde filius diaboli & inimicus iustitiæ. Nam notum tibi sit, quòd tota Italia, integra Africa, Hispania, vel Gallia coniuncta, nomen tuum, cùm de perditione tua plorant, anathematizant. Et si non quæ docuisti destruxeris, & publica voce clamaueris, *Erraui, erraui, Peccaui. Anathema Nestorius, anathema Eutyches*: cum ipsis te ad supplicia sempiterna tradidisti. Salutamus plurimùm, coniurantes per Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, per illum qui in vno trinus apparet, & in tribus vnus agnoscitur, vt te de horrenda secta & abominabili persecutione semoueas, & illos qui te suadente in ipsam ceciderunt, ad meliorem viam venire studeas.

VIII.

Dominæ clementissimæ in Christo filiæ, Chlodosuindæ Reginæ, Nicetius peccator.

Hortatur, vt maritum ad fidem Catholicam adducat.

CVM Legatos vestros per Francorum Reges germanos tuos ire conspicimus, de prosperitate vestra solliciti sumus. Sed illa indè audimus, quod quàm

semper sonare etiam & sonare confitemur, quàm magna, quàm alta, quàm laudabilis, quàm vtilis, quàm humana vel munifica, quomodo de pauperibus sollicita, quomodo de regione astuta, quomodo in cuncto populo pia conuersatione splendida. Ille hoc concedat, qui tibi spiritum sapientiæ & intellectus iam dedit. Gaudemus ex hoc, gaudere nos Christus faciat de Alboino Rege, quem habes, & de felicitate sua triumphare. Stupentes sumus, cùm gentes illum tremunt, cùm Reges venerationem impendunt, cùm potestates sine cessatione laudant, cùm etiam ipse Imperiis ipsum præponit, quod animæ remedium non festinus requirit. Scriptum legimus: *Quærite primùm regnum Dei, & omnia bona apponentur.* Qui sic, quemadmodum ille, fulget fama; miror quòd de regno Dei & animæ suæ salute nihil inuestigare studet; sed illos recipit, illis adquiescit, qui potiùs animam in gehennam perdunt, quàm ad viam salutis adducant. Duos Deos esse prædicant, alium in Deitate patrem, alterum in Deitate, sed pro creatura filium: Cùm Scriptura dicat: *Ego sum saluator, & non est alius præter me.* Te domina Chlodosuinda, per tremendum diem iudicij coniuro, vt hanc Epistolam & benè legas, & benè illi & frequenter exponere studeas, & vt ipsum interroges, Quis est Saluator? Patrem dicunt esse saluatorem, an filium? quoniam * duos esse, cùm vnus est, & alius non est, denuntiant? Si dicent Filium, ergo Pater saluator non est; & si dixerint Patrem, ergo Filius non est saluator, quia saluare qui saluator non est, nullum potest. Si dixerint; Duo sunt Saluatores, istud scriptum nusquam inuenient. Nisi; *Ego & pater vnum sumus*, hoc est Pater in Filio, & cum Filio; & Filius in Patre, & cum Patre. Deus præ magnitudine videri ab oculo humano non potest, qui tantum grandis, tantum fulgens, tantum etiam igneus est. Legimus: *In circuitu cæli & terræ tabernaculum eius*, quod etiam præ ista magnitudine & splendore ab homine videri non potest, expressit de se quem semper habuit apud se, qui latibulum sibi de carne fecit, & ideo Scriptura dicit: *Posuit tenebras latibulum suum.* Ideóque in Euangelio ait verbum Dei, quod Ioannes dicit, quia *in principio erat, Verbum caro factum est*, & quod de Maria erat, sic illud ad se iunxit, vt esset vnum. Et per Scripturam dixit: *Ex Sion species decoris eius*, hoc est, homo in Deo transibit. In Euangeliis ipse dixit: *Ego ex Patre exiui, & veni in hunc mundum.* In quadragesimo septimo Psalmo dixit: *Distribuite gradus eius. Eius* dixit, non *eorum.* Quoniam vnus esse, sed nec solus apertissimè scitur, vt enarretis in progenie altera. Nam in die resurrectionis, nec narrare, nec apparere poterit, qui Trinitatem in vnitate non crediderit, & pro eo omnis militia Angelorum per singulos dies clamat; *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Zebaoth.* Non tres Sancti, sed ter sanctum dixit dominum Deum Zebaoth, sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus. Vnus Sanctus, sicut vnus Dominus. Vnde & Ioannes Euangelista dixit: *Ipse est qui est, & qui erat, & qui venturus est saluator.* Si pernominauero, gradus esse videntur. Cùm Patrem audis, nomine maior esse videtur, & ideo dixit: *Pater maior me est*, sed nomine tantùm: in Deitate autem euidentissimè per Christum & per Apostolos eius vnus esse agnoscitur. Quia ipse cùm à discipulo interrogaretur: *Domine, ostende nobis Patrem. Et ille, Me vides, & de Patre interrogas?* Vides quia in Trinitate inuocatur, & in vna Deitate esse inuenitur. Cùm Patrem audis, sine Filio esse non credas; cùm audis Filium, cum Patre esse non dubites, nec dubites tres in personis. Nam vnus in Deitate esse agnoscitur, & ideo ad discipulos suos dixit: *Ite, baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. In nomine*, dixit, non *in nominibus*, quia vnam Deitatem dixit, non tres. Spiritus autem sanctus separari non potest, quoniam vnde esse scitur gratia Dei, inde donum Dei esse cognoscitur. Ab ipso spirant bona omnia, sicut Apostolus dixit: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Et hinc Propheta dixit: *Tu solus altissimus*, sed solus altissimus in omni terra saluator Iesu Naue ipsum conspexit, & ideo dixit: *Noster es an aduersariorum?* Ille autem respondens ait: *Ego sum qui sum, & alius præter me non est.* Abraham, qui dicitur amicus Dei, & probatur, tres vidit, & vnum credidit, cùm tres adorat. Trinitatem (sicut dixi) commemorat, cùm vnum in domum intrare deprecatur, vnam potestatem esse denuntiat. Nam Moysi quotiens atque quotiens dixit: *Ego sum qui sum, & alius præter me non est*? Quid nos ire per singula necesse est? ad duodecim Discipulos quos habuit, veniamus, quia ipsi Gothi hodie ipsis venerationem impendunt, & reliquiis eorum, .. * furtim

*f. quare

*f. reliquias eorũ furtim tollunt:

A tollent: sed nihil ibi habent, quia fidem eorum ad nulla repræsumunt. Quid est quod in Basilicis eorum corpora ipsorum hodie venerantur, non ingrediuntur? Quid est quod nihil ibidem præsumere audent, nisi furtiuè, vt canes à foris, animas decipiunt: cùm illos suos fideles Rex Alboinus sibi demittat, & ad domini Petri, Pauli, Ioannis, vel reliquorum Sanctorum limina perducatur? Ibidem Missas facere, si audent, deliberent, sed non audent, quia domini Petri discipuli non apparent, & contrarij Christi esse probantur: quia quod per crucem ipse redemit, destruere infelices inueniuntur. Qua causa venena eorum talis Rex, & talis ætas percipit. Hic si iubet, ad dominum Martinum per festiuitatem suam, quam vndecima die facit Nouember, ipsos mittat; & ibi, si audent, aliquid præsumant, vbi cœcos hodie illuminari conspicimus, vbi surdos auditum, & mutos sanitatem recipere. Nam quid dicam de leprosis, aut de aliis quamplurimis, qui quantacumque debilitate percussi sunt, ibidem per singulos annos alij & alij sanantur? Fortasse dicunt, confingunt vel cœcos, qui cœci à natiuitate esse videntur, Quid dicunt, cùm indè illuminatos conspicimus, & ad propria (Deo miserante) sanos reuerti videmus? Nam quid dicam adhuc de domino Germano, Hilario, vel Lupo Episcopis? Vbi tanta mirabilia hodie apparent, quantum nec dicere verbis valeo. Vbi tribulantes, id est dæmonia habentes, in aëra suspensi torquentur, & dominos quos dixi esse confitentur? Num-B quid in Ecclesiis eorum sic faciunt? non faciunt, quia Deum & dominos Sanctos ibi habitare non sentiunt. Dæmon dæmonem non exorcisat. Nam vbi sancti habitant, dæmon vagari non dimittitur. Ideò fit vt locus, vbi Deus est, ostendatur. Quid de domino Remigio, & domino Medardo Episcopis, quos tu, credo, vidisti? Non possumus tanta exponere, quanta mirabilia per illos Deum videmus facere. Audisti ab auia tua domina bonæ memoriæ Rodhildi, qualiter in Francia venerit, quomodo dominum Chlodoueum ad legem Catholicam adduxerit, & cùm esset homo astutissimus, noluit acquiescere antequam vera agnosceret. Cùm ista, quæ suprà dixi, probata cognouit, humilis ad domini Martini limina cecidit, & baptizari se sine mora permisit. Qui baptizatus, quanta in hæreticos Alaricum vel Gundobaldum Reges fecerit, audisti; qualia bona ipse vel filij eius in seculo possederunt, non ignoratis. Talis ornatus, talis vir, qualis Alboinus Rex esse dicitur, talis fama, quem mundus sic præponit, quare non conuertitur, aut quare tardus ad requirendum viam salutis apparet? Deus bone, qui es Sanctorum gloria, & omnium salus, tute in illum mitte. Et tu domina Chlodosoinda, cùm verbum facis, solatium tribue, vt omnes de tali stella, de tali gemma sic gaudeamus, qualiter Deo placere possimus. Saluto tantum quantum valeo, deprecor vt ociosa non sis, incessanter clama, incessanter C canta. Audisti dictum: *Saluabitur vir infidelis per mulierem fidelem*. Nam scias, prima salus, prima remissio est, qui conuerti fecerit peccatorem ab errore suo. Vigila, vigila, quia Deum propitium habes, rogo vt sic agas, vt & gentem Longobardorum fortem super inimicos facias, & nos de salute tua, vel viri tui gaudere concedas.

IX.

Dominæ clementißimæ atque præcellentißimæ, & nobis semper piißimæ dominæ, & in Christo sanctæ Ecclesiæ filiæ, Brunehildi Reginæ, Germanus peccator.

QVIA caritas congaudet veritati, & omnia sustinet, & nunquam excedit; propterea ex contribulato corde, & ex intima animi dilectione audemus vobis suggerere. Quia eo tempore, quando minor erat numerus populi Christiani, & cum Dei auxilio licebat residere quietum, cùm Apostoli dicebant: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. Nunc è contrario tam funestos & luctuosos ante oculos habentes dies, flenter dicimus: *Ecce dies tribulationis & perditionis nostræ adueniunt*. Væ nobis, quia peccauimus. Si nos istæ non conterruissent amaritudines & tribulationes, & corpori exhibuissent infirmitatem, per nosmetipsos vestræ debuimus occurrere pietati. Quia si fas dici est, singulariter & vestri dilectionem in nostro gestamus pectore, & vnicè de vestra præsentia spirituali desi-

derio sitientes, sicut cultores & peculiares filij Dei, ambientissimè vos viuere atque proficere in omnibus piè optamus. Sed quicumque hominem in anima diligit, si minus oculis carnalibus eum valet intueri, quæ ad animæ & corporis vel prosperitatem pertinent & salutem, omnimodis literario officio reticere non debet. Vulgi verba iterantes, quæ nos maximè terrent, vestræ pietati in notitiam deponimus, quæ ita disseminat, eloquentium ora detrahuntur, quasi vestro voto, consilio & instigatione dominus gloriosissimus Sigebertus Rex tam arduè hanc velit perdere regionem. Non propterea hæc dicimus, quasi à nobis credatur: sed supplicamus, vt nulla occasio tribuatur dicendi, vnde vobis tam maximum & periculosum generetur blasphemium. Licèt hæc regio iam caruisse felicitatem, & perditionis nostræ concludamus terminum: sed de misericordia non desperabamus diuina, adhuc vltionis suspendendi manum, dum emendationis expectatur remedium, si non dominaretur intentio*, quæ mortem operatur; cupiditas, quæ radix est omnium malorum; iracundia, quæ sensum aufert prudentiæ. Saluator noster perspiciens suæ passionis imminere tempus, dixit: *Væ homini, per quem scandalum venit.* Quod ore proprio detestatus est, impunè non posse manere credimus, omnibus clamamus, omnes conscientiæ suæ cogitationes & actiones considerent, & caueant ne cum Iuda proditore, huius condemnationis sortiantur iudicium. Deo sufficit nosse, optabam aut pro ipsis mori, vt illi viuerent; aut ante eorum interitum quocumque casu vitam finire, vt nec eorum, nec regionis cerneremus interitum. Sed alter ab alterutro excusatione vtitur, & nullus ex ipsis ante oculos Dei ponit iudicium; neque aliquid Dei reseruat potestati iudicandum, nec credent se iam sub Dei esse notitia. Quia à nullo audiri meremur, vobis & ideo supplicamus: quia si illi Regnum perdiderint, nec vos, nec filij vestri magnum possidebitis triumphum. Ad hoc vos hæc regio suscepisse gratuletur, vt per vos salutem, non interitum percipere videatur. In hoc populi restinguitis verba, si mitigatis furorem, si Dei facitis expectare iudicium. In veritate suggero, si meam humilem non despicitis supplicationem, adhuc de votorum vestrorum gaudemus plenitudine. Propterea hæc dolens scribo, quia video, qualiter precipitantur & Reges & populi, vt Dei incurrant offensam. Ita legimus: *Quicumque in brachij sui fortitudine sperauit, antea confusionem quàm victoriam promeruit.* Quicumque adminiculo gentis sibi adiuuari posse confidit, antea periculum mortis quàm salutem promeruit. Quicumque propter copiam auri & argenti eleuatur in superbiam, antea desolationis opprobrium sustinebit, quàm suæ cupiditatis consuluisset auiditati. Ipse iudex æternus nunc iudicat, perpetuam iudiciariam possidet potestatem: non corrumpitur præmiis, aut aspicit ad vota impiorum, sed considerat cogitationes cordium, & reddet vnicuique secundum opera sua. Inhonesta victoria est fratrem vincere, domesticas domos humiliare, & possessionem à parentibus constructam euertere. Contra semetipsos pugnant, suámque felicitatem exterminant: de sua perditione gaudet accelerans inimicus. Qua fide, & ex quo animo, qua deuotione hæc scribimus, Deo sufficit nosse, vt vobis bona futura præparetis, & nos cum Deo absolutos esse vel paulülum sentiamus. Sed quia Sacerdotibus præceptum est: *Vt tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo opera eorum,* ergo piissima domina intelligite mysterium, & cauete exemplum. In principio duobus fratribus..*.. erat mundus. Vnus ex ipsis Cain fratricidium perpetrauit, & vsque septuplum punitionis sententiam suscepit. Ioseph fratres sui per inuidiam vendiderunt, & postea seruituti ipsius subiugati sunt. Saul sanctum Dauid per inuidiam nitebatur occidere, ipse postea in eum misericordiam exercuit. Absalon fratrem interfecit, patrem è Regno voluit remouere, & qualem suscepit interitum, nulli habetur incognitum. Præcipuè quoque Dauid Propheta dicente: *Quoniam qui nequiter agunt, exterminabuntur, qui verò expectant Dominum, ipsi hereditabunt terram.* Apostolus clamat; *Qui odit fratrem suum, homicida est, & in tenebris ambulat, & nescit quo vadat.* Saluator denunciat: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Vbi est pax & caritas, ibidem est Dei pietas. Legimus per Hester Reginam populo fuisse concessam salutem. In hac parte & vestram ostendite prudentiam, & fidei vestrę salubritatem atque perfectionem, vt dominum Regem à Dei reuocetis offensa, & populum à parte sua viuere liceat quietũ, donec iudex æternus consuetam discernat iustitiã.

* i. contentio,

* for. d. f. cõmissus totus e. m.

A Quia euidentissimè omnibus patet, qui caritatem fraternam postponit, despicit consortium, non adquiescit veritati. Omnes Prophetæ contra ipsum loquuntur, omnes Apostoli ipsum detestantur, & Deus omnipotens ipse quod constituit iudicabit. Præmissa salutatione obsequia supplicamus, vt latorem præsentium seruum vestrum Gundulphum commendatum habeatis, & quæ per eundem verbo mandamus, absque hæsitatione credentes recipiatis, & implere non despiciatis, & elaboretis, qualiter de vestra salute nobis gaudia præparetis. Illud petimus, vt per vestræ Pietatis rescriptum ex omnibus iocundari mereamur.

X.

Domino inclito, & vbique gloriosissimo atque in Christo piissimo domino & filio, Theudeberto Regi, Aurelianus Episcopus.

Licet tam sera scriptorum officia iustissimè trepidatio comitetur, tamen nequaquam reor sermo euasa offensione iudicabitur, si apud aures clementiæ sola tantùm deuotione animi perpendatur. Hinc præcipuè quòd ambientibus cunctis celsitudinem vestram, nec metum trahunt ex priuilegio culminis, nec repulsam metuunt de præiudicio tarditatis. Vestra enim erectio ita solemnis est, vt B etiam humilium amore tangatur, ac dignitatum cumulum * onerata fastigia vernularum adhuc rudium primitiuis cultibus præsumantur. Nouis namque nunc studiis in obsequia religiosi Principis informamus, & cum testimonio perfectæ dilectionis ad præsentiam sacratæ mentis admittimur. Hæc ergo ex parte amoris nostri fiduciam, Princeps optime, metieris, cùm ministeriis tuis nec territi pro tarditate subtrahimur, nec verecundia pauperis ingenij refraudamur. Suscipe igitur benignæ deuotionis studio tyrocinia famulantum, & gremia veniæ largioris expande supplicibus. Quia cùm omnes generaliter bono cordis inclyti perfruantur, nos tamen etsi exigua portio obsequij vestri, plenitudinem nobis principalis indulgentiæ ad integrum vindicamus. Etenim cùm de te loquimur, adest gratia, etsi eloquentia deest, & solo ornatui nostro materia sufficit, quanquam doctrina non adsit. Quæ cùm ita sint, præclaram indolem laudis vestræ votis potiùs celebrabo quàm literis. Quoniam semper quæ sunt maxima, conscientiam potiùs requirunt, quàm linguam; digniúsque committuntur pectoris iudicio, quàm sermonis. Ac perindè non mihi in votis hoc commemorandum est, quod tempora celebrant, sed quod æternitas probat. Religiosam potiùs actionem taxauimus, quæ documentis euidentior est facta quàm linguis, nec minùs inuicta meritis quàm triumphis, cuiúsque iam effectui laudabili velociora sunt exempla quàm nuntia. Ideóque tropæis titulisque secularibus sufficit loquacitas orbis. Multum namque tuis onusta virtutibus currit Fama, cùm pondere, & veris opinionibus iam adsueta, de te tantùm didicit non mentiri. Prætereo generis tui stemma sidereum, taceo & illud, C quod vnicus sceptris, multiplex populis, gente varius, dominatione vnitus, solidus Regno, diffusus imperio. Illud tamen quod stilo rerum magnitudo suggerit, non tacebo. Dicam igitur, quòd ortum moribus transcendisti, quòd originalium culminum celsitudines gloriosas descendens per natalium lineas præcessisti. Didicisti itaque, quàm sit arduum excelsa conscendere; & docuisti, quàm magnum sit in sublimibus humilitatem seruare. Quæ de primis prima dicenda sunt, quæ potissimum de cumulo præsumenda? Quid, inquam, potiùs aut priùs dicimus? misericordiam in miseris, temperantiam in subiectis, affluentiam in donis, consilium in dubiis, constantiam in aduersis. Cedant si qua sunt mandata literis, facta priscorum supergrederis, antiquitatem exemplis, tempora meritis, maximus dominio, quia magnus in voto, felix conscientia, cùm pius in vita. Macte restaurator vetustatis, nouitatis inuentor, in illis maturus, in istis iucundus. Absentes beneficiis respicis, gratiâ præsentes illustras, circumseptus amore omnium, dilatatus opinione cunctorum, simul apud te cùm sis quietus, triumphas. In hoc gloriosus factus, dum ostendis in diuitias Regni nô tam habere quàm vincere dominantem * adfirmant, & cœlestibus aptum efficiunt. Multiplica igitur cotidianis operibus, & profectibus indefessis, gratiam quam Deus contulit, mens meruit, mundus agnouit. Supergredere crescendi spatia feliciter, vincendo te ipsum: quia in con-

* f. cumulo, vel, cumulis

* videtur aliquid deesse.

ſpectu Maieſtatis æternæ accepturus es prœmia abſque pretio. Nunc in temporariis finem tollas mercedibus laborandum, tantùm eris magis debitor quantum copioſiùs accepiſti; & tantùm erit reddenda ratione magis periculum, quantum amplius Regnum. A Chriſtiano Principe inæſtimabilis ratio Deo reddenda eſt. Cogita ſemper, ſacratiſſime Præſul, diem iudicij, diem terroris inenarrabilis, diem furoris Domini, diem remunerationis iuſtorum, diem æternæ lætitiæ & perpetuæ pœnæ, diem vbi damnatio non accipiet terminum. Nunc iocunditas habet occaſum. Diem, inquam, illum, vbi omnes Angeli, Principatus & Poteſtates de expectatione iudicij contremiſcent, vbi non erit diſcretio natalium, ſed meritorum: vbi non ſeruus & liber, pauper & potens; ſed omnia & in omnibus Chriſtus: vbi acceptio perſonarum non fiet, vbi diuitiæ non proderunt niſi præmiſſæ *, vbi etiam cogitationes cordium diſcutiendæ ſunt. In hac itaque die quam memorauimus, faciat vos Deus omnipotens poſt longiſſima tempora, ac felicia ſceptra, variis exornatum virtutibus, & ſumma remuneratione dignos venire, vbi & pro vobis, & pro omnium veſtrorum profectu accipiatis coronam. Oſtendatis ibi opera miſericordiæ, iuſtitiæ, concordiæ, pietatis, manſuetudinis, humilitatis, & in his omnibus centenæ plenitudinis, cùm hîc impleueritis ſalubriter numerum, illuc recipiatis in perpetuo fructum. Deus omnipotens vitam felicitati veſtræ, ad præſidium & conſolationem multorum, longiſſimis temporibus protegere & conſeruare dignetur.

* i in pauperes erogatæ,

X I.

Domino ſancto, & in Chriſto beatiſſimo fratri Nicetio Papæ, Mapinius Epiſcopus.

Petit ſibi eius pericula indicari.

EVANGELICÆ Lectionis doctrina teſtatur, *Regnum in ſe diuiſum ſtare non poſſe*. Si hoc de mundi amatoribus, & in terrena cupiditate manentibus, rectè & non immeritò credatur, indubitanter rectiùs de Sacerdotum perſonis ſentitur, ſi diſcordantibus votis ac ſtudiis inter ſe diuidui comprobentur. Aut qua fiducia conditori noſtro, qui nos in vnitate compagis, quod eſt corpus ſuæ deitatis, viuere præcepit, preces oblaturi ſumus, ſi nos viciſſim mutua caritate ſepotatis, vt quodam loco deificus ſermo docet: *Studere nos conuenit vt frater fratri adiuuans, ſicut ciuitas munita & fortis, inconcuſſo fundamine ſtare poſſit;* ſcilicet vt vnius fratris mœſtitię omnes æquanimiter compatiendo participemus, mutuiſque nos laboribus ſubleuemus. Pro qua re, piiſſime ac multùm diligende Domine, & frater, indicamus, nos literas filij noſtri domini Regis THEODOBALDI excepiſſe, vt in Tullenſium vrbe die Kalendarum Iuniarum adeſſe deberem, & nullā cauſam euocationis declarantes, reciprocante pagina indicauimus nos illuc accedere non debere, quia cauſam conditionémque nos conſtabat ignorare, iteratis ſcriptis edocuit Beatitudinem veſtram, dum aliquos Francorum pro zelo diuini timoris corripit, ac pro inceſtis conditionibus à communione Eccleſiaſtica remouit, ſcandala ſeu anxietates multimodas ſuſtinere. De qua re non mediocriter ingemiſcimus, quòd nos relatione veſtra ſcire non feceritis, vtrum ex canonica lectione damnentur, an pro paſtorali diligentia de mediocribus reatibus corrigantur. Licèt nihil noui vos de his rebus inuenire poſſe cognoſcimus, quod priſca patrum ſolertia non potuit reperire; tamen abſurdum eſſe videtur, vt à nobis recipiantur, qui à vobis ſecundum ſeriem Canonum Eccleſiaſtica ſeueritate abdicantur. Nouimus enim, ſi ſcienter hoc gerimus, quòd criminibus aliorum miſceamur; ſi ignoranter reatui non ſubdamur. Quapropter ſalutantes charitate debita indicamus, ſimúlque ſuademus, vt nos in omnibus participes tam tribulationum veſtrarum incommodis, quàm proſperitatum commodis fieri ſtudeatis. Nam nos mediante capite noſtro, quod eſt Chriſtus, nullis aduerſitatibus à veſtra anxietate diuellimur, nulliſque aſperitatibus à veſtra charitate diuidimur. De qua re, ſi tam præſumptuoſi non exiſtimus, indicare præſumimus. Decuerat vt veſtra conſolatio pro huiuſmodi conditionibus potiùs, quàm Regiæ vocationis nos

A conferere debuisset: quia pari modo, si nobis aliquid simile (quod in posterum arbitramur posse fieri) contigisset, statim ad vestram fraternitatem scripta direxissemus, vt nos congruo tempore vel loco coram positi videremus. Quanquam parere nos Regiis præceptis in bonis rebus & conueniat & libeat, tamen non vestris minus scriptis studio caritatis, non supplicio * dirigantur dispectionis: quia amaritudo vestra dulcedo nostra esse non poterit, nec abiectio vestra absque nostra deiectione constabit, & veneratio vobis debita impensa à nobis non dinoscitur procul posita. Atque vtinam, vt præfati sumus, caritate suadente, ac pagina decurrente vestra nobis patefecerent. decreuistis animorum molestiam, cognoueramus, vtrum compatimur molestiis vestris, an delectamur? Nam tacente, vt ipsi scitis, diuina, sola loquente viro humanitas intelligere potest. Hoc tamen pleniùs nouerit vestra perfectio, si ad nos iterata scripta domini Regis ante quinque vel sex dies Kalendarum Iuniarum peruenisset, in die præfata præsentiam humilitatis nostræ in locum habueratis constitutum. *f. supercilio.

XII.

Epistola Dinamij ad amicum.

B QVANTVM æstifero solis ardore defesso, vel longinqui itineris vastitate quassato gelida lympha, dum ariditatem temperat, restinguit desideria sitientis; ita mihi vestrarum Epistolarum elocutio, cùm incolumitatis vestræ indicia retulit, gaudiorum incrementa nutriuit. Quia quotiens crebra recordatione dulcia affectionis vestræ vota commemoro, desideria pectoris publicare suspiriis non desisto. Pro eo quòd ille corporali fraudatur intuitu, qui de cordis non absentatur arcano. Idcirco officium sospitatis plenissimo caritatis iure persoluens, spero vt quoties aditum temporum difficultas diuersa præstiterit, semper exiguitatem meam vestrorum apicum elocutio desiderata confortet, quousque cum diuino auxilio, animorum deuotione suppleta, mutuis inter nos lætemur aspectibus, qui nunquam indiuisis affectionibus sequestramur.

XIII.

Domino suo Chamingo Duci Gogo.

ITA in arcano pectoris vestræ dulcedinis affectus includitur, vt nequaquam absens esse à me aliquatenus iudiceris, qui semper intuitu interiore conspiceris.
C Nec valet interiacentium terrarum longinquitas diuersa videre, quos dudum est quòd antiqua caritas indiuiduis dilectionis nexibus dinoscitur sociasse. Non tamen me in aliquo vastitas tenebat * itineris, si ad vos videndos præstaret licentiæ liberalitas principalis, vt quantitatem vestri corporis, quam exterior errat * oculis, tenaci complexu auidus ambiret affectus, & integram gratulationem animi lætitiam caperet, dum ille tandem adstaret coràm positus, qui à me dinoscitur esse indiuisus. Ergo nihil mihi de vobis aliud, Patrone dulcissime, cum alternis Prouinciis resedimus, longinquitas temporum nisi corporalem fraudat affectum. Sed & ipsa intrinsecus decora vi pectoris forma conspicitur, cum affectuosis motibus, recordatione sæpissima figuratum. Idcirco reddens munia sospitatis, ingentes gratias refero, quòd me toties oneratis collatione munerum, quem multum antiqua dignatione redderis honoratum. Illud tamen, auxiliante Domino, relatione veridica vobis gaudiis promulgatus annuncio, quod tantum assidua erga vos gratia regij amoris accumulat, vt pollicitatio, quæ in iuuenili ætate facta est, assiduis successibus amplietur. Et licèt in tuis laudibus me imparem esse sentiam, attamen amoris impulsu tardum promouisse dinoscor ingenium, & in cuius laudem vix sufficere poterat eloquentia Maroniana, præco imperitiæ meæ audacia præstabit ingressum. Sed in his versiculis subter adnexis, quos amore solenni trepidantibus digitis exaraui, & diligentis affectus ostenditur, & ignorantis rusticitas propalatur.

*f. terrebat

*f. cernit.

XIV.

A

Domino sancto, meritis Apostolicis prædicando in Christo Patri Magnerico Papæ, Fortunatus humilis.

*f. alme. *f. meritis. vel, merces.

CVLMEN *honorificum, Patrum Pater, arce * Sacerdos,*
Pontificale decus proficiente gradu.
*Quem fidei titulo mercis * erexit in altum,*
Ecclesiæque caput distribuente Deo.
Discipule egregij bone Magnerice Niceti,
Nominis auspicio magne canende tuo.
Clare sacro merito, tanto informante magistro,
Quem reparas operum fructificante loco.
Cuius opime sequax, sancta & vestigia seruans,
Rite minister agens, ecce magister ades.
Auctorisque pij successor dignus haberis,
Heredisque sui frugi parensque manet.
Creuit post obitum pater, & te crescere fecit,
Dum capit ille polum, tu capis arce locum. B
Grex alitur per te vice prædecessoris alumne,
Nec sua damna dolet, dum tua lucra tenet.
Fratribus optandus, iocundus honore ministris,
Carius & populis pastor amore places.
Te panem esuriens, tectum hospes, nudus amictum,
Te fessus requiem, spem peregrinus habet.
Hæc faciens intende magis, venerande sacerdos,
Vt commissa tibi dupla talenta feras.
Pro fortunato exorans quoque dulcis amator,
Spem mihi dans veniæ, sit tibi palma pater.

XV.

Domino suo Villico Papæ, Mapinius Episcopus.

FELICEM beatúmque te, beatissime Pater, omnes vnanimiter prædicamus, cui superna pietas huiusmodi tribuit intellectum, atque benignitatis affectum, C vt singulari caritate perfectione viuere comproberis. Licet sancto Petro hoc à Domino dictum legamus, *Pasce oues meas*, sed ad cunctos, qui sacerdotale funguntur officium, pertinet præsens sententia. Tu verò cunctos supergrediens, dulcedine singularis, qui non solùm oues tibi commissas pascere cerneris, sed aliarum ouium Sacerdotes melliflua perfectione, atque deliciarum vbertate saginare non desinis. Testis est ille perscrutator renis & cordis, non assentatoriè ista, sed veridica à nobis assertione conscribi. Quòd si te conditor redemptórque noster, vsque ad sexagenarium numerum annorum, vt exoramus, prouexerit, eris cunctis præcipuus, & reliquis Sacerdotibus anteponendus; vt cuncti, qui vitæ tuæ instructione proficiunt, se doleant te deesse, & se post viuere ingemiscant. Salutantes igitur amore debito, amore sollicito precantes, gratias cum sedula relatione laudésque referentes, pro nobis misericordis Domini misericordiam exorare non desistas. Quapropter rogamus, vt nobis caritas vestra indicare dignetur, quantos solidos ad comparandos porcos in illis partibus dirigamus. Quia constat nobis donum à vobis muneris loco collatum, si hoc beneficium vobis ordinantibus fuerit repertum.

A

XVI.

Gogo Traserico.

AVGMENTVM ingenij vestri non veraciter excusatis, nec mirum ducimus, vt inde vbertas verborum procedat, in quo salubritatis scientia abundat. Nam difficile valet, qui vacuare conditum, quem administrandum diffusio reddidit quotidiana repletum, & noscit * arescit tellorem circinus, vbi fluminis gignitur ortus. Ergo dum scientiam nostram falsis laudibus adornatis, & parentali affectu ostenditis, & magistra institutione inscium castigatis: quatenus illum possitis ad verum prouocare præconium, qui vestris cupit iudiciis parere per meritum. Et quamlibet circa saurina * nemorum succisa purgetis, nostra quoque pectora sermone Dialectico aperuistis. Vtrasque enim res vobis ad laudem facitis pertinere, cùm agricolis culturam, & nobis præparatis in Epistolis lectionem. Præcipua est itaque diuinitate propitia, minimè necessarium, secundum quod scribitis, ad alienos requirere, quod per proprios vates aliis possumus fœnerare. quoniam Poëtis datur inducia peregrinis prudentiam monstrari insignem, cùm te incola regio nostra vnicum meruit habere doctorem. Neque enim vita piorum vsurpatio extergit sapientiam, quam in vos institutio priscorum, & singularis natura fundauit. Quid igitur facturus sum? prouocaui laticem, quem nec dùm in responsis sustinere valeo decurrentem. Sed hæc vnda irrigua & imperitum depromat sensum, & componit barbarum dictatorem, qui potiùs apud Dodorenum didicit gentium linguas discerpere, quàm cum bonæ memoriæ Parthenio obtinuisse Rhetorica dictione. Qua de re salutans plurimùm, optans vt inter nos præmia cotidiana discurrant, Deo propitio, gaudiorum.

* ita Ms.

B

XVII.

Domino semper peculiari suo, Villico Papæ, Dynamius.

VEREOR quidem, pro huius tarditate libelli reus vestri existam imperij. Sed si solito pietatis arbitrio mearum amaritudinum pondus inspicitis, necessitati protinus indulgetis. Vt valui, tamen implere quæ præcepistis intendi. Quoniam non dubites, beatissime Pontifex, quòd iam me tibi reddidit perpetua sedulitate subiectum vnicæ caritatis imperium. Sed mirum hoc esse non censeo, dum te in omnium pectoribus sic deuinctum esse confido. Nam eatenus vos remuneratione superna, diuersa beneficij largitate prærogatiua generalis amplificat, vt in vobis esse probetur ingenitũ, quicquid vbique radiat pretiosum. Et dum generosa natalium dignitate decoratur, humilitate plus nobilem, totum te tribuit libertati. Quo fit vt caritatis splendor, qui intra vestri pectoris arcana immensi luminis claritate præradiat, & iam corporis serenitatem ostendat, & ita sit cordis speculum, gratia quæ retinet in vultu. Pro qua re vniuersitas se certatim vestro conciliari affectu desiderat, dum omnes conscius amor inuitat. Quam magis ego inuicem mei famulatus verborum gaudeo iura præmittere, donec & recuperatis viribus rebus merear respondere. Idcirco fœnus humillimè sospitatis impendens, deprecor vt iugiter me in diuinis oraculis, quem receptum dignatio retinet, intercessio vestra commendet, & omnibus quibus necessarium inspicitis, per quos etiam Regis auribus deferatur, meam necessitatem adserite, vel celerem reditum obtinere; vt indulto suffragetis patrocinio, quem impenso fouetis affectu. De transmissis vestris xeniis, ancipiti meditatione suspendor, vtrum me referre grates oporteat, an silere: quoniam qui non valet implere præconium, dignè vitat affectum. Non tamen credit coronæ vestræ * magnitudo sufficere, quod in vrbe cui præestis, non desinit vniuersis immensa largitas ministrare: nisi vt illos stipendiis donetis propriis, qui mœnibus inhabitant alienis. Sicut me, quem humanitas vestra optata infestatione persequitur: quam dum non valui coactus effugere, deuotus videor excepisse. Vnde tamen licèt ariditas subsistat ingenij, tamen poterat suffragij propago prætendi, nisi quòd inibi Epistola terminum habuit, quod spatium charta negauit.

C

* i. sacerdotij, Episcopatus.

A

XVIII.

Domino illustri, inclito triumphatori ac semper Augusto, Iustiniano Imperatori, Theodebertus Rex.

ACCEDENTIBVS ad nos Legatis vestris, Iohanne & Missario, non mediocriter lætificati suscepimus, dum eorum relatione felicitatem Imperij vestri diuinitate fundatam, crescere & permanere cognouimus inconcussam. Salutantes igitur Serenitatem vestram debito, indicamus munera vestra præfatis deportantibus, eo à nobis excepta animo, quo à vobis affectu constat esse transmissa. Ideóque tam pro largitate muneris, quàm pro delectatione animorum, quam indicastis vobis præstitam, pro eo quòd vos in solium genitoris vestri, vt dignum erat, superna potentia residere præcepit, inexsolubilem gratiarum actionem impendimus. Illud namque inter omnia valde animis nostris molestiam generauit, quod tantum ac talem Principem, ac diuersarum gentium domitorem, post mortem pagina decurrente videmini lacerare, qui viuens Imperatoribus ac Regibus, vel gentibus vniuersis fidem immaculatam, promissásque semel amicitias firmis conditionibus conseruauit, & Christianæ religionis intuitu, non, vt scribitis, loca sacrosancta destituit; sed magis Paganorum consumpta excidio, suis, Christo auctore, temporibus in meliori culmine reuocauit. Nam qualem præfatus Princeps, in cuius vos opprobrio tanta dixistis, cunctis gentibus fidem seruauit, innumerabilium triumphorum, Deo volente, victoriis declaratur. Amicitias nostras, quas delectabiliter requiritis, stabiliter rogamus habere studeatis, & quò melius fœdere inuiolabili permaneant, ab animis vestris nullis intercedentibus causis obsistant. B

XIX.

Domino illustri, & præcellentissimo Domino & Patri, Iustiniano Imperatori, Theodebertus Rex.

LITERAS gloriæ vestræ Andrea Comite veniente suscepimus, quibus indicare dignamini, tria millia virorum in solatium Bregantini Patricij dirigere deberemus. Sed moram huius Legatio nostra fecit: & ratio aliqua, quam per ipsum vobis verbo mandauimus, intercessit, quæ ad nos tardiùs quàm sperauimus, aut vestra Excellentia scripserat, peruenit, quam x. Kal. Octob. ad nos accessisse gloria vestra cognoscat. Et ideo ipso Andrea reuertente, amorem nostrum erga Imperium vestrum, vt profectus communis habuerit, interueniente caritate custodire, Deo adiuuante, disponimus, ita cùm Legatarij vestri ad nos peruenerint, & omnia pro vtilitate communi à nostris partibus, Deo auspice, fuerint confirmata, rebus euidentibus, quomodo vos diligamus, approbetur. C

XX.

Domino illustri, & præcellentissimo Domino & Patri, Iustiniano Imperatori, Theodebertus Rex.

THEODORVS vir expectabilis cùm Solonem veniens pariter literas, quas Imperij vestri clementia destinauit, integra animi caritate & deuotione suscepimus, quia cùm de nobis curam geritis, sic latiùs per diuersas gentes atque prouincias Dei amatam amicitiam propagamus. Id verò quòd dignamini esse solliciti, in quibus Prouinciis habitemus, aut quæ gentes nostræ sint, Deo adiutore, ditioni subiectæ, Dei nostri misericordia feliciter subactis Thuringis, & eorum Prouinciis acquisitis, extinctis ipsorum tunc temporis Regibus, Norsauorum * gentis nobis placata Maiestas colla subdidit, Deóque propitio VVisigotis, qui incolebant Franciæ septentrionalem plagam, Pannoniam, cum Saxonibus Euciis *, qui se nobis voluntate propria tradiderunt, per Danubium & li-

*f. Nortmanorum.

*f. Eudesiis

A mitem Pannoniæ, vſque in Oceani littoribus, cuſtodiente Deo, dominatio noſtra porrigitur. Et quia ſcimus auguſtam celſitudinem veſtram, de profectu Catholicorum, ſicut etiam literæ veſtræ teſtantur, plena animi iucunditate gaudere, ideò eſt quòd ſecundum voluntatem veſtram, quæ Deus nobis conceſſerit, ſimplici relatione mandamus: deſiderantibus animis exoptantes, vt felicibus profectibus gloria veſtra ita valeat, vt antiquam retroactorum Principum amicitiam conſeruetis, & gratia, quam ſæpiùs promittitis, in communi vtilitate iungamur.

XXI.

Domino ſemper ſuo, & Apoſtolico domino & Papæ Nicetio, Rufus Epiſcopus.

DVM ſuauiſſimis pietatis veſtræ imperiis plena deuotione famulari contendo, harum portitores artifices, de partibus Italiæ accitos, & ſacramentorum legationi ſecuritate traditos, ad vos (Deo ducente) tranſmiſſi. Ad quos præſentandos venerationi veſtræ fratrem meum amabilem Preſbyterum deſtinaui. Salutem ergo humillimam, & omnem ſuauitatis dulcedinem vinculis colligatam perB ſoluens, ſuggero mihi multum diuinitus præſtitum, dum in occurſum veſtrum me ambulaſſe congaudeo: vt tantum decus, ornatúmq; Eccleſiæ, ſanctitate ſummum, caritate benignum, humilitate egregium, puritate ſerenum, humilitate largum, largitate munificum, pietate laudabilẽ, ſcientiâ laudandum, humilis * veſtræ conſpectibus Deus noſter præceperit non frauda.ri. Quæ omnia dum recordor; ampliùs mihi, dum elongans abſentor, quàm gaudij fecerat, mœroris ingeſſit. Hoc tantùm conſolationis remanſit, quòd vos inter arcana pectoris mei, quamlibet carcereo pectoris habitaculo, integrè tamen recludens, me congaudeo conſolari. Nam tantùm iam deſiderio cogor, vt me nec itineris longinquitas, nec viarum vaſta contritio, nec labentium aquarum congeſti moles, nec ſæuientium indiſciplinatorum * timenda iniuria retineat. Niſi ſi fieri poſſit, pinniferio vellem volatu veſtris adſtare conſpectibus, vt ſanctis obtutibus præſentatus, aduolutus genibus, manibúſque deoſculatis, vt non minus mihi, & modo, quàm antea collatum fuerat, Chriſto præſtante, gauderem. Et dum cum famulis meis, quos veſtræ congaudeo eruditioni dulcatos, vobiſcum pariter lætabamur, dum mero temporalis excludebatur lætitia, ſpiritualis ipſo adiuuante excoleretur. Sed quia ad præſens, quod opto, implere non poſſum, fruantur vel illi aſſiduè & longo tempore, quod pro veſtris meritis, vel ſua habere meruerunt benignitate: & nos ſi non meremur præſentia, vel nuntio currente de vobis ipſo propitiante lætemur..... enim diuina potentia, vt qui vos talem Pontificem iuſſit inſtitui, pro omnium profectu vſque ad ſummum ſenectutis iubeat culmen perduci. Omnes C ſancto lateri veſtro adhærentes, præcipuè conſeruos meos Sunnoucho & Catellione Diac. ſi propitij permittitis, ſalutari rogo. In ſanctis orationibus veſtris mei meminiſſe dignemini, Domine ſancte, & Apoſtolicæ ſedis digniſſime, & meus peculiaris Domine.

* f. humilitatis.

* i. paganorum.

XXII.

Domino verè ſancto, ac beatiſſimo Domino & Patri, Petro Papæ, Gogus.

SEDVLA dilectione ad vos vel eundem locum compellor ſcribere, quo ſacerdotali dignitate præcellitis, vbi nuper nouus poſſeſſor eſſe promerui. Quod etiam diuinæ fuit diſpenſatio Maieſtatis, vt eſſem vobis opportunitate vicinus, quibus eram caritatis iure coniunctus; & alternis vicibus viſitare deberem, quos videor in corde amore indiuiduo retinere. Eadémque poſſeſſio, dum veſtra reſidet defenſio, iam vnita in veſtris præſidiis nos promptos eſſe ſollicitat. Saluto igitur venerabiliter peculiarem Pontificem, in quo Apoſtoli Petri nomen radiat reno-

uatum, quem decorat speculando Dei gratia pastoris probitas, ac dispensatoris humanitas. Saluto Ioannem, beati præcursoris de honore nominis coruscantem, rectorem domus Ecclesiæ singularem. Saluto Theodulfum, sacri Domitiani Abbatis similem, de cuius sepulchro rosarum virgulta prodierunt, moribus insignem, & vitæ conuersatione sublimem. Saluto reliquos Abbates, sanctis templorum limitibus conuersantes. Saluto Flitomerem, qui sub præterito sacerdote actionem Ecclesiæ laudabiliter gubernauit. Saluto Macarium Archidiaconum, dignitate conspicuum, inhiantem in reparationem Ecclesiæ, in vtilitatibus vigilantem. Saluto Auolum notarij eruditione fulgentem. Saluto Sindericum, Psalmorum carmina in positionis ordine diluculo concinentem. Saluto Theodosium, vniuersorum aures serenis cantibus lenientem. Saluto Theodomundum, amicis congruum, præsidium ciuium, fidei fundamentum. Sed nec illum insalutatum relinquo, cuius gressibus indesinenter Sanctorum limina visitantur, & nunc semper Mosellæ littoribus præcelsa templi cernitur construxisse iam culmina; & de cuius doctrina Regum sunt ornata Palatia. Per te enim, beatissime Papa, saluto vniuersam plebem pastorali vobis solicitudine commendatam, quæ orationibus vestris obtinentibus illæsa erit diuinis obtutibus præsentanda.

XXIII.

Epistola Auspicij Episcopi Ecclesiæ Tullensis, ad Arbogastem Comitem Treuerorum.

Ad eum scribit & Sidō Apollinar. lib. 4. epist. 17.

PRÆCELSO *expectabili his Arbogasto Comiti,*
Auspicius qui diligo, salutem plurimam.
Magnas cælesti Domino rependo corde gratias,
Quòd te Tullensi proximè magnum in vrbe vidimus.
Multis me tuis actibus lætificabas antea,
Sed nunc fecisti maximo me exsultare gaudio.
Maior etenim solus apparuisti omnibus,
Vt potestatis ordinem illustri mente vinceres,
Cui honor debitus maiore nobis gaudio
Nondum delatus nomine, iam est collatus meritis.
Plus est enim laudabilem virum fulgere actibus,
Quàm prætentare lampada sine scintillæ lumine.
Sed tu qui totis gradibus plus es quàm esse diceris,
Erit credo velociùs vt reddant merita.
Clarus etenim genere, clarus & vitæ moribus,
Iustus, pudicus, sobrius, totus illustris redderis.
Pater in cunctis nobilis fuit tibi Arigius:
Cuius tu famam nobilem aut renouas, aut superas.
Sed tuus honor eius est, eiúsque tibi permanet,
Et geminato lumine sic tu præcluis * *omnibus.*

* præluces.

Cuiúsque nemo dubitet felicitati præstitum,
Vt superesset genitrix tibi, laudanda omnibus,
Quæ te sic cunctis copiis replet & ornat pariter,
Vt sis abundans vsibus, & sis decorus actibus.
Congratulandum tibi est, ô Treuerorum ciuitas,
Quæ tali viro regeris, antiquis comparabili.
De magno origo semine descendit tui nominis:
Certè virtutis eius est, vt Arbogastis legitur.
Scribantur in annalibus huius triumphi pariter,
Sicut & eius scripti sunt, quem supra memorauimus.
Sed hoc addamus meritum huic, qui verè maior est,
Quod Christi nomen inuocat religioni deditus.
Fuit in armis alacer ille antiquus, verum est:
Sed infidelis moritur, & morte cuncta perdidit.

His

A

Hic autem noster strenuus, belligerosus, inclytus,
Et quod his cunctis maius est, cultor diuini nominis.
Nunc autem, fili sapiens, quæso dignanter accipe
Tui cultoris paginam, quam ex amore porrigo.
Primum deposco, cupias collatas tantas gratias
In te conserues integras, & bonis multis affiues.
Vnum repelle vitium, ne corda pura inquinet,
Quod esse sacris scribitur radix malorum omnium:
Cupiditatem scilicet, quæ in alumnos deseuit,
Nec sæua parcit rabiem quorum amore pascitur.
Hos (inquam) semper deuorat famem edendam * *perferes,* *f. edendi.
Et velut ignis addito succensa crescit pabulo.
Sed hæc non ita dixerim, quòd te hoc damnem crimine.
Tamen deposco diligens, vt nec scintilla vulneret.
Quam si forte improuidus quandoque inescaueris,
Cito flagrabit nimium augendum incendium.
Tende per mundum oculos, cerne primates seculi,
Aut interire cupidos, aut in periclis viuere.
Corradunt, quærunt, inhiant, velut canes auidi:
B *Et hæc nec ipsi possident, sed nec relinquunt posteris.*
Tamen non generaliter ista de cunctis dixerim:
Sed vt paucorum dedecus sit multis emanatio *. *f. emendatio.
Tu autem, vir eximie, iudex multorum prouidus,
Tui repente pectoris secreta iudex perspice.
Huius si vllam senseris paruam veneni guttulam,
Dulci perfunde oleo, ne serpat in visceribus.
Nec hoc ignoras oleum, pro tua sapientia,
Quod est cunctorum pauperum mercatum eleemosynis.
His te exerce studiis, hæc cuncta bona perage,
Vt mea tibi maneant, & perseuerent gaudia:
Nam parum esse noueris, si quisquam nulla rapiat,
Et obdurato pectore sua præcludat miseris.
Non multum sibi consulit, qui sic euitat rabiem
Cupiditatis, vt simul incurrat auaritiæ.
Nam ista duo crimina, velut cognata genere,
Et geminata specie, nimis coniuncta permanent;
Hæc qui sectantur miseri, hoc vnum distat vitium,
Quod vnus horum malus est, & ille alter pessimus;
Vnde mi cara dignitas tu, quæso, fili vnice,
Sic ab alienis abstine, vt tua sanctis tribuas,
C *Illúdque super omnia memor in corde retine,*
Quod te iam sacerdotio præfiguratum teneo,
Hanc, quæso, serua gratiam, & illis cresce meritis,
Vt prælocuta populi vox cælo sacra veniat.
Sanctum, & primum omnibus, nostrúmque Papam Iamlychum.
Honora corde, dilige vt diligaris postmodum.
Cui quicquid tribueris, tibi in Christo reparas,
Hæc recepturus postmodum, quæ ipse seminaueris.

XXIV.

Epistola directa ad dominum Nicetium Episcopum.

HVMILITATI meæ Corona vestri Apostolatus veniam dare dignetur, quia tanta fuit meæ præsumptionis audacia, vt vobis Dominis auderem per paginam inferre fastidium. Sed quia pietas & beneuolentia sanctitatis vestræ apud me exercitum non aufertur, vt merito gaudeam, quia etsi terrarum separamur spatio, vel litterarum sermonibus per studium coniungamur caritatis affectu.

Quis non gaudeat, in vobis Angelicos vultus aspicere? quis non admiretur, fontem nobis lucidissimum potentiæ Domini ostensum esse, per quem posset scientia bonis operibus adimpleri, ad cuius amœnitatem currerent multæ generationes hominum, vt ad salutem gloriæ peruenirent. Dignam ergo nobis Dominus arborem palmarum fructibus adimpleuit, vt nos de inferis reuocaret. Ostendit cuius vmbraculi protectione saluemur, ad cuius bonæ suauitatis fauum, quam mellis simul benedictionibus satiemur. Laudare non sufficit vestræ Sanctitatis imperium, quæ non ex hominibus, sed ex Dei benedictione esse comperimus. Gaudet ergo patria, quæ tale meruit post tenebras accipere lumen, gaudet & terra donis cœlestibus iocunditate repleta. Quis non potuit sub tua defensione auxilium promereri, ibi non esse prosperatum vbi intercessio sanctitatis remedium consecuta est, quod iam videbatur in desperationem redactum? Fluuius Mosellæ congratulatur vos post tempora iterum videre, qui ante aduentum vestrum se homines ibi commanentes gaudij exsultatione præferte non cessant. Multa tamen fuerant, quæ de vestræ clementiæ fama præclarari debuerant: sed quia in * itineris labebatur, & portitorem vehementissimum festinabat, date prolixitati veniam, quod non potui omnia breuitate complecti. Saluto igitur dominum meum, si præsumptio non offendit, & Apostolicam benedictionem iugo montium erectam Hierusalem illius cœlestis gloria consecuta es. Precor vti me seruulum vestrum orationum vestrarum assiduitate foueatis: per quam intercessionem possimus gratiam Domini & dominorum nostrorum feliciter adimplere.

XXV.

Domino glorioso, pio, perpetuo, inclito, triumphatori, ac semper Augusto, patri Mauricio Imperatori, Childebertus Rex.

CLEMENTISSIMÆ serenitati vestræ elegimus *aduniri per fœdera, & illum* qui placet Domino, impendere vobis affectum, pacatæ gentis ex vinculo, quod proficiet communiter vtrisque partibus, expeditum pacis compendium. Quapropter clementissimę tranquillitati vestræ, honore summi culminis vestri debito, salutis officia fiducialiter porrigentes, sicut Legatariis vestris prædiximus, vt nostras dirigeremus (diuinitate propitia) implere deliberauimus. Adeo illustri viro Sennodio optimate, Griponem spatarium, Radanem cubicularium, & Eusebio notario. Quibus pro certis articulis aliqua vestro Principatui verbo commisimus intimanda, quos integrè referantes ad nos prosperè remeantibus illud reddatis eloquiis, quod inspirante Domino proficiat res communis.

XXVI.

Domino glorioso, pio, perpetuo, inclito, triumphatori, ac semper Augusto, Mauricio Imperatori, Brunechildis Regina.

SERENISSIMI Principatus vestri clementia ad præcellentissimum filium nostrum CHILDEBERTVM Regem directa peruenit Epistola, significans nobis pacis dedisse consilium. Quapropter tranquilissimæ Pietatis vestræ debito tanti culminis honore salutis officia reuerentissimè persoluentes, sicut Legatariis partis vestræ promisimus, præsentium latoribus ad clementiam vestram directis, quibus de certis titulis vestræ Serenitatis verbo proferenda commisimus. His igitur benignissimè à tranquillitate vestra receptis, ac feliciter remeantibus, illud vestris agnoscere mereamur eloquiis, quod profit rebus omnibus fœderatis.

A

XXVII.

Domino glorioso, atque ineffabili desiderio nominando, dulcissimo nepoti, Athanagyldo Regi, Brunechildis Regina.

ACCESSIT mihi, Nepos carissime, votiua magnæ felicitatis occasio, per quam, cuius aspectum feruenter desidero, vel pro parte releuor, cum directis Epistolis amabilibus illis oculis repræsentor, in quo mihi, quam peccata subduxerunt, dulcissima filia reuocatur, nec perdonatam * ex integro, si (præstante Domino) mihi proles edita conseruatur. Quapropter dulcissimam celsitudinem vestram salutantes, officia deuinctissimè persoluimus, & vt me diuina clementia de tua præcipiat innocentia gratulari ac refici, instanter exoramus. Significo piissimo Imperatori per nostros Legatarios, de quibusdam conditionibus aliqua verbo intimanda mandasse. Per quos, de his quæ disponenda sunt, poteritis agnoscere, si Christus propitius præceperit dignanter implere.

*f. perditā existimo, si

XXVIII.

B *Domino gloriosissimo & vbique præcelso, dulcissimo Nepoti Athanagyldo Regi Hildebertus Rex.*

PRÆSENTIS opportunitatis releuamur compendio, per quam quod parentillæ * redhibemus ex affectu, saltem Epistolarum repræsentemus eloquio. Quapropter præcelsæ gloriæ vestræ salutis officia iure propinquitatis desiderabiliter exoluentes, & confidenter optantes, vt de vestra nos lætificare incolumitate præcipiat, qui singulorum desideria & secretorum nouit arcana, significandum curauimus, ad serenissimum Principem Romanæ Reipublicæ præsentium latorem nos (Christo propitiante) pro communi vtilitate Legatarium direxisse, quibus prædicto Augusto, vel feliciter vos (gubernante Domino) præsentatis, poteritis solicitè requirentes agnoscere, quid pro vestris conditionibus deliberare nos certum est, & optare. Superest, vt effectum pacificatus tribuat, humana consilia & rerum condita qui gubernat.

* parētelæ.

XXIX.

C *Dominæ gloriosæ atque inclytæ Augustæ Anastasiæ, Brunechildis Regina.*

SERENISSIMÆ dominationi vestræ, quam, tribuente Domino, summo Principe coniuge Romanam cognouimus Rempublicam gubernare, & præcipuo culmine subiectis illis partibus dominari, summa deuotione salutis officia reuerentissimè persoluentes, significamus præsentium Legatarios præcellentissimi filij nostri HILDEBERTI Regis ad vos, causa communis vtilitatis, si Christus effectum tribuit, fiducialiter direxisse, quibus, (vt confidimus) dignanter receptis, & his quæ verbo mandauimus patefactis, tali serenissimo Principi ministrate consilium, per quod dum inter vtramque gentem pacis causa connectitur, coniuncta gratia Principum, subiectarum generent beneficia regionum. Tranquillitatis vestræ supereminentis dignitas, quæ cursu prosperitatis vos extulit, Rempublicam felicissimè regere hortatur, & vos efficaciter (si Christo dictum placuerit) amicitiarum fœdera propagare. Quapropter serenissimæ gloriæ vestræ officia reuerendissimè persoluentes, præsentium latores Legatarios nostros ad piissimi Augusti, vel vestram præsentiam, fiducialiter communis vtilitatis nos studio direxisse. Quibus dignanter receptis, illud serenissimo Principi adhibete consilij, quod vtrisque gentibus pacis gratia sociatis proficiat partibus, quas pariter sincerus (præstante Christo) nectit affectus.

XXX. A

Domino sancto, & Apostolica sede colendo in Christo Patri, Ioanni Episcopo, Childebertus Rex.

BEATISSIMÆ vestræ sanctitati per cuncta currens opinio, quæ prius implens Orientem tot regiones pertransiit, qui sumus ad Septentrionem, vt ad nos vsque pertingeret, & operum vestrorum laudem nobis etiam longinque positis non taceret, compellit nos ex gratia ræpresentari per paginam, quos diuidunt itinera, & distantium locorum segregant interualla. Quapropter Apostolicæ coronæ ac beatæ Sanctitati vestræ, venerabiliter salutantes, officia porrigentes, & vt nos piis obsecrationibus memores iubeatis poscentes, quia tota vestræ benedictionis attentio laborat, quo fuerit pro concordia populorum, & nostris sedit animis cum Principe Romano pacis amplecti commercium, præsentium latores nostros Legatarios ad partes illas dreximus, quibus pro vtilitate communi vestræ gratiæ præsentatis, si qua intimauerint, de iniunctis ita pia solicitudine pertractetis, qualiter proficiat populis, & prosit regionibus vtriusque gentis perpetualiter (præstante Domino) fœderatis.

XXXI. B

Childebertus Rex Francorum, viro glorioso honorato Apocrisiario.

MERITORVM vestrorum clarificata præconia, quibus enituistis, actionis per gratiam ita vos inter conciues magnos extulerunt in patria, vt rectè vos Honoratum ipsa præferat peregrina. Quapropter sanctæ Venerationi vestræ reuerenter salutis officia persoluens, & vt nos sanctis intercessionibus commemorare dignemini, deposcentes: Nouerit Beatitudo vestra, præsentium latores Legatarios nostros (Domino prosperante) ad Principem Romanæ Reipublicæ causa futuræ concordiæ, & communis vtilitatis prouidentia direxisse, qui cùm vestræ Sanctitati, dum feliciter sibi demandata contulerint, ita (Christo mediante) pertractate consultè, vt inter vtramque gentem consolidata pace, (Diuinitate præsule) compendia proficiant in commune.

XXXII.

Domino sancto, sanctisque virtutibus præferendo in Christo Patri, Domitiano Episcopo, Childebertus Rex.

OPINIONIS vestræ laus effusa præconiis admonet nos peculiariter vestræ Sanctitatis amicitiis copulare. Quod cùm fuerimus votis felicibus consecuti, & nos obtineamus de oratione suffragium, vos etiam acquiritis multæ caritatis augmentum. Qua de re beato Apostolatui vestro venerabiliter salutis officia persoluimus, vt nostri sacris intercessionibus memores esse dignemini, fusa prece poscentes: & notitiæ vestræ deferimus, præsentium latores Legatarios nostros communi pro vtilitate ad tranquillissimum Romanæ Reipublicæ Principem direxisse, qui placabiliter excepti, cum vestræ Beatitudini ex nostra demandatione commissa sibi contulerint, illud administretis Augustæ potestati consilium, quod vtrisque partibus (propitiante Christo) proficiat communiter saluberrimè fœderatis. C

XXXIII.

Childebertus Rex Francorum viro glorioso, Theodoro Magistro.

PRÆLATI Magisterij vestri dignitas excolenda, quæ licèt per se magna sit, vt cognouimus, magis facta sit ordinatione præclara, hortatur nos amicitiis

A inferi, quos agnoscimus dignis actibus prædicari. Quapropter gloriosæ Magnificentiæ vestræ salutis officia fiducialiter impendimus, & de vestræ incolumitatis stabilitate gaudemus. Et quoniam seniores parentes nostri Francorum Reges cum tranquillissimo Romanæ Reipublicæ Principe caritatis studia deliberauerunt excolere; ideo nos magis elegimus ampliare, præsentium latores Legatarios nostros studuimus ad prædictum Augustum dirigere, cùm aliqua ex mandatis sibi commissis tribuitis aditum conferendi. Itaque salubri tractatu, piissimo Principi consilium ministrate, vt inter vtramque gentem copulata caritate, quod possit prodesse communiter, per coniunctæ voluntatis compendia consurgant in pace, vt fructus sit particeps, quidquid consultissimè ipsis donatum fuerit in responsis.

XXXIV.

Childebertus Rex Francorum viro glorioso, Iohanni Quæstori.*

* i. Consiliario. MS.

GLORIOSÆ vestræ dignitatis insignia, quæ vos extulerunt, magis actibus illustratos faciunt. Hæc etiam à nobis prædicari placuit, per gratiam, qua vos sibi sociauerunt Principis cauta consilia. Idcirco gloriosæ Magnificentiæ vestræ salutis officia copiosissimè persoluentes, significamus ad tranquilissimum
B Principem Romanæ Reipublicæ nos præsentium latores Legatarios nostros communis vtilitatis studio direxisse, qui si qua de negotio sibi iniuncto attulerint, deliberate serenissimo cum Augusto, quo dum inter vtramque gentem pacis semina feritis, & studia propagatis immuniter, proficiat vestris nostrisque partibus felicissimè quod censetis.

XXXV.

Childebertus Rex Francorum viro glorioso, Meganti Curatori.

CELSITVDINIS vestrę agnoscentes dignitatem meritis illustratam, opportunum duximus destinare vel literarum colloquia, quorum per longa interualla non adhibetur pręsentia. Idcirco gloriosæ Magnitudini vestræ salutationis iura honorificè persoluentes, significamus præsentium latores Legatarios nostros, studio Catholicæ caritatis ad tranquilissimum Principem Romanę Reipublicæ deuinctissimè destinasse; quibus benignè receptis, cum sibi verbo demandata cum vestra Magnificentia fideliter contulerint, illud pro vtilitate vtrarumque gentium Augusto suggerite, vt pacificatis partibus gratulemur pariter suæ potestati vos consiliis adhærere.

XXXVI.

C

Childebertus Rex Francorum viro glorioso atque præcelso, Paulo, patri Imperatoris.

PRÆCELSÆ potestatis vestræ generosa præconia, quæ vos tantum extulerunt (Diuinitate propitia) vt de vestro germine procrearetur feliciter, qui gubernaret Imperia, nobis prosperè nuntiata prouocant, vt quos affectu colimus, missis etiam Epistolis ambiamus. Quapropter præcellentissimæ Gloriæ vestræ prompta caritatis salutisque officia soluentes, & vestris amicitiis nos sincerissimè committentes, significare curauimus, præsentium latores Legatarios nostros ad tranquilissimum Principem Romanæ Reipublicæ, si Dei dicto complacet, caussa communis vtilitatis studiosissimè destinasse. Qui, Christo propitio, cùm vobis sibi verba commissa detulerint, cum serenissimo Augusto salubriter pertractate, & inter vtramque gentem, quæ paci conueniunt, ad prospera feliciter deliberatione perducite, quatenus qui à vobis vestrisque societatem caritatis illæsæ requirimus, recipiamus in responsis de fœderatis vtrisque partibus quod optamus.

A

XXXVII.

Childebertus Rex Francorum, illustri atque magnificentißimæ Italicæ Patriciæ.

GLORIOSÆ dignitatis vestræ ad nos feliciter opinione delata, votiuum nobis extitit, quam præferri fama cognouimus, vt commeantibus literis amicabiliter inquiramus. Quapropter gloriosæ Celsitudinis vestræ salutis officia prædicabiliter exsoluentes, & vt de vobis iugiter prospera cognoscere valeamus optantes, notitiæ vestræ deferimus, præsentium latores Legatarios nostros, ad serenissimum Principem Romanæ Reipublicæ (si Domini dicto complacet) vtilitatis communis studio fiducialiter destinasse. Qui cùm cœlesti fauore vobiscum aliqua sibi mandata contulerint, illud impendite salubri consilio, quod pacificatis vtrisque gentibus, prosit regionibus pariter atque regnantibus, & habeat vtraque pars vicissitudinarium de se sibi (Domino subministrante) solatium.

XXXVIII.

B

Childebertus Rex Francorum viro glorioso, vbique celsis laudibus præferendo, Venantio Patricio.

EXIGVNT à nobis tam Generositatis vestræ quàm actionis præconia, vt alloquamur Epistolis, amicitiis quos ambimus. Idcirco gloriosissimæ Eminentiæ vestrę salutationis iura deuinctissimè persoluẽtes, & quę incolumitati conueniunt, de vobis constanter optantes, vestræ cognitioni deponimus, præsentium latores nostros Legatarios ad clemẽtiam serenissimi Principis destinasse Romanam Rempublicam gubernantis. Quibus (Christo præsule) præsentatis, cum Amplitudine vestra, si qua pro communi vtilitate pacatis vtrisque gentibus videbuntur conferre, ea ratione recipite, vt Augustæ potestati à vobis impenso consilio, illa decernantur, quæ vestris nostrisque partibus vnitis, studio proficiant communiter, & indissolubiliter in futuro.

XXXIX.

Litteræ de Imperatore Romanorum directæ ad Domnum Childebertum Regem.

C

CVM bona omnia dignis operibus conferantur, quantum tibi pro amore orthodoxæ fidei, tantum pro ereptione * quam geris eripiendi Christiani sanguinis, meritis tuis iure collatum est, vt de solio, vnde alij summum decus percipiunt, vestra Gloria ipsi Regno ornamenta, non solùm de ineffabilibus dispositionibus vestris, sed de filiis & nepotibus ministrauit. Scientes enim quia Diuinitas Celsitudinem vestram summis ad se colendum beneficiis prouocauit, augere nos credimus studium, per quod Regni vestri stabilitas maiora fundamenta suscipiat, vt filiorum & nepotum vita seruetur, & gloria Regni, quæ tibi duplicata videtur, per filium triplicata, regnando nepotes, muniatur Dei mandata complendo. Veniente itaque Andrea viro magnifico, illa quæ nobis de Christianitate vestra opinio detulerat vera, eius relatione cognoscendo maiora, velut præsentes & videntes quæ narrabat, ampliùs, quàm pridem, venerando cœpimus exultare. Ex hoc ergo quæ ad mercedem animæ vestræ pertinent, posci minimè expectatis, sed magis vo- credimus voluntatem petentium prçuenire. Exposuit ergo nobis, quàm promptissimo animo, vel deuotione integra, florentissimum Francorum exercitum ad liberationem Italiæ Gloria vestra direxerat. Quæ omnia de deuotione & Christianissima voluntate vestra, vel instantia, qua desideratis Italiam liberari, clementissimo Principi meo Domino, & sorori vestræ serenissimæ

* f. intentione.

A Augustæ specialiter, sicut Andreas suprascriptus, vir magnificus, nobis retulit, nunciaui. Antè verò quàm fines Italiæ vestri Duces ingrederentur, Deus pro sua pietate, vestrisque orationibus, & Mutinensem ciuitatem, nos pugnando ingredi fecit, pariter & Altinonam, & Mantuanam ciuitatem pugnando, & rumpendo muros, vt Francorum videret exercitus (Deo adiutore) sumus ingressi: festinantes ne genti nefandissimæ Longobardorum se contra Francorum exercitum adunare liceret, & vno viro magnifico viginti millibus prope Veronensem ciuitatem residente, ad quem necessarium duximus sine mora dirigere, sperantes ab eo vt nos videremus in cominus, & quæ essent vtilia ad delendam gentem perfidam disponeremus communi consilio. Sed vt cognouimus, iam ad Autharit Chenus suam Legationem transmiserat, & de pace aliqua cum eo fuerat iam depectus, antequam ad me Duces vestri venirent. Leufredum tamen, Olfigandum, & Raudingum, viros magnificos, Duces ad nos direxerunt: quos (sicut decuit) propter gratiam gloriæ vestræ, cum omni honore suscepi, quibus etiam & munifici fuimus. Et hoc habuimus in tractu *, quia Autharit se in Ticino incluserat, aliique Duces, omnésque eius exercitus per diuersa se castella recluserant, vt nos cum Romano exercitu & Dromonibus, & Cheno ab alia parte in vicino, (sicut diximus) in viginti millibus residente, ad obsidendum Autharit veniremus, eóque capto maxima pars fuerat adquæsita victoriæ: & tunc demum, si fortè aliqua cum B eis loquenda vel facienda essent, omnia prius ad vestram notitiam deferrentur. Quam rem & Francorum florentissimus credemus, quia facere volebat exercitus. Quibus autem modis eos rogabamus & hortabamur, Epistolarum exemplaribus vestra gloriosa Christianitas poterit informari, dum nos contra inimicos Dei & communes sine Ducum vestrorum consilio aliquid loqui vel agere non pertulimus; illi (sicut diximus ab initio) cum ipsis locutionem habentes, in omnibus nobis omissis, pacem cum ipsis decem mensium facientes, habentes reuera & prædæ copiam, & salus dum comitaretur exercitum pro suo Ducis arbitrium sequente iam exercitum subitò discesserunt. Et hæc res, qualem vobis & laudem & mercedem abstulit, considerare vos credimus, & dolere. Quia si adhuc modicum tempus sustinere voluissent vel audire, hodie Italia à gente Longobardorum nefandissima libera habuit reperiri, & vniuersa nefandissimi Autharit Regis ad vestram Excellentiam habuerunt deferri, vestráque & si tardius fuerat completa est promissio reuera, dum neque intra muros Longobardi tutos se esse putabant, nec Francis præsumebant obsistere. Vnde salutationis officia cum honore dignissimo persoluentes, speramus, vt vel nunc, sicut Regni vestri Christianitas habet cogitare, iubeatis de ereptione Christiani sanguinis, & de Ecclesiarum reseratione, pro eripiendis Sacerdotibus, qui de eorum immolatione euadere potuerunt, conuenienti tempore dignos Duces, qui præcepta vestra impleant, & exercitum dirigere; vt quam patri vestro fecistis, impleatur promissio, antequam gens ipsa nefandissima possit fruges colligere, maximè dum non solas, (quas superiùs diximus) ciuitates, sed & alias, id est Parma, Regio, atque Placentia, cum suis Ducibus atque plurimis Longobardis Deus sanctæ Romanæ Reipublicæ reparauit, vt C in tanta talique mercede, maximam partem, sicut cœpit, Regni vestri gloria consequatur. Præterea, quod ex se gloria vestra facere consueuit, implenda deposcimus, vt Romanos quos prædauit Francorum exercitus, pro mercede vestra, & filiorum ac nepotum vestrorum, relaxare præcipiatis. Quia & alia sunt in pactis posita sacramenta, vt captiui debeant relaxari, & patris vestri Christianissimi Principis hæc est intentio, vt cotidie de animarum liberatione vobiscum mercedem adquirat.

*f. tractatu

XL.

Domino excellentißimo atque præcellentißimo, Childeberto Regi Francorum, Romanus.*

*f. Patricius, *vel*, Exarchus.

QVANTVM Christianitas Regni vestri exquirit cotidie, quid ad placandum Deum debeat exhiberi, tantum de Christianorum liberatione cogitare & facere Excellentiam vestram confidimus, gratúmque vobis esse, quod pro ipsorum remedio prosperitatem diuino fauore constat esse concessam: vt talia tantáque

(Deo auctore) promissa, tam manifesta Dei misericordia inuitet Præcellentiam A vestram, ad participandam mercedem, & laudem maximam adquirendam. Olim autem vos audisse credimus, de Montena, Altino, atque Mantua ciuitatibus, quia sanctæ sunt Reipublicæ reformatæ. Præcedentibus autem scriptis nostris designasse vobis meminimus, quod dum ad obsidendum Parmam, vel Rhegium atque Placentiam ciuitates proficisceremur, Duces Longobardorum ibidem constituti, in Mantuana ciuitate nobis cum omni festinatione ad subdendum se sanctæ Reipublicæ occurrerunt. Quos postea quam in seruitio sanctæ Reipublicæ suscepimus, filios eorum in obsides accipientes, Rauennam remeantes, in Histriam Prouinciam, contra hostem Grasoulfum deliberauimus ambulare. Quam prouinciam venientes, Gisoulfus vir magnificus, Dux, filius Grasoulfi, in iuuenili ætate meliorem se patre cupiens demonstrare, occurrit nobis, vt cum omni deuotione sanctæ Reipublicæ se cum suis prioribus & integro suo exercitu, sicut fuit subderet. Nam se & gloriosus Nordoulfus Patricius cum dominorum nostrorum gratia in Italia veniens, omnes suos homines ad seruiendum serenissimis nostris Dominis recollegit, diuersasque ciuitates, cum Ossone viro glorioso, & Romano suo exercitu, nostro cum consilio reparauit. Et quia Excellentiam vestram in eandem promissionem & deuotionem, quam semel piissimis Patribus vestris dominis nostris promisistis, permanere non ambigimus, maximè dum displicuisse vobis constat, iussionibus vestris non impletis Duces fuisse reuersos, eósque in vestra iracundia constitutos; præcipiat Excellentia vestra omni cum celeritate implere ea, B quæ Patribus vestris piissimis nostris Dominis promisistis: vt de effectu promissionis digna gratia augeatur, eóq; tempore dirigantur, vt fruges cunctas inimicorum foris inueniant. Nobisque designare iubete, quibus itineribus, vel quo tempore expectentur à nobis: sperantes præ omnibus, vt dum feliciter Francorum exercitus descenderit, Romani, pro quibus auxilia vestra poscimus, in deprædationem & captiuitatem non perducantur; sed & eos, quos transacto tempore abstulerunt, relaxari & Prouinciæ restitui iubeatis. Vt *præterita emendantes, quid in* futuro custodire debeant, demonstretis. Sed nec fabricas incendi præcipite, vt agnoscatur, quia pro defensione Italiæ auxilium Christianæ gentis habuimus.

XLI.

In nomine Domini Dei nostri Iesu Christi, Imperator Cæsar, Flauius Mauricius Tiberius, fidelis in Christo, Mansuetus, Maximus, Beneficus, Pacificus, Alamannicus, Gothicus, Anticus, Alanicus, VVandalicus, Herulicus, Gypedicus, Africus, Pius, Felix, Inclytus, Victor ac triumphator, semper Augustus, Childeberto, viro glorioso, Regi Francorum. C

LITTERÆ vestræ Gloriæ, per Iocundum Episcopum, & Cothronem Cubicularium nobis directæ, amicalem quidem voluntatem & paternum affectum circa nos atque sacratissimam Rempublicam nostram conseruare vos indicant: hoc quod & per alios Legatarios multiplicibus verbis ad nostram pietatem conscriptum inuenitur. Et mirum nobis videtur, si rectam habere mentem, atque priscam gentis Francorum & ditioni Romanæ vnitatem esse comprobatam adfirmans, nihil operis vsque adhuc amicitiæ congruum Eminentia tua ostendere visa est: dum in scriptis pollicita, atque per Sacerdotes firmata, & terribilibus iuramentis roborata, tanto tempore excesso nullum effectum perceperunt. Et si hoc ita est, quid per tanta spatia terræ atque maris inaniter sine responso necessario vestros Legatarios fatigatis, iuuenili sermone, qui nihil vtilitatis induxerunt, iactatis? Nos tamen Imperialem beneuolentiam sequentes, & præfatos Legatarios vestros suscepimus, etiamsi cognouimus eos cum veritate à te non transmissos esse; atque his quæ nuntiata ab eis sunt, placidis auribus intendentes, competens eis dedimus responsum, quod & per alios Legatarios vestros manifestum tuæ Gloriæ iam factum est. Et optamus vos, si amicitiam nostram appetere desideratis, validè atque incunctanter omnia disceptare, & non solùm dictionibus enarrare, sed enarrata viriliter, (quomodo Regem oportet) peragere, atque similiter

A nostram piam beneuolentiam expectare. Decet igitur gloriam tuam, ea quoque quæ scriptis inter nos placita sunt, vel etiam nunc ad effectum perducere, vt per hanc occasionem magis magisque vestræ gentis vnitas atque felicissimæ nostræ Reipublicæ conficiatur, & nulla inter nos controuersia oriatur. Non enim pro inimicitia memoratæ conuentiones à nobis factæ sunt, sed vt amicitia firma & illibata permaneat. Diuinitas te seruet per multos annos, parens Christianissime atque amantissime. Data Kal. Septembris Constantinopoli, Imperatore Diuo Mauricio Tiberio, perpetuo Augusto, & post Consulatum eiusdem annis.....

XLII.

Item dicta forma ad filium Imperatoris, de Domini nomine, per Babonem & Griponem.

HORTATVR fidei cœlestis participata redemptio, vt apud illos quàm maximè caritatis studia propagemus, pro quibus æqualiter descendere de cœlo, & pati dignatus est Christus. Certè cùm hoc Catholici desideranter elegimus, per quod magis Diuinitatis circa nos clementiam misericorditer inclinemus. Et quia ad serenissimum atque piissimum patrem nostrum, genitorem vestrum Mau-
B ricium Imperatorem, vtilitatis communis pro conditione præsentium portitores viros inlustres illos Legatarios direximus, pacem quam optamus cum Principe adquirere, cupimus tenere perpetualiter cum herede. Illud etiam poscentes, vt quoniam paruulum nepotem nostrum vestræ ditioni casus fortuitus ad vrbem Rhegium detulit, sicut suggestionem piissimo genitori vestro mandatam verbo direximus, per qui* vos non permittat miseræ sortem orphanitatis incurrere, nec i. per Deū
sine parentibus annos pupillares transigere, sed genitore superstite illam ad iuuentutem, quam senior Princeps desiderat, sub patris blando regimine vos præstet adolescere, & ipso sustentante peruenire maturam iubeat ad ætatem; ac tam diu vobis patris non recedat tuitio, donec vos ipsi feliciter succedatis in Regnum; vt quicquid nos præsentes suggerere vel agere debueramus pro orphano, per vos obtineatur apud piissimum Principem pro pupillo. Nec sentiat alterius miseræ peregrinationis naufragium, quem per interuentum vestrum parentalem redire deprecamur ad portum.

XLIII.

Epistola ad Imperatricem Augustam, de nomine Domnæ.

C

ACCESSIT, Augusta serenissima, Christo protegente mihi tempus optabile, quo prædicator & amator vestri Imperij præcellentissimus filius meus Childebertus Rex illam ætatem pertingeret, quo cum piissimo Imperatore, vestro coniuge causas vtriusque gentis missis Legatariis communi pro felicitate, saluberrimè pertractaret, & quod esset vtilius annis robustioribus, iuxta vota vestra per se (Deo adiuuante) firmius exerceret. Vnde sicut præsentium latores, veneratores vestri, fideles nostri, vobis verbo suggerere poterunt, Deo auxiliante à nobis optantibus aliquid est inceptum, & si donat Christus auxilium, quod prosit veris Catholicis gentibus, bonæ inchoationis accedere optamus effectum. Et quia, Augusta tranquillissima, casu faciente paruuli Nepotis mei didicit peregrinare infantia, & ipsa innocentia annis teneris cœpit esse captiua, rogo per Redemptorem omnium gentium, sic vobis non videatis subtrahi piissimum Theodosium, nec ab amplexu matris dulcis filius separetur; sic vestra lumina semper exhilaret sua præsentia, simul & matris viscera Augusto delectentur de partu: vt iubeatis agere (fauente Christo) qualiter meum recipere merear paruulum, in amplexu vt refrigerentur viscera, quæ de nepotis absentia grauissimo dolore suspirant: vt quæ amisi filiam, vel dulce pignus ex ipsa quod mihi remansit non perdam; & quæ de morte generi crucior, releuer per vos citò nepote redeunte captiuo. Quatenus dum me dolentem, atque illum innocentem respicitis, & de Deo, qui est vniuersalis redemptio, mercedem gloriæ recipiatis absoluto captiuo, &

inter vtramque gentem per hoc (propitiante Christo) caritas multiplicetur, & pacis terminus extendatur. A

XLIV.

Ad Patriarcham Constantinopolitanum, de Domini nomine.

GLORIOSI Apostolatus vestri præcellens opinio quæ sit, loca singula percurrens impleuit, vt etiam ad nos Germaniam peragraret, ita nos compulit deuinctos vestræ fieri gratiæ, vt optemus deuoti vestram Sanctitatem pro nobis supplicibus fiducialiter exorare. Quapropter beatissimæ coronæ vestræ deuotionem nostram sincerissimè commendantes, ac salutatione depensa, vt pro nobis Redemptori gentium supplicare dignemini, multipliciter obsecrantes precamur, per Deum qui vos ad multorum remedium Patrem esse constituit omnium dignitatum; vt quia casu contigit nepotem nostrum paruulum duci in vrbem Rhegium, de matre deceptum *, & ibidem detineri tam peregrinum quàm orfanum, apud piissimum patrem nostrum Augustum de eius absolutione (sicut est vestræ consuetudinis) dignabiliter laboretis: quatenus, dum ipse vobis obtinentibus meruerit patriæ vel parentibus reddi, peregrinationis necessitatibus absolutis, ad liberandum obnoxium facias, quod Christi vicarius: & per hoc inter nos & Romanam Rempublicam sit diuturnæ pacis & quietis fructus, non terminus. B

* f. desertũ.

XLV.

Ad Patriarcham Laurentium, de Domini nomine.

BEATÆ opinionis vbique cursum meritis extendentes, certantes beatum Martyrem æquiparare, sicut nomine, sic mercede, *vt per vos totus hic ille* redeat, cuius adepti estis vocabulum, qui sacrosanctæ Ecclesiæ sic dispersit numismata, vt census effusione per pauperes augmentaret talenta, ad nos vsque bonum tanti operis diuulgante: gratias referimus supernæ clementiæ, quæ vobis illud contulit, quod multis hic est in munere, & vobis singulariter futuræ gloriæ tempore proficiat ad mercedem. Quapropter sancto Apostolatui vestro salutationis officia dependentes, commendatione prælata, & vt nostri in sacris intercessionibus vestris memores esse dignemini, fiducialiter obsecrantes, speramus vt quia diuina clementia ea nos ætate corroborat, vt Catholicæ parti nostræ non desint solatia * iuxta votum Romanæ Reipublicæ vel sacratissimi patris nostri Imperatoris, in Italiam direximus aduersum gentem Langobardorum religioni ac fidei iniquissimæ perfidam. Vestra sollicitudine ad virum præcelsum Smaragdum Rauenna iubete celeriter nuntiare, vt & pars Reipublicæ *, in quo per ipsum valet, solatium armatorum inferre super hostes festinet, & quantum Dominus præceperit, quod potest fieri in præsenti, non moretur. Quod fuerit verò residuum, si Christo placuerit, adueniente anni futuri tempore optamus exercitum in causa dirigere, quatenus manus Domini gentem exsecrabilem vobis exorantibus dignetur elidere, quæ iniuria Sanctorum, & morte suorum fidelium, sanguinis effusione crudelitatis manus armauit. Hoc etiam sperantes, vt ipsi præcelso Smaragdo de nostris Legatariis iubeatis pariter nunciare, vt tam vestra quàm eius ordinatione, quàm celeriter, ad locum destinatum imperialis Vrbis festinent accedere, & ad nos (Christo præsule) quæ opportuna mandata sunt, renuntiantes velociter, si qua restant, pacis studio (diuinitate propitia) communiter explicentur. C

* i. auxilia

* i. res Rom.

XLVI.

Ad Imperatorem, de Domini nomine.

PIISSIMÆ Serenitatis vestræ benignitas nos inuitat ad ea, quæ nobis opportuna credimus, vt fiducia cogente vestris auribus intimemus. Et quoniam

A cognouimus illum famulum vestrum, parentem nostrum, filium Scaptimundi apud vos in vrbe Regia commorari, qua valemus prece deuotissimè supplicamus, per qui vestrum culmen Romanam Rempublicam longa feliciter faciat serie gubernari, & sic desideria tranquillitatis vestræ, de propria parentela vel filiorum vita dignetur implere Maiestas æterna, vt ipsum Tranquillitatis famulum ad nos relaxari pręcipiatis, venturum Diuinitatis intuitu, vel retributionis futuræ prouentu. Quatenus cùm hoc nobis supplicibus dignanter annuetis, exaltetis gloriam vestri nominis & mercedis.

XLVII.

Gogo Grasulfo, de nomine Regis.

REM necessariam, & valde partibus opportunam Celsitudo vestra per Biliulfo parenti vestro innotuit, quam oportet fixo ordine pro resecanda contumacia infestantium celeriter confirmare. Et licèt piissimus Imperator reuerentibus Legatariis nostris sacris principalibus indicauit, legationem suam confestim velle ipsorum è vestigio ad nos dirigere, quam diebus singulis & venturam credimus, & votis ambientibus excipere optamus. Sed quia oportere tractatis vt nulla moræ causa sustineat, adeo in vestro arbitrio hanc rem commisimus finiendã. Vnam eligite de duabus, si vobis munit de parte Reipublicæ certa securitas, vt possitis B necessaria placita fugere, & promissa exoluere, iam de pręsentium certamine pecuniarum summa integra distinetur. His itaque omnibus adimpletis instituite placito, & tentemus pariter Dei iniuriam & sanguinem parentibus nostris Romanis (Christo præsule) vindicare, ita vt in perpetuæ pacis securitatem, vel de reliquis capitulis, vtriusque partibus opportunis intercurrentibus, in posterum terminetur. Ceterùm si in vos vigor Pontificij non consistit, vt iam de præsenti possitis hæc omnia fiducialiter pacisci vel finire, sicut ordo rationabilis exigit, de latere piisimi Imperatoris procedant, cum quibusdam fortis causas, fixis terminibus roborentur: & quatenus hiemale tempus cursum nauium ferat, per vos facilè si fuerit directa Legatio, in finibus nostris transponitur, vbi in ipsorum exceptione (sicut dignum est) præparatur, vt nec inueniendo sit tarditas, & celeriùs inter partes figantur placita opportuna, rogamus, vt tales veniant, quibus sit potestas iuxta illa manu vel sensu, quod dominus Imperator noster Legatariis reddidit in responsis, cuncta pacisci vel finire. Et ne dicatur, quòd pars nostra aliquam dilationem exhibeat, vos nullam moram protendite, & videamus perfecta deliberatione vel securitate de partibus Reipublicæ procedere, parati sumus vobis, cùm contra aduersus insurgere in vindicta, & locum requirimus, & actibus cupimus ostendere, qualiter nos piisimus Imperator se dignanter admittit, in numero recipiat filiorum.

C DESIDERII EPISCOPI CATVRCENSIS EPISTOLAE.

XLVIII.

Domno sanctissimo, atque præ optimis mihi in Christo diligendo, Salustio Præsuli Desiderius vester.

MVLTIPLICES & ineffabiles vestræ Beatitudini pro inquisitionis studio, vel eulogiarum percepta benedictione gratias iure persoluimus: & quamlibet indigni, Domini optamus pietatem, qui nobis citiùs locum tribuat vestræ gratiæ seruiendi. Illud nãque quod zelo zelati estis pro nostra exiguitate, non omittitis solertiam egregij & nobilis pastoris, dum viriliter & vigilanter agere adorti estis. Vtinam etiam in nobis diuina pietas perficere dignaretur! Quia

Epistolæ hæ Desiderij editæ sunt primùm ab Henrico Canisio, Tom. V. Antiq. Lectionum.

ille rectè vigilat, qui aspectu veri luminis, & intimæ contemplationis semper A oculos apertos gerit. Qua de re necesse est, vt mentem semper ad interiora & sublimia suspendamus; ne per torporis negligentiam ad ima trahamur. Igitur de eo, quod sollicitudo vestra sciscitare studuit, vestra Dilectio comperiat, omnes Optimates & Principes, iuxta quód antea cum ipsis habebamus conglutinatam amicitiam, (gratias Christo, qui est bonorum omnium dispensator) satis amabiliter nos receperunt; & nos eos eatenus in Dei nomine retinemus, vt charitas mutua nunquam decidat, sed aucta magis in dies florescat; & cum amico vestro Flauado firmiter & amabiliter in charitate consolidati sumus. De cetero verò satis, & cum plenissimo affectu (vt præfati sumus) pro tantæ inquisitionis vestræ dilectione gratias agimus. Salutamus præterea vestram Almitatem eo affectu, quo vobis non latere non ambigo; & supplex quæso, vt pro meâ extremitate pio Domino digneris exorare. Vale vir Dei, & memento mei.

XLIX.

Domno inlustri, & à nobis peculiarius suscipiendo domino, & in Christo filio, Grimoaldo Maiori Domus Desiderius peccator.

NON ignotum vobis famulum, ac benè cupientem, cupio esse commendatum. Adest enim frater meus Lupus Abba, cuius mentem Agni cupio agminibus interesse. Iste ad vos rediuiuo Desiderio pergit, & postulat se nostris affatibus commendari, quatenus eum vestra industria gloriosi Principis domini Sigeberti Regis obtutibus repræsentet. Age ergo virum egregie mihique patrone, & istum habe (vt suprà petij) per omnia sodalem; quatenus gaudeat se nostris apicibus vestræ Eminentiæ commendatum. Interea salute vberi fusa, precor impensè, vt quod ipse suggesserit, conditiones *Monasterij nostri*, quod nuper in honore sancti Amandi ædificaui, digneris recipere per omnia commendatas. Et talem exinde curam geratis, vt æternam retributionem pro collato beneficio expectetis. Dignamini etiam expectationem nostram de vestra, ac domni Regis salute, patrúmque, vel fratrum vestrorum, reciprocante nos pagina consolari manu propria. Incolumem Excellentiam vestram superna pietas tueatur. B

L.

Domino gloriosissimo, triumphali palmate coronato, sanctæ Catholicæ Ecclesiæ filio, Sigeberto Regi, seruus vester Desiderius Cadurcæ vrbis Episcopus. C

DVM & contigit de præcelso domno nostro genitore vestro, quod nec pietati vestræ tam cito fuerat optabile, vos, reuerentissime Domine, tam de nos seruos vestros, quam & de cunctos fideles integram dignamini habere mercedem. Vt quos genitor vester piè enutriuit, vester rigor æquanimiter portet. Et dum vos Deus omnipotens sua pietate in Regni solio sublimauit, & tantum vobis dedit prudentiæ intellectum; præsumimus commonere Celsitudinem gloriæ vestræ, vt semper protectoris* vestri memoriam intimiore corde retineatis. Semper cogitetis, quid post Regni sceptra futuri estis, & ad qualem remunerationem pro operum qualitate venietis. Nos pro Epistolæ parcitate modicum quid monuimus. Vos taliter in omni opere, in omni causa, in omni iudicio vosmetipsos exhibete, vt quando perfidi Reges cum iniquis damnantur, vos pro bonis operibus æternam remunerationem percipiatis.

*f. progenitoris, *vel*, prædecessoris, *vel*, protectoris nostri.

A

LI.

Domino gloriosißimo, atque piißimo, vbique præcelso sanctæ Ecclesiæ filio, Sigeberto Regi Desiderius seruus seruorum Dei, atque per gratiam eius Cadurcæ vrbis Episcopus.

QVOD vos pia sollicitudine dignati estis litteris consolare, insufficiens est mens nostra gratiarum iura persoluere. Qua de re singulari postulatione credidi deposcendum, vt ea me dignatione iubeatis peculiarius confouere, qua Domini Genetoris vestri circa meam pusillulam, exiguámque personam habita est gratia familiaritatis. Volui quidem sic obtemperare, vt non priùs ad vrbem redirem, donec, si potuisset fieri, vestri culminis præclaram celsitudinem vidissem. Sed quia hoc difficile fuit, ideo nunc latorem præsentium commendare presumo. Per quem officia salutationum digno culmini vestro honore persoluens, quæso, vt petitiones ipsius in effectu positas, me de vestræ excellentiæ incolumitate dignetis facere certiorem.

LII.

B

Domino gloriosißimo, atque piißimo, vbique præferendo, vndique præcelso, sanctæ Ecclesiæ Catholicæ filio, Dagoberto Regi Desiderius seruus seruorum Dei, & vester fidelis.

DVM plerumque pro conditiones Ecclesiasticas me necessitas compellat ad Celsitudinem culminis vestri apices dirigere, ipsa tamen recordatio contubernij, & dulcedo auspicatæ indolis pubertatis monet, vt frequenter, si fieri possit, me exiguum famulum sollertissimis obtutibus vestris præoptem præsentari. Qua de re, salutationis obsequio eo quo decet honore prælato, quæso, vt de conditiones Cadurchæ Ecclesiæ cui (Deo auctore) ex iussu vestro præsedeo, pro quas nunc præsentium latores apicum ad Excellentiam dominationis vestræ festinant, pro diuino respectu vel iustitiæ contemplatione integra mercede studeatis habere, sollertissimo libramine causam trutinate; & qua iustitiam perspicitis ponderare, illuc sententiam declinate. Nec solùm de hac re, sed omni tempore, de omni conditione sententiam Regis iustitia præcedat & veritas. Iudicium quoque misericordia comitetur, propter illud Apostoli: *Iudiciū sine misericordia erit ei, qui non fecerit misericordiam.* Age ergo, præcellentissime Princeps, mi domine Dagoberte, age taliter, vt dum singularem inter homines Regni apicem obtines, ad æterni Regni singularem gloriam sine confusione attingere possis. Me quoque non superfluum iudicetis pro pia commotione, sed amantem mente ames pro salubri exhortatione.

C

LIII.

Domino inlustri, totius Aulæ, immòque Regni Rectori, Grimoaldo Maiori Domus, Desiderius exiguus seruus Dei.

PAGELLARI officio suggero, vt harum portitorem apicum commendatum dignetis recipere, & quæque ore proprio suggesserit effectui iubeatis mancipare. Et quia cupio me vestris animis eo ordine commendare, quo parentum vestrorum affectu sum vnico deuinctus, precor vt illam gratiam genitoris vestri erga me tenere dignetis, quæ me vobis faciat placabilem, & vestram mihi præstet semper optabilem. De condiciunculis etiam Ecclesiæ nostræ, & pauperum suorum singulari mercede studete habere, easque per omnia habete commendatas. Nos quoque in sinu gratiæ vestræ, non vt meremur, sed vt optamus atque confidimus, paterno confouete affectu. Et si de hoc, quod suggessimus, sperata conceditis, simul & de vestra ac Domini Regis, vel fratrum vestrorum incolumitate,

aut quicquid nos ſcire rectè cenſetis, quod in illa regione agitur, reſcripti nos ſerie dignamini certificare. Incolumem vitam veſtram ſuperna pietas tueatur. A

L I V.

Domino ſemper ſuo Modoaldo Papæ, Deſiderius peccator.

SI gratiarum iura beneficiis veſtris recompenſare voluero, non ſapiam. pro illa ſcilicet ſupereminentia bona, quæ anno præſenti erga nos largitas veſtra deſeminare ſtuduit. Pro impenſas videlicet ſuperfluentes, pro itinerantium multimodas neceſſitates. Nec ſolùm famulantium opportuna ſubſidia non pauca miſiſtis, ſed etiam noſmet & expenſis, & muneribus ampliaſtis. Impleſti, beate Pater, largitatis officium, ſuſtinuiſti peregrinationem noſtram, compaſſus es laboribus noſtris, & longè à ſolo patrio poſitos, ita paterno affectu fouiſtis, vt nec regionis vbertatem, nec parentum dulcedinem ex inopia deſiderarem. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in cuius amore id impendiſti, tibi pro noſtra extremitate retributor exiſtat. Nunc igitur famulatus mei iura perſoluens ſupplico, vt quem tunc beneficiis conſolaſtis, nunc orationibus beneficio iuues. Latorem præterea præſentis officij, filium communem, Claudium Abbatem recipite per omnia commendatum; & munuſcula, quæ ex nobis intulerit, grato animo habetote. Cùm ſe de mundo opportunitas contulerit, de veſtra, & Domini Regis, vel fratrum ac B filiorum veſtrorum, mereamur incolumitate reſcripti ſerie conſolari.

L V.

Domno inluſtri, & à nobis peculiariùs ſuſcipiendo domino, & in Chriſto filio, Chlodulfo Deſiderius peccator.

IN ſancti Apoſtoli Pauli dictis ſcriptum habetur: Quòd *vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia.* Iam quantum me hactenus de gratia veſtra dolui contriſtatum, ſuperabundare me de veſtra gratulor charitate. Non enim itineris illius, quo ætate ſum grauata confectus, iam quadam doloris memoria ducor; cùm recolo, quanta erga me dulcedo veſtra eſt pia voluntate diffuſa. Vnde gratulatione maxima præſentem paginam ad Dominationem veſtram deſtinaui, per quam ſalute vberi fuſa, precor Dominum, vt magis magiſque ſuam in vobis tribuat largitatem pietatis, ac bonis faciat ſucceſſibus abundare. Et quia ſcriptum legimus: *Generatio rectorum benedicetur*, tu vir Excellentiſſime benedictiones paternas ſemper memoriæ viuacitate conſerua, & ſi qua ſunt, vel quod monuit, vel quod egit, quaſi ante oculos præſentaneo retine memoratu. Multa enim ſunt de eius geſtis tuis auribus recolenda, quæ ſi geſtis adiicias vitæ huius, & intenta meditatione conſerues: ille orationibus donabit vtique nunc fauorem, quo pro- C babiliter probè polleas, & iſtinc curſu feliciter auſpicato, paternis muneratus præmiis adiungaris. Interea, quanquam neceſſarium eſſe non ducam, latorem præſentis officij multa deuotione commendo, & vbi quod aut iſte dixerit; aut aditum cognoſcitis opportunum, conditiones patroni veſtri beati Stephani, cuius adminiſtrationem gerere videor, habere receptas, & per omnia commendatas, vt ipſi domini rerum, quibus vice noſtri Redemptoris ſeruire videmur, ipſi vobis impendia æterna compenſent, ac ſupplementum ſuæ tribuant largitatis.

L V I.

Domno ſemper ſuo Abboni Papæ, Deſiderius peccator.

DVM lator præſentium apicum, ad obſeruando illo Monaſterio iuſſus accedit, & quia neceſſe eſt veſtro eum patrocinio commendemus; igitur famulatus mei officia perſoluens ſupplico, vt eum ſicut famulum, gratia pietatis veſtræ recipiat commendatum, & de condiciunculis domni Stephani, vndecumque fuerint exortas, adhibete ſollicitudinem. Sicut me de veſtra gratia confidere (vt cre-

A do) nullatenus ignoratis. Non enim à me docendus es, quid in nostris supplimentis, & Ecclesiæ, cui seruimus, vel pauperum eius opportunitatibus præstes, quid vigilando prospicias, quidve experientiæ actionis tribuas. Nosti omnia, omniáque non ambiges, quibus laboribus vrgemur, quibúsque fatigamur ærumnis, hoc solùm cupimus te velle. Nam posse daturus est ille, sub cuius nomine nos præsidio, & fauore teneri gaudemus. Rogamus ergo, vt istum famulum harum optarem frequenter, si possibilitas arrideret, sacris vestris interesse colloquiis, vt sicut nos sub seculi habitu in contubernio serenissimi Flothari Principis mutuis solebamus reuelare * tabellis, ita iam nunc illa ad plenum deposita vanitate, dulcia liceret Christi ruminare præcepta. Sed quia sicut mens anhelat, effectus sequi non præualet; hoc sufficiat dicere, quòd fauore vestræ charitatis non mediocriter sum recreatus. Proinde gratissima effusa salutatione, peroro, vt quem tunc & affatibus bonis, & benigna charitate consolastis, semper in memoriam vestri interni intimum teneatis. Latorem præterea præsentis officij, qua valeo insinuatione, vobis commendo, & precor, vt in omnes conditiones, quas exerit, benignum iubeatis præbere fauorem. & per ipsum, vel quandocumque aditus extiterit, de vestra felicitate mereamur certificari. Vale vir Dei, & memento mei.

* releuare

LVII.

B

Sancto ac præferendo Apostolico patri, Dadoni Papæ, Desiderius seruus seruorum Dei.

DVM plurima tempora elabuntur, quod præsentiam vestram videre nequimus, nunc immensa se gratulatio menti obiecit, dum aliquatenus vel post diutina interualla sese opportunitas præbuit, qua vel pagellari officio me vestris conspectibus præsentarem. Igitur debito obsequio humiliter exhibito, illud peculiariùs peroro, vt quem quondam in ipso flore primææ iuuentutis vnico mihi amore præbuisti, semper concedere digneris illum meum Dadonem. Maneat pristina inter nos atque illum tuum, imo nostrum Eligium inconuulsa charitas, indisiuncta, vt fuit quondam fraternitas. mutuis nos iuuemus precibus, vt quemadmodum in Aula terreni Principis socij fuimus; ita in illo superni Regis cœlesti palatio simul viuere mereamur. Et licèt de nostro collegio duos iam amiserim germanos, habemus pro his venerabilem Paulum, nec minùs prædicabilem meritis Sulpitium. Quisquis igitur nostrûm quantum plus præualet, tanto amplius profectuum gradus conscendere elaboret. Ad hæc autem prædico plus me vestris orationibus, quàm meis viribus attingere posse confido. Tantum est, vt indesinenter vos orare dignetis; & pietas Domini nostri Iesu Christi (credo) præstabit quod rogatis. Vale vir Dei, & memento mei.

C

LVIII.

Domno semper suo Paulo Episcopo Desiderius peccator.

IAM credo ad aures tuas perlatum, qualiter Monasterium construere cœperim, & Basilicam iam (mihi Domino cooperante) consummatam habeam. Proinde rogo, atque inuito Apostolicam dignationem vestram, vt ibidem ad dedicationem interesse dignemini. Et cùm nos ibidem in Dei nomine viderimus, aliquantis simul diebus commorantes, de illa perenni ac desiderabili vita, de qua mutuo suspirare solebamus, familiaria colloquia desidero, vt habeamus. Alios etenim plures Episcopos interesse faciemus, qui nos vel exemplo iuuent, vel hortatu roborent: quorum nos contubernio non mediocriter opinor adiuuari. Veni igitur carissime, quantum longiùs, tantum velociùs: vt post diutinam corporis absentationem tandem refocillemur mutua confabulatione. Aderit, credo, Dominus de se concionantibus, adstabit orantibus. nec nos deseret vnquam qui passus est pro nobis, de sede veniens paterna. Orantem te pro nobis, potentia domini nostri Iesu Christi conseruare dignetur.

A

LIX.

Sancto Patriarchæ Sulpitio, Desiderius seruus seruorum Dei.

CONDECET primæ sedis Antistitem, vt sollers circa eum consacerdotum exhibeatur sollicitudo; vt dum vicissim iura charitatis glutinantur, faciliùs deitatis consortio interesse mereantur. Iuxta illud, quod sacratissimo eximij vatis ore pollicitus: *Ego*, inquit, *inhabitabo in eis, & inter illos ambulabo.* Necnon & Domini dictum: *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, & ego in medio eorum.* Quapropter, Papa beatissime, vestra sit elaboratio, vt pertinacia, quæ plerumque inter fratres serpit, vestro libramine radicitus euellatur. Nam nostri erit studij solatia opportuna præbere. De cetero prece qua valeo supplico, vt quotiens ad exorandam Domini clementiam defixa mente adsistitis, nostri memoriam sacris precibus interseratis. Hæc nimirum facientes, vicem nobis in præsentiarum rependitis. Qui quamuis non, sicut oportet, oramus, orandi tamen instantiam non omittimus. Memento mei, Papa beatissime, & cultoris tui merita orationibus foue.

LX.

B

Domno semper suo Cæsario Episcopo, Desiderius peccator.

DESIDERABILIA nobis gaudia eueniunt, quotiens se aditus præbet, ex quo pusillitatis nostræ literas Almitati vestræ possumus dirigere. Ideóque prælata occursionis obsequia, fraterna charitate monemus, vt causas vnde mutua fuit confabulatio, id est, de id quod ad profectum animæ pertinere noscuntur, toto conatu, omnique adnisu elaboretis adsequere: sicut è contra illa, quæ euidenter saluti animæ obsunt, tota virtute studeatis fugere. Et quia *caritas omnia suffert*, sicut nos videtis de vestra salute sollicitudinem gerere, *ita vos quoque de nostra* exiguitate dignamini sollicitare; ne (quod absit) culpa quælibet nobis latens, vicinis propaletur, & nobis quandoque in obiectionem ponatur. Præterea credo, quod nec vobis lateat, qualem egestatem de aqua, quam fons præbeat in hac Cadurcina ciuitate, habemus. Sed voluntas nobis inest, si posse permittit, vt per tubos ligneos subterraneo officio ad ipsam ciuitatem aquam ducere debeamus. Proinde quia nouimus, quòd peritos ex hoc artifices haberes, precamur, vt compendium de ipsos faciatis, & vnde iubetis nos plenissimè reseruimus *. Agat Apostolica dignatio vestra taliter tam de prælata monitione, quàm & de vltima suggestione, sicut nos in omnibus efficaciter de parte vestra confidimus. Incolumem Pontificatum vestrum diuina pietas custodiat.

*f. seruamus.

LXI.

C

Desiderius Episcopus Aspasiæ Abbatissæ salutem.

LACHRYMIS tuis hactenus motus, hanc tibi historiam de Euangelio egregiæ illius feminæ destinaui. In ipsa quippe diuinam consolationem reperies, & timorem. consolationem quidem, quoniam qui de peccati onere resipiscet, hanc animam pia Domini benignitas non refutat; timorem ideo, quia anima, quæ accedit ad seruitutem Domini, continuo ad tentationes sustinendas se fortiter paret, dicente Salomone: *Fili accedens ad seruitutem Domini, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Gaudium quidem est in tuis lachrymis, & exultatio fit in cœlis, dum ipsa sponte damnas, quod malè sponte contraxeras. Absit enim, ne sicut Eua seducta est per serpentem, ita tu ad rediuiuas miserias cupias reuertere. Ergo compatiatur anima tua dolori meo, vt ego possim vulnere sanato lætificari de bono tuo. Age pœnitentiam, quantum melius potes; & omni custodia serua cor tuum. Confido ego in Domino meo Iesu Christo, quia cito obliterabit omnem maculam tuæ confusionis bona confessio. Vigila assiduè, & ora, vt nullatenus retrorsum respicias. Memento quid veritas dicat: *Nemo*, ait, *ponens manum in aratro, & respiciens retro, aptus est regno cælorum.* Respicere autem retro nihil est

A aliud, quàm pœnitere quemquam, & abiicere quod cœperit bonum, & rursum mundialibus negotiis implicari. Recordare etiam vxoris Loth, quod vtique Dominus specie hactenus per Euangelium pœnitentibus fuisse noscitur protestatus. Ergo in hac historia continetur & magnus pœnitentiæ fructus, & impletum in cœlis gaudium coram Angelis sanctis. Cùm illa, quæ fuerat antè peccatrix, meruit suis lachrymis promereri spem salutis. Oro ergo, & per Dominum Iesum Christum te obtestor, vt non des ampliùs diabolo locum; sed in ieiuniis, & obsecrationibus, & vigiliis te instanter impendas: & quantum sentis te hominum destitutum præsidio, tantum tibi diuinum adesse flagites adiumentum. Iterum ac sæpiùs moneo, vt hæc à te Historia frequentiùs relegatur. Et in tantum pro te insta, vt etiam pro me apud Dominum te credam posse aliquid obtinere.

LXII.

Domno semper suo Felici Præsuli, Desiderius peccator.

ANTE dies aliquot quidam frater litteras vestras nobis exhibuit, plenas doloris & mœstitiæ. Quarum tetra superficies nihil serenum, nihil iucundum, vel ad charitatem pertinens innuebat. Siquidem à summis ad ima vsque molestiæ
B exitiales querimoniæ ibi inerant. Et forsitan mea negligentia, non mea culpa ita confectæ. Non enim reor me hactenus adeo fuisse vestra offensa pulsatum, vt huiusmodi iurgia pontificalia viscera replerent. Et licèt vestræ aures viperea infusione subpletæ serpentis erumperent sibilum, nostra tamen præcordia præcepta Christi meditabantur in arcanum. Et quamuis serpentina astutia iurgiorum propinaret venena; ego tamen vt de vestra essem caritate depulsus, magis mœrendo dolebam. Proinde precor propensiùs, si in me remansit actio culpæ, vestra pia Almitas intercedat, vt sententiæ aduersæ prorsus aduertat. Sin autem sueta me ambiunt accusatione vexare, contuendum censeo, & à vestra censura opto fore cauendum; vt aures vestras viperina venena, ac velut Sirenarum cantu letalis sibilus non infundat. Ego me vestrum non (vt opinor) iniusto iudicio subdo: vos propensa ratione tractate, vt indemnem nequaquam damnare * dicere iubeatis: quapropter salute humillima precor, effusa, vt quia dudum, me quamlibet minorem iudicio, tamen parem esse duxistis; non nos separet virosa & pertinax audacia suadentum, quos pia hactenus & salutifera caritas nectere iussit. Ego itaque ac si supra vires fari queat, iussioni non obsisto; dummodo à vestræ dignationis gratia non auellar. Quod minus vtilis stili exarauit impressio, affatu latoris præsentium est ore commissum. Ipsum diligenter auscultate; & tunc verè cognoscetis, quantum vobis honoris reseruet. Date igitur veniam, date gratiam, date piam affatus copiam; vt qui pro Christi exemplum ante vestra vestigia caput humile subdet, non conculcandum, sed potiùs eleuandum vestra bona pietate se putet. Certè multo
C melius est cùm humilibus in conspectu Dei exaltari, quàm cum superbis humiliari.

*f. damnatũ

LXIII.

Dominis sanctis, & cum summa veneratione memorandis, domnis Episcopis & Abbatibus, necnon & sublimibus atque magnificis viris, Comitibus, Tribunis, Defensoribus, Centenis, & hominibus publica vel Ecclesiastica agentibus, Desiderius seruus seruorum Dei, vrbis Cadurcæ Episcopus.

QVÆSVMVS domni, vt pro nobis orare dignemini, & harum portitorem Vntedium Presbyterum, vna cum puero itineris sui comite, commendatum recipiatis. Quia non, vt multi giroaci *, circumuentiones prætendit, sed pro rationabili peregrinatione Hispaniarum oras petit. Agite itaque vt à nullo inquietetur, neque patiatur iniuriam. Sed magis vestro aditu in antea proficiscatur securus. Propitij recenseatis Domini semper nobis.

*gyrouagi

A

AD DESIDERIVM EPISCOPVM CATVRCENSEM EPISTOLÆ VARIORVM.

LXIV.

Domno semper proprio, atque Apostolica sede colendo, domno Desiderio Cadurcæ vrbis Pontifici, Sulpitius Bitoricæ vrbis Episcopus.

EXCITAVIT animum paruitatis meæ eximia dulcedo Magnitudinis tuæ, vt Pontificalem sacerdotij vestri laudem insignem, vel ex parte tenuem præsumam differere sermonem. Sed vniuersa subito virtus defecit in verbis, quem exsuperauit tantæ materia dictionis: vt rudimenta tantorum anagnosticorum studia animo librante pensarem, ipsius magnitudinis mole victus succubui. Vnde meo saltem voto satisfeci, etsi vestro implere suffragio non valui. Libens tamen, qui aliud nihil Dominationi vestræ prodesse appareo. sed vos semper pietate consueta tanti habetis, inquisitionem nos velle frequenter visitare. Vnde in primis incolumitatem vestram inquirentes, quod optamus potiùs motu corporis, quàm linguæ mutuo sermone complere, dum regionum longinquitas non discrepat aspectum, nisi tantummodo fraudat interiectionis spatium, & ipsum tamen dilectio cernit intuitum, cùm figurat animus recordatum. Ergo nihil perdet absentiam, quod præsentaliter laborabit præsentiam. Semper *in dirigendis* apicibus Beatitudo vestra soluit officium, vt plus debeat *reddendum agminis famulatum*, quàm meritis consideret debitorem. Auctorem cœli præsumimus postulare, vt vestram iubeat prætendere vitam cursibus annorum longæuam dignetur tempore longo, cuius nunc locuples seruatur nomine mundus. Et diu firmantur nutantia culmina rerum, vel dilapsâ magis solidata resurgunt. Istud manu propria fecit à tuis temporibus. vestræ gratiæ seruire merear, mihi peculiaris Domine. B

LXV.

Domino inlustri, & à nobis summa dilectione colendo, atque cum omni reuerentia nominando, domino Desiderio Thesaurario, Bertegyselus Abba. C

LICET libenter ac frequenter nostros missos pro suscitanda incolumitate gloriosi domini Dagoberti Regis debeamus dirigere, his tamen diebus specialiter direximus famulum vestrum Dulcidium Diaconum ad vestram solertiam, vt per vestram instantiam, & de sospitate Domno debeat sollicitare, & de vestra nos incolumitate possit certificare; sicque de ambas partes (vt cupimus) votiua nobis gaudia valeat denuntiare. Et licet placitum cum Philippo Patricio illuc ante ipso domno habemus, pro eo, quòd ministeriales nostros post se retinere videtur; vnde petimus, vt præsens frater per vestro consilio, & efficacissimo adiutorio vos per omnia tuentes & insinuantes, ipsa causa valeat effectum producere. De pueris etiam, quos ad opera Dominica per vestra ordinatione direximus, si aliquid faciunt, quod Domno sit placitum, vestra insinuatione discamus. Annis multis diuina potentia vestram ad ornatum vel consolationem multorum conseruare dignetur, domine semper meus peculiaris patrone.

A

LXVI.

*Domino sancto, & Apostolica sede dignissimo domno & Patri, Desiderio Papæ, Auiulfus * peccator.*

* al. Aiululfus.

VNDE nobis iussistis, & nos Sanctitati vestræ innotuimus, clericum vestrum nomine Druculfo per amicum nos de Spania recepimus, ipsum nunc præsente misso vobis direximus. culpas precamur, vt excusatæ sint, & ipse de cetero emendatus resideat. Domni pietas si ista nobis concedit, grandem nobis fiduciam de sua gratia facit. De cetero quod præsens missus vobis suggerit pro conditiones nostras Domnus obtemperare dignetur, & ad effectum perducat, vt meliùs nobis delectet, quousque audiuimus, vestro semper seruitio inhærere. Salutare quidem non audeo, sed deprecor Sanctitatem vestram, vt pro me humillimum vestrum in sacris orationibus vestris memores esse dignemini.

LXVII.

B

Domno semper nobis proprio, & post Deum peculiari patrono, Desiderio Papæ, Constantius & Dado Episcopi.

SECVNDVM quod per literas vestras insinuastis, & iuxta quod filius vester domnus Godenus mandauerat credimus, quod hesterno ad illo Monasterio venisset. sed dum dabo* odie apud Cariatone & Maurino Comitem videre minimè possumus. Flauianus autem denunciauit, vt quinta feria apud ipsum iungamur. Et quia læsionem nobis inferre cupit, Epistolam Sanctitatis vestræ ad ipsum deposcimus, vt dum nostra fiducia tutamur, vestra auctoritate in omni parte muniamur. Prælata priùs debita salutationis obsequia; rogamus impensè vt pro nostra paruitate exorare dignetis; nósque semper in sinu gratiæ vestræ confouendos retineatis. Annis multis vobis seruire mereamur, beatissime Papa.

* locus corruptus.

LXVIII.

Domino sancto, & Apostolica sede colendo Fratri, Vero Rutenæ Episcopo, Sulpitius peccator.

C

IN quantum vobis vir Apostolicus dominus Desiderius Cadurcæ vrbis Episcopus per litteras suas innotuit, graui iniuria homines sui à Perricio Diacono vestro in parrocia sua Aronnaco pertulerunt. Et audiuimus, quod Kal. Aprilis vobiscum exinde placitum debeat habere. Propterea salutantes Charitati vestræ rogamus, vt taliter aduersus domno Desiderio ordinetis emendari, si cognoscitis, quod superiùs * scripsit Diaconus exinde negligens est, qualiter vestra est prudentia, & si hoc fortasse ipse dicat, obaudire distulerit, & taliter emendatur, qualiter domno Desiderio voluntas est, non aliter fiat, nisi in placito, quod vobis supra scriptus Pontifex denuntiauerit memorato Diacono vestro per fideiussores vna cum indiculo vestro ante paruitatem nostram faciatis dirigere. Interim nos exemplar Epistulæ apud nos retenemus vestræ dulcissimæ Sanctitati, vt in sanctis orationibus vestris nos memores esse dignetis.

* Locus aliter deprauatus.

LXIX.

Domno semper suo atque Apostolico Patri, Desiderio Papæ, Elegius seruus seruorum Dei.

QVOTIENS aditum scribendi gratiæ vestræ reperimus, totiens nobis cumulus gaudij videtur adcrescere. Quapropter salutationis officio illud pro-

pensius præ cunctis conditionibus deposco, vt quotienscunque inter mundanas sollicitudines mens ad statum quietis præualet attingere, memoriam paruitatis nostræ sacris precibus vestris subiungere non omittatis. Quod nequaquam credo, vt nostri obliuio vllatenus apud vos cadat; vt nec vestra apud nos vnquam senescere nouit. Sed non incongruè arbitraui rediuiua commonitione eadem ingerere: cùm nimirum constet, quòd nulla in præsenti seculo causa ita mentem stimulet, quemadmodum vitæ perpetuæ, & beata iustorum patria, desiderij immensitate viscera mentémque sollicitat. Quamobrem vt vnde quisque attentius cogitat, inde frequentius & loqui studeat: proinde mi vnanimes pia viscera Desiderij, memento semper Elegij tui, cùm preces Domino fundes. Et quamuis nos terrarum interpositio longe ab alterutrum separet, nec queat nos subinde corporalis coniunctio sociare; in Christo semper simul versemur. Et ita viuere elaboremus, vt non post longum spatium anima simul & corpore sociemur, sociatique in æternum viuamus. Quod exoratus fideliter ac frequenter præstabit, credo, nobis clementissimus Dominus noster Iesus Christus, cui gloria in æterna secula. Amen. Saluto te supra modum sincerissimo affectu, salutat & Dado fidelis vtrorumque sodalis. A

LXX.

*Domno semper suo, atque Apostolico Præsuli Desiderio Episcopo, Rauracius * peccator.* B

*f. Ruricius.

CVM humillimo salutationis officio, commendo Apostolatui vestro seruulos vestros Nummolum * Presbyterum, & Garimundum, quos ad vrbem vestram, & ad hospitiolum vestrum Gregionaco, siue Abbates descriptionem mancipiorum inquirendo direximus. Supplicamus, vt commendatos ipsos recipere dignetis: & vbi ipsis necessitas extiterit, vestro auxilio in omnibus mereantur habere, vt quod Ecclesiæ vestræ Neruernensi ex *ipso* agro iustissimè *redhibetur*, per eorum inquisitionem, vel vestro solatio perdere non debeamus. Simúlque suggerimus, vt de ipsa Curtecella, vel hominibus inibi consistentibus, sub vestra defensione tanquam propria familia dignetis habere receptos & commendatos; vt de iudicum infestatione, (sicut & immunitas nostra ex hoc continet) liceat eis viuere cum quiete. His obtentis precamur, vt redeuntibus famulis de vestræ felicitatis gaudio literis nos iubeatis lætificari. Orate pro nobis, domine semper peculiaris atque Apostolice Papa.

*f. Mummolum.

LXXI. C

Sancto atque Apostolica sede dignißimo, honorum titulis præferendo domno, & in Christo Patri, Desiderio Papæ Sigebertus Rex.

CVLMINIS vestri paginam deferente venerabili viro Bettore Abbate, vnà cum sanctis eulogiis vestris me cum summo gaudio comperite suscepisse. De id verò scripsistis, vt quàm prosperè nos diuina pietas degere permittebat, vobis insinuare deberemus. Cognoscite, vestra intercedente oratione, prosperè hactenus (Christo præsule) consistimus. Et gentes patriæ, nobis Deo concessæ, pacifico ordine nobis obediunt: gentes etiam barbaræ pacatissimè nobis cohabitant. De conditiones verò vestras, vnde iniunxistis, taliter (Christo adiuuante) ad effectum produximus, vt vestra fuit iniunctio. Proinde cum salutatione deuotissima petimus, vt per nos Domini nostri Iesu Christi misericordiam, vbi iugiter sedulas funditis preces, exorare dignetis, vt sua largiente clementia, & hic pacificè viuere, & ad æternam vitam nos iubeat peruenire.

A

LXXII.

Domno semper suspiciendo, & cum omni honore venerabiliter nominando, domno Desiderio Papæ, Sulpitius peccator.

SINGVLARIBVS mysteriis pastorale competenter implestis officium, eo quòd ad nostram paruitatem sollicitudinis destinantes affectum, dum gaudium, quod nobis ipsius Resurrectionis Dominicæ solemnitatis principale contulit, pastoralis visitatio geminauit. in qua vtræque partes & benedictio in oblationes, & affectio præfulsit in apices. Reddentes ergo munia sospitatis, optamus, vt multiplicatis annorum curriculis, vestris mereamur & elogiis recipi, & affatibus benedici. Annis innumeris vobis seruiam, & prosperis perseuerantibus polle, Beatissime Papa.

LXXIII.

Domino reuerentissimo, palma triumphali decorato, ac Pontificali nomine adornato, præcellentissimo Ecclesiæ speculatori, Desiderio Papæ Paulus peccator.

B

MVLTA sum alacritate repletus, quia ad optatum, desiderabilémque diem à diuina miseratione promerui, mellifluis reciprocis vestris reperire. Quias recensitas immensas creatori nostro egi prærogatiuas, quòd incolumem vos esse cognoui. De id vero quod ibi intimasti, vt de causa inlustris matrisfamiliæ Bobilanæ aliquid agere deberemus, qualiter exinde fecimus, præsentis latores officij vobis ore proprio edicere possunt. Præterea multiplices dominationi vestræ agimus gratias, de eulogiis sanctis, de falerno nobili, vel vasculis decem, quæ nobis tanti habuistis dirigere. Superexcreuit quidem, & superabundauit benedictio largitatis vestræ, adeo vt dum nos vnam falerni amphoram deposcimus, vos eminentia vasa, & (vt vsitatius dicam) tunnas decem elegantissimi falerni tanti habuistis dirigere. Nec solùm sic inopiæ nostræ credidistis sufficere, sed etiam in multis adhuc excellentioribus donariis magnificentiam erga nos vestram studuistis augmentare, dilatare, ac superexcedere. Vnde pius Dominus vobis retributor & hîc & in æternum existat. Nos enim non sufficimus tantas Almitati vestræ referre nec pecunias, nec gratias. Proinde in illum, qui sufficiens est, suprà quàm petimus, aut intelligimus, largiri, in ipsum causam remunerationis vestræ committimus. Nos quoque in sanctis, ac Deo placitis orationibus vestris commendamus, nostram animam in suffragio vestrarum precum committimus. Nos sane, vt valemus, indesinenter pro vos orationi insistimus, vt nos vndique C gratiarum muneribus circumseptum, ad coronam gloriæ iubeat perducere; & nos per vestram intercessionem ad spem salutis, & portum quietis dignetur admittere, vestrique sequipedam permittat existere. Annis multis vobis, peculiaris domine, mereamur seruire.

LXXIIII.

Domno semper suo, Desiderio Papæ, Paulus peccator.

APICES sanctæ Dominationis vestræ redeuntibus fratribus Frodoleno & Ruccone de Mettis accepimus: vbi nobis per singula pietas consueta instruere dignauit. Vnde omnipotenti Domino gratias agimus, quòd vos iuxta nostrum desiderium incolumem cognouimus. De Regis conditione innotescimus, nuper per Viredunum Remos pergit, ibique Natiuitatem Domini expectat. Inde autem Leuduno accedit, & inde in Masao, ac post ripa Reno pergit. Cognoscatis Chainoaldum Episcopum ictuatum etiam fati munus implesse. Ceterùm vt ad vestra beneficia mentis oculos reflectam, nec si lingua clamet ferrea, (vt quidam Poëta ait) aut centena sonent spiramina, nullatenus potest quis tanta nar-

tare Dei magnalia, quantum eius in viscera vestra diffunditur gratia. Nos præcipuè nec factis possumus repensare, nec verbo explicare, quanta ergo me dignatis impendere. Dominum tamen indesinenter oramus, ipse vobis pro nostra paruitate æternus retributor existat, & cœlestia bona in perpetua beatitudine concedat. Oratio me vestra subleuet, beate & venerabilis Papa. A

LXXV.

Domno semper proprio, Desiderio Apostolico Papæ, Abbo peccator.

LITTERAS gratię vestræ tam per anteriores missos, qui cum filio vestro Chedeno venerunt, quàm & qui postea, cum Babone accepi; per quas præcepistis, vt de vestris conditionibus, iuxta quod Deus posse dabat, sollicitudinem gererem. Deo soli sufficit, non latere, quia cum integra fide & promptissima voluntate id adsecutus sum, & ordinationes dominicas inde firmatas sunt, vt de res illas, quas Leua tenebat præsentaliter, Bobila reuestita esse debeat. Nam per vestra gratia non nobis sine labore constauit. Tamen dum scimus, quòd iustitia est, credimus de Dei pietate, quòd sic pro vestro prudentissimo consilio causa gubernetur, vt ad bonum perfectum perueniat. De villa autem Rotouollo (sicut scitis) dominus Dagobertus Rex ipsam pro ampliùs, quàm quingentos solidos in luminaria ad Basilicas Metenses delegauit. Quia scitis, quòd pater Bobilane Agylenus hoc fratri nostro Vero Episcopo vendidit; & postea seruus tam ipsa portione, quàm & illa alia, quæ meorum consortes tenebant, ipse Seuerus redemit, & domino Dagoberto vna cum alia sua facultate deligauit. Vos verò taliter cum domna Babila agite, vt exemplaria, quæ pro filio vestro germano meo Gedeno direxi, firmare debeat. Vos enim & in Palatio Regis, vbi innutriti fuistis, bene cogniti estis. Quia meliùs est aliquid cum eo compartire, quàm solus nihil habere. Annis multis de vestra gratia congaudere, Domne semper meus. B

LXXVI.

Domno clementissimo, palmata triumphatione decorato, Pontificali officio coronato, domno semper meo Desiderio Papæ, Christiq; speculatori, Chanulfus vester.

INPRIMIS quod nobis præcipuum & maximum est, salutare quidem non præsumo, deposco, vt nos Domne in sanctis orationibus vestris Domino Deo commendare dignemini. Deinde supplico Almitati vestræ, vt Dominus noster iubeat, vbi vestrum mereamur impendere occursum. Et quia hoc deuotio nostra desiderat, idémque ordinate, vbi vestram debeamus videre præsentiam. Orate pro nobis, Domine & semper desiderabilis Pater. C

LXXVII.

Domno semper nobis proprio, Apostolico Patri Desiderio Papæ, Constantius peccator.

COGNOSCITE, Domne, nos orationib. vestris incolumes de Palatio remeasse, & Regem modo Magantiæ esse. Et pro quo litteras pręcipuè misimus, precamur obnixè, & tanquam pedibus vestris aduoluti quæsumus, vt si euenit, quod Natiuitatem Domini in territorio Alugense celebrare deliberetis, sic vos merear in Apostolatu videre, vt in ciuitatula vestra Albige ipsa solemnitate in Dei nomen celebrare debeatis. Non me spernere domne, non me despicere, non me renuere, quo minus in tanta solemnitate non per te inlustretur, decoretur, ornetur Ecclesia; & ex tuo sancto ore benedictionem populus accipere mereatur. Interim quæso denunciate nobis, quàm celeriùs vltra Tarne accedere deliberatis; aut vbi possumus (quod sæpè desideramus) vestrã videre præsentiam. Propterea enim de natiuitate Domini de antea vobis suggessi, vt alij me antecedere non possint. Quia multi te desiderãt, sed nemo plus, quàm ego. Pater iterum iterúmq; suggero, & commemorare præsumo, vt non sic faciatis de ista natiuitate Domini, sicut pridem, quando satis in domum vos habere volui, sed peccatis meis obtinere non merui. Annis multis vobis seruire merear Domne Desideri semper suspiciende Pater.

A

LXXVIII.

Domno semper suo Desiderio Papæ, Verus peccator.

IVSSORIVM vestrum accepimus, vna cum exemplari de litteris domni Sulpitij, vbi Domnus innotuit, quòd istum placitum de ista Synodo frater vester domnus Sulpitius alio tempore visus est immutasse. Nos hoc gratiæ vestræ iam innotueramus per seruo vestro Becobeno Diacono, & postea per misso vestro. Sed quia Deo volente Domnus innotuit, quod mea suggestio continebat; nos gratulati sumus, quod de vestra felicitate votiua gaudia meruimus cognoscere. Interea reddimus profusum nostri famulatus officium, supplicantes, vt pro nobis Domini misericordiam exorare dignetis; & sæpiùs nos de vestra iubete felicitate consolare. Quia Deus nouit omnipotens, quòd ea, quæ bona sunt, de vos semper audire & videre optamus. Annis multis vobis seruire merear, Apostolice Pater.

LXXIX.

B *Domno sancto & Apostolico in Christo Patri Desiderio, Siggybertus Rex.*

DVM fabula currente à pluribus & fidelibus nostris cognouimus, quasi vocati ab eodémque Patre nostro Vulfoleudo Episcopo Synodali consilio Kal. Septemb. in Regno nostro: ignoramus in quo loco vna cum reliquos fratres & comprouinciales vestros debeatis coniungere. Licèt nos statuta Canonum, & Ecclesiasticas regulas, sicut parentes nostri in Dei nomen conseruarunt, ita & nos conseruare optamus. Tamen dum ad nostram antea notitiam non fuit perlatum; sic nobiscum nostris Proceribus conuenit, vt sine nostra scientia Synodale consilium in Regno nostro non agatur; nec ad dictas Kal. Septembris, nulla coniunctio sacerdotum ex his qui ad nostram ditionem pertinere noscuntur, non fiatur. Postea verò opportuno tempore si nobis antea denuntiatur, vtrum pro statu Ecclesiastico, an pro Regni vtilitate, siue etiam pro qualibet rationabili conditione conuentio esse decreuerit, non abnuimus. Sic tamen (vt diximus) vt in nostri priùs deferatur cognitionem. Proinde præsentia scripta Sanctitati vestræ destinare curauimus: per quæ petimus, vt pro nos orare dignetis, & ad istam coniunctionem, priusquam nostram cognoscatis voluntatem, penitus accedere non debeatis. & vt certiùs credatis, hunc indiculum manu propria subter subscri-
C psimus. Syggibertus Rex sub.

LXXX.

Domno suo Desiderio Episcopo, Palladius Episcopus.

PRo intuitu fidei, & vnitate sacerdotum, quam Ecclesiarum vbique diffusarum, spero ad pietatem vestram, vt hospitiola, quæcunque in Cadurco Ecclesia nostra videtur habere, hoc est, Bagidone, Pastoriaco, Bassiaco, & Aleuernaco, vobis cum omnem rem, mancipiis, vel terris, aut quidquid iure nostro pertinet, saluo iure Ecclesiæ nostræ, vobis in omnibus commendamus; ita vt ab hodierno die omnes de parte nostra, qui in supradicta vrbe commanent, sint vobis commendati: & quoscunque de nostra præsentia hîc dirigimus, vestra ordinatione (secundum quod decet) in omnibus potiantur. Similiter vbi Chromatia in re Ecclesiæ Bagidone commanet, quia frater suus Deotherius Presbyter actorem Ecclesiæ Sanctonicæ egit, & nunc ipsa Chromatia, quæ ibidem per beneficium precariæ manere videtur, si eam cum omni re sua iubeas defensare; quomodo & Deum mercedem habeas, & nos vobis gratias supplicationis agamus. Et per diem retributionis, & aduentum Domini nostri Iesu Christi adiurans rogo, vt sicut de affectione sanctæ animæ vestræ confidimus, sic integram dignetis adhibere sollicitudinem, vt omnes iuris nostri homines, qui in vrbe vestra commanent, vna

cum antefata Chromatia, piam vestri protectionem in omnibus mereantur promereri. Salutationum itaque iura persoluens, supplico, vt pro mea exiguitate orare dignemini. Et vt certiùs nostra supplicatio habeat effectum, propria manu subter subscripsi. Palladius peccator hunc mandatum meum relegi & subscripsi. A

LXXXI.

Domino inlustri, & à nobis peculiarius suspiciendo, pio Dei cultori, domno Desiderio Optimati, Verus peccator.

ACCEDENTEM filium nostrum Leodoaldum Diaconum, opportunum duximus, vt dominationem vestræ caritatis inquirere deberem; cùm sciamus deuotionem sanctæ animæ vestræ bona semper de parte nostra optare. Præsertim cùm nos vestro præ omnibus patrocinio potiamur. Propterea salutantes Eminentiam vestram, rogamus, vt sicut dum patrocinia vestra elegimus, & hactenus nos defensio protectionis vestræ insigniter muniuit, ita nunc quoque de conditionibus nepotum nostrorum, vnde præfatum vobis suggerere rogamus, talem sollicitudinem atque instantiam adponatis; vnde sicut nos vobis sumus, ita ipsos quoque adquiratis per omnia debitores. Reduce etiam antefato, de vestræ felicitatis Eminentia rescripto reddito nostram sollicitudinem dignamini releuare. B Dominus noster Iesus Christus custodiat corpus & animam vestram in diem examini sui, Amen.

LXXXII.

Domno semper suo, & Apostolico Patri Desiderio Papæ Gallus peccator.

DVM talis nuntius de clade à Massilia venit, quod *omnem penè prouinciam* depopulans vastet, Dominus ordinet custodias mittere, & nullus de Cadurcino ad istas ferias in Rutenico, vel vicinas vrbes non præsumat exire. ne (quod absit) per quamlibet occasionem tantum malum in vrbem vestram videatur inferre. Nam per ista contigua illis partibus loca custodiæ positæ sunt, vt nullus emendi aut vendendi aditum penitus habeat; si non sollicitè cogitabitis præuidere, periculum mortis instat. Præterea debita veneratione salutem mittens, quæso, vt in sanctis precibus vestris paruitatem nostram memorare dignimini, Domne, veriùs Pater.

LXXXIII.

Domno semper præferendo, & cum omni veneratione nominando, beatissimo Patri Desiderio Papæ, Felix peccator. C

PRAVORVM adulantium concione percepta, ante hoc ferme biennium, feor misisse Epistulam, quæ serenissimam mentem vestram ac siquidem turbo pertransiens, nube obtexit, & licet non eo sensu fuerit edita, quo Dominus censuit interpretandum, me tamen pœnitet incautè, & minus inculto sensu vel impolito sermone stilum exarasse, vnde offensam sanctæ animæ vestræ potueram incurrere; nisi vestra bonitas causam admodiasset. Pœnitet (inquam) me, & ter quaterque pœnitens, his excessibus veniam posco. Postulo autem indulgentiam, quam tuis beneficiis, non meis meritis adipisci confido. Quam mihi gratiam ita nunc præstare dignabitis, vt nunquam me deinceps à sinu gratiæ vestræ, vel à clementissimo pietatis amplexu excludere, vel reiicere digneris. Inter hæc debita salutationis obsequia persoluens, illud peculiarius à Sanctitate vestra peroro, vt omnibus maculis explosis in sacrosanctis precibus vestris nostri memoriam admiscere dignemini, Domne veriùs & semper suscipiende Papa.

EXPLICIVNT.

A

S. GREGORII MAGNI PAPÆ PRIMI EPISTOLAE.

Ad Reges Francorum, Reginas, Patricios, Episcopos, & alios illustres in Gallia viros.

B

EPISTOLA I.

GREGORIVS DINAMIO PATRICIO GALLIARVM.

Crucem transmittit, in qua de craticula sancti Laurentij reliquiæ continebantur.

MONSTRAT quàm bene dispenset propria, qui fideliter administrat aliena. Lib. II. Epi. xxxiii Quod vestra nobis gloria ostendit, quæ perenni muneri intenta, beato Petro Apostolorum Principi suorum redditūum fructus intulit. Cui dum sua fideliter impenditis, hæc apud eum vestra munera fecistis. Sic quippe agere huius terræ gloriosos de æterna gloria cogitantes decet, vt in eo quod temporaliter præualent, mercedem sibi non temporalem parent. Proinde debitum salutationis alloquium persoluentes, omnipotentem Dominum deprecamur, vt vitam vestram & bonis præsentibus repleat, & ad sublimia gaudia æternitatis extendat. Suscepimus namque per Hilarium nostrũ filium de præfatis Ecclesiæ nostræ redditibus Gallicanos solidos quadringentos. Transmisimus autem beati Petri Apostoli benedictionem, crucem paruulam, cui de catenis eius beneficia sunt inserta. Quæ illius quidem ad tempus ligauerunt, sed vestra colla in perpetuum à peccatis soluant. Per quatuor verò in circuitu partes de C beati Laurentij craticula, in qua perustus est, beneficia continentur: vt hoc, vbi corpus illius pro veritate crematum est, vestram mentem ad amorem Domini accendat.

EPISTOLA II.

GREGORIVS VIRGILIO EPISCOPO ARELATENSI.

De vsu pallij, & de sacris Ordinibus per venalitatem non dandis, & de Simoniaca hæresi condemnanda, & de Neophytis ad sacros Ordines non promouendis.

O QVAM bona est charitas, quæ absentia per imaginem præsentia sibimetipsis exhibet per amorem, diuisa vnit, confusa ordinat, inæqualia sociat, Lib. IV. Epist. 1. imperfecta consummat. Quàm rectè prædicator egregius vinculum perfectionis vocat, quia virtutes quidem ceteræ perfectionem generant, sed tamen eas charitas etiam ligat, vt ab amantis mente dissolui iam nequeant. Hac itaque vir-

tute, frater chariſſime, plenum te eſſe reperio, ſicut mihi de te, & hi qui ex Gallicanis partibus veniunt, & Epiſtolæ tuæ ad me directæ verba teſtantur. Quòd verò in eis iuxta antiquum morem vſum pallij, ac vices Sedis Apoſtolicæ poſtulaſti, abſit, ne aut tranſitoriæ poteſtatis culmen, aut exterioris cultus ornamentum in vicibus noſtris ac pallio quæſiſſe te ſuſpicer. Sed quia cunctis liquet, vnde in Galliarum regionibus fides ſancta prodierit, cùm priſcam conſuetudinem Sedis Apoſtolicę fraternitas veſtra reperit: quid aliud quàm bona ſoboles ad ſinum matris Eccleſiæ recurrit? Libenti ergo animo poſtulata concedimus, ne aut vobis quidquam de debito honore ſubtrahere, aut præcellentiſſimi filij noſtri Childeberti Regis petitionem contempſiſſe videamur. Sed iam nunc ſtudio maiori res indiget, vt cùm honor creſcit, etiam ſolicitudo proficiat, & erga ceterorum cuſtodiam vigilantia excreſcat, vitæ quoque merita ſubiectis in exemplum veniant, & numquam ſua per ſuſcepti honoris gratiam, ſed lucra cœleſtis patriæ veſtra fraternitas exquirat. Noſtis enim quid beatus Apoſtolus gemens dicat: *Omnes enim quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ ſunt Chriſti Ieſu.* Quibuſdam namque narrantibus agnoui, quòd in Galliarum vel Germaniæ partibus nullus ad ſacrum ordinem ſine commodi datione perueniat. Quod ſi ita eſt, flens dico, gemens denuncio, quia cùm Sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu ſtare non poterit. Scimus quippe ex Euangelio quid Redemptor noſter per ſemetipſum fecerit, quia ingreſſus templum, cathedras vendentium columbas euertit. Columbas enim vendere, eſt de Spiritu ſancto, quem Deus omnipotens conſubſtantialem ſibi per impoſitionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, vt prædixi, malo iam innuitur quid ſequatur. Quia qui in templo Dei columbas vendere præſumpſerunt, eorum Deo iudice cathedræ ceciderunt. qui videlicet error in ſubditis cum augmento propagatur. Nam ipſe quoque, qui pretio ad ſacrum ordinem perducitur, iam in ipſa prouectus ſui radice viciatus paratior eſt aliis venundare quod emit. Et vbi eſt quod ſcriptum eſt: *Gratis accepiſtis, gratis date?* Et cùm prima Simoniaca hæreſis ſit contra ſanctam Eccleſiam exorta, cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum quem quis cum pretio ordinat, prouehendo agit, vt hæreticus fiat? Alia quoque nobis res eſt valde deteſtabilis nunciata, quòd quidam ex laico habitu per appetitum gloriæ temporalis defunctis Epiſcopis tonſurantur, & fiunt ſubito Sacerdotes. Qua in re iam notum eſt, qualis ad Sacerdotium venit, qui repente de laico habitu ad ſacrum tranſit ducatum. Et qui miles numquam extitit, dux religioſorum fieri non pertimeſcit. Quam iſte prædicationem habiturus eſt, qui fortaſſe nunquam audiuit alienam? Aut quando aliena mala corrigat, qui necdum ſua fleuit? Et cùm ad ſacros ordines Paulus Apoſtolus neophytum venire prohibeat, ſciendum nobis eſt, quia ſicut neophytus tunc vocabatur, qui adhuc nouiter erat eruditione plantatus in fide: ita nunc inter neophytos deputamus, qui adhuc nouus eſt in conuerſatione. Scimus autem, quòd ædificati parietes non priùs tignorum pondus accipiunt, niſi nouitatis ſuæ humore ſiccentur, ne ſi ante pondera quàm ſolidantur accipiant, cunctam ſimul fabricam ad terram deponant. Et cùm ad ædificium arbuſta ſuccidimus, vt priùs viriditatis humor exſiccari debeat, expectamus: ne ſi eis adhuc recentibus fabricæ pondus imponitur, ex ipſa nouitate curuentur, & confracta citius corruant, quæ immaturè in altum leuata videbantur. Cur ergo hoc non ſubtiliter in hominibus cuſtoditur, quod in lignis quoque ac lapidibus tanta conſideratione perpenditur? Qua de re neceſſe eſt, vt veſtra fraternitas præcellentiſſimum filium noſtrum CHILDEBERTVM Regem admonere ſtudeat, vt huius peccati maculam Regno ſuo funditus repellat: quatenus omnipotens Deus tanto illi apud ſe maiora retribuat, quanto eum conſpicit & amare quod ipſe diligit, & vitare quod odit. Itaque fraternitati veſtræ vices noſtras in Eccleſiis, quæ ſub Regno ſunt præcellentiſſimi filij noſtri Childeberti, iuxta antiquum morem Deo auctore committimus. Singulis ſiquidem metropolitis ſecũdum priſcam conſuetudinem proprio honore ſeruato, pallium quoque tranſmiſimus, quo fraternitas tua intra Eccleſiam ad ſola Miſſarum ſolemnia vtatur. Sicubi autem longiùs Epiſcoporum quiſquam pergere fortè voluerit, ſine tuæ ſanctitatis auctoritate ei ad loca alia tranſire non liceat. Si qua verò inquiſitio de fide, vel fortaſſe aliarum rerum

A inter Episcopos causa emerserit, quæ discerni difficiliùs possit, collectis duodecim Episcopis ventiletur atque decidatur. Si autem decidi nequiuerit, discussa veritate ad nostrum iudicium referatur. Omnipotens autem Deus sua vos protectione custodiat, honorémque perceptum vos in moribus seruare concedat. Dat. die VI. Iunij. Indict. XIII.

EPISTOLA III.

GREGORIVS VNIVERSIS EPISCOPIS GALLIARVM, qui sub Regno Childeberti sunt.

De Virgilio eis prælato, vices Sedis Apostolicæ gerat, & de Synodo.

AD hoc dispensationis diuinæ prouisio gradus diuersos & ordines constituit esse distinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordiæ fieret ex diuersitate contextio, & rectè officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim vniuersitas alia poterat ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentiæ ordo seruaret. Quia verò quæque creatura in vna eadémque qualitate gu- Epist. III.
B bernari, vel viuere non potest, cœlestium militiarum exemplar nos instruit: quia dum sunt Angeli, & sunt Archangeli: liquet, quòd non sunt æquales, sed in potestate & ordine, sicut nostis, differt alter ab altero. Si ergo inter hos, qui sine peccato sunt, ista constat esse distinctio: quis hominum abnuat huic se libenter dispositioni submittere, cui nouit etiam Angelos obedire? Hinc etenim pax & charitas mutua se vice complectuntur, & manet firma concordiæ in alterna, & Deo placita dilectione sinceritas. Quia igitur vnumquodque tunc salubriter completur officium, cùm fuerit vnus ad quem possit recurri Præpositus: idcirco opportunum esse perspeximus, in Ecclesiis, quæ sub Regno præcellentissimi filij nostri Childeberti Regis sunt, secundum antiquam consuetudinem fratri nostro Virgilio Arelatensis ciuitatis Episcopo vices nostras tribuere: quatenus & Catholicæ fidei integritas, id est, sanctorum quatuor Synodorum, Deo protegente, sollicita deuotione seruetur: & si inter fratres, consacerdotésque nostros aliqua euenerit forte contentio, auctoritatis suæ vigore, vicibus nempe Sedis Apostolicæ functus discreta moderatione compescat. Cui etiam iniunximus, vt si quarumdam causarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præsentia opus sit, congregatis sibi in numero competenti fratribus & Coepiscopis nostris, salubriter hoc seruata æquitate discutiat, & canonica integritate definiat. Si quam verò
C contentionem, quod longè faciat diuina potentia, de fidei causa euenire contigerit, aut negotium emerserit, cuius vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine iudicio Sedis Apostolicæ indigeat: examinata diligentiùs veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem: quatenus à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari. Et quoniam necesse est vt ad eum, cui nostras vices iniunximus, quotiens oportere perspexerit, pro facienda collatione aptis debeant Episcopi temporibus conuenire: hortamur vt nullus mandatis eius inobediens esse præsumat, nec communi congregationi interesse postponat, nisi corporis infirmitas quempiam fortasse vetuerit, aut cuiusdam eum causæ iusta excusatio minimè venire permiserit. Hi tamen qui prohibente aliqua necessitate nequeunt in Synodum conuenire, loco suo Presbyterum aut Diaconum dirigant: quatenus quæ à nostro Vicario, Deo auxiliante, fuerint definita, ad eum qui absens est, per ipsum quem miserit fida relatione perueniant, vt inconcussa firmitate seruentur, & nullius ea quæ constituerit, audeat occasionis excusatio violare. Hoc etiam vos pariter præuidimus admonendos, vt nullus vestrum ad longinquiora loca sine præfati fratris, & Coepiscopi nostri Virgilij auctoritate tentet aliquo modo proficisci: scientes, quia & prædecessorum nostrorum, qui vices suas eius prædecessoribus commiserunt, sic proculdubio mandata definiunt. Hortamur præterea, vt de officio suo sit quisque vestrûm sollicitus, vt qui promissam cupit mercedem pastionis accipere,

commissum sibi gregem solicitudine, & oratione custodiat, ne lupus insidians oues creditas inuadendo dilaniet, & fit in retributione pœna pro munere. Optamus igitur fratres charissimi, & totis omnipotentem Dominum precibus exoramus, vt dilectionem vestram in amoris sui constantia faciat magis magisque feruescere, atque in pace Ecclesiæ manere, & in vna vos concedat magnopere retineri concordia. Nunciatum verò nobis est, quòd per Simoniacam hæresim ad sacros quidam ordines adducantur, & hoc supra scripto fratri & Coepiscopo nostro Virgilio per omnia prohibendum mandauimus. Quod vt vestra fraternitas recognoscat, & studiosè custodiat, & ipsa coram vobis est Epistola relegenda. Dat. die XI. mensis Augusti, Indict. XIII.

EPISTOLA IV.

GREGORIVS CHILDEBERTO REGI FRANCORVM.

Ne laici statim ad Episcopatum eligantur, & ne precio dignitates Ecclesiæ conferantur, de aliisque quàm plurimis in Regno eius emendandis.

Epist. IIII. LÆTOS nos excellentiæ vestræ vehemẽter fecit Epistola, quæ pia vos affectione de honore & reuerentia Sacerdotali testatur esse sollicitos. Hinc etenim cunctis ostenditis fideles Dei vos esse cultores, dum Sacerdotes ipsius grata ac debita veneratione diligitis, & Christiana deuotione quidquid ad eorum augmẽtum pertinet, agere festinatis. Vnde & gratanter ea, quæ scripsistis accepimus, & quæ voluistis animo libenti concessimus: atque ideo fratri nostro Virgilio Arelatensis ciuitatis Episcopo, vices nostras iuxta antiquum morem, & excellentiæ vestræ desiderium, Deo fauente cõmisimus: cui etiam & pallij vsum, sicut prisca habuit consuetudo, concessimus. Sed quia aliqua ad nos perlata sunt, quæ & omnipotentem Deum nimis offendunt, & quamplurimum Sacerdotij honorem, reuerentiámque confundunt, quæsumus, vt potestatis vestræ annuente censura, modis omnibus emendentur; ne dum laudandæ deuotioni vestræ res temerariæ ac peruersę repugnant: aliorum quod absit, culpa aut Regnum vestrum grauetur, aut anima. Peruenit autem ad nos, obeuntibus Episcopis quosdam ex laicis tõsurari, atque ad Episcopatum præcipiti saltu conscendere. Et qui discipulus non fuit, inconsiderata ambitione magister efficitur. Et quoniam non possit dicere, non didicit, Sacerdotium tantũmodo gerit in nomine. nam laicus in sermone pristino perseuerat, & opere. Quomodo ergo pro aliorum peccatis intercessurus est, qui sua primitus non defleuit? Talis enim pastor non munit gregem, sed decipit: quia dum cõtradicente verecundia non potest aliis hoc quod ipse non facit suadere, quid est aliud nisi vt plebs Dominica prædonibus populanda remaneat, & inde sumat interitũ, vnde salutiferæ protectionis magnum debuit habere subsidium? Quod quàm prauum sit, quámve peruersum, ex sua quoque ordinatione excellẽtię vestrę celsitudo perpendat. Certum namq; est, non vos ante exercitui Ducem præponere, nisi vobis labor eius fidésque probata constiterit, nisi eum anteactæ vitæ virtus, & solicitudo aptum esse monstrauerit. Si verò non aliis, nisi huiusmodi viris committitur gubernandus exercitus, qualis dux esse debeat animarum ex istius rei consideratione seu comparatione benè colligitur. Sed verecundum nobis est, & dicere pudet, quia ducatum sibi Sacerdotes arripiunt, qui exordium religiosæ militiæ non viderũt. Simul autem & illud valde execrandum nobis est nunciatum, quòd sacri ordines per Simoniacam hæresim, id est, accepto præmio conferuntur. Et quia pestiferum nimis est, & sanctæ Ecclesiæ vniuersali contrarium, in sacrum quempiam ordinem, non meritis, sed pretio collocari: Hortamur, vt tam destabile facinus de Regno suo excellentia vestra prohiberi præcipiat. Nam ipse se ad hoc officium ostẽdit prorsus indignũ, qui donum Dei pecunia mercari non metuit, & cõmodis præsumit appetere, quod habere per gratiã non meretur. Hæc igitur, præcellentissime fili, idcirco admoneo, quia animam vestrã saluari desidero. Quę etiam dudum scribere volui, si voluntatẽ meam innumeræ occupationes minimè præpedissent. At postquã se cõgruũ rescribẽdi tẽpus ingessit, quod facere me oportuit, non omisi. Salutãtes itaque excellentiã vestrã, paternæ charitatis affectu petimus, vt cuncta quæ supra scripto fratri, & Coepiscopo nostro fieri, seruariq; mãdauimus, fauoris vestri præsidio compleantur, ne cuiusquam ea aliquo modo elatione aut superbia cõuelli permittatis.

A Sed sicut per prædecessores eius singulos sub gloriosi patris vestri regno seruata sunt, ita quoque auxilio nostro solicita omnino deuotione seruentur. Oportet ergo, vt hoc nobis vicarie rependatur, & sicut nos vestram implere non distulimus voluntatem, ita & vos propter Deum, & B. Petrum Apostolorum Principem nostra faciatis in omnibus seruari statuta: quatenus excellentiæ vestræ laudabilis, & Deo placita se circumquaque tendat opinio. Dat. die XII. Mensis Augusti, Indict. XIII.

EPISTOLA V.

GREGORIVS BRVNICHILDI REGINÆ FRANCORVM,

Candidum Presbyterum Rectorem patrimonij, quod erat in Gallia, commendat. Epist. v.

EXCELLENTIÆ vestræ prædicandam ac Deo placitam bonitatem, & gubernacula Regni testantur, & educatio filij manifestat. Cui non solùm incolumem rerum temporalium gloriam prouida solicitudine conseruastis, verùm etiam æternæ vitæ præmia prouidistis, dum mentem ipsius in radice veræ fidei materna, vt decuit, & laudabili institutione plantastis. Vnde non immerito
B contigit, vt cuncta gentium regna præcelleret: quippe qui earumdem gentium creatorem & purè colit, & veraciter confitetur. Sed vt laudabilius in eo fides cum operibus enitescat, adhortationis vestræ eum verba succendant: quatenus sicut sublimem illum inter homines potentia regalis ostendit, ita ante Deum magnum faciat pietas actionis. Quia verò multarum rerum experimenta nos admonent de excellentiæ vestræ Christianitate confidere: idcirco paterno salutantes affectu, quæsumus, vt propter amorem beati Petri Apostolorum Principis, quem toto vos scimus corde diligere, dilectissimum filium nostrum Candidum Presbyterum præsentium portitorem, vna cum patrimoniolo, ad cuius eum gubernationem transmisimus, auxilij vestri patrocinio foueatis: quatenus potestatis vestræ gratia roboratus, patrimoniolum, quod pauperum constat expensis proficere, & salubriter regere, & si qua exinde ablata sunt, vestro fultus auxilio diligenter inquirere, & Deo propitio in pristinum possit reformare statum. Ad ipsius verò patrimonioli regimen proprius Ecclesiæ homo transmissus est. Excellentia ergo vestra ita se libenter in his quæ poscimus dignetur impendere, vt beatus Petrus Apostolorum Princeps, cui à Domino Iesu Christo ligandi, ac soluendi data est potestas, & hic excellentiam vestram in sobole gaudere concedat, & post multorum annorum curricula à malis omnibus absolutam, ante conspectum æterni faciat iudicis inueniri.

EPISTOLA VI.

C GREGORIVS CHILDEBERTO REGI FRANCORVM.

Illum ob fidei Catholicæ pietatem laudat; & Candidum Presbyterum commendat.

QVANTO ceteros homines Regia dignitas antecedit, tanto ceterarum gentium Regna Regni vestri profectò culmen excellit. Epist. vi. Esse autem Regem, quia sunt & alij, non mirum est: sed esse Catholicum, quod alij non merentur, hoc satis est. Sicut enim magnæ lampadis splendor in tetræ noctis obscuritate, luminis sui claritate fulgescit: ita fidei vestræ claritas inter aliarum gentium obscuram perfidiam rutilat ac coruscat. Quidquid autem Reges se ceteri gloriantur habere, habetis. Sed ipsi in hac re vehementiùs superantur, quoniam hoc principale bonum non habent, quod habetis. Vt ergo sicut fide, ita & actione vincatur, benignam se excellentia vestra suis subiectis semper exhibeat. Et si quæ sunt quæ eius animum offendere valeant, ea indiscussa non sinat. Tunc enim verè Regi regum, id est, omnipotenti Domino ampliùs placebit, si potestatem suam restringens minus sibi crediderit licere quàm potest. Quia igitur sinceritatem fidei & mente seruatis & opere, beati Petri Apostolorum Principis

amore, qui in vobis est, euidenter ostendit, cuius res, Christianæ Religionis intuitu, sub vestri culminis potestate bene hactenus gubernatæ, & conseruatæ sunt. Sed quoniam Dinamius Patricius, qui ex nostra commendatione rebus ipsis solicitudinem impendebat, eas modò gubernare, vt cognouimus, non potest: ne patrimoniolum ibidem constitutum faciente negligentia deperiret, idcirco præsentium portitorem dilectissimum filium nostrum Candidum Presbyterum ad id gubernandum transmisimus, quem excellentiæ vestræ, præmisso paterna charitate salutationis alloquio, in omnibus commendamus: petentes vt si aliquod illic fortasse præiudicium factum est, aut res eiusdem patrimonioli ab aliquo detinentur, potestatis vestræ iustitia corrigatur, & iuri pristino quæ ablata sunt reformentur: quatenus sicut fides vestra, ita & æquitas omnibus, quod est valde gloriosum atque laudabile, gentibus enitescat. Claues præterea S. Petri, in quibus de vinculis catenarum eius inclusum est, excellentiæ vestræ direximus, quæ collo suspensæ à malis vos omnibus tueantur. A

EPISTOLA VII.

GREGORIVS CANDIDO PRESBYTERO EVNTI ad Patrimonium Galliæ.

B

Patrimonium sancti Petri commendat in Gallia, ex quo pueros Anglos emat, & vestimenta pauperum.

Epist. x. PERGENS auxiliante Domino Deo nostro Iesu Christo ad patrimonium, quod est in Galliis, gubernandum, volumus vt dilectio tua ex solidis quos acceperit, vestimenta pauperum, vel pueros Anglos, qui sunt ab annis decem & septem vel decem & octo, vt in Monasteriis dati Deo proficiant, comparet, quatenus solidi Galliarum, qui in terra nostra expendi *non possunt, apud locum* proprium vtiliter expendantur. Si quid verò de pecuniis redditũum quæ dicuntur ablatæ, recipere potueris: ex his quoque vestimenta pauperum comparare te volumus: vel, sicut præfati sumus, pueros qui in omnipotentis Dei seruitio proficiant. Sed quia Pagani sunt qui illic inueniri possunt: volo, vt cum eis Presbyter transmittatur, ne quid ægritudinis contingat in via, vt quos morituros conspexerit, debeat baptizare. Ita igitur tua dilectio faciat, vt hæc diligenter implere festinet.

EPISTOLA VIII.

GREGORIVS PALLADIO EPISCOPO DE SANTONIBVS. C

De reliquiis Apostolorum Petri & Pauli suscipiendis.

Epist. x. VENIENS lator præsentium Leuparicus Presbyter vester insinuauit nobis fraternitatem vestram Ecclesiam in honore beati Petri & Pauli Apostolorum, nec non Laurentij atque Pancratij Martyrum construxisse, atque illic tredecim altaria collocasse, ex quibus quatuor nec dum dedicata comperimus remansisse, ob hoc quòd supra scriptorum sanctorum reliquias illic collocare Deo annuente disponitis. Et quia reliquias sanctorum Petri & Pauli, nec non Laurentij, atque Pancratij Martyrum cum veneratione præbuimus: hortamur, vt eas cum reuerentia suscipere & collocare, auxiliante Domino, debeatis: prouisuri ante omnia, vt seruientibus ibidem non debeant alimoniarum deesse suffragia.

A

EPISTOLA IX.

GREGORIVS BRVNICHILDÆ REGINÆ FRANCORVM.

De reliquiis Apostolorum Petri & Pauli collocandis.

EPISTOLARVM vestrarum series, quæ religiosum animum, & piæ mentis studium continebat, non solùm voluntatis vestræ fecit nos laudare propositum, sed etiam libenter inuitauit postulata concedere. Nec enim nos negare decuit, quod Christiana deuotio, & recti cordis desiderium flagitabat: præsertim dum illa postulari, & tota amplecti mente cognouimus, quæ & credentium fidem valde protegere, & animarum salutem operari nihilominus potuerunt ac seruare. Atque ideo congruo honore vestram excellentiam salutantes, indicamus latori præsentium Leuparico, quem vos esse Presbyterum scripsistis, per quem eloquia vestrarum suscepimus litterarum, reliquias nos beatorum Apostolorum Petri & Pauli, iuxta excellentiæ vestræ petitionem cum ea veneratione, qua dignum est, præbuisse. Sed vt in vobis magis magisque laudabilis, & religiosa possit clarere deuotio, prouidendum vobis est, vt sanctorum beneficia cum reuerentia B & debito honore conatur, & seruientes nullis ibidem oneribus, nullisque molestiis affligantur: ne forsitan necessitate exterius imminente in Dei seruitio inutiles segnésque reddantur, & iniuriam, quod absit, neglectúmque beneficia Sanctorum collocata sustineant. Quieti ergo eorum excellentia vestra prospiciat: quatenus dum vestro beneficio liberi & ab omni fuerint inquietudine custoditi, & illi Deo nostro secura mente laudes exoluant, & vobis in æterna vita merces accrescat. Epist. 11.

EPISTOLA X.

GREGORIVS PALLADIO EPISCOPO DE SANTONIBVS, Pelagio de Turonis, & Sereno de Massilia, Episcopis Galliarum aparibus.

Commendat Augustinum quem in Angliam miserat.

LICET apud Sacerdotes habentes Deo placitam charitatem, religiosi viri nullius commendationis indigeant: quia tamen aptum scribendi tempus ingessit fraternitati vestræ nostra mittere scripta curauimus, insinuantes latorem præsentium Augustinum seruum Dei, de cuius certi sumus studio, cum aliis seruis Dei illuc nos pro vtilitate animarum, auxiliante Domino, direxisse. Quem necesse est, vt sacerdotali studio sanctitas vestra adiuuare, & sua ei solatia præbere festinet. Cui etiam vt promptiores ad suffragandum possitis existere, causam vobis iniunximus subtiliter indicare, scientes quòd ea cognita, tota vos propter Deum deuotione ad solatiandum, quia res exigit, commodetis. Candidum præterea Presbyterum communem filium, quem ad gubernationem patrimoniali Ecclesiæ nostræ transmisimus, charitati vestræ in omnibus commendamus. Epist. LIII.

(C in margin beside "sentium Augustinum")

EPISTOLA XI.

GREGORIVS VIRGILIO EPISCOPO ARELATENSI, Metropolitano Galliæ.

Augustinum commendat, quem in Angliam propagandi Euangelij causâ transmiserat.

QVAMVIS fraternitatem vestram bonis esse intentam operibus, & sponte se exhibere in causis Deo placitis confidamus: veruntamen vtile esse fraterna vos alloqui charitate credidimus, vt solatia, quæ vos vltra decet impendere, nostris quoque prouocati Epistolis augeatis. Atque ideo indicamus sanctitati vestræ, Augustinum seruum Dei præsentium portitorem, cuius zelus & studium Epist. LIII.

bene est nobis cognitum, cum aliis seruis Dei pro animarum nos illuc compendio transmisisse, sicut ipse vobis coram positus poterit indicare. In qua re oratione vos eum & auxiliis adiuuare necesse est, atque vbi opus exegerit, solatiorum vestrorum ei præbere suffragia, & paterna ac sacerdotali illum consolatione, sicut conuenit, refouere: quatenus dum sanctitatis vestræ fuerit solamina consecutus, si quid Deo nostro lucrifacere, sicut optamus, valuerit, & vos possitis pariter mercedem acquirere, qui ad bona opera suffragij vestri deuotè copiam ministratis. Candidum autem Presbyterum, communem filium, & patrimoniolum Ecclesiæ nostræ fraternitas vestra, quippe vt vnanimis nobis, studeat habere commendatum, vt aliquid inde pauperum alimoniis sanctitate vestra valeat adiuuante proficere. Quia igitur patrimoniolum ipsum per annos plurimos prædecessor vester tenuit, & collectas apud se pensiones seruauit: fraternitas vestra cuius sint res, vel cui erogentur consideret, atque eas animæ suæ respectu supra dicto filio nostro Candido Presbytero nobis restituat dirigendas. Nam valde est execrabile, vt quod à Regibus gentium seruatum est, ab Episcopis dicatur ablatum. A

EPISTOLA XII.

GREGORIVS PROTASIO EPISCOPO DE AQVIS GALLIÆ.

B

Vt Virgilio Episcopo Arelatensi de pensionibus Ecclesiæ insinuet.

Epist. LV. QVANTVS in vobis beati Petri Apostolorum Principis amor excellat, non solùm officij vestri prærogatiua, sed etiam deuotio, quam circa vtilitates Ecclesiæ ipsius geritis, patefecit. Quæ quia Augustino seruo Dei præsentium latore cognouimus referente, de affectu, & veritatis studio, quod in vobis est, valde gaudemus, & gratias agimus: quia etsi corpore absentes, mente tamen & animo nobiscum vos esse monstratis, quippe erga quos charitatem fraternam, *vt conuenit*, exhibetis. Vt igitur bona, quæ de vobis prædicauit opinio, rerum possit veritas confirmare, Virgilio fratri & coepiscopo nostro dicite, vt pensiones, quas prædecessor eius per annos plurimos de patrimoniolo nostro percepit, & apud se retinuit, ad nos, quia pauperum res sunt, studeat destinare. Qui si fortè aliquo se modo, quod non credimus, excusare voluerit: vos, qui veritatem ipsam subtiliùs nostis, reuera qui in Ecclesia ipsa tunc temporis curam vice domini gerebatis, qualiter se habeat causa disserite, & ne res sancti Petri & pauperum eius apud se retinere debeat, imminete. Sed etsi fortasse hominibus nostris necessarium fuerit, vestrum in causa testimonium non negate, vt tam pro veritatis quàm pro voluntatis vestræ deuotione beatus Petrus Apostolus, cuius amore hæc facitis, sua vobis & hîc & in futura vita intercessione respondeat. Candidum Presbyterum communem filium, cui patrimoniolum ipsum commisimus, sanctitati vestræ magnopere commendamus. C

EPISTOLA XIII.

GREGORIVS STEPHANO ABBATI DE MONASTERIO Quirillino Galliæ.

Vt solicitus sit circa congregationem sibi commissam.

Epist. LVI. LÆTOS nos relatio Augustini serui Dei præsentium portitoris effecit, quòd dilectionem tuam, vt oportet, vigilantem esse narrauit: denique & Presbyteros & Diaconos, cunctámque congregationem vnanimes viuere, ac concordes affirmat. Et quoniam præpositorum bonitas subiectorum salubris est regula, omnipotentem Dominum deprecamur, vt in bonis te semper operibus gratia suæ pietatis accendat, & commissos tibi ab omni diabolicæ fraudis tentatione custodiat, & tecum cum charitate, & placita sibi viuere conuersatione concedat. Quia verò humani generis inimicus insidiari nostris actibus non quiescit, sed assidua calliditate hoc nititur, vt Deo seruientes animas in qualibet parte decipiat: ideo,

A dilectissime fili hortamur, vt solicitudinem tuam vigilanter exerceas, & ita commissos tibi oratione & cura prouidenti custodias, vt lupus circumiens nullam dilaniandi occasionem inueniat: quatenus dum Deo nostro incolumes quorum suscepisti curam reddideris, & prœmia labori tuo gratia sua rependat, & sibi æternæ vitæ desideria multiplicet. Cocleares verò & circulos quos direxisti, suscepimus, & charitati tuæ gratias agimus, quia qualiter pauperes diligas ostendisti, qui ad vsus eorum quæ sunt necessaria transmisisti.

EPISTOLA XIV.

GREGORIVS ARIGIO PATRICIO DE GALLIIS,

Augustinum & Candidum Presbyterum commendat.

QVANTA in vobis bonitas, quantáque mansuetudo cum Christo placita charitate resplendeat, latore præsentium Augustino seruo Dei referente comperimus: atque omnipotenti Deo gratias agimus, qui hæc vobis pietatis suæ dona concessit, per quæ inter homines valde laudabiles, & ante conspectum ipsius, quod est veraciter vtile, gloriosi possitis existere. Oramus ergo omnipotentem B Dominum, vt hæc in vobis quæ concessit dona multiplicet, & sua vos cum omnibus vestris protectione custodiat, & ita actionem gloriæ vestrę in hoc seculo disponat, vt & hîc vobis, & in futura, quod magis optandum est, vita proficiat. Salutantes itaque gloriam vestram paterna dulcedine petimus, vt lator pręsentium, & serui Dei qui cum eo sunt, vestra in quibus necesse fuerit solatia consequantur: quatenus dum vestrum fauorem inuenerint, iniuncta sibi melius, adiuuante Domino, valeant adimplere. Pręterea filium nostrum Candidum Presbyterum, quem ad gubernationem patrimonioli Ecclesiæ nostræ, quod illic est, transmisimus, vobis per omnia commendamus, confidentes à Deo nostro vos mercedis vicem recipere, si rebus pauperum solatia sua gloria vestra deuota mente præstiterit. Epist. LVII.

EPISTOLA XV.

GREGORIVS THEODORICO ET THEODEBERTO REGIBVS Francorum aparibus.

De Augustino seruo Dei ad gentem Anglorum misso.

POSTQVAM Deus omnipotens Regnum vestrum fidei rectitudine decorauit, & integritate Christianæ religionis inter gentes alias fecit esse conspicuum, magnam de vobis materiam præsumendi concepimus, quòd subiectos vestros ad eam conuerti fidem per omnia cupiatis, in qua eorum nempe Reges estis C & domini. Atque ideo peruenit ad nos, Anglorum gentem ad fidem Christianam Deo miserante desideranter velle conuerti, sed Sacerdotes vestros è vicino negligere, & desideria eorum cessare sua adhortatione succendere. Ob hoc igitur Augustinum seruum Dei præsentium portitorem, cuius zelus & studium benè nobis est cognitum cum aliis seruis Dei illuc præuidimus dirigendum. Quibus etiam iniunximus, vt aliquos secum è vicino debeant Presbyteros ducere, cum quibus eorum possint mentes agnoscere, & voluntates admonitione sua, quantum Deus donauerit, adiuuare. In qua re vt efficaces valeant atque idonei apparere, excellentiam vestram paterna salutantes charitate quæsumus, vt hi quos direximus fauoris vestri inuenire gratiam mereantur. Et quia animarum causa est, vestra eos potestas tueatur & adiuuet, vt Deus omnipotens, qui vos in causa sua deuota mente, & toto studio solatiari cognoscit, causas vestras sua protectione disponat, & post terrenam potestatem ad cœlestia vos regna perducat. Præterea dilectissimum filium nostrum Candidum Presbyterum, & patrimoniolum Ecclesiæ nostræ, quod in illis partibus est constitutum, vt commendatum excellentia vestra habere debeat postulamus: quatenus beatus Petrus Apostolorum Princeps sua vobis intercessione respondeat, qui mercedis intuitu, tuitionem in rebus pauperum eius impenditis. Epi. LVIII.

A

EPISTOLA XVI.

GREGORIVS BRVNICHILDÆ REGINÆ FRANCORVM,

De conuersione Anglorum, & Augustino.

Epist. LIX. EXCELLENTIÆ vestræ Christianitas ita vobis veraciter olim innotuit, vt de bonitate eius nullatenus dubitemus, sed magis certum modis omnibus teneamus, quia in causa fidei deuotè & studiosè concurrat, & religiosæ sinceritatis suæ solatia copiosissimè subministret. Ex qua re confidentes paterna charitate salutantes iudicamus ad vos peruenisse Anglorum gentem, Deo annuente, velle fieri Christianam: Sed Sacerdotes qui in vicino sunt, pastoralem erga eos solicitudinem non habere. Quorum ne animæ in æterna damnatione valeant deperire, curæ nobis fuit præsentium portitorem Augustinum seruum Dei, cuius zelus & studium bene nobis est cognitum, cum aliis seruis Dei illuc dirigere, vt per eos potuissemus ipsorum voluntates addiscere, & de eorum conuersione vobis quoque annitentibus, in quantum est possibile, cogitare. Quibus etiam iniunximus, vt ad agenda hæc è vicino secum debeant Presbyteros ducere. Excellentia ergo vestra, quæ proba in bonis consueuit esse operibus, tam pro nostra petitione, quàm etiam diuini timoris consideratione, eum dignetur in omnibus habere commendatum, B atque ei tuitionis suæ gratiam vehementer impendat, & labori eius patrocinij sui ferat auxilium: & vt plenissimè possit habere mercedem, ad suprascriptam Anglorum gentem sua tuitione securum ire prouideat: quatenus Deus noster, qui in hoc seculo vos bonis sibi placitis decorauit, hîc & in æterna requie cum suis vos Sanctis faciat gratulari. Præterea dilectum filium nostrum Candidum Presbyterum, & patrimonium Ecclesiæ nostræ, quod illic constitutum est, vestræ Christianitati commendantes, petimus vt tuitionis vestræ gratiam in omnibus consequatur.

EPISTOLA XVII.

GREGORIVS RESPECTÆ ABBATISSÆ de Galliis Massiliæ.

De priuilegiis Monasterij sui.

Lib. VI. Epist. XII. PIÆ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri: quatenus & deuotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & vtilitas postulata vires indubitanter assumat. Proinde Monasterio, quod in honorem sancti Cassiani est consecratum, in quo præesse dinosceris, iuxta petitionem filiorum nostrorum Dinamij, atque Aureliani, qui id religiosa deuotione domui sui iuris iniunctis vniisse ædificiis comprobantur, hæc priuilegia præuidimus indulgeri: constituentes vt C obeunte antedicti Monasterij Abbatissa, non extranea, sed quam congregatio sibi de suis elegerit, ordinetur: quam tamen, si digna huic ministerio iudicata fuerit, eiusdem loci Episcopus ordinet. In rebus autem vel in dispositione Monasterij eiusdem, nec Episcopum, neque Ecclesiasticorum quempiam aliquam habere decernimus potestatem, sed hæc ad solicitudinis tuæ, vel quæ post te in eodem loco fuerit Abbatissa, curam statuimus per omnia pertinere. Die siquidem natalis vel dedicationis supradicti Monasterij, Episcopo illic Missarum sacra conueniat solemnia celebrare, à quo tamen ita est hoc officium exsoluendum, vt cathedra eius nisi prædictis diebus, dum illic Missarum solemnia celebrat, non ponatur. Quo discedente, similiter etiam cathedra illius de eodem oratorio auferatur. Ceteris verò diebus, per Presbyterum, qui ab eodem Episcopo fuerit deputatus, Missarum officia peragantur. Præterea erga vitam actúsque ancillarum Dei siue Abbatissæ, quæ in suprascripto fuerit Monasterio constituta, Episcopo secundum Dei timorem, solicitudinem statuimus adhibere, vt si aliquam de illic habitantibus exigente culpa oportuerit vltioni submitti, ipse iuxta sacrorum Canonum vigorem modis omnibus debeat vindicare. His ergo à nobis statutis atque concessis, ita te in congregationis depositione custodiam stude solicitiorem enixiùs in

A omnibus exhibere, vt iniqui hostis malitia nihil ibi quod maculari possit inueniat. Hæc igitur omnia, quæ huius pagina præceptionis amplectitur, Monasterio tuo in omnibus & ab omnibus in perpetuum seruari Christo protegente censemus: quatenus indultorum priuilegiorum beneficia in sua semper inuiolabiliter firmitate permaneant.

EPISTOLA XVIII.

GREGORIVS DINAMIO ET AVRELIÆ PER FRANCIAM.

Vt ad meliora orationi semper intenti proficiant: & de Codice transmisso.

SCRIPTORVM vestrorum pagina lectione percursa, magnam nobis studio vestro contulit indicato lætitiam, quia per hoc quod vos sacræ lectionis pabula quærere, & supernæ patriæ desiderare gaudia nunciauit, dilectionem vestram religiosam conuersationem non solùm amare nomine, sed etiam tenere vita monstrauit. Et quoniam desiderata vos adepturos esse confidimus, vehementi vobis cor nostrum exultatione congaudet. Nam quia huiusmodi desiderium gratia diuina non deserat, ipsa nos veritas testimonio suæ vocis informat, dicens: *Omnis qui quærit, inuenit: qui petit, accipit, & pulsanti aperietur.* Hac itaque fulti B certitudine, de eiusdem Redemptoris nostri misericordia nihil ambigere, sed spe debemus indubitata præsumere. Nec enim muneris sui largitate frustrabitur, sed vires obtinendi prorsus indulget, qui velle concessit. Nam iam hoc ipsum desideranter appetere, donum est. Quia tamen ita de gratia debemus superna præsumere, vt non simus negligentes in oratione vel opere, voce item eiusdem veritatis exprimitur: *Oportet semper orare, & non deficere.* Petamus igitur orando, quæramus legendo, pulsemus operando. Sit igitur mens vigilans, sit vndique suspecta, sit vbique solicita, vt insidiantis possit semper laqueos præcauere. Sed quia quanto hostis noster cautum contra se vnumquemque cognoscit, tanto corda sibi resistentium subtili molitur arte subuertere, omnipotentem Dominum assiduis lacrymis & deprecatione poscamus, vt nos veneni eius non sinat infectione corrumpi, sed contra certamina, & latentes suggestiones quas ingerit, potentiæ suæ nos scuto circuntegat, in quo iacula illius illisa frangantur, & cor nostrum percussionis ipsius contactu non vulneretur, sed gratiæ suæ dono eius nobis insidias & intelligere donet, & vincere. Codicem verò quem dirigeremus, talem qui vos vt petistis instrueret, minimè paratum habuimus, sed in subsequenti transmittemus. Epist. xxxiii.

EPISTOLA XIX.

GREGORIVS BRVNICHILDÆ REGINÆ FRANCORVM.

C *De Pallio Siagrio Episcopo concedendo, & sacris Ordinibus præmio non conferendis, & de schismaticis, & de idololatris corrigendis.*

QVANTA in omnipotentis Dei timorem excellentiæ vestræ mens soliditate firmata sit, inter alia bona quæ agitis, etiam in Sacerdotum eius laudabiliter dilectione monstratis: & magna nobis fit de Christianitate vestra lætitia, quoniam quos venerantes vt famulos reuera Christi diligitis, augere honoribus studetis. Decet enim vos, excellentissima filia, decet tales existere, vt subiectæ possitis esse dominatori. In eo enim Regnum potestatis vestræ & subiectis gentibus confirmatis, in quo timori omnipotentis Domini mentis colla subiicitis: & vnde vosmetipsas seruitio creatoris subiicitis, inde vobis vestros subditos ad seruitium deuotiùs obligatis. Susceptis itaque Epistolis vestris, valde nobis excellentiæ vestræ studium placuisse signamus, atque fratri & coepiscopo nostro Siagrio pallium dirigere secundum postulationem vestram voluimus. Propter quod & serenissimi Domini Imperatoris, quantum nobis Diaconus noster, qui apud eum responsa Ecclesię faciebat, innotuit, prona voluntas est, & concedi hoc omnino desiderat, atque multa de prædicto fratre nostro tam vobis quàm etiam aliis testificantibus ad nos bona perlata sunt, maximè vitam eius Ioanne Regionario ad nos remeante Lib. vii. Epist. v.

cognouimus. Et quod in fratre nostro Augustino fecerit audientes, Redemptorem nostrum benedicimus, quia eum sacerdotis nomen etiam operibus implere sentimus. Sed res plurimæ restiterunt, quæ nos hoc interim facere minimè permiserunt. Primùm siquidem, quia is qui pallium ipsum venerat accepturus, schismaticorum tenetur errore implicitus. Deinde quòd non id ex vestra petitione, sed ex nobis transmissum voluistis intelligi. Extra hoc autem, quia nec is qui eo vti desiderat, directa ad nos hoc sibi largiri speciali petitione poposcerat, & tantam causam nullo modo præbere sine eius postulatione debuimus, maximè quia & prisca consuetudo obtinuit, vt honor pallij nisi exigentibus causarum meritis, & fortiter postulanti dari non debeat. Nos tamen ne vestræ excellentiæ desiderium sub prætextu cuiusdam excusationis forsitan videremur velle differre, dilectissimo filio nostro Candido Presbytero pallium præuidimus dirigendum, iniungentes ei vt vice nostra congrua id debeat obseruatione tribuere. Vnde necesse est, vt ex opere suo supra scriptus frater & coepiscopus noster Siagrius facta cum aliquantis suis Episcopis petitione hoc sperare, atque eam hoc prædicto debeat dare Presbytero: quatenus dignè eiusdem pallij vsum cum Dei gratia valeat adipisci. Vt ergo hæc vobis cura ante oculos creatoris nostri in fructu sit, Christianitatis vestræ solicitudo diligenter inuigilet, & nullum qui sub Regno vestro est ad sacrum ordinem, ex datione pecuniæ, vel quarumlibet patrocinio personarum seu proximitatis iure patiatur accedere: sed ille ad Episcopatus vel alterius sacri ordinis officium eligatur, quem dignum & vita & mores ostenderint: ne si, quod non optamus, honor venalis fuerit sacerdotij, Simoniaca in illis partibus hęresis, quę prima in Ecclesia prodiit, & Petri sententia damnata est, consurgat, & Regni vestri, quod absit, vires imminuat. Nam graue omnino & vltra quàm dici potest facinus est, Spiritum sanctum, qui omnia redemit, venundari. Sed & hoc curæ vobis sit, vt quia sicut nostis, neophytum egregius prædicator ad sacerdotij regimen omnino vetat accedere, nullum ex laico patiamini Episcopum consecrari. Nam qualis magister erit, qui discipulus non fuit? Aut *quemadmodum Ducatum* gregi Dominico præbeat, qui disciplinæ pastoris *subditus* antè non *fuit? Si* cuius ergo vita talis constiterit, vt ad hunc dignus sit ordinem promoueri, prius ministerio debet Ecclesiæ seruire, quatenus longo exercitationis vsu videat quod imitetur, & discat quod doceat: ne fortè onus regiminis conuersionis nouitas non ferat, & ruinæ occasio de prouectus immaturitate consurgat. Qualiter autem se excellentia nostra erga fratrem & coepiscopum nostrum Augustinum exhibuerit, quantamque illi sibi Deo aspirante charitatem impenderit, diuersorum fidelium relatione cognouimus: pro qua gratias referentes, diuinæ potentiæ misericordiam deprecamur, vt & hic vos sua protectione custodiat, & sicut inter homines, ita quoque & post multorum annorum tempora in æterna faciat vita regnare. Præterea hos quos ab vnitate Ecclesiæ schismaticorum error dissociat, ad vnitatem pro vestra mercede studeat reuocare concordia. Nam non ob aliud in ignorantiæ suæ hactenus cæcitate voluuntur, nisi vt Ecclesiasticam fugiant *disciplinam*, & peruersè habeant, vt voluerint, viuendi licentiam: quia nec quid defendant nec quid sequantur intelligunt. Nos autem Chalcedonensem Synodum, de qua illi sibi pestiferæ nebulas excusationis assumunt, per omnia veneramur & sequimur: & si quis de fide eius minuere aut addere aliquid pręsumpserit, anathematizamus. Sed ita illos erroris labes imbibit, vt ignorantiæ suæ credentes vniuersam Ecclesiam atque omnes quatuor Patriarchas non ratione, sed malitiosa mente tantummodo refugiant, ita vt is qui ad nos à vestra excellentia missus est, cum quęreretur à nobis cur ab vniuersali Ecclesia separatus existeret, se ignorare professus sit. Sed neque quid diceret, neque quid aliud audiret, valuit scire. Hoc quoque pariter hortamur, vt & ceteros subiectos vestros sub disciplinæ debeatis moderatione restringere, vt idolis non immolent, cultores arborum non existant, de animalium capitibus sacrificia sacrilega non exhibeant: quia peruenit ad nos quòd multi Christianorum & ad Ecclesias occurrant, & quod dici nefas est, à culturis dæmonum non abscedant. Quoniam verò omnino Deo nostro hæc displicent, & diuisas mentes non possidet, prouidete vt ab his debeant illicitis salubriter coerceri: ne quod absit, non eis ad redemptionem, sed ad pœnam sacri fiat baptismatis sacramentum. Si quos igitur violentos, si quos adulteros, si quos fures vel aliis prauis

A prauis actibus studere cognoscitis, Deum de eorum correctione placare festinate: vt super vos flagellum perfidarum gentium, quod, quantum videmus, ad multarum nationum vindictam excitatum est, non inducat: ne si, quod non credimus, diuinæ vltionis iracundia sceleratorum fuerit actione cõmota, belli pestis interimat quos delinquẽtes ad rectitudinis viam Dei præcepta non reuocant. Necesse est ergo vt omni studio & oratione assidua ad Redemptoris nostri conuerti misericordiam festinemus, vbi tutus omnibus locus est & magna securitas. Nam illic quemquam solidè persistentem nec periculum conterit, nec metus exagitat. Codicem verò, sicut scripsistis, prædicto dilectissimo filio nostro Candido Presbytero vobis offerendum transmittimus: quia boni vestri studij esse participes festinamus. Omnipotens Deus sua vos protectione custodiat, atque à perfidis gentibus Regnum vestrum sui brachij extensione defendat, vósque post longa annorum curricula ad gaudia æterna perducat. Dat. mense Octobr. Indictione prima.

EPISTOLA XX.

GREGORIVS SIAGRIO EPISCOPO AVGVSTODVNENSI.

B *De conuersione gentis Anglorum, & Augustino Episcopo. De vsu pallij, & de loco & dignitate Ecclesiæ Augustodunensis, & de Synodo.*

MAGISTRA bonorum omnium charitas, quæ nil sapit extraneum, nil asperum, nil confusum, ita exercet corda & corroborat, vt nihil graue, nihil difficile existimet, sed fiat totum dulce quod agitur. Huius igitur cùm sit proprium nutrire concordiam, seruare coniuncta, dissociata coniungere, praua dirigere, & virtutes ceteras perfectionis suæ munimine solidare: quisquis in eius radices se inserit, nec à viriditate deficit, nec fructibus inanescit: quia humorem fœcunditatis opus efficax non amittit. Atque ideo multum tibi, dilectissime frater, condelector atque congaudeo, quòd sic eadem charitate te præditum multorum testificatione comperio, vt & ipse quæ sacerdotis sunt decenter exhibeas, & aliis te laudabiliter imitandum ostendas. Quia igitur in prædicationis opere, quamdiu cogitans Anglorum genti per Augustinum quondam Monasterij mei Præpositum, nunc fratrem & Coepiscopum nostrum impendere studui, ita solicitum atque deuotum, adiutorémque in omnibus te, vt oportuit, fuisse cognouimus, vt magnum me sibi fraternitas tua hac de re faceret debitorem: tantæ rei consideratione commonitus, ne infructuosus erga te viderer existere, fraternitatis tuæ petitionem nulla pertuli ratione postponere. Proinde secundum postulationis tuæ desiderium pallij te vsu, quod inter Ecclesiam tuam habere debeas, ad sacra tantum Missarum solemnia celebranda, Deo auctore, C præuidimus honorandum. Quod tamen ita tibi dandum esse decreuimus, si priùs per Synodi definitionem emendari promiseris quæ corrigenda mandauimus: quia dignum profectò esse credimus, vt cum mentis grauitate qua Deo te propitio pollere didicimus, habitus quoque exterioris clarior in te cultus accresceret: præsertim cùm te hunc non ad superfluæ elationis pompam, sed pro genio & honore tuæ arbitramur Ecclesiæ petiuisse. Cuius ne indumenti munificentiam nudam videamur quodammodo contulisse, hoc etiam pariter prospeximus concedendum, vt metropolitæ suo per omnia loco & honore seruato, Ecclesia ciuitatis Augustodunæ, cui omnipotens Deus præesse te voluit, post Lugdunensem Ecclesiam esse debeat, & hunc sibi locum & ordinem ex nostræ auctoritatis indulgentia vendicare. Ceteros verò Episcopos secundum ordinationis suæ tempus, siue ad considendum in Concilio, siue ad subscribendum, vel in qualibet alia re sua attendere loca decernimus, & suorum sibi prærogatiuam ordinum vindicare: quia omnino rationis ordo nos admonet, vt cum vsu pallij aliqua simul, sicut diximus, largiri priuilegia debeamus. Sed quoniam cum honoris augmento, cura quoque solicitudinis debet accrescere, vt cultui vestium actionis quoque ornamenta conueniant: oportet vt enixius in cunctis se studiis vestra fra-

Epist. CXIV.

ternitas exerceat. Et circa subiectorum actus sit cura vigilans, vt vestrum illis A exemplum, instructio & vita magistra sit. Linguæ vestræ exhortatione discant quod metuant, & doceantur quod diligant, vt dum talenta credita lucro multiplicata reddideris, in die retributionis audire sis meritus: *Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Curam præterea congregandæ Synodi, quam vobis, atque aliis fratribus nostris pro illicitarum rerum prohibitione fiendam scripsimus, vestræ specialiter solicitudini noueritis incumbere. Vnde quia præcellentissimos filios nostros Francorum Reges magnam vobis nouimus dilectionem impendere, omni vos studio, omnique agere annisu necesse est, vt quod de Synodo congreganda mandauimus, fraternitatis vestræ vigilantia compleatur, atque omnia illic quæ pro animarum salute scripsimus censeantur: quatenus per hoc, & vos zelum vestrum, & qualiter vobis illicita displiceant ostendatis, & nos vtiliter prouidisse, qui vestram ad hoc præ ceteris personam eligimus, videamur.

EPISTOLA XXI.

GREGORIVS BRVNICHILDÆ REGINÆ FRANCORVM.

De laicis ad Episcopatum non adhibendis. De simoniaca hæresi. De Synodo. De Iudæis Christiana mancipia possidentibus. B

POSTQVAM excellentiæ vestræ solicitudo Regia est vbique gubernatione laudabilis, ad augmentum gloriæ suæ vigilantiorem se debet & prouidam exhibere, vt quos consilio regit exteriùs, perire interiùs non permittat: quatenus per fructum piæ solicitudinis post huius, quod geritis, temporalis Regni fastigium, ad æterna, Deo auctore, gaudia possitis & regna pertingere. Quod quidem hac vobis confidimus posse ratione contingere, si inter alia bona de ordinandis curam sacerdotibus gesseritis. Quorum officium in tantam illic, sicut didicimus, ambitionem perductum est, vt Sacerdotes subitò, quod graue nimis est, ex laicis ordinentur. Sed quid isti acturi, quid populo præstaturi sunt, qui non ad vtilitatem, sed fieri ad honorem Episcopi concupiscunt? Hi ergo, qui necdum quod docere debeant didicerunt, quid aliud agunt, nisi vt paucorum prouectus illicitus fiat multis interitus, & in confusionem Ecclesiasticæ moderationis obseruantia deducatur? quippe vbi nullus regularis ordo seruatur. Nam qui ad eius regimen improuidus, & ob hoc præcipitatus accedit, qua admonitione subiectos ædificet, cuius exemplum non rationem docuit, sed errorem? Pudet profectò, pudet aliis imperare, quod ipse noscit custodire. Nec illuc quidem, quod simili emendationi tradendum est, præterimus, sed omnino execrabile, & esse grauissimum detestamur, quòd sacri illi Ordines per simoniacam hæresim, quæ prima contra C Ecclesiam orta, & districta maledictione damnata est, conferantur. Hinc ergo agitur, vt sacerdotij dignitas in despectu, & sanctus sit honor in crimine. Perit vtique reuerentia, adimitur disciplina: quia qui culpas debuit emendare, committit, & nefaria ambitione, honorabilis sacerdotij dicitur in deprauatione censura. Nam quis denuo veneretur quod venditur, aut quis non vtile putet esse quod emitur? Vnde valde contristor, & terræ illi condoleo, quia dum sanctum Spiritum, quem per manus impositionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, diuino munere habere despiciunt, sed prœmiis assequuntur, sacerdotium illic subsistere diu non arbitror. Nam vbi dona supernæ gratiæ venalia iudicantur, ad Dei seruitium non vita quæritur, sed magis contra Deum pecuniæ venerantur. Quia igitur tantum facinus non solùm illis periculum, verùm etiam vestro Regno satis est noxium, salutantes excellentiam vestram paterno affectu petimus, vt de huius prauitatis emendatione Deum vobis placabilem faciatis, & vt nulla deinceps vaeat occasione committi, Synodum fieri iussio nostra constituat, vbi præsente dilectissimo filio nostro Cyriaco Abbate, sub districta anathematis interpositione debeat interdici: ne vllus ex laico habitu subito ad Episcopatus audeat gradum accedere, neque pro Ecclesiasticis ordinibus cuilibet quidquam dare, vel ausus

A sit accipere, vt Dominus & Redemptor noster sic quæ vestra sunt faciat, sicut excellentiam vestram in iis quæ sua sunt, pia esse viderit deuotione solicitam. Curam verò & solicitudinem eiusdem Synodi, quam fiendam decreuimus, fratri coepiscopóque nostro Siagrio, quem vestrum proprium nouimus, specialiter delegare curauimus, quem petimus, vt & supplicantem libenter audire, & ope iuuare dignemini: quatenus quod ad mercedem vestram respiciat, remoto huius mali contagio in cunctis finibus, iuri vestro subiectis, pia & Deo placita procedat ordinatio Sacerdotum. Cui fratri nostro, pro eo quod se in ea prædicatione, quæ Anglorum genti auctore Domino facta est, deuotum vehementer exhibuit, pallium ad Missarum solemnia vtendum transmisimus, vt quia adiuuare spiritalia studuit, Apostolorum Principis solatio in ipso quoque inueniatur spiritali ordine profecisse. Omnino præterea admirati sumus, cur & in Regno vestro Iudęos Christiana mancipia possidere permittitis. Quid enim sunt Christiani omnes, nisi membra Christi? quorum videlicet membrorum caput cuncti nouimus quia fideliter honoratis. Sed quàm diuersum sit, excellentia vestra perpendat, caput honorare, & membra ipsius hostibus calcanda submittere. Atque ideo petimus, vt excellentiæ vestræ constitutio de Regno suo huius prauitatis mala remoueat, vt in hoc vos amplius dignas cultrices omnipotentis Domini demonstretis, quòd fideles illius ab inimicis eius absoluitis.

B

EPISTOLA XXII.

GREGORIVS THEODORICO ET THEODEBERTO Regibus Francorum a paribus.

De Simoniaca hæresi. Et vt ex laicali habitu nullus fiat Episcopus.

CVM Regni vestri nomen inter ceteras gentes gratia olim Christianæ religionis effulserit, valde studendum est, vt vnde gloriosiores ceteris gentibus eminetis, inde omnipotenti Domino, qui dat salutem Regibus, perfectius placeatis, & fidem quam colitis adiutricem in omnibus habeatis. Optaueramus quidem, præcellentissimi filij, nostrum ad vos solita dirigere visitatione sermonem, vt charitatis officiis paternum monstraremus affectum: sed quia nimium vos res contristat illicita, sic vnum conuenit exhibere, vt aliud sub silentio, quod emendatione indiget, minimè relinquamus. Quod si diligenter attenditis, pro salutis vestræ nos loqui prorsus incolumitate cognoscetis. Fertur autem Simoniacam hæresim, quæ prima contra Dei Ecclesiam diabolica supplantatione surrepsit, & in ipso ortu suo C telo Apostolicæ vltionis percussa atque damnata est, in Regni vestri finibus dominari, cùm in Sacerdotibus fides sit eligenda cum vita. Si enim vita deest, fides meritum non habet, beato Iacobo attestante, qui ait: *Fides sine operibus mortua est.* Quæ enim opera esse valeant Sacerdotis, qui honorem tanti sacramenti conuincitur obtinere per prœmium? Ex qua re agitur, vt ipsi quoque qui sacros Ordines appetunt, non vitam corrigere, non mores componere studeant, sed diuitias quibus honor sacer eruitur satagant congregare. Hinc fit etiam, vt insontes & pauperes à sacris Ordinibus prohibiti, despectique resiliant. Et dum innocentia pauperis displicet, dubium non est quòd prœmium illic delicta commendet: quia vbi aurum placet, ibi & vitium. Hinc igitur non solùm in ordinatoris & ordinati animam letale vulnus infligitur, verùm etiam excellentiæ vestræ Regnum vestrorum Episcoporum culpa, quorum magis intercessionibus iuuari debuerat, prægrauatur. Si enim his dignus in sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed prœmiorum copia suffragatur, restat vt nihil sibi ad honores Ecclesiasticos grauitas, nil defendat industria, sed totum auri profanus amor obtineat. Et dum vitia remunerantur honore, in locum vltoris is qui fortasse fuerat vlciscendus adducitur, atque huic Sacerdotes non proficere, sed perire potiùs iudicant. Vulnerato namque pastore, quis curandis ouibus adhibeat medicinam? Aut quomodo populum orationis clypeo tueatur, qui iaculis se hostibus feriendum exponit? Aut qualem de se fructum producturus est, cuius graui peste radix infesta est? Maior ergo metuenda est locis illis calamitas, vbi tales intercessores ad locum regiminis ad-

Epist. cxvi.

ucuntur, qui Dei in se magis iracundiam prouocant, quàm per semetipsos populis placare debuerant. Audiuimus autem quia Ecclesiarum prædia tributa nunc præbeant, & magna super hoc admiratione suspendimur, si ab eis illicita quærantur accipi, quibus etiam licita relaxantur. Nec hoc quoque malum solicitudo nostra patitur negligenter omittere, quòd quidam instinctu gloriæ inanis illecti, ex laico repente habitu sacerdotij honorem arripiunt, & quod dicere pudet, & graue tacere est, regendi rectores, & qui docendi sunt, doctores nec erubescunt fieri, nec metuunt. Ducatum animarum impudenter assumunt, quibus via omnis ignota ductoris est, & quò vel ipsi gradiantur, ignari sunt. Quod quàm prauum, quàmque sit temerarium, seculari etiam ordine & disciplina monstratur. Nam dum Dux exercitus non nisi labore & solicitudine expertus eligitur, quales animarum duces esse debeant, qui ad Episcopatus culmen immatura cupiunt festinatione conscendere, huius saltem rei comparatione considerent, & aggredi repente inexpertos labores abstineant, ne cæca honoris ambitio & ipsis in pœnam sit, & aliis pestifera erroris semina iaciat: quippe qui non didicerunt quod ipsi doceant. Proinde paterno salutantes affectu petimus, pręcellentissimi filij, vt hoc tam detestabile malum de Regni vestri studeatis finibus prohibere, & nulla apud vos excusatio, nulla contra animam vestram suggestio locum inueniat: quia facientis proculdubio culpam habet, qui quod potest corrigere negligit emendare. Qua de re, vt magnum omnipotenti Domino munus valeatis offerre, Synodum congregari pręcipite: in qua sicut Fratribus, Coepiscopisque nostris mandauimus, præsente dilectissimo filio nostro Cyriaco Abbate, sub anathematis debeat obligatione constitui, nullum pro Ecclesiastico ordine aliquid vnquam dare, nullum accipere, nec quemquam ex laicis ad sacerdotium repente transire: quatenus hanc vobis mercedem & hîc, & in futura vita Redemptor noster, cuius Sacerdotes interius ab hoste perire non sinitis, recompenset. Omnino præterea admirati sumus, quòd in Regno vestro Iudæos Christiana mancipia possidere permittitis. Quid enim sunt Christiani omnes, nisi membra Christi? quorum videlicet membrorum caput cuncti nouimus, quia fideliter honoratis: sed quàm diuersum sit excellentia vestra perpendat, caput honorare, & membra ipsius hostibus calcanda permittere. Atque ideo petimus, vt excellentiæ vestræ constitutio de Regno suo huius prauitatis mala remoueat, vt in hoc vos amplius dignos cultores omnipotentis Domini demonstretis, quòd fideles illius ab inimicis eius absoluitis.

EPISTOLA XXIII.

GREGORIVS VIRGILIO EPISCOPO ARELATENSI.

De priuilegio Monasterij Arelatensis auctoritate Apostolica confirmato, quod inuiolabiliter seruari debet.

CVM piæ desiderium voluntatis & laudandæ deuotionis intentio Sacerdotalibus sit semper studiis adiuuanda, cura est solicitudinis adhibenda, vt ea quæ pro quiete Monachorum religiosæque conuersationis fuerint ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quædam valeat præsumptio perturbare. Sed sicut hoc quod ratio exigebat vtilitatis, oportuit definiri: ita quod definitum est, nisi fortè vbi maior est auctoritas, non debet violari. Igitur gloriosæ memoriæ Childebertus Francorum Rex Catholicæ religionis amore succensus, intra muros Arelatensis ciuitatis Monasterium virorum, vt scripto reperimus, pro sua mercede constitués, quædam ibidem pro habitantium sustentatione concessit. Cuius ne voluntas vnquam duceretur in irritum, & ea quæ pro quiete Monachorum disposita fuerant, turbarentur, quæque contulit in iure eiusdem Monasterij, Epistolis suis Apostolica petiit auctoritate firmari. Hoc quoque suæ petitioni subiungens, vt eidem Monasterio tam in dispositione rerum, quàm in ordinatione Abbatis quædam pariter priuilegia largirentur. Sciens quippe eam Apostolicæ Sedi reuerentiam à fidelibus exhiberi, vt quæ eius fuissent decreto disposita, nullius deinceps illicitæ vsurpationis molestia quaterentur. Vnde quia effectum & Regia voluntas, & res valde desiderata poscebat, à prędecessore nostro Vigilio Romanę Sedis antistite ad

A prædecessorem vestrum Aurelium scripta transmissa sunt, vbi omnia quę amplectendæ voluntatis studium deposcebat, Apostolicæ auctoritatis libenter annisu firmata sunt: quia difficultatem pati non potuit huiusmodi res petita. Sed vt fraternitas vestra, quæ fuerint tempore illo decreta cognoscat, antedicti prædecessoris nostri scripta his pręuidimus scriptis adiungi. Quibus lectione percursis hortamur, vt omnia Sacerdotali, sicut decet, studio inuiolata conserues, nihilque illi de indebitis, nihil permittas de illicitis irrogari, nec ea quadam patiaris vsurpatione conuelli. Nam licet ea quæ semel Apostolicæ sedis auctoritate sancita sunt, nil egeant firmitatis: ex abundantia tamen nostra cuncta quæ pro huius rei quiete à prædecessore nostro statuta sunt, nostra iterum auctoritate in omnibus roboramus. Fraternitas ergo vestra ita se in custodiendis eis exhibeat: quatenus & omnem occasionem inquietudinis excludat, & aliis hæc operari suadeat, dum se in custodienda defuncti piissima voluntate solicitam, vt decet, exhibuerit & deuotam.

EPISTOLA XXIV.

GREGORIVS SIAGRIO EPISCOPO AVGVSTODVNENSI,

De Vrsicino Taurinæ ciuitatis Episcopo absque causa à sua Ecclesia eiecto.

B SI in rebus secularibus suum cuique ius, & proprius ordo seruandus est: quanto magis in Ecclesiasticis dispositionibus nulla debet induci confusio, ne ibi discordia locum inueniat, vnde paucis debent bona procedere? quod hac ratione seruabitur, si nihil potestati, sed totum æquitati tribuitur. Perlatum siquidem ad nos est, dilectissimum fratrem nostrum Vrsicinum Taurinæ ciuitatis Episcopum, post captiuitatem & deprædationem quam pertulit, graue in parrochiis suis, quę in Francorum sitæ terminis perhibentur, pręiudicium pertulisse: denique vt alter illic contra Ecclesiastica statuta nullo eius crimine deposcete constitueretur Antistes. Et ne leue forsitan videretur huius rei pręiudiciale commissum, etiam aliquid doloris est additum, vt res ei Ecclesiæ suæ quas habere potuit tollerentur. Quòd si hæc veritate subsistunt: quia crudele nimis est, & apertè sacris Canonibus inimicum, vt ab altari proprio insontem ambitio remoueat Sacerdotum, qui non meretur ex crimine successorem, suam in huius pręiudicij cuncti causam attendant, vt qui nolunt perpeti, nec aliis imponant. Nam si prauæ rei aditus antequam diu patescat non clauditur, vsu fit latior: & erit consuetudine licitum quod ratione constat esse prohibitum. Sed præ ceteris fraternitatis vestræ solicitudo pro nostra commendatione, ac diuinæ considerationis intuitu, in eius se enixius defensione impendat, & à suis illum amplius contra rationem remotum esse parrochiis non permittat. Sed tam per se, quàm supplicando pęcellentissimis Regibus, quos vos in nullo credimus contristare, id peragat, vt & hoc quod malefactum est C corrigatur, & quæ violenter ablata sunt veritate patrocinante reddantur: quia dum scriptum sit, *Frater fratrem adiuuans exaltabitur*: tanto se ab omnipotente Deo charitas vestra nouerit recepturam, quanto præcepta ipsius in adiuuando fratre libenter atque constanter fuerit executa. Epist. CXXI.

EPISTOLA XXV.

GREGORIVS THEODORICO ET THEODEBERTO Regibus Francorum.

De Vrsicino Episcopo Taurinæ ciuitatis.

SVMMVM in regibus bonum est, iustitiam colere, ac sua cuique iura seruare, Epist. CXXII. & subiectis non sinere quod potestatis est fieri, sed quod æquum est custodire. Quod quia vos & diligere & omninò confidimus studere: excellentiæ vestræ iudicare ea quæ emendationē expetunt inuitamur, vt per hoc & oppressis succurrere, & vobis mercedem acquirere nostris Epistolis valeamus. Fratrem itaque, & coepiscopum nostrum Vrsicinum Taurinæ ciuitatis Antistitem in parochiis suis, quæ intra Regni vestri sunt terminum constitutæ, grauè omnino dicitur præiudicium

sustinere: adeo vt contra Ecclesiasticam obseruantiam, contra Sacerdotalem grauitatem, & contra sacrorum Canonum instituta, nullo eius exigente crimine, alter illic non metuerit Episcopus ordinari. Et quia parum visum est si illicitis non iungerentur illicita, etiam res Ecclesiæ suæ, vt fertur, ablatæ sunt. Quòd si ita se veritas habet, quoniam intolerabile nimis est, vt vi opprimeretur cui culpa non nocuit, præmisso paterna charitate salutationis alloquio petimus, vt quod excellentia vestra amore Ecclesiasticæ reuerentiæ, & æquitatis contemplatione sponte potest impendere, nostra studeat benignus intercessione concedere, & iusticiam illi, sicut de æquitatis eius bono confidimus, faciat in omnibus custodiri, atque patefacta veritate, & quod illicitè actum est corrigi, & res ei violenter ablatas æquitate iubeat fauente restitui. Nec quod ad tempus ab hostibus eius Ecclesia detinetur, debet illi aliquid officere: sed hoc ad subueniendum Christianitatis vestræ magis magisque debet animos promouere, vt largitatis vestræ munere consolatus, captiuitatis, quam pertulit, non possit damna sentire. Pro vtilitate ergo animæ vestræ, hæc nostra apud vos exhortatio locum inueniat, vt ad mercedem vestram deiectionem ipsius porrecta manu iustitiæ releuetis: quatenus per hoc quod æquitatem Sacerdotibus custoditis, eorum precibus ante Dei semper oculos floreatis.

EPISTOLA XXVI.

GREGORIVS BRVNICHILDÆ REGINÆ FRANCORVM. B

Hilarium commendat.

Epist. CXXIII.

CVM in Regni regimine virtus, iustitia, & potestas egeat æquitate, nec ad hoc alterum sine altero possit sufficere: quanto in vobis amore horum cura præfulgeat, ex hoc vtique patenter ostenditur, dum turbas gentium laudabiliter gubernatis. Quis ergo hæc considerans, de excellentiæ vestræ bonitate diffidat, aut de impetratione sit dubius, quando illa à vobis *quæ subiectis vos libenter posse* nouit impendere, duxerit postulanda? Lator itaque præsentium Hilarius excellentiæ vestræ famulus, nostra se interuentione apud potestatem vestram æstimans adiuuari, commendationis nostræ sibi poposcit Epistolas suffragari: certum tenens vberius, sicut ceteris conceditis, promereri, si nostra pro eo intercessio loqueretur. Proinde paternæ charitatis affectu salutationis persoluentes alloquia, petimus, vt quia quorumdam se perhibet nequitia aduersitatibus laborare, excellentiæ vestræ eum tuitio muniat, & ne contra rationem valeat prægrauari, sua illum iussione tutum esse præcipiat; quatenus dum vobis iubentibus atque propitiis nullius aduersitas iniustè & pro sola tantummodo voluntate locum habuerit, & nos de impetratis quæ pro vestra magis mercede poscimus gratias referamus, & excellentiæ vestræ beatus Petrus Apostolorum Princeps, quem in nobis concedendo quæ petimus Christiana deuotione veneramini, recompenset. C

EPISTOLA XXVII.

GREGORIVS ASCLEPIADOTO PATRICIO IN GALLIIS.

Hilarium commendat.

Epist. CXXV.

QVI terrenis Regibus adhærent, quantum eis præstandi locus conceditur, tanto debent in causis mercedis proniores existere, vt fructu boni operis & hic eorum quibus seruiunt gratia perfruantur, & cœlestis Regni aulam introire postea mereantur. Vnde licet hoc diligere, & in hoc vos esse confidamus intentos, verumtamen quia paternum alloquium aliquid bonis mentibus semper addit, hortamur vt quotiens congruum iuuandi tempus astiterit, nequaquam quod operandum vobis est diffidatis. Nam qui fratrem luctu releuat, oppressum erigit, mœrentem consolatur, ab illo sibi retribui, cui totũ impendit non dubitet, qui ait: *Quod vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.* Quia igitur Hilarius præsentium portitor pro eo quod frustra contra se quorumdam perhibet inimicitias exarcisse, vestræ se tuitioni nostra petiit Epistola commendari, certus quòd patrocinantibus vobis cuiusquam contra rationẽ aduersitas ei nocere non valeat: idcirco paterno gloriam

A vestram salutantes affectu, petimus vt fauoris vestri gratia muniatur, & quod ceteris iusta petentibus indulgetis, huic quoque pro nostra intercessione largius impendatis, atque eum contra æquitatem opprimi non sinatis, sed manum illi auxilij vbi rationis ordo vocauerit, porrigatis: quatenus ad mercedem gloriæ vestræ & ipse in vobis quod omnino ardue quæsiuit inueniat, & vos afflicto & humiliter supplicanti videamini, quod valde gloriosum est, subuenisse.

EPISTOLA XXVIII.

GREGORIVS MENNÆ TOLOSANO, SERENO MASSILÆ, Lupo Cabiloni, Agilo Meris, Simplicio Parisiis, Melantio Rothomagensi, & Licinio Episcopis Francorum aparibus.

De Augustino Episcopo Anglorum, & conuersione gentis ipsius.

LICET fraternitatem vestram suscepti officij cura commoneat, vt religiosis viris & præcipua in causa animarum laborantibus, omni debeat adnisu concurrere; non tamen ab re est, si solicitudinem vestram Epistolarum nostrarum sermo pulsauerit: quia sicut ignis aura flante fit grandior, ita bonæ mentis studia commendatione proficiunt. Quia igitur Redemptoris nostri gratia cooperante B tanta de Anglorum gente ad Christianæ fidei gratiam multitudo conuertitur, vt reuerendissimus communis frater & Coepiscopus noster Augustinus eos, qui secum sunt, ad hoc opus exequendum per diuersa loca asserat non posse sufficere: aliquantos ad eum Monachos cum dilectissimis & communibus filiis Laurentio Presbitero, & Mellito Abbate præuidimus transmittendos. Et ideo fraternitas vestra eis charitatem quam decet exhibeat, atque ita illis vbicumque necesse fuerit auxiliari festinet: quatenus dum vobis opitulantibus nullas illic remorandi causas habuerint, & ipsi vestra se releuatos consolatione congaudeant, & vos solatiorum exhibitione in causa pro qua directi sunt, possitis participes inueniri.

Lib. IX. Epist. LII.

EPISTOLA XXIX.

GREGORIVS THEODORICO REGI FRANCORVM.

Vt ad Simoniacam hæresim eradicandam Synodus congregetur.

EXCELLENTIÆ vestræ index cordis Epistola, quanta in vobis fulgeat cum Regia potestate prudentia, ita luculenti copia sermonis edocuit, vt dubium C esse non valeat quidquid laudabile de vobis fama narrauerat. Et quoniam adhortationem nostram adeo Regiis animis vestris per laudis prædicamenta placuisse signastis; vt quidquid ad Dei nostri cultum, quidquid ad Ecclesiarũ reuerentiã, quidquid ad honorem pertinere cogniscitis Sacerdotũ, & studiose statui, & velitis in omnibus custodiri: iterata vos pro vestra magna mercede adhortatione pulsamus, vt cõgregari Synodum iubeatis, & sicut dudum scripsimus, corporalia in Sacerdotibus vitia, & Simoniacæ hæreseos prauitatem omnium Episcoporum definitione damnari, atque de Regni vestri amputari finibus faciatis, nec plus illic pecuniam obtinere quàm præcepta Dominica permittatis. Nam cùm omnis auaritia idolorum sit seruitus, quisquis hanc & maximè in dandis Ecclesiasticis honoribus vigilanter non præcauet, infidelitatis perditioni subiicitur, etiam si tenere fidem quam negligit videatur. Sicut ergo contra exteriores hostes, ita quoq; contra interiores animarum aduersarios studete esse soliciti: vt per hoc quod Dei nostri inimicis fideliter repugnatis, & hic feliciter ipsius protectione regnetis, & ad æterna postmodum gaudia eius duce gratia veniatis. Quanta præterea bona reuerendissimo fratri, & Coepiscopo nostro Augustino ad Anglorum gentem proficiscenti excellentia vestra præbuerit, reuertentes ab eo quidam Monachi retulerunt. Vnde vberes gratias referentes petimus, vt his quoque Monachis, qui ad eum directi sunt, suffragia vestra copiosius præbere, atque eos ad proficiscendum iuuare dignemini: vt quanto beneficia vestra eis ampliùs exhibetis, tanto maiorem vicissitudinem ab omnipotente Deo, cui seruiunt, expectetis.

Epist. LIII.

A

EPISTOLA XXX.

GREGORIVS THEODEBERTO REGI FRANCORVM.

Simoniacam hæresim confutandam, congregato Concilio.

Epist. LIV. QVI paternæ adhortationis verba libenti animo suscipit, & sinu cordis amplectitur, emendatorem se vitiorum fore proculdubio profitetur. Ex qua re satis nos excellentiæ vestræ certos reddidit absoluta promissio. Nam eius, quem idoneum ad soluendum esse cognoscimus, verba pro pignore retinemus. Itaque excellentia vestra Dei nostri mandatis inhærens, studium ad congregandam Synodum pro sua mercede adhibere dignetur, vt omne à Sacerdotibus corporale vitium, & Simoniaca hæresis, quæ prima in Ecclesiis iniqua ambitione surrexit, potestatis vestræ imminente censura consilij definitione tollatur, & abscissa radicitus amputetur: ne si plus illic aurum quàm Deus diligitur, qui modo tranquillus in suis præceptis despicitur, iratus in vindicta postmodum sentiatur. Et hæc quidem quia pro vobis loquimur, idcirco imminere sæpiùs non cessamus, vt prodesse excellentissimis ac dulcissimis filiis nostris vel importunitate possimus. Nam Regno nostro per omnia proficit, si quod contra Deum in illis partibus geritur, emendatione vestræ excellentiæ corrigatur. B Quanta præterea bona proficiscenti ad Anglorum gentem reuerendissimo fratri & Coepiscopo nostro Augustino excellentia vestra impenderit, referentibus quibusdam Monachis, qui ab eo reuersi sunt, cognouimus. De qua re maximas gratias exsoluentes petimus, vt & Monachis præsentium portitoribus, quos ad eumdem fratrem nostrum direximus, vestra vberius beneficia ministretis: quatenus dum vobis patrocinantibus nullas illic difficultates inuenerint, sed cœptum iter facile Christo adiuuante, peregerint, vberiorem mercedis vestræ fructum ante Dei *nostri oculos faciatis.*

EPISTOLA XXXI.

GREGORIVS CLOTHARIO REGI FRANCORVM.

Epist. LV. INTER tot curas & sollicitudines, quas pro subiectarum vobis gentium regimine sustinetis, existere vos in causa Dei laborantibus adiutores, eximiæ laudis, & magnæ mercedis est. Et quia tales vos bonis præcedentibus ostenditis: vt præsumere de vobis meliora possimus, petere quæ pro mercede vestra sunt libentissimè prouocamur. Quidam igitur, qui cum reuerendissimo fratre & Coepiscopo nostro Augustino ad Anglorum gentem perrexerant, reuertentes, quanta eundem fratrem nostrum excellentia vestra in præsentia positum charitate refecerit, quantisque suffragiis proficiscentem adiuuerit, narrauerunt. C Sed quia *illa* Deo nostro opera grata sunt semper, quæ à bonis cœptis non recedunt: paterno affectu salutantes petimus, vt Monachos præsentium portitores, quos ad prædictum fratrem nostrum vna cum dilectissimis filiis nostris Laurentio Presbytero & Mellito Abbate transmisimus, habeatis peculiariter commendatos. Et quidquid illis ante exhibuistis; his quoque ad laudis vestræ cumulum vberiùs impendatis: quatenus dum vobis prouidentibus cœptum sine mora iter expleuerint, bonorum vestrorum omnipotens Deus recompensator existat, atque vobis & in prosperis custos, & in aduersitatibus sit adiutor. Præterea peruenit ad nos, quod sacri *illic* ordines cum datione pecuniæ conferantur. Et vehementer affligimur, si ad Dei dona non meritis acceditur, sed præmiis prosilitur. Et quia hæc Simoniaca hæresis in prima Ecclesia surgens Apostolorum auctoritate est damnata: petimus vt pro mercede vestra congregari Synodum faciatis: quatenus omnium Sacerdotum definitione compressa, & radicitus amputata, nullas illic vires de cetero *in* periculum animarum inueniat, nec vlterius sub qualibet excusatione permittatur exurgere: vt tanto vos omnipotens Deus noster contra aduersarios nostros exaltet, quanto vos in suis mandatis zelum habere, & pro animarum salute, quæ huius fuerant sceleris gladio perituræ, viderit cogitare.

A

EPISTOLA XXXII.

GREGORIVS BRVNICHILDÆ REGINÆ FRANCORVM.

Gratias agit, quod Augustinum adiuuerit, hortaturque vt Monachos ad eam directos suscipiat.

GRATIAS omnipotenti Deo referimus, qui inter cetera pietatis suæ dona, quæ excellentiæ vestræ largitus est, ita vos amore Christianæ religionis impleuit, vt quidquid ad animarum lucrum, quidquid ad propagationem fidei pertinere cognoscitis, deuota mente & pio operari studio non cessetis. Quanto autem fauore, quantáque opitulatione excellentia vestra reuerendissimum fratrem & Coepiscopum nostrum Augustinum proficiscentem ad Anglorum gentem adiuuerit, nec antè silentio fama conticuit, & postea quidam ab eo ad nos Monachi redeuntes subtiliter retulerunt. Et quidem hæc de Christianitate vestra mirentur alij, quibus adhuc beneficia vestra minus sunt cognita: nam nobis, quibus experimentis iam nota sunt, non mirandum est, sed gaudendũ: quia per hoc quod aliis impenditis, vos iuuatis. Qualia autem, quantáque in conuersione supra scriptæ gentis
B Redemptor noster fuerit miracula operatus, excellentię vestræ iam notum est. Ex qua re magnam vos oportet habere lætitiam: quia maiorem sibi partem hac in re præstitorum vestrorum solatia vendicant, cuius post Deum auxiliis verbum illic prædicationis innotuit. Nam qui alterius bonum adiuuat, suum facit. Sed vt mercedis vestræ magis magisque sit fructus vberior, petimus vt Monachis præsentium apicum portitoribus, quos cum dilectissimis filiis nostris Laurentio Presbytero, & Melito Abbate ad prædictum reuerendissimũ fratrem & Coepiscopum nostrum, pro eo quod illos qui secum sunt sufficere sibi dicit non posse, transmittimus, patrocinij vestri suffragia benignius ministretis, atque ita eis in omnibus adesse dignemini: quatenus dum bonis excellentiæ vestræ initiis meliora successerint, & nullas illic moras vel difficultates inuenerint, tantò erga vos ac dulcissimos nepotes vestros Dei nostri misericordiam prouocatis, quantò pro eius vos amore in huiusmodi causis misericorditer exhibetis. Epist. LVI.

EPISTOLA XXXIII.

GREGORIVS BRVNICHILDÆ REGINÆ FRANCORVM.

Præcepta Domini custodienda esse Regibus, si velint victores euadere.

QVANTA in vobis bona diuino munere sint collata, quantáque vos supernæ gratiæ pietas impleuerit, inter cetera vestrorum testimonia meritorum illud etiam cunctis pátenter insinuat: quia & effera corda gentilium prouidi gubernatis arte consilij, & Regiam, quod maioris adhuc laudis est, ornatis sapientia potestatem. Et quoniam sicut multis in vtroque gentibus eminetis, ita quoque eis fidei sinceritate præcellitis, magnam de vobis in emendandis illicitis fiduciam capimus. Nam qualiter adhortationem nostram excellentia vestra amplexa sit, quantáque eandem deuotione gestiat adimplere, scriptorum vestrorum emissa dudum pagina testis est. Sed quia ipse bonarum mentium esse consueuit adiutor, qui etiam earum largitor est: confidimus quòd tanto propitius causas vestras sua pietate disponat, quanto ipse de sua vos videt esse causa sollicitos. Facite quod Dei est, & Deus faciat quod vestrum est. Itaque Synodum congregari præcipite, & peccatum Simoniacæ hæresis de Regno vestro inter alia, sicut antea scripsimus, definitione consilij studiosiùs prohibete. Sacrificium Deo deuicto interiori hoste offerte, vt exteriores aduersarios ipso adiuuante vincatis: vt quale vos contra inimicos ipsius studium gesseritis, talem illum in vestro iuuamine sentiatis. Mihi autem credite, quia sicut iam experimento multorum didicimus, in damno expenditur quidquid cum peccato congregatur. Si vultis igitur nihil iniustè perdere, summopere studete per iniustitiam nihil habere. In terrenis etenim Epist. LVII.
C

rebus semper causa damni est origo peccati. Vos itaque si eminere aduersantibus A gentibus vultis, si earum, auctore Deo, victrices existere festinatis, eiusdem omnipotentis Dei cum tremore præcepta suscipite, vt ipse pro vobis contra aduersarios vestros pugnare dignetur, qui per sacrum eloquium pollicitus est, dicens: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.

EPISTOLA XXXIV.

GREGORIVS BRVNICHILDÆ REGINÆ FRANCORVM.

De emendandis Sacerdotibus, qui praue vitam instituunt.

Epist. lxiv. CVM scriptum sit, *Iustitia eleuat gentem, miseros autem facit populos peccatum:* tunc Regnum stabiliri creditur, cùm quæ cognoscitur, citiùs emendatur. Multorum igitur ad nos relatione peruenit, quod dicere sine afflictione cordis nimia non valemus, ita quosdam Sacerdotes, in illis partibus impudicè ac nequiter conuersari, vt & audire nobis opprobrium, & lamentabile sit referre. Ne ergo postquam huius nequitiæ hucusque se tetendit opinio, aliena prauitas, aut nostram animam, aut vestrum Regnum peccati sui iaculo feriat, ardenter ad hæc debemus vlciscenda consurgere, ne paucorum facinus multorum possit esse perditio. Nam causa sunt ruinæ populi Sacerdotes mali. Quis enim B populi se peccatis intercessor obiiciat, si Sacerdos, qui exorare debuerat, grauiora committat? Sed quoniam eos, quorum est locus hæc insequi, nec solicitudo ad requisitionem, nec zelus excitat ad vindictam, scripta ad nos vestra discurrant, vt personam, si præcipitis, cum vestræ auctoritatis assensu transmittamus, quæ vna cum aliis Sacerdotibus hæc & subtiliter quærere, & secundum Deum debeat emendare. Nec enim sunt dissimulanda quæ dicimus: quia qui emendare potest & negligit, participem se procul dubio delicti constituit. Prouidete ergo animæ vestræ, prouidete nepotibus quos cupitis regnare feliciter, prouidete prouinciis: & priusquam creator noster manum suam ad feriendum excutiat, de correctione huius sceleris studiosissimè cogitate, ne tanto postmodum atriùs feriat, quanto modo diutiùs & clementer expectat. Scitote autem, quòd Deo magnum sacrificium placationis offertis, si tanti labem facinoris de vestris citiùs finibus amputatis.

EPISTOLA XXXV.

GREGORIVS BRVNICHILDÆ REGINÆ FRANCORVM.

De Legatis pacis ordinandæ causâ ad Pontificem transmissis. De Menna Episcopo. De quodam Episcopo capitis infirmitate detento. De priuilegiis Monasteriorum eius. C

Lib. xi. Epist. viii. INTER alia bona hoc apud vos præ ceteris tenet Principatum, quòd in mediis huius mundi fluctibus, qui regentis animos turbulenta solent vexatione confundere, ita cor ad diuini cultus amorem & venerabilium locorum disponendam quietem reducitis, ac si nulla vos alia cura solicitet. Vnde quia huiusmodi præpositorum actio, subiectorum magna solet esse munitio, præ aliis gentibus gentem Francorum asserimus felicem, quæ sic bonis omnibus præditam meruit habere Reginam. Epistolis autem vestris indicantibus agnoscentes Ecclesiam vos sancti Martini in suburbano Augustodunensi, atque Monasterium ancillarum Dei, nec non & Xenodochium in vrbe eadem construxisse, valde lætati sumus, & gratias omnipotenti Deo retulimus, qui cordis vestri sinceritatem ad hæc operanda compunxit. Qua de re vt & nos bonis vestris in aliquo participes haberemur: priuilegia locis ipsis pro quiete & munitione illic degentium, sicut voluistis, indulsimus, nec excellentiæ vestræ amplectenda nobis desideria vel ad modicum differre pertulimus. Paterna præterea charitate salutationis præmittentes alloquium, indicamus illustribus filiis nostris, vestræ verò excellentiæ famulis ac

m.

A Legatis Burgoaldo & Varmariculo, nostrum nos secundum vestra scripta præbuisse secretum. Qui omnia quæ sibi iniuncta dixeratis, subtili nobis insinuatione reseraſſe noſcuntur. De quibus curæ nobis erit, ſequenti tempore excellentiæ veſtrę quid actum fuerit indicare. Nam nos quidquid poſſibile & vtile ad ordinandum pacem inter vos & rempublicam pertinet, ſumma Deo auctore cupimus deuotione compleri. Mennam verò reuerendiſſimum fratrem & Coepiſcopum noſtrum, poſtquam ea quæ de eo dicta fuerant requirentes, in nullo inuenimus eſſe culpabilem, qui inſuper ad ſacratiſſimum corpus beati Petri Apoſtoli ſub iureiurando ſatisfaciens, ab his quæ obiecta eius opinioni fuerant, ſe demonſtrauit alienum, reuerti illuc purgatum abſolutúmque permiſimus: quia ſicut dignum erat: vt ſi in aliquo reus exiſteret, culpam in eo canonicè puniremus, ita dignum non fuit vt eum adiuuante innocentia diutius retinere vel affligere in aliquo deberemus. De quodam autem Epiſcopo, quem capitis infirmitas, ſicut nobis prædicti magnifici viri dixerunt, adminiſtrare ſuum non ſinit officium, fratri Coepiſcopóque noſtro Ætherio ſcripſimus, vt ſi interualla eiuſdem infirmitatis habuerit, data petitione ad implendum ſe locum ſuum profiteatur non poſſe ſufficere, ſed alium Eccleſiæ ſuæ poſtulet ordinandum: quia viuente Epiſcopo, quem ab adminiſtratione officij ſui non culpa, ſed ægritudo ſubducit, alium loco ipſius ſacri nullo modo permittunt canones ordinari. Si verò nullo tempore ad mentis ſanæ redit officium, quæri perſona debet vita & moribus decorata, quæ & B animarum curam gerere, & eiuſdem Eccleſiæ cauſas vtilitatéſque ſalubri valeat ordinatione diſponere, taliſque ſi ſuperſtes extiterit, eius poſſit loco ſuccedere. Sed & qui ſunt in ſacro ordine, vel ad clericatus miniſterium promouendi, antefato reuerendiſſimo fratri noſtro Ætherio, ſi tamen ipſius eſt dioceſeos, reſeruandum nunciandúmque decreuimus, vt inde habita inquiſitione, ſi nullæ culpæ, quas ſacri canones inſequuntur, ſubiecti ſunt, ipſe eos debeat ordinare. Excellentiæ ergo veſtræ cura noſtræ ſe diſpoſitioni coniungat: quatenus nec Eccleſiæ vtilitates, quarum nobis maximus amor eſt, pereant: & nobis excellentiæ veſtræ mercedis augmenta ſuccreſcant. Similiter verò de quodam bigamo requiſiti, an ad ſacrum ordinem potuiſſet accedere, iuxta canonicam regulam omninò vetuimus. Abſit enim ne veſtris temporibus, in quibus tam multa pia ac religioſa agitis, aliquid contra Eccleſiaſticum inſtitutum fieri permittatis. Præfati autem viri magnifici filij noſtri dato capitulari inter cetera petierunt, quòd ſibi ex veſtra perhibuere iuſſione mandatum, vt talis debeat à nobis in Galliis perſona tranſmitti, quæ facta Synodo cuncta, quæ contra ſacratiſſimos canones perpetrantur, omnipotenti Deo auctore poſſit corrigere. In qua re gloriæ veſtræ curam cognouimus, quam de vita animæ, & de regni veſtri ſoliditate cogitatis: quia Redemptorem noſtrum formidantes, eiúſque in omnibus pręcepta ſeruantes, & hîc agitis, vt diu Regni veſtri gubernacula ſubſiſtant, & poſt longa annorum curricula vos quoque de terreno Regno ad regnum cœleſte tranſeatis. Apto autem tempore, ſi Deo placuerit, venerandæ excellentiæ veſtræ deſideria implere curabimus. Nos itaque C pro munitione locorum, de quibus excellentia veſtra ſcripſit, omnia ſicut voluit ſancire ſtuduimus. Sed ne fortaſſe ab eorum locorum præpoſitis eadem decreta noſtra quoquo tempore ſupprimantur, pro eo quòd eis quædam interdicta eſſe noſcuntur, hæc eadem conſtitutio geſtis eſt publicis inſerenda: quatenus ſicut in noſtris, ita quoque in regalibus ſcriniis teneatur. Omnipotens Deus excellentiam veſtram in ſuo ſemper timore cuſtodiat, atque ita veſtra vota in filiorum excellentiſſimorum Regum nepotum veſtrorum, intercedente beato Petro Apoſtolorum Principe, cui eos commendatis, ſoſpitate adimpleat, vt ſtabile vobis gaudium de eorum ſemper incolumitate, ſicut cupitis, habere concedat. Data menſe Nouembris, Indictione VI.

EPISTOLA XXXVI.

GREGORIVS THEODORICO REGI FRANCORVM.

De pace in Republica facienda.

Epist. xx. SCRIPTORVM vestrorum eloquia incolumitatem vestram signantia læti suscepimus, ex quibus ita transcendere vos prudentia ætatem agnouimus, vt euidenter appareat pro gentis Francorum felicitate excellentiæ vestræ potestatis Regiæ gubernacula supernæ gratiæ fauore fuisse commissa: inter quæ hoc quoque in vobis satis laudabile mirandúmque est, quod in his quæ filiam nostram præcellentissimam auiam vestram pro omnipotentis Dei amore desiderare cognoscitis, iuuare sic studiosissimè festinatis, vt per hoc & sic feliciter viuatis, & in futura vita Regnum cum Angelis teneatis. Quia ergo hoc Deo donante ex magna venit discretione iudicij, ita omnia quæ excellentia vestra voluit, citiùs ac libenter impleuimus, vt quantum nobis bona vestra placuerint, effectus nostri celeritate monstraremus. Salutantes præterea vos paterna dulcedine, indicamus omnia quæ viris illustribus famulis vestris Burgoaldo & Varmaricario filiis nostris apud vos agenda mandasti, facta nobis fuisse habito secreto colloquio manifesta. Et valde B laudauimus quia & præsentia sapienter, sicut decet, attenditis, & sic munire futura sempiternæ pacis interuentu inter vos, & Rempublicam festinatis, vt vnum facti, Regni vestri firmitatem in perpetuum extendere salubriter possitis. De quibus succedenti vobis tempore quæ Deo fuerint placita nunciamus. Nam nos quidquid vtile, quidquid probatur esse pacificum desideramus, & vt fieri valeat studemus. Tantum est vt sicut nostra, ita quoque Dei, quo sine nihil possumus, in ea quæ expediunt sit voluntas. Sancta Trinitas in suo semper faciat vos timore proficere, & ita cor vestrum placita sibi moderatione disponat, vt & nunc subiectis vestris de vobis, & postmodum vobis de se gaudium sine fine concedat.

EPISTOLA XXXVII.

GREGORIVS SENATORI PRESBYTERO ET ABBATI.

De Xenodochio, quod in Augustodunensi ciuitate à Siagrio & Brunichilda constructum est.

Epist. x. QVANDO Catholicorum Regum corda ad ea quæ Pontificalibus sunt monitis prouocanda, ita ardenti desiderio diuina præueniente gratia succenduntur, vt ab eis vltro poscantur: tanto alacri & læto sunt animo concedenda, quanto, & ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerant. Proinde iuxta scripta filiorum nostrorum præcellentissimorum Regum Brunichildæ ac nepotis ipsius Theodorici Xenodochio, quod in ciuitate Augustodunensi à Siagrio reuerendæ memoriæ Episcopo, & prædicta excellentissima filia nostra Regina constructum est, cui tu præesse dinosceris, huiusmodi priuilegia præsentis auctoritatis nostræ decreto indulgemus, concedimus, atque firmamus: statuentes nullum Regnum, nullum Antistitem, nullum quacumque præditum dignitate, vel quemquam alium de his quæ Xenodochio à suprascriptis præcellentissimis filiis nostris Regibus iam donata sunt, vel in futuro à quibuslibet de proprio fuerint iure collata sub cuiuslibet causæ, occasionísve specie minuere vel auferre, siue suis vsibus applicare, vel aliis quasi piis causis, pro suæ auaritiç excusatione posse cõcedere: sed cũcta, quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tam à te quàm ab eis, qui in tuo officio locóq; successerint, perenni tempore illibata, & sine inquietudine aliqua volumus possideri. Eorum tamen vsibus, pro quorũ sustentatione gubernationéque concessa sunt, modis omnibus profutura. Item constituimus, vt obeunte Abbate, atque Presbytero supra scripti Xenodochij atque Monasterij, non alius ibi quacumque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem Rex eiusdem Prouinciç cum consensu Monachorum, secundum timorem Dei elegerit, ac prçuiderit ordi-

dum. Hoc quoque capitulo præsenti subiungimus, vt locum auaritiæ excludamus, nullum de Regibus, nullum de Sacerdotibus, vel quemcumque alium per se suppositámve personam de ordinatione eiusdem Abbatis, vel quibuscumque causis Xenodochio ipsi pertinētibus, audere in auro siue alia qualibet specie commodi quidquam accipere, neque eundem Abbatem ordinationis suæ causa dare aliquid præsumere: ne hac occasione, ea quæ à fidelibus piis locis offeruntur, aut iam oblata sunt, consumantur. Et quoniā multæ occasiones in deceptione religiosarum personarum à prauis illis, vt dicitur, hominibus exquiruntur, Abbatem atq; Presbyterū prædicti Xenodochij nullo modo priuandum deponendúmque cēsemus, nisi causa specialiter criminis exigēte. Vnde necesse est, vt si qua contra eum huiusmodi querela surrexerit, non solus Episcopus ciuitatis Augustodunensis causam examinet, sed adhibitis sex aliis Episcopis suis subtili hoc inuestigatione perquirat: quatenus cunctis concorditer iudicantibus, canonicę districtionis censura aut reum punire, aut innocentem possit absoluere. Simili quoque definitione iuxta desiderium conditorum decernimus, vt nullus eorum qui eidem Xenodochio atque Monasterio Abbas aut Presbyter in posterum fuerit ordinatus, ad Episcopatus officium quacumque obreptione sit ausus accedere: ne res Xenodochij, vel Monasterij iniqua erogatione consumens, grauissimam egestatis necessitatem pauperibus ac peregrinis, vel ceteris exinde viuentibus, generet. Episcopum verò tollendi de eodem loco Monachum, ad Ecclesiasticum ordinem promouendum, vel pro aliqua quacumque causa, sine consensu Abbatis atque Presbyteri habere licentiam prohibemus: ne huius rei vsque ad hoc vsurpatio perducatur, vt loca quæ acquisitione hominum construenda sunt, ablatione destruantur. Hæc igitur omnia, quæ huius præcepti decretique nostri pagina continet, tam tibi quàm cunctis qui in eo es ordine, locóque successerint, vel eis quorum interesse potuerit, in perpetuum seruanda decernimus. Si quis verò Regum, Sacerdotum, Iudicum, personarumque secularium hanc constitutionis nostrę paginam agnoscens, contra eam venire tentauerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reúmque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi vel ea quæ ab illo malè ablata sunt restituerit, à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini nostri Redemptoris Iesus Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hîc fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum iudicem pręmia æternæ pacis inueniant.

EPISTOLA XXXVIII.

GREGORIVS THESSALIÆ ABBATISSÆ.

De Monasterio sanctæ Mariæ, quod in Augustodunensi ciuitate erectum est, & priuilegio eius.

QVANDO ad ea quæ Catholicorum Regum corda Pontificalibus sunt monitis prouocanda, ita ardenti desiderio diuina præueniente gratia succenduntur, vt ab eis vltro poscantur: tanto sunt alacri & læto animo concedenda, quanto & ea ipsa quę cupiunt, si nollent facere peti debuerant. Proinde iuxta scripta filiorum nostrorum pręcellentissimorum Regum Brunichildę ac nepotis ipsius Theodorici, Monasterio S. Mariæ, vbi ancillarum Dei congregatio est constituta, in vrbe Augustodunensi, *&c. vt supra.* Epist. XI.

EPISTOLA XXXIX.

GREGORIVS LVPONI PRESBYTERO ET ABBATI.

De Ecclesia S. Martini, quæ est in suburbano Augustodunensi, & priuilegio eius.

Epist. XII. QVANDO ad ea quæ Catholicorum Regum corda Pontificalibus sunt monitis prouocanda, ita ardente desiderio diuina præueniente gratia succenduntur, vt ab eis vltro poscantur: tanto sunt alacri & læto animo concedenda, quanto ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, debuerant. Proinde iuxta scripta filiorum nostrorum præcellentissimorum Regum Brunichildæ ac nepotis Theodorici, Ecclesiæ S. Martini, quæ in suburbano ciuitatis Augustodunensis, *&c. vt supra.*

EPISTOLA XL.

GREGORIVS CONDVCTORIBVS MASSARVM PER GALLIAM.

Quòd eos Arigio Patricio commendauit.

Lib. XII. Epist. XII. QVAMVIS inter medias sitis turbas gentium constituti: tamen ratio nos ipsa suspicari compellit, multum vos ab aliis bona actione distare. Sicut enim appellatio S. Petri Apostolorum principis familiam Ecclesiæ tantæ multitudini clariorem demonstrat: ita debetis ceteros morum claritate præcedere, atque eos quibus præestis, vt bene agant, vt agnoscant cui seruiunt, assiduè commonere: vt à rapinis gentium, atque prauitatibus abstineant, & familia Ecclesiæ non solùm nomine, sed meritis honoretur. Nos enim de vobis cognoscite studiosissimè cogitare. Disposuimus enim hominem nostrum, qui vos possit tueri & regere, cum litteris commendatitiis ad excellentissimum Regem, Christo auxiliante, transmittere. Sed viam tempus hiemis impediuit. Viro ergo *glorioso Arigio Patricio vos* præuidimus commendandos, cui interim summa benignitate, atque obedientia, sicut B. Petri famulos decet, obedire studete, atque ea, quæ pro Ecclesiastica vtilitate vobis præcipiuntur, implete. Visum autem nobis est, vt consuetudinaria excepta eius vtilitate debeatis inferre. Pensiones verò fideliter cum omni collectę diligentia, vt apud vnum quemque vestrûm, quem communi consensu elegeritis reiaceant, à quo cùm veneritis, quem à latere nostro transmiserimus, eas possit accipere. Non enim sumus dubij, quòd per eum qui vobis visus fuerit, possint fideliter conseruari. Ita ergo in omnibus, irreprehensibiles, atque obedientes existite, quatenus veniens ad vos is qui patrimonium ipsum recturus est, sciat quemadmodum vnicuique vestrûm pro sua debet strenuitate rependere.

FINIS.

PRÆTERMISSA.

FRAGMENTVM, DE CLODOVEO ET ALARICO REGIBVS.

Ex Collectione Historica, quam Henricus Canisius Anonymi nomine publicauit Tom. II. antiq. Lectionum.

QVADAM vice CLODOVEVS Rex Francorum, & ALARICVS Rex Gothorum, qui sedem Tolosæ habebat, post multa prælia quæ inuicem gesserunt, intercedentibus Legatis cùm pacem inire cœpissent huius conuenientiæ, vt Alaricus barbam tangeret Clodouei effectus patrinus, perpetuam adinuicem pacem seruarent, & ad huius placida conuentionis nec Francus nec Gothus armatus penitus accederet. Statuentes diem ad locum designatum adinuicem. Ibique Legatus Clodouei Paternus nomine ad Alaricum accessit, inquirens vtrum eo habitu Gothi sine armis quò spoponderant, placitum custodirent: aut fortè more solito, vt post probatum est, mendaces apparerent. Cùm loqueretur Paternus cum Alarico Rege, nuncians salutē Clodouei; & diligenter inquirens, quo ordine deberent coniungere, Gothi fraudulenter buxos * pro baculis in manu ferentes. Apprehensum vnum ex his Paternus extrahit, dicens: Mendacia tua placita sunt, Rex, vt fraude conēris cum tuis Gothis Dominum meum & Francos decipere. Accepto placito cum Alarico, spondens Paternus pro Francis ad iudicium THEODERICI Regis Italicæ, huius rei terminus fieret. Ibi Legatus Alarici Regis, & Paternus directus à Clodoueo, ad conspectū properāt Theoderici. Exponens per ordinē Paternus causam Clodoueo & Francis, quod Legatus Alarici denegare non potuit, nisi tantùm petens, vt iudicium Theoderici finiretur. Cogitans in semetipso Theodericus huius causæ euentum, & futuris temporibus quæ oportebat obliuioni non tradens, zelum aduersus hos duos Reges retinens, dicens his Legatis: In crastinum quod attentius huius rei pro pacis cōcordia, vt iustitiæ ordo poposcérit, cum Senioribus Palatij pertractare potuerò, fratribus meis cum integra dilectione & amore profuso mandare non sileo. Tractánsque in arcano cordis quod iam olim celauerat, cupiens hos duos Reges ab inuicem semper esse discordes, tale inter eos demum iudicium terminauit, vt difficile Gothis, quos Alaricus regebat, huius culpa compleretur: vt veniret Legatarius Francorum sedens super equum, contum erectum tenens manu, ad Aulam Palatij Alarici, & tam diu Alaricus & Gothi super eos solidos iactarent, quousque Legatum, & equum, & acumen conti cum solidis cooperirent. Renunciantes Legati Alarico protinus, quòd Theodericus huius rei terminasset iudicium. Et cùm esset difficile hæc Alarico & Gothis supplere, volentes fraude Paternum Legatum Francorum decipere, qui in solario, misso per noctem quod suppositum erat, ruens, fracto brachio vix tandem euasit. Ducénsque eum Alaricus in castrum, suos ostendens thesauros, cum sacramento dicens: Amplius solidos non habere, quàm ad præsens arcis plenis ostenderit. Vbi Paternus vnum solidum de pugno extrahens, suo proiecit, dicens: His solidis sit arrabo ad partem Domini mei Clodouei Regis, & Francis. Reuertens ad Clodoueum, narrans per singula. Clodoueus aduersus Alaricum arma commouet, quem in Campania Vocladensi decimo ab vrbe Pictaua milliario interfecit, & maximam partem exercitus Gothorum ibi gladio trucidauit, Regnúmque eius à Ligeri fluuio & Rhodano per mare Tyrrhenum & montes Pyrenæos vsque Oceanum mare abstulit. quod hodiéque ditione condigna permanet ad Regnum Francorum.

Lib. III. c. X

* al. vxos. Aimoinus vocat ferreum ostij obicem. Lib. I. c. 20.

HHhh ij

EX LIBRO II. PAVLI VVARNEFRIDI LONGOBARDI FILII DE GESTIS LONGOBARDORVM.

HIs temporibus Narses etiam Buccellino Duci bellum intulit, quem THEVDEBERTVS Rex Francorum, cùm in Italiam introisset, reuersus ad Gallias, cum Hamingo alio Duce ad subiiciendam Italiam dereliquerat. Qui Buccellinus cùm penè totam Italiam direptionibus vastaret, & Theudeberto suo Regi de præda Italiæ munera copiosa conferret, cùm in Campania hiemare disponeret, tandem in loco, cui Tannetum nomen est, graui bello à Narsete superatus, extinctus est. Hamingus verò dum VVidin Gothorum Comiti, contra Narsetem rebellanti, auxilium ferre conatus fuisset, vtrique à Narsete superati sunt. VVidin captus Constantinopolim exiliatur. Hamingus verò, qui ei auxilium præbuerat, Narsetis gladio perimitur. Tertius quoque Francorum Dux nomine Leutharius, Buccellini germanus, dum multa prædâ onustus ad patriam cuperet reuerti, inter Veronam & Tridentum, iuxta lacum Benacum propria morte defunctus est.

EPITAPHIVM S. GERMANI EPISCOPI PARISIENSIS,

Quod illi CHILPERICVS *Rex posuit.*

ECCLESIÆ speculum, patriæ vigor, ara reorum,
　Et Pater, & Medicus, Pastor, amórque gregis,
GERMANVS virtute, fide, corde, ore, beatus,
　Carne tenet tumulum, mentis honore polum.
Vir cui dura nihil nocuerunt fata sepulcri,
　Viuit enim. nam mors quem tulit ipsa timet.
Creuit adhuc potiùs iustus post funera. Nam qui
　Fictile vas fuerat, gemma superba micat.
Huius opem ac meritum mutis data verba loquuntur,
　Redditus & cæcis prædicat ore dies.
Hic vir Apostolicus rapiens de carne trophæum,
　Iure triumphali considet arce throni.

FINIS.

INDEX
RERVM AC VERBORVM
MEMORABILIVM, QVAE
IN HOC TOMO I. CONTINENTVR.

A

B

Barisia-

C

Eueme-

F

H

I

L

M

N

S

T

Tauro-

V

X

Z

FINIS.

CORRIGENDA.

PAg. 4. lin. 11. Calarone, leg. Cularone.
Pag. 89. lin. 6. Gepidorum, leg. Gepidarum.
Pag. 90. lin. 15. in Bagauda, leg. in Bagaudas.
Pag. 120. lin. 35. Tibi Flacce acies, leg. Et tibi Flacce acies.
Pag. 199. lin. 10. ad annos, dele ad.
Pag. 203. lin. 22. Constantinum & Vlphilam, leg. Constantium & Vlphilam.
Pag. 211. lin. vlt. in Caureto, leg. in Laureto.
Pag. 235. lin. antepenult. qui erant inta-oppidum, leg. qui erant intra oppidum.
Pag. 279. lin. 2. viginti ferme militibus, leg. viginti fermè milibus. lin. 34. litora Rheni amni, leg. Rheni amnis.
Pag. 314. lin. 24. migrasset, apud Parisius ciuitatem Pascentius, sic disting. migrasset apud Parisius ciuitatem, Pascentius.
Pag. 319. in margine, Grandisuuintham, leg. Gundisuuintham. Ibid. lin. 25 ad Iustinianum Imp. leg. ad Iustinum Imp.
Pag. 321. lin. 46. 47. quadrupla sasfactione, leg. satisfactione.
Pag. 349. lin. 32. Regi Sexenium, leg. Regis exenium.
Pag. 467. lin. vlt. committio, leg. committo.
Pag. 372. lin. 27. facerat, leg. fecerat.
Pag. 416. lin. 32, Turbatus hoc Episcopus audito hoc, ait. leg. Turbatus Episcopus audito hoc, ait.
Pag. 455. lin. 34. GRATIANVS Episcopus, leg. GATIANVS.
Pag. 500. lin. 44. de fratre LIPI, leg. de fratre LVPI.
Pag. 514. lin. 12 SCEPTORVM columen, leg. SCEPTRORVM.
Pag. 525. lin. 4. Erant autem, sicut, leg. Erant autem Franci, sicut.
Pag. 538. lin. 1. Episcopum Leobium, leg. Episcopum Leobinum.
Pag. 540. lin. 54. cùm hunc esse Mauri filium, leg. cùm hunc esse Flori filium.
Pag. 541. lin. 25. in margine, THEODEBERTVS, leg. THEODEBALDVS.
Pag. 550. lin. 23. genibus proluta, leg. genibus prouoluta.
Pag. 565. lin. 49. aluij Patris, leg. alii Patris.
Pag. 580. lin. 1. huiusmodi signo. leg. in huiusmodi signo.
Pag. 591. lin. 2. SIGEBERTI III. AVSTRIÆ, leg. SIGEBERTI III. REGIS AVSTRIÆ.
Pag. 624. lin. 41. vir Dei Anfraldus, leg. vir Dei Ansoaldus.
Pag. 636. lin. 47. 48. vel suis, leg. vel ex suis.
Pag. 684. lin. 47. ab eius ætaneo, leg. ab eius coætaneo.
Pag. 731. lin. 16. ALANI, leg. DANI.
Pag. 774. lin. 42. vsque ad clasas, leg. vsque ad clusas.
Pag. 787. lin. qui Lusans dicitur, leg. qui Lusaus dicitur.
Pag. 807. lin. 36. Alblofedis, leg. Albofledis.
Pag. 846. lin. 28. ac fidelitatem seruandam leg. ad fidelitatem seru.
Pag. 868. viro glorioso honorato, leg. viro glorioso Honorato.
Pag. 869. in margine, Consiliario, leg. Cancellario.

FINIS.

FAC MECVM SIGNVM IN BONVM